R.P. LUDOVICUS NOGUEIRA LUSITANI ... SOCIETATIS JESU THEOLOGI...

Luiz Nogueira

Digitized by Google

9
6-G
7

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

9667
32 A 1
32 0.72 B2
A
16

Digitized by Google

Digitized by Google

H
966

320 A
16

Digitized by Google

R. P. LUDOVICI

NOGUEIRA

LUSITANI FORMOSILLIENSI

SOCIETATIS JESU THEOLOGI.

EXPOSITIO

BULLÆ CRUCIATÆ

LUSITANIÆ CONCESSÆ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INQUA

Etiam declaratur Bulla Hiſpana, & oſtenduntur diſcrimina, quæ inter utramque Bullam reperiuntur, & Decreta aliqua S. S. Pontificum, & S. Cardin. Congreg. ab Authoribus nondum explicata, noviter enodantur.

OPUS

Valde utile, & neceſſarium Prælatis Beneficiariis, animarum curam gerentibus, necnon omnibus Sacerdotibus, & utriuſque juris peritis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Cum duplici indice.

ROM. SOC. IESV BIBL. SEC. COLL.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus FRATRUM HUGUETAN.

M. DC. LXXXXI.
CUM APPROBATIONIBUS.

INCOGNITA

LUSITANIÆ FORMOSILLENSI

SOCIETATIS JESU THEOLOGÆ

EXPOSITIO

BULLÆ CRUCIATÆ

LUSITANIÆ CONCESSÆ

A

R. P. LUDOVICI

ILLUSTRISSIMO,
AC
REVERENDISSIMO D. D.
LUDOVICO VIEYRÆ
A SILVA
SALUT. AC FELICIT. PERPET.

SAPIENTER quidem, Illustrissime Domine, morem invexit, ac tandem aliquando Legem tulit Lycurgus ille, qui feros Lacedæmoniorum cultus rectè formavit, nequis pretiosis muneribus superos demereri studeret. Duplici nomine id consilium à Rege initum calculis eorum comprobatum est, quos vana Religio adversus commentitios Deos bene animatos efficiebat: tum quia vel qui Iri in morem vitam toleraret, ut ferme tolerabant Lacedæmonij, Diis facere sæpissime valeret: tum quia majestas illa fabulosa animum potius, quàm dona inspiceret. Hoc instituti genus animos mihi facit, ut juratus Christi pauper Tibi, quem vice præsentissimi cujusdam Numinis in terris colo, Cruciatam (ut aiunt) Bullam sistere audeam. Nihil planè in hoc muneris dignationi Tuæ respondere prudens scio: at apprimè nosti, donantis animo, qui Tibi plusquam in speculo perspectus, illius tenuitatem non magna ex parte solùm, sed ex æquo etiam compensari. Donarem quid majus, quin & litarem pro beneficiis, quæ Tibi in acceptis refero, siquid majus possem undequaque conquirere: verùm dono pro fortunis meis, pro tempore, & tenuitate quàm maximum donare possum.

Nam, qui, quàm potuit, dat maxima, gratus abundè est,
Et finem pietas contigit illa suum. *Ovid 4. de Pont. Eleg. 8.*
Nec, quæ de parva pauper Diis libat acerra,
Dona minùs, grandi quàm data lance, valent.

Hæc non eò tendunt, ut materiam ipsam Cruciatæ, quæ quidem per se magna est, dictis videar deterere; sed quòd in eam nec formam induxerim, quàm jure suo exigebat, nec ita castigaverim, ut magis magisque poliri nequeat. Fateor tamen laboriosius, quàm ab alio quovis, Lusitanam Bullam à me fuisse pervigilatam. Memor verò,

Sæpe opere in longo fas esse obrepere somnum. *Horat. in Art.*

Si quod delictum vel dormitando, vel pro humana conditione in somnis etiam omnino admisi, illius gratiam indulgenter facies; cùm ad id potissimùm Bulla hæc inserviat, ut illius causâ graviora quæque piacula condonentur, & insuper indulgentiæ (ut vulgari utar vocabulo) impertiantur. Nec ut hanc à Te gratiam inire possim, illorum solemne tenuerim, qui patronos suos & à fumosis proavorum imaginibus, & à propriis dotibus effusissimè laudant: nam etsi hoc loci uberrima mihi seges aperiebatur, eam quidem non sine consilio intactam relinquo; utpote qui modestiam Tuam habeo in explorato, quæ ad familiæ vestræ, & ad Tuas laudes oppidò syncera, quantùm alii ad suas vel fucatas diffundere, tantùm soleat frontem contrahere. De Fa-

Sallust. in Jugurt. milia etiam, ut de Carthagine Sallustius à Fabio impensè laudatus satius duxerim tacere, quàm parum dicere, quamvis Antistitem illum Amplissimum juxtà ac Præclarissimum Dominum Petrum Vieyram à Sylva (qualem virum nomino!) Patrem Tuum amantissimum, non nisi invitus pretermittam. Ad hujus normam Te conformas, in mores immigras,

Virg. Æncid. 2. Sequerisque Patrem jam passibus æquis.

Et assequeris planè, cùm in idem dignitatis culmen, ad quod reluctans ocyssimè contendis, evectus fueris. Id propediem fore, nemo est, qui non avidè speret, prout de virtutibus Tuis opinio concepta est. Sed quò imprudens evasi? scio, vel per transennam de meritis Tuis factam mentionem Tibi displicere. Ignoscas tamen mihi imprudenter offendenti ad eundem lapidem, à quo pedem retrahere conabar; vel potiùs æstu quodam abrepto in Oceanum virtutum Tuarum, quasi vellem persequi, & epistolæ modum excederem, & essem tibi importunus, cui morem gerere, in hoc uno non sponte, debeo. Ad illud igitur, unde abij, regredior; & Cruciatam meam Tibi enixè iterum commendo, ut ab altero Ludovico elaborata, ab altero protecta in lucem publicam emittatur: Atque, ut es beneficentissimus, non dedignaberis illam ab Aristarchis, siqui fuerint vindicare. Vale Ulyssipone, è Professorum Domo Societatis JESU, Die

AD LECTOREM.

EN habes, benevole Lector, Bullam Cruciatæ, Portugalliæ Regnis conceſſam, ejuſque Ditionibus, & Provinciis à Summis Pontificibus concedi ſolitam, noſtro quali labore tandem aliquando illuſtratam, & explicatam. Id communibus votis à Luſitanis petebatur; & præcipuè Viri docti tam domeſtici, quàm externi ſua etiam vota, & preces addere dignati ſunt: quorum authoritate, renuente licèt calamo, evictus, hoc opus, Deo auſpice, aggredior. Illud verò futurùm ſpero, & fidelibus utiliſſimum, & Confeſſariis, ac Parochis apprimè gratum, qui hactenus ſpeciali Bullæ ad nos quotannis miſſæ explicatione indigebant. Siquidem cum tot Authores de Bullâ Hiſpaniæ conceſſa latè egerint, nullus extitit, qui pro explicandâ propria Luſitaniæ Bulla opus aliquod inſcripſerit, illamque ad amuſſim explicarit: Doctor enim Sebaſtianus da Coſta de Andrade, præterquam quòd multis jam ab hinc annis ſuum opus ediderit, adeo laconicè de Bulla noſtra diſſeruit, ut Summa capitum duntaxat, & vulgares quæſtiones expoſuerit. Et quamvis elapſis proximè annis nonnulli ſcriptores in libris, quos evulgarunt, aliqua circa eandem Bullam veluti miſcellanea interſeruerint; ex eorum tamen reſolutionibus deprehenditur, illos præ manibus, & oculis non habuiſſe Bullam Latinam, vulgò Plumbeam, quæ noſtris Regnis concedi ſolet: ſibi forſitan aliqui ex ipſis perſuadentes, eaſdem eſſe facultates, privilegia, & indulta utriuſque Bullæ, Luſitanæ ſcilicet, & Hiſpanæ. Ex quâ deceptione factum fuit, ut Doctrinam Luſitanæ Bullæ parum conſonam aſſeruerint, & tradiderint: Hac etiam de causâ Magiſtri conſulentes, cæteroqui ſapientiſſimi, in dubiis interrogati reſolvunt eodem conſilio, quo dubia expediunt Authores Bullæ Hiſpanæ, cum longè aliter diſpoſitum, & injunctum ſit in Bullâ Luſitaniæ conceſſâ.

Methodus, quam in hâc Bullæ explicatione teneo, eadem eſt, ac Latinæ Bullæ, Summariique; cujus verba in cujuſlibet diſputationis initio præpono, ac accuratè explano: deinde oſtendo, quàm diverſa ſint ab

aliis, quæ in Bullâ Hiſpanâ continentur. Et quamquam noſtra explicatio potiſſimum verſetur circa Bullam Luſitaniæ propriam (qui mihi primarius eſt labor) etiam ad Bullam Hiſpanam extenditur: imò quæ alii ſcriptores de illâ curſim retulere, lentè examino. Caſus nonnullos ad materiam, quam tractamus, operæ pretium facturos, ſuperaddo; quamplurimaque olim ſub opinione dicta, ea ex S. S. Pontificum decretis, & Sacræ Congreg. Cardinalium declarationibus, ut jam deciſa, & reſoluta, pro certis ſtatuo. In proprio ſenſu refero controverſias excitatas inter Collectorem Pontificium hujus Regni, & Bullæ Cruciatæ Commiſſarium: indè enim non parum roboris ad noſtram Doctrinam accedit, quo ſarta tecta, & inoffenſo pede decurrat. Propoſitiones à S. S. Pontificibus rejectas, & damnatas, in decurſu operis occurrentes, explano, ne videar, ut minimum, illis favere; ideoque oppoſitarum veritatem expendo. Quæ, & quanta ſit Commiſſarii Generalis poteſtas, & authoritas, demonſtro, ut pro quibus facultatibus, & novis privilegiis obtinendis adiri, & rogari queat. Bullas tam Compoſitionis, quàm defunctorum, quæ debitis erga Deum, & homines extinguendis opportuniſſima, & cœlo delapſa ſunt remedia, fusè expono. Caſus reſervatos omnium Diæceſium in Luſitaniâ, & Ditionibus, ac Provinciis ei ſubjectis, ut quoties abſolutionis beneficium impendendum ſit, dignoſcatur, enumero, & quo ſenſu reſerventur, aperio.

Non paucas ab Authoribus prætermiſſas, nedum ſolutas, difficultates ſæpe diſcutio, & expono: & affines Bullæ quæſtiones, quæ in illorum libris diſperſa inveniuntur, in unum revoco locum. Opiniones amplector, non curans ſtrictiores ſint, an benigniores; ſequor quod ſecurius, & utilius eſt fidelium conſcientiis, juxta receptam Eccleſiæ praxim, & emanatas à Vaticano oraculo leges. Aſſerta minus communia, quæ trado, illa prius cum juris ſcientiâ, ac virtute conſpicuis frequenti conſultatione contuli; eligens potius maturæ illorum deliberationi ſubſcribere, quàm proprio judicio fidens, errare. Denique quòd noſtra Explicatio dilucidè pariter, ac diſtinctè, & recto doctrinæ ordine procederet, quàm maximè potui, & quantùm per me ſterit, elaboravi.

Totum opus ab initio uſque ad illius calcem in diſputationes dividitur, deinde quælibet diſputatio in ſectiones; ſi verò hæ in longius excurrant, in paragraphos ſubdividuntur, ne multitudo, & varietas titulorum quæſtionem properantibus invenire, moram & tædium afferat: adde quòd damus copioſiſſimum indicem, quo reperiri facilè poterunt, quæ ſtudioſus videre cupiat. De his mihi viſum fuit paucis te admonere, benevole lector, ne cæterorum Scriptorum morem prætermitterem; quidquid benè ſcriptum inveneris, amplectere; ſi quid malè, corrigito. Vale.

Cha-

Chariſſimo in Chriſto filio noſtro Philippo Portugalliæ, & Algarbiorum Regi.

Clemens Papa VIII.

CHariſſime in Chriſto, filii noſter, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem: Indulgentias, & gratias illas Spirituales, ac temporales ad triennium publicandas, & duraturas, tibi, ac omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, aliisque terris, & locis Regni Portugalliæ dominio ſubjectis, conſiſtentibus, & ad illa declinantibus, iis, qui certa munera adimpleviſſent, alias à felic. record. Gregorio XIV. per ſuas in formâ Brevis die 17. Aprilis, Pontificatus ſui anno primo; & deinde etiam à nobis per noſtras in ſimili formâ Brevis, ſub datis die 9. Februarii 1592. litteras expeditas, ſimiliter ad tres annos conceſſas, ſeu ſucceſſivè ad tres annos, ut præfertur, extenſas, & prorogatas, quarum omnium tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, juſtis, & gravibus cauſis adducti, motu proprio, & ex certâ ſcientiâ noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ad alios tres annos à die publicationis præſentium faciendæ numerandos, extendimus, & prorogamus; nec non Majeſtati tuæ pro ſe, ac dilectiſſimo in Chriſto Philippo Portugalliæ, Algarbiorum Principe nato tuo, ac prædictis omnibus eaſdem gratias, & indulgentias cum omnibus, & quibuſcunque indulgentiis, facultatibus, conceſſionibus, extenſionibus, conditionibus, clauſulis, & decretis, in prædictis Gregorii prædeceſſoris prædicti, in noſtris præfatis litteris contentis, ad tres annos, ut præfertur, à die publicationis præſentium faciendæ, numerandos, prout in ſingulis Urbibus, & locis dictorum Regnorum finem habebunt, authoritate Apoſtolicâ, tenere præſentium, iterum ac de novo concedimus, & indulgemus. Ac præterea dilecto filio Antonio de Mendonea Præſidenti menſæ conſcientiæ, & ordinum militarium, jam earum gratiarum executori, & Commiſſario Generali, nuper deputato, plenam, & liberam in præmiſſis facultatem, & authoritatem tribuimus per ſe, vel per alium, ſeu alios, quos ad id idoneos duxerit, ad executionem præmiſſorum, & aliorum juxta facultates conceſſas, omni, & quâcunque appellatione poſtpoſitâ, procedendi, aliaque faciendi, & exequendi, quæ in præmiſſis circa ea neceſſaria fuerint, & quomodolibet opportuna. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non omnibus illis, quæ idem prædeceſſor, ac nos in dictis litteris voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Ut autem præſentes litteræ, cum opus fuerit, ad omnium notitiam deduci poſſint, decernimus, ut earum exemplis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ obſignatis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, & oſtenſæ. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris die 19. Januarii 1598. Pontificatus noſtri anno Sexto.

M. VESTRIUS BARBIANUS.

Littera S. D. N. Pauli V. conceſſionis, & extenſionis Bullæ Cruciatæ à Gregorio Papa XIV. Chariſſimo in Chriſto filio noſtro Philippo Portugalliæ, & Algarbiorum Regi Catholico.

PAulus Papa V. Chariſſime in Chriſto filii noſter, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem: Indulgentias, & gratias illas Spirituales, & temporales à triennio publicandas, & duraturas charæ mem. Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico genitori tuo, ac omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus in Portugaliæ, & Algarbiorum Regnis, aliiſque terris, & locis Regis Portugalliæ dominio ſubjectis, & conſiſtentibus, & ad ſua declinantibus, qui certa munera adempleviſſent à felic. record. Gregorii XIV. die 12. Aprilis, Pontificatus ſui anno primo, & deinde à Clemente VIII. prædeceſſoribus noſtris die 9. Februarii 1592. & 19. Januarii 1598. & 13. Octobris 1603. nec non die 13. Aprilis 1604. ac poſtremò à nobis die 12. Junii 1605. Majeſtati tuæ, & aliis perſonis prædictis per ſuas, & noſtras in ſimili forma Brevis expeditas litteras, ad triennium conceſſas, & ſæpius, ut præfertur, extenſas, & prorogatas; quarum omnium tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, (omnes & quaſcunque alias hujuſmodi indulgentiarum, & gratiarum extenſiones, prorogationes, & conceſſiones à nobis poſt diem 22. Junii 1605. prædictam, factas, eidem Majeſtati tuæ, & aliis perſonis in eiſdem Regnis Portugalliæ, & Algarbiorum, aliiſque locis in litteris deſuper expreſſis, annullantes, caſſantes, & revocantes) juſtis, & gravibus de cauſis adducti motu proprio, & ex certâ ſcientiâ, maturâque deliberatione, noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ad ſexennium à data præſentium litterarum noſtrarum inchoandum, extendimus, & prorogamus, necnon eidem Majeſtati tuæ, ac omnibus Chriſti fidelibus, in prædictis Portugaliæ & Algarbiorum Regnis, ac eorundem Regnorum Inſulis, Indiis Orientalibus, & ultramarinis, Conqueſtis terris, & locis ejuſdem Portugaliæ, & Algarbiorum Regis dominio temporali ſubjectis, commorantibus, & ad illa declinantibus, necnon Regnorum prædictorum ſubditis in alieno dominio mercimonii cauſa, non tamen animo in alieno dominio hujuſmodi permanendi, degentibus, indulgentias, & gratias Spirituales, & temporales prædictas cum omnibus, & quibuſcunque indultis, facultatibus, conceſſionibus, declarationibus, extenſionibus, conditionibus, clauſulis, & decretis in Gregorii, & Clementis prædeceſſorum noſtrorum, & noſtris litteris contentis, ut infra ad ſexennium, authoritate Apoſtolicâ, tenere præſentium de novo concedimus, & indulgemus. Ita quòd hujuſmodi ſexennio durante, Majeſtati tuæ, ac omnibus Chriſti fidelibus prædictis ſuffragentur. Quamobrem de fide, induſtriâ, & probitate dilecti

filii Franciſci de Braganca Eccleſiæ Elborenſi Canonici, multam in dominio fiduciam habente, eundem Franciſcum indulgentiarum, & gratiarum Spiritualium, & temporalium prædictarum cum omnibus indultis, facultatibus, conceſſionibus, declarationibus, extenſionibus, conditionibus, clauſulis, & decretis, ut ſupra in Regnis, inſulis Indiis, Conqueſtis terris, & locis prædictis, executorem, & Commiſſarium Generalem Apoſtolicâ authoritate ad ſexennium prædictum deputamus, eidemque plenam, & liberam in præmiſſis, & infra ſequentibus, facultatem, & authoritatem tribuimus per ſe, vel alium, ſeu alios, quos ad id idoneos duxerit ad executionem præmiſſorum, & alias, juxta facultates conceſſas, & infra concedendas, omni, & quâcunque appellatione poſtpoſitâ, procedendi aliaque faciendi, & exequendi, quæ in præmiſſis, & circa ea neceſſaria fuerint, & quomodolibet opportuna. Ac præterea Gregorii XIV. prædeceſſoris prædicti veſtigiis inſiſtentes, qui juſtis de cauſis ſimiles indulgentias, & gratias in Regnis Hiſpaniarum prædicto Philippo Regi conceſſas, non ut ſingulis bienniis, ſicut record. memor. Pius Papa V. pariter, prædeceſſor noſter, conceſſerat, ſed ut ſingulis annis, publicari poſſit, indulſit. Juſtis quoque, & gravibus de cauſis nos eidem Franciſco de Braganca executori, & Commiſſario Generali, ut in poſterum, dicto ſexennio durante, in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, inſulis, Indiis, Conqueſtis terris, & locis prædictis, non ſolùm ſingulis, trienniis, quemadmodum à prædicto Gregorio XIV. conceſſum fuerat, ſed etiam ſingulis annis ſupra dictis, omnes indulgentias, & gratias cum omnibus qualitatibus, declarationibus, clauſulis, & decretis præmiſſis, publicare poſſit, motu, ſcientia, & authoritate ſimilibus, pariter concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus, Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quæ idem prædeceſſores, ac nos in dictis litteris voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Voluimus autem ut eleemoſynæ, quæ causâ, & occaſione dictarum indulgentiarum & gratiarum erogabuntur in defenſionem, & manutentionem locorum Africæ, ad Regna Portugalliæ, & Algarbiorum prædicta ſpectantium duntaxat convertantur; & ſi quid ſupererit, ſumptibus Claſſium eorundem Regnorum pro defenſione eorum marium, & non aliis uſibus applicentur; quodque eleemoſynæ juxta formam aliarum in hujuſmodi formâ Brevis litterarum hodie expeditarum fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe eleemoſynis prædictis impertienda, omnino impertiatur. Ut autem præſentes litteræ ad omnium notitiam deduci poſſint, decerninus, ut earum exemplis etiam impreſſis, & manu alicujus notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ, obſignatis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, & oſtenſæ. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris, die 16. Decembris 1609. Pontificatus noſtri, anno quinto.

S. Cobellutius loco ten. Sigillo.

Cenſura R. P. Fr. Joannes Ribeyro Ordinis S. Trinitatis M. & in Academia Conimbricenſi S. Theologia Doctoris.

Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Domine.

DE mandato Illuſtriſſimæ Dominationis V. ea qua potui attentione, vidi librum, cui titulus eſt: Expoſitio Bullæ S. Cruciatæ Authore R. P. M. Ludovico Nogueira Societatis JESU. Dicam de libro, & ejus Authore. De libro, aſſero, non ſolùm non habere quidquam noſtræ S. Fidei, vel bonis moribus, vel leviter abſonum; imo potius eſſe pium, doctum, eruditione plenum, & neceſſarium. De Authore, dico eſſe apprimè verſatum in rebus moralibus, pariter ac in ſpeculationibus; eſſe diligentem veritatis indagatorem, zelatorem ſalutis animarum, & fructuum Spiritualium, quos parturiunt ad animas ditandas gratiæ, & indulgentiæ Pontificiæ: quæ omnia commendant Authorem, ut eminentem habeat locum in Catalogo Virorum Illuſtrium in virtute, & ſcientia inter eos, qui famâ, & honoris merito in Sacra Religione Societatis JESU Authorum nomine dignitſimè potiuntur. Ita judico. Ulyſſipone, in Conventu Sanctiſſimæ Trinitatis, 30. Julii anno 1685.

Doctor Fr. Joannes Ribeyro.

Cenſura R. P. Fr. Hieronymi de Sancti-Ago Ordinis Benedictina M. & in Academia Conimbricenſi S. Theologia Doctoris.

Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Domine.

DIgnata eſt Illuſtriſſ. Veſtra, ut ego reviderem librum, cujus titulus eſt. Expoſitio Bullæ S. Cruciatæ, compoſitum à P. M. Ludovico Nogueira Societatis JESU. Ego illum attentiſſimè legi, & magis quidem, ut ex tam proficua lectione utilitatem caperem, quàm quòd haberem, vel minimum ſcrupulum in iis, quæ tam excellens ſcribit Author; quem ſine controverſia excellentiorem veneror in hac materia veritatis indagatorem, & unum ex majoribus Societatis Heroibus. Nihil continet liber contra fidem, aut bones mores: imo quia tam neceſſarius, eruditus, & doctus, digniſſimus eſt, qui prælo mandetur. Hoc eſt meum judicium. Ulyſſipone, apud S. Benedictum de ſalute 2. Decembris anni 1685.

Doctor Fr. Hieronymus de Sanctiago.

JOſephus de Seyxas Societatis JESU, Præpoſitus Provincialis in Provincia Luſitana, ex commiſſione mihi ſpecialiter facta à R. admodum P. N. Carolo de Noyelle Præpoſito Generali ejuſdem Societatis JESU facultatem concedo ut Liber, qui inſcribitur *Expoſitio Bullæ Cruciatæ Luſitaniæ conceſſæ, &c.* à P. M. Ludovico Nogueyra Noſtræ Societatis Theologo elucubratus, & ejuſdem Societatis Gravium, Doctorumque hominum judicio approbatus, in communem publicamque utilitatem mandetur typis. In ſuorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloque noſtro munitas dedimus. Ulyſſipone in Collegio D. Antonii 7. Martii 1685.

Joſephus de Seyxas.

INDEX

INDEX

Disputationum, Sectionum, & aliorum titulorum, qui in hoc opere continentur.

DISPUTATIO I.

De proœmialibus Bullæ, nempe de natura, origine, concessione, & interpretatione Bullæ.

Sect. I. Præmittitur transcriptum Bullæ Latinæ à Gregorio XIV. Clementis VIII. & Pauli V. pag. 1

I I. Summarium Bullæ communis vivorum. 4

III. De nomine Etymologia, & Origine Bullæ Cruciatæ. 6

I V. Proponitur Bullæ definitio, & explicatur. 8

V. An Summus Pontifex possit Bullam concedere? 8

VI. An Episcopi possint Bullam concedere? 9

VII. Dissolvuntur fundamenta contraria. 10

VIII. Præmittuntur aliqua de privilegiis. 10

I X. An privilegia Bullæ sint personalia, realia, aut mixta? 11

X. An privilegia Bullæ sint ampliè, an strictè interpretanda? 12

X I. Fundamenta primæ sententiæ soluta. 13

XII. Quis possit Bullam Cruciatæ interpretari? 14

§. I. Proponitur vera, & germana ratio, & reliqua explicantur. 15

§. II. An dentur aliqua interpretationes doctrinales prohibitæ? 15

XIII. An Bulla Cruciatæ suspendatur per Jubileum Anni Sancti? 16

XIV. An privilegia Mendicantium suspendantur per Jubileum Anni Sancti? 18

XV. An Bullæ privilegia suspendantur per Bullam Cœnæ, aut per beneplacitum Sedis Apostolicæ? 20

XVI. An Bulla expiret morte Pontificis? 21

DISPUTATIO II.

De personis, quæ Bullâ gaudere possunt.

Sect. I. An catechumenus possit uti Bulla pri- [illegible] 22

§. Unic. Dissolvuntur alia dubia, circa Catechumenos. 22

I I. An infantes, amentes, schismatici, & hæretici Bullæ privilegiis uti valeant? 23.

III. An existens in peccato mortali, aut excommunicatus privilegia Bullæ participare valeant? 24

I V. An peccans contra Bullam, aut eius confidentia, privilegiis ipsius Bullæ frui valeat? 25

V. An Regulares possint Bullæ privilegiis frui? 26

V I. An qui non habent proprium nomen in seminario inscriptum, Bullæ privilegiis fruantur? 27

VII. An Bulla vivorum prodesse possit defuncto ad aliquem effectum? 28

DISPUTATIO III.

De locis, quibus Bulla Cruciatæ conceditur.

Sect. I. Annumerantur loca, in quibus Bulla pu- [illegible] 29

I I. An Lusitani, in locis ubi Bulla non viget, commorantes, possint, per alium Bullam accipere, & illius usi privilegiis? 29

III. An Lusitanus, qui Bullam acceptavit in loco, ubi non valebat, si declinet ad aliquem locum Lusitaniæ ubi valet, possit deinde illius frui privilegiis? 30

I V. An si qui civiliter declinet, aut commoretur in his Regnis, aut locis, illorum dominis subditis, possit gaudere privilegiis Bullæ, illam sumendo? 31.

V. An subditi Regis Portugalliæ, aut alii fideles, commorantes in Tingitinâ Urbe, Indiis Orientalibus, & Conquisitis, valeant privilegiis Bullæ gaudere? [illegible]

V I. An subditi Regis Portugalliæ in Indiis Orientalium, in dominio alieno degentes, possint per alias Bullam sumere, & illius uti privilegiis? 34

VII. Quid, nomine Indiarum, & terrarum Conquisitarum, veniat in dicto privilegio? 35

VIII. An

VIII. An exteri, qui transeunter in his Regnis inveniuntur, utiliter Valeant sumere Bullam? 36

IX. An exterus accedens ad portum alicuius oppidi horum Regnorum, in quibus Bulla publicatur, possit inde Bullam utiliter sumere? 36

X. An exterus, solo animo sumendi Bullam, petens aliquod oppidum hujus Regni, aut dominiorum, illam utiliter sumat? 37.

DISPUTATIO IV.

De tempore, quo durat Bulla Cruciatæ.

Sect. I. QVando incipiat annum publicationis Bullæ? 38

II. An Bulla duret per annum naturalem, aut per Ecclesiasticum? 38

III. Proponitur probabilior, & Verior sententia. 39

IV. Dissolvuntur aliqua dubia proposita sententia. 40

V. An qui durante anno, virtute Bullæ, confessionem incepit, possit transacto anno, virtute ejusdem Bullæ, illam perficere? 42

VI. An votum commutari possit, virtute Bullæ, anni præcedentis? 43

VII. An eodem durante anno, possit bis accipi Bulla, & illius uti privilegiis? 44

DISPUTATIO V.

De eleemosyna pro Bulla eroganda.

Sect. I. DEponuntur aliqua, quæ circa eleemo-

II. Qui censendi sint habere in reditibus annuis ducenta, & quadringenta millia regalia Lusitana, ut teneantur pro Bullâ tribuere 200. aut 300. reis, si illius velint uti privilegiis? 46

§. Unic. Solvuntur duo dubia. 47

III. Quinam teneantur solvere pro Bullâ duos, vel unum argenteum; nempe quatro, aut dous Vintens? 48

IV. An sacerdotes, & clerici teneantur, solvere pro Bullâ duos, vel unum argenteum; nempe quatro, aut dous Vintens? 49

V. Quinam seculares utriusque sexus teneantur pro Bulla duo, vel unum argenteum erogare? 50

VI. Quam eleemosynam teneantur filii familias pro Bulla tribuere? 51

VII. Quinam pauperes teneantur ad eleemosynam unius argentei, pro Bullâ tribuere? 52

VIII. An pauperes, qui non habent unum argenteum, pro Bulla tribuendum, possint saltem indulgentias suspensas sine illa, acquirere? 53

IX. An Bulla valide accipiatur, ex pecunia turpi lucro acquisita? 53

X. Proponuntur duo argumenta contra traditam doctrinam, & dissolvuntur. 55

XI. Exponuntur duo casus circa eleemosynæ erogationem. 56

XII. An profit Bulla sumentibus, si eleemosynæ non applicentur in subsidium militum Africanorum aut classium sumptus. 57

XIII. Qua eleemosyna sit eroganda pro jubileo sex mensium? 58

DISPUTATIO VI.

De acceptione, & retentione Bullæ, & inscriptione, nominis in illa.

Sect. I. AN sine Summarii acceptione, prodesse

II. An intentio sumendi Bullam, sine aliunde receptione, aut receptio illius sine intentione, sufficiant ad privilegia obtinenda? 58

III. An sufficiat sumere Bullam sine acceptatione, aut illam acceptare, sine sumptione? 59

IV. Qua certitudo requiratur, de Sumptione Bullæ, ab alio facta, ut quis illius privilegiis uti valeat? 60

V. An aliquis sumens pro amico Bullam, qui eam noluit acceptare, possit eam alteri applicare? 61

VI. An ille, qui duplicem Bullam sibi acceptavit, possit unam ex illis, alteri cum fructu applicare? 62

VII. An detur in aliquo casu obligatio sumendi Bullam? 62

VIII. Qua retentio Summarii requiratur, ut quis utatur illius privilegiis? 63

IX. An si amittatur, vel rumpatur Bulla Summarium, amittantur privilegia? 64.

X. An requiratur, ut in Summario, nomen Sumentis Bullam, inscribatur? 65

XI. De retentione, & inscriptione nominis, in Bulla Compositionis? 66

DISPUTATIO VII.

De indulgentiis plenissimis, initio Bullæ Cruciatæ, concessis.

Sect. I. QVid, & quotuplex sit indulgentia? 6

II. Exponuntur aliqua, de indulgentiarum clausulis. 69

III. Quinam indulgentias concedere queant? 70.

IV. Resolutiones aliquæ circa indulgentias. pag. 70
V. An pœnitens lucrando indulgentiam, liber maneat à pœnitentia impositâ a confessario? pag. 72
VI. An aliquis ignorans revocationem indulgentiarum, illas possit acquirere? 74
VII. [illegible] Iam operatur, secundum opinionem probabilem? 76
VIII. Qua, & quot indulgentia in prædictâ clausula concedantur? 78
IX. Qua, & qualis confessio, ad has lucrandas indulgentias, requiratur? 79
X. Dissolvuntur aliqua dubia, de confessione requisita, ad lucrandas indulgentias, qua initio Bullæ conceduntur. 80
XI. An si in ea confessione ad indulgentiam requisita, non manifestetur peccatum mortale, quod ex inadvertentia, vel oblivione, in transactis confessionibus, non fuit expositum, lucretur indulgentia? 81
XII. De contritione, ad Indulgentias initio Bullæ concessas, requisita. 83
XIII. De contritione requisita ad confessionem Venialium. 85
XIV. Quanam communio requiratur, ad prædictas indulgentias? 85
XV. An qui non possunt confiteri, & communicare, valeant prædictas indulgentias obtinere? 87
XVI. An alia requirantur ad has indulgentias lucrandas? 88

DISPUTATIO VIII.

De indulgentia concessa tempore mortis.

Sect. I. AN in Bullâ Lusitana concedatur indulgentia plenaria in mortis articulo? 90
II. An requiratur applicatio confessarii, ut aliquis in mortis articulo, indulgentiam obtineat? 91
III. An indulgentia in Bullâ, pro mortis articulo, concessa, intelligatur de mortis articulo vero, aut præsumpto? 92
IV. An in periculo mortis acquiratur indulgentia plenaria, pro illius articulo, concessa? 94
V. De indulgentiâ plenariâ, quæ conceditur illis, qui contriti, absque confessione, decedunt. 95
VI. De Ecclesiastica sepultura, quæ conceditur tempore interdicti his, qui contriti, repentina morte, vel sine confessione, decedunt. 96

DISPUTATIO IX.

De participatione bonorum operum in Bulla concessa.

Sect. I. QUænam communicatio bonorum ecc[illegible] 98
II. An superiores Religionum possint, concedere sæcularibus participationem bonorum operum suorum subditorum? 99
III. An superiores Regulares possint præcipere suis subditis, ut extraneis applicent aliqua opera satisfactoria? 100

DISPUTATIO X.

De indulgentiis Stationum, in Bulla Cruciatæ, concessis.

Sect. I. QUænam sint Stationum indulgentiæ? 102
II. An indulgentia Stationum in Bulla concessa, sint plenariæ? 103
III. An Stationum indulgentia possint, pluries eadem die obtineri, repetendo Visitationem? 105
IV. An indulgentia Stationum quotidie obtineri possit? 106
V. Quid nomine Ecclesiæ, vel altaris veniat, ut illorum visitatione, indulgentia Stationum obtineatur? 109
VI. Qua intentione, quo tempore, & quibus precibus, Visitationes fieri debeant, ad lucrandas Stationum indulgentias? 111
VII. Qua devotione, ex quo loco, & quomodo debeant fieri altarium Visitationes, ut indulgentia Stationum lucrentur? 113
VIII. De visitatione quinque Ecclesiarum, & quinque altarium. 116
IX. An indulgentia Stationum possint, pro defunctis, applicari? 117

DISPUTATIO XI.

De privilegiis, in Bullâ Cruciatæ, pro tempore interdicti Concessis.

Sect. I. PRæmittitur brevis de interdicto explica[illegible]
II. Qua in prædicta clausula, fumentibus Bullam, concedantur, & quibus conditionibus. 120
III. An tempore interdicti, non solum in oratorio, sed in aliis locis, prædictis privilegiis uti possit? 121
IV. Proponitur germana ratio, cur privilegia concessa in Bulla, pro tempore interdicti, vigeant etiam extra illud. 122

V. Quanam eleemosyna, ad acquirenda hæc privilegia, requiratur? pag. 123
VI. An prædicta eleemosyna sint de substantia hujus privilegii? 124
VII. An prædicta eleemosyna sint de præcepto? 125.
VIII. Quæ persona ad has obligentur eleemosynas? 126
IX. An quoties quis utitur aliquo privilegio hujus clausulæ, specialem debeat erogare eleemosynam? 127
X. An ut utrum hæc [illegible] sit necessaria Commissaris licentia? 127
XI. Quinam veniant in hac clausula familiarium, & domesticorum nomine? 128.
XII. Quinam veniant consanguineorum appellatione? 129
XIII. Quinam familiares, domestici, & consanguinei hoc gaudeant privilegio? 130
XIV. An affines comprehendantur, nomine consanguineorum, ut hoc privilegio uti possint? 131
XV. An prædicti familiares, domestici, & consanguinei non habentes Bullam, possint missa, & aliis divinis interesse, absente domino, qui Bullam habet? 131.
XVI. An habentes Bullam, teneantur diebus festis, tempore interdicti, missam audire? 132
XVII. Quanam concedantur, tempore interdicti, circa usum Sacramentorum? 134
XVIII. An virtute Bullæ, possit quis, recipere Eucharistiam à quocumque sacerdote, absque Parochi licentia? 135
XIX. Quomodo intelligatur exceptio diei Paschatis. 138
XX. An per privilegium, assistendi divinis officiis, & recipiendi Sacramenta, confertur concessa Ecclesiastica sepultura? 140.
XXI. An Bulla in aliquo profit clericis, pro Ecclesiastica sepultura? 140
XXII. In quo consistat pompa funeralis moderata, quæ tempore interdicti, per Bullam conceditur? 141
XXIII. An privilegium Bullæ circa missas, officia divina, & sepulturam, extendatur ad locum specialiter interdictum? 142. 142
XXIV. An privilegia, pro tempore interdicti, concessa, extendantur, ad tempus Cessationis à divinis? 143
XXV. An privilegia concessa, pro tempore interdicti, extendantur ad Ecclesiam Violatam? 144

DISPUTATIO XII.

Quænam privilegia concedantur in Bulla, circa Oratoria privata?

Sect. I. Præmittuntur aliqua de Oratoriis privatis
II. An ut quis celebret, virtute Bullæ, in Oratorio privato, sufficiat quod Oratorium, sit approbatum à quocumque Ordinario? pag. 146
III. An virtute Bullæ, possit quis, sine Brevi Pontificio, habere in domo suâ Oratorium privatum, Visitatum, & approbatum ab ordinario, in quo celebret, vel faciat celebrare? 146
§. I. Proponitur, & approbatur vera, & opposita sententia. 147
§. II. Secunda pars asserti ex authoritate astruitur. 148
§. III. Tertia pars asserti ratione, & authoritate ostenditur. 150
§. IV. Satisfit fundamentis contrariæ opinionis. 150. 150
Sect. IV. An facta revocatione approbationis Oratorii privati, possint habentes Bullam, post eam revocationem, in eo celebrare, vel missam audire? 151
V. An in Oratorio privato, approbato ab Ordinario de licentia S. Pontificis, finito tempore à Pontifice præfixo, liceat, virtute Bullæ, in eo celebrare, vel fieri celebrari? 153
VI. An virtute Bullæ Cruciatæ, in oratorio privato, possit celebrari missa die Paschatis, & aliis diebus solemnioribus exceptis? 155
VII. An aliqua limitationes, quæ apponi solent in concessione Oratorii, cessent, virtute Bullæ? 156

DISPUTATIO XIII.

De privilegio nobilibus concesso, ad celebrandam missam ante auroram, & post meridiem.

Sect. I. QUa hora liceat celebrare missam, absque privilegio? 157
II. Quid concedatur, virtute Bullæ, circa horam missæ celebrandæ? 158
III. Quinam veniant hoc loco, nomine Illustrium, & nobilium? 178

DISPUTATIO XIV.

De approbatione requisita in confessario, qui per Bullam est eligendus.

Sect. I. QUid sit approbatio, & quid jurisdictio, & quomodo inter se distinguantur? 159
II. A quo Ordinario debeat esse approbatus sacerdos, ut per Bullam, possit eligi in confessarium? 160
III. Recensentur opiniones, quæ cessarunt, per prædictam Constitutionem. 162
IV. An parochi, post Const. Clementis X. possint, virtute Bullæ, ubique eligi, ad confessiones? 163
§. Unic. Dissolvuntur fundamenta contraria. 164
Sect. V. An parochus extra parochiam, & Episcopus

copus extra diœcesim, possint absolvere suum subditum; & quid de iis, qui non sunt parochi, sunt tamen ab Episcopo approbati, pro sua Diœcesi? 165
VI. An parochus, qui habuit beneficium, sed jam non habet, sit, virtute Bullæ, eligibilis? 167
VII. An confessarius approbatus cum limitatione ad personas, possit, ab aliis, virtute Bullæ, eligi? 168
VIII. An approbatus pro uno loco, vel tempore determinato, possit, virtute Bullæ, in tota diœcesi, vel transacto tempore eligi? 169
IX. An sacerdos approbatus, si ejus approbatio revocetur, sit per Bullam, eligibilis? 169
X. An sacerdos manifestè idoneus, si injustè ab Episcopo non approbetur, sit per Bullam eligibilis? 170
XI. An sacerdos ab Episcopo approbatus, interim judicante, eŷe inidoneum, sit per Bullam, eligibilis? 171
XII. An approbatus ab Episcopo per ratihabitionem, sit, virtute Bullæ, eligibilis? 172.
XIII. A quo Prælato facienda sit præsentatio, ut ab Episcopo approbetur Regularis? 173.
XIV. An Regulares à suo Prælato præsentati Episcopo, & ab illo injustè repulsi, maneant ipso jure approbati, ut possint confessiones audire? 175
XV. An Regulares generaliter idonei, possint cum limitatione, ab Episcopo approbari? 177.
§. Unic. Progreditur eadem materia. 178
XVI. An si adsit justa causa, possit Episcopus cum limitatione, Regulares non adeo idoneos approbare? 179
XVII. An Regulares semel examinati, possint iterum ab Episcopo, vel successore examinari? 180
XVIII. An approbatio, Regularibus absolutè concessa, possit, ab Episcopo sine causa revocari, aut suspendi? 181
XIX. An approbatio, Regularibus cum limitatione concessa, possit ab Episcopis revocari? 182
XX. An capitulum, Sede Vacante, valeat revocare approbationes ab Episcopo emerito Regularibus concessas? 153
XXI. Ob quam causam possint approbationes Regularium ab Episcopis revocari? 184
XXII. An Parochus, &c. possint aliquorum confessiones valide excipere? 187
XXIII. An Moniales, habentes licentiam à suis Prælatis, ad Bullam suscipiendam, possint, virtute Bullæ, eligere approbatum utcumque ab Ordinario? 186
XXIV. An Regularis, semel ab Episcopo approbatus, possit, virtute Bullæ, eligi? 187.

DISPUTATIO XV.

De facultate absolvendi à reservatis S. Pontifici, virtute Bullæ.

Sect. I. Remittuntur aliqua de peccatorum re- [illegible] 188
II. Aliqua de censuris remittuntur 192
III. Qui casus sint in jure Canonico S. Pontifici reservati? 191
IV. Recensentur alii casus S. Pontifici reservati, extra jus Canonicum 194
V. De suspensionibus, & interdicto S. Pontifici reservatis. 195
VI. Qui casus Pontifici, virtute Bullæ, possint absolvi? 195
VII. An virtute Bullæ, possit quis absolvi, semel ab unoquoque casu Pontificio, donec ab omnibus absolvatur? 196
VIII. An qui, Bullis præteritorum annorum non est usus, ad absolutionem à reservatis Pontifici, possit nunc ad eundem effectum, illis uti? 197
IX. An confessarius, virtute Bullæ, possit absolvere toties, quoties à casibus Pontificiis reservatis, si sint occulti? 198
§. Unic. Proponitur vera quæstionis resolutio ex Decreto Alexandri VII. 199
X. An virtute Bullæ, possint absolvi toties, quoties peccata publica S. Pontifici reservata, in loco ubi non sunt publica? 200.
XI. An virtute Bullæ, possint absolvi peccata reservata commissa, non solum ante, sed etiam post Bullæ acceptionem? 201
XII. An virtute Bullæ, possint absolvi peccata reservata, illius confidentiæ commissa? 202
XIII. An qui, virtute Bullæ, confessus est, nullam mentionem faciens reservatorum, liber maneat à reservatione oblitorum? 203
XIV. An maneat liber à reservatione [illegible] Bullam, invalidè confitetur? 204
XV. An metus gravis tollat reservationem à casibus Pontificiis? 205
XVI. An reservato aliquo delicto, comprehendantur actiones leves externæ, ex affectu mortali procedentes? 206

DISPUTATIO XVI.

De electione confessarii, virtute Bullæ, ad absolvendum à reservatis in Bulla Cœnæ Domini.

Sect. I. Recensentur casus S. Pontifici reservati [illegible] 207
II. An virtute Bullæ, aut Regularium privilegiis, possit quis absolvi ab hæresi occulta, & aliis Pontifici reservatis? 208
III. Quid sit hæresis, qua virtute Bullæ, non potest absolvi? 210

IV. An virtute Bullæ, possint absolvi omnia alia delicta, quæ continentur in primo Canone Bullæ Cœnæ, excepta hæresi? 211.

V. An virtute Bullæ, possint absolvi toties, quoties casus S. Inquisitioni reservati, & simul S. Pontifici non sint reservati? 211.

VI. An virtute Bullæ, possit absolvi, qui culpabiliter omisit, denunciare delicta, quæ sunt in edicto Inquisitorum, antequam denunciet? 212

VII. An conspiratio in personam, & statum Romani Pontificis præcisè sumpta excipiatur?

VIII. Exponuntur aliqua circa conspirationem?

IX. Quisnam sit tertius casus in Bulla Cruciatæ exceptis, & quomodo intelligitur? 215.

X. Quinam falsarii censeantur incidere in hunc casum in Bulla Cruciatæ exceptum? 216.

XI. Proponitur, & explicatur, quæ confessarius, per Bullam, electis prohibeantur in quarto casu, in illa excepto? 217

XII. An in hoc quarto casu excepto comprehendantur sequentes casus? 219

XIII. Proponitur, & explicatur duodecimus Canon Bullæ Cœnæ, in Bulla Cruciatæ exceptus. 221

XIV. Dissolvuntur aliqua dubia, circa hunc articulum duodecimum, in Bulla Cruciatæ exceptum. pag. 222

XV. Proponitur, & explicatur decimus tertius articulus Bullæ Cœnæ, in Bullâ Cruciatæ exceptus. 224

XVI. Proponuntur aliquæ resolutiones, circa articulum decimum tertium Bullæ Cœnæ, in Bullâ Cruciatæ exceptum. 224

XVII. Proponitur, & explicatur decimus quartus articulus Bullæ Cœnæ, in Bullâ Cruciatæ exceptus. 226

XVIII. Decidunturaliqua dubia, ad decimum quartum articulum spectantia exceptum, in Bulla Cruciatæ. 226

DISPUTATIO XVII.

De absolutione à Censuris, virtute Bullæ Cruciatæ.

Sect. I. AN absolutio, ab excommunicatione collata, virtute Bullæ Cruciatæ, non satisfactâ parte, sit valida? 229

II. Solvuntur aliqua dubia, circa satisfactionem, parti à pœnitente præstandam. 16

III. An absolutio ab excommunicatione, virtute Bullæ Hispanæ præstita, parte satisfactâ, prosit pro foro externo? 233

IV. An absolutio à Censuris, virtute Bullæ Cruciatæ Lusitaniæ concessæ, prosit pro foro externo? 234

V. Quomodo probare debeat absolutus à censuris à iure, fuisse absolutum? 235

VI. Quam utilitatem conferat absolutio ab excommunicatione, virtute Bullæ, in foro conscientiæ? 236

VII. An virtute Bullæ Cruciatæ, possint absolvi nominatim excommunicati, vel publici clerici percussores, aut alius, cujus excommunicatio deducta est ad forum contentiosum, lite pendente? 237

VIII. An possit quis, virtute Bullæ, valide, & licitè absolvi à Censuris, extra confessionem? 238

IX. An virtute Bullæ, possit absens à Censuris absolvi? 240

X. An invitus, aut ignarus possit, virtute Bullæ, à censuris absolvi? 240

XI. An licita, & valida sit absolutio à censuris, virtute Bullæ, data sub conditione? 241.

XII. An vi Bullæ, possit aliquis, absolvi à censuris ad cautelam? 242

XIII. An virtute Bullæ, possit quis, absolvi à censuris, ad reincidentiam? 243

XIV. An in absolutione à censuris, quæ datur, virtute Bullæ, explicanda sit causa ipsius censuræ? 244

XV. An qui absolvit, virtute Bullæ, à censuris, necessariò debeat, uti formâ determinatâ? 245

XVI. An absolutio à censuris per Bullam, si metu, vel dolo extorqueatur, sit valida? 246.

XVII. Quid speciale indulgeat Bulla, dum concedit facultatem, ad absolvendum à reservatis S. Pontifici, in articulo mortis? 247.

XVIII. An facultas absolvendi per Bullam, pro mortis articulo, intelligatur de vero articulo mortis, aut de præsumpto, seu de ejus periculo? 249

XIX. An quæcumque suspensio, sive sit censura, sive mera pœna, possit, virtute Bullæ, absolvi? 250

XX. An vigore Bullæ, possint absolvi suspensiones contractæ, ob indebitam Sacrorum ordinum susceptionem? 252

XXI. Quænam interdicta, virtute Bullæ, à confessario possint absolvi? 253

XXII. An virtute Bullæ, possit absolvi Cessatio à divinis Depositio, & Degradatio? 254.

XXIII. An vi Bullæ, possit aliqua irregularitas auferri? 255

§. I. Ostenditur rationibus P. Moya, primam opinionem esse improbabilem. 256

§. II. Dissolvuntur fundamenta primæ sententiæ. 257

DISPUTATIO XVIII.

De casibus Episcopo reservatis, qui, virtute Bullæ, possunt absolvi.

Sect. I. QUi casus ab Episcopo possint reservari?

II. Recensentur casus, qui sunt hodie reservati in Archiepiscopatu Ulyssiponensi; & primus

mus explicatur, scilicet, Hæresis. 259
§. Unic. *Quid reservatur in primo casu Synodali?* 259
III. *Quid reservetur, per blasphemiam publicam.* 260
IV. *Quid reservetur, per Veneficium.* 262
V. *Quid reservetur in hac Diœcesi Ulyssiponensi, in his verbis.* Invocatio Dœmonis, aut aliquid facere, in quo sit pactum tacitum, vel expressum cum ipso Dœmone 263
VI. *Quid reservetur, per hæc verba:* Homicidium voluntarium extra bellum justum, vel extra defensionem, aut proximi, in quo comprehendantur illi, quorum culpa, filii suffocati reperiuntur. 264
§. I. *An liceat occidere pro defensione propriæ bonorum?* 265
§. II. *De abortu, sive de homicidio voluntario fœtus animati.* 268
§. III. *An qui occidit, pro defendendo proximo, casum reservatum incurrat?* 271
§. IV. *Quale homicidium, pro defensione propriorum bonorum sit reservatum?* 271
§. V. *Quando incurrant reservatum, prolem suffocantes?* 273
VII. *Quid reservetur, per hæc verba:* Incendium de propósito, ex intentione nocendi? 274
VIII. *Declaratur, quid sub nomine* Sacrilegii, *in septimo casu hujus Diœcesis, reservetur: & quod committitur feriendo, manus in clericum, vel Religiosum, privilegio canonis gaudentes.* 275
§. I. *Declaratur, an reliqua sacrilegia, in secundâ Sacrilegii specie contenta; & quæ continentur in tertiâ, censeantur in hac Diœcesi reservata.* 276
§. II. *Quid censeatur reservatum in præsenti casu per verba addita:* E specialmente o que se comete (*scilicet sacrilegium*) ferindo, ou pondo maos violentas em clerigo, ou religioso, que goze do privilegio do canone. 278
IX. *Quid reservetur sub his verbis: Excommunicatio major à jure, vel ab homine, alicui non reservata.* 279
X. *Quid reservetur in hac Ulyssiponensi Diœcesi, sub his verbis:* Juramentum falsum in judicio, vel actis judicialibus, aut coram judice competente. 281
§. I. *An qui in judicio, vel actibus, vel coram competente Superiore juravit, ex justâ causâ, amphibologicè, & æquivocè, incurrat casum reservatum?* 282
§. II. *Resolutio quæstionis in titulo propositæ.* 284.
§. III. *Solvuntur fundamenta initio primi § proposita.* 285
X I. *Quid continetur sub his verbis reservationes:* Decimæ non solutæ, quæ concedant valorem quinque argenteorum? 285.
§. I. *An per furta minuta, circa decimas, reservatum incurratur?* 286
§. II. *Progreditur explicatio ejusdem casus reservati.* 287
XII. *Quid reservatur, per hæc verba:* Retinere alienum cujus dominus ignoratur, quod excedat valorem quingentorum regalium Lusitanorum? 288
XIII. *Quid reservetur sub hoc nomine:* Matrimonia clandestina? 290
XIV. *Quid reservetur per hæc verba:* Ordinari sine patrimonio, pensione, vel beneficio, aut per saltum, vel sine dimissoriis, aut furtivè? 291
§. Unicus. *Explicantur reliqua, quæ, in hoc casu reservato, comprehenduntur.* 293
XV. *Quid reservetur, per hæc verba:* Facere Scripturam falsam, vel illâ uti, aut aliquâ falsificatâ? 293
XVI. *Quid censeatur reservari, per hæc verba:* Revelatio Sigilli Sacramentalis à Sacerdote facta? 294
XVII. *Quid reservetur, per hæc verba:* Sollicitatio in confessione, aut occasione illius? 295
XVIII. *An Ecclesiastici præditi reservatis subdantur; & quam pœnam incurrant, ab illis absolventes?* 296
XIX. *De casibus reservatis in Diœcesi Bracharensi.* 297
X X. *De casibus reservatis in Diœcesi Eborensi.* 298.
XXI. *Recensentur casus reservati in Diœcesi Conimbricensi.* 299.
XXII. *De reservatis in Diœcesi Egitanensi, vulgò,* Guarda. 300
XXIII. *De casibus reservatis in Diœcesi Portuensi.* 300
XXIV. *Recensentur casus reservati in Diœcesi Visensi.* 301
XXV. *De reservatis in Diœcesi Lamecensi.* 302
XXVI. *De reservatis in Diœcesi Algarbiensi.* 302.
XXVII. *De casibus reservatis in Diœcesi Mirandensi.* 303.
§. I. *Sequela, qua ex traditâ doctrinâ colliguntur.* 305
§. II. *Exponuntur reliqui casus Diœcesis Mirandensis.* 306
XXVIII. *Declarantur casus reservati in Diœcesi Portalegrensi.* 307
XXIX. *Declarantur casus reservati in Diœcesi Elvensi.* 308
§. I. *Elucidatur sextus casus Diœcesis Elvensis,* Simonia. 308
§. II. *Progreditur explicatio ejusdem sexti casus, & asseruntur duæ propositiones damnatæ.* 310
§. III. *Exponuntur reliqui casus Elvensis Diœcesis.* 310
XXX. *Exponuntur casus in Diœcesi reservati.* 311.
XXXI. *Declarantur casus reservati in Diœcesi Funchalensi, seu Insula Materiæ.* 312
XXXII. *Elucidantur casus reservati in Diœcesi Angrensi Insularum Terceræ.* 312
XXXIII. *Declarantur casus reservati Ecclesiæ Thomarensis, & Prioratus Crattensis nullius Diœcesis.* 113
XXXIV. *De casibus reservatis in Diœcesibus Brasilienſibus.* 113
XXXV. *Exponuntur casus reservati in Diœcesi Angolanâ.* 314

DISPUTATIO XIX.

De absolutione à casibus Episcopo reservatis, tam ex privilegio, quàm virtute Bullæ,

Sect. I. AN aliqui ex jure, vel consuetudine, ab [illegible] vere? 316

II. An Regulares nunc ab Episcopo reservatis possint absolvere. 317

III. Quando cesset facultas, absolvendi à reservatis, ab Episcopo concessa? 319

IV. An confessarii habentes facultatem generalem ab Episcopo, absolvendi à sibi reservatis, possint illam aliis subdelegare confessariis? 320

V. An Episcopi concedere debeant facultatem, absolvendi à sibi reservatis? 321

VI. An in casu urgentissimæ necessitatis, possit pœnitens absolvi à reservatis Episcopo? 322

VII. An validè absolvatur à reservatis Episcopo ille, qui bonâ fide, illa confessus est confessario, facultatem non habenti illa absolvendi? 323

VIII. An possit Episcopus, aut Provisor, absolvere pœnitentem à reservatis, & pro non reservatis, illum mittere ad alium confessarium? 324

DISPUTATIO XX.

An Regulares, virtute Bullæ Cruciatæ, confessarium eligere possint?

Sect. I. QUæ peccata Prælati Regulares reservare sibi queant? 326

II. Quinam possint Regulares à reservatis, ex potestate ordinaria, vel delegata absolvere? 328

III. An Superior possit concedere licentiam, absolvendi subditum à reservatis, cum onere postea comparendi? 329

IV. An Regulares, virtute Bullæ Cruciatæ, absolvi possint à reservatis suis Superioribus, absque eorum licentia? 331

§. I. Proponitur opposita, communis, & vera sententia. 332

§. II. Adversariorum fundamenta diluuntur. 334

V. An Regulares, virtute Bullæ Cruciatæ, possint absolvi à Pontifici reservatis? 336.

VI. An Regulares, virtute Bullæ Cruciatæ, possint absolvi à reservatis, per confessarios à Superioribus deputatos? 337

VII. An Regulares, virtute Bullæ Cruciatæ, possint eligere confessarium, à quo absolvantur à non reservatis? 338

VIII. An confessarius teneatur se accommodare cum opinione pœnitentis Regularis asserentis, se habere Bullam, relicta propria opinione? 339

IX. An Regularis in aliquibus casibus possit absolvi à reservatis, virtute Bullæ. 340

X. An Regulares cum licentia suorum Superiorum possint, virtute Bullæ, eligere confessarium, ut reservatis absolvantur? 341

XI. An Moniales, virtute Bullæ Cruciatæ, possint eligere confessarium; & à reservatis absolvi? 342

XII. An Novitii, virtute Bullæ, possint eligere confessarium, ut à reservatis absolvantur? 343

XIII. An Regularis Ordinum Militarium possint confessarium eligere, qui eos absolvat à reservatis? 443

DISPUTATIO XXI.

De privilegio commutandi vota in Bulla concesso.

Sect. I. ALiqua de voto præmittuntur. 346

II. Præmittuntur aliqua de cessatione voti. 347.

III. Quænam sint considerandæ in votorum commutatione? 349

IV. Quomodo commutari valeat votum peregrinationis? 350

V. Quomodo votum Castitatis commutari possit? 351

VI. In quæ opera commutari possit votum assumendi ordines Sacros? 352

VII. An votum Religionis sit commutabile, & quomodo? 353

VIII. An votum artioris Religionis possit commutari in votum profitendi, & perseverandi in aliqua, ex Religionibus Militaribus? 354

IX. An per assumptionem ad Episcopatum, ea [illegible] tum ingrediendi Religionem? 355

X. Proponuntur alia exempla commutationis particularium votorum. 355

XI. An propria authoritate, possit quis sua vota in evidenter melius commutare? 356.

XII. An propria authoritate, possit vovens in æquale; vel minus bonum, sua vota commutare? 357

XIII. An commutatio in bonum æquale, vel minus, virtute Bullæ fieri possit? 358

XIV. An ad commutationem voti, per Bullam, requiratur causa? 359

XV. An commutatio, virtute Bullæ, facienda sit in subventionem temporalem, an verò in Spiritualem? 360

XVI. Quomodo in praxi commutanda sint vota, virtute Bullæ Cruciatæ? 362

XVII. An confessarius teneatur commutare votum, virtute Bullæ, quando id à pœnitente petitur? 363

XVIII. An virtute Bullæ, possint vota commutari, si sint emissa, per Bullæ promulgationem? 346

XIX. An confessarius, virtute Bullæ, possit ex- [illegible]

tra confessionem, vota commutare? 364
XX. An qui, virtute Bullæ, potest vota commutare, possit etiam illa dispensare: vel è contra, qui potest dispensare, possit etiam commutare? pag. 365
XXI. An sicut confessarius potest, virtute Bullæ, vota commutare, ita etiam possit commutare juramenta sola Deo facta? 367.
XXII. An vi Bullæ, possit commutari votum, juramento confirmatum? 368
XXIII. Quanam vota, virtute Bullæ, possint commutari? 369
XXIV. Expenduntur alia vota, quæ virtute Bullæ possint commutari. 371
XXV. An vota conditionalia pœnalia Ultramarinum, Castitatis, & Religionis, virtute Bullæ, possint commutari? 373
XXVI. An votum Ultramarinum, Castitatis, & Religionis possint, virtute Bullæ, commutari, quando sunt conditionalia? 374
XXVII. An virtute Bullæ, possint commutari juramenta observandi castitatem, ingrediendi Religionem, & Peregrinationis Hierosolymitanæ. 376
XXVIII. An vi Bullæ, possit commutari votum disjunctivum, cujus una pars est reservata, & altera non? 376
XXIX. An virtute Bullæ, possit commutari materia, in quam S. Pontifex votum reservatum commutavit? 378
XXX. An facta voti commutatione, licitum sit voventi, emissa voti commutatione, ad primum votum redire. 379
XXXI. An virtute Bullæ, possit aliquod ex tribus votis acceptis, aliquando commutari? 379
XXXII. An aliqua qualitates, aut circumstantiæ votis Ultramarini possint, virtute Bullæ, commutari? 381
XXXIII. An aliquæ qualitates, aut circumstantiæ votis Religionis, virtute Bullæ, possint commutari? 381
XXXIV. An virtute Bullæ, commutari possint hæc tria vota reservata, quando ex urgenti necessitate, illa potest Episcopus dispensare? 383
XXXV. An virtute Bullæ, possint commutari dicta tria vota exceptæ, quando ab habente potestatem dominativam, possunt irritari? 384

DISPUTATIO XXII.

De privilegio comedendi carnes, ova, & lacticinia, per Bullam concesso.

Sect. I. QUid concedatur in Bullâ, circa esum carnium, supra jus commune? 385
II. Quisnam veniat nomine utriusque medici, in dicto privilegio comedendi carnes? 386
III. An aliquis dispensatus ad carnes comedendas, & pro suo libito aliquo die, eas non comedens, sed pisces, aut ova, teneatur eo die, jejunare? pag. 387
IV. An virtute Bullæ, dispensatus ad carnes, teneatur, illas comedens ad jejunium, si dies jejunii sit? 388
V. An dispensatus, ad carnes vescendas diebus prohibitis, possit etiam comedere nocturnas, & simul cum carnibus pisces? 389
VI. An ova, & lacticinia sint ipso jure prohibita sub mortali, in jejuniis Quadragesimæ? 390
VII. An ex ipso jure communi sint prohibita ova, & lacticinia in diebus Dominicis Quadragesimæ? 391
VIII. An ex vi juris communis, ova, & lacticinia sint prohibita in jejuniis, extra Quadragesimam? 394
IX. An ova, & lacticinia, ex vi consuetudinis sint prohibita in jejuniis Quadragesimæ? 394
X. An evidens sit, dari consuetudinem, non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima. 395
XI. An consuetudo, non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima, obliget sub peccato mortali, aut sub veniali? 397.
XII. Quale privilegium, circa esum ovorum, & lacticiniorum, & quibus personis, per Bullam concedatur? 389
XIII. Quænam veniant nomine ovorum, & lacticiniorum? 399
XIV. An pueri ante septennium indigeant Bullâ, ad comedenda ova, & lacticinia in diebus prohibitis, si jam habeant usum rationis? 400
XV. An purpurei, agricolæ, iter agentes, & alii possint comedere ova, & lacticinia in jejuniis Quadragesimæ, sine Bullâ? 401

DISPUTATIO XXIII.

De Commissarii Bullæ Cruciatæ facultatibus.

§. I.

De prima Commissarii facultate inquirendi de Ordinariis non applicantibus pœnas pecuniarias ad Bullam, & contra eos procedendi.

Sect. I. QUinam in præsenti clausula veniant nomine Ordinariorum? 402
II. An Ordinarii si non applicent Bullæ pœnas pecuniarias, peccent mortaliter, & teneantur ad restitutionem? 403
III. An Commissarius Generalis possit inquirere, & procedere, super applicatione harum pœnarum, contra locorum Ordinarios? 404

§. II.

De secunda facultate, quæ conceditur Commissario ad dispensandum in irregularitate. pag. 405

Sect. IV. *Proponitur Bullæ clausula, & aliqua de irregularitate.* 405
V. *In quibus irregularitatibus valeat Commissarius dispensare?* 406

§. III.

De tertia facultate, Commissario concessa, ad suspendendas gratias, & indulgentias.

Sect. VI. *Proponitur Bullæ clausula; & quas gratias, & indulgentias suspendat?* 408.
VII. *An privilegia in corpore juris inserta, vel consuetudine introducta, à Commissario suspendantur?* 409
VIII. *An indulgentiæ, seu facultates ab Episcopis concessæ, per Bullam suspendantur; & quid de similibus, vel dissimilibus facultatibus?* 401
IX. *An Jubileus duplicis hebdomadæ, aut indulgentiæ concessæ grams benedictis, imaginibus, calculis, &c. per Cruciatam suspendantur.* 411
X. *An Jubilei à Pio IV. concessi Diœcesi Ulyssiponensi, in festivitatibus Natalitis Domini, Spiritus S. Assumptionis B. Virginis, & Omnium Sanctorum, & in earum octavis, per Bullam suspendantur?* 413
XI. *An gratiæ, liberandi animam à Purgatorio, per Bullam, suspendantur?* 415
XII. *Elucidatur exceptio Regularium à suspensione suarum facultatum, quoad fratres, & quibus gaudeant facultatibus.* 417
XIII. *An per Bullam Cruciatæ, suspendantur indulgentiæ Regularibus concessæ?* 419
XIV. *An indulgentiæ personales, & locales, communes sæcularibus, & Regularibus, per Bullam, suspendantur?* 422
XV. *An privilegia Regularibus concessa, ad absolvendum sæculares ab aliquibus reservatis, & dispensanda, aut commutanda vota, per Bullam suspendantur?* 423
XVI. *An facultates, & gratiæ Ordinum non Mendicantium, per Bullam, suspendantur?* 424
XVII. *An Monialium privilegia, per Bullam Cruciatæ, suspendantur?* 425
XVIII. *Quid veniat nomine* fratrum *in exceptione, pro Regularibus facta?* 425
XIX. *An durante anno promulgationis Bullæ, possint aliæ prædicari, aut publicari indulgentiæ, aut eleemosyna peti?* 426

§. IV.

De aliis Commissarii facultatibus.

Sect. XX. *De facultate Commissarii Generalis, subdelegandi alios Commissarios.* 427
XXI. *Quinam concionatores, ad publicationem Cruciatæ, à Commissario Generali eligendi sint?* pag. 428
XXII. *De facultate Commissarii Generalis suspendendi interdictum, dum Bulla publicatur.* 429
XXIII. *De aliis facultatibus Commissario concessis, in favorem Cruciatæ.* 431
XXIV. *De facultate Commissarii circa causas cœptas, & pendentes.* 432
XXV. *De aliis facultatibus Commissario Generali concessis.* 434

DISPUTATIO XXIV.

De tribunali, privilegiis, & ministris S. Cruciatæ,

Sect. I. *AN ad tribunal Cruciatæ, aut ab illo appellari possit?* 435
II. *De privilegiis ministrorum S. Cruciatæ.* 537
III. *An Commissarius Generalis, & alii subdelegati censuris procedere possint contra non servantes dicta privilegia?* 438
IV. *De ministris S. Cruciatæ, & salariis eis assignatis.* 439

DISPUTATIO XXV.

De Bulla Compositionis.

Sect. I. *QUi possint, Bullam Compositionis concedere?* 441
II. *Quænam conditiones requirantur, ut Bulla compositionis prodesse valeat?* 444
III. *Quæ persona Bullæ Compositionis gaudere possint?* 445
IV. *An debitor, compositione utens, per Bullas, aut cum Commissario, tutus maneat in conscientia?* 446
V. *In quibus bonis incertis locum habeat compositio?* 447
VI. *Quis audiatur creditor incertus, ut licitè fiat compositio?* 448
VII. *An quando dominus est certus, sed est absens possit uti Bulla Compositionis?* 449.
VIII. *An facta compositione per Bullam, si dominus compareat, obligetur compositus ad restitutionem?* 450
IX. *De taxâ, & modo, quo fit restitutio per Bullas, aut cum Commissario.* 452
X. *Dissolvuntur aliqua dubia, circa taxam, & dispositionem prædictam.* 453
XI. *Progreditur circa eandem taxam, an possit quis componi per Bullas super trecentis millibus regalibus Lusitanis hoc, & anno sequenti.* 445
XII. *Recensentur casus super quibus in Bulla conceditur compositio.* 456

Primus casus Bullæ Compositionis.

XIII. *Præmittuntur aliqua, ad compositionem fructuum*

fructuum beneficiorum Ecclesiasticorum, & Canonicarum horarum omissione. pag. 456
XIV. *Prosequitur eadem materia de recitatione horarum, in ordine ad compositionem.* 457.
XV. *De modo, quo facienda est compositio à beneficiario, qui omisit horas recitare Canonicas.* 459
XVI. *An beneficiarius non recitans, compositionem super omnibus fructibus, aut super illorum parte, facere debeat.* 460
XVII. *An circa pensiones detur compositio?* 462
XVIII. *An super distributionibus concedatur compositio?* 462
XIX. *An compositio habeat locum super fructibus amissis, ob non residentiam perceptu?* 463

Secundus casus Bullæ Compositionis.

XX. *An per Bullam, possint componi fructus male percepti ab eo, qui canonice beneficium non obtinuit?* 467
XXI. *An possidens beneficium excommunicatione ligatus, virtute Bullæ, componi valeat?* 467
XXII. *Quando suspensione ligatus, compositione gaudere possit?* 467
XXIII. *Quando interdicto ligatus compositione uti valeat?* 468
XXIV. *An beneficiarius irregularis compositione indigeat?* 469

Tertius, & quartus casus Bullæ Compositionis.

XXV. *De compositione super legatis, quando legatarii in exactione illorum, per annum negligentes fuerunt.* 470
XXVI. *De compositione super legatis, quorum legatarii ignorantur.* 471
XXVII. *Proponuntur aliquot differentiæ inter Bullam Lusitanam, & Hispanam; & examinatur, an sit necessaria Commissarii inquisitio pro inveniendo domino, ut legitima, & valida sit compositio?* 471.
XXVIII. *De compositione super usuris faciendis.* 472.
XXIX. *An judex compositione indigeat super illicitè acquisitis?* 474
XXX. *Præmittitur notitia duarum propositionum damnatarum, circa sententias judicum in ordine ad compositionem.* 475
XXXI. *Quando advocatus, testis, scriba, aut notarius possint per Bullam, compositionem facere?* 476
XXXII. *Quando mercatores, aut alii negotiatores possint uti compositione?* 476
XXXIII. *De compositione super bonis inventis, & præsertim super bonis naufragantium.* 477.
XXXIV. *De compositione super damnis per venationem, vel animalia illatis.* 479
XXXV. *De compositione super rebus falsificatis, vel aliis deterioribus mixtis.* 480
XXXVI. *De compositione simulatoris super iis, quæ fictione illicitè acquisivit.* 481
XXXVII. *De compositione super possessis, quorum dominus ignoratur, & de missis celebrandis, quando ignoratur, à quo accepta fuerit eleemosyna.* pag. 483
XXXVIII. *De compositione super illicitè acquisitis per ludum.* 483
XXXIX. *De compositione super acceptis ob turpem causam; ubi de super acceptis pro meretricio.* 485

DISPUTATIO XXVI.

De Bulla defunctorum.

Sect. I. *AN detur Purgatorium, ubi sit, & an sit unum omnium animarum ibi detentarum.* 487
II. *Quæ, & quales pœnas anima in Purgatorio patiantur?* 488
III. *Quanto tempore, anima in Purgatorio detineantur?* 491
IV. *An pœna Purgatorii per suffragia, quoad intentionem, minuantur?* 491
V. *An anima in Purgatorio sint certa de sua salute; & mereri, aut demereri in eo possint?* 491
VI. *An anima Purgatorii, antequam purgentur, possint ex eo exire; & an ibi pro nobis Deum orent?* 492
VII. *An suffragia vivorum valeant pro defunctis?* 493
VIII. *An suffragia fidelium prosint animabus Purgatorii, per modum meriti de condigno?* 493
IX. *An suffragia fidelium animabus Purgatorii prosint, per modum meriti de congruo, aut per modum impetrationis?* 494.
X. *An nostra suffragia prosint defunctis ex justitiâ, an ex Dei misericordiâ?* 496
XI. *An Deus infallibiliter suffragia pro defunctis, acceptet?* 497
XII. *Quæ conditiones requirantur ex parte offerentis, ut suffragia prosint defunctis?* 498
XIII. *Quæ conditiones requirantur ex parte animarum Purgatorii, pro quibus suffragia offeruntur?* 500
XIV. *An missa Sacrificium prosit animabus Purgatorii, quoad satisfactionem, & impetrationem?* 501
XV. *An missa de Requiem magis defunctis sit utilior, quàm alia; & qui illam tenentur dicere determinatâ die, possint aliâ satisfacere?* 502
XVI. *In quibus diebus, missam de Requiem celebrare possit Sacerdos?* 503
XVII. *De missis defunctorum in Altari privilegiato.* 505
§. I. *Explicatur secunda, tertia, & quarta clausula Brevis Altaris privilegiati.* 505.
§. II. *Explicatur quinta Brevis clausula, nempe,* missam defunctorum. 506
§. III. *Proponitur vera resolutio.* 507
§. IV. *Explicatur sexta clausula Brevis Altaris privilegiati.* 508

§. V. *Exponitur septima clausula Altaris privilegiati.* pag. 509

§. VI. *Exponuntur reliqua Brevis Altaris privilegiati clausula.* 509

§. VII. *An Sacerdos sua satisfaciat obligationi, sacrificando in altari non privilegiato, cum numismate, hâc indulgentiâ plenariâ affecto?* 510

§. VIII. *An Sacerdos, habens Bullam Cruciata, possit satisfacere missa à se dicenda in Altari privilegiato, visitando quinque Ecclesias, vel quinque altaria, in diebus stationis?* 551

XVIII. *An tantum valeat una missa pro omnibus defunctis oblata, ac si pro uno tantùm offerretur?* 512

XIX. *An Communio pro defunctis oblata, ex opere operato illis prosit.* 513

XX. *An Sacra communio defunctis applicata, illis, ex opere operantis, prodesse possit?* 514.

XXI. *An opera, ex præcepto debita, possint pro defunctis, ut satisfactoria applicari.* 515

XXII. *An confessarius possit imponere pœnitentiam Sacramentalem, implendam pro defunctis?* 515

XXIII. *An sepultura sacra, & aspersio per aquam benedictam, sit utilis animabus Purgatorii?* 516

XXIV. *An anima in Purgatorio detineantur, quoad usque ab hæredibus, seu testamentariis restituantur ea, qua defuncti debebant?* 517

§. Unic. *Dissolvuntur fundamenta contraria.* 518.

XXV. *Quod suffragium sit alio magis satisfactorium pro defunctorum animabus?* 519

XXVI. *Quinam possint indulgentias pro defunctis concedere?* pag. 520

XXVII. *De modo, quo indulgentia pro defunctis concedantur?* 521

XXVIII. *An applicatio indulgentiæ pro defunctis facta, infallibiliter suum sortiatur effectum?* 522

XXIX. *An valsdè possint indulgentia defunctis applicari, quando in forma concessionis, id non exprimitur?* 523

XXX. *An possit quis, propriâ authoritate, indulgentiam, quam intendit lucrari, pro defuncto offerre, sicut potest, pro eodem jejunia, & disciplinas, &c.* 523

XXXI. *Qua conditiones requirantur in eo, qui propositum habet consequendi indulgentiam pro defuncto?* 524

XXXII. *Recensentur indulgentia, qua defunctis, in Bulla, conceduntur.* 525

XXXIII. *Expediuntur aliqua conditiones, ut Bulla defunctorum utiliter defuncto prodesse possit.* 526

XXXIV. *Quomodo, & quando facienda est applicatio Bulla pro defuncto.* 527

XXXV. *An magis prosit una, vel altera missa, pro uno defuncto applicata, an Bulla defunctorum?* 528

XXXVI. *Quidnam sit anima Purgatorii utilius, sumere pro illa Bullam defunctorum, aut dicere missam in Altari privilegiato?* 528

XXXVII. *An plures Bulla defunctorum sumi possint pro eodem defuncto, aut una Bulla pro pluribus defunctis?* 529

XXXVIII. *An Bulla defunctorum possit applicari pro defuncto, qui mortuus est in alio Regno, ubi hæc nostra Bulla non publicatur?* 530

CATALOGUS LIBRORUM,

Qui Venales proſtant, Amſtelodami apud GEORGIUM GALLET *op de Keyſers-Graft.*

Bibliotheque des Auteurs Eccleſiaſtiques, contenant l'Hiſtoire de leur vie, le Catalogue, la Critique & la Chronologie de leurs ouvrages. 4. 5. Volum. 1691.

——— Idem 4. Volumes 4. ſeparé, contenant les Auteurs du cinquiéme ſiecle. 1691.

——— Idem 4. Vol. 5. contenant les Auteurs du ſixiéme ſiecle. 1691.

Les Comedies de Terence traduites en François avec des Remarques, par Me. Dacier. 12. 3. Volum. enrichies de figures à chaque Comedie. 1691.

Les Oeuvres d'Horace, traduites en François, avec les Remarques, & la Critique de M. Dacier. 12. 10. Volum. 1691.

Dictionnaire de Mathematique, ou Idée Générale de toutes les Mathematiques, par Ozanam. 4. avec figur. 1691.

Nouveau Cours de Philoſophie, ſuivant le Syſteme & les principes de Deſcartes, par M. Regis. 4. 3. Vol. avec fig. 1691.

Nouvelle Chirurgie de Etmuller. 12. 1691.

Art de jetter les Bombes, par Blondel. 12. fig.

Traité de l'Ame, & de la Connoiſſance des Bêtes, ſuivant les principes de Deſcartes, 12. 1691.

Architecture générale de Vitruve en Abregé par Perrault de l'Academie Françoiſe 12. avec fig. 1691.

Toutes les Cartes Geographiques, à l'uſage de M. le Dauphin, en grand papier, par Samſon. 1691.

Hiſtoire du Roi Loüis le Grand, contenant ſa Vie & ſes actions, par Medailles, Emblemes, & Deviſes, par le P. Meneſtrier. fol. avec fig. Paris 1691.

Virgilius ad uſum Delphini. 4. Amſtelodami. 1689.

Boyvin Theologia. 12. 4. tom. 1690.

——— Philoſophia. 12. 4. tom. 1690.

Chryſoſtomi Opera. fol. 6. tom. Lugduni. 1688.

Polianthea Langii, fol. 1. tom. Lugduni.

Theatrum Vitæ humanæ Beyerlinch, fol. 8. tom. Lugduni.

Dre-

Drexelii Opera, fol. 4. tom. Lugduni.
Sennerti Opera Medica, fol. 6. tom. Lugduni.
Bartholini Anatomia reformata, 8. fig.
Collegium Salmanticenſe Theologicum & Moral, fol. 15. tom. Lugduni.
——— de Incarnatione, fol. tom. 1. Lugduni.
——— Tom. 2. f. Coloniæ Agrippinæ. 1691.
Gaſſendi Philoſophia Epicuri, fol. 2. tom. Lugduni.
Biblia ſacra, 8. Lugduni.
——— 12. 6. tom. Lugduni.
Riverii Opera Medica. fol. Lugduni. 1690.
Turretini Theologia. 4. 3. tom.
——— de Neceſſaria Seceſſione. 4.
——— de Satisfactione Chriſti, 4.
Hiſtoria del Imperio Romano di Letti. 4. 2. tom. con figure.
Theatro Gallico di Letti. 4. 2. tom. con figure.
——— Belgico di Letti. 4. 2. tom. con figure.
Imitation de Jeſus-Chriſt, ou la Conſolation interieure de l'ame par Kempis, traduite ſur un ancien manuſcrit nouvellement découvert. 12. fig. 1691.
Hiſtoria Antiquæ Eccleſiæ Diſciplinæ, ex Conciliis Oecumenicis & ſcriptis Sanctorum Patrum, Auctore Dupin, Doctore Sorbonico.

EXPOSITIO BULLÆ SANCTÆ CRUCIATÆ LUSITANÆ.

DISPUTATIO I.

De proæmialibus Bullæ, nempe de naturâ, origine, concessione, & interpretatione Bullæ.

1. ANTEQUAM ad explicationem indultorum, facultatum, & gratiarum Bullæ in particulari deveniamus, hanc instituimus disputationem, quæ expediet aliquas quæstiones in communi necessarias ad intelligentiam eorum, quæ in hujus operis decursu videntur necessaria. De Bullâ Lusitanâ, unus tantùm ex professò scripsit Sebastianus à Costa de Andrade Canonicus Doctoralis in sede Eborensi, & illius Archiepiscopatus gubernator, electusque Episcopus, Insularum Capitis viridis, quam electionem recusavit. Alii inter alias materias de illa, aliqua elucidarunt, Baptista Frages. *tom. 2. regim. Reip. Chr. disp. 7. per totam.* Sebastianus de Abren *de Parœch. l. 10. c. 13. per totum.* Benedict. Percyra *tom. 2. Promptuar. Theolog. moralis per integrum tract. 41.* Et hi aliquas quæstiones cum Bullâ Hispanâ confuderunt; excepto primo; & quoad majorem Bullæ partem, etiam Doctor tertio loco citatus meritò excipi potest; hos aliquando citabimus, & alios, qui ad Bullam Lusitanam, gratiâ aliorum explicationis, descenderunt.

SECTIO I.

Præmittitur transcriptum Bullæ Latinæ Gregorii XIV. Clementis VIII. & Pauli V.

2. QUONIAM Bullæ Lusitanæ transumptum Latinum, tam in textu, quàm in serie verborum in multis à transumpto Latino Hispano differt, & inter utrumque in indultis, facultatibus, privilegiis, & gratiis non exiguum datur discrimen: aliquæ enim gratiæ, & privilegia conceduntur in Bullâ Hispanâ, quæ non dantur concessa in Bullâ Lusitanâ, & in hâc alia dantur concessa, quæ in Bullâ Hispanâ non conceduntur: Et cum hæc transcripta & Bullarum Clementis VIII. & Pauli V. rarò inveniantur, & præ manibus haberi non possint, operæ pretium duxi, illa initio hujus operis exscribere, ut dum præ oculis habeantur, differentia utriusque Bullæ perspiciatur, verbaque illorum, ac clausulæ exactius exponi, & perpen divaleant. Hæc Bulla Latina est eadem ad verbum, quam Gregorius XIV. concessit, & paucos post menses ampliavit, concedendo designationem eleemosynæ à singulis personis contribuendæ. Postea verò successores Clemens VIII. & Paulus V. illam aliquibus ditarunt ampliationibus; primus, quoad facultates Commissarii Generalis, secundus verò, quoad privilegia ipsius Bullæ: His tamen omissis, Commissarius Generalis facultates, gratias, & privilegia, ut plurimum, ex Bullâ Gregorianâ extrahens, tria componit summaria, eleemosynarum taxis diversa; nempe, Bullam communem vivorum, Compositionis, ac defunctorum. In hâc Sectione, & sequente apponemus transcriptum Latinum tam Bullæ Gregorii XIV. quàm Clementis VIII. & Pauli V. & summarium Bullæ vivorum; alia verò suis in locis commodius.

Bulla Latina Gregorii XIV. transcriptum.

3. DECENS esse videtur, rationique maximè convenire, utiis, qui pro Christianæ Religionis, & populorum, illam excolentium tuitione, & defensione adversus Christiani nominis hostes militant, & corpora sua periculo mortis exponunt, congrua subventionis auxilia, ad eorum manutentionem à Christianis populis suppeditentur, ipsique populi Christiani ad id Romani

mani Pontificis Christi Vicarii in terris hortationibus excitentur, spiritualibusque, & aliis gratiis, ad hoc propentiùs exequendum invitentur, præsertim cùm Catholicis Regibus, & Principibus temporales facultates deficiunt. Sanè charissimi in Christo filii N. Portugalliæ, & Algarbiorum Regis insinuatione accepimus, quòd ipsorum Portugalliæ, & Algarbiorum Regnorum, & Dominiorum Coronæ Portugalliæ, facultates adeo reperiuntur exhaustæ, & attritæ, quòd ad supportationem onerum ordinariorum vix sufficiant, cogaturque Rex ipse aliunde exquirere pecunias ad complementum eorundem, & inter alia sibi, & Regnis prædictis incumbentia, illud molestum, & grave nimis sibi, & Regnis prædictis redditur, quòd ad reprimendum conatus, & incursus Sarracenorum, ora maritima partium Africæ, Hispaniarum Regna, & Provincias respicientia incolentium, Cepten, & Trigen Civitates, & Mazagani, & Arzillæ oppida in ipsis Africæ partibus consistentia, olim à suis prædecessoribus dictorum Regnorum Regibus, manu validâ, ab ipsorum Sarracenorum potestate expugnata, militum præsidio munita defendere, & manu tenere tenetur; & si Civitates, & loca hujusmodi relaxarentur, vel aliàs ad potestatem dictorum Sarracenorum reverterentur, gravia damna, & incommoda, nedum Regnis prædictis, verùm etiam aliis Regnis, & universæ Reipublicæ Christianæ sequerentur. Quare nos paternâ Charitate, & sollicitudine excitati, omnes utriusque sexus Christi fideles, in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, aliisque terris, & locis Regum Portugalliæ dominio subjectis commorantes, atque degentes, quo majori possumus animi affectu in Domino hortamur, ab ipsisque omni pietatis studio contendimus, ut pro subventione manutentionis militum, qui civitates, & loca prædicta custodiunt, & defendunt, eleemosynas piâ, & largâ manu, conferre non cessent. Ut autem fideles ipsi eò libentiùs, quò poterunt auxilia ad hujusmodi subventionis, & manutentionis effectum studeant exhibere, quò se majora inde spiritualia munera ad animarum suarum salutem, gratiasque alias ab hâc Apostolicâ sede, noverint adipisci. De omnipotentis Dei misericordiâ, Beatorumque Petri, & Pauli Apostolorum, ejus authoritate confisi, eidem N. Regi, qui hoc opus maximè urget, ac Christi fidelibus utriusque sexus prædictis, qui intra triennium tantùm à die publicationis præsentium litterarum in singulis locis Regnorum, & Dominiorum prædictorum, in quibus à nobis deputandus Commissarius, vel ab eo delegati, illas publicari fecerint, & mandaverint numerandum, pietatis zelo permoti, memoresque imprimis verbi illius salutaris. Quomodo potueris, ita esto misericors, si multum tibi fuerit abundanter tribue: Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertire stude; quanta maxima, pro opibus, & facultatibus suis, potuerint, subventionis auxilia ad effectum subventionis manutentionis militum præfatorum contulerint, plenissimam omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti, & ore confessi, sacrâque Communione refecti fuerint; aut non valentes confiteri, neque communione ipsâ refici, id corde optaverint, indulgentiam, & remissionem, quæ in anno Jubilei elargiri consuevit, bis videlicet, intra quemlibet annum, ita ut statim post sextum quemque ipsius triennii mensem indulgentia hujusmodi rursus, à prædictis, & aliis, eorundem Regnorum, & Dominiorum personis, eleemosynas denuo, ut supra conferentibus, aliaque prædicta toties conficientibus, consequi possint, misericorditer in Domino concedimus. Quod etiam pro cujuscunque eleemosynarum voluntate, animabus in Purgatorio existentibus, quæ per Charitatem Christo unitæ, ab hâc luce migraverint, pro quibus juxta præmissa, collata fuerit, ad relaxationem pœnarum, quibus secundùm divinam justitiam expositæ sunt, suffragetur. Præterea illos omnium precum, eleemosynarum, peregrinationum, etiam Hierosolymitarum, cæterorumque bonorum operum, quæ in militanti Ecclesiâ universali, & singulis ejus membris fiunt, participes esse volumus. Illis quoque, qui, ut præcipitur, contulerint, ac etiam aliis, qui intra dictum triennium in manutentionis hujusmodi subsidium, alias pias eleemosynas fecerint, pariter concedimus, ut eodem durante triennio, liberè possint in privato Oratorio ad divinum cultum duntaxat deputato, ab Ordinario loci approbando, & visitando, etiam in locis interdicto, quâvis etiam authoritate suppositis, dummodo ipsi causam non dederint hujusmodi interdicto, vel per eos non steterit, quominus illud amoveatur; ac etiam illustribus, & aliis nobilibus, qui facultatem ad id à Commissario, super hoc deputando, habuerint, etiam per horam antequam dies illucescat, & per horam post meridiem, excommunicatis, & interdictis prorsus exclusis, per se ipsos, si presbyteri sint, seu per alium, vel alios Sacerdotes, ut præfertur, approbatos in suâ, ac familiarium, ac domesticorum suorum præsentiâ, Missas, & alia divina officia celebrare, & tempore interdicti hujusmodi divinis interesse, nec non Eucharistiæ, & alia Ecclesiastica sacramenta, præterquàm in die Paschatis recipere, & eorum decedentium corpora cum moderatâ funerali pompâ Ecclesiasticæ tradi sepulturæ. Ad hæc, ultra precum, eleemosynarum, peregrinationum, & aliorum operum prædictorum participationem eos, qui in loco, ubi ipsos morari contigerit singulis Quadragesimalibus, & aliis anni temporibus, & diebus stationum Ecclesiarum Almæ Urbis, & extra illius muros; quinque Ecclesias, sive altaria, seu si ibi tot Ecclesiæ, vel altaria non fuerint, quinquies unam Ecclesiam, seu unum altare devotè visitaverint, precesque ad Deum pro sanctæ Romanæ, & universalis Ecclesiæ Catholicæ conservatione, & salubri directione, paceque inter Christianos Principes conservandâ, & alias, prout cujusque suggeret devotio, piè effuderint, omnes, & quascumque indulgentias, tam pro se, quàm per modum suffragii pro illis, qui in Christi charitate decesserunt, & pro quibus ipsi visitaverint, consequantur, quas consequerentur, si eisdem temporibus, & diebus singulis Ecclesias dictæ Urbis, & extra illius muros, hujusmodi pro iisdem stationum indulgentiis consequendis deputatas personaliter visitassent. Et ut purius preces Deo fundere, & eò efficaciùs divinum auxilium impetrare possint, quò magis peccatorum vinculis absoluti in his litteris contenta adimpleverint, ut eisdem omnibus, dicto triennio durante, quemcumque Presbyterum sæcularem, vel cujusvis etiam Mendicantium Ordinum Regularem, ex his, qui ab Ordinario, & quoad Regulares semel tantùm approbati fuerint, in confessorem eligere, qui

eorum confessione audità, ipsorum à quorumcumque Ecclesiæ mandatorum, necnon votorum transgressionibus, & jejuniorum, & horarum Canonicarum omissionibus, cæterisque omnibus peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam talibus, propter quæ sedes Apostolica meritò consulenda foret; ac etiam in casibus, qui in litteris die Cœnæ Domini publicati, solitis continentur, exceptis hæresis conspirationis in personam, & statum Romani Pontificis, falsificationis litterarum Apostolicarum, & supplicationum, cæterisque omnibus aliis Casibus, qui undecimo incipiente: *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes*; nec non duodecimo, tertio decimo, & quartodecimo capitulis, seu articulis dictarum litterarum Cœnæ Domini scripti sunt, semel in vitâ, in mortis articulo; aliis verò eidem Sedi non reservatis Casibus, quoties confitebuntur, absolvere, & pro modo Culpæ pœnitentiam salutarem injungere, plenamque omnium peccatorum suorum remissionem impendere, ac vota quæcumque, Ultramarino, castitatis, & Religionis votis duxtaxat exceptis, in subventionem prædictam, commutare licitè possit: in casibus tamen, in quibus satisfactio necessaria fuerit, ea vel per se ipsos, vel eis impeditis, per hæredes, aut alios fieri debeat. Declarantes absolutiones vigore præsentium, satisfactâ parte, faciendas ab excommunicationibus, & aliis censuris Ecclesiasticis ab homine latis, & ferendis, nemini omnino sive Ecclesiastico, sive laico in foro judiciali prodesse, sed eum tamdiu excommunicatum ubique ab omnibus nihilominus reputari; nec si Sacerdos Presbyter, aut aliàs in sacris ordinibus constitutus fuerit, nusquàm Missam celebrare, aut aliàs se sacris commiscere posse, donec is à suo Judice absolutionis beneficium ab hujusmodi censuris meruerit obtinere. Volentesque, ut fructus beneficiorum, qui ad ratam omissionis horarum Canonicarum illicitè percepti fuerint, pro dimidiâ parte Ecclesiis, vel alus locis Ecclesiasticis, quorum ratione horas prædictas recitare debebant: altera verò dimidiâ parte in subventionem manutentionis militum hujusmodi integrè præstari, vel cum Commissario super hoc deputando componi, ita quòd compositione hujusmodi solutâ, sit componens à portione etiam, quæ Ecclesiæ deberetur, integrè absolutus. Eos etiam, quos dicto triennio durante, contigerit ob repentinam mortem, vel confessorum absentiam, sine confessione discedere, modò ipsi contriti discesserint, & prius statuto tempore confessi, nec hujus nostræ concessionis fiduciâ negligentiores fuerint, volumus, plenariam, ut præfertur, remissionem consequi posse, eorumque corpora, nisi forte vinculo excommunicationis innodati discesserint, non obstante etiam interdicto, etiam Apostolicâ authoritate appositio, Ecclesiasticæ tradi sepulturæ. Præterea indulgemus, ut dicto triennio durante, carnibus de consilio utriusque medici, temporibus jejuniorum, tam Quadragesimalium, quàm quorumcumque dierum totius anni vesci, ac pro eorum libito, ovis, & lacticiniis, ita quòd, qui carnes comederint, servatâ in cæteris jejunii Ecclesiastici formâ, dicto jejunio satisfeciisse censeantur. Cæterum universos, & singulos Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios Regnorum, ac Dominiorum prædictorum enixè rogamus, eisque in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ut omnes pœnas pecuniarias, etiam loco corporalium, durante ipso triennio, ab ipsis erogandas, seu exigendas, huic pio operi omnino debeant applicari, prout nos eas omnes de quarum quantitate illorum assertioni omnino stetur, ipsorum tamen conscientias super hoc oneramus, thesaurum ejusdem subventionis ex nunc, prout ex tunc applicamus. Et quoniam fidele ad hoc ministerium opus esse, certum est: Nos fide, industriâ, & probitate N. nobis plurimum in Domino commendata, eum in Commissarium, & receptorem in toto isto negotio constituimus Generalem, eique facultatem tribuimus, ut liberè, & licitè possit super hujusmodi pœnis ab Ordinariis impositis inquirere, & contra eos, qui in præjudicium hujus eleemosynæ aliquid fecerint, procedere. Et super illicitè habitis, ac dimidio legatorum omnium, quæ propter malè ablata facta sunt, si legatarii per annum in exactione negligentes fuerint, ac illis etiam, quæ facta erunt, & dicto triennio durante fient, si legatarii adhibitâ per Commissarium diligentiâ inveniri non poterunt, ac etiam super malè ablatis, & per usurariam pravitatem, aut aliter malè acquisitis, dummodò in omnibus prædictis casibus, præterquàm dictæ annalis negligentiæ personæ per Commissarium, & receptorem prædictum non reperiantur, componere, ac ita debitores liberare. Ac etiam super irregularitate per eos, qui quibusvis Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis ligati, Missas, & alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebraverint, quomodolibet contractâ. Quodque in ordinibus per eos aliàs tamen ritè susceptis ministrare liberè, & licitè valeant dispensare, omnemque inhabilitatis, & infamiæ maculam, exinde provenientem, abolere, & super indebita perceptione fructuum Ecclesiasticorum propterea facta, etiam componere. Et ad effectum præmissorum duntaxat, omnes similes, aut dissimiles indulgentias, ac peccatorum remissiones à nobis, & dictâ sede, vel ejus authoritate, quibusvis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, Piis locis, Universitatibus, Confraternitatibus, & singularibus personis, in Regnis, & Dominiis prædictis, etiam in favorem Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, etiam si clausulas aliquas, contra suspensionem hujusmodi facientes, continerent; ita ut interim, quæ publicatæ fuerint, etiam Communiter, & divisim nulli hominum suffragari: sed nec sub pœnis pecuniariis, ac etiam cum invocatione auxilii brachii sæcularis prædicari, aut alias publicari, nec alia quævis, præterquàm pro subventione manutentionis militum hujusmodi suffragia postulari possint, ad dictum triennium duntaxat suspendere. Alios Commissarios ad singulas hujusmodi provincias, per ordinarios locorum, quorum etiam conscientias oneramus, prævià maturâ deliberatione approbandos cum simili, aut limitatâ facultate, ac etiam pro collectione pecuniarum constituere. Notarios item, quorum operâ utendum erit ab ipsis Ordinariis; in quibus illi deputandi erunt, itidem approbandos, vel jam approbatos deputare. Tabelliones, ac quoslibet alios ad exhibitionem quorumcumque instrumentorum, aut scripturarum ad hoc negotium pertinentium compellere, & quibus inhibendum erit, etiam inhibere. Præsentium autem publicatio, non nisi per probos, & idoneos prædicatores presbyteros sæculares, vel ordinum etiam Mendicantium Re-

gularis observantiæ professores ex his, qui à locorum Ordinariis approbati; & si Regulares fuerint, per eundem Commissarium à Provincialibus singulorum Ordinum hujusmodi petendi, & recipiendi; quorum Provincialium conscientiam oneramus, eisque in virtute sanctæ obedientiæ injungimus, ut hujusmodi prædicatores idoneos, integrisque moribus proponant, quibus etiam in hujusmodi obedientiæ virtute injungatur, ut nihil aliud tanquam à nobis concessum proponant, nisi quod præsentibus litteris est expressum. In locis verò pauperibus, per proprios Parochos hoc publicationis munus fiat; omnibus autem prædicatoribus per quotas, alimenta constituj prohibemus. Quod si locus ubi publicatio hujusmodi facienda erit, subjaceat interdicto, Commissarius ipse illud octo ante dierum spatio suspendere, idemque, alii ab eo deputati compellere possint, etiam per censuras, & pœnas Ecclesiasticas; habentes scripturas ad præmissa pertinentes, ut eas exhibeant, ac pariter omnes, ut rationem earum iterum reddant, quæ in singulis Diœcesibus fidei eorum committentur; & quidquid, à sponte dantibus fuerit, in singulis Diœcesibus receptum, statim sibi consignari faciant. Postremò auditores ad prædicta per prædicatores hortari duntaxat permittimus, ut clarè intelligant, nos neminem ad quidquam præstandum, vel elargiendum cogere sed tantummodò eorum devotionem, & charitatem, ad id excitare, hortarique, & rogare. Volumus, etiam, moneri omnes quos contigerit habere pecunias, aut bona in hoc opus destinata, seu instrumenta, vel scripturas aliquid continentes quod ad hoc negotium principaliter, vel secundariò pertineat, ut debeant, sicut habuerint, statim cùm copiam Commissarii, vel ab eo deputati habere poterunt, omnia ipsi Commissario, seu deputato propalare sub eisdem pœnis pecuniariis, & in subsidium censuris Ecclesiasticis, quas Episcopi videlicet, & alii majores Prælati suspensionis à divinis, & interdicti ingressus Ecclesiarum: alii verò omnes excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrant, quas solus Romanus Pontifex, excepto mortis articulo, valeat relaxare. Declarantes hos tales, si scienter aliquid prædictorum retinuerint, nullo modo harum litterarum, & gratiæ beneficio frui posse. Expleto autem triennio prædicto, volumus pariter gratias, & indulta hujusmodi prædicta expirare, nihilque penitus ipsarum vigore fieri; causas tamen tunc cœptas, & pendentes, ad finem perduci posse. Cùm verò non deceat officiales, seu ministros Officii Inquisitionis hæreticæ pravitatis in aliis, manifestam hæresim non sapientibus, occupari, aut detineri, prohibemus aliquem ejusdem Inquisitionis officialem, seu ministrum in prædicatorem ad ipsas præsentes litteras publicandas assumi, vel etiam sub Commissarium ad prædicta exigenda, vel aliàs ad gerenda, aut pertractanda hujusmodi negotia, quovismodo deputari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, conventuum, & ordinum quorumcumque juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, indulgentiis, facultatibus, & literis Apostolicis quibusvis Ecclesiis, etiam Cathedralibus, & Metropolitanis, necnon Monasteriis, & conventibus, tam virorum, quàm mulierum, etiam Mendicantium, etiam quæ Mare magnum appellatur, & quorumvis aliorum ordinum etiam militarium, illorumque superioribus, & personis, Universitatibus etiam studiorum generalium, Collegiis sæcularium, & Regularium personarum, sive in causam, etiam pro expeditione contra Turcas, & alios fidei hostes; nec non pro fabricâ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac Apostolicæ potestatis plenitudine, quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus habenda foret præsentibus litteris mentio specialis, tenores hujusmodi pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice duntaxat, & ad effectum præmissum motu, scientiâ, & potestate similibus, præterquàm facultates concessas Mendicantium Ordinum superioribus, quoad suorum ordinum Fratres, specialiter, & expresè derogamus. Cæterisque contrariis quibuscumque, & quia difficilè nimis esset præsentes, quocumque illis opus erit, perferri, volumus, ut illarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, & prædicti Commissarii sigillo munitis eadem omnino fides in judicio, & extra illud adhibeatur; quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die sexto Aprilis 1591. Pontificatus nostri anno primo.

M. Vestrius Barbianus. Transcripta Latina Bullarum Clementis VIII. & Pauli V. ut sequitur in folio sequenti addito; & finito, redditur ad hanc Sectionem.

SECTIO II.

Summarium Bullæ Communis vivorum.

4. CONsiderando o muy S. Padre Gregorio XIV. Pontifice Romano de glorioza memoria, e ora o nosso mui S. Padre Innocencio XI. na Igreja de Deus Presidente, o continuo trabalho, que padecem os moradores dos Lugares de Africa sogeitos à Coron de Portugal, pella defensam de nossa Sancta fea contra os Mouros, contra os infieis inimigos della, reprimindo continuamente seus impetos, e rebates, tendo sempre suas vidas em perigo, e padecendo graves necessidades, pello grande poder, e odio entranhavel dos inimigos, e vendo juntamente o dano, que se siguirá naon sómente a este Reyno de Portugal, mas ainda a toda a Christandade, se estes Lugares, e fortalezas se perdessem, dezemparandose, ou destruindose, ou vindo a mandos inimigos, e sabendo tambem como a Alteza do Principe nosso Senhor, he constrangido a fazer muitos majores gastos, e despezas sobre a sustentaçaon, e conservaçam dos ditos Lugares, doque as rendas, e forças deste Reyno podem suprir; as quais por estarem nestes tempos faltas, e deminuidas lhe he forçado por outros meyos com difficuldade buscar remedio para acodir aos gastos, approvando sua sanctidade nisto, seu bom zelo, & sanctos intentos; exhorta com charidade paternal a todos os moradores

res

res deſtes Reynos, & Senhorios, que com ſuas eſmolas ajudem eſta ſancta obra, abrindo ora para iſſo o thezouro eſpiritual da Igreja de Deus, tirando delle, e concedendo, muitas graças, e indulgencias a todos os que favorecerem com ſuas eſmolas eſte intento.

As graças ſam as ſeguintes.

PRimeiramente concede ſua ſanctidade ao Principe noſſo ſenhor, que procurou eſta graça, com grande zelo, e fervor Chriſtaon, e a todos os hers chriſtaons home's, e mulheres, e ſtantes, e moradores neſtes Reynos, e ſenhorios de Portugal, Algarues, e aos ſubditos delles, que vivem em ſenhorio alheo, nas partes da India, e conquiſtas por cauza de comercio, e ſem animo de permanecer neſte, que dentro em hum anno do dia da publicaſſam deſta emdiante, derem a eſmola abaixo declarada para ſuſtentaçam, e defenſam dos ditos Lugares de Africa, pleniſſima indulgençia, e remiſſam de todos ſeus peccados, deque contritos, e arrependidos ſe confeſſarem, e comungarem, ou naon ſe podendo confeſſar, e comungar, o dezejarem de coraçaon, aſſi como ſe cuſtiſma conceder no anno ſancto do Jubileo de Roma. Item concede as ditas graças, indulgencias, e remiſſiones de peccados ás meſmas peſſoas, e outras quais quer eſtantes, e moradoras nos ditos Reynos, e ſenhorios, que depois de ſeis mezes deſte anno fizerem o ſobredito, e derem de novo a eſmola abaixo declarada, e deſta maneira lhe ſam concedidos dous Jubileos, durando o dito anno. Item concede, que as meſmas indulgencias, ſe poſſam tambem aplicar ás almas do Purgatorio, que cada hum mais tiver em ſua vontade, e deſta vida partiram unidas em charidade de Noſſo Senhor Jeſu Chriſto, pellas quais dando a eſmola em a Bulla dos defunctos declarada, alcanſem per modum ſuffragii, relaxaçaon das penas a que eſtiverem expoſtas pella divina juſtiça. Item os fas participantes de todas as oraçóẽs, eſmolas, e perigrinaçoẽs, ainda da Caza ſancta de Hyeruſalem, e de todas as mais obras boas, que na univerſal Igreja militante, e em cada hum de ſeus membros ſe fazem. Item concede a todos aquelles, que dentro no dito anno, fizerem outras pias eſmolas em favor da ſuſtentaçam, e defenſam dos ditos Lugares, que durando o tal tempo, em qualquer Oratorio deputado ſomente para o culto divino, viſitado, e approvado pello Ordinario, e em outros Lugares ainda que ſejam por authoridade Apoſtolica interditos (com tanto que naon haiaon dado cauza ao tal interdito, ou naon eſté por elles fazello levantar, lançando primeiro fora os excomungados, e interditos) poſſaon, ſendo Sacerdotes, celebrar a Miſſa licitamente, e naon oſendo, acharſe prezentes a eſta, e aos mais officios divinos, e aſſi receber a ſagrada communhaon, e todos os Sacramentos Eccleſiaſticos, excepto dia de Paſcoa, e que morrendo poſſaon ſeus corpos ſer enterrados em ſepultura Eccleſiaſtica com moderada pompa. Item concede aos Illuſtres, e as outras peſſoas nobres que ſendo Sacerdotes poſſam dizer Miſſa, e naon oſendo fazello dizer por outros Sacerdotes approvados, antes que amanheça huma hora, e outra depois do meyo dia, em ſua prezença, e de ſeus familiares, domeſticos, e parentes, tendo tambem primeiro para iſſo licença do Commiſſario General, excluindo os excomungados, e interditos. Item concede a todos os que viſitarem devotamente ſinco Igrejas, ou altares, nos lugares onde eſtiverem, aſſim na Quareſma, como nos outros tempos do anno nos dias das eſtaçóẽs da Cidade de Roma, e fora dos muros della, e naon havendo tantas Igrejas, ou altares, vizitarem ſinco vezes huma Igreja, ou altar, dizendo oraçóẽs a Deos Noſſo ſenhor pella conſervaçaon da ſancta Romana, e univerſal Igreja Catholica, pello felice ſucceſſo, paz, e concordia entre os Principes Chriſtaõs, ou o que melhor lhe pedir, ſua devoçaon, alcanſem todas, e quais quer indulgencias para ſi, e per modum ſuffragii para as Almas, que partiraon deſta vida em graça, e charidade com Deos, pellas quais eſtes as vizitarem, as alcanſaraon, coſmo ſe nos meſmos tempos, e dias vizitaſſem peſſoalmente cada huma das Igrejas da Cidade de Roma, & fora dos muros della, deputados para ſe ganharem eſtas meſmas indulgencias; E para que com mais pureza das conſciencias, poſſam fazer oraçóẽs a Deos noſſo Senhor, e alcanſar delle o divino favor, concede ſua ſanctidade a todos os ſobreditos, que durando o dito anno, poſſam eleger confeſſor, ſecular, ou regular de qualquer ordem, approvado pello Ordinario (e quanto aos regulares baſta que huma ſó vez ſejaon approvados) o qual ouvidas ſuas confiſſoẽs, os abſolva das tranſgreſſoẽs de quais quer votos, e mandamentos da Igreja, das omiſſoẽs dos jejuns, e Horas Canonicas, e de todos os mais peccados, delictos, exceſſos, por graves, e enormes, que ſejaon; ainda que por elles ſe vinieſſe de conſultar a ſee Apoſtolica, e tambem dos cazos conthendos na Bulla da Cea do Senhor, tirando os da hereſia, conſpiraçam contra a peſſoa, e eſtado do ſummo Pontifice Romano, falſificaçam de ſupplica, e letras Apoſtolicas, e de todos os mais cazos, que ſe contem no capitolo onze, que começa. *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes*, &c. E os que ſe contem nos capitolos, e artigos doze, treze, e quatorze da dita Bulla da Cea de Senhor, aos quais dando penitencia ſaudavel, conforme ſuas culpas, lhe concede plenaria remiſſam de todos ſeus peccados, e iſto huma vez na vida, e outra na morte; e dos cazos que naon forem rezervados á meſma ſee Apoſtolica, os abſolva pella dita maneira, quantas vezes ſe confeſſarem; e podera o dito Confeſſor commutarlhe licitamente, quais quer votos, emajuda, e eſmola da dita ſuſtentaçam dos Lugares de Africa, tirando os votos de Hyeruſalem, Caſtidade, e Religiam; Poſem em todos os cazos aſſima ditos, em que neceſſariamente ha de haver ſatiſfaçaon, ſe fará pellas meſmas partes e havendo impedimento; ſe fara por ſeus herdeiros, ou por outro qualquer modo. Item declarou ſua ſanctidade, que as abſolviçoẽs que por vigor das prezentes Letras, deſpois de ſatisfeita aparte, ſe fizerem de excomunhoẽs, ou Cenſuras Eccleſiaſticas, ab homine latis, & ferendis naon valham a nenhuma peſſoa Eccleſiaſtica, ou ſecular, no foro judicial, mas aſſim o excomungado ſeja por tal havido de todos, em toda aparte, e ſe for Sacerdote, ou conſtituido em Ordens ſacras, em nenhuma parte poſſa dizer Miſſa, nem de qualquer outra maneira ingerirſe nos officios divinos, até que alcanſe do ſeu Juiz abſolviçaom das Cenſuras, que aſſi encorreo. Item concede, que ſe dos fructos licitamente havidos por ſeus beneficios, pro rata contados do tempo, que deixaram de rezar as ditas Horas Ca-

nonicasderem a metade as Igrejas, ou aquais quer outros lugares, Ecclesiasticos, por cuja cauza seram obrigados a rezar as ditas horas, a outra a metade seja inteiramente aplicada para ajuda da sustentaçaon dos ditos lugares, ou se faça composiçaon com o Commissario General, por tal modo, que paga a dita composiçaon, e componente fique desobrigado, ainda da porçam que deveria à Igreja. Item concede sua sanctidade, que se possam compor com o Commissario General, sobre as couzas illicitamente havidas, que por via de usuras forem mal ganhadas, ou por outro qualquer modo mal adquiridas, naon constando dos donos dellas, feita para isso primeiro diligencia pello Commissario General. Item concede se possam compor sobre a metade de todos os Legados, que forem feitos em descargo do mal levado, se os Legatarios per tempo de hum anno forem negligentes em os pedir. Item concede, que se possaon compor sobre os Legados, que estiverem feitos, e se fizerem, durando o dito anno da publicaçam desta Bulla em diante, naon se achando os Legatarios, e feita primeiro diligencia pello Commissario General. Item concede, que o Commissario General possa dispensar sobre a irregularidade de qualquer modo contrahida per aquelles, que estando ligados com quais quer Ecclesiasticas sentenças, censuras, ou penas, celebrarem Missa, ou outros officios divinos com tanto que o naon fizessem em desprezo das Chaves da Igreja de Roma, para que os tais possaon livre, e licitamente ministrar as Ordens que ouverem tomado canonicamente, e possam outro si tirarlhes toda a macula de infamia, e inhabilidade, que disto resultasse; e que elles se possam compor com o dito Commissario General, sobre quais quer fructos Ecclesiasticos, que por este respeito tiverem recebido individamente. Item concede aos que, durando o dito anno, morrerem sem confissam, por cauza de morte subita, de que Deos nos livre, ou falta de Confessor; con tanto, que morram contritos, e antes confessados no tempo determinado pella Igreja, que por confiar nesta graça, nam fossem mais negligentes, alcansem a plenaria remissam atras referida, e que a seus corpos seja dada Ecclesiastica sepultura, naon morrendo elles excomungados, e isto naon obstante qualquer interdito, ainda que esteja posto por authoridade Apostolica. Item concede, que durando o dito anno, em os dias de jejum, assim da Quaresma, como em outros quais quer de todo o anno, possaon de conselho do Medico, e confessor comer carne, e livremente ovos, e couzas de leite, com tal declaraçam, que os que comerem carne, satisfaçam com a obrigaçam do jejum, se guardarem em tudo mais aformado jejum Ecclesiastico. E por quanto sua sanctidade concede à Nos Francisco Correa de Lacerda do Conselho de sua Alteza, seu Secretario de Estado, e Commissario General Apostolico da Bulla da sancta Cruzada, nestos Reynos, e Senhorios de Portugal poder de suspender todas, e quais quer indulgencias, concedidas por sua sanctidade, pella see Apostolica, e por sua authoridade a estes Reynos, e Senhorios de Portugal. Nos uzando do dito Poder, e authoridade Apostolica, suspendemos, e havemos por suspensas, durando o dito anno, todas as semelhantes, e desemelhantes indulgencias, e remissiones de peccados, que aquais quer Igrejas, e mosteiros, Hospitais, Lugares pios, Universidades, Collegios, Confrarias, e pessoas particulares forem concedidas, em os sobreditos Reynos, e Senhorios, ainda, que sejam em favor da Basilica dos Principes dos Apostolos de Roma, e posto que tenhaon alguas clausulas, que façaon contra esta suspensam, de modo que nenhuma pessoa possa gozar, nem ganhar gracas, indulgencias, nem faculdades (tirando as faculdades concedidas aos Superiores das Ordens dos Mendicantes para com os Religiosos das ditas ordens somente) aqual suspensam naon havera Lugar nas pessoas, que tomarem esta Bulla. Naon se poderà publicar em general, ou especial, nem pedir outras esmolas, se naon para ajuda da sustentaçaon, e defensaon destes Lugares de Africa, em todo o dito anno da publicaçam desta Bulla em diante; e isto sob pena de duzentos cruzados applicados para este effeito, e de procedermos contra as pessoas, que o contrario fizerem como nos parecer justiça. E por esta mesma authoridade Apostolica, suspendemos o interdito que houver em qualquer Lugar onde se publicar esta Bulla oito dias antes. Item sua Sanctidade amoesta a todos aquelles, que tiverem em seu poder algum dinheiro, ou algu'ns bens destinados a esta obra, ou algu'ns papeis, ou escrituras, que de alguma maneira seiam pertencentes a este mesmo effeito, que logo os entreguem, e dezembram ao dito Commissario General, ou a seus deputados, tanto que de algum delles tiverem noticia, sob a mesma pena pecuniaria e outras Ecclesiasticas Censuras, das quais os Bispos, e outros Prelados mayores, encorreram na suspensam dos divinos Officios, e interdito *Ingressus Ecclesiarum*, e todas as outras pessoas encorreram ipso facto, em pena de excomunham *latæ sententiæ*. Das quais penas, só pello Romano Pontifice poderam ser absoltas, excepto no artigo da morte. E declara sua sanctidade, que estes tais de nenhuma maneira possam gozar das graças, e beneficios desta Bulla, em quanto elles retiverem em seu poder, sabendo alguma couza das sobreditas; e os que ganharem estas indulgencias, e graças, daram as ditas esmolas, e tomaraon este sumario da Bulla, que levaram com sigo com seu nome neste escrito, e naon o levando por si, ou por outrem, nem se escrevendo nelle o seu nome, lhe naon valerà. E por quanto vos N. destes de esmola oitentareis, alcansais as ditas indulgencias, e podeis gozar de todas ellas na forma sobredita, e querendo vos tambem ganhar o jubileo dos seis mezes, dareis de esmola hum vintem, o qual se hade dar ao Thesaureiro, que dà as Bullas, ou a pessoa por elle deputada, recebendo da sua mam hum escrito impresso, em que se escrevera o nosso nome, e com isto vos he concedido o dito Jubileo, e naon de outra maneira, porque as caixas, que ha nas Igrejas servem sómente das comutaçoens dos votos; Pelloque nos mandamos dar a prezente em LISBOA sob nosso sinal e sello.

SECTIO III.

De nominis Etymologiâ, & Origine Bullæ Cruciatæ.

5. BUlla Cruciata duas voces continet, nempe, *Bulla*, & *Cruciata*, & incipiendo à primâ: Dico, hanc vocem *Bulla* varias habere signi-

significationes, teste Ambros. Calep. *verb. Bulla*: à DD. tamen usurpatur, ad significandum sigillum pendens ex litteris Apostolicis; à quo sigillo litteræ Apostolicæ sumunt Bullæ vocabulum, ut patet *ex cap. licet de crim. falsi*, ibi: *Prima species falsitatis est, ut falsa Bulla, falsis litteris apponatur*, in quibus verbis *falsa Bulla* ponitur pro sigillo. Sic cum Rebuff. Hostiens. & Sot. tenet Rodrig. *in explicat. Bull.* §. 1. *in principio*, Trullench. *ibidem in proœmio dub.* 1. *n.* 1. & alii communiter. Circa hanc Etymologiam, plura videri possunt apud Bard. *part.* 1. *tract.* 1. *cap.* 1. *à n.* 1. Mend. *disp.* 1. *a n.* 14.

6. Dicitur etiam, Bulla plumbea, eo quòd sigillum appensum sit plumbeum, & in eo Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli capita sint impressa. Dicitur etiam plumbea, ad differentiam Brevium, quibus, non plumbum, sed cera annuli Piscatoris sigillo signata, apponitur. Sic Bard. *cit. n.* 3. Bonacin. *tom.* 3. *de censur. in particulari disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 2. *n.* 1. & alii.

7. Circa secundam vocem, videlicet *Cruciata* dico, Bullam hoc sortiri vocabulum, quia continet indulta, gratias, & privilegia illis similia, quæ concessa fuerunt tempore Urbani II. & Innocentii III. omnibus illis, qui pro recuperatione Terræ Sanctæ, contra Turcas ibant pugnaturi, gestantes Crucem rubeam non in pectore, ut eum pluribus existimat Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *punct.* 1. *n.* 2. sed super scapulam dexteram, ut Illescas *in Histor. Pontif. tom.* 1. *l.* 5. *cap.* 15. *in vitâ Urbani* II. post principium; & cum aliis Mend. *supra n.* 19. & ex hac Cruce, qua milites ab aliis distinguebantur, Bulla dicitur *Cruciata*. Alia plura, de hujus vocis explicatione, vide apud Perez de Lara *in compendio trium gratiarum l.* 1. *fol.* 22.

8. Quoad aliud in titulo propositum, nempe de origine Bullæ Cruciatæ: Dico, hanc Bullæ concessionem habuisse initium ab Urbano II. anno Domini 1088. ut ex Azor *tom.* 1. *inst. moral. l.* 5. *cap.* 17. *vers. Totus quoque*, & aliis refert Trullench. *ubi supra dub.* 2. *n.* 5. & ex variis historiis Bard. *supra cap.* 2. *a n.* 2.

9. Non conveniunt tamen DD. in designando Pontifice, qui primus Regi Catholico Bullam concessit pro Regnis Castellæ, & aliorum; nam Trullench. *loco cit.* & Mend. *dict. disput.* 1. *n.* 21. ex Perez de Lara *l.* 1. *fol.* 9. asserunt, primum Pontificem fuisse Julium II. anno Domini 1509. At Bard. *dict. part.* 1. *tract.* 1. *cap.* 3. *n.* 3. putat, primò emanasse ab Alexandro VI. qui ante Julium II. Ecclesiam rexit: quidquid tamen de eo sit.

10. Quoad Portugalliam, prima Bulla Cruciata, quam invenio illi concessam, fuit ab Innocentio IV. pro recuperatione Terræ Sanctæ anno Domini 1246. regnante Sancio II. cognomento Capello. Constat ex Archivo Conventus Sancti Francisci Ulyssiponensis apud Fr. Emmanuelem da Esperança *l. part. Chronicorum* §. 4. *cap.* 35. *n.* 2. Secunda fuit à Clemente IV. anno 1267. ob eundem finem, regnante Alphonso III. Patet ex Archivo Conventus Sancti Francisci de Alenquer, teste eodem Fr. Emmanuele da Esperança *l. part. Chronic. l.* 5. *c.* 39. *n.* 2. Tertia fuit à Calisto III. anno Domini 1457. ob eundem finem per Episcopum Silvensem, regnante Alphonso V. licet ab eodem Rege ex justa causâ in alium gloriosum finem conversa fuerit. Liquet *ex Chronic. hujus Regis cap.* 28. *in principio*. Quarta, fuit à Julio II. ad instantiam Regis Emmanuelis per suum legatum D. D. Didacum de Souza Episcopum Portugallensem, authore Ozorio, *de Rebus Emmanuelis l.* 4. *in principio*. Quinta, fuit à Leone X. anno 1507. ob eundem finem, videlicet ad defensionem locorum Africæ ab eodem Rege Emmanuele impetrata: ut videre est *in Relatione ad Urbanum VIII. per D. D. Antonium Mascarenas Bullæ Commissarium fol.* 11. Sexta, fuit à Gregorio XIII. anno 1578. per biennium, in subsidium Expeditionis belli Africani à Rege Sebastiano exoptati, & infeliciter confecti: *habetur in* 1. *volumine Archivi Bullæ Cruciatæ*, ubi dicitur fuisse hujus Bullæ Commissarium D. D. Alphonsum de Castelbranco, tum temporis in Sede Bracharensi Archidiaconum de Valença. Et de hâc tantum Bullâ ex supra allatis inveni extitisse memoriam in illo Archivo. Hæ omnes Bullæ discontinuatæ pro illis temporibus, & necessitatibus occurrentibus, fuerunt concessæ.

11. Septima (ex qua Concessio continuata fuit) initium habuit à Gregorio XIV. anno Domini 1591. die 12. Aprilis. Et eodem anno, diverso tamen mense, ab eodem Pontifice ad tollendos scrupulos, & dubia emergentia, concessa fuit facultas designandi eleemosynam à singulis erogandam Cardinali Alberto; postea tamen ad Commissarios Generales per successores extensa.

12. Octava, fuit concessa per triennium à Clemente VIII. anno 1592. die 9. Februarii. Nona ab eodem Pontifice, etiam per triennium anno 1598. die 19. Januarii. Decima ab eodem Pontifice, etiam per triennium anno 1604. die 3. Aprilis. Undecima, fuit concessa à Paulo V. per triennium primo: at eodem anno, & mense concessionem Bullæ ad sexennium extendit. Duodecima, fuit à Gregorio XV. anno 1621. die 16. Septembris, etiam per sexennium extensa. Decima tertia ab Urbano VIII. anno 1625. die 10. Junii per sexennium. Decima quarta ab eodem Pontifice, anno 1631. die 11. Februarii ad sexennium. Decima quinta ab eodem Pontifice anno 1637. die 31. Januarii ad sexennium. Decima sexta, ab eodem Pontifice, anno 1643. die Decimâ quintâ Januarii ad sexennium. Decima septima, fuit concessa, & extensa similiter ad sexennium ab Innocentio X. anno 1652. die 22. Junii. Decima octava fuit etiam ad sexennium ab Alexandro VII. anno 1660. die 20. Octobris. Decima nona, fuit concessa ad triennium à Clemente IX. anno 1668. die 14. Augusti. Vigesima fuit à Clemente X. anno 1671. die 10. Septembris ad sexennium. Vigesima prima, fuit ab Innocentio XI. qui nunc Ecclesiam Dei sanctissimè gubernat, cujus extensio, & prorogatio nunc durat, & durabit ad complementum sexennii.

13. A Gregorio XIV. usque ad hoc tempus, Bullæ concessiones fuerunt continuatæ, dummodo excipiamus annos 1659. 1660. 1668. 1677. in quibus interruptionem passæ fuerunt, ob alterationem monetæ in hoc Regno ortam; & per annum 1679. in quo jam designata eleemosyna, Commissarius Generalis pro illa fideijubere noluit; at acceptatis pro fidejussione eleemosinis ex Bullâ acquisitis, sine interruptione continuatur concessio. Hæc, & prædicta ab ipsis Bullarum originalibus; & libris, qui in Archivo Cruciatæ asservantur decerpsi.

SECTIO

SECTIO IV.

Proponitur Bullæ definitio, & explicatur.

14. BUlla sic potest definiri: *Est Diploma quoddam Pontificum sigillo munitum, per quod certæ indulgentiæ, privilegia, & facultates conceduntur, pro spirituali fidelium utilitate.* Primo loco ponitur particula *Bulla* deducta à voce Græca Βουλὴ buli, quæ significat consilium; unde dicitur eubulia, idest: bona consiliatio, de quâ Arist. 6. *Ethicor. cap.* 9. Cùm verò Bullæ Pontificiæ magnâ prudentiâ, & maturo consilio expediri soleant, hoc nomine *Bulla* insigniuntur: Secundò additur: *Diploma Pontificum*, quia sunt litteræ publicæ signo, seu sigillo Pontificio munitæ, & sanctæ, ut videre est apud Nizol. *Verb. Diploma.*

15. Tertio loco adduntur ea, quæ in Bullâ conceduntur: scilicet, *indulgentiæ.* Quid autem sit indulgentia, invenies *infra disput. 7. sect. 1. in principio. Privilegia*; quid verò sit privilegium, *infra dicetur sect.* 8. *Facultas* est potestas exercendi actum, sive sit contrarius juri communi, sive non. *Gratia*, est beneficium à summo Pontifice concessum.

16. Circa hæc adverte primò, indulgentiam non comprehendi sub nomine *privilegiorum* in generalibus Pontificum rescriptis, nisi de illâ proprio nomine mentio fiat. Ratio est, quia indulgentia est quædam relaxatio pœnæ debitæ, & non facultas aliquid agendi, vel non agendi. Item indulgentia est quædam spiritualis eleemosyna ex thesauro Ecclesiæ, Christi, & Sanctorum meritis constante, per dispensationem facta: at eleemosyna non est privilegium, sed purum beneficium alterius rationis. Videatur Soar. *l.* 8. *de legib. cap.* 9. *n.* 11.

17. Secundò adverte, privilegium ab indulto non differre, sed pro eodem usurpari, ut colligitur *ex cap. fin.* & ibi Gloss. *verb. indulgentiam. cap. dudum, cap. ex ore, de privileg.* ut habet cum Roman. Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *punct.* 1. *n.* 4.

18. Tertiò adverte, facultates hoc loco non sumi pro opibus, ut apud Juriscons. *in l.* 50 §. 5. *ff. de stat. liber. & l.* 1. §. *Si Magistratus ff. de Magist. convent.* & alios apud Barbos. *de appell. utriusque juris appell.* 93. Sed pro indultis, privilegiis, & gratiis. Sic Castr. Palao *proximè n.* 5.

19. Quartò adverte. hoc nomen *gratia* multa significare, ut cum pluribus notat Castr. Palao *super cit. n.* 6. Præcipuè tamen sumitur pro beneficio à summo Pontifice collato, *cap. gratia, de rescript. in* 6. *& Clement. gratia, eodem tit.*

20. Ultimo loco definitionis, ponuntur hæc verba: *pro spirituali fidelium utilitate*, qui est finis intrinsecus ipsius Bullæ, qui semper est idem, nempe: utilitas spiritualis fidelium Bullas capientium. Finis autem extrinsecus, ad quem hic non attendimus, vel à quo hic abstrahimus, est congerere pecuniarum eleemosynas in manutentionem, & subventionem locorum Africæ, & classis subsidium in Sarracenos, nostra Maria infestantes.

SECTIO V.

An Summus Pontifex possit Bullam concedere.

21. REsolutio affirmativa est certa, & indubitata, ita Bard. *in Bull. part.* 1. *tract.* 1. *cap.* 4. *n.* 2. Mend. *disp.* 1. *n.* 23. Escob. *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 3. & omnes Catholici. Constat primò, discurrendo per singula, quæ in Bulla conceduntur. Quæ ad quinque capita reducuntur.

22. Primum, *indulgentia.* Et de fide est in Concil. Trident. *sess.* 25. definitum in decret. de indulgentiis, & à Leone X. in Bullâ contra Lutherum, & à B. Pio V. & Gregorio XIII. contra propositiones Michaelis Baii, propos. 60. esse in Ecclesiâ Dei potestatem concedendi indulgentias. Videatur Cardin. Bellarm. *tom.* 3. *l.* 1. *de indulgent.* Henriq. *l.* 7. *de indulgent. cap.* 3. & dicenda *infra disput.* 7. *sect.* 3. *initio.*

23. Secundum: *Facultates delegatæ absolvendi.* Et cùm S. Pontifex sit universalis Ecclesiæ ordinarius, suam jurisdictionem ad absolvendum delegare potest. Sic habetur expressè de omni ordinario *l. more ff. de jurisdict. omn. ind. l. cognitio* §. *cùm propriam ff. de officio ejus, &c. & cap. cùm Episcopus de offic. ordin. in* 6. Sanch. *l.* 3. *de matr. disp.* 31. *n.* 1. Fragos. *tom.* 2. *disp.* 11. *n.* 2. & omnes.

24. Tertium, *gratiæ*, idest, commutationes votorum: Et has potest S. Pontifex delegare, quia in foro externo habet jurisdictionem spiritualem, & omnis illam habens ordinariam, illam potest delegare. Sic Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 49. *n.* 28. Soar. *tom.* 2. *de Relig. tract.* 6. *de voto l.* 6. *cap.* 12. *n.* 14. *fine*, & alii passim.

25. Quartum, *dispensationes in aliquibus legibus Ecclesiasticis:* Et S. Pontifex potest illas condere, quia est Legislator, vel successor illius, qui legem condidit: ergo in illis potest dispensare; & quidem validè, si absque causâ dispenset, & licitè, si ea detur. Sic omnes. Et de S. Pontifice id expressè docet Soar. *de Leg. l.* 10. *cap.* 14. *n.* 4. Salas *ibidem disp.* 20. *sect.* 3. *n.* 16. Basil. Pont. *l.* 8. *de matr. cap.* 5. *n.* 2. & quàm plurimi.

26. Quintum, *compositio bonorum* incerti domini, seu illorum bonorum, quæ Ecclesiæ, pauperibus, aut piis operibus debentur, quorum administratio ad S. Pontificem pertinet, ut latius videbimus *infra disp.* 25. *à n.* 9. Cùm ergo S. Pontifex horum bonorum sit administrator, super illis, compositionem potest concedere.

27. Ex hoc discursu, & inductione rectè sequitur, posse S. Pontificem Bullam concedere; nam si potest singula, & sigillatim concedere, etiam illa simul potest in eâdem Bullâ concedere: à partibus enim ad totum, valet argumentum; ut cum Menoch. & aliis Barbos. *tract. de locis Commun. argum. loco* 82. *n.* 1.

28. Constat secundò, certum esse, posse S. Pontificem, Bullam concedere, quia ex communi illo axiomate Logicorum; ab actu ad potentiam valet argumentatio: Sed S. S. Pontifices ab hinc pluribus annis, ut vidimus *supra à n.* 8. Bullam concesserunt: ergo illam possunt concedere. Hoc fundamentum est validissimum, & declaratur

tur hoc exemplo: Ex eo quòd SS. Pontifices sæpiùs actu dispensarunt super numero Episcoporum in consecratione alicujus Episcopi, rectè arguit Moya *tom. 1. in qq. select. tract. 1. quæst. 9. à n. 24.* esse nefas, temerarium, vel hæreticum dicere, non potuisse dispensare: ergo etiam ex eo, quòd sæpiùs SS. Pontifices actu Bullam concesserunt, nefas, temerarium, vel hæreticum erit dicere, quòd illam concedere non valeant.

29. Antecedens hujus exempli patet ex authoribus, qui testantur de his dispensationibus Henriq. *l. 3. de orat. cap. 24.* Machado *tom. 2. l. 4. part. 6. tract. 2. docum. 6. n. 4. & 5.* Dian. *part. 12. tract. 1. resolut. 31.* Carden. *in disp. select. tract. 1. disp. 15. n. 127. fol. 194.* Avendano *tom. 2. tit. 13. a n. 33.* & novissimè hoc fatetur totum Portugalliæ Regnum, in quo per unum tantùm Episcopum, nempe Illustrissimum DD. Franciscum Ravisa Sidoniæ Archiepiscopum, & ejusdem Regni Nuntium Apostolicum, & per non Episcopos DD. Simonem da Gama hodie Academiæ Rectorem meritissimum, & Algarbiorum electum Episcopum, & D. Emmanuelem de Magalhains Concilii Generalis S. Inquisitionis Inquisitorem dignissimum, fuit ex dispensatione Clementis X. anno 1671. die 24. Maii in templo Cœnobii S. Benedicti hujus civitatis Ulyssiponensis primo loco consecratus in Episcopum Ægitanienſem, vulgo, *Guarda*, illustrissimus DD. Fr. Alvarus de S. Bonaventura, hodie Episcopus Conimbricensis; & secundo loco ex dispensatione ejusdem S. Pontificis in eodem templo, eodem anno, & die, fuit consecratus in Episcopum Brasilienſem Illustrissimus DD. Stephanus dos Sanctos Canonicus Regularis S. Augustini, per dictum DD. Nuntium, & per non Episcopos DD. Prælatum Nabantiensem, Ludovicum Alvares de Taura, & D. Joannem Soares Pereyra in sede Bracharensi Neivensem Archidiaconum.

30. Si ergo ex dictis dispensationibus à SS. Pontificibus concessis circa valididatem dubitare, non licet; quia hoc esset revocare in dubium assistentiam Spiritus Sancti in his, quæ ad fidei conservationem necessaria sunt, ut inquit Moya *cit. n. 28.* Et esset instar sacrilegii, dubitare de dipsensatione, postquam S. Pontifex semel dispensavit, ut notat illustrissimus Montenegro Episcopus Quitensis apud Indos *in suo itinerario sess. 26. fol. 506.* quia esset Christo Domino, quasi exprobare, quòd non satis suæ Ecclesiæ providisset; sic etiam propter easdem rationes, & à fortiori dicendum est, non posse revocari in dubium S. Pontificem posse Bullam concedere.

SECTIO VI.

An Episcopi possint Bullam concedere?

31. CONveniunt D. D. Episcopos non posse Bullam concedere secundùm omnia privilegia, & indulta, sub quibus S. S. Pontifices illam concedunt, cùm non habeant tantam jurisdictionem, & potestatem.

32. Procedit quæstio, an Bullam concedere queant juxta jurisdictionem, & facultates, quas habent elargiendi indulgentias, de quibus *infra disp. 7. sect. 3.* & absolvendi ab aliquibus reservatis, de quibus *disput. 15.* & commutandi, & dispensandi vota non reservata &c. In hoc sensu, negant Episcopis hanc potestatem cum onere solvendi unum, vel alterum argenteum à suis subditis titulo eleemosynæ, Navarr. *l. 5. de panit. IV. & remission. consil. 18. à n. 1. usque ad 5.* Rodrig. *in explic. Bull. in addit. ad §. 1. n. 2.* Idem tenet Bard. *part. 1. tract. 1. cap. 4. n. 6.* Licèt *n. 12.* asserat, id posse, si aliquâ regione vigeat consuetudo.

33. Moventur primò, quia concessio prædictarum facultatum datâ pecuniâ, etiam in opus pium, est simoniaca, jure humano prohibita, *in cap. ex multis 1. quæst. 3.*; ergo nunquam licet, pro re spirituali recipere temporale, quale est pecunia. Ut docent Soar. *l. 1. de relig. cap. 20. num. 13.* Filliuc. *tract. 45. cap. 4. conclus. 2.* Sanch. *l. 2. Consil. cap. 3. dub. 17. conclus. 2.* Bonac. *tom. 1. de simon. quæst. 3. §. 17. vers.* Tertiò, prælati & alii.

34. Secundò moventur, quia in *ult. de pactis*, *cap. Jacobus de simonia. cap. ad nostram eodem tit.* & in Concil. Trident. *sess. 22. cap. 3. & sess. 24. cap. 6. de reform. & sess. 25. cap. 18. de reform.* prohibetur aliquid recipi pro dispensationibus, cùm gratis fieri debeant: at in prædictâ Bullæ concessione, continentur dispensationes.

35. Tertiò moventur, ex constitutione B. Pii V. quæ habetur *in. 2. tom. Bullarii*, & est 99. fol. 228. & incipit: *Quàm plenum* in quâ prohibetur quibuscumque prælatis aliquid recipere pro indulgentiis publicandis, pro facultate eligendi confessarium, qui à reservatis absolvat, & pro nonnullis aliis privilegiis ibi recensitis, & assignat rationem, quia hæc redolent labem simoniæ.

36. At alii defendunt, posse Episcopos Bullam concedere cum aliquibus limitationibus: Ita Henriq. *l. 7. de indulgentiis cap. 31. n. 1. in comment. lit. C.* cum limitatione, nempe, quòd concessio fiat in locis distantibus, ut in Hispaniâ, & Indiis, ubi est necessitas, & non facilis ad Pontificem aditus. Idem Trullenchin. *proæm. Bull. dub. 2. n. 4.* cum triplici limitatione; prima, ut Pontifex non concesserit Cruciatam; secunda, ut ingens urgeat necessitas; tertia, ut pecunia, quæ pro Bullâ erogatur, non convertatur in commodum Episcopi, Bullam concedentis, sed in aliqua pia opera.

37. Absolutè tamen eam facultatem dari in Episcopis, docent Perez de Lara *in l. 1. trium gratiarum fol. 13.* Basil. Legion. *in explic. Bullæ manuscript. cap. 1. n. 11.* quos refert, & sequitur Mend. *disp. 1. n. 25.* Fundantur; quia in concessione hujus Bullæ nulla apparet contradictio, nec Episcopi suam excedunt potestatem, nec etiam deerit justa causa, ut supponimus: ergo ex nullo capite repugnat hujusmodi concessio, ut clarè apparebit ex solutione eorum, quæ ex oppositis adducuntur.

38. Horum authorum sententiam judico probabiliorem: Ratio est, quia si talis non esset, non fuisset deducta ad praxim; cum ergo per aliquas vices ad praxim sit deducta, dicendum est, probabiliorem esse: quia in negotio tanti momenti, certum est, viros doctos fuisse consultos, & dictis concessionibus subscripsisse. Do-

inde etiam videtur certum, has concessiones innotuisse S. Pontifici, & scimus ab illo, illas non fuisse prohibitas: nam si essent, nobis non lateret.

39. Quòd verò hæc opinio sit deducta ad praxim, constat primò ex Henriq. *loco cit.* asserente anno 1571. ad instantiam Regis, Episcopos concessisse Bullas quasdam ferè similes Cruciatæ, circa peccata, & censuras Episcopo reservatas, & compositionem pro incertis.

40. Constat secundò ex Perez de Lara *cit. fol.* 94. referente DD. Didacum de Espinosa Cardinalem, & Episcopum Siguntinum anno 1570. cum pluribus Episcopis Regnorum Hispaniæ, instituisse, & concessisse quandam Bullam, quam nuncupavit: *Carta y Bulla de hermandad, y confradia de nuestra S. fe Catholica.* In quâ omnes illis Præsules pro suis Diœcesibus concesserunt, ex suâ ordinariâ jurisdictione, multa privilegia & indulgentias, ut videre est in eâdem Bullâ, quam refert idem Lara. Et ex eleemosynâ pro Bullâ elargitâ, quæ fuit duorum regalium Hispanorum, non minorem summam, quàm ex Bulla Cruciatæ solitò acquisitam, congesserunt, in subsidium Belli contra Mauros Granatenses, rebellionem committentes.

41. Nec satisfacit Bardi *cit. n.* 13. inquiens hoc fuisse, vel ex concessione S. Pontificis, vel ex consuetudine legitimè introductâ; quia nec primum, nec secundum convincunt: non primum, quia de tali concessione non constat; deinde æque facilè erat Pontifici Bullam concedere, ac illam concessionem impertire: si ergo Bullam non concessit, nec etiam licentiam expedivit.

42. Secundum etiam non convincit, quia ab authoribus citatis solùm numerantur duo actus, in quibus Episcopi Bullam concesserunt, nempe: anno 1570. & 1571.: unus autem, vel alter actus non sufficiunt ad consuetudinem legitimam introducendam, ut liquet *ex l. item apud Labeonem §. aliud est. ff. de jurejurando.* & DD. Soar. *de legib. l. 7. cap. 10. n. 3.* Bonac. *tom. 2. disp. 1. de leg. quæst. 1. punct. ult.* Salas *ibidem disp. 19. sect. 8. n. 71.* Basil. Legionens. *l. 6. de matr. cap. 6. n. 1.* quos refert, & sequitur Castr. Palao *tom. 1. tract. 3. disp. 3. punct. 2. §. 3. num. 3.*

SECTIO VII.

Dissolvuntur fundamenta contraria.

43. AD primum *n.* 33. respondeo, in concessione Bullæ, pro illâ determinatâ eleemosyna, non intervenire Simoniam, jure humano prohibitam, sicut etiam non intervenit, in concessione Bullæ factâ à S. Pontifice; non enim, quando illam concedit, in aliquo dispensat; Sic Mend. *cit. n.* 29.

44. Nec textus *in cap. ex multis*, oppositum suadet, quia ibi sermo est de adeptione beneficii, & prohibetur pro ejus impetratione, aliquid in utilitatem fabricæ Ecclesiæ, aut pauperum conferri, quod cùm sit in materiâ beneficiali, in sacris canonibus specialiter prohibitum, ad alias materias non debet extendi: alias extenderetur ad voti commutationem, & dispensationem, & similia, quæ sunt actus jurisdictionis spiritualis; & tamen non extenditur, ut ex sequenti responsione plenè patebit.

45. Ad secundum *n.* 34. deductum ex variis juris canonici textibus, & locis Trident. respondeo, *cap. ult. sen fin.*; *& cap. Jacobus*, solùm excludere pactum, & prætium pro re spirituali: at privilegia, & indulgentiæ in Bullâ concessæ, non pro prætio, aut pro alio temporali, super quæ fiat pactum, aut conventio, conceduntur, ut *supra* dictum est.

46. Addo, non dari simoniam in concessione indulgentiarum, quæ ab Episcopis possunt concedi; quia illas non concedunt pro re temporali, sed indulgentias proponunt, ut homines, spe illas obtinendi, alliciantur ad dandam eleemosynam in opus pium, vel publicam necessitatem; & hoc non est Simonia, ut rectè ostendit Mend. *cit. n.* 30.

47. Ad textum *in cap. ad nostrum*, & loca Concil. Trid. ubi dicitur dispensationes gratis fieri debere, respondeo per ea verba solùm intendi, ne pro aliquâ re temporali, tanquam pro pretio, concedantur: non verò id tollit, quòd possit Episcopus, absque labe Simoniæ, dispensare vota, in quæ habet potestatem, imponendo onus elargiendi eleemosynam pauperibus, vel operibus piis: nam ut docet Castr. Palao *tom. 1. tract. 3. disp. 6. punct. 9. n. 1.* cum Soar. *l. 6. de legib. cap. 16. in principio, & cap. 18. fine, & tom. 1. de relig. tract. 3. l. 4. de Simon. cap. 20. n. 11. & 12.* potest habens potestatem dispensandi in votis, imponere aliquam multam pecuniariam, vel onus personale dispensandis; quia tunc ipse dispensans, illam non imponit, sed ipse dispensandus sibi illam imponit; & idem asserit, quando justa causa non datur dispensandi, nisi positâ illâ multâ pecuniariâ, & ex illâ sufficiens causa dispensandi, resultat; & hanc esse doctrinam communem, tenet cum Soar. Lessio, Raphael da Torre, & Basil. Legion. Mendo *supra n.* 29.

48. Imo, non desunt D.D. censentes, posse Episcopos non solum in illis dispensationibus, ad quas habent potestatem, sed etiam in illis, quæ attingunt ad aliquam Legem Ecclesiasticam, v.g. jejunii, vel laborandi diebus festis, aliquod onus imponere temporale, ut videre est apud Castr. Palao *supra cit. n.* 5. Dian *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 22. Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 14. *n.* 2. qui hanc opinionem dicunt probabilem, quanvis oppositam tueantur, & illam defendunt Sylvest. Armill. Fabiena, Angel. & alii apud Dian. *proximè.*

49. Et quoad dispensationes, pro laborantibus diebus festis, stat etiam Soar. *tom. 1. de relig. l. 2. cap. ult. n.* 10. Quintanaduenàs *tom. Moralis Theol. ad quinque Eccles. præcep. tract. 1. singul. 9. n. 6.* & apud illum Trullench. *l. 3. de cal. cap. 1. dub. 6. n. 12.* & alii, & colligitur *ex cap. Licet, de feriis*, ubi conceditur diebus festis laborare, præterquam in majoribus anni solemnitatibus, & additur: *Ita quòd post factam capturam Ecclesiis circumpositis, & Christi pauperibus congruam faciant portionem.* Videatur etiam noster Cabed. *part. 2. decis. 54. n. 7.* Monet. *de decimis cap. 4. n. 21.* Si ergo Episcopi ex dispensationibus in legibus Ecclesiasticis, possunt eleemosynas locis piis designare, à fortiori poterunt in iis, in quibus plenam habent jurisdictionem.

50. Ad

50. Ad tertium deductum ex Const. B. Pii V. apud Cherub. *loco cit.* Constat legenti eandem constitutionem, illam non esse contra nos, nam casus ibi propositus, erat satis scandalosus, & B. Pontifex in illâ, jure optimo prohibet accipere pretium pro publicandis indulgentiis, & absolutione à reservatis, quocunque prætextu: at ut ex dictis patet, nostra quæstio de his non procedit.

51. Restat, ut respondeamus ad limitationes Henriq. & Trullench.; ad illam Henriq. affirmantis, posse Episcopos concedere Bullam in locis distantibus, & non aliàs; respondeo, non dari majorem rationem cur in distantibus, & non in non distantibus, eam queant concedere: cùm in illis, & in istis eandem habeant jurisdictionem, & potestatem.

52. Ad primam limitationem Trullench. *n.* 36. concedentis, posse Episcopos Bullam impertiri in casu, quo S. Pontifex illam non concesserit; respondeo cum Mend. *n.* 26. etiam in eo casu, illam posse Episcopos concedere, si Pontifex illam non deroget, aut prohibeat; quia adhuc suam retinent jurisdictionem. Displicet tamen Mendo dicens *loco cit.* Episcopos suam expediisse Bullam eo anno, quo B. S. Pontifex Pius V. illam concesserat, nam eo anno ab eodem B. Pontifice Bulla Cruciatæ erat suspensa, ut videre est apud Laram *cit. fol.* 94. quod etiam notavit Bardi *ubi supra n.* 13.

53. Alias duas limitationes adductas à Trullench. dicto *n.* 36. admitto; quia omnes concedimus secundam, nempe requiri urgentem causam ad dictam Bullam. Tertia verò est admittenda, quia id sanè videtur prohiberi à B. Pio V. in allata Const. *n.* 33. quæ incipit, *Quam plenum*, ibi §. 1. *Et ne talia de cetero, a quoquam fiant, publicentur, vel concedantur, districtius prohibemus.* Et in aliis juris locis citatis *n.* 34. & tenent D. D. à Mendo citati; qui id rectè probat; quanvis alterat, dictos Episcopos sibi temporalia accipientes, præcisa prohibitione, culpam non committere simoniæ, sed contra præceptum. Cùm verò & detur præceptum, & prohibitio, ut ex citatis verbis constat, si Episcopi sibi temporalia accipiant, ea acceptio labem redolet simoniæ, ut dicitur *in citata Const.* ibi: *Etiam simoniæ pravitas redoleat.*

54. Cùm Bulla Cruciatæ tot privilegiis constet, conveniens est, ut aliqua de privilegiis attingamus. Privilegium definitur: *Privata lex aliquod speciale beneficium concedens.* Sic habetur *in cap. privilegia d.* 3. *& cap. in his, de privileg.* Ex hâc definitione colligitur, beneficium propriè loquendo differre à privilegio, quanvis utrumque sit benignè à Principe concessum, & aliquando confundantur. Differunt enim in eo, quòd beneficium sit gratia, seu facultas à Principe collata præter, non verò contra ipsum jus. At privilegium est facultas, faciendi aliquid, vel aliquid omittendi, non tantùm præter, sed etiam contra id jus, nempe: contra Leges Canonicas, vel civiles. Ita communiter D. D. *in cap. olim, de verbor. signif.*

55. In varias dividitur privilegium species, tum à jure, tum à D. D. Videatur Barbos. *in collect. ad tit.* 33. *de privil. & excess. privileg.* Attamen ad rem præsentem, dividitur in personale, reale, & mixtum. Privilegium personale illud dicitur, quod ratione personæ concedi-tur, ipsique immediatè inhæret: v. g. quod conceditur Petro.

56. Reale est, quod conceditur personæ respectu rei, loci, officii, seu dignitatis, & his annectitur, & non personæ immediatè: v. g. privilegium quod conceditur respectu prælationis pro expensis in funere factis, vel mutuum dantis ad navis, vel domus refectionem. Sic Azor *l.* 5. *cap.* 22.

57. Mixtum est, quod ex personali, & reali participat, quod scilicet alicui individuo conceditur ratione ætatis, sexûs, aut ex certâ & determinatâ causâ; v. g. quod conceditur minoribus 25. annis, ut in integrum possint restitui, & alia apud D. D.

58. Privilegium personale subdividitur in illud quod tantum conceditur singulari personæ, & in jure vocatur absolutè privilegium, *cap. volentes de offic. de Legat.* Si verò concedatur personis, non ut singulis, sed ut constituentibus unum corpus morale, seu unam communitatem, dicitur privilegium corporale. Et hoc etiam subdividitur in duas species: prima est, quando ita conceditur communitati, ut descendat ad singulas personas, quæ sunt membra illius communitatis: qualia sunt, quæ conceduntur Religiosis, Clericis, Militibus, Scholasticis, &c. Si verò ita conceditur alicui communitati, ut non descendat ad singulos illius communitatis, est secunda species, & dicitur privilegium purè corporale. Et hujusmodi sunt, quæ conceduntur capitulis, & aliis congregationibus, & conciliis in electionibus faciendis; quia tamen respicit dignitatem, & unionem multorum, ab aliquibus vocatur privilegium reale, ut videre est apud Salas *de legib. tract.* 14. *disp.* 17. *sect.* 2.

59. Etiam dividitur privilegium in purum, & conventionale: hoc dicitur, quod ex conventione, & pacto conceditur: illud autem, quod omni pacto, & conventione caret. Exemplum secundi est, quod conceditur virtute Bullæ; primi verò, quod alicui conceditur, ad habendum oratorium privatum. Hæc ad Bullæ expositionem sunt satis.

SECTIO IX.

An privilegia Bullæ sint personalia, realia, aut mixta?

60. Respondeo, esse mixta, quia ex locali, & personali participant: participant ex locali, quoad Bullæ acceptationem, ut enim fideles illius privilegiis gaudeant, necesse est, ut Bulla in his Regnis, vel in terris dominio Regis nostri subjectis accipiatur, ut constat ex Bullâ Latinâ, ibi: *Commorantes, atque degentes:* & à Bullæ extensione à Paulo V; & aliis Pontificibus factâ, ibi: *Et locis ejusdem Portugalliæ & Algarbiorum Regis dominio temporali subjectis commorantibus, & ad illa declinantibus &c.* Si ergo fideles in his Regnis, & terris subjectis, non commorentur, nec ad illa declinent, licèt Bullam accipiant, illius privilegiis, uti non valebunt; quia quoad hanc Bullæ acceptationem, privilegium est locale. Aliqua tamen in nostrâ Bullâ datur exceptio, de quâ *disp.* 3. *Sect.* 5.

61. Et participant Bullæ privilegia ex personali; quia personam sequuntur, & illi directè præstantur, ut ex iisdem verbis apertissimè liquet, & cum illâ extinguuntur, *cap. privilegium, de regul. jur. in 6.* & D. D. apud Barbos. *de axiomat.* 190. *n.* 5. ergo ubicunque fuerit persona, illis uti valet, ut tradunt Soar. *de Leg. l.* 8. *cap.* 10. & 11. Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 4. *punct.* 6. *n.* 1.

62. Dices primò: Privilegia Bullæ Hispanæ, etiam sunt mixta, quia eodem modo, & verbis conceduntur; ut asserit Mend. *disp.* 3. *n.* 9. & Bard. *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 3. *n.* 7. & esse absolutè personalia, docet Tambor. *tract. de Bull. cap.* 1. §. 2. *n.* 1. & apud illum Henriq. & Rodrig., aliique: & tamen non licet Hispanis suam Bullam habentibus, extra Hispaniam, & alia loca in quibus ea Bulla publicatur, comedere ova, aut lacticinia in diebus quadragesimalibus, nec in illis, aut temporibus jejuniorum totius anni, carnes de concilio utriusque medici, ut cum Villalob. Basil. legim. Henriq. Soar. tenet. Mend. *supra. n.* 6. & Tambor. *proxime*: ergo etiam quanvis privilegia nostræ Bullæ sint personalia, non licebit personæ habenti Bullam, ubicunque fuerit, illis uti.

63. Respondeo negando consequentiam: dispar ratio est, quia in Bullâ Hispanâ datur exceptio, & restrictio ad prædicta comedenda extra Hispaniam, & loca ubi ea Bulla publicatur, per hæc verba: *Item, ut dicto anno durante, in omnibus, & singulis Regnis, insulis, locis (& non extra illa) carnibus de consilio utriusque medici temporibus totius anni, etiam quadragesimalibus vesci, ac procerum libito ovis, lacticiniis &c.* At in Bullâ Lusitanâ in concessione hujus privilegii ea non ponitur exceptio, aut restrictio, sed absque illâ, absolutè conceditur: cum verò S. Pontifex eam exceptionem in Bullâ Lusitanâ non apposuerit, privilegium intelligendum est, esse concessum pro omni loco, quanvis in eo Bulla Lusitana non publicetur. Si enim S. Pontifex aliud vellet, id exprimeret, præsertim cum sit regul. juris 55. *Contra eum, qui legem apertiùs dicere potuit, est interpretatio facienda*; & consentiunt Soar. de Legib. *l.* 8. *cap.* 26. *n.* 2. Bonac. *tom.* 2. *disp. l. de leg. q.* 3. *punct.* 5. *n.* 1. Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 4. *n.* 1.

64. Quare non est audiendus Abreus de Paroch. *l.* 10. *n.* 514. *fine*, explicans Bullam Lusitanam, & non advertens ad verba illius, convenit cum expositoribus Bullæ Hispanæ, privilegium personale, quoad esum carnium, ovorum, & lacticiniorum, temporibus quadragesimalibus non habere locum in territorio alieno. Cæterum si hic P. Lusitanus, & doctissimus ad id non advertit, id tamen non effugit Mend. qui *disp.* 18. *n.* 11. juxta Bullam Lusitanam, nobiscum annuit.

65. Dices secundo: P. Mend. *disp.* 3. *n.* 7. Trullench. *in exposit. Bullæ l.* 1. §. 1. *dub.* 5. *n.* 4. *Villal. tom.* 1. *tract.* 27. *in tit. n.* 3. autumant, exceptionem, & restrictionem in Bullâ Hispanâ factam ideirco fuisse, ut evitetur scandalum in illis locis, in quibus nefas est eo tempore illis cibis uti; sed Lusitani etiam tenentur scandalum evitare in iisdem locis: ergo quanvis privilegium Bullæ Lusitanæ sit absque illâ restrictione, observandum est, ac si illam haberet, ut vitetur scandalum. Respondeo: In iis locis potest cessare scandalum, quoad Lusitanum, quia ab illo possunt incolæ edoceri, se ipsum habere Bullam, quæ illi privilegium concedit edendi ova, & lacticinia ubique terrarum: at Hispanus juxta suam Bullam, hoc non potest uti remedio, quia sua Bulla restringit privilegium ad loca Hispaniæ; & extra illam, & loca, ubi Bulla publicatur, cessat id privilegium.

66. Quare puto contra citatos D. D. non ut evitetur scandalum, positam fuisse eam restrictionem in Bullâ Hispanâ, nam hoc rectè evitatur cum manifestatione privilegii, sed posita fuit, ut Hispani, aut Itali dominio Hispano subjecti iter facientes per Italiam, aut alia loca, ubi abstinentia ab ovis, & lacticiniis in quadragesimâ rigidè observatur, illam cohærenter observent: Cùm verò Lusitani id iter per ea loca rarò conficiant, necessaria non fuit ea restrictio. De hoc iterum redibit sermo *disp.* 22. *sect.* 10. in quâ disp. de hoc agitur privilegio.

SECTIO X.

An privilegia Bullæ sint amplè, an strictè interpretanda?

67. HÆc quæstio agitari solet in eo sensu, in quo majus patitur dubium; nempe; quando privilegia sunt contra jus commune, ut audire Missam tempore interdicti, comedere ova, & lacticinia diebus vetitis: nam quando privilegia non sunt contra, sed præter jus commune, & in nullius cedunt præjudicium: conveniunt DD. privilegia Bullæ esse amplissimè interpretanda, ex regula juris, *Odia, de regul. jur. in 6.*

68. In sensu propositô duæ circumferuntur sententiæ. Prima tenet, esse strictè interpretanda, & non extendenda ultra propriam verborum significationem: Sic expressè Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 2. *n.* 7. Rodrig. *in Bull.* §. 9. *n.* 38. & 39. *& in qq. regul. tom.* 1. *q.* 11. *n.* 9. Ægid. Trullench. *in exposit. Bull. in proam. dub.* 4. *n.* 3. Fragos. *tom.* 2. *regimin. reip. Christian. disp.* 7. *n.* 2. Escobar. *in Theolog. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 8. Bard. *in Bull. part.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *n.* 3. pro hâc etiam sententiâ citatur Navarr. *l.* 2. *Consil. tit. de jurejurand. cons.* 3. *in* 2. *edit.*; *& cons.* 1. *in* 2. *edit. n.* 6. Videatur Bard. *cit. n.* 1. qui in gratiam Sanch. eundem Navarr. pro hâc sententiâ citantis, defendit hanc tenuisse sententiam, contra Soar. & alios, qui pro oppositâ illum citant.

69. Probant primò *ex cap.* 1. §. *ille verò, de filiis presbyt. in 6.* quòd strictè sint interpretanda, ex eo quòd exorbitent à jure communi, ut advertunt universi DD. apud Sanch. *l.* 8. *de matrim. disp.* 1. *n.* 3. Unde quando illegitimus dispensatur absolutè ad ordines, solùm intelligitur dispensatus ad ordines minores: sed aliqua Bullæ privilegia exorbitant à jure communi: ergo strictè sunt interpretanda.

70. Probant secundò; quia privilegium contra jus commune concessum privatis personis, est strictè interpretandum, ut tenet Sanch. *cit. n.* 13. & constat *ex cap. si cui nulla, de prebend. in 6.* ubi privilegium providendi beneficia ad sedem Apostolicam spectantia, concessum Episco-

po

po Pictanienſi, dicitur expiraſſe, ſi ad perſonas privatas erat conceſſum; quia cùm eſſet contra jus commune, & ad perſonas privatas, ſtrictiſſimè erat interpretandum: ſed aliqua Bullæ privilegia, ſunt contra jus cummune, & conceſſa particularibus perſonis: ergo ſunt ſtrictè interpretanda.

71. Secunda ſententia aſſerit, privilegia Bullæ eſſe amplè interpretanda: Sic Henriq. *l. 7. de indulg. cap. 30. in principio.* Ludovicus Lop. 2. *part. inſtruct.* ubi de clavibus *cap. 9.* (qui non bene citantur pro primâ ſententia à Trullench. ſupra) Villal. *tract. 27. n. 7. in fin.* Soar. *tom. 2. de relig. l. 6. cap. 16. n. 3.* Dian. 1. *part. tract. 11. reſol. 98.* Caſtr. Palao *tom. 1. tract. 3. diſput. 4. punct. 11. n. 7.* Meroſ. *tom. 2. diſp. 4. cap. 6. dub. 2. corol. 3. n. 91.* Dian. 1. *part. tract. 11. reſol. 98.* Mend. *diſp. 1. n. 46., & in appendix. diſp. 1. cap. 1.* In eandem ſententiam videtur inclinare Tambor. *tract. de Bull. cap. 1. §. 3.*, quamvis in fine §. dicat, utramque eſſe probabilem. Hanc ſententiam exiſtimo probabiliorem, illamque declaro, & probo per ſequentes concluſiones.

72. Dico primò: Privilegia Bullæ, ſi ſpectentur, prout continent poteſtatem diſpenſandi, commutandi, abſolvendi, &c. amplè ſunt interpretanda. In hoc conveniunt authores primæ, & ſecundæ ſententiæ, ut videre eſt apud Rodrig. *cit.* Trullench. *n. 4.* Bard. *n. 6.* qui in hac concluſione conſentiunt. Ratio eſt, quia hæc poteſtas nulli affert præjudicium, niſi ipſi eam concedenti, ut rectè notat Sanch. *l. 8. de matr. diſp. 2. n. 1.*, & cùm ſit beneficium Principis latè eſt interpretandum.

73. Dico ſecundò: Privilegia Bullæ, quæ ſunt contra jus commune, & actualem involvunt diſpenſationem, ſeu relaxationem juris, amplè ſunt interpretanda. Hæc concluſio eſt contra authores primæ ſententiæ; illam tamen defendunt citati pro ſecundâ. Prima ratio eſt, quia privilegia, quæ in nullius cedunt præjudicium, latè ſunt interpretanda, *cap. olim de verbor. ſign. fin.* tum quia beneficium Principis amplam admittit interpretationem *l. Beneficium ff. de conſtit. Princip.* tum etiam, quia favores, vel gratiæ ſemper ſunt ampliandæ, *Hoc modo ff. de condit. & demonſtr. l. cum quidem ff. de liberis, & poſthum., & ex reg. Odia reſtringi, favores convenit ampliari. de regul. jur. in 6.* Sed Bullæ privilegia in nullius cedunt præjudicium, ſunt beneficium Principis, favores, & gratiæ: ergo quantùm verborum proprietas patitur, ſunt latè, & amplè interpretanda.

74. Secunda ratio, quia privilegium motu proprio conceſſum, latè eſt interpretandum, ut cum Surd. Camill. Borel. tenet Barboſ. *tract. de clauſul.* 79. ſed privilegia Bullæ ſunt conceſſa motu proprio, ut conſtat ex Bullâ Pauli V. initio hujus operis adducta, & *ſupra cit. n. 12. ibi: Juſtis, & gravibus de cauſis adductis, motu proprio, & ex certa ſcientia, maturaque deliberatione noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ad ſexennium à data præſentium noſtrarum litterarum inchoandum, extendimus, & prorogamus, nec non &c.*; quæ Bulla à ſucceſſoribus, & à ſanctiſſ. Innocentio XI. prorogatur, & extenditur: ergo privilegia in Bullâ contenta latè ſunt interpretanda. Et quamvis hic motus proprius videatur cadere ſurpra extentionem ad ſexennium, etiam aliquo modo, videtur ſupra ipſa privilegia cadere.

75. Tertia ratio: privilegia, & beneficia conceſſa in favorem fidei, Religionis, & cauſæ piæ ſunt latiſſimè interpretanda, ut tradit Quintanaduenâs *tom. 1. tract. 8. ſingul. 15. n. 6.* & apud ipſum Caſtr. Palao *tom. 1. tract. 3. diſp. 4. punct. 10. n. 5.* Sal. *de leg. diſp. 14. ſect. 8. n. 52. & ſect. 6. n. 44.* Soar. *l. 8. de leg. cap. 27. n. 7.* Sanch. *l. 8. de matr. diſp. 1. n. 13.* Rodrig. *in qq. regul. tom. 1. q. 11. art. 6.* Oldrad. *conſ. 300. n. 4.* Henriq. *l. 7. de indulg. cap. 2. n. 3. & cap. 24. n. 4.* & alii: ſed privilegia Bullæ Cruciatæ ſunt conceſſa pro manutentione locorum Africæ, & in ſubſidium Claſſis contra infideles, & in favorem cauſæ piæ; ergo latiſſimè ſunt interpretanda.

76. Dico tertio: Non ſolùm privilegia, ſed etiam indulgentiæ in Bullâ contentæ ſunt latè interpretandæ: Ita Soar. *tom. 4. in 3. part. diſp. 56. ſect. 2. n. 8.* Mend. *dicta diſp. 1. an. 49.* Quintanaduenâs *in appendice tom. 1. tract. 2. dub. 4. fine.* Gloſſ. *in Clement. unic. de Relig. & venerat. Sanctorum, Verb. confeſſio,* Sylveſt. *verb. Indulgentia. num. 8. 20, & 22.* Angel. *eodem verbo n. 2.* Henriq. *l. 7. cap. 30. n. 9.* Nunûs *quæſt. 27. art. 4. diff. 3.* Bonac. *tom. 1. diſp. 6. q. 1. punct. 6. n. 1.* (quidquid in oppoſitum ſentiat Trullench. *in Bullæ proœmio dub. 4. n. 7.* cum Navarr. Reginald. & Henriq.; quid tenet *loco cit. n. 8.* quoad aliquos actus: at Trullench. hoc etiam moderatur *n. 8.*

77. Probatur noſtra concluſio primò rationibus *ſupra* allatis. Secundò, quia indulgentiæ non ſunt contra jus commune, nec in præjudicium tertii, & Deo per illas fit integra ſolutio ex infinitis Chriſti meritis: nec inde periculum ſubeſt, ut Theſaurus Eccleſiæ exhauriatur; nec quòd S. Pontifex non ſit fidelis diſpenſator; licèt ex alieno debita alterius ſolvat, id enim ex authoritate Chriſti gerit: ergo nulla apparet ratio, quare non ſint amplè interpretandæ.

SECTIO XI.

Fundamenta primæ ſententiæ ſoluta.

78. NEc fundamenta primæ ſententiæ oppoſitum ſuadent: non primum deductum ex illo *cap. 1.* quia reſpondeo, diſpenſationem, & privilegium illius textus fuiſſe conceſſum perſonæ privatæ, & expreſſæ, ut conſtat ex ipſo textu, ibi: *ille verò, cum quo per ſedem diſpenſatur*; & cùm ea diſpenſatio, & privilegium à jure exorbitaret; ſtrictè erat interpretandum, ut textus ſtatuit, & DD. docent: At privilegia, quæ in Bullâ continentur, non uni tantùm perſonæ conceduntur, ſed omnibus Chriſti fidelibus, illam ſumentibus, qui ſunt una quaſi communitas, & non quædam perſona determinata, & conceſſio eſt ob defenſionem locorum Africæ contra infideles, & propter cauſam piam: quæ cauſa in privilegio illius textus non invenitur.

79. Non ſecundum, *ex cap. ſi cui nulla*; quia reſpondeo, ut proximè; quia Pontifex Boniſacius VIII. in eo textu inquit non expiraſſe gratiam, quando perſonæ in eo privilegio non ſunt expreſſæ; & expiraſſe, ſi expreſſæ fuiſſent: quia ſi eſſent expreſſæ, tunc privilegium erat

strictè interpretandum, utpotè contra jus commune: at privilegia Bullæ non sunt ad personas expressas, ac proinde non strictè, sed amplè sunt interpretanda. Videatur Castr. Palao *tom. 1. tract. 3. disp. 4. punct. 11. n. 5. & 7.*

80. Nec etiam est contra nostram sententiam textus *in cap. cùm dilectus, de consuetudine*, adductus à Bardi *dict. n. 3.* quia respondeo cum Mend. loco *supra cit. appendicis*, in eo textu non esse sermonem de aliquâ dispensatione, per quam jus commune vulneretur, sed de electione quâdam ab Abbate monasterii Andrenensis factâ, quam S. Pontifex Innocentius III. ibi cassat, eo quòd à suspensis, & circa personam suspensam fuerat attentata; & postmodum illam committit aliis judicibus, si consuetudo non sit in contrarium pro cœnobio Karosenensi introducta: si verò consuetudo est amplectenda, quando datur præjudicium tertii, qui consuetudinem, & privilegium habet eligendi, etiam à fortiori privilegia Bullæ, quæ in nullius sunt præjudicium, amplè sunt interpretanda. Nec in eo capite aliud apparet, quod oppositum suadeat, aut convincat.

SECTIO XII.

Quis possit Bullam Cruciatæ interpretari?

81. SUppono interpretationem non esse aliud quàm declarare legem aut privilegium ad aliquem casum esse, vel non esse extensum. Est duplex, una juridica, & authentica, & altera doctoralis. Prima eandem vim habet, ac ipsa lex, seu privilegium; secunda non ita. Hoc supposito, quantùm ad præsentem quæstionem necesse est.

82. Dico primo: Bulla Cruciatæ potest interpretari ab eo, qui illam concessit. Unde solus S. Pontifex jure ordinario, & ex officio potest privilegia, & indulta in Bullâ Cruciatæ concessa juridicè, & authenticè interpretari. Ratio est, quia ejus est interpretatio, cujus est legem, aut privilegium condere, *cap. inter alia, de sentent. excommun.* ibi: *Unde jus prodit, interpretatio quoque procedat. cap. cùm venissent de judic.* Et tenent D. D. Juristæ apud Barbos. *in tract. de Axiomat. juris, axiom.* 130. & Theologi communiter Soar. *de leg. l. 6. cap. 1. n. 2.* Salas *ibidem disp. 21.* Laym. *tract. 4. cap. 18. n. 1.* Castr. Palao *tom. 1. tract. 3. disp. 5. punct. 3. §. 1. n. 1. & 2.* Mend. *in Bull. disp. 1. n. 36.* & apud illum Rodrig. Joann. à Cruce, Trullench., quibus accedit Gobat. *tom. 2. tract. 2. n. 179.* Escobar *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 6.* & alii: Sed S. Pontifex est, qui Bullam concessit: ergo ille solus potest jure ordinario, & ex officio, privilegia Bullæ interpretari. Sic Trullench. *in proœmio Bullæ dub. 3. n. 4.* Perez de Lara *l. 1. trium grat. pag. 60.* & supponunt omnes Bullæ Expositores.

83. Dico secundò: Commissarius Generalis habet facultatem à S. Pontifice interpretandi authenticè dubia circa textum Bullæ Cruciatæ emergentia, tanquam Judex à sede Apostolica delegatus: cui interpretationi standum est in omnibus tribunalibus. Hanc conclusionem probat primò Illustrissimus D. D. Antonius Mascarenas *in Relatione ad Urbanum VIII. fol. 11. Vers. E antes destas*, ex declarationibus à Leone X. factis, anno 1517. die 12. Octobris ad instantiam Regis Emmanuelis, in quibus Commissariis conceditur facultas interpretandi, & declarandi dubia, & difficultates ex clausulis Bullæ emergentes.

84. Hæ tamen declarationes hodie nihil probant; quia expirarunt cum Bullâ, ob quam fuerunt concessæ, nec hodie à successoribus extenduntur aut prorogantur: quia tantùmmodò prorogantur, & extenduntur concessæ à Gregorio XIV. & illius successoribus, ut patet ex ipsis originalibus in archivo Cruciatæ asservatis.

85. Secundò probat idem Illustrissimus Dominus *loco citat.* ex decreto Regis Catholici, quod etiam in eôdem archivo custoditur, cujus data fuit anno 1610. die 27. Januarii, in quo Rex inviolabiliter observari jubet in hoc Regno, eas omnes facultates circa Bullam Cruciatam, quæ in aliis Hispaniæ Regnis observantur, & habentur contentæ *in lib. cujus tit. est Compendium trium gratiarum:* at in dicto libro *pag. 60.* hæc inveniuntur verba: *Si cerca de la execucion de lo contenido en la Bulla de la S. Cruzada, y sobre las clausulas, y palabras della naciere alguna duda, tiene facultad el Commissario General de interpretarla, & declararla siempre, que convenga, y se ha de estar a su interpretacion, y declaracion por qualesquier Jueses, y Auditores de la camara Apostolica, y Cardenales de la S. Iglesia Romana, a todos los quales seles quita la facultad de interpretarla, y declararla de otra manera, con clausula irritante. Et non obstantibus.* Addit idem Commissarius, idem Regis decretum fuisse per repetitas litteras ab eodem Rege jussum observari.

86. Hæc etiam ratio, & mandatum intentum non probat; primò quia Rex Catholicus, quanvis hoc Regnum gubernaret, potestatem tamen non habebat, extendendi facultates Commissario Hispano à S. Pontifice concessas, ad Commissarium Lusitanum: nam Bullæ Cruciatæ, quæ Lusitaniæ, & Hispaniæ à S. S. Pontificibus conceduntur, sunt diversæ, & quælibet suis gaudet facultatibus, & privilegiis, quæ inter se non communicantur: cum verò non constet, Regem eas facultates observare jussisse authoritate Pontificis, nihil probat: nam ex eo quòd eæ facultates interpretandi sint concessæ Commissario Hispano, non proinde Lusitano censentur concessæ.

87. Probari etiam potest dicta conclusio ex quodam edictali, quod publicari fecit idem D. D. Antonius Mascarenas Bullæ Commissarius anno 1626. die 21. Februarii, de quo fit mentio *in cit. Relatione ad Urbanum VIII. fol. 57. Vers. Dom Antonio Mascarenâs*, in quo propè medium hæc apponuntur verba: *Por quanto S. Santidade em conformidade da mesma Bulla nos da poder privativo para declarar todas as duvidas, que sobre a intelligencia das clausulas della se moverem ou comprir se declarem; e pella tal interpretaçam, e declaraçam nossa, todas as vezes que a dermos em qualquer duvida, manda S. Santidade, que estejam quais quer Juizes, Auditores da Camara Apostolica, e Cardeais da S. Igreja Romana. A todos os quais se lhe tira faculdade de declarar, e interpretar a dita Bulla de outra maneira, com clausula irritante &c.*

§8. Hæc

88. Hæc tamen verba, etiam meo judicio, non probant Commissarium habere facultatem, interpretandi clausulas, Bullæ quia reputo verò esse desumpta à Perez de Lara, quæ nuper à nobis fuerunt relata; quia Illustrissimus Commissarius in eâ erat sententiâ, quòd valebat omnibus gaudere facultatibus in hoc Regno, quæ in aliis Hispaniæ Regnis circa Cruciatam observantur; quod tamen non esse verum, nuper ostendimus. Moveor etiam ad idem sentiendum; quia factâ à me sufficienti diligentiâ, in nullo Bullarum originali à Gregorio XIV. hactenus concesso, nec in alio diplomate ea verba inveni.

§. I.

Proponitur vera, & germana ratio, & reliqua explicantur.

89. Omissis dictis rationibus, ostenditur, Commissarium Generalem habere à S. Pontifice potestatem interpretandi, & declarandi dubia Bullæ juridicè, & authenticè, ex Bullâ Clementis VIII. extensâ ab aliis successoribus, & à nostro Sanctissimo Innocentio XI. in quâ hæc dantur verba: *Commissario Generali nuper deputato plenam, & liberam in præmissis facultatem, & authoritatem tribuimus per se, vel per alium, seu alios, quos ad id idoneos duxerit ad executionem præmissorum, & aliorum juxta facultates concessas, omni, & quacunque appellatione postposità, procedendi, aliaque faciendi, & exequendi, quæ in præmissis circa ea necessaria fuerint, & quomodolibet opportuna. Non obstantibus &c.* Quæ etiam ab aliquibus ex successoribus referuntur. Et ex illis sic conficitur ratio.

90. S. Pontifex Commissario Generali concedit facultatem procedendi, faciendi, & exequendi omnia, quæ necessaria, & opportuna fuerint ad Bullæ expeditionem: sed unum ex opportunis, & necessariis ad illius expeditionem, est declarare, & interpretari ea, quæ in Bullâ sunt dubia: ergo dubia potest declarare, & interpretari. Major constat ex verbis allatis; minor ostenditur; quia privilegia breviter, & generaliter apponuntur, & in applicatione ad varios casus frequenter dubia oriuntur; & non semper S. Pontifex adiri potest; & quanvis adiri possit, non est opus, ut semper ad illum recurramus, ut suam mentem declaret: ergo non semel aderit necessitas, & opportunitas declarationis, & interpretationis; & illâ datâ necessitate, & opportunitate, conceditur Commissario ea facultas, quæ est unum requisitum, & necessarium, ut Bulla expediatur. Alia ratio post sequentem num. adducetur.

91. Notant tamen DD. Henriq. *l. 7. de indulg. cap. 29. n. 3.* Trullench. *in proœmio dub. 3. n. 4.* Mend. *disp. 1. n. 43.* ut hæc à Commissario fiat interpretatio, debere ad illam præmittere sapientum consultationem. Ratio est, quia Commissarius in interpretatione Bullæ debet prudenter operari: sed consultare sapientes est medium necessarium ad prudenter operandum, ut docet D. Thom. *2. 2. quæst. 47. art. 7. & 8.* ergo ad eam consultationem tenebitur. Alia ad interpretationem, & declarationem Bullæ à Commissario faciendam, vide *infra disp. 23. sect. 25. prope finem a n. 263.*

92. Dico tertiò: Potest etiam Commissarius Generalis Bullam interpretari, & declarare juridicè, & authenticè; quia ita habet consuetudo, quæ vim sortitur interpretandi, ideoque dicitur altera lex, *l. Minimè l. si de interpretatione ff. de legibus, & cap. cum dilectus, de consuetud.* & tenet Gobat. *tom. 2. tract. 3. n. 384.* Et quamvis hæ leges sequantur de ipsâ consuetudine, quæ quando est legitimè præscripta, habet vim legis, & illam interpretatur; si etiam detur in Commissario, Commissarius ex illa poterit Bullam interpretari: cùm ergo detur consuetudo, Bullam interpretari valet.

93. Dico quartò: Etiam viri docti, & eruditi possunt doctrinaliter Bullam declarare, & interpretari; quia possunt leges, statuta, privilegia, & gratias interpretari, ut ostendunt tot libri, & tractatus, qui passim in lucem eduntur, & tenent Covarrun. Anton. Gom. Aurel. Claud. Roger. Burg. Sylvest. D. Anton. & alii quos refert, & sequitur Henriq. *l. 7. de indulg. c. 19. n. 4. in Gloss. litt. G.* & habetur *in l. unica C. de professor. l. 1. ff. de origin. juris*, & aliis. Videatur Castr. Palao *tom. 1. tract. 3. disp. 5. §. 2.* & Escobar *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. num. 7.* asserens probabile esse.

94. Hæ tamen doctrinales interpretationes non habent vim legis, quia non procedunt à potestate jurisdictionis, sed à scientiâ, & judicio prudentum: aliquando tamen hæc interpretatio potest esse tam certa, ut in illâ Doctores conveniant, & tunc inducet obligationem. Sic tenet Soar. *l. 6. de leg. cap. 1. n. 5. & 6.* At si interpretatio doctoralis sit certò probabilis tutâ Conscientiâ amplecti potest: secus dicendum, si ea probabilitas sit tenuis: Quia Sanctissimus D. N. Innocentius XI. suâ const. quæ incipit: *Sanctissimus D. N.* edita anno 1679. die 4. Martii, damnavit, ut minimum, tanquam scandalosam, & in praxi pernicioſam hanc propositionem: *Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quamvis tenui, modo à probabilitatis finibus non excatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Quæ ex damnatis ab eodem Pontifice est tertia.

95. Dixi, interpretationem doctoralem certò probabilem tutò amplecti posse, quòd intellige, à non judicibus; nam judices non possunt judicare juxta opinionem minus probabilem; ut *infra disp. 25. sect. 30.* latius videbitur.

§. II.

An dentur aliquæ interpretationes doctrinales prohibitæ.

96. Hanc quæstionem consultò intendebam omittere, quia ad expositionem Bullæ, non censeo necessariam; quia tamen ab expositoribus Bullæ solet agitari, illi breviter satisfacio.

97. Ad quæstionem respondeo, aliquas dari interpretationes prohibitas; ut videre est in Clement. *Ex vi, de verb. signif.* in quâ reservatur S. Pontifici interpretatio regulæ S. Francisci. Et in Bullâ Pii IV. quæ incipit: *Benedictus Deus*; estque 73. inter alias hujus Pontificis apud Cherub. *tom. 2. fol. 103.* in quâ omnibus prohibetur, Commentarios, Glossas, Annotationes, Scholia, ullumve interpretationis genus super decre-

tis

tis Concil. Trident. aliquo modo edere; Prælatis, sub pœnâ interdicti ab ingressu Ecclesiæ; aliis verò sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ.

98. Advertunt tamen Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 5. *punct.* 3. §. 2. *n.* 6. cum Sâ, & Salas, ac Trullench. in Bull. proœmio *dub.* 3. *n.* 2. *in fine, & n.* 6. Mend. *disp.* 1. *n.* 39. solùm prohiberi interpretationem frivolam, contra mentem legis, vel in scriptis, & ex professò desumptam; non verò illam, quæ obscurum declarat, & incidenter à DD. juxta juris regulas, in suis sit tractatibus.

99. Instituta verò fuit à Sixto V. in Bulla, quæ incipit: *Immensa æterni Dei*, & est 74. inter alias hujus Pontificis apud Cherub. *tom.* 2. *fol.* 616. quædam Cardin. Congregatio, quæ dubia circa Trident. orta, consulto S. Pontifice explanaret, per hæc verba: *Interpretandi facultatem, nobis tamen consultis, impertimur.*

100. Inquires: An hæ declarationes, seu interpretationes S. Congr. Cardin. in aliqua Trident. vel quacunque alia materia, sint tantùm doctrinales, an judiciales, ita ut habeant vim legis, & in utroque foro obligent? Respondeo, triplicem dari sententiam.

101. Prima defendit, esse tantùm doctrinales, magni tamen ponderis, & authoritatis, ita Dian. *part.* 1. *tract.* 10. *resol.* 29. & apud illum Petrus Ledesm. *tom.* 1. *de pœnit. cap.* 13. *diffic.* 7. *fol.* 285. Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 2. *n.* 10. Valerus *in differ. utriusque fori Verb. absolutio diff.* 1. *n.* 20. *& Verb. Nullitas diff.* 5. *n.* 2. Basil. Legion. *l.* 5. *de matr. cap.* 13. §. 2. *n.* 7. Zipæus in novo jure Pontif. *l.* 5. *tit. de pœnit. & remiss. n.* 9. Serarius *in prolegom. Biblicis cap.* 19. *q.* 11. Delrius *in disquis. magic. part.* 3. *l.* 6. *cap.* 1. *sect.* 3. Bonac. *de leg. disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 8. *n.* 4. Veg. *in summ. tom.* 1. *cap.* 62. *casu* 41. His à Diana citatis accedunt Verricelli *in qq. moral. tract.* 2. *q.* 7. *n.* 21. Brunus *de privil. Regul. part.* 1. *cap.* 1. *propos.* 3. & alii. Probant, quia ut lex obliget, requiritur promulgatio; at hæc non datur, in Cardin. declarationibus.

102. Secunda sententia est opposita, & tuetur, habere vim legis, & obligare in utroque foro, non solùm prò personis ad quarum fiunt instantiam, sed ut cæteræ leges generales. Sic Salas *de legib. tract.* 14. *disp.* 21. *sect.* 12. Garcias *de benefic. tom.* 1. *in præfac.* Barbos. Mirand. Narbon. Homobon. & alii apud Dian. *proximè*, & 5. *part. tract.* 2. *resol.* 96. in qua non vult, suum interponere judicium, sed tantùm DD. referre placita. Probant, quia has declarationes sequitur Rota Roman; etiam si, promulgatæ non sint, ut constat ex pluribus Rotæ decision. apud Salas *dict. sect.* 12. *corol.* 3. & Bonacin. *loco cit.*: Ergo vim legis habent. Ad hanc probationem respondent adversarii, id fieri, quia sunt maximi ponderis, & authoritatis.

103. Tertia demum sententia, quam probabiliorem existimo, asserit declarationes S. Congr. Cardin. habere vim legis, si has habeant conditiones; Prima, si de illis constet authenticè per Breve Pontificis, vel si sigillo, & subscriptione Eminentiss. Cardin. Præfecti, & Secretarii ejusdem Congregationis fuerint signatæ, ut præcipit Urbanus VIII. suo decreto anno 1631. edito apud Barbos. *de jur. universi. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 83. Secunda, si exprimatur in ipsâ declaratione, factum esse, consulto S. Pontifice, ut liquet ex Bull. Sixti V. *supra cit.* Tertia, si solùm declarent, & interpretentur, & non dispensent, restringant, aut amplient, ultra verborum significationem, aut regulas juris, ut patet ex Bulla Gregorii XIII. & Sixti V. hanc primam præscribentium. Quarta, si publicentur: quia à DD. hoc requiritur, ut lex obliget, ut videre est in materia de legibus; Ita sustinent Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 5. *punct.* 3. §. 1. *num.* 6. Trullench. *in proœm. Bull. dub.* 3. *à n.* 8. Mend. *disp.* 1. *n.* 41. Thom. Hurtad. *Var. tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 6. *resol.* 45. *à n.* 60. *& tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 1. *resol.* 5. *n.* 54. Dian. *part.* 11. *tract.* 2. *resol.* 42. qui *prima part. cit.* oppositam tenuerat, & 5. *part. etiam cit.* suum judicium proferre noluerat; & alii quamplurimi apud citatos.

SECTIO XIII.

An Bulla Cruciatæ suspendatur per Jubilæum Anni Sancti?

104. JUbilæus Anni Sancti initium habuit à Bonifacio VIII. anno 6. sui Pontificatus, illumque celebrari jussit anno 1300. & deinceps centesimo quoque anno, ut constat ex *Extravag. Antiquorum, de pœnit. & Remiss.* Licèt in illa non utatur verbo *Jubilæi*, vel Anni Sancti. Postea Clemens VI. illum reduxit ad quinquagesimum quemque Annum; & primo sui Pontificatus anno, illum promulgari fecit; extat de hoc *Extravag. Unigenitus de pœnit. & remiss.* Post Clementem VI. & alios successores, Urbanus VIII. anno 1390. Jubilæum indixit, & statuit, ut deinceps Jubilæus de 33. annis in 33. annos celebraretur, quem secuti sunt Martinus V. & Nicolaus V. Postea Paulus II. & Sixtus IV. hunc Jubilæum ad 25. quemque annum reduxerunt, & initium habuit anno 1475. & hucusque perseverat.

105. Hic Jubilæus primò incipiebat à die Nativitatis Domini, & eadem die sequentis anni expirabat: At Paulus II. & Sixtus IV. voluerunt in suis constit ut inciperet à viligia Nativitatis Domini, & finem faceret eadem die sequentis anni, quod adhuc observatur.

106. Per hunc jubilæum suspenduntur omnes, & solæ indulgentiæ pro vivis, commutationes votorum, dispensationes super iis, quæ Pontifici reservantur, compositiones super malè ablatis, & electiones Confessarii, ut à Pontifici reservatis absolvat. De his videri possunt Fragos. *tom.* 2. *Regim. Reip. Christ. disp.* 5. Barb. *in Collect. ad* 6. *Decretal. in Extravag. Unigenitus, Sixti IV.* Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 8. *appendic. à dub.* 1. Mend. *in Bull. disput.* 2. *à n.* 47. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 3. *à n.* 349., & alii, quos citant. His prænotatis; ad Quæstionem in tit. propositam veniamus.

107. De hac quæstione in hoc Regno, & Civitate anno 1625. disceptarunt duo illustrissimi viri Litteris, & Dignitatibus conspicui; uterque pro tuendâ jurisdictione Pontificiâ; D. D. Joannes Baptista Pallotus Regni Collector, & postea S. Rom. Eccles. Cardin. contendebat, Bullam Cruciatæ non esse publicandam

eo anno, eo quòd jubilæus illius Anni Sancti; illam ſuſpendebat; & è contra inſiſtebat D. D. Antonius Maſcarenâs Bullæ Commiſſarius illam eſſe publicandam; quia jubilæus anni ſancti. Bullam Cruciatæ non ſuſpendebat. Utrinque decertatum fuit armis Eccleſiaſticis, non tantùm comminatoriis, ſed latæ ſententiæ in Prælatos, Vicarios, & Parochos, ut Bullam publicarent, & non publicarent. Denique factus eſt recurſus ad Urbanum VIII. per Regem Catholicum, tum temporis hoc Regnum gubernantem, & ſententiam pro ſe obtinuit D. D. Antonius Maſcarenâs, ut ſtatim videbimus; de his conſtat apud Relationem ad Urbanum VIII. per eundem D. D. Antonium Maſcarenâs à fol. 2. uſque ad 10.

108. Pro parte affirmante nempe Bullam Cruciatæ ſuſpendi per jubilæum anni ſancti, ſtant Fabrinus *de jubil. cap.* 21. Ludovic. Lopes *in Inſtruct. tom.* 2. *cap.* 10. Rutil. Benzon. apud citandos Navarr. *notab.* 33. loquens de jubilæo anni 1575. Hæc tamen ſententia cùm minimè nitatur ſufficienti fundamento, & contra ſe habeat declarationes Pontificum, merito à D. D. non admittitur.

109. Pro parte negante, ſcilicet, Bullam non ſuſpendi per jubilæum anni ſancti, adduco Henriq. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 21. *n.* 7. Sebaſtian. à Coſta *in Bull. q.* 101. Rodrig. *in Bull.* §. 12. *n.* 13. Sanch. *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 33. *n.* 10. Fernand. *in exam. part.* 3. *cap.* 9. §. 10. Bonac. *de leg. diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 8. §. 3. *n.* 13. Poſtel. *in dub. Regul. verbo Bulla Cruciatæ n.* 2. Salas *de leg. diſp.* 20. *Sect.* 18. *circa finem.* Leon. *tract. de jubil. part.* 1. *q.* 6. *n.* 229. Caſtr. Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 4. *punct.* 21. §. 2. *n.* 2. Zerol. *de ann. jubil. lib.* 19. *q.* 2. Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 8. *append. dub.* 14. *n.* 1. Fragoſ. *tom.* 2. *Regim. Reip. diſp.* 5. *n.* 14. Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *reſol.* 97. Perez de Lara *in Compend. trium grat. pag.* 27. Villal. 1. *part. tract.* 27. *claus.* 12. *n.* 8. Ludovic. à Cruce *in expoſit. Bullæ diſp.* 1. *cap.* 9. *dub.* 6. *n.* 3. Trullench. *ibid. lib.* 1. §. 1. *dub.* 12. *n.* 2. Baſilius Legion. *in explicat. Bull. manuſcriptâ cap.* 2. quem citat, & ſequitur Mendo *diſp.* 2. *n.* 48. & alii.

110. Probatur primò; quia Bulla Cruciatæ non ſuſpenditur per Extravag. *Quemadmodum* Sixti V. *de penit. & remiſſ.* in quâ concedebatur jubilæus anni ſancti, ut fatetur Navarr. *de indulg. notab.* 28. *an.* 13., quia per illam ſolùm ſuſpenduntur indulgentiæ, & facultates conceſſæ Communitatibus, & non perſonis ſingularibus; quia ſolùm ſuſpendit indulgentias, & facultates conceſſas Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, Univerſitatibus, piis Locis, & Confraternitatibus: at hæc non ſunt ſingulares perſonæ; Bulla autem Cruciatæ ſingularibus perſonis conceditur: Ergo per jubilæum anni ſancti, in quo non ſuſpenduntur facultates ſingularibus perſonis conceſſæ Bulla non ſuſpenditur.

111. Secundò probatur, quia facultates, indulta, & Bulla, quæ conceduntur ſub Contractu oneroſo, non ſuſpenduntur per ſuſpenſionem generalem, niſi de illis expreſſa fiat mentio; ſed Bulla Cruciatæ conceditur Sereniſſimo Regi noſtro ex Contractu oneroſo, ut *infra* videbimus: Ergo cùm in jubilæo anni ſancti, de illâ non fiat expreſſa mentio, per illum non ſuſpenditur.

112. Tertiò oſtenditur, quia poſt ſecundam conceſſionem Bullæ à Clemente VIII. Portugalliæ Regi factam, adventante anno ſancto jubilæi 1600. dubitatum fuit à Commiſſario D. D. Antonio de Mendonça Bullæ Commiſſario (non ille Archiepiſcopus Vlyſſiponenſis) & ab aliis viris doctis; an per publicationem jubilæi anni ſancti, maneret ſuſpenſa pro illo anno Bulla Cruciatæ, & conſultus Clemens, reſpondit per quoddam Breve, datum Romæ ſub annulo piſcatoris die 8. Maii anni 1600. Bullam Luſitanam non ſuſpendi per jubilæum anni ſancti. De hoc Brevi mentionem faciunt Expoſitores Bullæ Hiſpanæ; at tacent fuiſſe Luſitaniæ conceſſum, exiſtimantes ſufficere, fuiſſe conceſſum, ut declaratione Pontificis gauderent. Hoc Breve non refero, quia illud tranſcribunt D D. Antonius Maſcarenâs *in Relat. ad Urbanum VIII. fol.* 8. *verſ. Nos quibus.* Sebaſtian. à Coſt. & Fragoſ. locis citat. Cæterùm tranſcribam Breve conceſſum ad pacandas controverſias inter Illuſtriſſimos, & Reverendiſſimos Dominos *ſupra* memoratos. De quo Brevi etiam fit mentio apud Expoſitores Bullæ Hiſpanæ, quod cum alio Clementis VIII. in archivo Cruciatæ aſſervatur. Tenor autem Brevis Urbani VIII. ſic habet.

Urbanus Papa VIII. ad futuram rei memoriam.

113. Cùm nos ſuperioribus diebus ad inſtantiam Chariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Portugalliæ, & Algarbiorum Regis Catholici, omnibus in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, ac Inſulis, provinciis, & dominiis conſiſtentibus, qui fidei Catholicæ, & zelo ducti intra certum tunc expreſſum tempus ad exercitum ejuſdem Philippi Regis contra infideles pugnaturi, aut aliud ſervitii genus gratuitò facturi, ſuis ſumptibus acceſſiſſent, & ibidem uſque ad finem expeditionis ejus anni permanſiſſent, aut de bonis ſibi à Deo collatis, expeditionem prædictam adjuvaſſent; plures indulgentias, ac peccatorum remiſſiones, & relaxationes pro vivis, & defunctis, aliaſque ſpirituales conceſſiones, nec non privilegia, facultates, & indulta, vel quovis alio nomine nuncupatas gratias conceſſerimus; cùmque aliàs occaſione celebrationis Sancti jubilæi præſentis anni univerſo populo Chriſtiano indicti multorum Roman. Pontific. morem ea in re ſequuti, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes, & quaſcumque indulgentias, etiam plenarias; etiam ad inſtar jubilæi, & earum cauſâ facultates, conceſſiones, & indulta quæcumque, à nobis, & dicta ſede, ejuſque authoritate, quibuſcumque Eccleſiis, & monaſteriis utriuſque ſexûs, & conventibus, domibus, congregationibus, Hoſpitalibus, & aliis locis, nec non ordinibus, etiam Mendicantium, & Militiarum, nec non Confraternitatibus & Univerſitatibus, earumque, & aliis cujuſcunque dignitatis, gradus, & conditionis, perſonis, Eccleſiis, etiam ſæcularibus per univerſum orbem conſtitutis, etiam per modum communicationis, & extenſionis, & alias quomodocunque perpetuò, vel ad tempus, quibuſvis modis, & ex quibuſvis cauſis conceſſis cum irritantis decreti adjectione, & aliis efficaciſſimis clauſulis in illis appoſitis ſuſpen-

derimus, interdicentes, ne ullæ aliæ, quàm prædicti à nobis indicti Jubilæi indulgentiæ interim sive publicè, sive privatim ubique locorum, & gentium publicarentur, prædicarentur, aut nuntiarentur; secùs autem facientes, excommunicationis sententiam, eo ipso incurrerent, & ab ordinariis locorum pro cujuscunque arbitrio punirentur, & alias, prout in litteris Apostolicis desuper expeditis plenius continetur. Nos quibus præcipuè curanda sunt ea, quæ ad fidem Catholicam tuendam, & adjuvante Domino, aliquando propagandam pertinent, quique eo animo, eaque voluntate nunc fuimus, ut indulgentiæ, facultates, concessiones, & indulta quæcunque intuitu dictæ expeditionis, & Cruciatæ, ut dicitur, impedirentur, aut recocarentur, ad dictarum omnium litterarum seriem, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis & insertis habentes, authoritate præsentium, declaramus, suspensionem eandem ad indulgentias, facultates, concessiones, & indulta quæcunque occasione dictæ expeditionis, & Cruciatæ in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, & Insulis, provinciis, & dominiis, & locis Coronæ dictorum Regnorum subjectis, ut præfertur, concessa, non extendi, eaque omnia, & singula sub dictâ suspensione minimè comprehendi, ac propterea Commissario Generali, & aliis ab eo deputatis, & pro tempore deputandis omnia, & singula sibi per dictos homines demandata facere, exequi, & plenariæ executioni demandare. Prædicatoribus verò, juxta tamen easdem nostras litteras deputatis, & deputandis, indulgentias, & alias gratias, concessiones, & indulta prædicta juxta dictarum litterarum tenorem, & illarum summarium in dictis Regnis, dominiis, & locis, promulgare, denuntiare, & prædicare, absque aliquo conscientiæ scrupulo, sententiarumque causarum vel pœnarum incursu, ut prius antequam eædem suspensionis litteræ à nobis emanassent, licere; ita quòd desuper per quoscumque, etiam locorum ordinarios, molestari, perturbari, aut impediri nequeant: sicque per quoscumque judices, ordinarios, vel delegatâ authoritate fungentes, & causarum Palatii Apostolici Auditores, nec non S. Rom. Ecclesiæ Cardinales in quacunque instantiâ, sublatâ eis quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid secùs super his à quoquam quâvis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque omnibus, quæ nos in concessione indulgentiarum, & aliorum privilegiorum ad favorem dictæ expeditionis concessorum, voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Ut autem declaratio nostra hujusmodi, quoties, & ubi opus fuerit innotescat, volumus harum litterarum exempla manu notarii publici subscripta, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munita, ubique eandem fidem facere, quam præsentes facerent, si exhiberentur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris, die 15 Februarii 1625. Pontificatus nostri anno secundo.

114. Ex his duobus Brevibus Clementis, & Urbani declarantibus, per jubilæum anni sancti, non suspendi nostram Bullam, non amplius relictus est locus ambigendi; imo ex his Brevibus etiam fit certum, nec aliam Cruciatæ Bullam extra Lusitaniam suspendi. Et si Bulla non suspenditur per jubilæum anni sancti, nec etiam per quemcumque alium suspendetur: fundamenta enim supra posita de omnibus idem probant. An verò ad lucrandos jubilæos duplicis hebdomadæ Bulla requiratur dicemus *infra disp.* 23. *sect.* 9. *in principio.*

SECTIO XIV.

An privilegia Mendicantium suspendantur per jubilæum anni sancti?

115. Occasione præcedentis quæstionis, discutienda venit hæc; an privilegia Mendicantium suspendantur per jubilæum anni sancti, nempe: indulgentiæ plenariæ, facultates dispensandi, & commutandi vota, & absolvendi à reservatis? Affirmat suspendi Rodrig. *in addit. ad.* 12. §. *Bull. dub.* 6. quia verba Bullæ jubilæi sunt generalia, & omnia suspendunt.

116. At non suspendi privilegia Regularium docent Sanch. *lib.* 4. *Decal. cap.* 54. *n.* 62. Henriq. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 28. *n.* 7. *& cap.* 31. *n.* 3. *in gloss. litter. S.* & Barthol. à S. Faust. quos refert; & sequitur Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 100. Card. de Lug. *de pœnit. disp.* 20. *n.* 145. Leander. à Sanctissimo Sacramento *tom.* 1. *tract.* 5. *q.* 56. Pelliz. *tom.* 2. *cap.* 2. *n.* 183. & hoc esse valdè probabile, & idem dicit Navarr. *in* §. *in Levitic. notab.* 33. Moventur, quia ea privilegia cedunt in commune bonum fidelium, & sunt favorabilia non uni, vel alteri monasterio concessa, sed toti Religioni: Sed quæ ita conceduntur, non censentur suspendi per clausulam generalem, nisi de illis expressa fiat mentio, juxta doctrinam Less. *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 12. *n.* 6. Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disp.* 1. *n.* 4. *& lib.* 4. *Decal. cap.* 43. *n.* 5: Ergo cùm de illis in Bullis Pontificum non fiat expressa mentio, non censentur suspensa. Ita se habent hæ sententiæ, quid ego sentio, declaro per sequentes conclusiones.

117. Dico primò; probabile est suspendi solùm indulgentias plenarias, & non partiales, ne quidem per Bullam Innocentii XI. Innocentii X. & Urbani VIII. quod licèt sit contra Taner. *tom.* 4. *disp.* 6. *q.* 8. *n.* 108. traditur tamen à Filliuc. Peyrin. Castro Palao, Lezan. & aliis, quos refert, & sequitur. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 3. *n.* 47. Ratio est, quia saltem in odiosis habet locum. *l. præcipimus Cod. de appell.* in fine, sic statuens: *Quidquid in posteriori lege non fuerit expressum specialiter, id veterum legum, constitutionumque regulis relictum esse, intelligendum est?* Sed in Bullis prædictorum S. S. Pontificum expressè non suspenduntur indulgentiæ partiales: Ergo standum est regulis veterum constitutionum; nempe, Gregorii XIII. & Sixti IV. suspendentium tantùm indulgentias plenarias.

118. Dices: Clemens X. pro jubilæo anni 1675. Innocentius X. apud Cherub. *tom.* 4. *in Constit.* 21. pro jubilæo anni 1650. §. 2. fol. 272. Urbanus VIII. apud eundem Cherub. *tom.* 4. *in Const.* 17. pro jubilæo anni 1625. §. 1. fol. 50. & Clemens VIII. apud eundem *tom.* 3. *Constit.* 58. §. 1. *fol.* 75. suspendunt omnes indul-

indulgentias ſibi: *Omnes, & ſingulas indulgentias, etiam perpetuas, & peccatorum remiſſiones*, &c. Sed dictio geminata *omnes, & ſingulas*, includit ſine limitatione omnes indulgentias, etiam partiales juxta Gloſſ. *in cap. ut circa, verſ. omnia, & ſingula*, de Elect. in 6. & D. D. apud Barboſ. *tract. de dict. uſu frequent. dict.* 241. *n.* 1. Ergo non ſolùm indulgentiæ plenariæ, ſed etiam partiales cenſentur ſuſpenſæ. Reſpondeo, eam gloſſam, & D. D. non habere locum, quando jus ipſum declarat, non eſſe omnia, & ſingula comprehenſa abſque limitatione: at jus ipſum in *l. præcipimus, cit.* declarat clauſulam non eſſe extendendam ad omnia, quando lex prima loquitur tantùm de aliquibus; & poſterior, cùm ſit odioſa, non exprimit ea omnia, quæ lex prima expreſſerat.

119. Dico ſecundò: Indulgentia plenaria conceſſa pro die 2. Auguſti Eccleſiæ S. Mariæ Angelorùm ordinis fratrum Minorum S. Franciſci de obſervantia, prope, & extra muros Civitatis Aſſienſis, non ſuſpenditur per Jubilæum anni Sancti. Ita Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *n.* 353. & probat, quia illi Eccleſiæ à Chriſto Domino impertita fuit, ut conſtat ex pluribus declarationibus S.S. Pontificum apud Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 5. *append. dub.* 1. *n.* 1. Probatur etiam, quia ita declaravit Urbanus VIII. in Conſt. 25. apud Cherub. *tom.* 5. §. 2. *fol.* 4. & Innocentius X. apud eundem *dict. tom.* 5. *Conſt.* 44. quæ incipit *Ob ſacri* pag. 184. ſecùs dicendum de aliis Eccleſiis ordinis S. Franciſci: nam omnes indulgentiæ plenariæ pro eodem die Porciunculæ ſuſpenduntur.

120. Dico tertiò: Nec etiam ſuſpenduntur per Jubilæum Anni ſancti indulgentiæ Auguſtiſſimæ domui Laurantanæ conceſſæ; quia ita declaravit Gregorius XIII. apud Benzon. *lib.* 4. *cap.* 7. *diſp.* 5. *citat.* à Gobat. *dict. tract.* 3. *n.* 41. *in fine.*

121. Dico quartò: In Conſt. Gregorii XIII. pro anno Jubilæi 1575. ſuſpenduntur omnes facultates, & indulta indulgentiarum cauſâ conceſſa. At Clemens VIII. Urbanus VIII. Innocentius X. & Clemens X. in Bullis cit. ſolum ſuſpendunt facultates abſolvendi à caſibus ſedi Apoſtolicæ reſervatis, abſque limitatione Gregoriana *indulgentiarum cauſâ*, ut notavit Gobat. *ſuper cit. num.* 49. & conſtat ex ſuſpenſionibus ab iiſdem Pontificibus factis: Et cum hæ ſuſpenſiones comprehendant regulares etiam Mendicantes, præciſa alia Pontificis declaratione, durante anno Jubilæi, à reſervatis Pontifici, vi ſuorum privilegiorum, abſolvere non poſſunt; ſic Mend. *diſp.* 2. *n.* 35.

122. Dixi, *præciſè aliâ Pontificis declaratione*, nam Clemens VIII. & Urbanus VIII. declararunt, non fuiſſe ſuæ intentionis ſuſpendere, niſi illas facultates, quæ fuerunt aliquibus conceſſæ, in ordine ad lucrandas indulgentias, ſeu occaſione lucrandarum indulgentiarum, ut teſtatur Card. de Lug. *dict. diſp.* 20. *de pœnit. n.* 145. & ex illo Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 8. *append. dub.* 17. *n.* 4. addens quod, etiam ſi ab aliis Pontificibus eadem intentio non ſit declarata, adhuc eandem explicationem admitteret ſuſpenſio, & id confirmat verbis Cardin. de Lug. ad verbum relatis.

123. Hoc tamen additum Quintanaduenis, mihi placere non poteſt: quia eam explicationem non admittit ſuſpenſio facta ab Innocentio X. & Clemente X. adeo ſtrictis verbis, ut nullam admittant expoſitionem, ut videre eſt in hâc, quæ eſt Innocentii X. & prædeceſſorum Clementis, & Urbani; & habetur apud Cherubin. *loco cit.* & incipit à §. 2. his verbis. *Omnes, & ſingulas indulgentias etiam perpetuas, & peccatorum remiſſiones, ac facultates, & indulta abſolvendi etiam in caſibus ſedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in Litteris die Cœnæ Domini legi ſolitis contentis, quibuſvis Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, etiam S. Joann. Hieroſolymitani, Domibus, Militiis, Ordinibus, etiam Mendicantium Congregationibus, Confraternitatibus etiam Laicorum, Univerſitatibus, & piis locis, illorumque ordinibus, Capitulis, Conventibus, Magiſtris, ſuperioribus, & tam Sæcularibus, quam quorumvis etiam Mendicantium ordinum Regularibus perſonis, Coronaſque, gratis, imaginibus, & numiſmatibus ex metallo, ſeu quàcunque aliâ materiâ confectis, tam ſingulariter, quam Univerſaliter per quoſcunque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac etiam nos, etiam ad inſtantiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, aut ipſis etiam Imperatori, Regibus, Ducibus, & Principibus, vel aliis, quàcumque aliâ mundanâ, vel Eccleſiaſticâ dignitate etiam ſpeciali notâ dignâ fulgentibus, etiam ad inſtar jubilæi, aut alias quomodocumque, & ex quibuſvis cauſis, & occaſionibus ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiam motu proprio, & ex certâ ſcientiâ, ac aliàs quomodolibet conceſſis, quorum omnium tenores, formas, derogationes, & decreta præſentibus pro expreſſis haberi volumus, Apoſtolica authoritate de eorundem fratrum conſilio, & aſſenſu, ac Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſuſpendimus, & ſuſpenſas eſſe declaramus, eaſque, & ea, eodem anno durante, nullis prodeſſe, aut ſuffragari debere, irritum quoque, & inane decernimus, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quâvis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari*, &c. Sic ſuſpenſio: Ergo niſi SS. Pontifices declarent, ſuam mentem non eſſe includere in ea facultates Regularium, ad abſolvendum à reſervatis, ut declararunt Clemens, & Urbanus, certò tenendum eſt, Regulares, durante anno jubilæi, non poſſe illis gaudere. Ita Lezan. *tom.* 2. *qq. regul. cap.* 2. *n.* 60. *in fine.*

124. Nec ratio adducta à Sanch. *ſupra n.* 116. & aliis, oppoſitum convincit; quia SS. Pontifices in ſupradicta ſuſpenſione utuntur verbis, quæ omne tollunt dubium, nam bene norunt privilegia, & facultates Regularibus conceſſas, eſſe in bonum commune fidelium, & favorabiles toti Religioni; & tamen, modo prædicto illas ſuſpendunt, & ſi aliqui dicunt adhuc non ſuſpendi; deſignent verba, quibus SS. Pontifices illas ſuſpendere poſſint. Semper enim curandum eſt, ut actus potius valeat, quàm ut pereat *l. quoties* 2. *ff. de reb. dub.* Addo ſi effectum, ſic pronuntiata, habere non poſſunt, inania eſſe, & fruſtratoria, quod dicere nefas erit.

SECTIO XV.

An Bullæ privilegia suspendantur per Bullam Cœnæ, aut per beneplacitum Sedis Apostolicæ.

125. QUod attinet ad primum. Ex Bullâ Cœnæ post Canones illius, constat, neminem posse absolvi à Censuris in illâ latis, nisi constitutum in mortis articulo, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum; & cùm Bulla Cœnæ quotannis publicetur cum eâdem clausulâ, poterit quis dubitare, an revocet facultates, & indulta, quæ in Bullâ Cruciatæ, ad absolvendum ab aliquibus casibus, in ipsâ Bullâ Cœnæ contentis, concedantur?

126. Hoc tamen non obstante, dicendum est, ea privilegia in Cruciatâ concessa, non revocari per Bullam Cœnæ. In hâc conclusione omnes conveniunt Theologi: Rodrig. *in Bull.* §. 9. *n.* 96. Henriq. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 21. *n.* 2. Sanch. *lib.* 2. *Decal. cap.* 11. *n.* 27. *& lib.* 8. *de matrimon. disp.* 33. *n.* 10. Villal. *tract.* 27. *claus.* 4. *n.* 11. Ludovic. à Cruce *in expos. Bull. disp.* 1. *cap.* 10. *dub.* 4. *&* 5. quos citat, & sequitur Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 1. *dub.* 13. *num.* 2. Fernand. Duard. quos refert, & sequitur Dian. 1. *part. tract.* 11. *resol.* 96. His accedunt Fragos. *tom.* 2. *disput.* 3. §. 21. *num.* 348. *vers. imo etiam.* Mend. *disp.* 2. *n.* 43. *&* 44.

127. Probatur, quia Sixtus V. anno 1590. in Bullâ Cœnæ ab eo latâ, post revocationem privilegiorum ab eo factam, hanc apposuit exceptionem. *Nisi ejusmodi casus reservati in Bullâ Cœnæ, in eis præsentibus Litteris, expressè comprehendantur*: sed in Bullâ Cruciatæ expressè comprehenduntur casus Bullæ Cœnæ, cum facultate ab eis absolvendi, aliquibus exceptis, ut *infra* videbimus *disp.* 16. *sect.* 1. *prope finem*, per hæc verba: *Ac etiam in casibus qui in Litteris die Cœnæ Domini publicari solitis continentur, exceptis &c.* Eadem enim proferuntur in summario, ibi: *E tambem dos casos contheudos na Bulla da Ceia do Senhor, tirando &c.* Ergo privilegia Bullæ ad eos casus absolvendos non revocantur per Bullam Cœnæ Domini.

128. Quod attinet ad secundum in titulo propositum: Communis est sententia, posse concedentem aliqua privilegia, illa ex justâ causâ revocare ex Gloss. *in reg. decet, de reg. jur. in* 6. Gloss. *in Clement. Dudum verb. instante, de sepultur.* Felin. Bald. quos referunt, & sequuntur Soar. *lib.* 8. *de leg. cap.* 37. *n.* 4. *&* 10. Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disp.* 33. *n.* 1. Alterius, Salas, Basil. Pontius, Bonac. & alii, quos adducunt, & sectantur Castr. Pal. *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 4. *punct.* 21. §. 1. *n.* 1. Fragos. *tom.* 2. *disp.* 3. §. 21. *n.* 347. *fine.* Et etiam sine causâ, & pro suo libito, si privilegia jurisdictionem concernant, existimant Sanch. *cit. n.* 6. *&* 7. Alterius *decens. Bull. Cœn. disp.* 22. *cap.* 5. *ad finem.* Fragos. *supra* & alii: Et etiam in casu, quòd concedens privilegia, addiderit, se nolle ea unquam revocare; quia hoc non obstante, sibi reservavit majorem potestatem, quàm sit illa, quam concessit: Quanvis peccare venialiter, sic privilegia revocantem, docet Castr. Palao *supra* cum Molin. Soar. Salas, & aliis. Hâc sententiâ suppositâ.

129. Dico primò; Finito uno, vel altero sexennii anno, antequam sit elapsum totum sexennium, potest sum. Pontifex Bullam revocare. Ratio est, quia Bulla est gratia, pendens ex beneplacito S. Pontificis: Ergo non expleto sexennio, finito quocunque anno, potest Bullam revocare. Confirmatur ex facto B. Pii V. qui postremo sui Pontificatus anno, omnes Cruciatas antecedentes revocavit, non amplius eas intendens concedere; ut videre est apud Mend. *disp.* 2. *n.* 39.

130. Dico secundò: Justâ intercedente causâ, intra durationis annum, potest S. Pontifex Bullam revocare. Ratio patet ex dictis; quia adhuc non finito anno Bullæ, potest dari causa ad illam revocandam. Datâ tamen hâc revocatione non finito anno, tenetur compensationem facere illis, qui jam Bullam acceperunt, si potest; si autem non potest, & ad bonum, & utilitatem publicam expedit, Bullam revocare, illam revocare potest, aliàs non; Ratio est, quia licèt S. Pontifex adhuc eleemosynam solitam ad pium opus non acceperit, plures tamen fideles Bullam sumpserunt, erogatâ eleemosynâ designatâ ad finem extrinsecum à Bulla intentum: Ergo absque justâ causâ, fine intrinseco Bullæ non debent privari. Quis autem sit finis intrinsecus aut extrinsecus Bullæ, vide *sup. n.* 20. Et ita hanc sententiam tenent DD. de privilegio oneroso agentes, Matienz. Gregor. Lopes Sanch. Soar. Salas, Bonac. Vazq. Less. Basil. Pontius, Azeved.; quos citatos refert, & sectatur Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 4. *punct.* 21. §. 2. *n.* 1. & expressè de Bullâ Mend. *disp.* 2. *a n.* 32.

131. Dico tertiò; factâ dictâ Bullæ revocatione, anno non finito, debet ea revocatio publicari in iis locis, in quibus Bulla pro eo anno fuit publicata, ut qui illam jam acceperunt, de revocatione reddantur certi. Ratio est, quia res omnis per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur, *cap. omnis res de reg. jur. in* 6. Valasc. *consil.* 130. *n.* 17. & alii. Et ideò eandem solemnitatem requiri in revocatione actus, quæ requiritur in confectione ipsius, tradunt Duenâs *reg.* 187. *vers.* 18. Cald. Pereir. *de potest. eligend. cap.* 7. *n.* 13. quos sequitur, & citat Barbos. *tract. de axiomat. jur. axiom.* 199. *n.* 8. *&* 9. Cùm ergo Bulla sit jam solemniter publicata (ut supponimus) per Diœceses, & illarum Parochias, in iisdem debet etiam revocatio solemniter publicari. Ita docent Sot. *lib.* 9. *q.* 5. *art.* 4. Sylvest. *Verbo indulgentia q.* 5. Ludov. à Cruce. *in Bull. disp.* 1. *cap.* 10. *dub.* 3. *num.* 5. Trullench. *ibidem lib.* 1. §. 1. *dub.* 13. *n.* 4. *prope fin.* Mend. *disp.* 1. *n.* 36.

132. Dico quartò: si revocatâ Bullâ ante annum expletum, aliquis ignorans revocationem, absolvatur virtute illius à reservatis, & votorum commutationem obtineat, non teneri, detectâ ignorantiâ, eadem reservata legitimo superiori subjicere, & iterum votorum commutationes obtinere, existimat cum Henriq. Trullench. proximè, & cum his, & Cajet. Soto, Sylvest. Mechn. Cordub. & aliis Mend. *cit. n.* 37. Quos intelligo in casu, quo revocatio Bullæ non sit per Diœceses, & Parochias publicata. Ratio conclusionis est, quia ea absolutio, & votorum commutatio fuit valida ex præsumptâ Pontificis

in-

intentione, sic enim Confessiones factæ ex errore communi cum habente titulum coloratum sunt validæ juxta. *L. Barbarius ff. de offic. prator.* ut cum pluribus tenet Dian. *part.* 11. *tract.* 2. *resol.* 69. qui etiam id docet deficiente titulo colorato, dummodò error sit communis, & apud ipsum Basil. Pontius, Bordon. Sylvius. Leand. de Sacramento, Thom. Hurtad. Possentius Longuus. Cutell. Buzembauz Pellizar. contra Sanch. quidquid tamen sit de hâc opinione; nam in nostro casu, sufficit pro titulo habere Bullam, quam per revocationem expirasse, non constat.

133. Dixi, citatos *supra* DD. esse intelligendos in casu, quo Bullæ revocatio non sit per Diœceses, & Parochias publicata; quia si fuit publicata, jam non datur error communis, nec confessarius ex errore quocunque habet jurisdictionem, quare ea reservata sunt coram habente potestatem confitenda, ut *infra* ostendemus.

SECTIO XVI.

An Bulla expiret morte Pontificis?

134. QUibus modis finiantur privilegia, vide apud Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 4. *a punct.* 14. Soar. *de leg. lib.* 8. *à cap.* 29. & alios, quos citant. Circa præsentem quæstionem.

135. Dico primò: Bulla Cruciatæ, adhuc non elapso toto sexennio, pro quo fuit concessa, non expirat morte Pontificis, eam concedentis. Ita Henriq. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 21. *n.* 4. Cordub. *de indulg. q.* 23. Sà. *verb. gratia*, Ludovicus à Cruce *disp.* 1. *cap.* 10. *dub.* 3. *n.* 1. & alii, quos refert, & sequitur Trullench. *in exposit. Bull. lib.* 1. §. 1. *dub.* 13. *num.* 3. Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 4. *punct.* 16. §. 4. *n.* 7. & §. 5. *n.* 1. Basil. Pontius, Anton. Gom. Navarr. Sylvest. Angel; qui ultra citatos, referuntur, & sequuntur à Mend. *disp.* 1. *n.* 25.

136. Probatur primò, quia privilegium, pro limitato tempore concessum, non expirat morte concedentis, sed durat usquequo tempus finiatur, etiam re integrâ, ut docent Soar. *lib.* 8. *de leg. cap.* 32. *n.* 10. Basil. Pontius *lib.* 8. *de matrim. cap.* 19. *n.* 7. Castr. Palao *supra punct.* 14. *n.* 2. & alii, quos citant; sed Bulla fuit concessa à Sanctiss. Innocentio XI. per sexennium: ergo si Sanctiss. ante sexennium completum, moriatur; Bulla non finietur, nisi completo sexennio.

137. Probatur secundò, quia gratia facta non expirat morte concedentis, ut patet ex *cap. si super Gratia de offic. & potest. judic. de leg. in* 6. & *cap. si cui nulla, de Prabend. ibidem*, & DD. Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disp.* 28. *n.* 64. & specialiter *de Bull. n.* 78. Soar. *lib.* 8. *de leg. cap.* 31. *n.* 1. Castr. Palao *ubi supra punct.* 16. §. 4. *n.* 1. & §. 5. *n.* 1. Bard. *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 6. *n.* 110. & alii pluribus, quos citant. Sed Bulla ad sexennium concessa est gratia facta: Ergo non expirat morte Pontificis, si ante sexennium completum moriatur. Minor probatur; quia illa dicitur gratia facta, quæ alicui conceditur independenter ab alio, cui committitur facienda: sed Bulla conceditur omnibus Christi fidelibus commorantibus, & declinantibus ad hæc Regna, & eorum dominia, independenter ab alio, cui committatur concedenda: Ergo est gratia facta, ac proinde non expirat morte S. Pontificis, illam concedentis.

138. Hæc ratio deducitur *ex cap. si cui nulla, cit.* quomodò ergo sit explicanda gratia facta, & gratia facienda, non conveniunt Sanch. & Soares, & eorum Sectatores. Videantur Castr. Palaus *supra* §. 2. Bossius *de triplici Jubilæo sect.* 3. *cas.* 2. Bordon. *tom.* 1. *resol.* 39. *num.* 62. Bardi latè *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 6. *à n.* 87.

139. Dico secundò: Bulla Cruciatæ non expirat morte Regis illam à S. Pontifice impetrantis. Ratio est, quia licèt morte privilegiati cesset, & expiret gratia, ut omnes docent; Bulla non solùm Regi conceditur, sed etiam omnibus Christi fidelibus in his Regnis degentibus, & ad illa declinantibus, impertitur, ut in summario à Commissario dicitur, ibi: *Concede S. Santidade ao Principe nosso senhor (que procuron esta graça com grande zello e fervor Christaõs e a todos os fieis Christaõs homens, e mulheres &c.* Cum ergo hæc fidelium communitas non moriatur, quanvis Princeps, qui Bullam impetravit, moriatur, non expirat.

Bulla Vivorum expositio.

Bullæ Vivorum expositionem aggredimur, & ad finem perducere conabor eâdem methodo, quâ Bulla plumbea, & illius summarium procedunt. Hunc tamen ordinem, & methodum non semper observabo ob commoditatem, & intelligentiam clausularum, quæ per Bullam dispersæ postulant, ut conjunctim exponantur; verbatim tamen, & Bullam Latinam, & summarium elucidabo; primò Bullam vivorum, & postea Commissarii generalis facultates, & ad illius Tribunal spectantia. Initio tamen cujuslibet clausulæ ostendam discrimen, & concordiam, quæ datur inter Bullam Lusitanam, & Hispanam, ut expositio omnibus sit utilior.

DISPUTATIO II.

De personis, quæ Bullâ gaudere possint.

1. PRincipium sumit Bulla ab illis, qui illius privilegiis frui possunt, & verba Bullæ Latinæ Gregorii XIV. sic habent. *Omnes utriusque sexus Christi fideles in Portugallia, & Algarbiorum Regnis, & aliis terris &c.* In extensione verò à Paulo V. facta, ità: *Majestatis tuæ, ac omnibus Christi fidelibus in prædictis Portugallia, & Algarbiorum Regnis &c.* In summario autem hæc apponuntur: *Primeiramente concede sua Santidade ao Principe nosso senhor (que procuron esta graça com grande zello, e fervor Christaõs) e a todos os fieis Christaõs homens, e mulheres estantes &c.* Hæc tantùm verba in hâc disp. sunt explicanda, quæ concernunt personas, quæ Bullæ privilegiis uti valent.

2. Magnum tamen discrimen datur inter hæc verba, & illa, quæ initio ponuntur in Bullâ Hispanâ: In hâc enim primò agitur de illis, qui accedunt ad bellum contra Turcas, & alios in-

fideles à Rege Catholico initum; vel de illis, qui alios ad idem mittunt; ut videre est apud Lezan. *in summ. qq. Regul. verb. Bulla Cruciatæ à n.* 10. quia hic est finis extrinsecus istius Bullæ; at in Bullâ Lusitanâ non agitur de illis, qui ad defensionem locorum Africæ procedunt; vel alios ad eandem mittunt: nec illis aliqua in Bullâ conceditur indulgentia, aut privilegium, sicut per Bullam Hispaniam impertitur. Conveniunt verò in præsentiarum, quia sicut omnes utriusque sexûs fideles in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, aliisque terris, & locis Portugalliæ dominio subjectis commorantes, vel ad illa declinantes, possunt Bullæ privilegiis frui, ita etiam omnes utriusque sexus fideles in Hispaniæ Regnis, aliisque terris Hispaniæ subjectis, commorantes, vel ad illa declinantes, possunt uti Bullæ privilegiis; quæ verba hic veniunt explicanda.

SECTIO I.

An Catechumenus possit uti Bullæ privilegiis?

3. SUppono primò, Catechumenum illum in præsenti quæstione dici, qui jam est fidelis, non tamen baptisatus, sive jam sit perfectè, sive imperfectè instructus.

4. Suppono secundò, Catechumenum non posse uti multis Bullæ privilegiis; quia nequit eligere confessarium, qui illum absolvat à reservatis, vel censuris; quia ante baptismum est incapax non solùm Sacramenti pœnitentiæ, sed etiam aliorum Sacramentorum; nec etiam ligari potest censuris, nec etiam Bullâ indiget ad comedenda ova, & lacticinia diebus prohibitis; quia cùm non sit baptisatus, non tenetur ad observantiam præcepti Ecclesiastici. Idem dicendum de privilegio audiendi missam tempore interdicti, propter eandem rationem: His suppositis, in quibus omnes conveniunt.

5. Primum dubium sit: An Catechumenus possit frui indulgentiis Bullæ? Partem affirmativam defendunt Henriq. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 20. *n.* 8. Navar. *de jubil. notab.* 31. *sub n.* 48. *& notab.* 32. *n.* 10. & probabilem fatetur Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 1. *dub.* 6. *in fine.* His adhærere videntur Granad. *in* 3. *part. de Sacram. tomr.* 12. *tract.* 15. *disp.* 6. *n.* 2. *juncta disp.* 1. *n.* 4. Bartholam. à S. Faust. *de sacris indulg. lib.* 2. *q.* 80. dum asserunt Catechumenos tam vivos, quàm defunctos esse capaces indulgentiæ. Laym. *in Theol. moral. lib.* 5. *tract.* 7. *cap.* 6. *n.* 1. existimans tam vivos, quàm defunctos, si non per modum absolutionis (ut docuit Taner. *tom.* 4. *disp.* 6. *q.* 7. *num.* 93.) & justitiæ, saltem per modum suffragii, & impetrationis, cujus sententiam non improbat Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *num.* 145. Et indulgentias prodesse Catechumenis mortuis sine baptismo, inquiunt Villal. *in summ. tract.* 26. *diff. num.* 7. Faber. *de pœnit. in* 4. *dist.* 19. *q. unic. disp.* 37. *cap.* 8. *n.* 258. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 18. *num.* 1. quos præter alios citat, & sequitur Dian. *part.* 5. *tract.* 12. *resol.* 9. & id probabile dicit Dicastill. *tom.* 2. *de sacram. tract.* 9. *disp.* 2. *num.* 145. quamvis probabilius contrarium existimet, *n.* 146. Ex his sequitur, non esse negandam Bullam Catechumenis, quæ conceditur omnibus Christi fidelibus,

6. Probatur; quia etsi non habeant characterem baptismalem; illum tamen in voto susceperunt; & possunt esse Christi viva membra, & appellari Christiani; sunt enim capaces beatitudinis; & pro illis missæ sacrificium offerri potest: Ergo Bullæ indulgentiis frui possunt.

7. Dicendum tamen est; Catechumenos non posse frui Bullæ indulgentiis. Ita expressè Bard. *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 4. *n.* 18. Mend. *disp.* 4. *à n.* 8. & pro hac sententiâ etiam citari possunt omnes docentes Catechumenos esse incapaces indulgentiarum, ut Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 53. *sect.* 4. *n.* 8. Præpositus *in* 3. *part. q.* 10. *de indulg. dub.* 3. *n.* 28. Cardin. de Lug. *de pœnit. disp.* 27. *n.* 2. Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 24. *punct.* 8. *n.* 2. Arrias *de pœnit. disp.* 25. *n.* 15. *vers. primo quæritur; & disp.* 28. *n.* 23. & alii communiter. Ratio est, quia indulgentia, quæ per Bullam conceditur, vel est per modum absolutionis, & solutionis, ut est, quæ conceditur vivis, vel per modum solius solutionis, seu suffragii, ut est, quæ defunctis impertitur: Sed indulgentia, quæ conceditur per modum absolutionis; seu solutionis necessariò importat jurisdictionem in absolvente, & remittente, ut notant communiter D D. apud Barthol. de S. Faust. *lib.* 2. *q.* 25. quam non habet S. Pontifex in Catechumenos; cum per januam baptismi in Ecclesiam non sint ingressi. Deinde indulgentia, quæ conceditur per modum solutionis, seu suffragii, requirit in recipiente baptismum realiter susceptum, quem Catechumeni non obtinuerunt: Ergo nullo modo indulgentiis Bullæ frui possunt.

8. Major constat ex ipsâ Bullâ: Minor, quoad primam partem manet probata ex communi consensu D D. apud Faust. Secunda pars ejusdem minoris ostenditur; quòd indulgentia concessa per modum solutionis, seu suffragii requirat in subjecto baptismum realiter susceptum; quia S S. Patres, & communiter Theologi docent Catechumenos esse incapaces fructus sacrificii missæ ex opere operato. Ita Soar: *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 48. *sect.* 6. *n.* 9. *& tom.* 3. *disp.* 76. *de sacrificio missæ sect.* 10. *initio.* Vazq. *in* 3. *part. tom.* 3. *disp.* 227. *cap.* 3. Card. de Lug. *de sacram. Euchar. disp.* 19. *sect.* 10. Hurt. Præposit. Laym. & alii, quos citat Bard. *part.* 4. *tract.* 4. *cap.* 3. *n.* 4. & sequitur *n.* 7. Mendo *disp.* 4. *n.* 11. contra non paucos, quos sequitur Lezan. *tom.* 4. *verbo missa n.* 7. Sed fructus indulgentiæ est etiam ex opere operato: Ergo cùm indulgentiæ per modum solutionis, seu suffragii concessæ, requirant in subjecto baptismum realiter susceptum, Catechumeni non possunt gaudere indulgentiis Bullæ, sive in illâ sint concessæ per modum absolutionis, seu solutionis, sive solùm per modum solutionis, seu suffragii: Ex his patet solutio ad fundamentum pro oppositis sententiis *n.* 6. adductum.

§. UNICUS.

Dissolvuntur alia dubia circa Catechumenos.

9. Secundum dubium: An Catechumenus possit uti Bullâ, quoad privilegium compositionis bonorum incertorum? Affirmant Henriq. *lib.* 7. *cap.* 20. *n.* 8. *& cap.* 34. *n.* 3. Trullench. *in Bulla lib.* 3. *dub.* 20. *n.* 1. Probari po-

test

test, quia Catechumeni in favorabilibus veniunt nomine Christianorum, ut docet Meroll. *tom. 2. disp. 4. cap. 9. dub. 3. resol. 3. n. 31.* sed posse uti privilegio compositionis pro incertis, est privilegium favorabile concessum per Bullam fidelibus Christianis, ut constat ex ipsâ Bullâ: Ergo illo possunt gaudere Catechumeni.

10. Dicendum tamen probabilius, non posse Catechumenum uti privilegio in Bullâ concesso pro compositione incertorum. Ita Bard. *part. 1. tract. 2. cap. 4. n. 21.* Mendo *disp. 4. n. 8.* Ratio est, quia S. Pontifex concedens hoc privilegium in Bullâ fidelibus Christianis, illud concedit jurisdictione, quâ pollet in illos, sed, ut supra vidimus, nullam habet jurisdictionem in Catechumenos: Ergo illis non censetur concedere privilegium componendi pro incertis. Aliam invenies rationem apud Bardi asserentem, hoc privilegium compositionis esse odiosum, ac proinde non comprehendere Catechumenos, qui in odiosis non veniunt nomine Christianorum. Hæc tamen hujus Authoris ratio est juxta suam doctrinam, de quâ *supra disp. 1. n. 68.* quam modò non impugnamus, quia *cit. loco* manet impugnata.

11. Ad fundamentum oppositum *n. 9.* respondeo primò, negando majorem cum Anton. Ricciul. *tract. de jur. person. cap. 7. n. 15.* & probabile dicit Meroll. *cit. n. 31.* Nec etiam in favorabilibus Catechumenos venire nomine fidelium Christianorum. Respondeo secundò, distinguendo majorem; Catechumeni in privilegiis favorabilibus veniunt nomine fidelium Christianorum, quando sunt concessa per eum, qui in eos habebat jurisdictionem, concedo majorem: Si in eos non habeat jurisdictionem, nego majorem. At cum privilegium sit velut altera lex, requirit jurisdictionem in concedente, quæ non datur in S. Pontifice in Catechumenos, ut vidimus *n. 7.*

12. Objicies pro sententiâ Henriq. Regulares sunt exempti à jurisdictione Episcopi: & tamen possunt de licentiâ suorum Prælatorum se illi subjicere, ut obtineant aliquas dispensationes, & absolutiones, ad quas potestas Prælatorum non extenditur, ut cum multis docet Sanch. *lib. 4. Decal. cap. 39. n. 32. & 33.* Ergo etiam Catechumeni, quanvis non subjaceant S. Pontificis jurisdictioni, poterunt illi, vel suo delegato Commissario Generali se submittere, ut ab eo obtineant compositionem bonorum incertorum. Respondeo negando consequentiam: dispar ratio est, quia exemptio Regularium ab Episcopo concessa est Religionibus in favorem ipsorum Religiosorum, cui renuntiare valent de licentiâ suorum Prælatorum ad prædictum effectum: At Catechumeni, non ex privilegio, sed ex incapacitate status, sunt exempti à jurisdictione Pontificiâ, & ideo illi renuntiare nequeunt.

13. Tertium dubium: An Catechumeni possint Bullam accipere, ut virtute illius, sibi ipsis commutentur vota, seu juramenta? Affirmat Henriq. *supra cit.* Probat hanc conclusionem, & prædictas *n. 3. & 7.* allatas; quia novitius, quanvis verè non sit Religiosus, privilegiis gaudet Religionis: Ergo etiam Catechumenus, licèt verè non sit baptizatus, privilegiis gaudet baptizati.

14. Dicendum tamen est, Catechumenum Bullam non posse accipere, ut sibi commutentur vota, & juramenta. Ratio est, quia ad commutationem voti, & juramenti requiritur jurisdictio spiritualis, ut videre est apud Sanch. *lib. 4. decal. cap. 37. n. 37. & 38.* Sed in Ecclesiâ non datur jurisdictio spiritualis in Catechumenos: Ergo per Bullam illorum vota, & juramenta commutari nequeunt: nam jurisdictio, quæ per Bullam delegatur ad has commutationes, provenit ab eâ, quam Ecclesia habet in baptizatos.

15. Ad fundamentum contrarium *n. 13.* respondeo, negando consequentiam: diversa ratio est; quia novitius, licèt non sit verè Religiosus, nec teneatur ad statuta Religionis secundùm probabiliorem opinionem, cùm tamen portet habitum Religionis, sentiatque illius onus, illiusque Prælatis subjiciatur, illius etiam privilegiis gaudet: At Catechumenus Prælatis Ecclesiæ non subditur quoad spiritualia, nec sentit onus Ecclesiæ, quia non est baptizatus, idcirco baptizati privilegiis non fruitur.

16. Quartum dubium: An Catechum. valeant Cruciatam recipere, ut tempore interdicti, in loco sacro sepeliantur, juxta opinionem defendentem Catechumenum, qui ex hâc vitâ decessit cum baptismo flaminis, nempe cum verâ contritione, posse in loco sacro sepeliri: de quâ opinione consulendi sunt Anellus Persicus *de offic. sacerd. lib. 1. cap. 7. dub. 8. num. 76.* Rodrig. *in sum. 1. part. cap. 153. n. 6.* contra Palud.? Respondeo, positâ hâc opinione, non posse Bullam sumi pro Catechumeno, ut tempore interdicti in loco sacro sepeliatur. Ratio jam est assignata, quia hoc privilegium conceditur à sum. Pontifice per Bullam, fidelibus sub suâ jurisdictione existentibus: at Catechumeni illius jurisdictioni non subjacent. Ita Bard. *ubi supra n. 25.* quanvis id probet ex ratione deducta à text. *in cap. Quod in te de pœnit. & Remiss.*

SECTIO II.

An infantes, amentes, schismatici, & hæretici Bullæ privilegiis uti valeant?

17. Dico primò: Bulla infantibus, & usu rationis perpetuò carentibus prodesse potest, ut tempore interdicti loco sacro sepeliantur, cum moderatâ pompâ, nempe, cum Missâ in gratiarum actionem. Ita DD. communiter Rodrig. *in addit. ad §. 5. num. 32.* Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 20. n. 8.* Trullench. *in Bullam lib. 1. §. 1. dub. 6. num. 1.* Castr. Palao *tom. 4. tract. 25. punct. 2. num. 1.* Tambor. *tract. de Bulla cap. 3. §. 1. num. 10. & 11.* Bard. *part. 1. tract. 2. cap. 4. num. 81.* Mend. *disp. 4. num. 12.* Ratio est, quia S. Pontifex generaliter omnibus Christi fidelibus illam concedit sinè distinctione ætatis, & conditionis amentiæ.

18. Dico secundò: Ut infantes, & usu rationis perpetuò carentes gaudeant prædicto privilegio, debet aliquis pro illis Bullam sumere, erogatâ eleemosynâ; & sufficit quòd Bullæ acceptatio nomine illorum fiat à dantibus pro illis eleemosynam, qui vel sunt tutores, aut Curatores, qui pro pupillis, minoribus, & amentibus acceptare possunt *l. cum qui §. ult. ff. de const. pecun.*

pecun. Molin. *de just. tract.* 2. *disput.* 264. *Vers. Procurator Principis; in fine* aliam rationem affert Bard. *num.* 85. quæ facilè impugnari potest; sicut rectè aliorum impugnat.

19. Dico tertiò: Pro amentibus, phreneticis, & furiosis, qui post adeptum usum rationis in amentiam inciderint, potest alius Bullam sumere: Primò, ut tempore interdicti loco sacro sepeliantur. Secundò; ut absolvantur à censuris, si in illas antè incurrerunt. Tertiò; ut eis indulgentia applicetur. Idem de ebrio morti proximo, si absque illius culpâ ebrietas contigerit, vel de eâ ante pœnituerit; ita Rodrig. Trullench. Mend. *locis cit.* Bard. *n.* 87.

20. Dico quartò; schismaticus, qui fidem divinam non deseruit, sed solùm se subtrahit ab obedientiâ S. Pontificis, potest Bullæ privilegiis frui, si pœniteat, & se subdat Pontifici. Si tamen in suâ pertinaciâ persistat, adhuc aliquibus Bullæ privilegiis gaudere potest: Videlicet commutatione votorum, & juramentorum, in sententiâ aliquorum qui ad hanc commutationem non requirunt confessionem; quam probabiliorem censemus, ut *infra* videbimus. Potest tamen uti privilegio vescendi ova, & lacticinia diebus prohibitis, & compositione incertorum, & omnibus aliis, quæ, per excommunicationem, quâ ligatus existit, non impediuntur. Ratio est, quia cum fidem retineat venit in Bullâ nomine fidelium. Ita Bard. *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 4. *à n.* 51. licèt oppositum sustineat Mendo *in append. ad Bull. disp.* 1. *n.* 32. Non immoror in aliis privilegiis, quia cùm schismaticus sit excommunicatus, & inobediens Ecclesiæ, aliis non fruitur.

21. Dico quintò: Hæretici sive sint interni, sive externi, privilegiis Bullæ gaudere nequeunt. Hæc conclusio est, quoad hæreticum internum contra Ludovic. à Cruce *in Bull. disp.* 1. *cap.* 1. *dub.* 8. & Lezan. *tom.* 3. *qq. Regul. verb. Bulla Cruciatæ n.* 6. Et etiam, quoad externum, contra Trullench. *ibidem lib.* 1. §. 1. *dub.* 8. *n.* 3. Mendo *disp.* 4. *n.* 14. *& in append. disp.* 1. *n.* 31. Attamen defenditur à Bard: *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 4. *Sect.* 2. §. 1. *&* 2. Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 3. §. 1. *n.* 2. *licèt n.* 4. probabile existimet, hæreticum internum posse uti Bullâ.

22. Probatur nostra conclusio primò; quia Bulla conceditur à S. Pontifice omnibus Christi fidelibus, ibi: *Omnes utriusque sexûs Christi fideles*: Sed hæretici, sive interni, sive externi non sunt Christi fideles; carent enim habitu fidei: Ergo illis Bulla non conceditur.

23. Secundò probatur; quia hæretici in favorabilibus nomine Christianorum non veniunt, sed tantùm Catholici; sed Bullæ concessio est favor: Ergo hæreticis non conceditur. Major ostenditur cum communi D. D. in explicatione Canon. 4. Bullæ Cœnæ, in quo fertur excommunicatio contra rapientes bona Christianorum naufragantium, quorum nomine non veniunt hæretici, ut docent, Ugolin. Vivald. Filliuc. Sayr. Reginald. Duard. & alii, quos citant, & sequuntur Bonacin. *tom.* 3. *de cens. in partic. disp.* 1. *q.* 5. *punct.* 3. *n.* 5. Castr. Palao *de cens. tom.* 6. *tract.* 29. *disp.* 3. *punct.* 5. *n.* 8. Leand. de Sacramento. *tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 4. *q.* 7. Si ergo hoc loco nomine Christianorum non veniunt hæretici, quia hæc censura lata est in favorem Christianorum, nec etiam in Bullâ veniunt nomine fidelium, quæ in favorem fidelium Christianorum conceditur.

24. Dices pro oppositâ sententiâ: Hæreticus est Christianus, quia per Ecclesiæ januam est ingressus, & retinet characterem baptismalem: Ergo, ut alii Christiani, poterit Bullæ privilegiis frui. Respondeo primò, licèt sit Christianus, non posse uti Bullâ, quæ non conceditur quibuscunque Christianis, sed iis, qui sunt fideles, quales non sunt hæretici, ut ostensum est. Respondeo secundò, quanvis sint Christiani, in favoribus tamen, & favorabilibus, non venire nomine Christianorum, ut vidimus: Bulla autem est favor, Christianis concessus.

SECTIO III.

An existens in peccato mortali, aut excommunicatus privilegia Bullæ participare valeant?

25. Circa primum singularis est sententia Cajet. *tract.* 10. *de indulg. cap.* 2. *& tract.* 15. *cap.* 9. *&* 10. postulantis in suscipiente Bullam statum gratiæ, quia existimat omnia opera requisita ad indulgentiæ consequutionem, ab homine in statu gratiæ esse præstanda: sed unum ex requisitis, ad consequendas Bullæ indulgentias, est suscipere Bullam: Ergo qui illam suscipit in peccato mortali, illius indulgentias lucrari non potest.

26. Dicendum tamen est, in suscipiente Bullam, non requiri statum gratiæ. Ita expressè à Cost. *q.* 15. *vers. ut autem certa.* Henriq. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 9. *n.* 7. Villal. *tract.* 27. *in proœm. n.* 5. Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *punct.* 2. *n.* 13. Mend. *disp.* 4. *n.* 1. Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 3. §. 1. *n.* 1. Villal. *tract.* 27. *in tit. n.* 5. Lezan. *tom.* 3. *qq. Regul. verb. Bulla Cruciatæ n.* 6. Pro hac etiam sententiâ citari possunt asserentes, sufficere, pro consequendâ indulgentiâ, quòd ultimum opus præscriptum, fiat in statu gratiæ. Ita Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 52. *sect.* 2. *n.* 7. Laym. *lib.* 5. *tract.* 7. *cap.* 6. *n.* 2. Castro Palao *citat. tract.* 24. *punct.* 18. *n.* 3. Dicostill. *tom.* 2. *de Sacram. tract.* 9. *disp.* 2. *n.* 150. Dian. *part.* 5. *tract.* 12. *resol.* 18. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *n.* 152. & alii. Probatur, non requiri statum gratiæ, in sumente Bullam; quia id non postulatur à S. Pontifice; & confirmatur, quia Bulla conceditur, ut quis à reservatis absolvatur: Ergo quando Bullam sumit, supponitur esse in peccato mortali; nam licèt per contritionem perfectam possit esse in statu grariæ, cum id scire non valeat, semper existit dubius de validitate Bullæ sumptæ. An verò aliqui dentur peccatores non valentes Bullam sumere; dicemus Sect. sequente.

27. Circa secundum; nempe, An excommunicatus possit sumere Bullam, & illius participare privilegia? Majus est dubium. Primò quia rescriptum impetratum ab excommunicato super aliâ gratiâ, quàm absolutione ab excommunicatione, non valet, *cap.* 1. *de rescript. in* 6. & D D. ibi: Ergo excommunicatus invalidè Bullam suscipit. Secundò, quia excommunicatus

nicatus videtur esse extra Ecclesiam, ut inquit Card. Belarm. *lib. 3. de Eccles. Milit. cap. 6.* Alter. *de cens. tom. 1. lib. 1. disp. 5. cap. 10.* Ricciul. *de jur. & person. lib. 4. cap. 1. n. 2.* Ergo si excommunicatus, juxta hos Authores, est extra Ecclesiam, Bullæ privilegiis gaudere non potest.

28. Ante resolutionem suppono, privilegia Bullæ esse in triplici differentiâ: In primâ sunt illa, quæ requirunt in habente Bullam, statum gratiæ, ut sunt indulgentiæ. In secundâ sunt, quæ supponunt unionem, & communionem inter ipsos fideles, quæ prohibetur per excommunicationem, & quoad rem præsentem, sunt interesse divinis, sepeliri in loco sacro tempore interdicti, &c. In tertiâ sunt illa, quæ nec concernunt statum gratiæ, nec communionem cum fidelibus, ut commutatio votorum in sententiâ asserente, potest fieri extra confessionem, (quam *infra* amplectemur) comestio ovorum, lacticiniorum, & carnium diebus prohibitis, & compositio incertorum. Hoc supposito,

29. Dico primò: Excommunicatus potest utiliter sumere Bullam. Ita cum Cajetan. Sylvest. Sot. Angl. Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 18. n. 2. in gloss. litter. Y.* & cum Rodrig. & Navarr. Trullench. *lib. 1. §. 1. dub. 8. n. 2.* Villal. *tract. 27. claus. 1. n. 6.* Ludovic. à Cruce *in Bull. disp. 1. cap. 1. dub. 4. n. 2.* Vincent. Riccius *in addit. super Rodrig. §. 1. n. 17.* Castr. Palao *tom. 4. tract. 25. punct. 2 n. 12.* Bard. *part. 1. tract. 2. cap. 4. n. 56.* Mend. *disp. 4. n. 13.* Tamborin. *tract. de Bullâ cap. 3. §. 1. n. 1.* Probatur; quia Bullæ concessio est universalis pro omnibus Christi fidelibus: sed excommunicatus est Christi fidelis; quia per excommunicationem non amisit fidem: Ergo Bullam potest accipere.

30. Dico secundò: Excommunicatus non potest uti Bullæ privilegiis, in primâ differentiâ numeratis; quia indulgentia supponit in subjecto statum gratiæ sanctificantis, & cùm excommunicatus sit pertinax, in eo statu non est: si autem pertinax non sit, nec per eum stet quominus, ab excommunicatione absolvatur, & per contritionem in statu gratiæ ponatur, potest ingredi Ecclesiam dum divina officia non celebrentur, ibique visitare quinque altaria in diebus designatis pro stationibus, & consequi Bullæ indulgentiam, sicut enim Deus illum in suam recipit amicitiam, ita Mater Ecclesia in consortium thesauri Ecclesiæ. Ita non improbabiliter Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 18. n. 2.* Mend. *proximè.* Boss. *de triplici jubil. sect. 4. cas. 22. §. 1. n. 17.* Gobat. *tom. 2. tract. 4. n. 146.* & alii apud Dian. *part. 5. tract. 12. resol. 13.* contra opinionem communem, quam cum pluribus tenet ipse Dian.

31. Dico tertiò: Bulla non prodest excommunicatis, quoad privilegia in secundâ differentiâ recensita; quia ante absolutionem ab excommunicatione, non potest sacris interesse, nec sacro loco sepeliri.

32. Dico quartò: Excommunicatus potest uti Bullâ quoad privilegia, in tertiâ differentiâ, allata, quia commutatio votorum, (si extra confessionem fieri potest) comedere ova, lacticinia, & carnes de consilio utriusque Medici diebus prohibitis, & compositio super bonis incertis, non sunt incompatibilia cum excommunicatione.

33. Dico quintò: Irregularis, suspensus, interdictus, & degradatus possunt uti Bullæ privilegiis, quæ non repugnant cum his censuris; & esse capaces indulgentiarum; ita cum Benzon. docet Gobat. *supra n. 147.*

34. Ad primam rationem dubitandi n. 25. adductam, respondeo, negando consequentiam: Primò, quia excommunicatus accipit Bullam, ut ab excommunicatione absolvatur. Secundò respondeo, excommunicatum non impetrasse Bullam; textus verò citat. loquitur de excommunicato impetrante rescriptum super aliâ gratiâ, quàm excommunicatione. Unde hic casus est diversus; privilegia verò aliqua in Bullâ concessa possunt obtineri sine absolutione à censurâ, quia absque conditione, & limitatione conceduntur. Ad secundam respondeo, excommunicatum esse extra Ecclesiam quoad aliqua, nempe: quoad communicationem cum fidelibus in spiritualibus, & temporalibus; non verò quoad omnia; quia retinet fidem, quod sufficit, ut sit fidelis, & possit Bullâ gaudere, quoad ea, quæ cum excommunicatione compatiuntur.

SECTIO IV.

An peccans contra Bullam, aut ejus confidentiâ, privilegiis ipsius Bullæ frui valeat?

35. Sub hoc titulo, quatuor occurrere possunt quæstiones explicandæ. Prima est, circa habentes bona ad Bullæ opus designata, an possint Bullæ privilegiis, & gratiis gaudere? Respondeo cum distinctione; posse, si datâ copiâ Commissarii, vel ab eo deputatorum ea bona ei, vel eis propalent, & restituant; si verò non propalent, nec restituant, non posse. Sic expressè in Bullâ plumbeâ, ibi: *Declarantes hos tales, si scientes aliquid prædictorum retinuerint, nullomodo harum Litterarum, & gratia beneficio frui posse.* Et Commissarius in Summario per hæc verba: *Item amoesta sua Santidade a todos aquelles que tiverem em seu poder algum dinheiro, ou alguns bens destinados a esta obra, ou alguns papeis, ou escripturas, que de alguma maneira ferams pertencentes ao mesmo effeito, que logo os entreguem, ou descubram ao dito Commissario general, ou a seus deputados, sob a mesma pena pecuniaria, e outras Ecclesiasticas censuras. E declara S. Santidade, que estes tais de nenhuma maneira possam gozar das graças, e benificios desta Bulla &c.*

36. Ex quibus verbis infertur, non posse, prædictos uti aliquo Bullæ privilegio, dum non restituunt dicta bona: Nam S. Pontifex in verbis allatis, utitur dictione, *nullomodo*, quæ cùm sit negativa, omne privilegium excludit, & præcisàm operatur prohibitionem, & idem, quod clausula decreti irritantis, ut ex jure, & DD. tradit Barbos. *tract. de dict. usu frequent. dict. 228. & de clausulis. 92.* De hâc quæstione vide dicenda *infra disp. 23. sect. 23. a n. 229.*

37. Secunda quæstio: An qui committit reservata ex confidentiâ Bullæ, possit illius virtute absolvi? De hâc tamen quæstione dicemus *infra disp. 15. sect. 12. a n. 129.*

38. Tertia; siquis ex confidentiâ Bullæ,

bona incertorum surripiat, an possit postea per Bullam se componere? De hâc tractabitur *disp.* 25. *sect.* 2. *a n.* 44.

39. Quarta: An qui negligens fuit in confessione annuâ, fiduciâ hujus Bullæ, nolens sua fateri peccata sacramentaliter, acquirat indulgentiam plenariam tempore mortis repentinæ concessam. De hâc consule *disp.* 8. *sect.* 5. *a num.* 45. ubi exponetur. Interim ad alia procedamus.

SECTIO V.

An Regulares possint Bullæ privilegiis frui?

40. Hic non agimus de illis privilegiis, quæ concernunt pœnitentiæ sacramentum; de his tractabimus *infra disp.* 20. *à sect.* 4. Inquirimus tantùm: An Regulares possint uti reliquis privilegiis, & indultis in Bullâ contentis? Respondeo, posse omnibus aliis uti absque ullâ exceptione. Ratio est, quia veniunt nomine fidelium, & Bullæ privilegia omnibus Christi fidelibus conceduntur. Confirmatur, quia Gregorius XIV. per quoddam Breve speciale (de quo *infra disp.* 5. in principio) concessit facultatem taxandi eleemosynam singulis personis, & inter illas, Religiosos, & Religiosas numerat.

41. Dixi: *posse Regulares omnibus aliis privilegiis absque ullâ exceptione uti*; quia in Bullâ Hispanâ à privilegio edendi ova & lacticinia, tempore quadragesimali, excipiuntur Regulares non sexagenarii: at in Bullâ Lusitanâ nulla fit exceptio; ideoque absque ullâ exceptione, etiam ætatis, eo privilegio uti valent, ut *infra* dicemus.

42. Difficultas tamen est: An indigeant Regulares licentiâ suorum superiorum ad Bullam accipiendam, ut privilegiis, quæ non concernunt pœnitentiæ sacramentum, fruantur? Indigere dictâ licentiâ non solùm, ut licita, sed ut valida sit susceptio Bullæ, asserit Avendanûs in Thesaur. Indic. *tom.* 1. *tit.* 5. *num.* 255. Excipit tamen casum, in quo superior injustè neget dictam licentiam; & pro hâc sententiâ citat, quos adducit Mend. *disp.* 4. *n.* 17. sed non rectè ut mox videbimus. Eam tamen sententiam expressè defendit Mend. *cit. n.* 19. additque *n.* 20. pósse superiorem ex legitimâ causâ licentiam denegare, si verò certò constet, non adesse legitimam causam, tunc posse subditum Bullam sumere. Eandem tenet Rodrig. *in Bull.* §. 9. *n.* 24.

43. Communis tamen sententia tenet, posse Regulares, Bullam sumere absque licentiâ superiorum. Ita Trullench. *in Bulla lib.* 1. §. 1. *dub.* 7. *num.* 3. Juniperus à Depran. *lib. part. secunda disput. q.* 5. *cap.* 3. *n.* 3. apud Avendan. *proximè.* à Cost. *quæst.* 106. Bardi verò *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 5. *n.* 122. & Tamborin. *in tract. de Bull. cap.* 3. §. 1. *num.* 12. eandem tenent sententiam, quoad alios Religiosos, exceptis nostræ societatis. At Mend. *in appendic. disp.* 1. *num.* 49. absque hâc exceptione fatetur, Religiosum, qui sine licentiâ superioris Bullam acciperet, posse illius gratiis gaudere; esto acceptione venialiter peccet contra obedientiam, aut paupertatem, & nullo modo peccabit, si ei gratis Bulla ab amico tradatur; quod etiam docet Arriag. *tom.* 8. *disp.* 26. *n.* 28. & Lezand. mox citandus.

44. Addunt à Cost *cit.* Villalob. *in summ. t.* 1. *tract.* 27. *claus.* 12. *num.* 29. quos sequitur Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 99. Prælatos Regulares, peccare mortaliter, prohibendo, ne subditi Bullam suscipiant; quod negat Lezan. *in summ. qq. regul. Verb. Bulla Cruciat. num.* 3. Advertunt autem Villal. *cit. n.* 28. Rodrig. *num.* 7. Valer. *in differen. utriusque for. verb. Bull. Cruciat. diff.* 1. *num.* 2. Dian. *loco cit.* & Mend. *diff. disp.* 4. *num.* 21. quoad Religiosos Societatis, posse superiores, licentiam quoad talem usum, aut quoad talem facultatem limitare. Hæc sunt placita DD. Quod censeo, per sequentes conclusiones exponam.

45. Dico primò: Religiosi, tam nostræ Societatis, quàm aliarum Religionum non possunt licitè Bullam sumere absque expressâ, vel tacitâ licentiâ suorum superiorum, etiam ad usum illorum privilegiorum, quæ pœnitentiæ sacramentum non concernunt. Ita Emman. Rodrig. & Mend. *locis citatis.* Ratio est, quia licèt S. Pontifex velit, quòd Religiosi Bullam suscipiant; id tamen dependenter à voluntate superioris, debet intelligi; ut peccatum contra paupertatem, & obedientiam evitetur. Si autem Prælatus neget injustè licentiam, poterit subditis ad dictum usum, illam sumere, & illius uti gratiis, sic DD. *citat. n.* 47.

46. Dico secundò: Cæteri Religiosi, qui ex nostrâ Societate non sunt, si Bullam accipiant absque expressâ, vel tacitâ licentiâ suorum superiorum ad usum dictorum privilegiorum, licèt sumptio Bullæ sit illicita, est valida. Hæc est contra Avendanûm *cit.* & traditur ab illis, qui non requirunt licentiam superioris, ut subditus possit illis uti privilegiis, quos citavimus *n.* 43. pro communi sententiâ. Ratio cur sit illicita, est quia est contra voluntatem superioris, & paupertatem, ut *supra* diximus. Ratio verò cur sit valida est, quia ut inquit Bard. *num.* 122. nullum invenitur Breve, in quo Religiosis sit interdictus usus Cruciatæ, quoad alias gratias, quæ non concernunt pœnitentiæ sacramentum; nam si hæ solùm excipiuntur, & non aliæ, aliæ censentur concessæ, juxta *regul. in l. quæsitum* §. *denique ff. de fund. instrum.* & Glos. *in rubric. de regul. juris in 6.* Exceptio enim firmat regulam in contrarium: si ergo aliæ excipiuntur facultates, & non hæ, hæ non consentur invalidæ; cùm non detur textus, qui sumptionem Bullæ ad has gratias irritet.

47. Dico tertiò: Probabile est, Religiosos nostræ Societatis, posse aliquibus privilegiis validè uti, absque expressâ legitimi superioris licentiâ. Hæc conclusio est contra Bard. & Tamborin. *locis citatis*; defenditur tamen à Mend. *in appendic. disp.* 1. *num.* 48. Ratio est, quia ideo aliquibus privilegiis in Bullâ contentis non possent frui; quia Gregorius XIII. in Const. edita 3. Martii, quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem*, quæ habetur in lib. Littefar. Apostolicar. pro Societate, prohibuit usum facultatum in Bullâ Cruciatæ contentarum, per hæc verba. *Non esse, nec fore unquam mentis nostræ, aut sedis Apostolicæ, ut personæ Societatis, absque expressâ superiorum ejusdem societatis licentia, tententur facultatibus, quæ in Jubilæis, Bullis Cruciatæ, Confessionalibus, aut aliis quibuscùis Apostolicis*

cis indultis &c. Sed in dictis verbis, nomine facultatum solùm prohibentur facultates eligendi confessarios; ergo aliis poterunt gaudere. Minor probatur ex verbis antecedentibus, & subsequentibus: Ex antecedentibus quia in illis S. Pontifex ponit causam motivam hujus prohibitionis, nempe relaxationem disciplinæ regularis, quæ per electionem confessarii potest relaxari, & non per lucrationem indulgentiarum, & aliorum indultorum consequutionem. Et ex sequentibus, in quibus S. Pontifex magis suam mentem declarat, videlicet: exprimendo Religiosos Societatis debere obtinere à suis superioribus licentiam utendi dictis facultatibus, & casu, quo eam obtineant, adhuc teneri cum confessariis à superioribus deputatis confessiones perficere.

48. Objicies pro sententia Avendan. Religiosus non acquirit indulgentiam euntibus ad bellum in Bullâ Hispanâ concessam, si absque licentiâ sui superioris ad bellum contra infideles proficiscatur: Ergo etiam Religiosus indulgentias Bullæ non lucrabitur, si absque licentiâ sui superioris eleemosynam præstet, & Bullam accipiat. Respondeo, negando consequentiam; diversa ratio est, quia antecedens in Bullâ Hispanâ expressè habetur, non verò consequens: & hujus ratio est, quia si Religiosus ad bellum contra infideles proficisceretur, non habitâ licentiâ sui superioris, disciplina regularis relaxaretur; at non relaxatur ob parvam eleemosynam pro Bullâ erogatam, quæ potest haberi ab amico, vel ab alio absque peccato mortali, quando Conventus est pauper, & non potest pro subditis eas eleemosynas erogare.

SECTIO VI.

An qui non habent proprium nomen in summario inscriptum, Bullæ privilegiis fruantur.

49. EXpositio hujus quæstionis est maximè necessaria, ut errores in praxi sæpius occurrentes, corrigantur. Et non opus esse, habere nomen sumentis Bullam, inscriptum in ipsâ Bullâ, ut illius privilegiis utatur, videntur probare rationes sequentes.

50. Prima, Quia inscriptio nominis propriè non præcipitur ab ipsâ Bullâ Latinâ; nec in eâ privilegia invalidantur, si in summario nomen non ponatur: Ergo si aliquis Bullam accipiat loco, & tempore opportuno, & designatam à Commissario eroget eleemosynam, Bullæ privilegiis gaudebit.

51. Secunda: Quia licèt in Bullâ Hispanâ præcipiatur inscribi in Bullâ nomen proprium, suscipientis Bullam, per hæc verba: *Receperint, receptumque penes se retinuerint, præfatum typis excussum Bullæ summarium, descripto ibidem unius cujusque nomine proprio &c.* Attamen omnes expositores Bullæ Hispanæ asserunt, etiamsi in summario non scribatur, adhuc accipientem Bullam, illius gaudere privilegiis, ut videre est apud Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 20. n. 7.* Emman. Rodrig. §. 12. *n.* 16. Ludovic. à Cruce *l. 1. cap. 1. dub. 1. num. 4.* Trullench. *lib. 1. §. 1. dub. 4. n. 3.* Villal. *tract. 27. claus. 12. n. 23.* Bard. *part. 2. tract. 7. cap. 2. n. 3.* Mend. *disp. 21. num. 12.* Castr. Palao *tom. 4. tract. 25. punct. 2. n. 7.* Tambor. *tract. de Bulla, cap. 15. §. 2. n. 2.* Ergo etiamsi nomen proprium in Bullâ Lusitanâ non scribatur, adhuc illam sumens, illius fruetur privivilegiis.

52. His non obstantibus: dico omninò esse necessarium inscribi nomen proprium in summario Lusitano, ut quis possit uti Bullæ privilegiis. Ratio est evidens; quia ita disponit Commissarius Generalis in ipso summario, per hæc verba: *Tomarum este summario da Bulla, que levarum con figo com seu nome neste escrito; e nam levando por si, ou por outrem, nem se escrevendo neste o seu nome lhe nam valerá.* Ergo duponente Commissario, non valere summarium, illud sumenti, si nomen proprium in eo non sit scriptum, expressè declarat, non posse, uti privilegiis, in eo contentis.

53. Quod verò Commissarius facultatem habeat ad hanc dispositionem adhibendam, ostenditur; quia facultatem obtinet, faciendi, & exequendi omnia, quæ necessaria, & quomodolibet opportuna sibi visa fuerint, ad Bullæ expeditionem; ut constat ex Bulla Clementis VIII. per successores, & Sanctissimum Innocentium XI. extensâ, ibi: *Commissario Generali nuper deputato, plenam, & liberam in præmissis facultatem, & authoritatem tribuimus per se, vel per alium, seu alios, quos ad id idoneos duxerit, ad executionem præmissorum, vel aliorum juxta facultates concessas, omni, & quâcunque appellatione postpositâ procedendi, aliaque faciendi & exequendi, quæ in præmissis circa ea necessaria fuerint, & quomodolibet opportuna. Non obstantibus &c:* At inscriptio nominis in summario, est omnimodè necessaria, & opportuna ad Bullæ expeditionem: Ergo Commissarius juxta facultatem sibi à S. Pontifice concessam, poterat disponere, nomine in eâ non scripto, non valere.

54. Minor ostenditur: quia Bullæ finis extrinsecus est pecuniam pro manutentione militum congerere, ut constat ex ipsa Bulla: sed si nomen sumentis Bullam, in eâ non inscribatur, poterit iterum ad manus thesaurarii reddita, appropriatâ sibi eleemosynâ, per alios distribui, magnâ cum damnificatione pecuniæ congregandæ: Ergo, ut huic damno obvietur, necessarium, & opportunum remedium fuit, Bullæ valorem irritare, si nomen illam sumentis, in eâ non scribatur.

55. Ad primam rationem in *n.* 50. in contrarium, respondeo; quanvis in Bullâ Latinâ ea conditio inscriptionis nominis non apponatur, nec aliquod præceptum circa idem inferatur: datur tamen facultas Commissario; ut ea præcipiat, & disponat, quæ opportuna, & necessaria ad expeditionem Bullæ fuerint: ille autem opportunam judicavit prædictam dispositionem.

56. Ad secundum *n.* 51. respondeo, in Bullâ Hispanâ non inveniri ea verba irritantia, ut in Lusitanâ reperiuntur: & solùm datur præceptum de ea inscriptione nominis; & dari hoc præceptum aliqui negant: ut videre est apud Mend. *dicta disp. 21. n. 12.* bene ergo resolvunt expositores juxta illam Bullam, absque inscriptione nominis, posse frui privilegiis illam suscipientem; quia obligationes non sunt inducendæ, ubi expressè non habentur: At in Bulla Lusitanâ expressa datur irritatio, si nomen non inscribatur.

bona incertorum surripiat, an possit postea per Bullam se componere? De hâc tractabitur *disp. 25. sect. 2. à n. 44.*

39. Quarta: An qui negligens fuit in confessione annuâ, fiduciâ hujus Bullæ, nolens sua fateri peccata sacramentaliter, acquirat indulgentiam plenariam tempore mortis repentinæ concessam. De hâc consule *disp. 8. sect. 5. à num. 45.* ubi exponetur. Interim ad alia procedamus.

SECTIO V.

An Regulares possint Bullæ privilegiis frui?

40. Hic non agimus de illis privilegiis, quæ concernunt pœnitentiæ sacramentum; de his tractabimus *infra disp. 20. à sect. 4.* Inquirimus tantùm: An Regulares possint uti reliquis privilegiis, & indultis in Bullâ contentis? Respondeo, posse omnibus aliis uti absque ullâ exceptione. Ratio est, quia veniunt nomine fidelium, & Bullæ privilegia omnibus Christi fidelibus conceduntur. Confirmatur, quia Gregorius XIV. per quoddam Breve speciale (de quo *infra disp. 5. in principio*) concessit facultatem taxandi eleemosynam singulis personis, & inter illas, Religiosos, & Religiosas numerat.

41. Dixi: *posse Regulares omnibus aliis privilegiis absque ullâ exceptione uti*; quia in Bullâ Hispanâ à privilegio edendi ova & lacticinia, tempore quadragesimali, excipiuntur Regulares non sexagenarii: at in Bullâ Lusitanâ nulla fit exceptio; ideoque absque ullâ exceptione, etiam ætatis, eo privilegio uti valent, ut *infra* dicemus.

42. Difficultas tamen est: An indigeant Regulares licentiâ suorum superiorum ad Bullam accipiendam, ut privilegiis, quæ non concernunt pœnitentiæ sacramentum, fruantur? Indigere dictâ licentiâ non solùm, ut licita, sed ut valida sit susceptio Bullæ, asserit Avendanûs in Thesaur. Indic. *tom. 1. tit. 5. num. 255.* Excipit tamen casum, in quo superior injustè neget dictam licentiam; & pro hâc sententiâ citat, quos adducit Mend. *disp. 4. n. 17.* sed non rectè ut mox videbimus. Eam tamen sententiam expressè defendit Mend. *cit. n. 19.* additque *n. 20.* posse superiorem ex legitimâ causâ licentiam denegare, si verò certò constet, non adesse legitimam causam, tunc posse subditum Bullam sumere. Eandem tenet Rodrig. *in Bull. §. 9. n. 24.*

43. Communis tamen sententia tenet, posse Regulares, Bullam sumere absque licentiâ superiorum. Ita Trullench. *in Bulla lib. 1. §. 1. dub. 7. num. 3.* Juniperus à Depran. *lib. part. secunda disput. 9. 5. cap. 3. n. 3.* apud Avendan. *proxime.* à Cost. *quæst. 106.* Bardi verò *part. 1. tract. 2. cap. 5. n. 122.* & Tamborin. *in tract. de Bull. cap. 3. §. 1. num. 12.* eandem tenent sententiam, quoad alios Religiosos, exceptis nostræ societatis. At Mend. *in appendic. disp. 1. num. 49.* absque hâc exceptione fatetur, Religiosum, qui sine licentiâ superioris Bullam acciperet, posse illius gratiis gaudere; esto acceptione venialiter peccet contra obedientiam, aut paupertatem, & nullo modo peccabit, si ei gratis Bulla ab amico tradatur; quod etiam docet Arriag. *tom. 8. disp. 26. n. 28.* & Lezand. mox citandus.

44. Addunt à Cost *cit.* Villalob. *in summ. t. 1. tract. 27. claus. 12. num. 29.* quos sequitur Dian. *part. 1. tract. 11. resol. 99.* Prælatos Regulares, peccare mortaliter, prohibendo, ne subditi Bullam suscipiant; quod negat Lezan. *in summ. qq. regul. Verb. Bulla Cruciat. num. 3.* Advertunt autem Villal. *cit. n. 28.* Rodrig. *num. 7.* Valer. *in different. utriusque for. verb. Bull. Cruciat. diff. 1. num. 2.* Dian. *loco cit.* & Mend. *dict. disp. 4. num. 21.* quoad Religiosos Societatis, posse superiores, licentiam quoad talem usum, aut quoad talem facultatem limitare. Hæc sunt placita DD. Quod censeo, per sequentes conclusiones exponam.

45. Dico primò: Religiosi, tam nostræ Societatis, quàm aliarum Religionum non possunt licitè Bullam sumere absque expressâ, vel tacitâ licentiâ suorum superiorum, etiam ad usum illorum privilegiorum, quæ pœnitentiæ sacramentum non concernunt. Ita Emman. Rodrig. & Mend. *locis citatis.* Ratio est, quia licèt S. Pontifex velit, quòd Religiosi Bullam suscipiant; id tamen dependenter à voluntate superioris, debet intelligi; ut peccatum contra paupertatem, & obedientiam evitetur. Si autem Prælatus neget injustè licentiam, poterit subditis ad dictum usum, illam sumere, & illius uti gratiis, sic DD. *citat. n. 47.*

46. Dico secundò: Cæteri Religiosi, qui ex nostrâ Societate non sunt, si Bullam accipiant absque expressâ, vel tacitâ licentiâ suorum superiorum ad usum dictorum privilegiorum, licèt sumptio Bullæ sit illicita, est valida. Hæc est contra Avendanûm *cit.* & traditur ab illis, qui non requirunt licentiam superioris, ut subditus possit illis uti privilegiis, quos citavimus *n. 43.* pro communi sententiâ. Ratio cur sit illicita, est quia est contra voluntatem superioris, & paupertatem, ut *supra* diximus. Ratio verò cur sit valida est, quia ut inquit Bard. *num. 122.* nullum invenitur Breve, in quo Religiosis sit interdictus usus Cruciatæ, quoad alias gratias, quæ non concernunt pœnitentiæ sacramentum; nam si hæ solùm excipiuntur, & non aliæ, aliæ censentur concessæ, juxta *regul. in l. quæsitum §. denique ff. de fund. instrum.* & Glos. *in rubric. de regul. juris in 6.* Exceptio enim firmat regulam in contrarium: si ergo aliæ excipiuntur facultates, & non hæ, hæ non consentur invalidæ; cùm non detur textus, qui sumptionem Bullæ ad has gratias irritet.

47. Dico tertiò: Probabile est, Religiosos nostræ Societatis, posse aliquibus privilegiis validè uti, absque expressâ legitimi superioris licentiâ. Hæc conclusio est contra Bard. & Tamborin. *locis citatis*; defenditur tamen à Mend. *in appendic. disp. 1. num. 48.* Ratio est, quia ideo aliquibus privilegiis in Bullâ contentis non possent frui; quia Gregorius XIII. in Const. edita 3. Martii, quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem*, quæ habetur in lib. Littefar. Apostolicar. pro Societate, prohibuit usum facultatum in Bullâ Cruciatæ contentarum, per hæc verba. *Non esse, nec fore unquam mentis nostræ, aut sedis Apostolicæ, ut personæ Societatis, absque expressâ superiorum ejusdem societatis licentia, utantur facultatibus, quæ in Jubilæis, Bullis Cruciatæ, Confessionalibus, aut aliis quibusvis Apostolicis*

tis indultis &c. Sed in dictis verbis, nomine facultatum solùm prohibentur facultates eligendi confessarios; ergo aliis poterunt gaudere. Minor probatur ex verbis antecedentibus, & subsequentibus: Ex antecedentibus quia in illis S. Pontifex ponit causam motivam hujus prohibitionis, nempe relaxationem disciplinæ regularis, quæ per electionem confessarii potest relaxari, & non per lucrationem indulgentiarum, & aliorum indultorum consequutionem. Et ex sequentibus, in quibus S. Pontifex magis suam mentem declarat, videlicet: exprimendo Religiosos Societatis debere obtinere à suis superioribus licentiam utendi dictis facultatibus, & casu, quo eam obtineant, adhuc teneri cum confessariis à superioribus deputatis confessiones perficere.

48. Objicies pro sententia Avendan. Religiosus non acquirit indulgentiam euntibus ad bellum in Bullâ Hispanâ concessam, si absque licentiâ sui superioris ad bellum contra infideles proficiscatur: Ergo etiam Religiosus indulgentias Bullæ non lucrabitur, si absque licentiâ sui superioris eleemosynam præstet, & Bullam accipiat. Respondeo, negando consequentiam; diversa ratio est, quia antecedens in Bullâ Hispanâ expressè habetur, non verò consequens: & hujus ratio est, quia si Religiosus ad bellum contra infideles proficisceretur, non habitâ licentiâ sui superioris, disciplina regularis relaxaretur; at non relaxatur ob parvam eleemosynam pro Bullâ erogatam, quæ potest haberi ab amico, vel ab alio absque peccato mortali, quando Conventus est pauper, & non potest pro subditis eas eleemosynas erogare.

SECTIO VI.

An qui non habent proprium nomen in summario inscriptum, Bullæ privilegiis fruantur.

49. EXpositio hujus quæstionis est maximè necessaria, ut errores in praxi sæpius occurrentes, corrigantur. Et non opus esse, habere nomen sumentis Bullam, inscriptum in ipsâ Bullâ, ut illius privilegiis utatur, videntur probare rationes sequentes.

50. Prima, Quia inscriptio nominis propriè non præcipitur ab ipsâ Bullâ Latinâ; nec in eâ privilegia invalidantur, si in summario nomen non ponatur: Ergo si aliquis Bullam accipiat loco, & tempore opportuno, & designatam à Commissario eroget eleemosynam, Bullæ privilegiis gaudebit.

51. Secunda: Quia licèt in Bullâ Hispanâ præcipiatur inscribi in Bullâ nomen proprium, suscipientis Bullam, per hæc verba: *Receperint, receptumque penes se retinuerint, præfatum typis excussum Bullæ summarium, descripto ibidem unius-cujusque nomine proprio &c.* Attamen omnes expositores Bullæ Hispanæ asserunt, etiamsi in summario non scribatur, adhuc accipientem Bullam, illius gaudere privilegiis, ut videre est apud Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 20. n. 7.* Emman. Rodrig. §. 12. *n. 16.* Ludovic. à Cruce *l. 1. cap. 1. dub. 1. num. 4.* Trullench. *lib. 1. §. 1. dub. 4. n. 3.* Villal. *tract. 27. claus. 12. n. 23.* Bard. *part. 2. tract. 7. cap. 2. n. 3.* Mend. *disp. 21. num. 12.* Castr. Palao *tom. 4. tract. 25. punct. 2. n. 7.* Tambor. *tract. de Bulla, cap. 15. §. 2. n. 2.* Ergo etiamsi nomen proprium in Bullâ Lusitanâ non scribatur, adhuc illam sumens, illius fruetur privivilegiis.

52. His non obstantibus: dico omninò esse necessarium inscribi nomen proprium in summario Lusitano, ut quis possit uti Bullæ privilegiis. Ratio est evidens; quia ita disponit Commissarius Generalis in ipso summario, per hæc verba: *Tomaram este summario da Bulla, que levaram con figo com seu nome neste escrito; e nam levando por si, ou por outrem, nem se escrevendo neste o seu nome lhe nam valerá.* Ergo disponente Commissario, non valere summarium, illud sumenti, si nomen proprium in eo non sit scriptum, expressè declarat, non posse, uti privilegiis, in eo contentis.

53. Quod verò Commissarius facultatem habeat ad hanc dispositionem adhibendam, ostenditur; quia facultatem obtinet, faciendi, & exequendi omnia, quæ necessaria, & quomodolibet opportuna sibi visa fuerint, ad Bullæ expeditionem; ut constat ex Bulla Clementis VIII. per successores, & Santictissimum Innocentium XI. extensâ, ibi: *Commissario Generali nuper deputato, plenam, & liberam in præmissis facultatem, & authoritatem tribuimus per se, vel per alium, seu alios, quos ad id idoneos duxerit, ad executionem præmissorum, vel aliorum juxta facultates concessas, omni, & quâcunque appellatione postpositâ procedendi, aliaque faciendi & exequendi, quæ in præmissis circa ea necessaria fuerint, & quomodolibet opportuna. Non obstantibus &c:* At inscriptio nominis in summario, est omnimodè necessaria, & opportuna ad Bullæ expeditionem: Ergo Commissarius juxta facultatem sibi à S. Pontifice concessam, poterat disponere, nomine in eâ non scripto, non valere.

54. Minor ostenditur: quia Bullæ finis extrinsecus est pecuniam pro manutentione militum congerere, ut constat ex ipsa Bulla: sed si nomen sumentis Bullam, in eâ non inscribatur, poterit iterum ad manus thesaurarii reddita, appropriatâ sibi eleemosynâ, per alios distribui, magnâ cum damnificatione pecuniæ congregandæ: Ergo, ut huic damno obvietur, necessarium, & opportunum remedium fuit, Bullæ valorem irritare, si nomen illam sumentis, in eâ non scribatur.

55. Ad primam rationem in *n.* 50. in contrarium, respondeo; quanvis in Bullâ Latinâ ea conditio inscriptionis nominis non apponatur, nec aliquod præceptum circa idem inferatur: datur tamen facultas Commissario; ut ea præcipiat, & disponat, quæ opportuna, & necessaria ad expeditionem Bullæ fuerint: ille autem opportunam judicavit prædictam dispositionem.

56. Ad secundum *n.* 51. respondeo, in Bullâ Hispanâ non inveniri ea verba irritantia, ut in Lusitanâ reperiuntur: & solùm datur præceptum de ea inscriptione nominis; & dari hoc præceptum aliqui negant: ut videre est apud Mend. *dicta disp. 21. n. 12.* bene ergo resolvunt expositores juxta illam Bullam, absque inscriptione nominis, posse frui privilegiis illam suscipientem; quia obligationes non sunt inducendæ, ubi expressè non habentur: At in Bullâ Lusitanâ expressa datur irritatio, si nomen non inscribatur.

SECTIO VII.

An Bulla vivorum prodesse possit defunctis ad aliquos effectus?

57. PRo sententiâ affirmativâ citatur Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 20. n. 8. & in gloss. litter. Y. & Z.* à Trullench. *lib. 1. §. 3. dub. 10. n. 1.* à Mend. *disp. 4. n. 23.* & ab aliis citandis. Sed immeritò; quia in textu, verba id expressè non proferunt. Imo de Bullâ defunctorum rectè potest intelligi; Et in gloss. litter. Y. & Z. ex Rodrig. post §. 13. hæc affert verba. *Ut si quis pro defuncto excommunicato, aut tempore interdicti capiat Bullam, posset defunctus absolvi ab excommunicatione reservatâ, & sepeliri in loco sacro.* Hæc ex Rodrigues; quæ etiam apud illum *loco citat.* non inveniuntur; quia ibi expressè loquitur de Bullâ defunctorum, & non de illâ vivorum. Quidquid tamen sit de imposituris dictorum Authorum.

58. Citato Henriq. eandem sententiam, nempe, posse, quem accipere Bullam vivorum pro defuncto excommunicato, ut absolvatur ab excommunicatione reservata, & tempore interdicti in loco sacro sepeliatur, defendunt Fragos. *tom. 2. disp. 7. n. 33. in fine* Leand. *tom. 4. tract. 5. disp. 11. q. 21.* & apud ipsum Machad. *lib. 11. part. 3. tract. 3. docum. 11. n. 3.* & non improbabile fatetur Trullench. ubi *supra*, & quanvis hi omnes, excepto Fragos. loquantur de sepulturâ tempore interdicti præstandâ; ratio quâ innituntur, & verba allata, quæ ut ab Henriq. transcribunt, idem probant de absolutione ab excommunicatione defuncto impertienda; ut rectè notavit Mend. *disp. 4. n. 13. in fine.*

59. Probatur hæc sententia; quia etsi mortuus non possit directè absolvi à censuris, potest tamen indirectè, si cum signis pœnitentiæ, & contritionis decessit; ut cum Navarr. Sayr. & aliis docet Soar. *de censur. disp. 7. sect. 1. n. 4. & sect. 7. n. 1.* & si censura, seu excommunicatio erat reservata, potest absolvi defunctus ab eo, à quo poterat vivus: ut tenent Henriq. *lib. 13. de excomm. cap. 25. n. 2.* Navarr. *cap. 26. n. 32.* Sayr. *in thesaur. lib. 1. cap. 8. n. 10.* Sed defunctus dum erat vivus, si habuisset Bullam, poterat absolvi à quocunque confessario approbato: Ergo etiam post mortem; ut in loco sacro sepeliatur.

60. Dicendum tamen est primò, non solùm, ut probabilius, sed ut certum, Bullam vivorum acceptam pro eo, qui tempore receptionis, jam erat mortuus, illi non prodesse, nec ut absolvatur ab excommunicatione, nec ut tempore interdicti in loco sacro sepeliatur. Ita Bard. *part. 1. tract. 2. cap. 4. n. 96.* Mend. *disp. 4. n. 24.* Leand. *super cit.* qui oppositum tantùm sequitur, ut mitius. Ratio est, quia Bullæ vivorum privilegia, & facultates conceduntur commorantibus, & degentibus in his Regnis, & subditis illorum: at defuncti jam non sunt subditi istorum Regnorum, nec in illis degunt. Deinde verba Bullæ vivorum, ad vivos, & non ad defunctos diriguntur; ibi: *E por quanto vos N. desejes de esmola ostentares, alcançais as ditas indulgencias, e podeis gozar de todas ellas, na forma sobredita, &c.* Ubi nota, sermonem non esse ad defunctos, sed ad vivos: Ergo hi tantùm privilegiis Bullæ uti possunt, & non defuncti.

61. Dicendum secundò: Non posse Bullam vivorum accipi pro defuncto; etiamsi ille, dum erat vivus reliquisset eleemosynam vel mandasset amico, ut ea Bulla pro ipso acciperetur. Ratio est, quia eo mortuo, jam ea Bulla ei non prodest, nec ad prædicta privilegia, nec ad alia; quia est vivorum, & non defunctorum Bulla.

62. Dicendum tertiò: si defunctus dum erat vivus, Bullam accepit, illi proderit, ut tempore interdicti in loco sacro sepeliatur; non tamen, ut absolvatur ab excommunicatione, in quam incurrerat vivus, & à quâ non fuit in vitâ absolutus. Ratio est, quia primum expressè conceditur in Bullâ, ut *infra* videbimus: Secundum verò, nullo modo. Quare si mortuus est cum pœnitentiæ signis, recurrendum est ad Prælatum, ut ipse Prælatus concedat licentiam, ut ipse, qui fuit excommunicatus, in loco sacro sepeliatur ut *infra* explicabitur.

63. Ad fundamentum oppositæ sententiæ *n. 59.* respondeo, Bullam vivorum non prodesse ad absolutionem indirectam; quia id privilegium in eâ non reperitur; & quanvis dum erat vivus, potuisset defunctus à quolibet approbato absolvi ab ea excommunicatione, jam mortuus, non potest; quia Bulla, eam potestatem non concedit, etiamsi intendens absolvere, sit approbatus.

DISPUTATIO III.

De locis, quibus Bulla Cruciatæ conceditur.

1. ORdine Bullæ plumbeæ, & summarii, veniunt exponenda spectantia ad loca, quibus Bulla conceditur. In Bullâ Gregorii XIV. hæc verba apponuntur. *Omnes utriusque sexus Christi fideles in Portugalliæ & Algarbiorum Regnis, aliisque terris, & locis Regum Portugalliæ dominio subjectis commorantes, atque degentes,* &c. At in extensione factâ à Paulo V. hæc. *In prædictis Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, ac eorundem Regnorum Insulis, Indiis Orientalibus, & Ultramarinis, Conquestis terris, & locis ejusdem Portugalliæ, & Algarbiorum Regis dominio temporali subjectis commorantibus, & ad illa declinantibus; nec non Regnorum prædictorum subditis in alieno dominio in dictis Indiis mercimonii causâ; non tamen animo, in alieno dominio hujusmodi permanendi degentibus, indulgentias,* &c. Commissarius autem utriusque Pontificis verba in summario vertens, sic ait. *Estantes, e moradores nestes Reinos, e senhorios de Portugal, e Algarves, e aos subditos delles, que vivem em senhorio alheo nas partes da India, e Conquistas por causa do Comercio, e sem animo de permanecer nelle, que,* &c. In qua versione videtur, unum verbum fuisse additum, & aliud omissum: Videtur, fuisse additum, *e Conquistas*: nam S. Pontifex in dicto privilegio solùm repetiit Indias Orientales, ibi: *In dictis Indiis*; & videtur fuisse omi-

omissum, *& ad illa declinantibus*; in expositione verò inferius posita *n.* 57. mens Commissarii declarabitur.

2. Eandem extensionem, quoad loca, quæ sunt sub dominio Regis Hispaniæ, habet Bulla Hispana; cum hoc tamen discrimine, quòd Bulla non extenditur ad personas, quæ in Indiis Occidentalibus mercimonii causâ degunt in dominio alieno, ut extenditur in nostrâ Bullâ ad degentes in Indiis Orientalibus mercimonii causâ in dominio alieno. Deinde Bulla Lusitana extenditur ad Conquistas, non tamen Bulla Hispana.

SECTIO I.

Annumerantur loca, in quibus Bulla publicatur, vel publicari potest.

3. IN prædictis Bullis verbis generalibus fit mentio de locis, in quibus valet Bulla Cruciatæ; pro Bullâ Hispana in individuo illa recensent Perez de Lara *in Compendio trium gratiarum lib.* 1. *fol.* 103. & ex illo Trullench. *in expos. Bull. lib.* 1. §. 1. *dub.* 1. Mend. *ibidem disp.* 3. *n.* 5. exemplo horum Authorum, ab hoc loco non erit alienum, etiam loca recensere, in quibus usus Bullæ Lusitanæ viget.

4. Hæc sunt extra Portugalliæ, & Algarbiorum Regna: Insulæ nuncupatæ da Madeira, & Porto Sancto, Insulæ Accipitrum, vulgo *dos Assores*; quæ novem numerantur, omnes populosæ; Brasilia, quæ ab austro fluvio Argenteo, & à septentrione, Amazonum fluvio terminatur, cum non paucis Insulis huic Regioni adjacentibus; Mazaganum in Mauritaniâ, & Insulæ Hesperidum, vulgo *de Cabo Verde*; & in littore Æthopico aliqua oppida; Insula D. Thomæ, & Regna Angolana; & à promontorio Bonæ spei versus orientem, alia plura oppida, & Civitates. Alia *infra sect.* 4. de quibus aliqua poterat esse dubitatio, addentur.

5. Hic poterat occurrere dubium; an dum bellum inter hoc Regnum, & alia Hispaniæ Regna gereretur; quo tempore aliqua oppida Regni Galleciæ per Lusitanos armis capta, erant sub dominio Regis Lusitaniæ; an scilicet in illis potuisset Bulla publicari? Respondeo affirmativè. Ratio est, quia ùt ex verbis S. Pontificis Pauli V. allatis constat, Bullam concedi omnibus locis sub dominio Regis Portugalliæ temporali existentibus: Sed ea oppida pro eo tempore erant sub dominio temporali Regis Portugalliæ: Ergo.

6. Secus dicendum existimo de illis oppidis, quæ ut sua bona tempore belli immunia conservarent, in quâdam summâ quotannis solvendâ, conveniebant, vulgoque dicebantur: *Avindos*. Nam hæc non erant sub dominio Regis Portugalliæ, & ideo in illis Bulla publicari non poterat. Si autem personæ illorum oppidorum ad loca sub dominio Regis Portugalliæ existentia declinassent; in quibus Bulla Lusitana promulgatur, ibi & Bullam accipere, & uti illius privilegiis in aliis Regnis Hispaniæ valebant: hoc enim conceditur omnibus alienigenis, per dicta verba: *& ad illa declinantibus*; ut ex dicendis infra constabit.

7. Nec contra argui potest: Regnis Hispaniæ conceditur Bulla, & hæc ibi habet suum Commissarium Generalem: Ergo si Bulla à commorantibus in Regnis Hispaniæ sit sumenda, erit illa ibi concessa, & non quæ alii Regno conceditur cum diverso Commissario. Confirmatur, quia privilegium, quod est in notabile alicujus tertii damnum, etiam motu proprio concessum, non tollit illius tertii privilegium sine speciali derogatione *regul.* 17. *nunc.* 18. *Cancell. de non tollendo jure quæsito*, ut videre est apud Marth. *de claus. part.* 1. *claus.* 139. *num.* 2. Gonsal. *ad reg.* 8. *Cancell. Gloss.* 36. *a num.* 54. Monet. *de commun. ultim. volum. cap.* 7. *n.* 214. at acceptatio Bullæ ab Hispano facta in loco, Regi Lusitano subjecto, est in præjudicium Regis Hispaniæ; quia ex eleemosynæ, quæ illi in subsidium belli contra infideles poterant pervenire, ad alium deviant.

8. Respondeo enim negando consequentiam, & confirmationis minorem; quia una, vel altera acceptatio Bullæ Lusitanæ ab Hispanis non est in notabile Regis Hispaniæ præjudicium. Et datâ eâ minori, adhuc argumentum nihil probat; quia Rex Hispaniæ non acquisivit jus, ne sui subditi in altero Regno Bullam accipiant; cum verò hoc jus non obtineat; regulæ Cancellariæ non est necessaria specialis derogatio.

9. Præterea censeo, posse Hispanum, post binam Bullæ Hispanæ susceptionem (quam intra annum potest sumere juxta privilegium Gregorii XIII.) declinare ad aliquem Portugalliæ locum, in quo Bulla promulgatur, & ibi Bullam Lusitanam accipere, & illis privilegiis, quibus caret Bulla Hispana, gaudere, vel ut tertiò absolvatur in vitâ, vel in morte à Pontifici reservatis, non exceptis. Sic etiam Lusitanus, postquam Bullam Lusitanam semel tantùm accepit, declinare poterit ad aliquem Hispaniæ locum, ubi ea Bulla promulgatur, & ibi unam, vel alteram Bullam sumere, ut privilegiis, quæ non dantur in nostrâ Bullâ, gaudeat, & ut à Pontifici reservatis, exceptâ hæresi, semel, atque iterum in vitâ & in morte absolvatur. Ratio est, quia contra has acceptationes, nec in Bullâ Lusitanâ, nec in Hispanâ aliqua reperitur limitatio, aut restrictio; & Bullæ privilegia sunt latè interpretanda, ut vidimus *disp.* 1. *à n.* 67.

SECTIO II.

An Lusitani in locis, ubi Bulla non valet, commorantes, possint per alium Bullam accipere, & illius uti privilegiis?

10. PONamus claritatis gratiâ exemplum. Petrus Lusitanus existit in Galliâ, vel Angliâ, ubi non datur usus Bullæ, & ibi scribit, & mittit Epistolam ad amicum existentem Ulyssipone, ut pro illo Bullam sumat, & mittat: Inquirimus, potestne Petrus in Galliâ, vel Angliâ Bullæ privilegiis frui, Bullâ jam sumptâ, & per ipsum acceptatâ?

11. Partem affirmativam non improbabilem reputant Bonaventura, Joannes Chacon. Salas in manuscriptis apud Castr. Palao *tom.* 4. *tract.*

25. *punct.* 2. *n.* 4. Francisc. Gom. & quidam recentiores apud Bard. *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 3. *n.* 15. eam etiam defendit Quintanaduen. *tom.* 1. *Theol. moral. tract.* 8. *sing.* 4. *num.* 8. Probant, quia finis principalis Bullæ, est congerere pecuniam in subventionem locorum Africæ, vel ad Classes contra infideles; quòd verò id non fiat personaliter, & præsentialiter, id parum refert; sufficit; quòd per alium fiat.

12. Negativa tamen sententia est tenenda, nec opposita aliquam habet probabilitatem; quia est expressè contra textum ipsius Bullæ, in quâ dicitur, Bullam concedi omnibus commorantibus, & degentibus in his Regnis, & in locis illorum dominio subjectis, vel ad illa declinantibus: At Petrus Lusitanus existens in Galliâ, aut Angliâ, non dicitur commorari, aut degere in his Regnis: Ergo ut privilegiis Bullæ gaudere possit, debet illam sumere in his Regnis, vel locis, ubi illa publicatur, & quibus illa conceditur: aliàs enim privilegia Bullæ essent merè personalia contra id, quod vidimus *disp.* 1. *num.* 60. *& sequentibus.*

13. Confirmatur, quia si Lusitanus existens in loco, ubi Bulla non habet usum, possit per alium illam sumere, etiam exteri illam per alium poterunt suscipere, & illius frui privilegiis, quod tamen non admittitur; quia intentio S. Pontificis est Bullam concedere illis, qui vel commorantur in his Regnis, vel ad illa declinant.

14. Hanc sententiam defendunt communiter DD. Henriq. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 20. Villal. *tract.* 27. *in proœm. num.* 4. Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *punct.* 2. *n.* 4. Trullench. *in expositon. Bull. lib.* 1. §. 1. *dub.* 3. *num.* 1. Bard. *ubi supra n.* 16. Mend. *disp.* 3. *n.* 11. Ludovic. à Cruce *disp.* 1. *cap.* 1. *dub.* 3. *n.* 4. Vincent. Riccius *in addit. ad explicat. Bull.* §. 1. *n.* 2. Dian. *p.* 9. *tract.* 6. *resol.* 10. *vers. sed ipse meritò.* Lezan. *in summ. qq. Regul. verb. Bulla Cruciatæ n.* 2. Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 3. §. 2. *n.* 1. *& cap.* 15. §. 4. *à n.* 7. & apud ipsum Galleg.

15. Ad fundamentum sententiæ affirmativæ *n.* 11. respondeo; quanvis finis Bullæ sit congerere pecuniam ad defensionem locorum Affricæ, & ad classes contra infideles, hic tamen finis non est accipiendus ita absolutè, sed eo modo, quo in Bullâ determinatur; nempe, ut eleemosynæ accipiantur à commorantibus, degentibus, aut declinantibus ad hæc Regna: hæc enim est intentio Pontificis in ipsâ Bullâ manifestata.

SECTIO III.

An Lusitanus, qui Bullam acceptavit in loco, ubi non valebat, si declinet ad aliquem locum Lusitaniæ, ubi valet, possit deinceps illius frui privilegiis?

16. Hæc quæstio oritur ex precedente in qua vidimus, Lusitanum existentem in loco, ubi Bulla non valebat, & ibi acceptantem Bullam, ab amico missam, eo loco non frui Bullæ privilegiis. In præsenti inquirimus, si is Lusitanus declinet ad aliquem locum dominii Regis Portugalliæ, intra eundem annum promulgationis Bullæ; an absque novâ acceptatione, possit uti privilegiis Bullæ in loco, quo non valebat, acceptatæ?

17. Respondeo, non posse. Ratio est, quia ad privilegium requiritur acceptatio, ut docent Soar. *de legibus lib.* 8. *cap.* 25. *n.* 13. Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 4. *punct.* 3. *n.* 3. & alii apud ipsos: Sed prima acceptatio Bullæ fuit nulla, utpote facta in loco inhabili: Ergo, ut illius privilegiis utatur Lusitanus, debet illam in loco habili acceptare.

18. Positâ verò acceptatione in loco habili, potest illius uti privilegiis; quia jam nulla videtur deesse conditio; quia eleemosyna pro Bullâ ab amico est erogata, & illi ab amico fuit applicata: Ergo cum nihil aljud requiratur, poterit Bullæ uti privilegiis. Sic Trullench. *lib.* 1. §. 1. *dub.* 3. *n.* 1. Bard. *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 3. *à n.* 28. Mend. *disp.* 3. *n.* 11.

19. Dices, applicationem factam ab amico fuisse inutilem; quia Lusitanus, cui facta fuit applicatio, erat in loco inhabili ad acceptandum: Ergo quanvis hic Lusitanus declinet ad loca dominii Regis Portugalliæ, non poterit ibi privilegiis illius Bullæ frui, etiamsi ibi Bullam acceptet. Respondeo negando antecedens; quia licèt ea applicatio ab amico facta fuerit Lusitano existenti in loco inhabili ad acceptandum, non erat inutilis; quia suum poterat sortiri effectum, quando Lusitanus declinaret ad locum habilem ad acceptandum. Nec etiam ea applicatio Bullæ fuit invalida, sed tantùm suspensa usque ad tempus, quo Lusitanus ad loca habilia ad acceptandum declinaret: sic donatio facta absente, est suspensa usque ad tempus, quo ab absenti acceptetur, eodem modo de illâ applicatione factâ ab amico, philosophandum est.

20. Scio fr. Joseph. Mendes *in Theolog. moral. de Bull. Cruciat. sect.* 1. *n.* 8. *in fine fol.* 5. non admittere prædictam doctrinam; imo asserit, si ille, pro quo sumpta fuit Bulla, dum erat Romæ, declinet ad loca ubi illa Bulla publicatur, non sufficere novam acceptationem, sed necesse esse, Bullam denuò sumere; quia prima acceptatio fuit nulla, & idem est, ac si non fuerit, & pro hoc asserto inquit stare D. D. communiter.

21. Hæc tamen non placent: quia, ut Bulla alicui profit, duo requiruntur; primum sumere Bullam; secundum illam acceptare. Primum potest per alium fieri, etiam ignorante illo, in cujus utilitatem Bulla sumitur, ut constat ex advert. ad Bull. ibi: *E os amos a poderam tomar pera seus criados, e os senhores para seus escravos, e os Pays para seus filhos.* At verò secundum per alium fieri non potest; quia privilegium personale (ut sunt privilegia Bullæ) à persona, cui conceditur, debet acceptari; & ideo non sufficit acceptatio facta ab eo, qui Bullam pro alio sumpsit, sed debet fieri ab ipso privilegiato. Et demus, quòd acceptatio facta fuisset nomine privilegiati ab ipso sumente Bullam nomine illius, dum erat in loco inhabili, vel ab ipso cum eadem incapacitate; unde hæ acceptationes Bullæ fuerunt nullæ; quare non possunt revalidari; quin ille Hispanus, aut Lusitanus, durante eodem anno, declinet ad loca, in quibus legitimè potest fieri acceptatio; nam sumptio Bullæ ab amico facta, adhuc est suspensa; & si est suspensa potest ad

actum

actum reduci, ut patet ex donatione *ſupra* adducta.

22. Hæc doctrina eſt inter D. D. communis, & non oppoſita, ut aſſerit dict. Mendez. Ita Trullench. *ſupra cit.* his verbis *Quod ſi accedat poſtea ad Regna, in quibus publicatur, tuncque acceptam Bullam, ac acceptationem invalidam extra predicta Regna factam, revalidet, videtur ei Bulla prodeſſe. Ratio eſt*, &c. Mendo *proximè cit.* per hæc verba: *ſed quid, ſi Bulla acciperetur pro aliquo extra Hiſpania Regna exiſtente, & anno durante is ad Hiſpaniam accederet, poſſetne eâ frui Bullâ tempore antecedente acceptâ? Dicerem, poſſe; ſi etenim is de novo eam acciperet, poſſet illico illâ uti.* Idem invenitur apud Bard. *nuper adductum n.* 28. & Eſcobar *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 18. Quare doctrinæ à nobis cum communi D. D. traditæ ſtandum eſt.

SECTIO IV.

An ſiquis civiliter declinet, aut commoretur in his Regnis, aut locis illorum dominio ſubjectis, poſſit gaudere privilegiis Bullæ, illam ſumendo?

23. UT hæc quæſtio plenè intelligatur, ſupponendum eſt primò ex Bullæ Latinæ verbis, initio hujus diſputationis tranſcriptæ, quòd, ut quis poſſit Bullam ſumere, & illius privilegiis frui, debeat eſſe commorans, aut degens in his Regnis, & locis, ubi Bulla publicatur, vel ad illa declinare: nam aliis non conceditur Bulla, ut ex dictis conſtat.

24. Secundò ſupponendum, commorationem, aut declinationem bifariam accipi poſſe: primò propriè, quando quis realiter, & perſonaliter declinat ad aliquem locum, aut in illo commoratur. Secundò civiliter; quando quis realiter à loco abeſt: in eo verò domicilium, aut quaſi domicilium retinet; indeque abſcedens, brevi reverſurus, fictione juris habetur, ac ſi non diſcederet, & continuaſſet eandem commorationem; & hæc commoratio appellatur civilis; quia à jure civili introducta eſt, ut ex jure, & D. D. oſtendit Bard. *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 3. *n.* 31.

25. Tertiò ſupponendum; quæſtionem in titulo propoſitam, non procedere de illis, qui in Indiis Orientalibus cauſâ mercimonii degunt ſub dominio alieno, non tamen animo mutandi domicilium, quia de his particulariter *ſect.* 6. tractandum. His ſuppoſitis

26. Omiſſis ſententiis negativâ, & affirmativâ, quas excogitavit Bardi, & probabiles fatetur *n.* 38. Propono tertiam, quam ipſe aſſerit eſſe juris communis principiis conformiorem; & eſt media inter opiniones à nobis omiſſas; quia convenit cum negativa, quatenus aſſerit, aliqua privilegia Bullæ eſſe ſtrictè interpretanda; & hæc non poſſunt admittere civilem commorationem; quia ſtricta interpretatio, id non permittit; ſed accipienda eſt commoratio in proprio, & reali ſenſu. Convenit verò cum affirmativâ, quia affirmat aliqua Bullæ privilegia eſſe amplè interpretanda: Et ad hæc extenditur commoratio civilis; quia fictione juris dicitur commoratio. Hæc Bardi juxta ſuam ſententiam de ſtrictâ, & amplâ privilegiorum Bullæ interpretatione, quam attulimus *ſupra diſp.* 1. *ſect.* 10. *à n.* 67.

27. Ex dictis ſententiis ſeligo negativam, quatenus aſſerit, ut quis Bullam ſumat, & poſſit uti ſuis privilegiis, requiri propriam, & realem commorationem, aut declinationem ad locum ubi valet, & non ſufficere civilem. Sic Mend. *in append. diſp.* 1. *cap.* 5. *per totum* & ab omnibus ſupponitur: ut vidimus *ſect.* 2. Ratio eſt, quia S. Pontifex loquitur communi modo, in conceſſione privilegiorum, & non juxta fictiones juris ad alia introductas: at Bulla conceditur commorantibus, degentibus, aut declinantibus ad hæc Regna, juxta communem modum loquendi: Ergo, qui realiter, & perſonaliter non commoratur, aut declinat ad hæc Regna, etiamſi in illis habeat domicilium, aut quaſi domicilium, privilegiis Bullæ non gaudebit.

28. Confirmatur ex Bullâ Pauli V. ab aliis ſucceſſoribus extenſâ, & prorogatâ, in quâ conceditur degentibus in dominio alieno in Indiis mercimonii cauſâ, non tamen animo ibi permanendi, ſubditis iſtorum Regnorum, ut ex ipſis dominiis alienis, poſſint Bullam ſumere, & illius frui privilegiis; quod privilegium eſt ſingulare, & à Pontifice non fuiſſet conceſſum, ſi privilegia Bullæ, quæ in meliori opinione ſunt amplè interpretanda, civiliter eſſent accipienda. Si enim degentes in dominio alieno per commorationem, & declinationem civilem, quam habent in propriis domiciliis, poſſunt per alios ibi Bullam accipere, nihil Papa illis conceſſit, quod non eſt dicendum.

29. Dices: Qui per alium facit, cenſetur per ſe ipſum facere, juxta *regul. qui facit* 72. *de reg. jur. in* 6.: Ergo qui Bullam ſumit per alium, dum eſt abſens à proprio domicilio in loco, ubi Bulla non valet, cenſetur, ac ſi per ſe ipſum illam ſumeret. Reſpondeo, regulam illam debere interpretari juxta materiam, circa quam verſatur. In materia autem de privileg. fallit, ut aſſerit Panormit. *in cap. tacet, de decim. n.* 3. Et in præſenti fallit; quia S. Pontifex requirit commorationem, & declinationem realem ad locum, ubi Bulla valet, ut quis illam poſſit ſumere. Quare dum exiſtit in eo loco, ſive domicilium in alio retineat, ſive non, per alium illam non poteſt accipere.

SECTIO V.

An ſubditi Regis Portugalliæ, & alii fideles commorantes in Tingitanâ Urbe, Indiis Orientalibus, & Conquiſtis, Valeant privilegiis Bullæ gaudere?

30. HÆc quæſtio non procedit, quando ſubditi Regis Portugalliæ declinant ad loca, ubi Bulla publicatur, nam id in ipſâ Bullâ conceditur, etiam ad non ſubditos, ut *infra* videbimus. Procedit ergo de commorantibus in Tingitanâ, ſeu Cæſareâ Urbe, quæ hodie non eſt ſub dominio Regis Portugalliæ; Et de commorantibus in Indiis Orientalibus, aut Conquiſtis,

stis, in iis locis, Civitatibus, seu Regnis, quæ hodie à Rege Portugalliæ non possidentur, sive ea loca, Civitates, & Regna jam fuissent à Portugalliæ Rege possessa, sive non; Ut quæstio decidatur, quoad recensita loca, de quolibet per sequentes conclusiones dicam, quod circa quemlibet sentio.

31. Dico primò: subditi Regis Portugalliæ in Tingitanâ, seu Cæsareâ Urbe commorantes, possunt ibi sumere Bullam, vel mittere nuntium, qui illam pro ipsis sumat, & illius fungi privilegiis. Probatur primò, ex Bulla Pauli V. extendentis Bullam Gregorii XIV. ad Conquistas hujus Regni, quam extensionem illius successores prorogant, & novissimè Sanctiss. N. D. Innocentius XI. in Bulla nuperrimè concessa: sed Tingitana Urbs comprehenditur sub Conquistis: Ergo subditi Regis Portugalliæ in illa commorantes, possunt ibi Bullam sumere, vel mittere nuntium, qui pro illis illam sumat, & illius uti privilegiis.

32. Major constat ex Bulla extensionis dicti Pauli V. ibi: *Omnibus Christi fidelibus in prædictis Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, ac eorundem Regnorum Insulis, Indiis Orientalibus, & Ultramarinis, Conquestis terris, & locis ejusdem Portugalliæ & Algarbiorum Regis dominio temporali subjectis, commorantibus &c.* Ex quibus verbis patet, Bullam concedi terris Conquistis. Minor ostenditur, quia Tingis Cæsarea, & alia loca Regni Marrochii, & Fez, sunt terræ conquistæ hujus Regni ex concessione primò Pii, & postea Alexandri VI. ut videre est apud Curitam in annalibus Regni Aragonis in Historia Regis Ferdinandi *lib. 1. cap. 39. fol. mihi* 48. & 49. Ergo ibi commorantes possunt Bullam sumere, vel mittere nuntium, qui pro ipsis illam sumat, & illius gaudere privilegiis.

33. Probatur secundò, quia licèt Tingis Urbs sit sub dominio Regis Angliæ; sedes tamen Cathedralis, & illius locus ad Regem Portugalliæ pertinet, & non ad Angliæ Regem, juxta conventionem inter ipsos Reges initam, & insuper Rex Portugalliæ Dignitatibus, Canonicis, & aliis sacerdotibus, & officialibus præbet annuos reditus, quibus aluntur: sed in dicta extensione Pauli V. dicitur, quòd commorantes in locis Portugalliæ, & Algarbiorum Regis dominio temporali subjectis, possint Bullam sumere: Ergo cùm hic locus sit sub dominio temporali Regis Portugalliæ, ibi commorantes possunt Bullam sumere, & illius frui privilegiis.

34. Dices contra primam probationem: Si subditi Regis Portugalliæ commorantes in Tingitana Urbe possunt Bullam sumere, eo quòd hæc civitas sit ex Conquistis, quibus Bulla conceditur, etiam alii Catholici, qui Regis Portugalliæ non sunt subditi, si ibi commorentur, poterunt Bullam sumere, ac si essent ejus subditi: sed hoc non videtur admittendum: ergo. Respondeo concedendo majorem, & negando minorem; quia Bulla conceditur pro commorantibus in Conquistis: ergo qualescumque Catholici, sive sint subditi Regis Portugalliæ, sive non; si in Conquistis commorentur, poterunt Bullam sumere, & illius frui privilegiis.

35. Dices secundò contra secundam probationem: Quanvis sedes Cathedralis Urbis Tingitanæ sit sub dominio temporali Regis Portugalliæ, fideles, seu subdit: Regis Portugalliæ ibi non commorantur, sed in civitate, quæ est sub dominio Regis Angliæ: Ergo cùm non commorentur in loco dominio Regis Portugalliæ subjecto, non poterunt Bullam sumere, nec illius privilegiis uti: Respondeo primò, negando antecedens quia præbendati, & alii sedis officiales in domibus Ecclesiæ Cathedralis commorantur; & sicut sedes Cathedralis est immunis à dominio temporali Regis Angliæ, & subditur Regi Portugalliæ; ita etiam domus præbendatorum & aliorum officialium subduntur; accessorium enim, ut sunt domus, sequitur principale, juxta *reg. accessorium* 42. *de reg. jur. in* 6. Respondeo secundò, ex eâdem ratione, etiamsi commorentur in Civitate, quæ sub dominio Regis Angliæ est, adhuc commoratio, seu habitatio, illi non subditur.

36. Dico secundò: omnes fideles commorantes in Indiis Orientalibus, sive sint subditi Regis Portugalliæ, sive non, sive sint in terris à Rege Portugalliæ possessis, sive non, possunt sumere Bullam, & illius frui privilegiis. Ratio est, quia Bulla extensionis Pauli V. supra allata, id concedit absque ullâ limitatione, & à Sanctiss. D. N. Innocentio XI. eâdem amplitudine prorogatur ibi: *Indiis Orientalibus, & Ultramarinis, conquestis terris, & locis Portugalliæ, & Algarbiorum Regis dominio temporali subjectis &c.* Deinde Indiæ Orientales veniunt nomine terrarum conquistarum; quanvis non omnes earum terræ sint à Rege Portugalliæ possessæ: ut constat ex designatione facta ab Alexandro VI. inter Reges Portugalliæ, & Castellæ apud Curitam *in Annalibus Regni Aragonis Histor. Regis Ferdin. lib. 1. cap. 29. à fol.* 35. Ergo fideles commorantes in Indiis, quanvis non declinent ad loca ubi promulgatur Bulla, possunt illam recipere, vel per alium sumere, & uti illius privilegiis.

37. Objicies primò, & efficaciter: in his verbis, *Dominio temporali subjectis commorantibus, & ad illa declinantibus* in fine prædictæ clausulæ appositis, sicut adjectivum *commorantibus* refertur, & cohæret cum dictione *omnibus fidelibus*; sic etiam hæc verba, *dominio temporali subjectis*, referuntur ad omnia loca in dictâ clausula recensita, qualia sunt Portugallia, Algarbia, Insulæ, Indiæ Orientales, Ultramarina, conquestæ terræ: Sed Indiæ Orientales, nec quoad omnia sua Regna, nec prout veniunt nomine conquistarum, sunt Dominio temporali Regis Portugalliæ subjectæ: Ergo solùm possunt sumere Bullam, commorantes in Indiis Orientalibus, si commmorentur in aliquo illarum loco, qui sub dominio Regis Portugalliæ sit, vel ad illum declinent, non verò si in illo non commorentur.

38. Neque respondeat aliquis, verba *dominio temporali subjectis*, dicere tantùm ordinem ad loca Portugalliæ, & Algarbiorum, quæ dominio Regis Portugalliæ sunt subjecta, & non ad Indias Orientales, conquestas terras &c. ut patet ex contextu verborum; quæ sic procedunt *Et locis ejusdem Portugalliæ, & Algarbiorum Regis dominio temporali subjectis:* Ergo quanvis non omnes partes Indiæ Orientalis, nec illæ, quæ intra designationem factam ab Alexandro veniunt sub nomine conquistarum, sint dominio Regis Portugalliæ subjectæ; adhuc poterunt Bullam sumere, etiamsi non declinent ad loca ubi promulgatur.

39. Non inquam ita respondeat aliquis: quia dictio-

dictiones *commorantibus*, & *declinantibus* in fine clausulæ appositæ, referuntur ad dictiones *omnibus fidelibus*, quæ clausulæ initio apponuntur: Ergo etiam verba *Regis dominio temporali subjectis* ante dictas dictiones posita referuntur ad dictiones, *Indiis Orientalibus, Ultramarinis, & terris Conquestis*, quæ in medio clausulæ apponuntur: si enim ultima verba referuntur ad prima, etiam ante ultima posita, referuntur ad ea, quæ in medio posita sunt. Accedit, quia clausula posita in fine dispositionis, refertur ad omnia præcedentia; ut plures docent apud Sanch. *de matrimon. lib.* 10. *disp.* 17. *in fine, & lib.* 8. *disp.* 16. *prope finem*: sed verba Bullæ *Regis dominio temporali subjectis*, ponuntur in fine ejusdem dispositionis: Ergo ad omnia præcedentia referuntur, nempe: ad Indias Orientales, Ultramarina, & Conquistas &c. Ergo si hæc, quoad omnia sua loca, & partes non sint sub dominio Regis Portugalliæ; commorantes in eis locis, & partibus ipsius dominio non subjectis, Bullam non possiunt sumere.

40. Ad argumentum respondeo, negando majorem, quia non eodem modo, quo dicit ordinem, aut refertur dictio *commorantibus* ad dictiones *omnibus fidelibus*, referuntur hæc verba *Regis dominio temporali subjectis* ad Indias Orientales, Ultramarina, & terras Conquestas; nam dictio, *commorantibus* refertur ad dictiones *omnibus fidelibus* ut adjectivum ad suum substantivum, cum quo cohæret: At verba *Regis dominio temporali subjectis*, referuntur ad alia immediatè posita, scilicet *Et locis ejusdem Portugalliæ, & Algarbiorum*, quæ cum illis unam, & distinctam ab Indiis Orientalibus, Ultramarinis, & terris Conquestis conficiunt orationem.

41. Quod ostendo; quia in rescriptis, & Bullis Apostolicis, verborum superfluitas semper vitanda est, & eorum verba aliquid debent operari *ex cap. si Papa, de privileg. in* 6. ibi *cùm verba aliquid operari debeant.* & *l.* 3. *in principio*, ibi: *Nec frustra adjiciuntur ff. de jurejurand.* Imo non solum verba, sed quælibet dictio, aut syllaba in iisdem Bullis, aut rescriptis, non ponitur sine aliquo effectu, ut rectè docent glossa *cap. solutæ, verbo tanquam de majorit. & obedient.* & DD. quos citatos refert Sanch. *lib.* 3. *de matrim. disp.* 26. *n.* 6. sed in Bullâ extensionis Pauli V. & Urbani VIII. & aliorum expresè, & distinctè apponuntur Indiæ Orientales, Ultramarina, terræ Conquistæ: Ergo, ne dicamus fuisse superfluè appositæ, aliquid operari debent, nempe: ut in illis commorantes, quanvis aliqua illorum loca, dominio temporali Regis Portugalliæ non sint subjecta, possint Bullam sumere, & illius frui privilegiis.

42. Major, & minor hujus asserti constat ex textibus, & DD. & ipsis Bullis extensionis; Consequentia ostenditur. Quia si solùm commorantes in locis dictarum Indiarum Orientalium &c. quæ dominio temporali Regis Portugalliæ sunt subjecta, possint Bullam sumere, superflua manerent verba: *Indiæ Orientales, Ultramarina, & terræ Conquistæ*; quia sufficienter manent comprehensæ per ultima verba ejusdem clausulæ, *& locis ejusdem Portugalliæ, & Algarbiorum Regis dominio temporali subjectis, commorantibus, & ad illa declinantibus.* Quippe loca in Indiis Orientalibus, Ultramarinis, & terris Conquistis à Rege Portugalliæ possessæ, dominio Regis Portugalliæ sunt subjecta. Si ergo hæc tantùmmodò verba sufficiebant, ut ibi commorantes possint Bullam sumere, ad quid tot SS. Pontifices mentionem faciunt de Indiis Orientalibus, Ultramarinis, Insulis, & terris Conquistis, nisi quia volebant hanc Bullam extendere ad omnes fideles ad fidem conversos, per missionarios ex Portugalliâ, & ipsius Regis expensis missos, & ad alios fideles, qui vel causâ Gentium conversionis, vel aliâ quâcunque, in dominio temporali alieno, & non à Rege Portugalliæ possesso, commorantur, vel in illo degunt.

43. Addo quòd Bulla Cruciatæ, & quodlibet illius privilegium debet latè & amplè interpretari, ut diximus cum communi DD. *disp.* 1. *a num.* 67. sed hæc doctrinalis interpretatio fundatur in jure, & DD. ut *nuper* vidimus: Ergo præfato modo intelligenda est additio facta dictorum locorum per extensiones SS. Pontificum.

44. Ex prædictâ solutione patet responsio ad ea, quæ ad abundantiam præfati argumenti asferebantur ad ultimo loco adductum; quòd clausula posita in fine dispositionis, refertur ad omnia præcedentia; respondeo cum ipso Sanch. *locis citatis*, id intelligi, quando in omnibus eadem datur consideratio; at in præsenti, ex dictis constat, eandem non dari.

45. Objicies secundò: Si tradita doctrina esset vera, & extensionibus SS. Pontificum conformis, frustraneum, & superfluum esset privilegium concessum, & additum clausulæ prædictæ, scilicet *Nec non Regnorum prædictorum subditis in alieno dominio in dictis Indiis Orientalibus mercimonii causâ, non tamen animo in alieno dominio hujusmodi permanendi degentibus, indulgentias &c.* Sed juxta dicta *proximè num.* 41. hoc privilegium non est superfluum, nec frustraneum: Ergo tradita doctrina, nec est vera, nec subsistere valet. Major probatur; quia si omnes commorantes in Indiis Orientalibus, Ultramarinis, & terris Conquistis, possunt Bullam sumere; cùm subditi Regis Portugalliæ ibi etiam commorentur, absque eo privilegio illam possent sumere, sive in dominio alieno degant causâ commercii, sive non: ut dixi *n.* 36.: Ergo nihil conceditur, quando in eo dominio alieno degunt causâ commercii.

46. Respondeo, negando majorem, & ad illius probationis antecedens, supponendum est, non omnia Regna, & Regiones Indiarum Orientalium comprehendi in extensionibus à dictis SS. Pontificibus factis sub nomine *Indiis Orientalibus*, sed ea tantùm, quæ comprehenduntur inter designationem factam ab Alexandro VI. ad compositionem amicabilem inter Reges Portugalliæ, & Castellæ anno 1494. in oppido de Fordestillas. Et juxta terminos designationis factæ, erant ex Conquistis Regis Portugalliæ omnes Regiones jacentes ab Insulis Capitis viridis versus Occidentem per trecentas, & septuaginta leucas & exinde per lineam rectam versus polum Arcticum, & Antarcticum ex parte Orientis. Et cum in hâc terrarum designatione, in Indiis Orientalibus aliquæ dentur regiones, quæ non sunt ex Conquistis Regis Portugalliæ, eo quòd maneant extra terminos dictæ designationis, ut sunt Insulæ Philippinæ, & aliæ. S. S. Pontifices concedentes Bullam pro Indiis Orientalibus; hæ Indiæ intelligendæ veniunt, quæ sunt ex Conquistis dicti Regis, juxta terminos designationis

factæ, & non de aliis regionibus Orientalibus, extra illos terminos existentibus. Hoc suppositio.

47. Respondeo ad probationem majoris, distinguendo antecedens; omnes subditi Regis Portugalliæ absque eo privilegio in Indiis Orientalibus commorantes, possunt Bullam sumere si dictæ Indiæ Orientales sint ex conquistis, juxta præfatam designationem, concedo; si verò dictæ Indiæ Orientales non sint ex conquistis Regis Portugalliæ, nego antecedens. Et dictum privilegium procedit de illis regionibus Indiarum Orientalium, quæ non sunt ex conquistis Regis Portugalliæ; nam ibi existentes subditi Regis Portugalliæ mercimonii causâ, absque eo, quòd declinent ad loca ubi nostra Bulla publicatur, possunt ex eo loco mittere litteras ad amicum, ut pro ipsis Bullam sumat; & non procedit privilegium de commorantibus, aut degentibus in aliis regionibus Indiarum Orientalium, quæ sunt ex conquistis Regis Portugalliæ, nam in illis possunt sumere Bullam, vel aliquem mittere, ut pro ipsis illam sumat, juxta extensiones S. S. Pontificum, & dicta *supra n.* 37.

48. Dico tertiò: Omnes fideles commorantes, seu degentes in conquistis Regis Portugalliæ, possunt ibi Bullam sumere, vel mittere aliquem, qui pro ipsis eam sumat. Ratio hujus conclusionis ex dictis in præcedenti patet, & ulterius ostenditur: quia in extensione factâ ad Bullam Gregorii XIV. per Paulum V., Urbanum VIII. & alios Pontifices conceditur facultas, sumendi Bullam, omnibus fidelibus in conquistis commorantibus, per hæc verba: *Omnibus Christi fidelibus in prædictis Portugalliæ, & Algarborum Regnis, ac eorumdem Regnorum Insulis, Indiis Orientalibus, & Ultramarinis, conquestis terris.... commorantibus*, &c. Ergo fideles in conquistis commorantes, Bullam possunt sumere, & illius privilegiis gaudere.

49. Objicies primò: S. Pontifex concedit Bullam commorantibus *in Conquestis terris*: ut constat ex verbis allatis; sed nomine terrarum Conquestarum, non veniunt terræ Conquistæ: Ergo privilegium sumendi Bullam concessum commorantibus in terris Conquestis, non est extendendum ad commorantes in terris Conquistis. Minor probatur, quia dictio *Conquestis*, cùm sit temporis præteriti, videtur referri ad illas terras, quæ de facto fuerunt, vel sunt possessæ à Rege Portugalliæ in utrisque Indiis, & Ultramarinis, & non ad omnes illas, quæ juxta designationem factam ab Alexandro VI. veniunt nomine *Conquistæ*: Ergo non ad terras Conquistas, sed tantùm ad terras Conquestas extenditur dictum privilegium.

50. Respondeo negando minorem, & illius probationis antecedens: nam idem valet, & sonat terræ Conquestæ, ac terræ Conquistæ, & tam præteriti, & præsentis temporis sunt dictiones *Conquestis*, ac *Conquistis*, & S. S. Pontifices usi fuerunt potius dictione *Conquestis*, quia cùm sit barbara, & à linguâ Latinâ aliena, magis Latinæ accommodabatur dictio, Conquestis, quàm Conquistis, quæ tantùm Linguâ Lusitanâ, & Hispanâ pronuntiatur, & usu habetur.

51. Objicies secundò: si aliqui fideles declinent ad aliquod oppidum Conquistarum, quod à Rege Portugalliæ non possidetur, non possunt in eo sumere Bullam: Ergo nec etiamsi in eo commorentur. Respondeo; ideo ad eum locum declinantes non possunt in eo sumere Bullam, quia non habent à quo eam recipiant; si autem haberent, eam poterant sumere, nam privilegium æquè conceditur commorantibus, aut declinantibus ad terras Conquistas. Advertendum tamen est; dicta in hac sectione aliquibus viris doctis visa fuisse dura, & contra proprietatem verborum diplomatis à Paulo V. concessi, & à successoribus extensi, aliis verò probabilia ob allatas rationes. Ne ergo doctrina tradita in tribus conclusionibus prædictis cum ea dubitatione procederet, consului Illustrissimum D. Franciscum Correa de Lacerda Bullæ Cruciatæ Commissarium Generalem, ut juxta facultatem sibi à S. S. Pontificibus concessam, dictam dubitationem amoveret, declarando quod in illa sibi verum existimabat. Respondit Illustrissimus D. doctrinam à me traditam in hac sectione quoad Conquistas hujus Regni, etiam sub dominio Regis Portugalliæ non existentes, semper sibi visam fuisse veram, & ad tollenda dubia, eâ potestate quâ pollebat, sic eam declarare.

SECTIO VI.

An subditi Regis Portugalliæ in Indiis Orientalibus in dominio alieno degentes, possint per alios Bullam sumere, & illius uti privilegiis?

52. A Doctrina præcedentium sectionum excipiuntur subditi Regis Portugalliæ in dominio alieno mercimonii causâ in Indiis Orientalibus degentes, si ibi animo permanendi non consistant (intelligendo Indias Orientales juxta dicta *proximè n.* 46. qui locus est hic recolendus): sic primò concessit Paulus V. & Urbanus VIII. aliique successores extenderunt, & prorogarunt, per hæc verba. *Nec non Regnorum prædictorum subditis in alieno dominio in dictis Indiis mercimonii causâ, non tamen animo in alieno dominio hujusmodi permanendi degentibus, indulgentias*, &c. Hoc privilegium, ut jam notavimus, non datur in Bullâ Hispanâ. Ut quis eo utatur aliquæ requiruntur conditiones.

53. Prima est: ut sit subditus Regis Portugalliæ: si enim illius subditus non sit, hoc privilegio uti non valet: etenim solis subditis conceditur.

54. Secunda: ut mercimonii causâ in dominio alieno degant. Unde milites Regis Portugalliæ subditi, qui sub alieno dominio suis stipendiis militant, non possunt frui hoc privilegio; etiamsi ibi non animo permanendi consistant; quia non mercimonii causâ, sed militiæ ibi degunt. Et idem dicendum puto, de Religiosis, qui animo salvandi animas, & infideles convertendi, ibi degunt: nam S. Pontifex pro causâ hujus absentiæ, mercimonium requirit. Secus dicendum, si degant in Conquistis, juxta dicta *sect. præcedente.*

55. Tertia; ut animum non habeant in alieno dominio permanendi. Unde siquis ibi domicilium non acquirat, quod acquiritur animo perpetuò in eo loco permanendi, ut videre est

apud

Raul Sanch. *lib.* 3. *de matrim. disp.* 23. *n.* 2. quanvis per aliquos annos ibi commoretur, bene poterit ex eo loco per aliùm Bullam sumere, & ibi omnibus frui privilegiis.

56. Quæres primò: An etiam possit quis, per aliam Bullam sumere, & illius frui privilegiis, si in dominio alieno per decem annos detineatur, mercimonii tamen causâ? Respondeo, posse; quia si animum ibi non habet permanendi, domicilium non acquiritur; quia sicut domicilium acquiritur statim, ac quis incipit habitare in aliquo loco cum animo ibi perpetuò permanendi; ita etiam non acquiritur, dum animus deest perpetuo permanendi, etiamsi, per multos annos in eo loco detineatur. Vide Sanch. *loco citat.*

57. Quæres secundò: An hoc privilegium extendatur ad subditos Regis Portugalliæ in terris Conquestis degentes sub dominio alieno mercimonii causâ? Respondeo, extendi juxta verba Commissariis in summario ex cripta, ibi: *E aos subditos delles que vivem em senhorio alheo nas partes da India, e Conquistas, por cauza do Comercio.* Adverto tamen, verba Commissarii debere intelligi de illis, qui vivunt, in Conquistis Regis Castellæ, seu Hispaniæ, causâ Commercii: non verò de illis, qui vivunt in Conquistis Regis Portugalliæ. Ratio est primi; quia vivendo in Conquistis Regis Hispaniæ vivunt in dominio alieno, sive is locus sit in possessione Regis Hispaniæ; sive alterius Principis. Ratio verò secundi est, quia juxta dicta *n.* 48. *& supra à n.* 45. qui locus hic recolatur, non procedit hoc privilegium de Conquistis Regis Portugalliæ, nam in illis commorantes possunt sumere Bullam, quâcunque causâ ibi commorentur, quia commorantibus in Conquistis, etiam conceditur Bulla, ut *citato n.* 48. ostendimus.

SECTIO VII.

Quid nomine Indiarum, & terrarum Conquestarum *veniat in dicto privilegio?*

58. UT exploremus, qui possint dicto privilegio gaudere, opus est agnoscere, quid veniat nomine *Indiæ Orientalis?* Geographi propriè Indiam dicunt, illam regionem inter flumina Indum, & Gangem situatam, ut videre est apud Joannem de Barros *decad.* 1. *lib.* 4. *cap.* 7. *in principio.* Alii tamen illam extendunt post Persicum Imperium, ab Indo fluvio Orientem versus per longissimum tractum ad ultimos Sinarum fines; ut habetur apud Osorium, *de Rebus Emmanuelis initio lib.* 2. & apud Schottum *in cursu Mathemat. lib.* 12. *cap.* 27. In communi tamen existimatione apud Lusitanos nomine *Indiæ* veniunt omnes Regiones à Promontorio Bonæ spei, Orientem versus jacentes. His præmissis

59. Dico primò: Omnes subditi Regis Portugalliæ à Promontorio Bonæ spei, Orientem versus, degentes in alieno dominio (modo explicato *n.* 46.) causâ Commercii, possunt, per alios Bullam sumere, ubi publicatur, & quin ad hunc locum declinent, illius frui privilegiis. Ratio est quia S. Pontifex hoc impertitur privilegium pro degentibus in Indiis Orientalibus; ut constat ex verbis relatis: Sed communi hominum existimatione, nomine *Indiarum Orientalium* veniunt regiones jacentes à Promontorio Bonæ spei, Orientem versus: Ergo. Hæc conclusio fortius stabilitur ratione pro secundâ conclusione.

60. Dico secundò: Omnes subditi Regis Portugalliæ degentes in dominio alieno causâ commercii, à Mauritaniâ, versus Austrum, & Orientem, possunt dicto privilegio frui. Ratio est, quia Gregorius XIII. in compendio Indico *Verbo India*, apud Avendanum *tit.* 12. *n.* 129. declaravit, nomine *Indiarum Orientalium* venire omnes regiones, & insulas, quæ ultra Mauritaniam versus Austrum, & Orientem ad Regem Portugalliæ spectant, sive jure dominii, sive Conquistæ, sive Commercii: Ergo omnes subditi Regis à Mauritaniâ versus Austrum, & Orientem in dominio alieno causâ Commercii degentes, possunt dicto privilegio gaudere; quia hæ omnes Regiones ex declaratione Pontificis, veniunt nomine *Indiarum Orientalium.*

61. Ex hac declaratione, veniunt nomine *Indiarum* Insulæ Promontorii capitis viridis S. Thomæ, Angolæ Regna, & alia oppida, quæ sunt in illâ ora maritimâ: & subditi Regis Portugalliæ in his partibus in dominio alieno causâ Commercii commorantes, non tamen animo ibi permanendi, quin declinent ad loca, ubi Bulla valet, possunt, per alios illam sumere, & illius uti privilegiis.

62. Objicies: dicta declaratio à Gregorio XIII. facta fuit per vivæ vocis oraculum: Sed vivæ vocis oracula sunt per Bullas Gregorii XV. & Urbani VIII. revocata: Ergo eæ regiones, quæ sunt citra Promontorium Bonæ spei, nomine *Indiæ Orientalis* non veniunt. Respondeo, licèt illi S. S. Pontifices vivæ vocis oracula revocassent, non tamen revocasse declarationes, ut tenet in præsenti Avendan. *supra*, & absolutè de omnibus declarationibus Quintanaduenàs *tom.* 1. *tract.* 9. *singular.* 4. *n.* 5. & apud ipsum Lezan. *in qq. Regul. cap.* 3. *n.* 21. Dian. *part.* 5. *tract.* 14. *resolut.* 22. Escobar *in Theolog. moral. tom.* 1. *l.* 6. *n.* 96. Laurent. Peyrin. *tom.* 2. *cap.* 12. & aliqui Recentiores ab eo consulti. Cum verò declaratio à Gregorio XIII. cadat super eo, quòd venit nomine *Indiarum*, & non super privilegiis, per Bullas vivæ vocis oraculorum revocatorias, non censetur revocata.

63. Dico tertiò: non improbabile videtur aliquibus viris doctis à me consultis posse subditos Regis Portugalliæ in dominio alieno mercimonii causâ degentes, non tamen animo ibi permanendi, in partibus Brasiliæ eodem frui privilegio. Ratio est, quia prædictum privilegium conceditur pro Indiis Orientalibus; sed privilegia concessa Indiis Orientalibus, etiam conceduntur Occidentalibus (quæ comprehendunt Brasiliam): Ergo Brasilienses subditi Regis Portugalliæ, in dominio alieno, modo dicto, degentes, possunt, eo privilegio frui. Minor, in qua est difficultas, ostenditur ex declaratione, & concessione Gregorii XIII. die 10. Februarii anni 1579; & habetur *in compendio Indico societatis verb. Gratiarum communicatio*, per hæc verba. *Omnia privilegia, facultates, & gra-*

gratiæ, quæ Occidentali India, & Orientali concessa sunt, & in posterum concedentur, ita invicem communicantur, ut singuli earundem Indiarum, & nova Hispaniæ Societatis Religiosi, illis omnibus æque principaliter in omnibus, & per omnia gaudeant: illisque uti possint perinde, ac si illa omnia utrinsque India, ac nova Hispania Religiosis prædictis specialiter, ac nominatim concessa fuissent. In quibus noto cum Avendan. *tit.* 12. *n.* 114. quòd quanvis concessio ad Religiosos dirigatur, satis tamen mens Pontificis videtur esse testata, ut privilegia, quæ Orientali, & Occidentali Indiæ sigillatim, ac divisim concessa sunt, communia utrique habeantur: nam privilegia, non tam Religiosis, quàm Indiis ipsis conceduntur, ut ex tenore concessionis constat, ibi: *Quæ Occidentali India, & Orientali concessa sunt, & in posterum concedentur:* Cum ergo prædictum privilegium sit concessum Indiis Orientalibus, etiam Brasiliæ, quæ in Indiis Occidentalibus continetur, concessum esse censetur. Confirmatur, quia privilegia Bullæ sunt amplè interpretanda: Sed dictum privilegium ex declaratione Gregorii XIII. potest admittere hanc extensionem: Ergo illi tribui potest. His non obstantibus assero dictam extensionem non esse admittendam, quia sufficienter non deducitur ex Pontificis diplomate; quod intelligitur de privilegiis utrisque Indiis concessis, & non de privilegio Bullæ pro Indiis Orientalibus concesso.

SECTIO VIII.

An exteri qui transeunter in his Regnis inveniuntur, utiliter valeant sumere Bullam?

64. Sebastian. à Costa in Bull. *q.* 16. Abreus *de Paroch. lib.* 10. *n.* 514. ut nostram Bullam extenderent ad exteros, qui in his Regnis resident, sive per modum permanentis, sive transeuntis, ponderárunt verba Bullæ Gregorii XIV. *commorantes, & degentes,* assignando discrimen inter utramque dictionem: nam dictio *commorantes* (inquiunt) cadit super illos, qui in his Regnis habent domicilium, aut quasi domicilium: dictio verò *degentes* comprehendit eos, qui tempore Bullæ in his Regnis resident, sive per modum permanentis, sive transeuntis.

65. Sed istam differentiam existimo prorsus vanam; nam idem importare videtur commorari in aliquo loco, ac in eo degere: utraque enim dictio mansionem in loco significat, prout declarant Grammatici, ut apud ipsos videri potest. Unde juxta verba Gregorii XIV. dicendum est, eos, qui in his Regnis per modum transeuntis inveniuntur, non posse utiliter Bullam sumere; quia tam verbum *commorari*, quàm *degere* permansionem significant.

66. Dicendum tamen est; alienigenas, qui in his Regnis, vel illorum dominus inveniuntur, posse utiliter Bullam sumere, sive in illis sint per modum permanentis, sive per modum transeuntis. Ratio expressè colligitur, tam ex Bulla Gregorii XIV. quæ loquitur de commorantibus, & degentibus in his Regnis, quàm ex Bulla Pauli V. & Urbani VIII. qui de declinantibus ad illa, sermonem faciunt: (verba Bullæ Gregorii XIV. & Pauli V. dedi in principio hujus disp.) Ergo omnis exterus, qui ad hæc Regna declinavit, vel in eis degit, vel in eis commoratur, licèt brevi reversurus, potest cum fructu, Bullam suscipere, & omnibus illius privilegiis in propriâ patriâ gaudere; quia in Bullâ Lusitanâ nulla apponitur exceptio, ut in Bullâ Hispanâ; ut vidimus *disp.* 1. *a n.* 63.

SECTIO IX.

An exterus accedens ad portum alicujus oppidi horum Regnorum, in quibus Bulla publicatur, possit inde Bullam utiliter sumere?

67. Hæc quæstio est præcedenti simillima; in eâ inquiritur: An exterus accedens ad portum hujus civitatis Ulyssiponensis, vel alterius oppidi, ex pluribus, quæ sunt sub dominio Regis Portugalliæ, & inde, quin in terram descendat, mittens nuntium, qui Bullam pro ipso accipiat, possit illius uti privilegiis? Pro sententiâ negativâ affert Bard. *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 52. quemdam Recentiorem; illius tamen sententiam impugnat, & rejicit.

68. Affirmativa sententia est communis inter expositores Bullæ Hispanæ. Ita Bard. *citat.* Mend. *in appendic. ad Bull. disp.* 1. *num.* 24. Tambor. *tract. de Bull. cap.* 3. §. 2. *num.* 2. excipientes privilegium edendi ova, & lacticinia tempore Quadragesimali, dum fuerit extra Hispaniam. Hanc sententiam sine hâc exceptione admittimus; quia ea exceptio non datur in Bullâ Lusitanâ: ut jam sæpius notavimus, & *infra* in proprio loco ostendemus.

69. Probatur; quia in favorabilibus, portus venit nomine civitatis, & oppidi, cui adjacet, per text. *in cap. ubi periculum* §. *porro*, Gloss. *verb. territorio, de Elect. in* 6. & DD. apud Barbos. *tract. de appell.* 49. Benedict. Pereyra *in elucid. num.* 301. sed Bulla est favor à S. Pontifice concessus; Ergo ex portu potest accipi à non descendente in terram.

70. Et quid dicendum; si exterus non ex portu, nec ex sinu pro portu ad stationem Navium inserviente, sed ex mari adjacente, seu vicino mittat nuntium, qui Bullam pro ipso sumat? Videtur affirmare Bard. *n.* 54. quia existimat, mare adjacens oris Hispanis esse sub dominio Regis Hispaniæ: Ergo etiam mare adjacens Regno, & dominiis Regis Portugalliæ, cùm sit sub illius dominio, poterit quis ex illo mittere aliquem, qui pro illo Bullam sumat. Hæc sententia videtur probabilis.

71. Dicendum tamen probabilius, non sufficere ex mari adjacente mittere nuntium, ut pro ipso Bullam sumat. Ratio est, quia S. Pontifex requirit, ut quis Bullam sumat utiliter, ut declinet ad loca, ubi Bulla habet valorem: qui autem declinat ad mare adjacens, & vicinum, non declinat ad loca ubi Bulla habet valorem: Addo, nec illud mare adjacens esse sub dominio Regis, quia non solum illius classes, sed etiam inimico-

micorum possunt per illud transire. Ita Mend. *in appendic. disp.* 1. *a. n.* 25.

72. Si verò supra illud mare subjacens, sit aliquod propugnaculum, quod illud ab inimicis securum reddat; tunc existimo, posse ex illo mittere nuntium, ut Bullam sumat; quia ille locus est sub dominio Regis Portugalliæ, quod sufficit, ut Bulla utiliter sumatur.

SECTIO X.

An exterus solo animo sumendi Bullam petens aliquod oppidum hujus Regni, aut dominiorum, illam utiliter sumat?

73. NEgativam tuetur Trullench. *in expositione Bull. lib.* 1. §. 1. *dub.* 5. *num.* 2. citans Ludovicum à Cruce *disp.* 1. *cap.* 1. *dub.* 3. sed non rectè: quia de hâc re nihil agit. Post. Ægid. Trullench, eandem sequuti sunt Fr. Joseph Mend. de S. Joann. *tract. de Bull. Sect.* 1. *n.* 6. *fol.* 4. Dian. *part.* 11. *tract.* 2. *resol.* 37. & apud illum Galleg. *in Bull. Cruciat. cap.* 1. *claus.* 1. *dub.* 4. Antonius Escobar & Mendonça *in Theol. moral. t.* 1. *lib.* 7. *sect.* 1. *cap.* 2. *num.* 13. Pro hac etiam sententiâ citari poterant à Cost. & Abreus *cit. supra n.* 64.

74. Probari potest primò ex summario nostræ Bullæ, ibi: *Estantes, e moradores nestes Reinos, e senhorios*; Et ex Bullâ Gregorii XIV. ibi. *Locis Regum Portugalliæ dominio subjectis commorantes, atque degentes &c.* Sed exterus, qui petit hoc Regnum solo animo sumendi Bullam, statim reversurus in suam patriam, non commoratur, nec degit in his Regnis, aut dominiis; quia in illis non permanet: Ergo Bullam utiliter sumere non valet.

75. Secundò: quia fraus nemini debet patrocinari, ut constat *ex cap. sedes, & cap. ex tenore de rescript.* sed dictus exterus solùm in hæc dominia vult declinare, ut Bullam sumat: ergo videtur operari cum fraude.

76. Sed his non obstantibus, tenenda est sententia affirmativa; quia id expressè constat ex verbis Bullæ Pauli V. & Urbani VIII. quas omnes successores prorogant; quæ ita habent; *Et locis ejusdem Portugalliæ, & Algarbiorum Regis dominio temporali subjectis commorantibus, & ad illa declinantibus.* Sed exterus, qui petit oppidum aliquod horum dominiorum solâ intentione sumendi Bullam, & statim revertendi, verè, & propriè declinat ad hæc Regna, ubi Bulla promulgatur, & dat eleemosynam designatam: Ergo Bullam utiliter sumit. Ita Bard. *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 56. Mend. *disp.* 3. *cap.* 3. & *in appendic. disp.* 5. *à n.* 163. nixi eisdem verbis, quæ dantur in Bullâ Hispanâ.

77. Nec obstant fundamenta contraria *n.* 74. & 75. non primum deductum ex summario, & Bulla Gregorii XIV. quia ex illo non manet probata nostra sententia, sed ex Bulla Pauli V. & Urbani VIII. qui nostram Bullam ampliarunt ad declinantes ad hæc Regna, & dominia; & successores prorogarunt: & cùm exterus verè declinet, Bullæ privilegiis frui valet.

78. Nec obstat secundum; non enim dicitur exterus fraudem committere, quando utitur jure suo: Cum verò Bulla accipi possit à declinantibus ad hæc dominia, possunt ad illa declinare, ut Bullam suscipiant. Nec leges aliud probant, nec in alio sensu intelligendæ; quia solùm prohibent fraudem, quando cum eâ aliquid fit animo nocendi, & damnificandi; secus si absit, ut in præsenti, juxta regul. *Nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur ff. de reg. jur.* Ita Sanch. *lib.* 3. *de Matrim. disp.* 18. *n.* 29.

79. Et aliquibus exemplis ostenditur; nam ille, qui est in articulo mortis contrahit cum concubinâ, ut filios legitimet, ne substitutus hæreditatem, aut majoratum adeat; licèt eo animo id faciat; eâ ratione, quia utitur jure suo, ut tenet Sanch. *cit.* Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 24. §. 5. *n.* 4. & alii, quos citant.

80. Idem de Lusitano, qui ex eâdem ratione potest ire ad Castellam, ut die Sabbati intestina, seu minuta animalium comedat. Sic Castr. Palao *cit. num.* 2. & 4. *adjuncto.* Idem de eo, qui potest exire à loco, ubi est præceptum audiendi missam, abstinendi ab operibus servilibus, & jejunandi, eo animo, ut missam non audiat (dummodò ad locum ubi non est festum, perveniat ante ultimum sacrum peragendum, nempe: ante meridiem,) & ut opera servilia exerceat, & non jejunet, cum eâdem limitatione, videlicet, quòd perveniat ad ea loca, ubi ea præcepta non obligant; ut cum pluribus tenet Tambor. *lib.* 3. *decal. cap.* 2. §. 2. *n.* 12.

81. Contra hæc exempla, aliud opponi potest, nempe: siquis à proprio loco, in quo habet domicilium recedat; eo animo, ne confiteatur proprio Parocho, vel ut absolvatur à reservatis, talis confessio erit invalida; quia facta est in fraudem proprii Parochi, ut docet Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 25. *sect.* 2. *num.* 9. Vazq. *in* 3. *part. q.* 93. *art.* 1. *dub.* 4. *n.* 4. Bonac. *de penit. disp.* 5. *q.* 7. *punct.* 2. *n.* 5. & 6. Card. de Lug. *de pœnit. disp.* 19. *num.* 7. & *alii*: Ergo saltem idem dicendum erit de eo, qui eo animo declinat ad locum, ubi Bulla publicatur, ut illam accipiat.

82. Respondeo, licèt aliqui DD. negent antecedens, ut videre est apud *Basil. cit. n.* 6. & Castr. Palao *dicto n.* 4. & Filliuc. *tract.* 7. *cap.* 7. *n.* 195. illud tamen concedo; quia Clemens X. in Const. quæ incipit. *Superna* editâ die 2. Augusti anni 1670. habitâ apud Lantusc. & Joannem Paul. *tom.* 5. *fol.* 494. in cujus §. 7. hæc dantur verba. *Nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis, ad alienam diœcesim pro absolutione obtinendâ, migrasse.* Et quanvis S. Pontifex in his verbis solùm loquatur de reservatis, aliquod tamen argumentum, non tamen efficax, ex illis oritur; quòd non sit valida confessio, quando eo animo fit peregrinatio, ut quis cum proprio Parocho non confiteatur; quia tunc confessio in fraudem fit Parochi.

83. Quare nego consequentiam: diversa ratio est, quia qui confitetur cum aliquo Parocho, qui tantùm habet jurisdictionem in suos parochianos, absque expressâ, aut implicitâ licentiâ proprii Parochi; imo in sui fraudem, confessio non potest esse valida; quia Parochus est rationabiliter invitus, ut suppono: at qui declinat ad locum, ubi Bulla viget, in nullius damnum, aut jurisdictionem operatur, nec etiam proprii Parochi, nam licèt ex Bullâ possit eligere confessarium,

id est in ordine ad indulgentias, & alia privilegia in Bullâ concessa, quæ privilegia à S. Pontifice absque ullâ modificatione conceduntur.

DISPUTATIO IV.

De tempore, quo durat Bulla Cruciatæ.

1. EAndem sequor methodum Bullæ Latinæ, & summarii, quod sic prosequitur: *Que dentro de hum anno do dia da publicação desta em diante &c.* Et infra: *Que dentro do dito anno*, & sæpius in aliis locis. In Bulla verò Latina Gregorii XIV. sic habetur: *Qui intra triennium tantùm, à die publicationis.* Ex quibus verbis notandum est, ab anno 1591. in quo incepit Bullæ continuatio per triennia, usque ad annum 1605. Bulla in principio cujuslibet triennii publicabatur. Paulus autem V. eo anno 1605. Bullæ concessionem ad sexennium extendit, & prorogavit, & ut singulis annis ejusdem sexennii concessit, ut publicari possit his verbis. *Non solùm singulis triennis, quemadmodum à prædicto Gregorio XIV. prædecessore concessum fuerat, sed etiam singulis annis supradictis* (id est sexennii) *omnes indulgentias.... publicare possit, motu, scientiâ, & authoritate similibus pariter concedimus &c.* Et deinceps ex hâc facultate ab aliis SS. Pontificibus successoribus prorogatâ, à Commissariis Bulla publicari singulis annis mandata fuit: ut constat ex decreto D. Franscici de Braganca Commissarii, & primi hujus commissionis exequutoris, ibi: *Ita ut durante anno publicationis, & prædicationis hujusmodi Bullæ &c.* appono igitur hæc verba, ut intelligantur, & in hâc disput. exponantur. Eadem datur duratio in Bulla Hispanâ.

SECTIO I.

Quando incipiat annus publicationis Bullæ?

2. APud omnes certum est incipere ab ipso die publicationis solemnis, in quâcunque civitate, Castello, aut pago, etiam minimo; ut constat ex ipsâ Bullâ Latinâ, quæ sic ait: *A die publicationis præsentium Litterarum in singulis locis Regnorum, & dominiorum prædictorum, in quibus a nobis deputandus Commissarius, vel ab eo delegati illas publicari fecerint, & mandaverint, numerandum &c.*

3. Solemnitas hujus publicationis in duplici consistit actu, nempe: in solemni processione, & in concione; duplex tamen hic actus necessariò non requiritur, sufficit enim processio, siquidem per illam solam, datur absoluta promulgatio; & liquet ex verbis in decreto Commissarii, in quibus distinguitur publicatio à prædicatione, ibi: *anno publicationis, & prædicationis.* Et S. Pontifex non factâ prædicationis mentione, asserit in prædictis verbis annum esse à die publicationis numerandum, & sic docent D. D. in expositione Bullæ Hispanæ, in quâ non eadem, sed similia verba reperiuntur: Villal. *tom.* 1. *tract.* 27. *claus.* 4. *n.* 6. Veg. Henriq. Joann. Sanch. quos refert, & sequitur Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *de Bull. punct.* 3. *n.* 1. Accedunt Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 1. *dub.* 10. *n.* 3. Mend. *disp.* 2. *à n.* 2. Tambor. *tract. de Bull. cap.* 4. §. 1. *a n.* 1. Escob. *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 36. Lezan. *tom.* 3. *qq. Regul. verb. Bulla Cruciatæ n.* 5.

4. Adverte tamen, licèt publicatio Bullæ in singulis locis sit facienda, non opus esse, ut fiat in singulis Parochiis ejusdem oppidi, sive civitatis, etiam magnæ; quia S. Pontifex unam tantùm requirit publicationem pro uno loco, hoc est pro uno oppido, seu pro unâ civitate: Ergo quanvis dentur in uno oppido, seu in unâ civitate plures Parochiæ, non in singulis, sed in Metropoli, seu matrice facienda erit; quanvis in aliâ non Metropoli, vel matrice fieri possit; quia adhuc sit in eo loco, id est in eo oppido, vel civitate, quod requirit S. Pontifex.

5. Dices: sufficit, ut leges vim obligandi habeant, quod publicentur in Curiâ, Metropoli, vel Urbe vicina, ut videre est in materiâ de legibus apud Doctores, & de legibus Lusitanis, quòd solùm publicentur in Curiâ, statuunt Ordin. *lib.* 1. *tit.* 2. §. 10.: Ergo etiam sufficiet, quòd Bulla publicetur in Curiâ, Metropoli, vel civitate vicinâ. Respondeo, negando consequentiam: Diversa ratio est; quia in legibus civilibus, ita disponunt legislatores; quod si aliter alicui legislatori voluntas fuerit disponendi, illi standum est: ut tenent D. D. apud Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *de legibus disp.* 1. *punct.* 11. *n.* 4. At S. Pontifex expresè vult, ut in singulis locis fiat Bullæ publicatio, ut liquet ex verbis *supra* relatis.

6. Ex dictis sequitur primò; illum, qui Bullam accipit, ante prædicationem, sed post processionem, posse Bullæ privilegiis uti: secus dicendum, si ante prædicationem, & processionem illam sumpsisset; & hujus ratio est; quia Bulla non est adhuc promulgata; est tamen, quando post processionem sumitur, non habitâ concione: Sic Tamborin. *cit. n.* 6. & 7.

7. Secundò sequitur, annum non esse inchoandum ab acceptione, sed à publicatione Bullæ. Unde ille, qui Bullam post unum, tres, vel sex menses à publicatione accepit, non debet ab eo tempore acceptationis, annum incipere, sed ab horâ, & die, quo Bulla publicata fuit. Sic Authores *proximè cit.* Henriq. & Ludovic. à Cruce, quos citat Trullench. *dicto dub.* 10. *n.* 4. Mend. *disp.* 2. *n.* 2. Tamborin. *loco citato.* Escob. *n.* 88. Villal. Lezan. *locis cit.*

SECTIO II.

An Bulla duret per annum naturalem, aut per Ecclesiasticum?

8. TAm certum est, quando Bullæ annus incipiat, quàm incertum, quando finiatur; nam de inceptione constat ex Bullâ; de fine illius, inter Doctores non constat.... Ad hujus intelligentiam præmittendum est; annum dupliciter accipi posse; primò pro anno naturali, seu solari trecentis, & sexaginta quinque diebus, quin-

quinque horis, & octo supra quadraginta minutis, & aliis minutissimis punctis constante; ut videre est apud Astronomos. Secundò, pro anno Ecclesiastico, nempe: pro illo temporis spatio, quod juxta ritum Ecclesiæ intercurrit ab uno ad alium similem terminum designatum; videlicet ab unâ quadragesimâ ad aliam, à Pentecoste ad Pentecosten, quanvis inter primam, & aliam Pentecostes festivitatem, aliqui dies, vel de sint, vel supersint, ad annum naturalem, vel solarem complendum.

9. Quæstio igitur inquirit: An Bulla finiatur per annum naturalem, seu Mathematicum, an per annum Ecclesiasticum, nempe: à die publicationis Bullæ in uno loco, usque ad diem publicationis sequentis Bullæ, in eodem loco? Finiri per annum naturalem, sive solarem, existimant Rodrig. *in Bull.* §. 5. *n.* 2. Ludov. Lop. *tom.* 2. *instruct.* 2. *part. tract. de clavib. cap.* 6. §. *His igitur* Veg. *in summ. lib.* 4. *cas.* 104. & 140. Mend. *disp.* 2. *à n.* 17. & in appendic. *disp.* 1. *a n.* 50. & apud ipsum Basil. Legion. & Avendan. *in addit. ad* 1. *tom. Thesaur. indic. n.* 101.

10. Probatur à Mend. quia annus absolutè prolatus stat pro naturali, & de momento ad momentum computatur. *l.* 3. §. *minores ff. de minor.* & Doctores communiter; annus verò, quando pro Ecclesiastico accipitur, non absolutè, sed designatis terminis, ut in præcepto communionis Paschalis, quod præfigitur à Paschate ad Pascha: Sed annus durationis Bullæ absolutè profertur, & licèt determinetur dies à quo incipit, non designatur alius terminus, in quo finiatur: Ergo annus Bullæ non est Ecclesiasticus, sed naturalis. Confirmatur; quia si S. Pontifex non concedat Bullam pro anno sequente (ut potest) Bulla durabit anno naturali: Ergo similiter semper ita durabit. Probat consequentiam; nam per accidens est, quòd duret anno sequente (saltem post sexennium) utpote dependens ab alienâ voluntate: non potest ergo Bullæ annus, ab eo, quod accidentale est, dependere in suâ computatione.

11. Alii tamen hanc sententiam probant: quia nisi usus, & consuetudo omnium aliter annum interpretetur, standum est pro anno naturali, & solari: sed circa annum Bullæ, non reperitur illa consuetudo: ergo pro anno naturali standum est. Ex quo inferunt, si Bullæ publicatio per aliquos dies in aliquo loco anticipetur, non ideo per ipsam publicationem censeri revocatam Bullam præteritam, sed durare usquequo annus naturalis, & solaris compleatur. Si verò è contra Bullæ publicatio differatur per aliquos dies, post annum naturalem completum, existimant, per eos dies Bullam expirasse, & non posse fideles per illos dies, Bullæ privilegiis gaudere. Hæc tamen non admittit Mend. *n.* 11. quia asserit, Pontificis intentionem esse, dum concedit Bullam per sexennium, quòd publicetur, eodem die cujuslibet anni, & si per Bullæ publicationem anticipatam in ultimo sexennii anno deficiant aliqui dies ad idem sexennium, hoc præter mentem Pontificis evenire.

SECTIO III.

Proponitur probabilior, & verior sententia.

12. PRobabilius tamen, & verius existimo, Bullam non per annum naturalem, sed per Ecclesiasticum finiri cum Ludovic. à Cruce *in Bull. expos. disp.* 1. *cap.* 10. *dub.* 2. Trullench. *l.* 1. §. 1. *dub.* 11. *n.* 3. Anton. Gom. *ibidem claus.* 5. *n.* 1. Villal. *tract.* 27. *claus.* 4. *n.* 8. Joan. Sanch. *in select. disp.* 55. *n.* 4. Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *punct.* 3. *n.* 2. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 2. *n.* 2. & *in Gloss. Inter. O.* asserit ita sensisse de hâc re consultos Doctores Salmanticenses, Moya; Vera, Sahagun. Navarr. Jun. & multos Theologos doctos ex variis Religionibus. Accedunt Galleg. *cap.* 4. *dub.* 14. Bard. *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 6. *à n.* 11. Escobar *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *num.* 459. Lezan. *tom.* 3. *qq. Regul. Verb. Bulla Cruciate num.* 5. Hanc sententiam, & oppositam judicant probabilem Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 91. & 93. Tambor. *tract. de Bull. cap.* 4. §. 2. *num.* 3.

13. Probant ex præcepto annuæ confessionis, & communionis, tanquam à simili, quod durat de paschate ad pascha: ergo etiam annus Bullæ durabit de promulgatione ad alteram promulgationem. Sed hæc ratio, nec etiam à posteriori (ut vult Trullench.) aliquid probat; & optimè à Mend. impugnatur ex ratione pro suâ sententiâ *allata num.* 10.

14. Illam tamen probo primò, enervando fundamentum oppositæ sententiæ; quia licèt annus absolutè prolatus, tam in contractibus, quàm in aliis dispositionibus, & in jure stet pro naturali seu solari, id est in odiosis; ut videre est apud Bonac. *de sacram. disp.* 8. *q. unic. punct.* 5. *n.* 14. sed annus Bullæ, non de odiosis, sed de favorabilibus est, ut diximus *disp.* 1. *n.* 71. Ergo annus Bullæ non de naturali, sed de Ecclesiastico interpretandus est.

15. Ex hâc ratione infero cum Joann. Sanch. & aliis, quos citat Avendan. *proximè n.* 100. per hæc verba: *Licèt horum aliqui id tantum admittant, quando computatio dicta favorabilis est; quia scilicet supra annum solarem, dies aliqui excurrunt, non verò quando pauciores sunt*, contra Trullench. Villal. & Mendo *locis citatis*, posse habentem, Bullam, uti illius privilegiis, dum annus naturalis non est completus, licèt annus publicationis jam desierit per publicationem factam ante completum annum naturalem. Primò: quia annus Ecclesiasticus durationis Bullæ est favor, ut tenet ipse Mend. *cit. n.* 19. & nullus cogitur uti favore, sicuti nec privilegio, *cap. si de terrâ, de privileg.* videatur Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 4. *de privileg. in principio.* Secundò: quia licèt interstitia ad ordines suscipiendos sine controversiâ inter Doctores computentur per annum Ecclesiasticum, possunt per annum naturalem computari: ut tenet Tambor. *lib.* 7. *de ordin. cap.* 11. §. 1. *n.* 7. & supponens esse omnium, dum asserit, esse procul dubio, & apud ipsum Pasqualig. *cent.* 4. *n.* 355.: Ergo etiam licèt annus Bullæ computetur Ecclesiasticè, datâ controversiâ inter D. D.; poterit Bullam

lam habens illâ uti quousque annus naturalis compleatur, tametsi annus Ecclesiasticus sit jam finitus.

16. Hoc tamen sustineri non posse ait Mend. *cit. n. 6.* quia id est asserere, annum durationis Bullæ esse simul naturalem, & Ecclesiasticum; quod simul esse non potest; quia ex verbis Pontificis annus vel est naturalis, vel Ecclesiasticus divisim, non verò conjunctim; ea enim acceptio anni pro utroque simul, est insolens in jure, & in communi hominum usurpatione; ut cernere est in omnibus, in quibus determinatur terminus: Ergo cùm hæ opiniones ex opposito proferantur, non valet utraque simul esse vera, & simul in praxi secura.

17. Hoc tamen argumentum magnam vim habet in aliis computationibus, non in præsenti; quia ex prædictâ ratione annus Bullæ Ecclesiasticus prout est favor, potest simul esse cum anno naturali, qui non est favor, sed potest accipi pro suâ principali significatione; & patet expressè in exemplo interstitiorum, quod in omnium sententiâ, ut statim videbimus, usurpatur pro anno Ecclesiastico, qui est favor; & tamen pro cujusque libito potest usurpari pro anno naturali, & solari, quæ est illius principalis significatio: Ergo etiam annus Bullæ Ecclesiasticus, qui est favor, potest usurpari de publicatione ad publicationem quando oportuerit, & pro anno naturali pro libito, quando publicatio facta sit, antequam annus naturalis, à publicatione sit completus. Unde insolens erit, hâc disjunctione uti, quando à jure determinatur anni terminus; non verò quando, ut favor à Doctoribus determinatur.

18. Secundò probatur annum Bullæ esse Ecclesiasticum: Quia in Trident. *sess. 23. cap. 11. & 13. de reform.* pro interstitiis inter unum, & alterum ordinem præcipitur annus absolutè, *cap. 11.* his verbis. *Hi vero non nisi post annum à susceptione postremi gradus minorum*, &c. *Et cap. 13. Promoti ad sacrum subdiaconatus ordinem, si per annum saltem, in eo non sint versati, ad altiorem*, &c. In quibus verbis nota, diem à quo annus incipit, recenseri: alterum verò terminum quo completur, non designari. Et tamen Doctores sine controversiâ docent, hunc interstitiorum annum esse Ecclesiasticum, id est, ab uno sabbato, v. g. quatuor temporum quadragesimæ, ad aliud simile sabbatum sequentis: Ut Sorbo, Quarant. Fornar. Zerol. Ugolin. Campan. Aloys. Ricc. & alii, quos citant, & sequuntur Barbos. *de potest. Episcop. part 2. alleg. 18. n. 2. & in Collect. ad dict. cap. 13. Trident. n. 6.* Bonac. *de sacram. disp. 8. q. unic. punct. 5. n. 51. & de cens. in partic. disp. 3. q. 1. punct. 4. §. 2. n. 2.* Tambor. *lib. 7. de ordin. cap. 11. §. 1. n. 7.* Lezan. *tom. 1. qq. Regul. c. 14. n. 17.* Marchin. *de ordin. tract. 1. part. 3. c. 4. n. 20.* & plures apud ipsum. Sed in se habet annus in Bullâ à S. Pontifice requisitus, designando diem à quo incipere debet, non tamen terminum, in quo finiatur: Ergo pro anno Ecclesiastico standum est.

19. Tertiò probatur; quia intentio S. Pontificis, Bullam per sexennium concedentis, est, ut fideles per omnes, & singulos dies illius sexennii possint fungi illius privilegiis: sed si annus Bullæ usurpetur pro anno naturali, & solari, non possunt per omnes, & singulos dies illius, fungi privilegiis: (ut plures docent *infra n. 25.* citandi) ergo pro Ecclesiastico usurpandus est. Minor probatur; quia potest Bulla (ut sæpius evenit extra civitates in oppidis) uno anno citius, & altero serius, post 20. dies v. g. promulgari: Ergo si annus Bullæ pro anno naturali usurpetur, per illos 20. dies, non possunt illius oppidi fideles, privilegiis fungi; quod non evenit, si annus pro Ecclesiastico usurpetur; nempe, de publicatione ad alteram publicationem in eodem oppido. Ad rationem oppositæ sententiæ patet solutio ex primâ, & secundâ probatione pro nostrâ sententiâ.

20. Diximus, annum Bullæ esse Ecclesiasticum, nempe de unâ ad alteram publicationem. At si, absoluto sexennio, S. Pontifex Bullam nolit concedere: cùm non altera detur publicatio, quomodo finienda erit Bulla in ultimo sexennii anno? Bard. apud Mend. duo asserit; primum, annum adhuc esse commensurandum ad modum anni Ecclesiastici, qui supra naturalem extenditur suâ majori latitudine ad triginta quinque dies, quia Pascha nequit esse ante 22. Martii, nec ultra diem 25. Aprilis; quòd spatium continet 35. dies; & hic erit terminus illius anni ultimi sexennii, si Bulla non erit amplius publicanda. Secundò asserit, hanc tantùm latitudinem habere supra annum naturalem, eo anno sexennii, quando Bullæ publicatio differtur; & amplius Bullæ privilegiis nullum posse fungi.

21. Dicendum tamen est cum Doctoribus citatis *num. 15.* quando nova Bullæ publicatio post sexennium non fiet, terminum durationis Bullæ esse annum naturalem; quia cùm annus Ecclesiasticus non possit suum terminum habere per novam publicationem, necessariò subingreditur annus naturalis. Nec primum à Bardi dictum potest hic habere locum; quia licèt in anno Ecclesiastico de Paschate ad Pascha, illa 35. dierum possit dari latitudo; ea non datur in interstitiis v. g. de Sabbato Decembris quatuor temporum ad Sabbatum eorundem sequentis anni, qui etiam à Doctoribus dicitur annus Ecclesiasticus; Quare annus Ecclesiasticus Bullæ semper est commensurandus de publicatione ad publicationem, quando nova publicatio facienda sit anno sequente; si autem non fiat, tunc standum est pro termino anni naturalis, seu solaris; quia alius inveniri non potest. Et ex hâc ratione patet, quid sit dicendum ad secundum illius Authoris dictum *n. 20.*

SECTIO IV.

Dissolvuntur aliqua dubia propositæ sententiæ.

22. PRimum sic habet: si annus publicationis Bullæ computandus est à die publicationis Bullæ in uno loco, usque ad sequentem in eodem loco; quid dicendum de Petro Ulyssipone existente, & accipiente Bullam, quæ publicata fuit die 30. Novembris, & inde proficiscente in aliquod oppidum Diœcesis, vel in Brasiliam, in quibus locis solet Bulla tardius promulgari, poteritne anno sequente dum secunda Bulla Ulyssipone jam promulgata est, & non in eo oppido, in quo jam existit, per illos dies, Bullæ

læ privilegiis gaudere? Respondent Doctores pro hâc sententia citati *n.* 12. non posse; quia annus Bullæ computatur de publicatione in publicationem sequentem in eodem loco, in quo Bulla fuit sumpta: at Ulyssipone jam annus, in quo Petrus Bullam accepit, est finitus, per alteram Bullæ publicationem.

23. Qui docent annum durationis Bullæ esse naturalem, quos sequitur Mend. consequenter asserunt, posse Petrum durante anno naturali privilegiis Bullæ fungi; quod cum sit probabile, probabilis est etiam consequentia.

24. Joann. Sanch. *dict. disp.* 55. *n.* 24. & Escobar *dict. l.* 7. *n.* 457. qui nostram amplectitur sententiam, existimant, Petrum ex præsumptâ voluntate S. Pontificis, posse privilegiis Bullæ uti per illos dies, quousque nova Bulla publicetur in eo oppido, in quo invenitur, ne cogatur Ulyssiponem redire, ad novam Bullam accipiendam; Quod pium dicit Castr. Palao *cit.* Et Tambor. ait, *tract. de Bull. cap.* 4. §. 3. *n.* 4. non esse Joan. Sanch. audiendum. Illum tamen impugnat Mend. *dict. disp.* 2. *an.* 17.

25. Non obstante tamen hâc censurâ Tambor. hanc assertionem Joann. Sanch. & Escobar judico non improbabilem cum Trullench. *in expos. Bull. lib.* 1. §. 1. *dub.* 10. *num.* 5. *in medio.* Primò, ut ait, ex præsumptâ S. Pontificis voluntate. Secundò, quia in Bullâ Latinâ illa non datur exceptio; quamvis enim in eâ dicatur, quòd annus incipiat à die, quo Bulla singulis in locis publicatur: non tamen asserit, expirare privilegia Bullæ præcedentis in eo loco, in quo sequentis anni adhuc data non fuit publicatio. Quod confirmatur; quia Henriq. *lib.* 7. *cap.* 20. *n.* 2. *Gloss. Litt. O.* hæc verba adducit *Ea est plana intentio Papæ Bullam per sexennium concedentis, & Commissarii; ut qui quolibet anno tempore publicationis accepit sex Bullas, nullo die sexennii prevetur privilegiis illius.* Idem inquit Villal. *tract.* 27. *claus.* 4. *n.* 8. *in fine.* Tertiò, quia in eo Diœcesis loco, seu oppido consuetudo viget, publicandi Bullam aliquot diebus post publicatam in Metropoli; & Petrus, ut supponimus, in eo oppido, vel habet domicilium, vel ibi pro majore anni parte intendit commorari, & vult in usu privilegiorum, & consuetudinibus oppidanis se conformare, sicut tenetur illius oppidi legibus, ut docent DD. apud Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 24. §. 1. *à n.* 2. & æquum est, ut sentiat commodum, qui sentit onus, *l. secundùm naturam ff. de reg. jur.* Ergo privilegiis Bullæ pro illis diebus potest uti. Tametsi hæc dicta sint, satis probabilia, & tuta in praxi, oppositum probabilius judico cum communi Doctorum.

26. Secundum dubium componitur è contra: Petrus accepit Bullam in oppido Ulyssiponensis Diœcesis, in quo tardius Bulla publicatur, & profectus est Ulyssiponem, ubi citius publicata fuerat: potestne Ulyssipone, uti Bullæ privilegiis post publicationem sequentem, Ulyssipone factam? Respondeo cum DD. *cit. n.* 12. posse, usque ad novam publicationem in loco, in quo illam accepit; quia sicut privilegiis Bullæ acceptæ in eo loco, in quo serius fuit promulgata, incepit frui; sic etiam debet illis finem imponere, quando jam nova Bulla in eo loco est promulgata.

27. Tertium dubium: An quando in hâc magnâ, & frequentissimâ civitate Ulyssiponensi, vel alio oppido, ubi frequens hominum multitudo, non statim, quòd facta est publicatio, possunt Bullam sumere, duret elapsi anni Bulla, per aliquos dies; ita ut possit aliquis illius privilegiis fungi? Hoc dubium procedit in utraque sententiâ de anno durationis Bullæ: Henriq. *lib.* 7. *cap.* 20. *num.* 2. *in Gloss. Litt. O.* existimat, posse per triduum, vel hebdomadam. Hanc sententiam referunt Villal. *tract.* 27. *claus.* 4. *n.* 10. Escobar *in summ. tract.* 1. *exam.* 1. *cap.* 1. *in fine.* apud Avendan. *tom.* 1. *thesaur. Indic. tit.* 5. *num.* 213. Dian. 1. *part. tract.* 11. *resol.* 92. Ludovic. à Cruce apud Tambor. citandum id extendit ad dies octo, Lezan. *tom.* 3. *qq. Regul. Verb. Bulla Cruciat. num.* 5. ad sex, aut octo dies. Joann. Sanch. *disp.* 55. *n.* 5. id limitat; si per eos dies duret difficultas, novam sumendi Bullam, vel si ex malitiâ, & incuriâ distributoris nova non possit haberi; idem tenet Fr. Joseph Mend. de S. Joann. *sect.* 1. *interrog.* 2. *n.* 26.

28. Probat Henriq. in Gloss. quia dies artificialis pro recitandis horis est longior, nempe à præcedenti vespere usque ad sequentis diei mediam noctem; vide Leand. *part.* 6. *tract.* 8. *disp.* 4. *quæst.* 91. 92. & 93. Et pro matrimonio censetur annus ætatis decimus quartus, quamvis desint aliquot dies, aut menses, si malitia supplet ætatem: Ergo etiam pro duratione Bullæ censebitur annus Ecclesiasticus, licèt aliquot supersint dies.

29. Sed contra; quia in iis casibus diversa ratio invenitur; quia pro recitatione horarum, ille dies Ecclesiasticus, & pro matrimonio illa ætas, cum illâ ampliatione à jure designatur: at pro Bullæ duratione, annus sine aliquâ dierum ampliatione præfigitur; qui vel sit Ecclesiasticus, de publicatione ad publicationem, vel naturalis, de determinato gradu alicujus signi, ad eundem sequentis anni gradum.

30. Quare, tenenda est opposita sententia cum Rodr. & Anton. Gom. apud Avendan. *proxim. citato*, Mend. *disp.* 2. *n.* 14. Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 4. §. 4. *num.* 2. & apud illum Galleg. multos citans *tom.* 4. *dub.* 18. Probatur, quia privilegium pro determinato tempore concessum, eo elapso expirat; ut cum communi docet Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 4. *punct.* 16. §. 5. *num.* 1. Sed Bulla conceditur pro tempore unius anni determinato: ut constat ex summario, ibi: *Que dentro em hum anno*; & ex Latinâ Gregorii XIV. ibi: *Intra triennium tantùm à die publicationis.* Ubi dictio *tantum*, cùm sit taxativa, includit expressum, & reliqua excludit: ut *in l. qui alienas §. liberos. ff. de neg. gest.* & *in l. qui fella §. qui altum ff. de servit. rustic. prædior.* & DD. apud Barbos. *in tract. de dict.* 401. *num.* 2. Ergo elapso anno Bullæ, non potest aliquis, etiam per paucos dies Bullæ privilegiis gaudere.

31. Nec dubium ingerat dictio *per triennium* in Bullâ Gregorii, quia per id tempus, in quo Bulla per triennium concedebatur, in principio triennii Bulla pro toto triennio promulgabatur, quod per Pauli V. Bullam, per sexennium Bullam concedentis ad singulos annos reductum fuit; alia confirmando ut à Gregorio erant initio concessa, ibi: *Quarum omnium tenores præsentibus habere volumus pro expressis*: quod jam hujus disputationis initio notavi, & aliis in locis.

32. Nec etiam ratio adducta *n.* 27. ex hominum multitudine, experientiâ teste, habet vim; quia non omnes, nec etiam illorum pars considerabilis recurrit ad distributores Bullarum statim, ac Bulla publicatur; nam, ut accepi, in illis primis diebus non recurrunt ad distributores, qui in hâc frequentissima civitate dantur, 300. personæ ad singulos distributores pro Bullâ sumendâ: Cùm ergo non detur inconveniens à D. D. eo *n.* 27. *adductum*, nec ratio *n.* 28. id convincat; standum est pro nostrâ sententiâ, quam *n.* 30. stabilivimus.

SECTIO V.

An qui durante anno, virtute Bullæ, confessionem incepit, possit transacto anno, virtute ejusdem Bullæ, illam perficere?

33. Hic casus sic potest evenire: Incepit quis confessionem in fine anni durationis Bullæ, sed propter pœnitentis scrupulos, vel quia confessio erat longissima, vel quia parti non erat satisfactum, vel ob casus difficiles, pro quibus consulendi erant Doctores, vel aliquam ob causam rationabilem, confessio perfici non potuit durante anno Bullæ. Potestne confessor, eo transacto, illam perficere, & virtute ejusdem Bullæ, à peccatis, etiam reservatis, illum absolvere? Hic casus etiam habet locum pro jubilæo duplicis hebdomadæ. Cardin. de Lug. *de pœnit. disp.* 20. *n.* 131. *in fine*, ait debere confessarium tunc commutare vota, absolvere à censuris, auferre reservationem, & differre absolutionem sacramentalem usque ad tempus commodum.

34. Dicendum tamen est, ad id non teneri confessarium, sed posse differre omnia, & post finitum annum, & duplicem jubilæi hebdomadam, suum prosequi opus, & pœnitentem absolvere. Ratio est; quia potestas delegati, qualis est confessarius, causâ cœptâ, durat, donec ea causa terminetur. *Cap. Gratum. Cap. relatum, de offic. delegat.* Ita cum Sa *in summ. verb. indulgentia n.* 14. Sanch. *lib.* 8. *de matrimon. disp.* 15. *n.* 17. Et quanvis hæc non daretur potestas; ex hoc capite illam concedit Bulla, his verbis: *Volumus pariter gratias, & indulta omnia prædicta expirare, nihilque penitus ipsarum vigore fieri, causas tamen tunc cœptas, & pendentes ad finem produci posse.* At confessio fuit incepta, durante anno Bullæ: Ergo illo transacto, ad finem produci potest. Sic Trullench. *in exposit. Bull. lib.* 1. §. 1. *dub.* 11. *prope finem*, Henriq. *lib.* 7. *cap.* 20. *n.* 2. Rodrig. §. 5. *n.* 2. à Costa. *q.* 46. Villal. 1. *part. tract.* 27. *claus.* 4. *n.* 13. Castr. Pal. *part.* 4. *tract.* 25. *de Bull. punct.* 3. *n.* 6. Mend. *disp.* 23. *n.* 28. Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 4. §. 4. *à n.* 3. Bard. *part.* 1. *tract.* 2. *n.* 34. Lezan. *tom.* 3. *in qq. Regul. verb. Bullæ Cruciatæ n.* 5. *in fine.*

35. Et quid dicendum, si ille, qui prædictam confessionem incepit, Bullæ anno jam finito, in novos casus reservatos inciderit? Negat posse absolvi, non solùm ab his novis reservatis, sed etiam ab illis, antea commissis, de quibus incepta fuit confessio, durante anno Bullæ, Bard. *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 6. *n.* 66. apud Tambor. *cit. n.* 8. Nititur Bard. verbis Bullæ Latinæ Hispanæ, quæ sic habent: *Tantùmque poterunt causæ pendentes ad finem produci.* Ex quibus, sic concipit rationem sui asserti; S. Pontifex solùm concedit ad finem posse produci causas pendentes; at confessio illorum peccatorum, quæ de novo post annum Bullæ, fuerunt commissa, non est ex causis pendentibus tantùm ex ipsâ confessione inchoatâ, durante Bullâ: Ergo si hæc peccata de novo sunt commissa, non possunt, elapso anno absolvi; nec etiam alia de quibus inchoata fuit confessio anno Bullæ durante; quia confessio non potest dimidiari, & dari absolutio ab his peccatis, quæ fuerunt à confessione inchoatâ, quin detur etiam ab aliis, quæ post illam fuerunt patrata.

36. Addit tamen Bard. secus esse dicendum de jubilæo extraordinario, quale est duplicis hebdomadæ: nam in eo, qui cœpit confessionem, & absolutio ex justâ causâ dilata fuit ad tempus, in quo jam non vigebat, potest à reservatis de novo commissis, post duplicem hebdomadam, absolvi; quia in jubilæo non adest restrictio Bullæ Hispanæ: *Tantùm poterunt causæ pendentes ad finem produci:* Quod juxta eam Bullam, non videtur improbabile, & ut tutius docet Tamborin. *cit. n.* 9. quia in causis judicialibus, ad quarum formam, sacramentum pœnitentiæ est institutum, non datur delegato prorogatio jurisdictionis, per quam judicet aliud novum delictum, quod forte committat quis, post elapsum tempus delegationis.

37. Sed hæc ratio intentum non probat: Nam in multis differt forum judiciale Sacramenti pœnitentiæ à foro judiciali externo. Quod ostendo ex eodem Tamborin. *lib.* 8. *de matrimon. tract.* 2. *de dispensat. cap.* 12. §. 1. *n.* 20. docente, delegatum, qui functus est munere suo in quo erravit, non posse postea, sanare suum errorem; at in foro interno, seu conscientiæ potest; ut asserit *cap.* 13. ejusdem *lib. & tract.* §. 1. *n.* 10. & communis sententia apud Dian. *part.* 8. *tract.* 3 *resol.* 104. Hujus ratio est (ut ait) quia natura, & forma fori interni, est diversa à foro externo? Quare ad rationem Tambor. respondendum est; disparem dari rationem in judice delegato in foro interno, & in judice delegato in foro externo; nam hic potest ferre judicium, & sententiam de uno delicto, quin eam ferat de alio commisso, extra tempus suæ jurisdictionis; at judex delegatus pro foro interno, ferre non potest sententiam de uno delicto; quin de omnibus commissis, & adhuc non judicatis, eam ferat; & cùm ex causâ cœptâ tempore habili, acquisiisset jus ad commissa judicanda; ex consequentiâ, etiam illud ad nova commissa acquisivit; ac proinde omnia potest absolvere; & ita docent cum Bartholamæo à S. Fausto Quintanad. Pasqualig. Dian. *p.* 3. *tract.* 4. *resol.* 147. & *p.* 11. *tr.* 2. *res.* 54. Mendo *hic disp.* 23. *n.* 28. *in fine & in append. c. disp.* 1. *à n.* 59.

38. Ad rationem *n.* 35. & 36. adductam à Bardi verbis Bullæ Hispanæ innixam, respondet; Mend. in append. citatus: nos verò respondemus Bullam Lusitanam majorem in similibus verbis habere amplitudinem: ut ex illis constat, *Tamen tunc cœptas. & pendentes ad finem produci posse.* Cùm ergo pœnitens cui dilata fuit absoluuo, non potuit a peccatis antecedentibus absolvi,

solvi, quin à reservatis de novo commissis absolvatur, ab omnibus debet absolvi.

39. Et quid dicendum, si confessor apud quem incepta fuit confessio moriatur, vel aliâ viâ deficiat, poteritne pœnitens alium adire confessarium, qui omnia illius peccata audiat, & ab illis absolvat, finito jam anno Bullæ, vel jubilæi tempore? Respondeo, posse, cum Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disp.* 27. *n.* 40. Soar. *tom.* 4. *de panit. disp.* 27. *sect.* 4. *dub.* 2. *n.* 7. Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 4. §. 4. *n.* 10. & aliis apud ipsum. Ratio est, quia licèt in foro externo causa pendens, & incepta prosequi debeat apud illum judicem, coram quo incepta fuit, *cap.* 1. *de offic. de legat.* Secus decendum in foro interno, in quo conceditur facultas juxta naturam fori pœnitentialis, & in hoc potest pœnitens pro suo libito mutare confessarium, donec finiatur causa per absolutionem.

40. Inquires tamen: Quando dicatur confessio incepta? Tambor. *proxime citat. dicto* §. 4. *n.* 5. asserit, tunc dici inceptam, quando pœnitens coram confessario comparuit genuflexus, pectusque percussit, & recitavit *confiteor* & multò magis, si vel unum peccatum veniale patefecit. Hoc ultimum admitto; quia per peccatum veniale apposita est pars essentialis ad substantiam absolutionis; alia tamen non placent; quia genuflexio, pectoris percussio, & *confiteor* recitatio, coram confessario, nec sunt materia proxima, vel remota confessionis, nec illius pars essentialis in ordine ad absolutionem, sic Mend. *in append. disp.* 1. *n.* 57. & apud ipsum Bard. *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 6. *sect.* 4. Et ostenditur, quia ex D. Thom. & communi Theologorum sensu apud Perez *de panit. disp.* 25. *sect.* 1. *n.* 2. confessio est legitima, & Sacramentalis accusatio de propriis peccatis coram sacerdote, &c. sed in prædictis actibus, non datur accusatio alicujus peccati: Ergo dici non potest per illos confessio incepta.

41. Confirmatur: quia confessarius, post auditum aliquod peccatum, vel omnia peccata in Sacramentali confessione, tenetur perficere confessionem, & absolvere bene dispositum; quam obligationem non habet, si nec aliquod peccatum, nec omnia audivit; ut videre est apud Perez *cit. disp.* 53. *sect.* 4. *n.* 5. Ergo signum est, confessionem non fuisse inceptam, quando pœnitens in confessione nullum aperuit, vel confessus est peccatum.

SECTIO VI.

An votum commutari possit, virtute Bullæ anni præcedentis?

42. IN duplici sensu procedit hæc quæstio. Primus est, quando ultimo, v. g. die durationis Bullæ, vel jubilæi, quis accedit ad confessarium, & petiit commutationem voti determinati; at confessarius, quia voluit rem maturius considerare, distulit commutationem. Secundus sensus est, quando commutationem non distulit, sed statim, sic votum commutavit: *Ex nunc id votum tibi commuto in opus, quod ego, vel quidam doctus designabit.*

43. In hoc secundo sensu conveniunt Doctores, posse sic commutari votum; ita Rodrig. *in addit. ad* §. 9. *n.* 115. Vivald. *in suo candel. pag.* 258. *n.* 43. Sayr. *in clavi Reg. lib.* 6. *cap.* 12. *n.* 21. *in fine.* Sanch. *lib.* 4. *summ. cap.* 54. *n.* 5. Villal. *tract.* 27. *claus.* 9. *n.* 41. quos refert, & sequitur Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 7. *cap.* 13. *dub.* 9. *n.* 1. Candid. Dian. Fagund. & alii, quos citat, & amplectitur Leand. *part.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 138. Tambor. *tract. de Bull. cap.* 13. §. 1. *n.* 30. & apud illum Bard. hic *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 1. *a n.* 43. Escobar *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 260. Mend. *disp.* 26. *n.* 164. malè cit. pro opposito à Tambor. Probatur, quia facta commutatione, modo prædicto, verè fit intra tempus Bullæ, vel jubilæi, & sola operis subrogatio fit postea, quando jam Bullæ annus expiravit; quod non est uti jurisdictione, quæ jam expiravit; sed exequi, quod tempore apto commutatum est. Nec viro docto delegatur potestas commutandi, quæ à confessario delegari non potest; sed ab eo tantùm designatur opus, in locum voti subrogandum, quod est actus prudentiæ, & non jurisdictionis.

44. Dices tamen cum Rodrig. *loco cit. vers. Alia secunda*: si ille, qui petiit voti commutationem, antequam confessarius, vel vir doctus opus subrogandum designet, violet votum, reus erit voti violati; quia dum confessarius, vel vir doctus non determinat opus, est in pendenti. Quod exemplo S. Pontificis patebit, quo committente alicui commutationem, vel dispensationem alicujus voti, reus est voti petens, si antequam votum commutetur, vel dispensetur, illi contraveniat. Respondeo tamen, negando assumptum cum Sanch. *cit. n.* 32. Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 52. Mend. *proxime n.* 165. Trullench. Leand. *locis citat.* Less. *lib.* 2. *cap.* 40. *n.* 109. & aliis, quia votum jam est commutatum, quanvis materia, in quam commutatio facienda sit, non sit declarata à confessario, vel viro docto; & licèt sit in pendenti, non tamen est commutatio, quæ jam facta est. Nec exemplum aliquid probat; quia S. Pontifex non commutat, vel dispensat votum, sed committit alicui commutandum, vel dispensandum; at confessarius verè commutavit, licèt materiam adhuc non subrogaverit.

45. In primo sensu, major est dubitatio, in quo obtenta non fuit commutatio, sed tantùm facta fuit voti commutationis petitio. Dicendum tamen existimo, posse fieri commutationem voti, transacto Bullæ anno, quando in fine anni præcedentis commutationis petitio fuit facta, & dilata ad attentius de materia subroganda considerandum, cum Trullench. *cit. n.* 2. & apud ipsum Soar. *tom.* 2. *de relig. lib.* 6. *cap.* 16. *n.* 15. Sanch. *lib.* 4. *decal. cap.* 54. *n.* 33. Accedit Mend. *disp.* 26. *n.* 156. & in append. *disp.* 1. *n.* 56. Ratio est, quia confessarius acceptavit potestatem, & inchoavit causam tempore habili, & causa incepta tempore jurisdictionis, potest post illud ad finem perduci: ut *supra n.* 34. *& seqq.* dictum est. In hoc tamen casu, tenetur petens voti commutationem, ad observantiam illius, quia adhuc præstita non est commutatio; quare tutius est, illam modo *supra dicto n.* 42. *in fine, & seqq.*, illicò præstare.

46. Ex hoc sequitur, illum, qui plura vota emisit, & omnium petit commutationem, obliviscitur tamen alicujus, posse elapso tempore Bul-

læ, vel jubilæi commutationem illius obtinere; quia jam causa fuit incepta, & ad omnia vota acceptata jurisdictio, sic Mend. *proximè n.* 167. Escob. *supra n.* 261. & 263.

47. Dices cum Tambor. *tract. de Bull. cap.* 13. §. 1. *n.* 30. *in fine.* Bard. apud Mend. *in appendic. disp.* 1. *a n.* 56. quibus *supra n.* 40. subscripsimus: Per solam petitionem confessionis non dicitur causa incepta: Ergo etiam, nec per solam petitionem commutationis voti: Ergo sicut ea confessio finiri non potest, post elapsum tempus jubilæi, vel Bullæ, sic etiam non poterit commutatio voti. Respondeo, negando primam, & secundam consequentiam: diversa ratio est; quia per appositionem petitionis ad confessionem, nihil materiæ illius appositum fuit: Ergo cùm nihil confessionis in eâ petitione detur, confessio per illam, non potest dici causa incepta, sed integra; at in petitione commutationis voti, totum quod ex parte petentis commutationem, debebat apponi, appositum fuit, & tantùm desideratur ex parte confessarii designatio materiæ loco voti subrogandæ, ac proinde dicitur causa incepta; eo modo, quo diceretur causa incepta, si pœnitens omnia aperiret peccata, & sola desideraretur absolutio.

SECTIO VII.

An eodem durante anno, possit bis accipi Bulla, & illius uti privilegiis?

48. HAnc instituo quæstionem ob errorem, qui non solùm inter illiteratos, sed etiam inter doctos obrepsit: Existimant enim non pauci, posse quemlibet, eodem durante anno, bis Bullam Lusitanam accipere, ut bis in vitâ, & bis in articulo mortis à reservatis S. Pontifici possit absolvi. Hujus ignorantiæ causa extitit, expositorum Bullæ Lusitanæ raritas; nam licèt innumeri pene sint de Bullâ Hispanâ tractantes, unum tantum Sebastianum à Costa de Andrade invenio ex professo exponentem Bullam Lusitanam. Alii verò in operibus moralibus obiter, vel ad operis complementum aliqua de Bullâ Cruciatæ declarantes, de hujus sectionis titulo nihil attigerunt; sicut nec ipse Sebastianus à Costa.

49. Sit ergo resolutio: In Bullâ S. Cruciatæ Lusitaniæ Regnis à Gregorio XIV. concessa, & in extensionibus ab aliis SS. Pontificibus, facultas non conceditur, bis in eodem anno, accipiendi Bullam ad hoc, ut quis possit semel, atque iterum in vitâ; & semel, atque iterum in articulo mortis à reservatis Papæ absolvi; ut Hispanis conceditur à Gregorio XIII. 5. Martii anno 1574. per quoddam Breve, quod extat in Bullâ Latinâ speciali, & de eo fit mentio in summario, Hispano idiomate transumpto. De hâc gratiâ tractant Authores Hispani Trullench. *lib.* 1. §. 8. Henriq. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 20. *n.* 7. *& in Gloss. Litt. N.* Mend. *disp.* 28. *a n.* 1. Tambor. *cap.* 16. *per totum* Fr. Joseph Mend. à S. Joann. *de Bull. Cruciat. interrogat.* 14. & omnes. Accedit Benedict. Pereyr. *in Prompt. tom.* 2. *n.* 1417. *in fine*, Bullæ Lusitanæ oblitus, non tantum hujus quæstionis, sed & aliarum.

50. Dixi: non posse virtute Bullæ Lusitanæ accipi secundam Bullam; ut iterum quis absolvatur à reservatis Pontifici in vitâ, & in articulo mortis; quia alia duo privilegia, nempe: ut secunda indulgentia acquiratur in vitâ, & secunda Bulla eodem anno pro defunctis accipiatur, quæ Bulla Gregorii XIII. fidelibus accipientibus Bullam Hispanam concedit, conceduntur fidelibus, Bullam Lusitanam accipientibus, qui post sex menses à die publicationis Bullæ, denuo eleemosynam à Commissario designatam erogaverint. De hâc tamen indulgentiâ dabitur expositio *disp.* 7. *à num.* 89. & cùm de Bullâ defunctorum egerimus.

51. Nec dubium ingerat chirographum per receptatorem traditum à Commissario, illud accipientibus; quia per eleemosynam in eo contentam, & elargitam tantùm conceditur jubilæus sex mensium, & non omnes facultates, quæ Hispanis per secundam Bullam privilegio Gregorii XIII. conceduntur. Nec per verba in prædicto chirographo: *Ganhais o jubileo dos seis mezes com todas as indulgencias, perdoens, graças, e faculdades por sua sanctidade concedidas pella maneira, e forma declarada na dita Bulla*, privilegium ad absolvendum iterum à reservatis S. Pontifici, si jam per Bullam semel fuisti absolutus, obtines; constat enim ex Bullâ Latinâ ad quam se remittit Commissarius, solam indulgentiam plenariam in eâ concedi, ibi: *Ita tamen statim post sextum quemque ipsius triennii mensem, indulgentia hujusmodi eorum a prædictis, & aliis eorundem Regnorum, & dominiorum personis, eleemosynas dennò, ut supra conferentibus aliaque prædicta tertes conficientibus consequi possit, misericorditer in domino concedimus.* Et id etiam declarat Commissarius in advertentiis ad Bullam: ut *infra disp.* 7. *loco cit.* videbitur.

52. Neque dicas cum Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 7. *singul.* 25. *num.* 3. in Bullâ Cruciatæ, quæ in Regnis Hispaniarum, consistentibus conceditur, sub nomine Hispaniarum, & etiam Hispaniæ, venire Lusitaniam; & in hoc convenire Doctores, (ut ait) & quòd, videatur Trullench. *in Cruciat. lib.* 1. *cap.* 2. sed prædicta Bulla Gregorii XIII. Hispaniæ concessa fuit: Ergo consistentes in Lusitaniâ, & ejus dominiis, possunt, eodem durante anno, bis Bullam accipere, & illarum uti privilegiis. Ne id dicas, inquam, nam id verum est apud Historiographos, Cosmographos, aut Scriptores; dum Hispaniam, quibus Provinciis, aut Regnis constet, describunt; & tenet Navarr. *Consil.* 1. *num.* 1. *de decim.* apud Barbos. citandum; in aliquibus etiam favorabilibus venire: ut asserit Bened. Pereyr. *in promp. tom.* 2. *num.* 1384. & Barbos. *de potest. Episcop. part.* 1. *tit.* 2. *Gloss.* 11. *num.* 8. *& de appellat. utriusque jur. appellat.* 15. *à n.* 1. in decisione causæ hæredum beneficiatorum hujus Lusitaniæ Regni succedentium in fructibus à solo separatis, & nondum exactis, quæ decisio jam Canonisata, & firmata fuerat per Rotam quoad alia Hispaniæ Regna.

53. Non tamen id verum habet in recitandis officiis de festis SS. Hispanorum, ut tenet, & refert decisum *Barbos. de Paroch. cap.* 10. *num.* 15. Quare ut de illis in Lusitaniâ recitetur de ipsis debet fieri expressa mentio, ut refert Sapientiss. Dominus Joannes Serram hujus Diœcesis Ulyssiponensis Vicarius Generalis & Parochialis Ecclesiæ D. Thomæ Prior Emeritissimus, in prænotan-

notandis ad recitandum divinum officium; & ita habet praxis.

54. Et minimè verum est, quod asserit idem Quintanad. *cit. num.* 3. sub nomine *Hispaniarum Regnis*, in concessione Bullæ Hispanæ appositum, venire Lusitaniam; & apud illum Trullench. non eo loco ab eo citatus, sed *lib.* 1. §. 1. *dub.* 1. *num.* 2. & malè pro eodem asserto refertur Castr. Palao *tract.* 25. *punct.* 2. *num.* 2. à Pereyr. in suo Prompt. *tom.* 2. *num.* 1380. nam ut erat doctissimus, non illi in mentem tale venit. Inclinat verò Mend. *disp.* 3. *num.* 5. *a* §. *praterea*, id tamen apertè non concedit.

55. Hujus ratio est: quia S. Pontifex Bullam concedit Hispaniæ Regi pro talibus, & talibus Regnis, & Provinciis in ipsâ Bullâ designatis, & non pro aliis, quanvis Rex illorum dominium habeat: ut olim in Lusitania habebat; non tamen illa Bulla ad hoc extendebatur, ut patet ex ipsâ Bullâ, & Peres de Lar. *in lib. trium gratiarum* §. *los Reynos. fol.* 113. quem referunt Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 1. *dub.* 1. Mend. *disp.* 3. *num.* 5. in quibus locis annumerant Regna, & loca, quæ illa Bulla comprehendit, nulla de Lusitaniâ & locis illius dominio subjectis facta mentione; & si prædicta Bulla Hispana in locis, vel aliquo loco Lusitaniæ publicaretur, talis publicatio esset nulla, & inutiliter Bulla illa à Lusitanis acciperetur, licèt talis Bulla fidelibus in Regnis, & dominiis Hispaniarum concedatur; ut sine fundamento asserit Trullench. *cit. dicton.* 2. & ipse Quintanaduen. *supra.*

56. Ulterius ostenditur: quia à SS. Pontificibus Portugalliæ Principi hodie Regi Serenissimo, etiam Bulla, & diversâ ab Hispaniâ conceditur, tam pro Regno, quàm pro aliis locis illius dominio subjectis, quâ gaudent loca, quæ prædicta Bulla comprehendit, quæ annumerata manent *supra disput.* 3. *num.* 4. specialem habet Commissarium ab Hispano independentem; sicut etiam Commissarius Hispanus à Lusitano independens est: sic Mend. *proximè*. Ex quibus liquet, non semper appellatione Hispaniarum venire Lusitaniam: ut perperam non solùm relati; sed etiam ipse existimavit Barbos. *de Paroch. loco, ubi supra.*

57. Ex dictis in hâc sectione apertè constat, non posse commorantes, nec declinantes ad Regna, & loca Portugalliæ, subjecta, bis eodem Bullæ anno durante, illam accipere: ut à reservatis S. Pontifici bis in vitâ, & bis in morte possint absolvi. An verò, si Bulla amittatur, opus sit, aliam accipere, ut quis possit Bullæ privilegiis gaudere, *infra* respondebitur negativè contra non paucos.

DISPUTATIO V.

De Eleemosynâ pro Bullâ erogandâ.

1. POst præcedentem, sequitur clausula de eleemosyna, quæ pro Bullâ sit erogandâ, quæ in quolibet summario pro omnibus eadem non decernitur, illud sic habet: *Devem a esmola abaixo declarada pera sustentaçam, e defensam dos ditos lugares de Africa.* Bulla verò Latina ita: *Quomodo potueris, ita esto misericors, si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude, quanta maxima pro opibus, & facultatibus suis potuerint subventionis auxilia ad effectum subventionis manutentionis militum prafatorum contulerint &c.* Quia tamen S. Pontifex eleemosynam non designavit, ne fidelium conscientiæ super quotam eleemosynam redderentur dubiæ, & scrupulis obnoxiæ, commisit illius taxam Serenissimo Alberto Cardinali S. Crucis Archiduci Austriæ, & Legato in Regnis Portugalliæ, & Algarbiorum; per Litteras datas 28. Augusti anni 1591. quarum tenor hic est.

2. *Gregorius Papa XIV. dilecte fili noster salutem & Apostolicam benedictionem; Pridem pro manutenendis, & sustentandis certis locis in Africa constitutis, ac sub Portugalliæ, & Algarbiorum Regum ditione existentibus, illisque à Mauvorum, ac Sarracenorum incursionibus defendendis, & tuendis nonnullas indulgentias, aliasque spirituales gratias concessimus, fideleisque ad eas sibi comparandas, quantis maximè possent, subventionis auxiliis invitavimus. Verum ne res incerta dubios fidelium ipsorum, in thesauro illo acquirendo, animos relinquat, tibi facultatem tribuimus; ut quantum S. R. E. Cardinales, Primates, Patriarchæ, Episcopi, Rex, Regis filii, Principes, Duces, Marchiones, Comites, Capitula Ecclesiarum, Monasteria, ac loca etiam Regularium, & mendicantium, tam faminarum, quam masculorum, clerici item Seculares, & Regulares, Monialesque, & alia particulares persona cujuscunque sint status, & census conferre habeant, arbitrari & prescribere possis, pro dictis subventione, & manutentione dictorum locorum. Datum Roma, &c.*

3. Ex hâc facultate per successores Pontifices extensâ, & prorogata, Commissarii Generales, non pro titulis, dignitatibus, & cujuslibet personæ statibus (ut fit in Hispaniâ) sed sine distinctione personarum, pro earundem facultatibus eleemosynam taxârunt, hoc modo: ut videri potest in advertentiis Commissarii ad eos, qui Bullam S. Cruciatæ sunt accepturi, quæ sic incipiunt.

4. *Todas as pessoas assim Ecclesiasticas, como tambem seculares, e suas molheres, que tiverem quatro centos mil reis de renda, e dahi pera sima; daram de esmola tres tostoens cada hum por si.*

5. *Todas as pessoas, assim Ecclesiasticas, como tambem seculares, e suas molheres que tiverem duzentos mil reis de renda ate quatro centos, daram dous tostoens por cada Bulla, cada hum por si.*

6. *Todas as mais pessoas de qualquer qualidade, que sejam, assim homens, como mulheres, assim Religiosos, e Religiosas daram de esmola cada hum por si quatro vintens, exceptos filhos familias, que nam tiverem a sobredita renda propria com uzofructo, e os criados, que actualmente servirem, e os escravos, e obreiros, & jornaleiros, e pobres mendigos; e assim mais os Religiosos, e Religiosas de S. Francisco, e Carmelitas descalsos e descalsas, por que estes daram somente de esmola dous vintens.*

7. *Toda a pessoa que quizer tomar a Bullas de defunctos hade dar meyo tostam por cada huma.*

8. Hæc taxa tam pro Bullâ Vivorum, quàm defunctorum in publicationem Bullæ, cum aliis advertentiis omnibus fit palam. Eadem, majori tamen explicatione, promulgabatur diebus Commissarii D. Dom. Francisci de Bragança, ex

quâ in aliquibus hâc disputatione adjuvabor; non ex eo, quod nunc vim habeat obligandi; nam hæc cessavit; cum sit accessorium Bullæ, quæ tantùm durat, durante anno publicationis; & cùm aliæ advertentiæ denuò fuerint publicatæ, illæ expirârunt, juxta *l. cum principalis ff. de reg. jur.* sed quia sunt declarationes eleemosynæ pro Bullâ erogandâ ex Senatu Supremo Cruciatæ ortæ, quæ licèt jam non obligent, probabilitate non sunt destitutæ, quando noviter publicatis non adversantur.

SECTIO V.

Proponuntur aliqua, quæ circa eleemosynam sunt certa.

9. PRimò certum est, non esse Simoniam dare pecuniam pro Bullâ, & illius privilegiis. Ratio est, quia ea pecunia non datur, tamquam pretium rei spiritualis, sed ut eleemosyna ordinata ad rem spiritualem, nempe: Ecclesiæ quietem; quæ obtinebitur occasione Bullæ, profligatis illius hostibus; sic cum communi Doctorum Trullench. *in explic. Bull. lib.* 1. §. 3. *dub.* 1. *num.* 8. & apud illum Rodrig. §. 12. *n.* 14. Ludovic. à Cruce *disp.* 1. *cap.* 8. *dub.* 10. Accedit Mend. *disp.* 1. *a n.* 29. & dictum manet supra *disp.* 1. *n.* 43. *& seq.*

10. Secundò: certum est, prædictam taxam, cum illo respectu ad determinatas personas, esse sufficientem, tam pro divitibus, quàm pro pauperibus; nam licet talis non videatur, in habentibus tantùm in annuis reditibus mille aureos; & in habentibus 10; Viginti, triginta, & plura millia aureorum, singulis ad Bullam contribuentibus eandem eleemosynam trecentorum regalium æreorum, nempe: *tres toſtoens* pro eleemosynâ; & Bulla Latina asserat: *si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Quia tamen Commissario Generali S. Pontifex committit eleemosynam designandam, ab illo designata sufficiens est; quia sæpius dantur divites, qui pauperes videntur, & è contra pauperes, qui sunt divites. Vide Rodrig. *in Bull.* §. 1. *dub* 2. §. *alo qual respondo.*

11. Accedit, quòd in Hispaniâ designatur eleemosyna octo regalium sumentibus Bullam, si sint Cardinales, Primates, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates Jurisdictionem Episcopalem habentes, Inquisitores, & Ecclesiarum Cathedralium Dignitates, Duces, Marchiones, Comites, Comendatarii, Vice-Reges, Legati, Duces, Generales &c. Pro omnibus aliis personis cujuscunque status, & conditionis, decernitur pro Bullâ vivorum eleemosyna duorum regalium Castellanorum: ut habetur apud Perez de Lara *in lib. trium gratiarum fol.* 253. & 254. Trullench. *lib.* 1. §. 3. *dub.* 1. *n.* 3. Mend. *disp.* 1. *cap.* 3. Fr. Joseph Mend. *in Bull. sect.* 1. *interrog.* 15. *n.* 191. & in singulis, reditus annui maximè inæquales inveniuntur.

12. Tertiò certum est, sufficere eleemosynam per alium solvere; quia sic virtualiter eleemosyna fit, per Bullam accipientem; idem enim est, alium tibi dare pecuniam, quàm tu postea pro Bullâ impetris. Castr. Palao *tract.* 25. *punct.* 2. *n.* 8. Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 3. §. 6. *n.* 3. Si tamen alius non detur, qui pro te Bullæ eleemosynam solvat; sufficiet, ut illius fruaris privilegiis, illam creditò accipere, & pecuniam tradere, præscripto tempore; quia id concedit Commissarius generalis, in advertentiis ad Bullam suscepturos, his verbis. *As ditas Bullas as podem tomar aſsim as peſſoas, que logo deremas eſmolas, como as que ſe offereceremde as dar, no tempo, que lhe for declarado; por que o intento de S. Santidade he, que todos os ſeus Chriſtaõs conſigam, e alcancem eſtas graças, e indulgencias; e que nam deixem, por falta de poſſibilidade, de alcançar hum tam grande theſouro, nam dando logo a eſmola de preſente; e os amos as poderam tomar pera ſeus criados, e os ſenhores pera ſeus eſcravos, e os Pays pera ſeus filhos.* Et Authores Hispani, juxta sui Commissarii mandatum Mend. *disp.* 14. *n.* 4. Tambor. *ubi supra n.* 1.

13. Quartò, certum est, Bullæ privilegiis non gaudere illos, qui designatam à Commissario eleemosynam non conferunt; nam S. Pontifex illam concedit, ex quodam contractus certam pecuniæ quantitatem contribuentibus. Sic Trullench. *lib.* 1. §. 3. *dub.* 1. *n.* 1. Ex quo sequitur, accipientem Bullam creditò, absque animo, & intentione solvendi eleemosynam, Bullæ privilegiis non fungi; quia conceditur sub eâ conditione. Sic Rodrig. *in addit. ad* §. 1. *n.* 15. Castr. Pal. *tract.* 15. *punct.* 2. *n.* 8. Tambor. *cit.* Bard. *part.* 2. *tract.* 1. *cap.* 1. *n.* 60.

14. Si tamen animum, & intentionem intra annum mutet, habendo eam, jam tradendi designatam eleemosynam; ab ipsâ die quâ intentionem mutavit, usque ad finem anni Bullæ, lucrabitur privilegia. Et è contra, si quando initio anni, suscepit Bullam, intentionem habebat, solvendi eleemosynam; post tamen aliquos menses intentionem retractavit; ab ipso die non gaudebit Bullæ privilegiis, quia legitimè Bullam non habet. Sic cum Bard. Tamborin. *proximè citat.*

SECTIO II.

Qui censendi sint habere in reditibus annuis ducenta, & quadringenta millia regalia Lusitana; ut teneantur pro Bullâ tribuere 200. vel 300. reis *si illius velint uti privilegiis?*

15. HAnc quæstionem à nemine inveni agitatam; est tamen, ad hanc Bullæ materiam, maximè necessaria; & procedit super intelligentiam verborum illorum Commissarii Generalis, in principio hujus disputationis: *Tiverem duzentos mil reis de renda, tiverem quatro centos mil reis de renda.* Sunt autem non pauci, qui ex officiis, seu muneribus, quæ apud Regem, Principes, Magnates, & Rempublicam obcunt, ratione horum munerum, non solùm ducenta, trecenta, & quadringenta millia regalium æreorum, sed aliam majorem pecuniæ quantitatem consequuntur. Quales sunt Inquisitores, Legati, Vicarii Generales, Classium Præfecti, & Prætores, Secretarii apud Principem,

pem, Senatores, Notarii, Tabelliones, & alii; qui ex sua industriâ magnam coacervant pecuniæ summam. Inter hos annumerari possunt Canonici, quoad distributiones quotidianas, quæ potius dicuntur merces, seu stipendia beneficiarii, quàm reditus beneficii; secus dicendum, si beneficium nullos alios habeat fructus, nisi distributiones; nam tunc distributiones, nomine *redituum*, certum est venire.

16. Ut hæc quæstio elucidetur; supponendum est primò: licèt verbum *reditus* in advertentiis Commissarii, sit ex se odiosum, ut in hâc eâdem materiâ eleemosynæ, pro Bullâ elargiendâ, tenet Mend. *in Bull. disp.* 31. *num.* 18. & odia sunt restringenda, *cap. odia de reg. jur. in 6.* At juxta nostram Bullam, & expressam Commissarii voluntatem, verbum *reditus* non accipitur strictè: ut *n.* 19. ostendetur, sed latè, juxta DD. *n.* 18. *citandos in fine.*

17. Cæterum, si à dictâ summâ per Commissarium designatâ, aliquid deficiat ad dicta ducenta millia regalia Lusitana, vel ad quadringenta dicta millia, tametsi defectus sit exiguus, non tenetur accipiens Bullam in primo, erogare eleemosynam ducentorum regalium Lusitanorum, nempe: *deus tostoens*, nec in secundo, eleemosynam trecentorum regalium Lusitanorum, scilicet: *tres tostoens.* Sic Mend. *cit.* Trullench. *in Bullæ appendice n.* 15. in simili.

18. Secundò supponendum; nomen *Reditus* vel posse intelligi strictè, vel latè: si strictè, sumitur pro annuis fructibus, ducto vocabulo à verbo *redeo*, eo quòd singulis annis fructus redeant; vel à verbo *reddo*, eo quòd fundus redditus ferat. Sic cum Tirag. Navarr. Monet. & Duard. Bonacin. *de censur. Bull. Cæn. disp.* 1. *q.* 18. *punct.* 2. *n.* 6. *in fine*, & *n.* 7. Barbos. *tract. de appell.* 231. *n.* 5. Si verò sumatur latè, continet omnes fructus, utilitates, & proventus ex bonis immobilibus, & mobilibus, & animalibus, tam si naturaliter, quàm si hominis industriâ, percipiantur. Ita Filliuc. *tract.* 16. *cap.* 8. *n.* 20. Barbos. *ut supra n.* 1. 2. & 3. Bonacin. *proximè n.* 6. His suppositis.

19. Dicendum est, appellatione *reditus* in taxâ à Commissario designatâ, venire omnes fructus, utilitates, & proventus ex bonis immobilibus, & mobilibus, & animalibus, tam si naturaliter, quàm si hominis industriâ, percipiantur. Ratio est, quia hæc veniunt nomine *reditus* ut ex Filliuc. Bonacin. & Barbos. vidimus *n.* 18. *in fine*: & hanc acceptionem admittit Commiss. & non aliam; quia se non restringit ad fructus ex fundis provenientibus; constat ex ipso Regim. *Bull. Cruciatæ* §. 68. per hæc verba, dum loquitur, de habente, in reditibus annuis, quadringenta millia regalia Lusitana: *hora a renda seja de bens de rais, ou por rezam de officio, ou mercancia, dará cada hum por si trezentos reis de esmola em cada hum anno; e os que tiverem duzentos mil reis ate quatro centos mil reis de renda, daram a duzentos reis por Bulla*: Cùm ergo Commissarius possit, hanc facere explicationem, & designare fructus, qui nomine redituum veniant, ejus declarationi standum est.

20. Confirmatur ex praxi timoratorum, qui in re tanti momenti, hanc acceptionem admittunt, quam sciunt à DD. tradi, & non aliam strictam; ne limitatæ ergo eleemosynæ trecentorum, vel ducentorum regalium Lusitanorum, hæsitantes maneant, in acquirendis Bullæ privilegiis; & in hâc materiâ, tutius est sequendum, & non quod, in aliis materiis, aliquam potest habere probabilitatem.

21. Nec universaliter est verum, verbum *reditus* in advertentiis ad Bullam esse odiosum (ut volunt expositores Hispani, & Mend. *cit. n.* 16.) quia solùm habere potest locum in casu *n.* 17. *assignato*; quia ita à Commissario exprimitur; non verò in diminuendâ eleemosynâ præscriptâ, accipiendo verba Commissarii, in alio sensu, in quo nec DD. nec ipse Commissarius illa accipit. Et cùm finis Bullæ sit adeò pius, nempe: Congregare pecuniam, pro manutentione locorum Africæ, & pro defensione nostrorum marium, potius favor est dicendus, quàm odium; & idcirco ampliandus, & non restringendus.

22. Dices primò: Nomine *reditus* computantur ea, quæ ab omni onere libera remanent, ut inquiunt Trullench. *cit. n.* 13. Mend. *dicto n.* 18. Unde in beneficii impetratione à Papa, solùm solvitur media annata ex bonis, quæ deductis expensis remanent: Ergo etiam nomine *reditus* in verbis Commissarii veniunt, quæ remanent deductis expensis. Respondeo, concedendo totum; nam in acceptione reditus annui à Commissario, solùm computantur ii fructus, & utilitates, quæ deductis expensis ex rebus immobilibus, mobilibus, aut hominis industriâ proveniunt: Si enim expensæ, in iis fructibus factæ, includerentur, cùm sæpius sint ipsis fructibus majores, non juxta reditus annuos, sed juxta cujusque gazam, eleemosyna designaretur; quod Commissarius non intendit.

23. Dices secundò: Saltem non veniunt nomine *reditus* distributiones, quæ dantur interessentibus, ut tenet Bard. *tract. de appellat.* 231. *n.* 5. & *de canon. & Dignit. cap.* 21. *n.* 6. Bonacin. *tom.* 3. *de censur. disp.* 1. *q.* 18. *punct.* 2. *a n.* 2. & *de Horis canon. disp.* 2. *q.* 2. *punct.* 1. *à n.* 4., quia non veniunt nomine reditus, sed mercedis, aut stipendii: Ergo si beneficiarius, in distributionibus, habet supra ducenta, vel quadringenta millia regalia Lusitana, non obligatur ad sumendam Bullam, pro eleemosynâ ducentorum, vel trecentorum regalium Lusitanorum.

24. Respondeo, negando antecedens; nam licèt distributiones non veniant, nomine *reditus* in acceptione strictâ; quia non veniunt nomine fructuum: veniunt tamen nomine *reditus* in acceptione latâ; quia veniunt nomine proventuum illius muneris, seu officii, quod ipsi beneficiarii obeunt. Et constat, ex ipsis distributionibus divinis officiis interessentibus distributis; quæ in hoc sensu veniunt appellatione *reditus*; ut notarunt Bonac. & Barbos. *locis cit.* Et hoc sufficit ad sumendam Bullam in quantitate taxatam; ita docet Trullench. *in append. ad Bull. n.* 13.

25. Imo certum est apud Authores, venire nomine *reditus* etiam in acceptione strictâ, quando omnes fructus beneficii consistunt tantum in distributionibus; ut cum Cened. tenet Barbos. *cit. de canon. & dignit. cap.* 21. *n.* 6. *in fine*, Bonac. *de Hor. canon. disp.* 2. *q.* 2. *punct.* 1. *n.* 2. *etiam in fine*; & juxta hunc sensum, nullum potest superesse dubium.

26. Dices tertiò: In prædictâ taxâ, non comprehenduntur ea, quæ sacerdos ex mortuariis, & anniversariis acquirit; quia non veniunt appellatione *reditus*; ut cum Bellencin. Covarr. & Mo-

& Monet. tenet Barbos. *tract. de appell.* 231. *n.* 7. nec etiam eleemosynæ manuales, pro missis: Ergo si sacerdos ex his, & aliorum bonorum fructibus, excedat valorem ducentorum, vel quadringentorum millium regalium, non tenebitur ad sumendam Bullam, elargiendo eleemosynam ducentorum, vel trecentorum regalium. Antecedens ostenditur: quia eæ eleemosynæ sunt fructus industriæ; sed fructus industriæ non computantur in reditibus, in ordine ad Bullæ eleemosynam pro lacticiniis, ut docet Mend. *disp.* 31. *n.* 17. *in fine*; Trullench. *in Bullæ appendic. n.* 13. juxta Bullam Hispanam, in qua à Commissario taxatur eleemosyna, pro Bulla lacticiniorum, pro Ecclesiasticis, juxta eorum reditus: Ergo etiam non computabuntur in reditibus, ad eleemosynam pro nostrâ Bullâ.

27. Respondeo negando antecedens; quia in computatione reditus, veniunt fructus industriæ, ut vidimus *n.* 19. Ad probationem ex Bullâ Hispanâ deductam, nihil contra nos potest inferri; quia in illâ Bullâ pro lacticiniis, illa summa reditus trecentorum aureorum, quæ in Ecclesiasticis requiritur in reditibus, intelligenda est de bonis Ecclesiasticis, & ratione beneficii obtentis: ut expresè habetur in illâ Bullâ, ibi: *Item las Bulas de taffa de à seis reales, se han de dar, y han de servir para los que tuvieren Raciones ò medias Raciones, Curatos, beneficios simples, ò servideros, cuja renta no baxe de trecientos ducados.* Et cùm Commissarius Hispanus designet bona, ex quibus reditus habendi sunt, non datur locus ad aliam extensionem: ut docet Trullench. *loco cit.* at in Bullâ Lusitanâ absolutè quantitas designatur, & eleemosyna absque ullâ limitatione.

§. Unicus.

Solvuntur duo dubia.

28. Primum sit de lucro, quod plures suscipiunt de pecuniâ per contractum, ad rationem juris, vulgo: *a rezam de juro* traditâ domui publicæ vectigalium, vulgo *Alfandega*, vel aliis domibus, communitatibus etiam Religiosorum, nec non aliquibus particularibus personis. Non disputo in præsenti, de justitiâ hujus contractus, maximè, si fiat cum conventibus Religiosorum, in consultâ sacrâ Cardinalium Congregatione. Sed tantùm inquiro: An si lucra, ex hoc jure, seu contractu legitimo, excedant cum aliis reditibus, summam à Commissario designatam, ad eleemosynam ducentorum, vel trecentorum regalium æreorum, teneantur illam pro Bullâ tribuere, si illius privilegiis, optent gaudere? Respondeo affirmativè; quia illa lucra sunt annui reditus, in illis domibus empti.

29. Neque dicas: Ea lucra dici jura, quæ nomine *reditùum* non veniunt, apud Barbos. *tract. de appell.* 231. *n.* 8. Non, inquam, id dicas, quia ea jura, quæ non veniunt nomine *reditus*, sunt ea, quæ non habent situm, & locum in quo contineantur, vel ambiantur, de quibus latè Molin. *tract.* 2. *disp.* 202. *per totam*; at verò dicta jura habent situm, & locum in quo continentur; & quanvis illa non haberent, adhuc hoc loco, nomine *reditus* venirent juxta *supra* dicta.

30. Secundum dubium est de Monialibus, annuos reditus retinentibus, si summam à Commissario designatam excedant, an teneantur pro Bullâ erogare eleemosynam taxatam? Et videtur quod non; quia ea summa annuæ pecuniæ Moniali fuit donata, vel relicta, ad tempus, intuitu eleemosynæ, vel consanguinitatis; & sic non veniunt nomine *reditus*: ut tenet Cardin. Tusc. *practic. conclus. tom. 6. litter. R. conclus. 66. n.* 3. apud Bard. *cit. n.* 4.

31. Dicendum tamen existimo, teneri; quia licèt illa donatio, vel legatum sit ad tempus vitæ Monialis, cùm sit annuum, absolutè dicitur reditus, ad præsentem Bullæ eleemosynam: Quomodò autem, hi reditus annui possint tutâ conscientiâ retineri à Monialibus. Vide quæ de hâc re disponit Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 2. Mirand. *q.* 9. *de Monial. art.* 1. Barbos. de potest. Episcop. *alleg.* 103. *n.* 5. Tambor. *de jur. Abbatiss. disp.* 8. *q.* 6. Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 10. *cap.* 4. *a n.* 3.

SECTIO III.

Quinam teneantur solvere pro Bullâ duos, vel unum argenteum; nempe: quatro, *ou* dous vintens.

32. Quanvis hæc materia videatur clara, ex designatione à Commissario factâ; non desunt tamen plures difficultates, quotidie occurrentes, quæ expositione indigent, & ut elucidiùs procedamus, dubia hujus sectionis, pro cujuslibet personarum statu, exponentur; & per distinctas sectiones; & primò in præsenti.

Pro Religiosis.

33. Excipit Commissarius Generalis ab erogandâ eleemosynâ duorum argenteorum, nempe: *de quatro vintens*, Religiosos S. Francisci, & Carmelitas discalceatos, & utrorumque Moniales; & cùm exceptio firmet regulam in contrarium; ad eam porrigendam eleemosynam omnes alii Religiosi, & Moniales tenentur. Sed quia per dictionem *nullus* non excluduntur similes, ut tenet Decius *in l. cognio n.* 7. *ff. de jurisd. omn. judic.* apud Barbos. *de dict.* 230. *num.* 7. ita etiam, & à fortiori, per exceptionem positivam, excipiuntur similes.

34. Unde Religiosi discalceati S. Augustini, & Patres Societatis Jesu domus professæ S. Roqui in hâc civitate, & Villa Viçosæ, ad eleemosynam duorum argenteorum, nempe *de quatro vintens* non tenentur, sed tantùm ad unum argenteum, nempe *dous vintens*, si Bullam velint accipere. Et hujus ratio est; quia id eo excipiuntur, ab eleemosynâ duorum argenteorum Religiosi S. Francisci & Carmelitæ discalceati; quia ex mendicatu vivunt, & nullos habent reditus stabiles: Sed etiam PP. ex domibus professis S. Roqui, & Villa Viçosæ, nec non Religiosi discalceati S. Augustini ex mendicatu vivunt, & nullos habent reditus stabiles: Ergo si Bullam accipiant, solùm ad unum argenteum tenentur.

35. Ex hâc ratione sequitur, quando Moniales S. Francisci, & Carmelitæ discalceatæ à Commissario ex dictâ eleemosynâ duorum argenteorum excipiuntur, solum intelligi illas, quæ ex

mendicatu vivunt, & non habent stabiles reditus; nam cæteræ, quæ non ex mendicatu vivunt, licèt sint S. Francisci, & Carmelitæ discalceatæ, ad duos argenteos pro Bullâ tenentur. Ad hanc autem eleemosynam, si fiat ex bonis conventus, certum est, requiri ad illam licentiam Prælati; aliàs fieret ex bonis alienis; Sic Castr. Palao *tract.* 25. *punct.* 2. *num.* 10. alia ad hanc eleemosynam spectantia, vide *in disp.* 2. *n.* 45. *& seqq.*

36. Non omittam tamen hîc annotare, Cordub. *in annot. ad compendium, Verb. Cruciata n.* 5. referre, concessum fuisse Minoribus privilegium, fruendi omnibus gratiis spiritualibus, & corporalibus contentis in quibusdam Bullis S. Cruciatæ à Paulo III. vivæ vocis oraculo ab anno 1533. 2. Augusti; dummodò pro Bullâ non susceptâ, loco eleemosynæ, sacerdotes duo sacra faciant, & alii Religiosi, qui Sacerdotes non sunt, bis psalmos pœnitentiales recitent; Laici verò, dicant ducenties Pater noster, & ducenties Ave Maria; idem ex Cordub. Villal. *tract.* 27. *claus.* 12. *n.* 30. & ante Cordub. ejusdem privilegii meminit Fr. Man. Rodrig. *tom.* 1. *qq. Regul. q.* 20. *art.* 10. ubi fatetur, se illud vidisse.

37. Certum tamen est; si extitit tale privilegium, jam cessasse. Primò, quia ut ait Trullench. *in exposit. Bull. lib.* 1. §. 3. *dub.* 1. *n.* 11. *in fine*, non videtur esse in viridi observantia; nam Minores diligenter curant Bullas accipere. Secundò ex praxi aliorum Religiosorum, qui eodem privilegio per communicationem gauderent; at accipientes Bullam, de illo non curant. Tertiò, quia concessione Bullæ, est revocatum; quia illius intentioni est contrarium; nam impedit Religiosorum eleemosynas, pro Bulla; & si extaret tale privilegium, supervacaneum esset Commissario, taxare eleemosynam pro illis, & specialiter pro Minoribus, ut ex *supra* dictis constat, taxasse. Quartò; quia (ut aiunt fuit vivæ vocis oraculum, & hæc sunt revocata, à Gregorio XV. & Urbano VIII. ut cum Card. de Lug. & aliis pluribus Dian. *part.* 11. *tract.* 6. *resol.* 45. Escob. *in Theolg. moral. tom.* 1. *l.* 6. *n.* 95.

38. Attamen Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 4. *appendic. dub.* 12. *num.* 8. asserit, hoc privilegium Minorum, quoad alia, esse revocatum, non tamen quoad indulgentias, citans Ferdin. de Mendonc. Sed etiam hæ videntur revocatæ à Paulo V. dum indulgentias Religiosorum ad paucas reduxit, ut *infra* videbimus. Et non extare, vel jam expirasse prædictum Minorum privilegium, præter Trullench. jam citatum, tenet, Avendan. *in thesaur. Indic. tit.* 5. *n.* 257. Pereyr. *tom.* 2. *prompt. n.* 1388. De Religiosis militaribus, dicemus *infra sect.* 6. *n.* 57.

SECTIO IV.

An sacerdotes, & Clerici teneantur solvere pro Bullâ duos, vel unum argenteum, nempe, quatro, *ou* dous vintens?

39. NOn procedit quæstio, quando ex beneficio, Capellaniâ, majoratu, vel aliunde habent hi Ecclesiastici reditus ad eleemosynam ducentorum, vel trecentorum regalium Lusitanorum requisitos. De his enim dictum est *supra sect.* 2. De aliis verò, qui hos reditus non habent, procedit quæstio. Et videtur dicendum, sacerdotes teneri ad duos argenteos solvendos pro Bullâ; quia Commissarius pro omnibus eam designat eleemosynam, his verbis: *Todas as mais pessoas de qualquer qualidade que sejam... daram de esmola, cada hum por si, quatro vintens, exceptos filhos familias &c.*

40. Ut detur resolutio, alia est quæstio dissolvenda, scilicet; an per susceptionem sacrorum ordinum, egrediatur filiusfamilias patriam potestatem? Egredi existimat Gloss. *in cap. in duorum Verf. qui Episcopus, de ætat. & qualit.* & *cap.* 1. *verf. Magistris* 25. *q.* 2. Sylvest. Fum. *Verb. Patria potestat.*, & alii; & saltem per ordinem sacerdotalem, affirmat Bart. *in l. patre furioso ad finem ff. de his, qui sunt sui, vel alien. jur.* Mieres *de majorat.* 4. *part. limit.* 1. *q.* 1. *n.* 5. Spino *in suo specul. de test. rubric.* 4. *n.* 21. Quam partem vocat communem Quido Pap. *dec.* 382.

41. Communis tamen, & tenenda sententia asserit, per ordines, etiam sacros, & etiam præsbyteratum, non egredi filios a patriâ potestate. Sic Molin. *tom.* 1. *de justit. disp.* 229. *in fine.* Couvarr. Guttierr. Cald. Pereyr. Gregor. Lopes. Anton. Gom. Perez. Sylvest. *verbo peculium*, Tabiena, Rosell. Innocent. Hostiens. Joann. Andr. Azor. & alii, quos referunt, & sequuntur Fagund. *de justit. lib.* 1. *cap.* 18. *n.* 3. Fragos. 3. *part. disp.* 3. §. *n.* 99.

42. Ex hâc sententiâ sequitur, sacerdotes, & clericos etiam ordinum sacrorum, si sint sub patriâ potestate, solùm teneri erogare pro Bullâ unum argenteum, nempe: *dous vintens.* Ratio est, quia Commissarius à taxa duorum argenteorum excipit filiosfamilias, & expressè, non comprehendit in illa sacerdotes: sed clerici, & omnes habentes ordines sacros, qui sunt sub patriâ potestate, dicuntur, & sunt filiifamilias: Ergo unum tantùm argenteum pro Bullâ tenentur erogare. Et hoc etiam habet verum, si sacerdos, vel clericus sit provectæ ætatis; quia non quæcunque ætas, sed emancipatio illum eximit à patriâ potestate; Sic Sanch. *lib.* 6. *de matrim. disp.* 39. *num.* 10. quem citat; & idem tuetur Fagund. *lib.* 1. *cap.* 17. *n.* 1. & alii. Quanvis hoc videatur probabile.

43. Probabilius est omnes sacerdotes, qui suum habent patrimonium, etiamsi illius reditus parentibus donent, ad duos argenteos pro Bullâ teneri. Secus dicendum, si sacerdos fuerit alienigena, sive externus, mendicatu vivens, tametsi in solo patrio obtineat patrimonium; nam hic unum tantùm argenteum pro Bullâ erogabit. Sic habetur in advert. DD. Francisci de Bragaça Bullæ Commissarii *num.* 5. his verbis: *Os clerigos naturaes do Reyno, que tem seu patrimonio, ainda que deixem a seus Pays orendimento de seu patrimonio, daram de esmola quatro vintens.* & §. 4. *Os clerigos estrangeiros, que andarem neste Reyno mendigando, ainda que tenham, na sua terra patrimonio, em quanto andarem neste Reyno, na sobredita forma, daram de esmola dous vintens.*

44. Idem dicendum de illis, qui hujus Regni sunt naturales, non habent tamen patrimonium, & adeo pauperes, ut ex manualibus pro missâ eleemosynis, vitam sustentent. Idem

de clericis, licèt naturalibus, si ex mendicatu vivant, nam hi, pro Bullâ, unum tantùm solvent argenteum; Sic *in dict. advert. num.* 2. *E os sacerdotes tam pobres, que nam tem patrimonio, nem mais de que se sustentem, que da esmola da missa.* E *num.* 4. *E os derigos, que nam forem estrangeiros, sendo mendicantes daram tambem dous vintens.* Sic habetur in advertentiis DD. Franscici de Bragança; quæ licèt jam expirassent per alterius Commissarii tam advertentias, quàm Bullæ promulgationem; prout sunt declarationes eleemosynæ pro Bullâ erogandæ, per Commissarium Doctissimum, & viros eruditos supremi Senatus Cruciatæ, maximam habent probabilitatem, ne dicam evidentiam; dum à Successore expressè non revocantur: ut jam notavimus *supra n.* 8.

SECTIO V.

Quinam seculares utriusque sexus teneantur pro Bullâ duos, vel unum argenteum erogare?

45. OMnes teneri ad duorum argenteorum eleemosynam porrigendam, nempe: *de quatro vintens*, patet ex *supra* dictâ taxâ à Commissario factâ; exceptis filiusfamilias (de quibus sectione sequenti) famulis actualiter famulatum exercentibus, servis operariis, & mercenariis, nempe: *obreiros, e jornaleiros* & pauperibus mendicis de quibus *sect.* 7.

46. Ex hâc taxæ designatione, & exceptione sequitur, omnes artifices indiscriminatim, & illorum uxores, (quales sunt fabri, sive lignarii, sive ferrarii, sive cæmentarii, aurifices, sutores, sartores, barbitonsores, sculptores, pictores, piscatores, figuli, & similes) omnes teneri quia non excipiuntur, ad solvendum pro Bullâ duos argenteos, nempe: *quatro vintens.* E contra autem tenentur ad unum tantùm argenteum, scilicet: *dous vintens*, omnes operarii, mercenarii, videlicet, cavatores, agricultores, messores, cursores, artificum tyrones, bajuli, & his similes; tametsi aliquid habeant, non tamen ad vitam alendam sufficiens.

47. Limita tamen primò prædictam taxam duorum argenteorum in militibus, qui aliunde non habent bona propria, cum usufructu, & sunt sub patriâ potestate; quia sunt filiifamilias; nam per militiam, patriam non egrediuntur potestatem *ex §. filiusfamilias Inst. quibus mod. jus patriæ potest. solvitur lib.* 2. *&* 3. *Cod. de Castr. pecul.* Molin. *tom.* 1. *de just. disp.* 230. *§. licèt filiusfamilias*, Fagund. *de just. lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 1. Idem, si jam à patriâ potestate exiissent, dummodo sint milites gregarii, in militiâ non exercentes aliquod munus, & ex militari stipendio viventes tantùm; ut habetur in advertentiis ad Bullam per D. D. Franciscum de Bragança *num.* 2. his verbis. *E os soldados razos, que nam tem vantagem, nem intertenimento algum, nem officio na milicia, e vivem só por seu officio de soldado.*

48. Limita secundò prædictam taxam duorum argenteorum, in illis personis secularibus, quæ licèt domos habeant ad habitandum, & unum rete ad piscandum, aut quid simile; aluntur tamen miserabiliter. Sic in advertent. loco *proximè* citato, ibi: *E as pessoas seculares que supposto, que tenham de seu humas cazas, em que vivem, e huma rede com que pescam, ou outra cousa semelhante, se sustentam mui miseravelmente.* Ex hâc advertentiâ sequitur, agricolas, qui ex agris, & bobus locatis sustentantur, posse pro Bullâ unum argenteum erogare; aluntur enim valdè miserabiliter. Ratio est, quia si ille dicitur miserabilis, cujus natura nos movet ad miserandum propter fortunæ injuriam, ut docet Segismund. Scac. *de appell. quæst.* 7. *num.* 138. Agricolæ, & similes, qui propriâ bonâ non habent, & ex locato vivunt, ad miserandum nos commovent.

49. Limita tertiò in viduis, quæ si filios, aut consanguineos non haberent, à quibus recipiuntur, & sustentantur, ex mendicatu viverent; & in mulieribus, quæ ex colo, & acu aluntur; & in conjugatis, quæ dum mariti, extra Regnum absunt, ex acu, & colo præcipuè vivunt; nec non in illis, quarum mariti, juxta suum statum, pro Bullâ unum tantùm porrigunt argenteum. Sic in *num.* 2. *citat.* Advertent. ibi: *E as mulheres viuvas, que sam tam pobres, que senam tiveram seus filhos, ou outros parentes, que as recolhem, e sustentam pediram. E as molheres, que vivem principalmente do que ganham por sua agulha per a sua sustentaçam; E as mulheres cazadas, que tem seus maridos fora do Reyno, que vivem tambem principalmente, do que ganham por sua agulha; E isto em quanto seus maridos an darem auzentes. E as molheres da qualidade dos criados, que dam dous vintens.*

50. Limita quartò, in peregrinis, carceratis, & puellis etiam nobilibus, quæ secundum suam conditionem vivere nequeunt; nam hæ dicuntur personæ, quæ miserabiliter vivunt, ut tenet Reb. *tom.* 1. *ad leges Gall. tit. de sentent. provis. art.* 3. *gloss. fin. in principio* apud Barbos. *de appell.* 152. *n.* 5. Et in prædictis advert. excipiuntur ab eleemosynâ duorum argenteorum personæ miserabiliter viventes. Vide alios casus *infra sect.* 7.

51. Amplia tamen taxam unius argentei, in aliquibus servis Angolanis; qui ex consuetudine illorum Regnorum, & tolerantiâ dominorum jam præscriptâ, habent sub suo dominio alios servos, qui sibi ipsis, & non directo domino, acquirunt; cùm enim aliunde habeant bona, tenentur pro Bullâ duos argenteos solvere, ut colligitur ex ratione pro sequenti resolutione.

52. Circa illos, qui famulatum actualiter exercent; non nihil occurrit dicendum; licèt per Commissarium absolutè, & sine exceptione ab eleemosynâ duorum argenteorum eximantur; & hoc ita esse intelligendum, colligitur ex advertentiis DD. Franciſci de Bragança; quæ sic habent, dict. *num.* 2. *E os outros criados, que servem fidalgos, se tiverem renda sua, alendo que lhes dam seus amos; ham de dar quatro vintens, ou dous tostoens outres, conforme a renda que tiverem*; & ita habet praxis.

53. Ex prædicta exceptione Commissarii Generalis, & declaratione illius à Commissario DD. Francisco de Bragança, videtur sequi primò,

primò, omnes actualiter famulatum exercentes, si aliud non habeant præter salarium à dominis, quibus actualiter inserviunt; quanvis ab illis in stipendiis habeant 40. 50. vel octoginta millia regalia ærea, non teneri pro Bulla erogare, nisi unum tantum argenteum. Ratio est, quia aliunde nihil habent, nec ratione taxæ ad aliud obligantur; quippe excipiuntur à duobus argenteis. Secundo collige; si ex propriis facultatibus, vel aliunde non habeant quantitatem excedentem ducenta millia regalia Lusitana in redditibus, aliquos tamen habeant reditus, teneri tantùm ad eleemosynam duorum argenteorum; si verò id quod habent, sit parum, pro nihilo reputabitur; quoniam parum, & nihil æquiparantur *l. quanvis ff. de condit. & demonstr.* Gloss. *in l. pupillus*, §. *ego*, *in Verb. ex contrario ff. ad leg. falcid.* & DD. apud Barbos. *de axiomat.* 175. *num.* 1.

54. Censeo tamen, verba Commissarii in alio sensu debere accipi: *Escrauos, que actualmente servirem*, nempe juxta usitatum nostrum loquendi modum, in quo nomine *famulorum* veniunt tantùm, qui in domesticis ministeriis servilem, vel quasi servilem operam præstant, & nomine propriè famulorum vocantur; ut sunt anteambulones equestres, & qui *pagens* dicuntur, adolescentes, inquam assectæ, & similes. Alii autem, ut anteambulones vulgo *Estribeiros* dicetæ, id est *fectores*: œconomi, nempe; *mordomos* & famulorum præfecti, & qui in prædiis villicis agunt, licèt, voluntati dominorum obsequantur, altius ministerium tractant & nomine *famulorum* non appellantur. Verba autem sumenda sunt juxta communem, & vulgarem acceptionem, & non in omni eorum amplitudine, maximè quando de illâ non constat, loquentem intelligi voluisse, *l. Laborum* §. *quod tamen*; ubi Bart. *ff. de legat.* & alii, & DD. apud Barbos. *tract. de axiom.* 222. *num.* 7. Card. Mantic. *decis.* 559. *num.* 8. Ex his sequitur, in verbis Commissarii, non venire illos relatos, nomine *famulorum*; ac proinde habentes salarium annuum. 30. 40. 50. nullium regalium Lusitanorum teneri pro Bulla tribuere duo argentea, scilicet: *quatro vintens*. Et in simili ita docet Avendan. *in Thesaur. Indic. tit.* 5. *n.* 224.

SECTIO VI.

Quam eleemosynam teneantur filisfamilias pro Bullâ tribuere?

55. EXcipit Commissarius Generalis ab erogandâ eleemosynâ duorum argenteorum, nempe: *de quatro vintens*, filiosfamilias, qui non habuerint prædictos reditus cum usufructu, scilicet ducenta, vel quadringenta millia regalia Lusitana. Ut hæc intelligantur operæ pretium erit, scire primò, quinam veniant nomine *filiorumfamilias*, & secundò, quando dici queant, habere bona propria cum usufructu.

56. Filiusfamilias ille dicitur, qui est subjectus patri, & sub curâ, & potestate paternâ vivit, etiamsi viginti annos habeat, aut illos excedat. Et jam *sect. precedente*, & *quarta* dictum remanet, filios non egredi patriam potestatem, per ordinum sacrorum susceptionem; nec etiam per militiam *l. si maritus Cod. de patr. potest.* & aliis ibi citatis.

57. Nec etiam exeunt à patriâ potestate milites professi in ordine militiæ Christi domini, S. Jacobi, & S. Benedicti de Avis, per professionem in his ordinibus emissam; nec in oppositum est Gloss. *in l. si ex causa* §. *Pomponius ff. de minor.*, quia non loquitur, de professionibus emissis in ordinibus militaribus. Secus dicendum de militibus S. Joannis Baptistæ, vulgo *Malteses*, nam hi per professionem à patrio jure eximuntur; & per illorum professionem, & non aliorum ordinum militarium, dissolvitur matrimonium ratum: ut docet Sanch. *lib.* 2. *matr. disp.* 18. *n.* 8. Mend. *de ordin. milit. disquis.* 5. *n.* 17. & Fragos. 3. *p. disp.* 3. *num.* 114. qui asserit supra dicta.

58. Demum omnes filii legitimi sunt sub patria potestate, sive sint Doctores, & Magistri, sive Advocati, Judices, Tabelliones, Medici, artifices &c. ac proinde filiifamilias, ex *potest. in l. item in potestate ff. de his, qui sunt sui, vel alien. jur.* ibit *In potestate nostrâ sunt liberi nostri, quos ex justis nuptiis procreavimus*; & *in l. nam civium eodem tit.* ibi: *Patresfamilias sunt, qui jure potestatis sunt, sive puberes, sive impuberes &c.* Ex quo sequitur filios spurios, qui dicuntur illi, qui nati sunt ex parentibus inter quos, matrimonium validum dari non potest, non esse sub patriâ potestate. Sic Doctores communiter.

59. Dubium tamen est de naturalibus (quales vocantur qui nati sunt ex parentibus, inter quos, validum dari poterat matrimonium?) Negant esse in potestate patris Valasc. *cons.* 94. *à num.* 3. *& cons.* 151. *num. ult.* Molin. *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 227. §. *dictum est supra.* Probabilius tamen affirmandum, saltem in Lusitaniâ, in quâ filii ignobilium æqualiter cum legitimis succedunt patri plebeo. Sic Pinel. *lib.* 1. *select. cap.* 8. *num.* 22. Cald. Pereyr. *in l. si curatorem in Verb. sine curatore num.* 94. *Vers. ex quâ primo infero Cod. de inintegr. restit.* Emman. Barbos. *in Remiss. ad Ordin. Reg. lib.* 4. *tit.* 92. *in princip. num.* 5. & 6. Fragos. 3. *part. disp.* 3. *num.* 15.

60. Patria potestas ex jure Lusitan. *lib.* 1. *tit.* 86. §. 6. residet in patre, dum filii non emancipantur, vel matrimonium contrahunt; datâ tamen emancipatione, vel matrimonii contractione à patriâ egrediuntur potestate: Emman. Barbos. *in remiss. ad locum citatum Ordin. num.* 6. Fragos. 3. *part. disp.* 3. §. 1. *n.* 5. Fagund. *de just. lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 2. & 14. & alii, quos referunt.

61. Mortuo patrefamilias, filius à patriâ potestate eximitur, ex jure Lusitan. & communi; nec dicitur, esse in potestate matris, nec etiam avi, quidquid in oppositum lex Lusitana antiqua *lib.* 1. *tit.* 67. §. 6. & 31. statuerit; nam hæc lex jam sublata est. Sic Fragos. *citat.* Alii dantur modi exeundi à patriâ potestate, qui videri possunt apud Molin. *tom.* 1. *disp.* 227. Fagund. *de just. lib.* 1. *cap.* 17. & 18. Fragos. 3. *part. cap.* 3. §. 3. quia dicta sufficiunt ad intelligendum, quinam veniant, in taxâ eleemosynæ, à Commissario designatæ, nomine *filiorumfamilias*, quod erat primum necessariò sciendum.

62. Secundum verò postulat, quando filiifamilias proprios reditus habeant cum usufructu? Quod, ut intelligatur, notandum

est, bona filii, aut esse profectitia, aut adventitia, aut castrensia, vel quasi castrensia. Bona profectitia illa dicuntur, quæ dantur filio, intuitu patris; & horum bonorum tam proprietas, quam ususfructus pertinet ad patrem. Bona adventitia illa sunt, quæ filius aliunde acquirit, quàm à patre, vel rebus, causâve patris. In his bonis filius habet proprietatem, pater verò usumfructum. De jure tamen *Lusit. in Ord. lib. 4. tit. 98.* numerantur aliqui eventus, in quibus paterfamilias non habet usumfructum, in bonis adventitiis, de quibus videri potest Barbos. *ad remiss. Ordin. loci citati*, Fagund. *de just. lib. 1. cap. 15.* Fragos. 3. *part. disp. 3. §. 1. à num. 16.*

63. Bona Castrensia sunt ea, quæ filiusfamilias acquirit, militando, vel nomine, causâ, vel occasione militiæ. In quibus dominium, ususfructus, & libera administratio, etiam invito patre, pertinet ad filium. Vide Molin. *de just. tom. 1. disp. 230.* Less. *lib. 2. de just. cap. 4. dubit. 3.* Surd. *de aliment. tit. 4. q. 11.*

64. Bona quasi Castrensia sunt illa, quæ cùm Castrensia non sint, privilegio Castrensium gaudent. Hæc sunt, quæ acquiruntur officio doctoratus, advocati, tabellionis, Medici, aut professoris alicujus, ex septem artibus liberalibus, aut Theologiæ, Philosophiæ, Canonum, & Legum Civilium, aut quâvis aliquâ publicâ administratione, cui statutum est publicum salarium. Ad hæc etiam bona reducuntur, quæ filiusfamilias acquirit, ex beneficio Ecclesiastico, ordinibus, & clericando. Nec non donata à Rege, Principe, Reginâ, & Regni hærede, tam ex jure communi, quàm Lusit. *lib. 4. tit. 97. §. 10.* In his bonis quasi Castrensibus, habet filiusfamilias plenum dominium, & proprietatem, usumfructum, & liberam administrationem. De his Molin. *tom. 1. de just. disp. 231.* Fagund. *de just. lib. 1. cap. 14. à n. 15.* & alii, quos refert. His notatis.

65. Ad titulum sectionis propositæ, videtur respondendum, filiosfamilias, qui non habuerint prædictos reditus cum proprietate, & usufructu, non teneri pro Bullâ solvere, nisi unum argenteum, nempe: *dous vintens:* quia verba Commissarii, sic habent: *Exceptos filhos familias, que nam tiverem a sobredita renda propria, Com usofructo.* Ubi verba: *a sobredita renda propria*, referuntur ad reditus ducentorum, vel quadringentorum millium regalium Lusitanorum. Et ex hoc, videtur sequi: si filiusfamilias habeat in propriis reditibus cum usufructu, nonaginta, vel nonaginta supra centum millia regalia Lusitana ex beneficio, Comendâ, vel simili, teneri pro Bullæ eleemosynâ, unum tantùm argenteum porrigere; quia excipitur à Commissario, si non habeat prædictum reditum ducentorum, vel quadringentorum millium æreorum; & cùm illum non habeat, dato tantùm prædicto reditu, per exceptionem à majori eleemosynâ, nempe duorum argenteorum excusatur.

66. Dicendum tamen existimo, verba Commissarii non esse ita intelligenda, nec cum eâ amplitudine, & sensu, quo in jure, & DD. accipitur verbum *filiusfamilias*, qui dicuntur omnes illi, qui sunt sub patriâ potestate, ut dictum est; sed secundum materiam de qua loquitur, etiam contra propriam significationem. Et quòd verba debeant sumi secundùm materiam, de quâ loquitur, etiam contra propriam significationem, tenent Gemin. Alexand. Card. Tusc. apud Barbos. *tract. de axiomat. 222. num. 6.* Et quòd verba Commissarii: *filhos familias* non debeant intelligi cum eâ amplitudine juris, patet, ex absurdo; nam sequeretur, pejoris conditionis esse, non habentem patrem, si illum reditum nonaginta, vel nonaginta supra centum millia regalia habeat; quia cum non sit filiusfamilias, obligatur ad solvendum pro Bullâ duo argentea. Quare prædicti filiifamilias, si aliquos reditus habuerint cum usufructu, non attingentem summam ducentorum millium regalium æreorum, obligantur ad eleemosynam duorum argenteorum, adducto exemplo ex iis, quæ diximus *n. 54.*

67. Si tamen filiifamilias habuerint in bonis reditus ducentorum, vel quadringentorum millium regalium Lusitanorum, ad eleemosynam ducentorum, vel trecentorum regalium, pro Bullâ solvendum, obligantur: ut apertè constat ex verbis Commissarii.

SECTIO VII.

Quinam pauperes teneantur ad eleemosynam unius argentei, pro Bullâ tribuere?

68. COmmissarius excipit etiam ab eleemosyna duorum argenteorum, hoc est *de quatro vintens* pauperes mendicos, per hæc verba: *Pobres menagos.* Unde, ut privilegiis Bullæ fruantur, tenentur erogare unum argenteum, nempe: *dous vintens.* Qui autem pauperes veniant nomine *mendicorum*? Respondeo, videri illos venire, qui ostiatim necessaria vitæ petunt à verbo mendicare; quod est, vitæ alimenta ostiatim postulare; ut patet ex *l. unica Cod. de mendicant. valid. lib. 11. tit. 25.* & Gloss. ibi, *verbo cunctis qui publicè panem quærunt:* Sed Commissarius utitur verbo *mendici:* Ergo solùm à Commissario conceditur, unum argenteum pro Bullâ erogare, illis pauperibus, qui ostiatim mendicant, & non aliis, quanvis pauperes sint.

69. Existimo tamen, non venire per verba Commissarii, mendicos tantùm, qui ostiatim eleemosynam petunt; sed omnes, qui ex eleemosynis vivunt, tam homines, quàm fœminæ; licèt ob verecundiam, & decentiam, ostiatim non mendicent: Datur in omnibus eadem ratio, & forsan major in iis, qui ob verecundiam ostiatim non mendicant; nam illi aliquando abundantius sibi consulunt, ut deprehendi commorans in civitate Portugalensi, de uno ex istis, qui post mortem inventus est pecuniæ abundans; & ex altero, qui, ut monetam auream cujusdam Ecclesiastici minutissimis suis argenteis monetis commutaret, ex uno, & altero, & aliis panniculis summam requisitam extrahebat. Et licèt paritas rationis non urgeat, cùm de privilegiis, aut dispensationibus agitur; ut videre est apud Sanch. *lib. 8. de matrim. disp. 1. n. 32.* in præsenti tamen, non in solâ paritate nitimur; sed quia mendici dici possunt omnes, qui vel per se, vel per alios ad fideles, pro eleemosynis, accedunt; & licèt non accedant; fideles tamen quia illo-

rum

rum inopiam intelligunt, illis curant sponte subvenire; & hi possunt sine scrupulo, Bullam accipere, tribuendo eleemosynam unius argentei, nempe *de dous vintens.*

70. Et hoc confirmatur ex advertentiis ad Bullam per D. D. Franciscum de Braganca, ibi; *n.* 2. *E outros que ainda que nam andem pellas portas vivem necessitadamente.* In quibus verbis excipit ab eleemosynâ duorum argenteorum illos, qui licèt ostiatim non mendicent, inopiâ tamen vivunt oppressi; & sic docet Avendan. *in Thesaur. Indic. tit.* 5. *n.* 225. A Costa *in Bull. q.* 11. *vers. Quarum Litterarum*, per hæc verba: *Dum legatus determinat mendicos, debere largiri eleemosynam denarii, intelligendus est, de omnibus, etiam qui mendicis aquiparantur, utpote honestis mulieribus, quæ secretò eleemosynis aluntur, infirmis, incarceratis, & aliis hujus generis.* Ex quibus patet solutio ad textum, & ad propriam nominis *mendici* significationem.

SECTIO VIII.

An pauperes, qui non habent unum argenteum, pro Bullâ tribuendum, possint saltem indulgentias suspensas, sine illâ, acquirere?

71. HEnriq. *lib.* 7. *cap.* 20. *in comment. litter. Y.* asserit, in Bullâ originali monere Papam, ne exigant stipem à paupere; & Commissarium debere illi eam gratis dare. Sed non esse hæc verba in Bullâ, quæ hodie in locis Hispaniæ publicatur, dicunt Bard. *part.* 2. *tract.* 1. *cap.* 1. *sect.* 6. *n.* 53. Tambor. *tract. de Bullâ cap.* 3. §. 7. *n.* 12. In Bulla verò Lusitanâ originali, datur monitio, non solùm, ne pauperes, sed etiam ne omnes alii cogantur, stipem pro Bullâ contribuere, his verbis, ad Bullæ concionatores: *Ut clare intelligant nos neminem ad quidquam præstandum, vel elargiendum cogere; sed tantùmmodò eorum devotionem, & charitatem ad id excitare, hortarique, & rogare.* Nec aliud in advertentiis Commissarii extat, ex quo colligi possit, alicui Bullam gratis esse tribuendam.

72. Ex hac tamen doctrinâ, emergit dubium: An pauperes, qui propter summam inopiam, Bullam nequeunt accipere, possint alias indulgentias, extra Bullam, suscipere; quas suspendit Commissarius pro illis, qui Bullam non habent? Affirmat Bard. *ut supra n.* 54. & ab eo docti Recentiores consulti, Quintanad. *in appendic. ad singul. de paup. tract.* 3. *dub.* 12. *n.* 3. & 6. citans Ludov. à Cruce, & apud Tamborin. *proxime n.* 13. Probat hanc conclusionem Bard. quia inhumanum esset, eos privare indulgentiarum utilitate, absque eorum culpâ, eo quòd nequeant stipem erogare, eisque hanc afflictionem super egestatem addere; ac illos reddere pejoris conditionis, quàm sint pauperes degentes in Regnis, in quibus Bulla non viget; atque adeo præsumendum est, in suspensione factâ à Commissario Generali omnium indulgentiarum, respectu eorum, qui Bullam non accipiunt, hos pauperes non comprehendi. Hanc opinionem viri doctissimi notâ falsitatis non audent inurere, ut inurit Mend. *in Bulla appendic. disp.* 2. *n.* 12. non tamen ego.

73. Attamen existimo, tenendum esse oppositum cum eodem Mend. & Tamborin. *locis citatis*; quia certum est Commissarium Generalem, ex facultate à S. Pontifice sibi concessâ, suspendere indulgentias, pro Bullam non accipientibus: Cùm ergo hæc supensio sit generalissima, non est cur limitetur, sine fundamento, à benignâ Commissarii præsumptione. Confirmatur ex inconvenienti; nam plures sunt similes pauperibus mendicantibus, tam ex secularibus, quàm ex Religiosis, & Monialibus: ex quibus aliquæ adeo sunt solicitæ ad Bullam obtinendam, ut ab amicis obtineant precibus eleemosynam, vel ut ab illis pro ipsis Bulla suscipiatur, & si existimarent sine Bullâ, posse indulgentias consequi, à precibus, & solicitudine desisterent.

74. Id, quod pro parte contraria afferebatur; pauperes reddi pejoris conditionis, quàm degentes in Regnis, ubi Bulla non publicatur, absque culpâ, vim non habet; quia bonum privatum cedit bono communi; & hoc postulat, ut loca Africæ fidelium eleemosynis, deficientibus aliis facultatibus, ab infidelium incursionibus defendantur.

SECTIO IX.

An Bulla validè accipiatur, ex pecuniâ turpi lucro acquisitâ?

75. IN duplici sensu agitari potest: Primò, quando in pecuniis, turpi lucro acquisitis, dominium est acquisitum. Secundò, quando dominium in illis acquisitum non est. In primo solet agitari in meretricibus, quæ dominium acquirunt, in his pecuniis: ut habetur in *l. item, si ob stuprum ff. de cond. ob turp. caus.* Idem aliæ acquirunt, quanvis meretrices non sint: ut communiter docent Authores Bonac. *de rest. disp.* 1. *q.* 3. *punct.* 3. *n.* 2. *in fine*, cum Sanch. Molin. & aliis.

76. Et etiam in aliis, locum habere videtur, nempe in assassino, qui patrato homicidio, dominium habet in pecuniâ ex delicto acquisitâ: ut tenet Molin. *de justit. tract.* 2. *disp.* 94. apud Bonacin. *proxime n.* 5. & alii.

77. In judice, qui pro ferendâ injustâ sententiâ, pecuniam accepit; in teste, qui pro falso testimonio ferendo, pecuniam acquisivit ut cum Vazq. *de restit. cap.* 7. *dub.* 4. & 6. *num.* 35. & aliis tenet Bonacin. *loco citato num.* 8. Et in Astrologo, seu divinatore, accipiente pecuniam post adhibitam operam, ut ope dæmonis id sciret; & ita evenit; ut docet Sanch. *lib.* 2. *decal. cap.* 38. *num.* 96. & alii apud Bonacin. *ut supra num.* 10. qui omnes dominium pecuniæ, post patrata delicta, ut docent Authores communiter, acquirunt.

78. In secundo sensu veniunt, qui ex turpi lucro pecuniam habent; in illâ tamen, dominium non acquirunt. Hi sunt fures, usurarii, & qui ob aliquam legem; incapaces fiunt, dominii acquirendi, aut per ambitum eam pecuniam acquisierunt. Vide Bonacin. *proxime num.* 11. Idem dicendum de fœminis impudicis, si accipiant

piant pecuniam à non potente alienare, de quo vide Dian. *part.* 11. *tract.* 2. *resol.* 65.

79. Ad quæsitum in titulo sectionis propositum, juxta primum sensum, dicendum est: Bullam, ex tali pecuniâ sumptam, valere, cum communi Doctorum sententiâ. Sic Gloss. *in cap. ex transmissa Vers. & sic meretrix, de decim.* Rodrig. *in addit. ad §. 1. num. 3. in fine, vel circa n.* 15. Riccius *in addit. ad §. 7. num.* 2. Veg. *in sum. verbo Bulla cas.* 6. A Cost. *q.* 12. *vers. secus dicendum*, malè à Mend. pro oppositâ sententiâ citatus. Trullench. *lib.* 1. §. 3. *dub.* 1. *n.* 10. Ludov. à Cruce *disp.* 1. *cap.* 1. *dub.* 7. *n.* 4. Card. de Lug. *de penit. disp.* 27. *n.* 87. Bard. *part.* 2. *tract.* 1. *cap.* 1. *n.* 27. Mend. *disp.* 4. *à n.* 4. Tamborin. *in tract. de Bull. cap.* 3. §. 5. *n.* 1. Escobar *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 62. Ratio est; quia, quanvis meretrices, & alii relati in primo sensu, peccaverint lucrando eas pecunias, sunt tamen propriæ; & in illis habent dominium: Ergo Bulla illis pecuniis sumpta, illis prodest. Et hoc sufficere, constat ex Bullâ Lusitanâ, ibi: *Quanta maxima pro opibus, & facultatibus suis potuerint.* Sed eleemosyna pro Bulla erogata est ex opibus, & facultatibus prædictorum, licèt habita cum peccato, quia in illâ habebant dominium: Ergo cum eâ pecuniâ validè suscipitur Bulla.

80. Dices primò cum aliquibus apud Mendo: Quanvis ex pecuniæ sint sub dominio prædictorum, & meretricium; non sunt tamen à Deo, sed à diabolo collatæ: Sed Bulla requirit, ut eleemosyna pro illa eroganda, sit ex bonis à Deo collatis, ibi: *Ex bonis sibi a Deo collatis:* Ergo Bulla prædictis prodesse non potest. Respondeo, nec eos Authores, nec ea verba esse contra nostrum assertum; quia Authores non loquuntur de Bullâ Lusitanâ; nec ea verba in illâ inveniuntur, sed tantum *proximè allata n. antecedente.* Authores verò Hispani dicunt verba prædicta Bullæ indicare debere ea bona esse propria, Bullam accipientis; quod datur.

81. Dices secundò contra utranque Bullam: In Deuteron. cap. 23. dicitur: *Non offeres mercedem prostibuli in domo Domini Dei tui, &c.* Ergo pro Bullâ non potest offerri, & solvi pecunia ob meretricium acquisita. Respondeo primò, cum D. Thom. 22. *q.* 32. *art.* 7. *ad secundum*, non posse fieri de eâ mercede sacrificium, & oblationem ad altare, tum propter scandalum, tum propter sacrorum reverentiam; non verò prohiberi, de illâ fieri eleemosynam.. Respondeo secundò cum Sot. *lib.* 9. *de justit. q.* 3. *art.* 5. apud Bard. mercedem prostibuli, in lege veteri prohibitam offerri, cùm esset positiva, in lege novâ jam cessasse; & quanvis meretrix, & alii peccent delicta committendo, acquirunt tamen dominium mercedis, & possunt pro libito de illâ disponere, etiam in opera pia absque peccato.

82. Quoad secundum sensum, nempe: de illis, qui in pecunia, ex turpi lucro habitâ, dominium non acquirunt, ut fures, usurarii &c. Respondent communiter D. D. sine ullâ distinctione, non posse ex eâ pecuniâ, accipi Bullam. Sic à Cost. *q.* 12. *vers. si autem quæras.* Trullench. *lib.* 1. §. 3. *dub.* 1. *n.* 9. Dian. 1. *part. tract.* 11. *resol.* 101. & apud ipsum Veg. & Nugn. Cardin. de Lug. *de penit. disp.* 27. *n.* 87. Ludovic. à Cruce *disp.* 1. *cap.* 1. *dub.* 7. quem citat, & sequitur Escob. *proximè n.* 61. Lezan. *in qq. Regul. tom.* 3. *verb. Bulla Cruciatæ n.* 4. Mendes de S. Joan. *sect.* 1. *interrog.* 15. *n.* 189. & apud illum Machad. & Anton. Gom., & etiam pro hâc sententiâ debent stare omnes, qui cum D. Thom. 22. *q.* 32. *art.* 7. ut sunt Azor. 2. *part. lib.* 12. *cap.* 10. Bonacin. *disp.* 3. *decal. q.* 4. *punct.* 6. *n.* 21. & plures apud ipsum, existimantes, eleemosynam faciendam esse ex propriis, & non bonis alienis. Probatur primò, authoritate D. August. *tom.* 10. *serm.* 35. inter principium, & medium, ibi: *De justis laboribus facite eleemosynas. Non enim corruptum esse judicem Christum, ut vos non audiat cum pauperibus quibus tollitis: Nolite velle eleemosynas facere, de fenore, & usuris:* Secundò ex ratione; quia S. Pontifex dicit, Bullam sumi debere, ex opibus, & facultatibus propriis: Sed pecunia habita à furto, usuris, simoniâ, ambitu &c. est aliena, & obnoxia restitutioni: Ergo ex illâ, Bulla non potest sumi.

83. Ut hæc doctrina, in vero sensu, percipiatur, aliquâ nobis utendum est distinctione, hoc modo: Si fur, usurarius, simoniacus, &c. nullam aliam pecuniam habeant, nec habere possint, sub suo dominio, præter illam furto ablatam ex usuris, aut simoniâ acceptam; tunc vera est prædicta communis opinio; nempe, Bullam non prodesse furi, usurario &c. & id probant prædictæ rationes.

84. Ex hoc sequitur primò; posse dominum pecuniæ, furto ablatæ, etiam renuente fure, capere ab illo Bullam, utpote sum; quia pecuniis suis fuit recepta, & illius frui privilegiis. Secundò sequitur, posse eundem dominum, ratam habere acceptionem Bullæ, pecuniâ suâ sumptæ à fure; & tunc fur Bullæ privilegiis gaudebit. Sic Trullench. *lib.* 1. *Bull.* §. 3. *dub.* 1. *n.* 9. & apud illum Ludovic. à Cruc. *disp.* 1. *cap.* 1. *dub.* 7. Ut tamen hæc secunda sequela verum habeat, opus est, ut ratihabitio acceptionis Bullæ, facta à domino, innotescat furi, & ab illo acceptetur; quia est quædam Bullæ donatio; & dum ignorat, Bullam esse suam, illius privilegiis gaudere non potest.

85. At si fur aliam habet pecuniam propriam, quâ possit restitutionem facere, & loco illius, tribuat pro Bullâ pecuniam furtivam, Bulla illi proderit. Probatur, quia quanvis materialiter illa pecunia erogata, sit furtiva, æquivalenter tamen est sub dominio illius; quia debitum solvi potest, in quâlibet pecuniâ: ut tenet Vazq. *de restit. cap.* 11. *n.* 1. Bonacin. *disp.* 1. *de restit. q.* 7. *punct. unic. n.* 4. Azor. *part.* 3. *lib.* 4. *cap.* 35. *quæst.* 1. eâ ratione; quia, datâ quacunque pecuniâ, servatur æqualitas dati, & accepti.

86. Imo addunt Vazq. *de restit. cap.* 9. §. 2. *n.* 24. & Azor. *ut supra quæst.* 2. agens de deposito, & alii communiter, quando debitum consistit in rebus, quæ functionem recipiunt, (quales sunt, quæ in pondere, mensura, & numero consistunt, v. g. pecunia, frumentum, oleum, vinum, & alia hujusmodi) posse fieri restitutionem per idem in genere, & non idem in specie, ut loquuntur jurisconsulti; vel ut dicunt philosophi, per idem in specie, & non per idem in individuo; quia sic servatur æqualitas: Ergo, si fur aliunde habet pecuniam propriam, bene potest, & cum fructu accipere Bullam ex fur-

furtivâ pecuniâ: sic distinguit Bard. *part.* 2. *tract.* 1. *cap.* 1. *n.* 17. *& sequentibus*. *& n.* 28. Tambor. *de Bull. cap.* 3. §. 4. *a n.* 2. ex quo sequitur, non bene dixisse Tamborin. *citato loco* cum Galleg. Patrem Bardi; in his bonis furtivis, nullâ usum fuisse distinctione.

87. Alio modo distinguit Mendo *disp.* 4. *cap.* 1. *n.* 6. Tambor. ut *supra n.* 5. (qui malè *n.* 2. citato, asserit cum Gall. Mend. in bonis furtivis, sine distinctione loquutum fuisse.) Modus hic est; si fur, pecuniam furto ablatam, cum propriâ immisceat, & ex tota illâ pecuniâ sic mixtâ, eleemosynam pro Bullâ eroget; nam per talem mixtionem, furtiva, vel usuraria pecunia, quæ à propria discerni non potest, transit in dominium furis, vel usurarii: ut colligunt D. D. *ex* §. *si duorum inst. de rer. divis. & l. alieni ff. de solut.* ibi: *Si alienis nummis, inscio vel invito domino soluti sunt, manent ejus, cujus fuerunt. Si mixti essent, ita ut discerni non possent, ejus fieri, qui accepit in libris Cassii, scriptum est &c.* Sic Lessius *lib.* 2. *just. cap.* 20. *n.* 156. & alii communiter.

88. Hæc autem distinctio intelligenda est, quando quantitas notabilis pecuniæ furto ablatæ miscetur cum aliâ notabili quantitate propriæ pecuniæ furis; nam si pecunia furata sit in magnâ quantitate, pecunia autem furis, cui mixta fuit, in parvissimâ quantitate sit, cùm parum pro nihilo reputetur, *l. quanvis ff. de cond. & demonstr.* dominium non transit in furem: ut docet Vasq. *de restit. cap.* 9. §. 2. *n.* 27. Tambor. *lib.* 8. *decal. tract.* 3. *cap.* 3. §. 4. *n.* 19. ac proindè non proderit pro Bullâ, ex illo toto acervo eleemosyna ablata; proderit tamen, si fur operetur juxta dicta *supra n.* 85.

SECTIO X.

Proponuntur duo argumenta contra dictam doctrinam, & dissolvuntur.

89. PRimum sit ex doctrinâ Bard. *part.* 2. *tract.* 1. *cap.* 1. *n.* 23. cum Ludovic. à Cruc. *disp.* 1. *cap.* 1. *dub.* 7. *n.* 7. *vers. Hinc. deducitur* existimantis in casu, quo non apponeretur in Bullâ clausula illa, nempe: *ut eleemosyna fieret ex bonis à Deo collatis*, posse furem, qui duos argenteos furaretur, Bullæ privilegiis gaudere, si pro Bulla illos tribueret. Adduntque, hunc mortaliter non peccaturum; quia juxta probabiliorem opinionem, furtum duorum argenteorum, non est per se loquendo, grave delictum, contra justitiam: Sed in Bulla Lusitana Latina, illa verba non apponuntur, sed ut eleemosyna fiat *ex opibus, & facultatibus suis:* Ergo Bulla proderit illi, qui ex pecunia unius, vel duorum argenteorum furata eam sumeret.

90. Hæc tamen mihi placere nequeunt, non primum: quia licèt illa clausula in Bulla Hispana non apponeretur, sicùt non apponitur in Bulla Lusitana, necessarium tamen est, ut eleemosyna pro Bulla elargiatur à non euntibus, nec mittentibus ad bellum, juxta Bullam Hispanam, & ab omnibus indiscriminatim juxta Bullam Lusitanam: Sed eleemosyna fieri non potest ex eo, quod homo tenetur restituere: ut expressè docet D. Thom. 22. *q.* 32. *art.* 7. *in concluſ. Respondeo dicendum*; & Doctores communiter: Ergo licèt res pro eleemosyna erogata sit summa, non prodest: Ergo etiam pro Bulla non proderit. Hoc mihi videtur luce clarius, non solùm loquendo, juxta Bullam Lusitanam, ad quam requiritur, quòd eleemosyna sit de opibus, & facultatibus propriis; quod non datur in præsenti casu; sed etiam juxta Bullam Hispanam in suppositione, quòd prædicta clausula non apponeretur: quia ad illam semper requiritur eleemosyna.

91. Nec etiam quoad secundum placet assertum, nempe: furtum duorum argenteorum Lusitanè *de quatro vintens* absolutè, & per se loquendo, juxta probabiliorem opinionem, non esse peccatum mortale. Quia Doctores communiter conveniunt, non certam quantitatem respectu omnium, sed diversàm esse determinandam, ad peccatum mortale constituendum, cum respectu ad personas divites, & pauperes. Sic docent Petr. Arag. 22. *q.* 66. *art.* 2. Petr. Navarr. *lib.* 1. *de restit. cap.* 1. *n.* 39. Medin. & alii, quos citat, & defendit Tamborin. *lib.* 8. *decal. tract.* 2. *cap.* 2. *n.* 2. Clavis Reg. Molin. Filliuc. Vazq. quos refert & sequitur Bonacin. *d. p.* 2. *de restit. in partic. q.* 8. *punct.* 1. *p.* 7. & Card. de Lug. *disp.* 16. *de just. n.* 23. Moya *tract.* 3. *de sacr. pœnit. q.* 3. *cap.* 1. *n.* 12. Et Less. *lib.* 2. *cap.* 12. *n.* 29. *&* 30. illam satis probabilem judicat, quanvis *n.* 31. dicat sibi placere sententiam, quæ absolutè statuit, duos argenteos esse notabilem quantitatem. Alios omitto Doctores, quia ex relatis sequitur absolutè, & sine distinctione personarum, non esse probabiliorem sententiam docentem duos argenteos non esse peccatum mortale in materia furti.

92. Si tamen scire exoptes, quænam quantitas, inter extraneos, sufficiat ad peccatum mortale? Respondeo juxta prædictam sententiam, cum respectu ad quatuor personarum status. In primo sunt personæ illustres, quæ splendidè vivunt, & si ab uno ex illis quis furetur nummum aureum, nempe *hum cruzado* peccatum mortale committit. In secundo sunt illæ, quæ vivunt ex suis reditibus, & aliquo non indigent artificio, ad vitæ sustentationem; & mortale erit, si ab uno auferantur quatuor argentei, nempe: *otto vintens*. In tertio sunt personæ, quæ suo se sustentant artificio, & opera; & respectu uniuscujusque, erit furtum mortale, quantitas duorum argenteorum, scilicet, *quatro vintens*. In quarto sunt, quæ mendicando sibi consulunt; & unus argenteus, vel pars dimidia, hoc est *dous, ou hum vintem* erit materia ad mortale sufficiens. Sic Bonacin. & Tambor. *locis citatis*, & Moya *supra*, quanvis in furtis secundi, & tertii personarum status duplicatam ab assignatis quantitatem requirat. At à nobis tradita videtur probabilior, & tenenda.

93. Secundum argumentum sit: Siquis ad Bullam sumendam, auferat ab aliquo, per modum mutui, pecuniam necessariam, cum intentione, postea restituendi; in hoc casu videtur, Bullam prodesse; quia in mutuo, transfertur dominium pecuniæ: Ergo cùm per mutuam eleemosynam Bulla fiat sumentis, Bulla ei proderit. Respondeo illam sumptionem, seu ablationem pecuniæ, etiam cum ea intentione, non posse habere rationem contractus mutui; quia ut talis debebat habere ea, quæ ad rationem contractus requi-

requiruntur: quæ sunt *ultro citroque obligatio*; ut constat ex definitione contractus; quæ hic non dantur; non enim datur consensus ex parte domini pecuniæ; & cùm hic non detur, semper pecunia manet sub ejus dominio; & cùm ita sit, non potest alius cum illa pecunia Bullam sumere. Secus dicendum, si hic prudenter præsumat, dominum pecuniæ consentire in ea acceptione pecuniæ, quanvis clandestina; quia taciti, & expressi eadem est virtus, & judicium, *l. cum quid mutuum ff. de rebus credit. & cap. 2. de rescript.* & D. D. communiter; & in materia furti non dati; idem sustinent Sanch. *lib. 7. decal. cap. 19. n. 4.* Dian. 1. *part. tract. 6. resol. 31.* & plures, quos referunt: Ergo ex ea præsumptione utiliter Bullam sumet, erogando illam pecuniam acceptam.

SECTIO XI.

Exponuntur duo casus circa eleemosynæ erogationem.

94. PRimus est: Quidam furatus est plures Bullas à Thesaurario, vel ab ipso impressore, illasque tradidit aliis, furtum ignorantibus, acceptâ stipe consuetâ duorum argenteorum, vel unius argentei, nempe: *de quatro, ou de dous vintens.* Inquiro ergo, an hi sumentes has Bullas, illarum gratiis possint gaudere? Et videtur affirmandum; quia bonâ fide, & datâ consuetâ eleemosynâ Bullas acceperunt: Ergo non est, cur à privilegiis Bullæ excludantur.

95. Dicendum tamen est; Bullæ privilegiis non gaudere; quia Bulla conceditur, per modum contractus, seb conditione dandi certam eleemosynam, pro manutentione militum, qui civitates Africanas defendunt; sed eleemosyna data non fuit pro manutentione militum à parte rei: Ergo cùm conditio defecerit, etiam contractus statim fuit resolutus: ut patet ex *l. necessario §. 1. ff. de pericul. & commod. rei vend.* & D. D. Menoch. *cons. 134. n. 30. & 31.* & *cons. 139. & sequentibus, & cons. 322. n. 39.* & alii apud Bard. *de Axiom. 48. n. 6.*

96. Poterunt tamen prædictas Bullas sumentes, dum bona fides durat, Bullæ uti privilegiis; cognitâ tamen veritate, non possunt. Si tamen, eâ bonâ fide durante à reservatis virtute Bullæ fuerunt absoluti; quia ea absolutio fuit tantùm indirecta eorum reservatorum, tenentur illa reservata, veritate cognitâ, legitimo subjicere confessario.

97. Secundus casus: Distributor Bullarum, dum illas primò per Provincias distribuebat, receptori cuidam, vel per errorem, vel ex industriâ viginti Bullas super numerum à receptore expetitum tradebat; de illis mentionem in libro rationum faciendam non curans; receptor autem, quia de illis rationem non erat redditurus, eleemosynas illis viginti correspondentes sibi retinebat. Inquiro igitur de sumentibus illas viginti Bullas, an illis prodesse possint? Et ex dictis in primo casu videtur negandum; quia Bullæ conceduntur à S. Pontifice, sub conditione dandi eleemosynam à Commissario taxatam in subventionem manutentionis militum Africanorum: Sed prædictarum Bullarum eleemosynæ non sunt ad eam subventionem: Ergo prodesse non possunt eæ Bullæ.

98. Dicendum tamen est, prodesse sumentibus eas Bullas, sive eas designatas receptor illis tradat, sive illas in confuso cum aliis distribuat, ut plurimum fit. Ratio est; quia prædictus defectus, seu deceptio provenit à receptore ministro Cruciatæ: quando autem defectus eleemosynæ applicandæ, in subventionem militum, non provenit à personis particularibus, ut in casu *n. 95.* sed à Commissario, aut ab ejus ministris, Bulla prodest, ut docet Bard. *part. 2. tract. 1. cap. 1. n. 67. in fine.* Mend. *in appendic. disp. 1. n. 9.* Et confirmatur; quia si indulgentia concederetur sub conditione erogandæ eleemosynæ ad ornamenta altaris, & colligentes, illicitè eas eleemosynas usurparent; adhuc erogantes, illam indulgentiam obtinerent; ut tenet Mend. *proxime*; sed prædictæ eleemosynæ fuerunt à sumentibus prædictas viginti Bullas erogatæ ad subventionem militum: Ergo licèt à receptore Bullarum sibi eleemosynæ retineantur, adhuc sumentes eas Bullas illorum privilegiis gaudebunt. De pœnâ, & delicto in casu à receptore commisso, dicendum *infra disp. 23. sect. 23.*

SECTIO XII.

An prosit Bulla sumentibus, si eleemosynæ non applicentur in subventionem militum Africanorum, aut classium sumptus?

99. HÆc quæstio nullum potest inducere dubium in Bullâ Lusitanâ; quia eleemosynæ ex Bullâ collectæ, per Commissarium traduntur Thesaurario Domus Ceitæ, ad quem pertinet provisio locorum Africæ; & cùm hæc traditio, & receptio fiat cum omnibus in hâc materiâ necessariis; thesaurarius, ut se immunem reddat, ostendere debet, illas eleemosynas à Bullâ collectas in subventionem arcis Mazagani fuisse consumptas. Unde ad unguem observatur, tam à Serenissimo nostro Rege, quàm à Commissario, quod disponit de his eleemosynis Paulus V. in suâ Bullâ quæ à successoribus, & extenditur & prorogatur, quæ ita habet. *Volumus autem, ut eleemosynæ, quæ eau â, & occasione dictarum indulgentiarum erogabuntur, in defensionem, & manutentionem locorum Africæ ad Regna Portugalliæ, & Algarbiorum prædicta spectantium dumtaxat convertantur; & si quid superaverit, sumptibus Classium eorundem Regnorum pro defensione eorum marinis, & non aliis usibus applicentur.*

100. Dixi observari ad unguem à Serenissimo Rege quia nec ad illum, nec ad ministros gazæ Regiæ hæ eleemosynæ perveniunt; sed rectè tendunt ad illum, ad quem, ratione sui officii, pertinet de Mazagano. Unde hoc tempore non est audiendus à Costa *q. 11. in fine*, dicens: *Nec aliquis scandalizari debet, si hæc eleemosyna à Regis ministris per alios usus consumatur, dummodo fiat in obsequium Regis, & Regni; quoniam cum Regi incumbat munus manutenendi, & sustentandi illa loca maritima, si a Rege defraudata*

data fuerit aliter hæc eleemosyna, aliunde idem Rex sustentabit eadem loca, & milites in eisdem existentes. Hæc à Costa. Quæ si pro illius tempore erant vera, hodie nulla datur occasio scandali, ut dictum remanet.

101. Dato tamen casu, quòd Ministri Regis distrahant Bullæ eleemosynas, ad alios usus, omnes fideles gratias, & facultates Bullæ consequentur. Ratio est; quia adhuc datur finis; nempe defensio arcis Mazagani, & Classis necessitas ad hæc maria ab incursione Maurorum secura reddenda. Sed quando finis, ob quem privilegium concessum fuit, integrè existit, privilegium etiam existit; ut cum pluribus docet Castr. Pal. *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 4. *punct.* 15. *n.* 7. Ergo licèt eleemosynæ in alios usus applicentur; adhuc Bulla proderit illam sumentibus. Hic tamen casus, juxta modum procedendi Commissarii, est moraliter impossibilis.

102. Quæres tamen primò; An si non omnes eleemosynæ pro sustentando Mazagano consumptæ sint, quia non omnes fuerunt necessariæ, quæ supererint, possint ad sequentem annum, pro eâdem sustentandâ arce differri? Videtur affirmandum; quia pro sequenti anno poterit major esse necessitas, quàm fuit in præsenti.

103. Hac non obstante ratione, respondeo non posse; quia S. Pontifex, in dictis verbis, inquit *siquid supererit, sumptibus Classium esse impendendum:* Ergo non possunt differri, sed pro refectione Classium, quæ maria nostra à Mauris defendant, sunt insumenda.

104. Quæres secundò: An Thesaurarius domus Ceitæ, qui recipit singulis annis eleemosynas Bullæ, & ex summâ receptâ, & sumptibus solitò factis, pro sustentando Mazagano, cognoscit eam summam excedere consuetam, possit, quod supereſt, tradere Ministris Principis ad alias Regni necessitates? Respondeo non posse, nisi ad Classem, pro maris defensione. Ratio est; quia S. Pontifex expressè statuit, dictas Bullæ eleemosynas solum esse convertendas in defensionem locorum Africæ, & quod supererit, non ad alios usus, sed ad Classem, pro defensione maris, esse applicandum.

105. Quæres tertiò, pro coronide hujus sect. ad quid teneatur Serenissimus Rex, si privilegiis Bullæ velit gaudere? Respondeo, teneri ad sumendum summarium, eleemosynam erogando trecentorum regalium, hoc est *de tres tostoens*, hæc enim est à Commissario designata, pro omnibus illis, qui in reditibus summam quadringentesimam millium regalium excedunt, & nulla alia major designatur. Imo si Rex velit, secundo jubilæo in Bullâ concesso, frui; debet erogare dimidium argentei, hoc est, *hum vintem:* quia hæc tantùm quantitas à Commissario, pro omnibus sine differentiâ assignatur. Infantes vero juxta suos reditus eleemosynam erogabunt, etsi nullos habeant ut filiifamilias, ut *supra*.

SECTIO XIII.

Quæ eleemosyna sit eroganda pro jubilæo sex mensium?

106. HUnc jubilæum concessit Gregorius XIV. illis, qui post sex menses, à publicatione Bullæ, velint eodem anno, alium lucrari jubilæum; & eleemosynam licèt expostulet, non designat: noster tamen Commissarius, & illius prædecessor eleemosynam designarunt; & mandant, quòd eleemosyna in capsulas ad alia intenta in Ecclesiis appositas non injiciatur, sed Thesaurario, accepto ab eo Chirographo impresso, tradatur. Per hæc verba *Por vertude desta Bulla, cada seis mezes, se concede jubileo; e todas as pessoas, que se confessarem, e comungarem em qualquer dia até o fim do anno da publicação desta Bulla, e derem hum vintem de esmola, o alcansam, o qual vintem, se dara ao Thezoureiro, que dà a Bulla, e recebera da sua mam hum escrito impresso, nam obstante, que em algumas Bullas se diga, que se lansaram nas Cauxas.* Elapsis temporibus pro hoc obtinendo jubilæo, erat dimidium eleemosynæ consuetæ pro cujuslibet personæ conditione, & reditibus designatæ, ut videre est apud Portel. *tom.* 2. *respons. moral. casu* 7.

107. Ex concessione factâ hujus jubilæi, colligitur primò, eleemosynam semper esse eandem, nempe dimidii argentei, hoc est, *de hum vintem:* quia ut *sect. præcedente* notavimus, Commissarius absolutè, & sine differentiâ facultatum loquitur.

108. Secundò; qui hoc chirographum recipit, prius debere accipere Bullam vivorum; quia hic jubilæus secundus ponitur, ut dependens à primo; & quanvis Bulla vivorum possit accipi validè, & fructuosè, quin recipiatur chirographum; non tamen potest accipi chirographum sex mensium validè, quin prius Bulla vivorum recipiatur, à quâ dependet.

109. Tertiò, certum esse, non valere jubilæum, si chirographum non recipiatur, etiamsi eleemosyna taxata in capsulam injiciatur; sumpto argumento ex Bulla vivorum, quæ non valet, si summarium non recipiatur etiamsi eleemosyna à Commissario taxata in capsam injiciatur; & id probant dicenda *disp. sequenti n.* 6. & 8.

DISPUTATIO VI.

De acceptione, & retentione Bullæ, & inscriptione nominis in illâ.

1. EUndem sequendo ordinem, tam Bullæ Latinæ, quàm summarii, obviam occurrit primum Bullæ privilegium; quia verò expositionis ordo postulat, ut prius de acceptione, retentione Bullæ, & inscriptione nominis in illâ, agatur: hanc interponimus disputationem, quæ tamen in illâ proposuimus, nec in Bullâ Latinâ, nec in extensionibus inveniuntur; habentur autem in summario, in ipsius calce, post omnia

privilegia, & facultates, his verbis: *Tomaram este summario da Bulla que levarám consigo com seu nome nelle escrito, e nam o levando por si, nem por outrem, nem se escrevendo nelle o seu nome, lhe nam valera.* Et in advertentiis, prope finem, hæc habentur. *As pessoas, que tomarem as Bullas, ham de fazer escrever nellas seus nomes, e levalas ham pera suas cazas, e guardalas ham.*

2. Ad hæc, facultatem habet Commissarius Generalis à S. S. Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. concessam, in extensionibus ad Bullam Gregorii XIV. his verbis. *Aliaque faciendi & exequendi, qua in premissis, & circa ea, necessaria fuerint, quomodolibet opportuna.* Et absque dubio est, hæc ad Bullæ expeditionem, & executionem, esse maximè necessaria, & opportuna.

SECTIO I.

An sine summarii acceptione prodesse queant Bullæ privilegia?

3. IN duplici sensu, hæc quæstio agitari potest; primò pro foro interno; secundò, pro externo. Si loquamur de primo, conveniunt Doctores, ad privilegii valorem, non esse necessariam scripturam. Sic Molin. *tom.* 3. *disp.* 599. *n.* 1. Sanch. *de matrim. lib.* 8. *disp.* 29. *n.* 2. Soar. *de leg. l.* 8. *cap.* 2. *n.* 2. Bonacin. *de leg. disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 4. *prope finem*, & alii, quos refert Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *de leg. disp.* 4. *punct.* 3. §. 1. *n.* 1. quibus addo Arriag. *de legib. disp.* 31. *n.* 6. Bard. *in Bull. part.* 2. *tract.* 8. *cap.* 1. *n.* 3. Probatur *ex text. in cap. institutionis* 25. *q.* 2. qui est ex Gregorio, ibi: *Sive qua scripto decernimus, sive que, in nostra presentiâ, videntur esse disposita.* Ratione ostenditur; quia privilegium dependet à voluntate Principis, quæ voluntas, sicut scriptura, sic etiam verbis tantùm, manifestari potest.

4. Advertendum tamen est: aliquando jus decernere; ut non valeant aliqua privilegia, nisi firmata sint scriptis; ut in Trident. *sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.* Circa Metropolitani absentiam, quæ probari debet ab Episcopo antiquiori, scriptis; & *sess.* 25. *cap.* 5. *de Regularibus*, circa Monialium clausuram ingredientes, qui prius licentiam in scriptis obtinere debent. Hoc tamen ad omnia privilegia, & gratias non extenditur. Unde quando Pontifex aliquam concedit gratiam, per verbum *fiat*, non intelligit, quòd fiat scripturâ: ut aliqui sine fundamento docuerunt; quia sine scripturâ potest supplicans, illâ uti gratiâ, nam verbum *fiat*, idem est, ac fiat gratia.

5. Si sermo sit de secundo sensu; sine controversia est, scripturam requiri pro foro externo; quia alia non invenitur solida privilegii probatio, nec enim alleganti privilegium creditur, nisi scriptura inspiciatur. *Cap. porro* 7. ubi Abbas *n.* 1. *de privileg. cap. cùm personæ, eodem tit. in* 6. Cabed. *decis.* 93. *n.* 3. *part.* 2. & alii apud Barbos. *tract. de axiom.* 109. *n.* 6. Tamborin. *cap.* 15. §. 1. *n.* 1. Vide etiam Castr. Pal. *cit. n.* 2.

6. Deveniendo ad nostram quæstionem, cujus gratiâ hæc dicta sunt; dicendum est, tam pro foro interno, quàm pro foro externo, necessarium esse, accipere summarium Bullæ, & sine illo, non posse, Bullæ privilegia prodesse. Ratio est, quia licèt ad privilegii valorem, scriptura necessaria non sit in foro interno; ut diximus *n.* 3. necessaria tamen est, pro utroque foro; quando jus id disponit; ut etiam *n.* 4. *dictum est*: Sed Commissarius Generalis, authoritate Pontificis, decernit, ut sumatur summarium, ibi; *Tomaram este summario*: Ergo illo non sumpto, privilegia Bullæ, prodesse non possunt.

7. An verò opus sit, ad summarii valorem, ut habeatur in illo nomen Commissarii subscriptum, & ejus sigillum? Respondeo, circa hoc dubium, nihil à Commissario esse dispositum; ut est circa Bullam Hispanam. Existimo tamen non valere; quia sine his in eo firmatis, nota inuritur falsitatis.

8. Hæc etiam habent locum in Chirographo jubilæi, post sextum mensem, à publicatione Bullæ concessi, denuo eleemosynam conferentibus; quæ eleemosyna olim in Cruciatæ capsulas conjiciebatur; at præsentibus temporibus ad illius consequutionem, requiritur in manibus Thesaurarii, eleemosynam erogare; & insuper ab illo sumere Chirographum, typis excussum, & nomine tantùm Commissarii subscriptum; & sine illo, jubilæus, ita disponente Commissario, non acquiritur, ibi: *E querendo vos tambem ganhar o jubileo dos seus mezes, dareis de esmola hum vintem, o qual se ha de dar ao Thizoureiro que da as Bullas, ou a pessoa por elle deputada, recebendo da sua mam hum escrito impresso, em que se escrevera o nosso nome, e com isto vos he concedido o dito jubileo, e nam de outra maneira.* De fine autem hujus dispositionis, aliqua diximus *disp.* 2. *n.* 54. & alia dicemus cùm de inscriptione nominis.

SECTIO II.

An intentio sumendi Bullam, sine actuali receptione, aut receptio illius, sine intentione, sufficiant ad privilegia obtinenda.

9. QUoad primum, vulgaris est error imperitorum existimantium, cum solâ intentione accipiendi Bullam, posse illius fungi privilegiis: accedunt enim, in celebritate alicujus jubilæi, ad confessarium, manifestantes suam intentionem, & hanc sufficere; declarant. Hic verò error per confessarios extirpandus est; quia sola intentio sumendi Bullam, sine actuali receptione, vana est. Sic Henriq. *lib.* 7. *cap.* 20. *vers. Nunc verò ut fruatur* Rodrig. §. 5. *n.* 1. Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *punct.* 2. *n.* 5. Trullench. *lib.* 1. §. 1. *dub.* 2. *n.* 3. Bard. *part.* 2. *tract.* 8. *cap.* 1. *n.* 19. Mend. *disp.* 2. *n.* 2. Villal. *tract.* 27. *claus.* 4. *n.* 6. Frey Joseph Mend. *sect.* 1. *n.* 21. *in fine.* Probatur primò; quia ita disponit Commissarius, authoritate sibi à Pontifice concessa. *Tomaram este summario*: Ergo si Bulla non sumatur, intentio tantùm illam sumendi, alicui prodesse non potest, ad hoc, ut lucrentur illius privilegia.

10. Se-

10. Secundò probatur, quia ſola intentio non eſt acceptatio privilegii, ut per ſe patet: Sed privilegium eſt quædam donatio, quæ non acquiritur, ante acceptationem: ut docent Caſtr. Palao *tom.* 1. *tr.* 3. *diſp.* 4. *punct.* 16. §. 2. *n.* 5. Bonacin. *de leg. diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 8. §. 1. Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 52. *ſect.* 7. *n.* 5. Sanch. *lib.* 3. *de matrim. diſp.* 36. *n.* 2. Deinde ubi non ſumitur ſummarium in re, non poteſt dari acceptatio: Ergo per ſolam intentionem, non obtinentur Bullæ privilegia.

11. Quoad ſecundum in titulo propoſitum, certum eſt, non ſufficere receptionem Bullæ, ſine intentione illam acceptandi; quia Bullæ acceptatio, & traditio per modum contractus; ſed contractus ſine intentione initus, non eſt validus, ut docent Sanch. *l.* 1. *de matrim. diſp.* 6. *n.* 3. *& lib.* 2. *diſp.* 25. *n.* 1. Molin. *tom.* 2. *diſp.* 352. *v. Ego probabilius in fine*, Card. de Lug. *tom.* 2. *de juſt diſp.* 22. *n.* 45. Ergo dum non revocatur, à ſumente Bullam, illa intentio non acceptandi, Bullæ privilegiis non poteſt frui. Quanvis oppoſitum teneat Arriag. *tom.* 8. *d.* 26. *a n.* 31.

12. Ex hoc oritur dubium: Si Theſaurarius, ut majus lucrum ſibi acquirat, per ſe, vel per Parochum ruralem, cogat fideles, vel parochianos, ad ſumendas Bullas, & eleemoſynas elargiendas; & illi ita coacti, Bullam recipiant, poſſuntne illius privilegiis gaudere? Reſpondeo, in primis certum eſſe, & Theſaurarium, & Parochum peccare mortaliter, quia S. Pontifex neminem vult cogi, ad Bullam recipiendam, ibi: *Ut clarè intelligant nos neminem ad quidquam præſtandum, vel elargiendum cogere.*

13. Reſpondeo ſecundò, videri, non poſſe prædictos coactos, Bullæ privilegiis gaudere; & ita ſentit Bard. *part.* 2. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 27. quia deeſt libera acceptatio, & applicatio. Hæc reſolutio, & ratio deducitur à Bard. ex illis, quæ dicunt Henriq. *lib.* 7. *cap.* 20. *n.* 3. Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 52. *ſect.* 7. *n.* 5. Trullench. *lib.* 1. §. 1. *dub.* 2. *n.* 5. ad has gratias lucrandas, requiri applicationem, applicante ſibi ipſo ſumente Bullam; & cùm applicatio, & ipſa acceptatio Bullæ, non ſit libera, non ſufficit, ut Bullæ privilegia obtineantur.

14. Hæc tamen reſolutio mihi diſplicet: quia cum illâ coactione, factâ à Theſaurario, vel parocho, ſtat libera, & voluntaria ſimpliciter ea acceptatio, & applicatio. Ut oſtendo, quia acceptatio Bullæ, & ſtipis ſolutio habent ſe per modum contractus, *Do ut Des*; ſed contractus factus, metu cadente in conſtantem virum, eſt validus, non ſolùm de jure naturæ, ut docet Leſſ. Richard. Henriq. Paludan. Philiarch. Petrus de Ledeſm. Ludovic. Lop. Navarr. Roſell. Angel. Sylveſtr. Fabien. Armill. &. innumeri, ex Canoniſtis, quos congerit, & ſequitur Sanch. *lib.* 4. *de matrim. diſp.* 8. *n.* 4. accedit Cardin. de Lug. *tom.* 2. *de juſtit. diſp.* 22. *n.* 115. ſed etiam jure poſitivo, exceptis aliquibus, qui de jure poſitivo ſunt irriti, ut docet Sanch. *cit.* & Leſſ. *lib.* 2. *de juſt. cap.* 17. *dub.* 6. qui multos Theologos, & juriſperitos referunt, & Cardin. de Lug. *cit. n.* 118.

15. Et hujus ratio eſt; quia id, quod ex metu fit, ſive ex coactione voluntarium ſimpliciter eſt, licèt cum aliquo involuntario mixtum; unde qui, ex metu mortis, adorat idola, voluntariè id facit, & mortaliter peccat; & qui, ex eodem metu, baptizatur, vel ſuſcipit ordines, voluntariè, & validè illos ſuſcipit; & matrimonium jure naturæ validum eſſet, ſi ab Eccleſiâ non eſſet irritatum: Ergo etiam libera eſt Bullæ acceptatio, & applicatio, licèt ſit coacta; quia eſt voluntaria ſimpliciter, & à jure poſitivo non irritata. Poterit ergo prædictus à Parocho coactus, Bullæ receptæ privilegiis gaudere?

SECTIO III.

An ſufficiat ſumere Bullam, ſine acceptatione, aut illam acceptare, ſine ſumptione?

16. Diſtingo ad intelligentiam hujus quæſtionis verbum *ſumere* verbo *Acceptare*; quia unum poteſt, ſine altero dari: poteſt enim Petrus ſumere à Theſaurario Bullam non ſibi, ſed alteri, v. g. Paulo; deinde poteſt Paulus, ſibi acceptare Bullam, quam Petrus à Theſaurario ſumpſit: non tamen ſibi acceptavit: hâc datâ diſtinctione.

17. Dico primò: Non ſufficit, ſumere Bullam, ſine acceptatione, ut quis illius privilegiis fruatur. Ratio eſt, quia Bullæ privilegia ſunt perſonalia, ut diximus *diſp.* 1. *n.* 61. Sed privilegia perſonalia non acquiruntur, niſi acceptentur; ut ſectione præcedente dictum eſt cum Sanch. & Soar.: Ergo non ſufficit ſumere Bullam, ſine acceptatione.

18. Dico ſecundò: Non ſufficit, acceptare Bullam, ſine ſumptione immediatâ, vel mediatâ. Ratio eſt: quia ſine ſumptione Bullæ, illius privilegia non lucrantur: ut oſtendimus *ſupra n.* 9. Quòd verò ſufficiat ſumptio mediata, oſtenditur; quia Commiſſarius in adventitiis diſponit, heros, & dominos poſſe ſumere Bullam famulis, & captivis, & patrem filiis; his verbis: *E os amos a poderam tomar pera ſeus criados, e os ſenhores pera ſeus eſcravos, e os pays, pera ſeus filhos.* Neque enim actio, ſumendi Bullam, debet eſſe adeo perſonalis, & immediata, ut per alium fieri non poſſit; ſicut acceptatio, quæ immediata neceſſariò eſſe debet: Et hujus ratio eſt, quia ut privilegium perſonale ſuum ſortiatur effectum, debet ille, cui privilegium conceditur, certior de illo fieri; hoc autem eſſe non poteſt, niſi de illo habeat ſcientiam, & notitiam, *cap.* 1 *ad medium*, *Verſ. ex parte, de conceſſ. Prabend. in* 6. ubi expreſsè dicitur, privilegium prodeſſe à tempore ſcientiæ; & licèt id non videatur probare, quia eſt allegatio partis adverſæ: cùm tamen S. Pontifex in fine, illius textus *referibat*, videtur ejus fundamentum approbare; Et *ex cap. ſi tibi abſenti, de Prabend. in* 6. ibi: *Si tibi abſenti conferatur beneficium, licèt per collationem hujusmodi, donec eam ratam habueris, jus in beneficio non acquirat.* Sic Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 52. *ſect.* 7. *n.* 5. Sanch. *lib.* 3. *de matrim. diſp.* 36. *n.* 2. & cùm ſcientia de Bullæ privilegio, per alium haberi non poteſt, nec etiam illius acceptatio, quæ immediatè datur, ubi quis de illâ habet ſcientiam, & illam acceptat.

19. At sumptio Bullæ per alium non repugnat fieri: nam juxta text. *in l. 1. ff. de vi, & vi arm. l. 11a §. quod siquis ff. de administr. tutor. l. si per alium ff. ne quis eum. l. non ideo cod. de accusat. cap. mulieres §. illa verò de sent. excommunic. & in reg. qui per alium. 72. de reg. jur. in 6. qui per alium facit, perinde est, ac per se ipsum faciat.* Et quanvis hi textus in multis limitentur, ut videre est apud Cardin. Tusc. *tom. 3. litter. F. conclus. 7. a n. 23.* id provenit; quia aliqua præcipiuntur talibus verbis, ut indicent, actionem exigi immediatè, ab aliquibus esse exercendam; ut est residentia in beneficio, ad effectum consequendi distributiones; & quando eligitur industria personæ, ad aliquam actionem, & ad lucrandam aliquam indulgentiam: Et cùm in sumptione Bullæ nomine alterius, ex nullo capite appareat, requiri immediatam actionem; & Commissarius id concedat dominis, & parentibus, nomine famulorum, servorum, & filiorum; dicendum, nomine cujuscunque Bullam posse sumi; & docent D. D. communiter Soar. *tom. 4. in 3. part. disp. 52. sect. 7. n. 5.* Cordub. *lib. 5. q. 26.* Henriq. *lib. 7. cap. 20. n. 5.* Anton. Gom. *pag. 1. n. 7.* Villal. *claus. 12. n. 22.* quos refert, & sequitur Castr. Pal. *tom. 4. tract. 25. punct. 2. n. 5.* & alii *infra* citandi.

20. Ex hâc doctrinâ sequitur, posse quemlibet, plures sumere Bullas, animo eas huic, illi, vel pauperibus, distribuendi; quia in sumptione Bullæ, non requiritur acceptio personalis. Et si in sumptione Bullæ determinet personam, & hæc illam nolit acceptare; eo quòd aliam jam habeat, poterit illam alteri donare, qui illâ indigeat; quia ad Bullam, requiritur immediata acceptatio personalis, quæ data non est, circa illam Bullam à sumente determinatam, & à determinato non acceptatam. Hæc decerpsi ab expositoribus Bullæ Hispanæ; & sunt juxta doctrinam ab illis traditam. Vide Trullench. *lib. 1. §. 1. dub. 3. n. 1.* Bard. *part. 1. tract. 2. cap. 3. a n. 11.* Mend. *disp. 2. a n. 13.* Tambor. *cap. 15. §. 3. n. 15.* Escob. *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 14.* Lezan. *tom. 3. qq. Regul. verb. Bulla Cruciatæ n. 7.* cum P. Henriq. *l. 7. de indulg. cap. 20. n. 6.*

SECTIO IV.

Quæ certitudo requiratur de sumptione Bullæ, ab alio facta, ut quis illius privilegiis uti valeat?

21. OMnes convenium, vel debent convenire, requiri certitudinem moralem; & non sufficere probabilem de Bullâ sumptâ; ut ille, pro quo sumpta est, possit frui illius privilegiis. Ratio est, quia illa certitudo est sufficiens, quæ reddat, v. g. confessarios certos moraliter, de jurisdictione habitâ per Bullam; nam, ut docet Soar. *tom. 4. in 3. part. disp. 26. sect. 6. n. 6. & 8.* ad sacramentum pœnitentiæ, requiritur jurisdictio certa, & indubitata moraliter; & non sufficit moralis probabilitas; quia exposita est moraliter periculo falsitatis. Nam licèt possit quis se conformare opinioni probabili: ut cum Sanch. *lib. 3. de matrim. disp. 20. n. 4. & lib. 1. decalog. cap. 9. n. 23.* tenent plures; ut videre est apud Castr. Pal. *tom. 1. tract. 1. disp. 2. punct. 5. n. 5.* Tambor. *lib. 5. de pœnit. cap. 4. §. 8. à n. 1.*, non tamen datur opinio probabilis in hoc, quòd cum solâ probabilitate morali sumptionis Bullæ, possit quis illâ gaudere; ut docet Mendo mox citandus.

22. Quæ autem sit hæc certitudo moralis, ad usum Cruciatæ sufficiens? Mend. *disp. 2. n. 3. in medio* existimat, illam sufficere certitudinem moralem acceptionis Bullæ ab alio, quæ sufficit ad aliquid jurandum assertivè; & ponit exemplum hoc, in acceptione Bullæ: Si quis servo fideli commendasset sumptionem Bullæ, & postea ab eo audivisset, jam esse acceptam, & servatam; quanvis ipse eam non acciperet, nec videret. Exemplum verò in juramento assertorio adduco ex Tambor. *lib. 3. decalog. cap. 2. §. 1. n. 6.* Probabile est, v. g. sacerdotem Religiosum, consuetum quotidie celebrare, hoc mane celebrasse; at non possum jurare sine culpâ mendacii, & prudenter affirmare, eum sacrificium missæ hoc mane obtulisse: quia licèt hoc sit probabile, non est tamen certum moraliter, nisi accedat dictum alicujus viri fide digni, se vidisse eum celebrantem. Datâ hâc expositione certitudinis moralis, devenio ad decisionem casus sequentis, ex quo alii decidi possunt.

23. Siquis certò sciat, in die promulgationis Bullæ, singulis annis, cùm existeret Conimbricæ, à parentibus, vel ab aliquo amico, pro se ipso, accipi Bullam, ita ut de hoc dubitare non valeat, potestne Bullæ privilegiis fungi, antequam de acceptione admoneatur? Affirmant Henriq. quem citat, & sequitur Villal. *tom. 1. tract. 27. claus. 12. n. 25.* Dian. *part. 1. tract. 11. resol. 90.* Mend. *disp. 2. n. 3.* ex eo fundamento; quia datur certitudo moralis.

24. Probabilior tamen est opposita sententia, quam defendunt Rodrig. *in addit. ad §. 12. n. 9.* Vega *in sum. tom. 1. cap. 43. cas. 6.* Trullench. *lib. 1 §. 1. dub. 3. n. 3.* Tambor. *cap. 15. §. 3. n. 11.* & apud ipsum Galleg. *claus. 14. dub. 108.* accedit Fr. Joseph Mend. *sect. 1. n. 10.* Escobar *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 17.* Moveor ad hanc sententiam sequendam; quia ex dictis constat, non dari in hoc casu certitudinem moralem; nam humana conditio multis incommodis, infirmitatis, oblivionis, absentiæ à loco, & multitudinis negotiorum, & etiam mortis, subjecta est; nisi ergo detur fidelis nuntius, vel Epistola, quæ asserat Bullam esse acceptam à parentibus, vel amico, pro filio, vel amico; non potest ex eâ tantùm præsumptione, ortâ ex multis annis; filius, vel amicus Bullæ privilegiis frui; & constat ex sacerdote quotidie celebrante, quia nisi accedat dictum alicujus viri fide digni, non datur moralis certitudo, ipsum hodie celebrasse: Ergo etiam idem dicendum in præsenti, propter paritatem.

25. Confirmatur: Hic usus Bullæ est in re magni momenti, quæ requirit certam potestatem, vel saltem verè probabilem in confessario, ut *supra* dicebamus; sed hæc in præsenti non dantur: Ergo cum prædictâ præsumptione sumptionis Bullæ ab alio, nomine alieno acceptæ, illius privilegia obtineri non possunt.

26. Ali-

26. Aliter confirmat hanc sententiam Trullench. *cit.* nempe, ex concessione Episcopi factâ alicui per quinque, vel sex annos continuos, ad absolvendum à reservatis; qui non potest, uti tali facultate, pro anno sequenti; etiamsi moraliter sciat, illam sibi fuisse concedendam, nisi prius de concessione admoneatur: Ergo etiam licèt pater, per quinque, aut sex annos continuos pro filio accipiat Bullam, non poterit filius illius facultatibus uti; etiamsi moraliter sciat, illam jam esse, pro præsenti anno à patre acceptam, nisi prius de acceptione admoneatur. Hæc tamen confirmatio intentum non confirmat; quia illa concessione jam factâ, nulla potest dari, non dico, certitudo moralis, sed nec præsumptio; quia Episcopus illam non solet concedere, nisi petatur; at pater absque petitione filii Bullam pro illo, sicùt pro aliis filiis, in die promulgationis sumit: Ergo; etiam dato, quòd filius posset ex illâ præsumptione acceptionis Bullæ jam factæ suo nomine, illius uti privilegiis, non tamen poterit confessarius, facultate absolvendi à reservatis concedenda fungi.

27. Nec etiam roborata manet prædicta nostra sententia exemplo dispensationis, quam aliquis moraliter præsumit se habiturum à Papa; qui non potest uti tali dispensatione, etiam transacto tempore, in quo ea dispensatio potest à Papa concedi: Non enim hoc exemplo roborata manet, ut existimat Trullench., quia dispensationes, quanvis Romæ expediantur, Ordinariis tamen, compertâ veritate, committitur dispensandi potestas; vel ut declarent supplicantem à S. Pontifice dispensari. Accedit, quòd de dispensatione expeditâ, non potest moraliter constare, & multò minus de onere pro eâ dispensatione exigendo; ut sentit idem Trullench.; de acceptione autem Bullæ nomine alterius, & illius publicatione constat. Unde licèt opposita sententia habuisset locum in Bullâ pro alio acceptâ, propter præsumptionem moralem, illum tamen non haberet, in dispensationibus. Quare sufficienter stabilita manet nostra sententia ratione, & confirmatione à nobis *supra* allatâ.

SECTIO V.

An aliquis sumens pro amico Bullam, qui eam noluit acceptare, possit eam alteri applicare?

28. Hic casus affinis est præcedenti; & sic potest figurari: Pater pro filio, vel alius pro amico, suscepit Bullam, & in illâ inscripsit nomen filii, vel amici; sed quia filius, vel amicus aliam jam habebat Bullam, illam noluit acceptare, potestne pater, vel ille alius eam Bullam alteri tribuere, deleto nomine filii, vel amici, ut privilegiis ipsius Bullæ gaudeat, acceptâ eleemosynâ, quam pro Bullâ, thesaurario tradidit? Negant Veg. & Medin. apud Dian. 1. *part. tract.* 11. *resol.* 95. Arriag. *tom.* 8. *disp.* 26. *num.* 30. *Vers. Illud secundo, & num.* 32. etiam in casu, quo ambo conveniant de illa alteri tertio donandâ. Cardin. de Lug. de pœnit. *disp.* 27. *num.* 88. Sic probans: quia pater, vel ille alius fecit eleemosynam pro Bullâ, nomine filii, vel amici: Ergo si filius, vel amicus nolit eam acceptare, non potest alius illius Bullæ fieri acceptator. Et hujus ratio est, quia non potest alius ratum habere, quod suo nomine gestum non est, juxta regulam communem juris; *ratum, de reg. jur. in* 6. Ergo nec per ratihabitionem, potest alius fieri illius Bullæ acceptator.

29. Probabilius tamen affirmandum est cum communi Doctorum sententiâ. Ita Henriq. *lib.* 7. *cap.* 20. *n.* 5. *prope finem.* Villal. *tom.* 1. *tract.* 27. *claus.* 4. *num.* 23. Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *punct.* 2. *num.* 5. Mend. *disp.* 22. *num.* 15. Escob. *in Th. mor. tom.* 1. *lib.* 7. *num.* 16. Lezan. *in qq. Regul. Verb. Bulla Cruciatæ n.* 7. Tamb. *c.* 15. §. 3. *a num.* 12. & apud ipsum Galleg. *claus.* 24. *num.* 178. Dian. ut *supra*, & sibi contrarius; nam dicit si amicus sumat pro me Bullam, quam ego, quia aliam habeo, acceptare nolo, posse illam alteri applicare: & statim cum Veg. & Medin. dicit, Petrum pro me, eodem modo nolente, sumentem Bullam, non posse alteri applicare. Illum tamen vult concordare Galleg. sed frustra; quia, *posse me illam alteri applicare & non posse alteri applicare* contradictoria sunt.

30. Probatur igitur, patrem, nolente filio, & alium, nolente Bullam amico, posse alteri illam applicare; quia sumptio Bullæ pro aliquo, si ab illo non acceptetur, potest alicui applicari, qui illam acceptet; quia dum non acceptatur, nullius est: sed cùm pro eâ Bullâ, Commissarius eleemosynam jam recepit, vult ut aliquis ejus privilegiis fruatur: ergo ad hunc effectum, potest ab aliquo acceptari. Et parum refert, quòd in eâ Bullâ sit inscriptum nomen alterius, quia id fuit per errorem, & aliud inscribendo, corrigitur error; nec in eâ correctione, & mutatione nominis, committitur falsitas, sed error prior emendatur.

31. Imo non committitur crimen falsi, si emendentur aliquæ litteræ, ob ignorantiam malè appositæ, in litteris Apostolicis, juxta text. *in cap. ex conscientia, de crim. falsi.* ubi dicitur, propter paucarum Litterarum rasuram, in loco non suspecto, rescriptum non probari falsum; & DD. Gerson. 2. *part. Alphab.* 3. *num.* 118. Rodrig. *in addit. ad* §. 12. *num.* 9. Bonacin. *de cens. Bullæ Can. disp.* 1. *quæst.* 7. *punct.* 2. *num.* 3. Navarr. & alii. Deinde errorem corrigens, non dicitur quidquam de novo facere, ut per *l. heredes palam ff. de testam.* tradunt Felin. *in cap. qualiter, & quando* 1 *num.* 27. *Verb. Facit. de accusat.* Rot. *in Turritana dotium* 27. *Januar.* 1606. coram Patriarchâ Manzanedo impressâ per Farinac. *dec.* 158. *num.* 2. *part.* 2. *recent.* At summarium, in quo ea fit emendatio, seu correctio, nec venit nomine Litterarum Apostolicarum; & dato, quòd veniret: in ea emendatione, falsitas non committitur, ut patet ex dictis.

32. Ad rationem Cardin. de Lug. *num.* 28. respondetur; verum esse, neminem posse ratam habere eleemosynam factam nomine alterius, juxta reg. *ratum quis habere non potest quod ipsius nomine non est gestum de reg. jur. in* 6. Sed eleemosyna facta à patre, nomine filii nolentis Bullam acceptare, remansit facta nullius nomine: Ergo potest alter, non quidem ratificare, quia illius nomine non est facta; sed illam nunc acceptare, tamquam pro se factam, eo modo, quo ali-

quis acceptavit eleemosynam, quam alius noluit acceptare.

SECTIO VI.

An ille qui duplicem Bullam sibi acceptavit, possit unam ex illis, alteri cum fructu applicare?

33. EStcertum inter Authores, post acceptationem Bullæ, semel factam, non posse eum, qui semel illam sibi acceptavit, alteri eandem Bullam applicare. Sic Henriq. *lib. 7. cap. 20. num. 5. prope finem.* Castr. Palao *tom. 4. tract. 25. punct. 2. num. 5.* Mend. *disp. 22. n. 15. in fine*, Tamborin. *cap. 15. §. 3. num. 20.* Escob. *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. num. 15.* Lezan. *qq. Regul. tom. 3. Verb. Bulla Cruciat. num. 7.* Hoc supposito, propono hunc casum.

34. Petrus, quia invenit apud Authores, exponentes Bullam Hispanam, posse quem, eodem durante anno Bullæ, bis eam accipere, duplicem Bullam Lusitanam sibi sumpsit & applicavit. Paulò post erroris sui conscius, quia utranque cum fructu retinere non poterat, alteri unam vult applicare; potestne & alter cum fructu eam recipere? Respondeo, posse utrumque: primus potest alteri unam ex illis Bullam applicare; quia applicatio sibi facta, fuit exhibita ex errore circa substantiam; nempe, circa privilegia, & utiles fructus Bullæ, quam existimabat sibi prodesse, & non prodest: sed exhibita ex errore circa substantiam, sunt invalida, & irrita, juxta *l. si per errorem ff. de jurisd. omn. judic. l. si procurator ff. de acquir. rer. domin.* & alias: Ergo cùm applicatio sibi facta fuerit irrita, remansit illa Bulla, nulli applicata: ergo & alius illam sibi potest recipere.

35. Nec contra nos, stat Castr. Palao *tom. 4. tract. 25. punct. 2. num. 5.* dum asserit, non posse acceptantem duplicem Bullam, alteri unam ex illis applicare; quia intelligendus est, loqui juxta Bullam Hispanam, in quâ conceditur, posse quem, duplicem sumere Bullam; & sic acceptatio utriusque Bullæ fuit cum fructu, ut *n.* 37. dicetur.

36. Dices: Ex allatâ resolutione sequitur, posse hunc Petrum, non invenientem aliquem, qui eleemosynam pro Bullâ collatam sibi resarciat, & illam Bullam sibi applicet, illam reddere Thesaurario; & si hic nolit, per modum compensationis poterit sibi consulere. Probatur sequela, quia elargiendo eleemosynam pro illâ secundâ Bullâ, celebravit contractum; sed contractus ex errore circa substantiam initus est nullus, ut ex l. l. citatis docet Bonacin. *disp. 3. de contr. quæst. 1. punct. 2. §. 1. num. 2.* & omnes: Ergo Thesaurarius, qui nomine Commissarii contractum iniit, tenetur illum rescindere, eleemosynam acceptam restituendo. Respondeo cum distinctione: teneri Thesaurarium, compertâ veritate, eleemosynam collatam restituere, & Bullam sibi resumere; si adhuc in Bullâ non sit aliquod nomen inscriptum: at si jam nomen in illâ inscriptum sit, non teneri eleemosynam reddere, quia Bulla, de quâ fuit contractus, est jam notabiliter mutata, occasione nominis inscripti, quanvis absque culpâ suscipientis; & nullus tenetur rescindere contractum, quando res, quæ redditur, est mutata notabiliter.

37. Si tamen loquamur de Bullâ Hispanâ, dicendum est, non posse sumentem duplicem Bullam, & utranque jam ab ipso acceptatam, alteram alteri applicare; quia ut *supra disp. 4. n. 49.* vidimus, Gregorius XIII. concessit pro Hispaniâ, durante eodem anno, posse cum fructu à quocunque bis Bullam acceptari. Ergo cùm applicatio duplicis Bullæ fuerit valida, non potest, qui duplicem sumpsit, alteri unam illarum applicare. Sic Tamborin. *cap. 25. §. 3. num. 20.*

SECTIO VII.

An detur in aliquo casu obligatio sumendi Bullam?

38. CErtum est, neminem obligari, ad sumendam Bullam; nec etiam ad chirographum jubilæi, post sex menses publicationis. De Bullâ sumendâ, constat ex Latina, ibi: *Ut clare intelligant nos neminem ad quicquam præstandum, vel elargiendum cogere.* Quæ verba, etiam extenduntur ad chirographum, & à Commissario declaratur per illa verba: *E querendo nos ganhar o jubileo dos seis mezes &c.* Si ergo jubilæum lucrari noluerit, ad sumendum chirographum non obligatur, ut docent omnes.

39. Inquirimus tamen: An dentur aliqui casus, in quibus detur obligatio, sumendi Bullam? Respondeo, de duplici casu posse procedere quæstionem. Primus est, si ægrotus morti vicinus, habeat casus reservatos, & licèt habeat sacerdotem approbatum, cui confiteatur; hic tamen sacerdos jurisdictionem non habet absolvendi à reservatis, cum excommunicatione in articulo mortis. Alter casus est; quando in aliquo oppido dantur tantùm duo sacerdotes, alter parochus non habens potestatem ad reservata, vel demus, quod illam habeat; negat tamen alicui pœnitenti licentiam confitendi alteri sacerdoti, qui est approbatus, & habet jurisdictionem, sed non ad reservata; at pœnitens habet justam, & rationabilem causam non aperiendi suum peccatum reservatum proprio Parocho; & urget præceptum communicandi, vel scandalum, si à communione abstineat. In duplici tamen casu datur facillimè commoditas sumendi Bullam; ut uterque à suis peccatis directè absolvatur. Tenenturne Bullam sumere?

40. Videtur affirmandum; quia unusquisque tenetur adhibere media ad præcepta observanda; maximè quando media facilè adhiberi possunt: sed Bulla Crutiatæ est medium facillimum, ad ea adimplenda præcepta: Ergo ad eam sumendam tenetur uterque ex prædictis. Et ita de primo casu, docet Zambran. apud Sanch. statim citandum; nempe, vel debere sumere Bullam, vel per litteras, aut confessarium, aut alium à superiore obtinere facultatem, ut ab illis reservatis absolvatur, nisi periculum in morâ sit. Et idem diceret de secundo casu, quando pœnitens adire, nec accersere possit superiorem.

41. Dicendum tamen est, in neutro casu, teneri pœnitentes Bullam accipere, ut à reservatis ab-

absolvantur. Sic Henriq. *lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 1. Trullench. *lib.* 1. §. 1. *dub.* 2. *num.* 2. Bard. *part.* 2. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 13. Tamborin. *cap.* 15. §. 1. *num.* 2. Sanch. *lib.* 2. *decalog. cap.* 13. *n.* 14. ubi etiam docet, quando pœnitens personaliter adire superiorem, vel eum accersere non valet, dici verè impeditum, & carere copiâ Confessoris; de his tamen dicemus *num.* 42. & 43. *sequentibus.* Probatur conclusio, quia nemo tenetur, inquirere privilegia, ut absolvatur; sed potest dispositioni juris se conformare, & illius remediis se tueri: sed sumere Bullam, est quærere privilegium: ergo ad illam sumendam nullus obligatur, ut à reservatis absolvatur.

42. Quibus autem juris remediis se tueri possint prædicti? Respondeo, pœnitentem ægrotum primi casus tueri se posse, Concil. Trident. jure *sess.* 14. *cap.* 7. disponentis, omnes sacerdotes in articulo mortis, quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris posse absolvere; & jam si solus adsit simplex sacerdos nullam extra eum articulum habens jurisdictionem; hic eum poterit absolvere ab omnibus reservatis, imponendo ei onus comparendi; quoad excommunicationes, vide Cardin. de Lug. *de pœnit. disp.* 18. *num.* 23. Leandr. de pœnit. *tract.* 5. *disp.* 11. *quæst.* 18. Et sic sine Bullâ potest prædictus ægrotus absolvi, utendo juris remedio.

43. In secundo casu, respondeo, etiam pœnitentem posse se adjuvare, & uti remedio juris, uno ex duobus: primò tacendo peccatum reservatum, si confiteatur cum Parocho. Secundò, omnia aperiendo confessario non habenti jurisdictionem, circa reservata, sed solùm circa alia, cum onere tamen comparendi pro absolutione à reservatis coram legitimo superiore, cùm primum occurrat opportunitas; de hoc secundo, videatur Coninch. *de pœnit. disp.* 13. *n.* 105. Bonacin. *de pœnit. disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 5. §. 3. *num.* 8. De primo Castr. Palao *tom.* 4. *de pœnit. tract.* 23. *punct.* 16. §. 7. *n.* 9. *in fine.*

SECTIO VIII.

Quæ retentio summarii requiratur, ut quis utatur illius privilegiis.

44. COmmissarius Generalis, authoritate sibi concessa, à Clemente VIII. & à Paulo V. in extensionibus ad Bullam Gregorii XIV. sic præcipit in summario: *Tomaram este summario da Bulla que levaram comigo.* Et in advertentiis ad Bullam ita: *As pessoas que tomarem as Bullas... levalas ham pera suas cazas, e guardalas ham.* In Bullâ autem Hispanâ Latinâ, aliter est dispositum, ibi. *Item mandatur, ut hoc summarium... recipiatur, & retineatur.* Unde nonnulli Expositores apud Ludovic. à Cruce *disp.* 1. *cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 7. existimant, oportere secum deferre summarium Bullæ Hispanæ, ut illius privilegiis fideles gaudere possint; & alia ineptius aliqui confessarii illorum Regnorum operantur circa hanc clausulam: ut videre est apud Bard. *part.* 2. *tract.* 8. *cap.* 2. *num.* 10. Tambor. *cap.* 15. §. 4. *num.* 2. Omnes tamen conveniunt sufficere, quòd domi suæ, vel apud alium illam retineant. Sic præter citatos, Anton. Gom. Villal. Henriq. Rodrig. Dian. quos refert, & sequitur Trullench. *lib.* 1. §. 1. *dub.* 4. *num.* 1. Mend. *disp.* 21. *num.* 1. Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *punct.* 2. *num.* 6. Escob. *in Theol. moral. tom.* 1. *lib.* 7. *num.* 19. Probant, quia sufficit moralis retentio, & non præcipitur physica. Hæc juxta Bullam Hispanam.

45. Juxta verò Lusitanam, in quâ circa hanc clausulam nihil invenitur in Bullâ Latinâ, idem dicendum existimo. Nec obstant verba Commissarii, *que levaram comigo*, nec alia. *Levalas ham pera suas cazas*, quanvis summarium in alienâ domo custodiatur; quia sensus verborum illorum est, quòd Bullæ non remaneant, apud Thesaurarium, sed exeant ab ejus potestate in potestatem sumentis Bullam; quia de Bullâ apud thesaurarium relictâ multæ fraudes olim oriebantur; & ideo olim Commissarii Generales, *in* §. *ult. instructionis* editæ pro concionatoribus, prohibebant sub pœnâ excommunicationis, ne Bullam Cruciatam suscipiens relinqueret apud thesaurarium; ne scilicet inde subreperent aliquæ fraudes, ut invenitur apud Sebast. à Cost. *in Bull. quæst.* 12. *in fine.* Sed hodie ea verba, nec pœna in instruct. pro Bullæ concionatoribus, nec in advertentiis, etiam antiquis ad Bullam, inveniuntur. Et Rodrig. *in declar. Bullæ Hispanæ* §. 12. *num.* 17. *in instruct. Cruciatæ* §. 10. inquit, præceptum fuisse collectoribus, & receptoribus sub pœnâ triginta aureorum, & inhabilitatis ad quodvis Cruciatæ munus, si Bullam semel datam repetant, vel recipiant.

46. Ex quibus colligunt Authores, Bullam posse custodiri in quocunque loco, vel domo alienâ, etiam extra Regnum, dummodo non sit in domo Thesaurarii (licèt oppositum teneat Bard. ut *supra num.* 25.) dummodo solvatur stipes in summario, inscribatur nomen, & in Authentico depositarii notetur; quia sic obtinetur finis intentus à Commissario. Sic Mend. *disp.* 21. *num.* 8. Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *punct.* 2. *num.* 6. Rodrig. *proximè* Tambor. *cap.* 25. §. 4. *num.* 2. Fr. Joseph Mend. *sect.* 1. *num.* 16. Hæc confirmantur exempli resolutione à Tamborin. ut *supra* §. 3. *num.* 2. allati: quod sic habet.

47. Non multis abhinc annis, accessit Petrus ad fores Ecclesiæ, ubi sedebat Thesaurarius Bullas distribuens eleemosynas erogantibus, & quia tardius accessit, eleemosynam consuetam Thesaurarius accepit, & eam scripto notavit in libris suarum rationum, dicens: *Ito, fruere privilegiis Bullæ; quia ego unam ex multis, quas domi habeo, tibi applico; & ex tunc jam tua est.* Acceptavit Petrus, & confessionem fecit, & sacram recepit communionem; sed nec indulgentiam, quæ eo die in eâ obtinebatur Ecclesiâ, acquisivit; nec directè à reservatis, si forte illa habebat, fuit absolutus; quia id significant verba Commissarii: *Que levaram comigo com seu nome nella escrito, e nam o levando por si, nem por outrem* (hoc est summarium) *nem se escrevendo nelle o seu nome, lhe nam valera.* & alia: *Levalas ham pera suas cazas:* Cùm ergo Petrus Bullam relinqueret apud Thesaurarium, & in eâ illius non fuerit inscriptum nomen Bullæ privilegiis gaudere non poterat; utrumque enim defectum irritat Commissarius.

48. Contra resolutionem prædictam affertur hoc argumentum; quod licèt dicatur molestum

à Bard. *part.* 2. *tract.* 8. *cap.* 2. *num.* 12. tale non est contra Bullam Lusitanam. Et sic habet. Ad lucrandas indulgentias, quæ sunt concessæ habentibus grana, imagines, coronas benedictas &c. necesse est ea secum gestare: Ergo etiam oportet habere secum Bullam, quando ejus privilegia lucrantur. Respondeo, juxta prototypum Hispano idiomate transcriptum, in quo referuntur indulgentiæ prædictis granis, coronis, imaginibus &c. ab Urbano VIII. die tertia Novembris anni 1623. concessæ, quod præ manibus habeo septendecim capita continens, & ex majori eorum parte constat, ad lucrandas indulgentias concessas, oportere recitare Rosarium, vel tertiam illius partem, coronam Christi Domini, vel Beatissimæ semper Virginis, quibus inhærent benedictiones; vel si non inhæreant, habent pendentes Cruces, numismata, imagines benedictas. Ex quo constat, debere lucrantem indulgentiam, manu tangere, & percurrere illos calculos; in aliis verò requiritur, ad eam indulgentiam acquirendam, ut secum habeat lucrans prædicta benedicta. Cum verò hæc expressè requirantur ad has indulgentias lucrandas, sine illis lucrari non possunt. De his formis indulgentiarum numismatibus, coronis &c. concessarum, & quando secum deferri debeant, secùndum S. S. Pontificum varias concessiones, vide Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *a num.* 373. usque ad 377. inclusivè. Cum verò in Bullâ, hæc non requirantur, sed tantùm, ut accipiatur, & non remaneat apud Thesaurarium; ut *supra* dictum est, sufficit, quòd domi habeatur, vel in alio loco; & necesse non est illam secum deferre, quando quis aliquo illius vult uti privilegio. Et ex his cohærenter addo, quando in prædictis indulgentiis, pro formâ non dicitur, quòd prædictæ, res benedictæ, recitando, percurrantur, vel habeantur; ut in aliquibus non dicitur, sufficere quòd domi habeantur, ut indulgentiæ concessæ acquirantur. Ut constat ex concessis ab Alexandro VII. qui in rubricâ, sic habet. *Quicunque habebunt apud se, vel domi, sive privatim coronam, Rosarium, Medalliam, & Crucem benedictam &c.* ut videre est apud Gobat. *supra n.* 376. *in fine.*

SECTIO IX.

An si amittatur, vel rumpatur Bullæ summarium, amittantur privilegia.

49. HÆc quæstio in duplici sensu tractanda est: primò, si inculpabiliter; secundò, si culpabiliter Bulla amittatur. Quoad primum: non defuere Authores, in Expositione Bullæ Hispanæ asserentes, amitti privilegia; sic aliqui, quos citato nomine, refert Bard. citandus, & Fr. Joann. Martinus de Prad. *tom.* 1. *Theol. moral. cap.* 6. §. 4. *num.* 17. qui id existimat verum, in rigore verborum Bullæ, sed probabile esse, posse potiri, apud Mend. *in appendic. ad Bull. disp.* 5. *num.* 2. Moventur: quia in Bullâ Latinâ Hispanâ habentur hæc verba. *Recipiatur, & retineatur* sub præcepto; Quæ Commissarius Hispanus, sic declarat. *Declaramos, que los que la tomaren, ayan de recibir, y guardar este summario, y Bulla, que va impresso de modo, y sellado de nuestro sello, por que de otra manera no ganan la dicha Bulla, ni gracias della:* sed qui, etiam sine culpa, amittit summarium, illud non retinet: Ergo privilegiis Bullæ non gaudet.

50. Omnes alii expositores dictæ Bullæ Hispanæ conveniunt, non datâ culpâ, in amissione summarii Bullæ, ejus privilegia non deperdi. Sic Henriq. *lib.* 7. *cap.* 20. *num.* 3. *litter. Z.* Rodrig. §. 12. *addit. num.* 9. Gom. *claus.* 11. *num.* 13. Villal. *claus.* 12. *num.* 24. Ludov. à Cruce *disp.* 1. *cap.* 2. *num.* 2. Riccius *in addit. ad* §. 12. *n.* 15. & 16. Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 95. *Vers. & ideo.* Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *punct.* 2. *num.* 6. Bard. *part.* 2. *tract.* 8. *cap.* 2. *num.* 19. Mend. *disp.* 21. *num.* 1. & *in append. disp.* 2. *num.* 172. & *disp.* 5. *num.* 1. Tamborin. *cap.* 15. §. 4. *num.* 3. Benedict. Pereyr. *tom.* 2. *Prompt. n.* 1386. Escobar *in Theol. moral. tom.* 1. *lib.* 7. *n.* 20. Lezand. *in qq. Regul. tom.* 3. *Verb. Bulla Cruciat. n.* 8. Fr. Joseph Mend. *sect.* 1. *num.* 16. & apud ipsum Veg. & Nunûs, quanvis *num.* 182. dicat ipse Mendes; si multoties Bulla deperdatur, multoties sumi posse, & semper dicitur una, in ordine ad privilegia. Probatur conclusio, quia Bullæ privilegia, erogatâ stipe, deperdi non debent sine culpâ: sed qui eam morali modo retinuit, & conservavit, absque culpâ illam amittit: Ergo privilegia illius non amittit. Confirmatur, quia ex prædictis locis Bullæ Latinæ, & Commissarii Hispani, non potest colligi, quòd deperdantur; nam retinere, & custodire summarium, & illud inculpabiliter amittere, sunt duo valdè diversa; & odiosum, quòd solutâ stipe, & sumpto summario, & diligenter custodito, amittantur privilegia.

51. Juxta Bullam Lusitanam, hæc prædicta sententia est verissima; quia in Bulla Latina nullum datur præceptum retinendi summarium; nec Commissarii verba: *levalas ham pera suas cazas e guardalas ham*, quanvis præcipiant summarii custodiam; si hæc tamen morali diligentiâ observentur; & tamen summarium fortuitò amittatur, laceretur, vel comburatur, privilegia non amittuntur. Sic unicus Bullæ Lusitanæ expositor Sebast. à Cost. *q.* 12. *vers. secundo requiritur.*

52. Quoad secundum sensum, nempe: si summarium culpabiliter amittatur, laceretur, vel comburatur, major est controversia, inter expositores circa Bullam Hispanam; propter verba Bullæ Latinæ, & Commissarii declarationem. Et si culpâ sumentis summarium, illud deperdatur, deperdi privilegia, & novum aliud requiri ad illa, docent cummuniter DD. ut *supra*, & Galleg. qui contrarium dicit improbabile, apud Mend. *in appendic. disp.* 5. *num.* 2. quod etiam sentio ob verba Commissarii, verba Bullæ Latinæ Hispanæ explicantis, ibi: *Por que de otra manera no ganan la dicha Bulla, ni gracias della.*

53. Oppositum tamen innuit Castr. Palao *proximè citat.* his verbis: *Si semel suscepta Bulla, & in suam translata potestatem, pereat (maximè absque culpa) non proinde privilegiis, & gratiis privaris.* Ubi nota illa *Maximè absque culpâ:* nam per illa videtur innuere, etiamsi detur culpa, prodesse privilegia. Et probabile asserit Mend. *disput.* 21. *num.* 3. *& in appendic. disput.* 2. *cap.* 32. *& disput.* 5. *à n.* 2. & in statera *dissertat.* 14. *quæst.* 1. *per totam.* Idem apud ipsum tenet Basilius Legionensis

in

in manuscriptâ explicat. Bull. cap. ult. n. penult. Hanc tamen probabilitatem tutam esse in praxi stabilire intendit variis fundamentis Doctissimus Mend. Asserit enim, dictionem illam *Retinere* in Bullâ Latinâ, non importare præceptum, sed consilium cum Trullench. nec esse conditionem sine quâ non, sed ad melius esse. Ad declarationem Commissarii respondet, in illâ esse suam intentionem; ne summaria ad manus quæstoris iterum redeant. Et hoc confirmat authoritate Fr. Joann. Henriq. *in qq. pract. sect.* 48. *q.* 3. *n.* 5. ibi: *Aunque se diçe en el summario, que se debe tener guardada; no se hade entender esto materialmente. De modo, que lo que formalmente se manda, es que no se dexe en poder del depositario; si no que se saque; por lo qual aunque despues se pierda no es inconveniente.* Et alia plura, quæ apud ipsum videri possunt. Cùm tamen ad invaliditatem à Commissario appositam, non respondeat, & illa urgeat, si summarium non retineatur; de hac sua probabilitate, dubitare maximè possumus.

54. Et quid dicendum juxta nostram Bullam Lusitanam, circa quam solùm inveniuntur verba, custodiam summarii importantia, de quâ nihil apud Expositores? Affero probabile esse, non deperdi Bullæ privilegia etiamsi ipsum summarium pro libito deperdatur, & laceretur; licèt æquè, & prudenter Commissarius in advertentiis ad Bullam prope finem decernat, summarium esse domum deferendum, & ibi custodiendum; ibi: *As pessoas que tomarem estas Bullas haon de fazer escrever nellas seus nomes, e levalas haon pera suas cazas, e guarda las haon.* Ex quibus sic conficitur ratio primò, quia hæc verba Commissarii, non præceptum, sed consilium videntur continere; nam si id ipsum docet Mend. & apud illum Trullench. de verbo illo *Retinere* in Bullâ Hispanâ Latinâ appositio, quanvis dicatur in eâ: *Mandatur, ut hoc summarium recipiatur, & retineatur:* Ergo à fortiori verba Commissarii Lusitani, non præceptum, sed consilium continebunt, cùm in illis, non utatur verbo *mandatur*, sed tantùm quâdam advertentiâ.

55. Secundò: quia verba: *summarium à sumentibus domum ferendum, & custodiendum esse*; non materialiter, sed formaliter sunt intelligenda; nempe, ut deferatur ex domo Thesaurarii, & in eâ nullo modo remaneat, ut supra dicebat Fr. Joann. Henriq. de Bullâ Hispanâ, & Mend. ergò cùm hæc sit intentio Commissarii, ut etiam notavimus *supra n.* 45. dicendum est, quanvis summarium culpabiliter perdatur, vel laceretur, non deperdi ejus privilegia.

56. Tertiò, & efficaciter; quia exceptio firmat regulam in contrarium, *Cap. dominus.* 32. *q.* 7. & Gloss. *l. quæsitum. §. denique ff. de fund. instruct.* Gloss. *in rubric. de regul. jur. in 6.* Barthol. Everard. Dec. & alii apud Barbos. *de axiom.* 85. *n.* 4. Sed Commissarius, in Summario, duo simul mandat: primum, ut illud sumens, secum ferat: secundum, ut inscribatur nomen, nullâ factâ de custodia mentione, & addit, si non deferatur summarium, & non inscribatur nomen, Bullam non valere, ibi: *Tomaram este summario da Bulla que levaram consigo, com seu nome nelle escrito; e nam o levando por si nem por outrem, nem se escrevendo nelle o seu nome, lhe naon valerâ:* custodiam excipiens: ergo si summarium deferatur à domo Thesaurarii, & nomen sumentis Bullam in eo inscribatur, quanvis illud non custodiat, firmatum manet, Bullæ privilegia non deperdi, etiamsi pro libito summarium amittatur.

57. Dices primò: qui à se projicit, vel summarium sponte lacerat, videtur à se removere, etiam sponte privilegia Bullæ: ergo illis uti non poterit. Respondeo, negando antecedens; quia non sequitur, projicio scripturam: ergo etiam projicio privilegia; quia privilegium dependet à voluntate Principis, & non ab aliquâ scripturâ, ut dictum est *supra n.* 3. Et si Bullæ privilegia dependent à scriptura, hæc jam præcessit, cum erogatione eleemosynæ, quod sufficit.

58. Dices secundò: Qui culpabiliter, vel inculpabiliter amisit Rosarium, Coronam, imaginem, numisma, &c. benedicta, occasione canonizationis S. Francisci de Borja, & aliorum Sanctorum, amisit etiam indulgentias, ejus occasione à S. Pontifice, dictas imaginibus habentibus concessas: ergo saltem, qui culpabiliter summarium amiserit, amittet etiam ejus privilegia. Respondeo, negando consequentiam: dispar ratio adest; quia de imaginibus, numismatibus &c. id disposuit S. Pontifex Alexander VII. in suo decreto, quod incipit: *Sanctissimus*, apud Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *post n.* 678. quod fuit editum 6. Februarii anni 1667. de quo *infra disp.* 23. *n.* 90. at circa summarium, id nec à S. Pontifice, nec à Commissario Lusitano dispositum apparet.

SECTIO X.

An requiratur, ut in Summario nomen, sumentis Bullam, inscribatur?

59. HÆc quæstio nullam habet controversiam, circà Bullam Hispanam; omnes enim conveniunt, non esse necessarium, ut in eo inscribatur nomen sumentis Bullam. Sic Rodrig. §. 12. *n.* 1. P. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 20. *n.* 5. Villal. *tract.* 27. *claus.* 12. *n.* 24. Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 95. Trullench. *lib.* 1. §. 1. *dub.* 4. *n.* 3. Castr. Pal. *tom.* 4. *tract.* 25. *punct.* 2. *n.* 7. Bard. *part.* 2. *tract.* 8. *cap.* 2. *n.* 3. Mend. *disp.* 21. *n.* 12. Escob. *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 21. Tambor. *cap.* 15. §. 2. *n.* 2. Fr. Joseph Mend. *sect.* 1. *n.* 17. & omnes. Probant: quia id nullo modo in Bullâ Latinâ præcipitur, nec à Commissario poterat addi præceptum. Quare illius verba consilium, & non præceptum continent. Omnes tamen monent expedire, ut nomen sumentis Bullam in summario inscribatur; ut si in mortis articulo absque vocis usu inveniatur, constet, habere Bullam; & ei indulgentia plenaria applicetur; & si tempore interdicti decedat, cum moderatâ pompâ funerali sepulturâ Ecclesiasticâ donetur. Hæc circa Bullam Hispanam.

60. Nam circa Lusitanam, aliud est tenendum: quia licet in Bullâ Latinâ nihil circa inscriptionem nominis inveniatur; Commissarius tamen, ad executionem Bullæ, facultatem obtinet ex Bullis Clementis VIII. Pauli V. & extensionibus faciendi, & exequendi, quæ necessaria, & opportuna sibi visa fuerint; ut dixi-

mus *disp.* 1. *n.* 89. & hac facultate utens, statuit; ut in summario nomen sumentis Bullam inscribatur; & si in eo inscriptum non sit, non ei privilegia Bullæ prosint, per hæc verba: *E nam o levando por si, ou por outrem, nem se escrevendo nello o seu nome, lhe nam valerá.*

61. Dices: quanvis à Commissario Generali Hispano præcipiatur, quòd Summarium Hispanum retineatur, & aliàs Bullæ privilegia non prosint; & quòd inscribatur nomen in summario; communiter tamen omnes illius Expositores conveniunt, Bullæ privilegia prodesse illis, qui inculpabiliter, & etiam aliqui probabiliter opinantur, si culpabiliter illam amiserint; & quòd nomen non necessariò debet in summario inscribi, ut vidimus *supra n.* 59. Ergo etiam, quanvis Commissarius Generalis Lusitanus præcipiat nomen inscribi, quanvis non inscribatur, Bulla illam sumentibus proderit. Respondeo, negando consequentiam: diversa ratio est, quia Commissarius Generalis Hispanus, cùm omnia habeat in Bulla Latina à S. Pontifice disposita, & ordinata ad illius Bullæ executionem, nullam aliam habet à S. Pontifice facultatem, nisi ut interpretetur ea, quæ necessitatem habuerint; nihil ei addendo, nec detrahendo. Et cum prædicta ab Authoribus, non sint in Bullâ Latinâ, & intelligant Commissarii facultatem excedentis, cum fundamento, opinantur ea, quæ secundum jus fieri debent. At Commissarius Lusitanus multa necessaria, & opportuna non habet in Bullâ Latinâ; & à S. S. Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. in extensionibus ad Bullam Gregorii XIV. facultas illi fuit concessa faciendi, & exequendi ea, quæ necessaria, & opportuna fuerint ad Bullæ executionem; & inde est, quòd supradicta præcipit; quæ in nostrâ Bullâ Latinâ non sunt; & sine formidine partis oppositæ debent observari.

62. Necessitas autem, & opportunitas hujus dispositionis Commissarii præcipientis omnibus Bullam sumpturis, cum invaliditate privilegiorum Bullæ, nomen conscribi, ex triplici capite evenire potest. Primò, quia si nomen non inscriberetur, poterit quis fraudulenter Bullam alterius usurpare, & in foro externo ostendere se fuisse usum aliquibus facultatibus, & gratiis, quæ ad idem forum pertinent; ut sunt absolutio censurarum ex jure provenientium, ad quam conceditur facultas in Bullâ Lusitanâ, ut *infra* dicetur; & ad alias pro tempore interdicti; & non solùm ad hæc, sed alia, ut in hoc opere demonstrabitur. Secundò, ne Bullæ Thesaurarii majorem pecuniæ quantitatem sibi acquirant, repetentes ab aliis summaria, pro quibus jam eleemosynam erogarunt, & illa aliis tradentes, qui iterum pro eisdem summariis novam aliam eleemosynam tribuant; & sic pauciſſimis Bullis, seu summariis, non paucam sibi pecuniæ quantitatem coacervabunt. Tertiò, inscribitur nomen in summario, ut possit quis, reddere rationem eorum, quibus, & quâ jurisdictione gaudet.

63. Ex dictis colligitur, nomen posse inscribi à quâcunque personâ; & non esse opus, ut à thesaurario inscribatur, ut liquet ex verbis Commissarii: *Por si, ou por outrem.* Si tamen per errorem nomen, aut cognomen falsum inscribatur, hic error emendari potest, scribendo nomen, aut cognomen verum. Nec dicetur hæc emendatio, falsificatio litterarum Apostolicarum: quia ut supra *n.* 31. notavimus, summaria non sunt litteræ Apostolicæ; & quanvis essent, adhuc non dicitur falsificatio: ut eo loco dictum remanet.

64. Secundò colligitur: sufficere scribere nomen appellativum, ut Prior, Abbas, Vicarius talis parochiæ, Archiepiscopus, Episcopus talis Diœcesis, Dux, Marchio, Comes talis oppidi &c. Et hujus ratio est; quia nominis appellatione, venit etiam nomen appellativum, & non solùm proprium: ut tenet Ludovic. Gom. *in reg. de annal. q.* 30. *n.* 6. ubi limitat in dubio, & pœnalibus; quæ limitationes hîc non dantur.

65. Tertiò colligitur: sufficere inscribere nomen proprium, non scribendo cognomen; quia sic singularis, & determinata persona significatur; secus dicendum, si ita non eveniat.

66. Quartò colligitur: non sufficere loco nominis, vel cognominis inscribere aliud nomen, vel cognomen; v. g. loco *Petrus à Costa*, inscribere *Petrus Sanches*, vel *Paulus à Costa*; quia sic non significatur certa, & determinata persona. Oppositum tamen tenet Bard. ut *supra n.* 9. quod tantùm locum habebit; quando finis à Commissario intentus fuit tantùm ne summaria à Thesaurario repetantur: at diximus *n.* 62. ex aliis capitibus (tametsi verò evenientibus) nomen inscribi, præceptum fuisse; & ita exillimo scribendum, maximè propter primum caput juxta Bullam Lusitanam, in qua datur facultas, accipiendi absolutiones à censuris à jure, etiam pro foro externo. Vide quæ diximus circa præsentem quæstionem quoad validitatem privilegiorum Bullæ *disp.* 2. *a n.* 49.

SECTIO XI.

De retentione, & inscriptione nominis in Bullâ compositionis.

67. CIrca retentionem, & custodiam Bullæ compositionis, nihil invenitur à Commissario Lusitano dispositum. Hujus ratio esse potest; quia erogatâ pro illâ eleemosynâ, satius esset statim Bullam rumpi, ne ad alicujus notitiam devenire possit, cum honoris jacturâ illius, qui eam suscepit. Cum verò hoc non detur inconveniens in retentione, & custodiâ Bullæ vivorum, imo commoditas, prudenter à Commissario retineri, & custodiri præcipitur.

68. Nec etiam à Commissario Hispano summarium Bullæ compositionis retineri jubetur; quanvis in Bullâ Latinâ Hispanâ detur illa dictio, *Retineatur*; quæ importat præceptum; ut *supra* diximus, cum omnibus illius Expositoribus: & comprehendit omnes facultates, & gratias, ex quibus Bullæ vivorum, compositionis, & defunctorum constant. Et juxta illam dictionem, seu clausulam, *Retineatur*, debebat necessariò summarium compositionis retineri, & custodiri. Congruentiùs tamen dicendum, id à Commissario Hispano, nec præcepto, nec consilio injunctum esse. Hujus rationem esse, asserit Bard. *part.* 3. *tract.* 5. *dissert.* 1. *cap.* 2. *n.* 14. & confirmat Tamborin. *cap.* 15. §. 5. *n.* 4. quia ea conditio retinendi, & conservandi Bullam in Bullâ Vivorum

rum erat necessaria; at necessaria non est in Bulla compositionis. Disparitas autem in eo est; quia in Bulla Vivorum multa dantur privilegia, quæ, durante eodem anno, tractum habent successivum; & ne privilegiatus in eis errare possit, congruentius fuit, mandare illius retentionem, & conservationem: at in Bullâ compositionis, unicus est usus, & tractus non successivus, sed momentaneus; nempe liberatio à restitutione incertorum; quâ semel habitâ, ea Bulla amplius necessaria non est. Quanvis hæc ratio sit bona, congruentior videtur illa, pro Bullâ Lusitanâ tradita *n.* 67. scilicet ne sumens Bullam, illam retinendo, & conseruando exponatur periculo infamiæ; si forsan ab aliquo reperiatur; & hoc, maximè in Bullâ Hispanâ, ob rationem statim apponendam.

69. Quod attinet ad inscriptionem nominis, in Bulla compositionis? Respondeo, Commissarium nostrum præcipere, quòd inscribatur nomen sumentis ipsum summarium compositionis, expresè vel confusè, his verbis: *E os que se compuzerem na forma, que aqui damos, tomaram esta Bulla impressa, escrevendo nella o seu nome on em lugar do nome, se porá Foam por letra de mam; nam querendo as partes, que se declarem seus nomes.* Hæc Commissarii Lusitani dispositio est prudentissima; quia per inscriptionem evitantur fraudes, quæ à Thesaurariis possunt evenire, ut *supra n.* 62. Et per inscriptionem nominis confusam: nempe *Quispiam* famæ consulitur componentis. In acceptione igitur istius Bullæ, ita debet observari. Si tamen Bulla compositionis deperdatur, vel laceretur, quin inscriptionem, prædicto modo, habeat, adhuc proderit; quia erogatâ eleemosynâ, & Bullâ acceptâ, statim obtinetur gratia; & sine inscriptione nominis, invalida non remanet. De hac tamen inscriptione nominis, vide, *infra disp. 25. sect. 2. num. 38. & sequentibus.*

70. In quo dicto *num. precedente*, datur notabile discrimen inter nostram, & Bullam Hispanam compositionis; nam anno 1628. sic legebatur in Bullâ Hispanâ compositionis: *Et mandamos precisamente, que recibais en vos esta santa Bulla; por que assi lo quiere, y manda su santidad, y que de otra manera no gozeis de la composicion, que por ella se os concede.* Hodie tamen hæc in illâ habentur; ut videre est apud Tamborin. *cap. 25. §. 5. n. 1. Et ordiniamo precisamente che riceviate in voi questa santa Bulla, essendovi in essa scritto il vostro nome perche cosi vole, e comanda sua santità, e che altrimente non godiate della compositione, che per essa vi se concede.* Ex quibus constat, hodie necesse esse, nomen accipientis Bullam Hispanam compositionis in illâ inscribi, sub pœnâ compositionis gratiam non obtinendi; ex quibus verbis existimat Tamborin. *citat.* non requiri hujus Bullæ conservationem; necessariò tamen requiri nominis inscriptionem. De illis tamen non meminerunt Bard. & Mendo: asserent tamen nomen non necessariò esse apponendum in dictâ Bullâ; quia in Bullâ Latina de hac inscriptione nulla fit mentio. De nominis inscriptione in Bullâ defunctorum: quia nullam patitur difficultatem, dicemus *infra*, cùm de Bullâ defunctorum sit sermo.

DISPUTATIO VII.

De indulgentiis plenissimis, initio Bullæ Cruciatæ, concessis.

1. REvertimur ad eundem Bullæ Latinæ, & summarii ordinem, à quo digressi fuimus, præcedenti disputatione. Et à privilegiis Bullæ sumimus exordium, quorum primum est plenaria indulgentia; quæ his verbis conceditur in Bullâ Latina: *Plenissimam omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti, & ore confessi, sacrâque communione refecti fuerint, aut non valentes confiteri, neque communione ipsâ reficiri, id corde optaverint, indulgentiam, & remissionem, quæ in anno jubilæi elargiri consuevit. Sexies videlicet, dicto currente triennio; ita ut statim post sextum quemque ipsius triennii mensem, indulgentia hujusmodi rursus, à prædictis, & aliis eorundem Regnorum, & dominiorum personis, eleemosynas demum, ut supra conferentibus, atque prædictâ totties conficientibus consequi possit, misericorditer in domino concedimus.* Summarium verò sic habet: *Plenissima indulgencia, e remissam de todos seus peccados, de que contritos, e arrependidos se confessarem, e comungarem; ou nam se podendo confessar e comungar, o dezejarem de coraçam assim como se costuma conceder no anno sancto do jubileo de Roma. Item concede as ditas graças, indulgencias, e remissoens de peccados as mesmas pessoas, e outras quaesquer estantes, e moradoras nos ditos Reinos, e senhorios, que de pois de seis mezes do dito anno fizerem o sobredito, e derem de novo a esmola abaxo declarada, e desta maneira lhe sam concedidos dous jubileos durando o dito anno.* Discrimen quod cernitur inter Bullam Latinam, & summarium, circa numerum indulgentiarum oritur ex eo, quòd Bulla Gregorii XIV. sicut per triennium concedebatur, sic etiam in quolibet triennio unam tantùm in principio habebat promulgationem; at Paulus V. qui concessionem ad sexennium extendit, promulgationem etiam singulis annis fieri indulsit; & cum hâc facultate in summario Commissarius cohæret. De hac duplici indulgentia plenaria in hâc disputatione pertractabimus. In Bullâ verò Hispanâ una tantùm conceditur indulgentia plenaria; at si secunda Bulla sumatur, etiam secunda lucrari potest.

SECTIO I.

Quid & quotuplex sit indulgentia.

2. NOn intendo agere de indulgentiis ex professo, & in totâ earum latitudine; sed tantùm ea attingere, quæ ad hujus, & aliorum privilegiorum declarationem videbuntur necessaria; ne postea in eis exponendis immoremur.

3. Indulgentia igitur, sic definiri solet: *Est remissio pœnæ temporalis pro actualibus peccatis debitæ, extra sacramentum facta, ex thesauri Ecclesiæ dispensatione.* Sic plures illam definiunt, alii aliter; re ipsâ tamen non disconvenientes. Dicitur: *remissio pœnæ temporalis*; quia culpa, sive sit mortalis, sive venialis per indulgentiam non remittitur; sed per sacramentum, vel contritionem cum voto sacramenti: ut tenent Castr. Pal. *tom. 4. tract. 24. punct. 2. n. 7.* Gobat. *tom. 2. tract. num. 16.* Unde *in Clement. de pœn. & remiss. c. 2. §. ad hæc*, damna-

tur abusus dicentium, per indulgentiam, remitti culpam, & pœnam. Nec etiam indulgentia remittit pœnam statuto Ecclesiastico debitam, in foro externo à satisfactione sacramentali distinctam, sed in foro Dei; ut docet Navarr. *notab.* 11. *de indulg. n.* 20. Nec remittit pœnam æternam peccato mortali debitam in inferno sustinendam. Remittitur verò per indulgentiam ea pœna temporalis, quæ in hâc vitâ, vel in purgatorio solvenda erat. Gobat. *proxime num.* 25.

4. Dicitur: *Pro actualibus peccatis debita*; quia pœna peccati originalis, non per indulgentiam, sed per baptismum, aut veram dilectionem charitatis, cum voto baptismi, dimittitur cum ipso originali; ut cum Lezan. Gobat. *cit. n.* 20.

5. Dicitur: *Extra sacramentum fatèa*; quia, etsi sacramenta minuant pœnam, ex opere operato, & ex institutione Christi, & ex opere operantis, juxta devotionem uniuscujusque; non dicitur tamen hæc remissio, indulgentia, sed effectus sacramenti. Sic Abreus de Paroch. *lib.* 10. *n.* 428.

6. Ultimò dicitur: *Ex thesauri Ecclesiæ dispensatione*; quia remissio pœnæ peccatis debitæ, quam homo consequitur per sua bona opera, dum est in gratiâ, non est indulgentia: est enim satisfactio ex propriis meritis, & non ex thesauro Ecclesiæ.

7. Quid autem sit thesaurus Ecclesiæ? Respondeo, esse cumulum infinitum ex satisfactionibus Christi Domini, & ex satisfactionibus Beatissimæ Virginis Mariæ, & aliorum sanctorum, constantem; ut traditur à Clemente VII. *in Extrav. Unigenitus, de pœnit. & remiss.* & à Leone X. *in Bullâ condemnatoriâ Martin. Luthers*, qui hoc thesauro Ecclesiam defraudabat; & à Trident. *sess.* 21. *cap.* 9. *& sess.* 25. *ad finem*; ut videre est apud Sebast. à Cost. *q.* 2. Bonacin. *disp. 6. de indulg. q.* 1. *punct.* 1. *in fine*, & alios apud Castr. Pal. *tom.* 4. *tract.* 24. *punct.* 2. *n.* 4. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *n.* 21. Hujus Thesauri dispensator est Romanus Pontifex; & de facto distribuit hujus thesauri divitias, tam pro vivis, quam pro defunctis; & vivis est simul absolutio à pœnæ debito, & solutio pro pœna; & defunctis est solutio pro pœnâ. Vide Card. de Lug. *de pœnit. disp.* 27. *sect.* 3. Castr. Pal. ubi *supra punct.* 2. *num.* 12.

8. Dividitur indulgentia in personalem, realem, & localem. Personalis est, quæ personæ conceditur, ut eam in mortis articulo, vel in alio determinato eventu consequatur: Realis est illa quæ alicui imagini, grano, numismati, agnis benedictis, & similibus, concessa est; non quidem ipsis, sed hominibus illa deferentibus, vel coram ipsis orantibus. Localis illa dicitur, quæ alicui Ecclesiæ Capellæ, aut Oratorio annexa est; non quia ipse locus sit indulgentiæ capax, sed quia in ejus favorem, hominibus ibi orantibus conceditur.

9. Quæcunque ex his subdividitur, in totalem, & partialem: totalis est illa, quæ totam pœnam remittit, & licèt debita sint inæqualia; quia unus commisit plura, & graviora peccata; & alius pauciora, & minus gravia; indulgentia tamen totalis omne debitum plenè remittit; ut contingit in baptismo, qui omnem pœnam pro peccatis debitam remittit; non solùm ei, qui levem tenebatur solvere; sed etiam ei, qui gravissimam debebat sustinere. Sic Castr. Pal. ut *supra punct.* 3. *n.* 1. Hæc aliquando dicitur plena, plenaria, & plenissima: ut patet *ex Extrav. Antiquorum, de pœnit. & remiss.* Unde aliqui existimarunt, solam indulgentiam plenissimam esse totalem. Dicendum tamen est, nullum dari discrimen inter indulgentiam plenam, plenariam, & plenissimam, & eam, quæ conceditur in anno sancto, vel aliis temporibus, virtute jubilæi; tametsi in jubilæo ultra indulgentiam plenariam, concedantur aliqua privilegia; nempe facultas eligendi confessarium, absolvendi à reservatis, & vota commutandi; quæ communiter, per indulgentias plenarias non conceduntur. Sic Fragos. *disp.* 4. §. 1. *n.* 2. Gobat. ut *supra n.* 273.

10. Dices: Aliquando ultra indulgentiam plenariam, aliquot dies, vel anni indulgentiæ, conceduntur; ut dicitur de concessis granis benedictis ab Adriano VI: Ergo si indulgentia plenaria est totalis, superfluè additur illa, aliquot dierum, vel annorum. Respondeo cum Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 50. *sect.* 4. *n.* 9. asserente illam formam authenticè non inveniri; ac proinde credendum non est Pontificem illâ usum esse; si tamen de facto eâ usum reperiatur, præsumitur, si verba concessionis patiantur, pro diversis temporibus, vel à diversis largitoribus fuisse concessam. Vide Gobat. *dict. tract.* 4. *n.* 275. alios citantem.

11. Notandum tamen est cum Mend. *disp. 6. n.* 8. Posse aliquem in vitâ, vel in articulo mortis, obtinere indulgentias plenarias; & adhuc ei superesse pœnam luendam in purgatorio, quia si de aliquibus, aut pluribus venialibus non doluit, non fuerunt ei remissa; quia non remissâ culpâ, pœna non remittitur: Theologi enim docent, post peccatum veniale actuale remanere, non solum reatum pœnæ temporalis, quæ per indulgentiam deleri poterat, sed etiam remanere peccatum habituale; cum verò reatus pœnæ intimè conjunctus sit culpæ, hâc perseverante, ille avelli non potest. Ex quo sequitur, manere luendam in purgatorio. Vide tamen *infra dicenda disp.* 26. *sect.* 19. *num.* 252.

12. Partialis indulgentia alia est indeterminata; nempe, tertiæ, vel quartæ partis pœnarum debitarum; vel determinata, nimirum septem, vel centum annorum. Ut hæc tamen intelligantur, advertendum est: Olim pro criminibus gravibus extraordinariis, pœnitentias publicas imponi solitas fuisse; nempe septem annorum, & quadragenarii jejunii, & etiam quadraginta dierum jejunii, in pane, & aquâ; quæ dicebatur Carena; eo quòd fideles, quibus illa erat imposita, carebant cibo, & potu; solo pane, & aqua contenti. Unde quando indulgentia conceditur quadragena, intelligendum est, concedi eam pœnæ remissionem, quæ quadragenâ pœnitentiâ obtineretur. Si autem sit septena, ea indulgentia conceditur, quæ per pœnitentiam annorum septem obtineretur: & sic quando conceditur indulgentia unius, vel plurium annorum, credendum est concedi illam indulgentiam, quæ pœnitentiâ communi, & juridicâ unius, vel plurium annorum obtineretur. Sic Soar. *cit. sect.* 5. *à num.* 11. Gobat. *dict. tract.* 4. *à num.* 29. & alii communiter.

13. Hæc communis expositio est, contra Viguerium, & Cordubam apud Barthol. à S. Faust. *de indulg. in communi lib.* 2. *cap.* 153. existimantes, annos istos esse intelligendos, de annis purgatorii, scilicet, eos annos, vel dies remitti ex pœnis purgatorii, quæ in indulgentia exprimuntur.

SEC-

SECTIO II.

Exponuntur aliqua de indulgentiarum clausulis.

14. INquires primò; Quomodo intelligantur verba illa: *De pœnitentiis injunctis* quæ aliquando indulgentiæ concessæ adduntur? Respondeo, intelligi de tantæ pœnæ relaxatione, & remissione, quanta correspondet pœnitentiis à confessario taxatis. Imo, cùm particula de *injunctis* non sit restrictiva, sed ampliativa; quando indulgentia est de injunctis, valet ad remittendas pœnas peccatorum, etiamsi pro illis, nullæ pœnitentiæ sint injunctæ. Sic D. Thom. *dist.* 20. *q.* 1. *art.* 3. Ægyd. *disp.* 12. *dub.* 3. *n.* 18. *conclus.* 3. Fragos. 2. *part. disp.* 4. *n.* 24. & alii. Vide tamen Castr. Pal. *part.* 4. *tract.* 24. *punct.* 3. *a n.* 4. Bard. *part.* 2. *tract.* 4. *cap.* 2. *sect.* 2. *per totam*; Mend. *disp.* 6. *n.* 9. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *n.* 298. *in fine.*

15. Secundo inquires: Quomodo debeat intelligi illud proloquium: *indulgentiæ tantum valent, quantum sonant*, desumptum à D. Thom. *in supplem. dist.* 20? Respondeo, sic debere intelligi: S. Pontifex facultatem habet concedendi indulgentias ad remittendam totam, vel tantam pœnam; & totam, vel tantam vult remitti, quantam sonant indulgentiæ. Deinde indulgentias potest restringere, & revocare, & si restrictionem, revocationemque expressam apposuit, non possunt ampliari. Declaravit sacra congregatio indulgentiis præposita; fictas, & falsas aliquas indulgentias per diversas Christiani orbis partes circumferri, & quales hæ sint, suo decreto exposuit, 7. Martii anni 1678. de quibus *infra* fit mentio *n.* 64. quòd decretum S. Pontifex Innocentius XI. probavit, & inviolabiliter servari jussit: Non valent ergo eæ indulgentiæ, ut veræ, fidelibus nuntiari. De prædicto proloquio, vide Castr. Pal. *proxime punct.* 4. *n.* 6. Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 6. *q.* 1. *punct.* 7. *n.* 1. Mend. *disp.* 6. *n.* 10. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *n.* 43. & alios, quos referunt. De aliis declarationibus, dicendum *infra.* Et si indulgentiæ sint alligatæ ad certam diem, ad aliam transferri non possunt Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 5. *n.* 227. oppositum sustinet cum aliquibus, Gobat. *n.* 326. ut probabile tantùm.

16. Aliquæ tamen, ex Brevibus specialibus excipiuntur; qualis est concessa, pro die S. Francisci Xaverii, quando incidit primâ Domin. Adventus, quæ transfertur in aliquam diem Octavæ, in qua de S. fit festum; sic Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 3. *append. dub.* 5. *n.* 5. ubi adducit Breve Urbani VIII. hanc concedentis indulgentiæ translationem. Idem tenet Gobat. *citat. n.* 332. *in fine*, ex consuetudine, & non ex Brevi impetrato. Eadem concessio facta fuit à Gregorio XIII. pro die S. Francisci de Paula, ad diem, in quam fit translatio, ut sæpe fit. Breve habetur apud Peyrin. *tom.* 2. *privil. Const.* 4. *Gregorii XIII. n.* 8. & de illo meminit Pellizar. *proxime n.* 228. & Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *n.* 327.

17. Dices: Ex dictis in principio hujus sectionis constat, indulgentias aliquando concedi sub formâ, seu cum additione *de pœnitentiis injunctis*: Ergo cùm illa verba sint restrictiva solùm de pœnis *pœnitentiis injunctis* correspondentibus, debent intelligi; ut existimârunt Cajet. & Petr. Sot: apud Bard. *part.* 2. *tract.* 4. *cap.* 1. *n.* 13. & Durand. Alens. Palud. Adrian. & alii, apud Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 50. *sect.* 3. *n.* 2. Respondeo, illa verba *de injunctis pœnitentiis* non accipi restrictivè, sed ampliativè, ut communiter docent Doctores ibi citati, & alii plures; ita ut sit sensus, remitti pœnitentias, etiam injunctas, quod probat Soar. & alii ex text. *in cap. ex parte* 27. *de decim.* ubi dicitur; quando conceditur majus, intelligi concessum minus; & hoc procedere, ait Soar. *n.* 14. quando sunt ejusdem ordinis, & per se ad idem privilegium, & potestatem pertinent, ut in præsenti; & apponit exemplum de facultate habita ad absolvendum à reservatis; quæ non reservata etiam comprehendit.

18. Hanc regulam, & exemplum à Soar. deductum ex illo textu impugnat Cardin. de Lug. *de pœnitent. disp.* 27. *n.* 12. existimans regulam, sic debere intelligi: quando conceditur majus intelligitur concessum quod est minus; si illud minus sit annexum, vel inclusum in majori. Soar. defendit Bard. *part.* 2. *tract.* 4. *cap.* 1. *à n.* 26. non tamen quoad exemplum; quod etiam impugnat Mend. *cit. n.* 10. ex eâdem ratione: dicendo non aptè illo uti Soar. quia facultas ad absolvendum à reservatis connectitur cum facultate absolvendi à non reservatis; quia illa non potest dari sine istâ: nam confessarius, sine causâ, dimidiare non potest confessionem: at remissio pœnitentiarum potest dari, quin detur remissio pœnitentiarum non injunctarum.

19. At exemplum à Soar. adductum, intentum suæ probationis conficit; quia peccata reservata, & non reservata ad eundem ordinem confessionis pertinent; sicut etiam remissio pœnitentiarum injunctarum, & non injunctarum, ad eundem ordinem remissionis pœnitentiarum: Ergo si Soares defenditur à prædictis Authoribus in suâ regulâ, à textu deducta, etiam in suo exemplo, debebat defendi.

20. Tertiò inquires: Quem sensum habeant verba: *absolventes a culpis, & panis*, in aliquibus indulgentiis plenariis, & jubilæis apposita? Respondeo, varias esse verborum illorum expositiones, quæ videri possunt apud Lavorium *part.* 2. *de indulg. cap.* 10. *n.* 70. *& sequentibus.* Ex illis, hæ videntur probabiles. Prima: illa verba in indulgentiis apposita debere intelligi excitativè; quia ex indulgentiis concessis excitatur homo ad præmittendum dolorem sufficientem, quo deleatur culpa, vel confiteatur sacramentaliter: sicut enim potest Deus per sacramentalia movere, & excitare hominem justum ad dolorem de peccatis venialibus, ut ei remittantur; sic etiam, per indulgentiam movere, & excitare potest peccatorem, ad dolorem, & confessionem de peccatis, ut ei remittantur; nunquam tamen, ex opere operato, sine aliqua peccatoris retractatione, remittuntur. Et ita etiam per sacramentalia, sine aliqua peccatoris retractatione, venialia, ex opere operato, non remittuntur; ut tenet Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 12. *sect.* 5. *n.* 5. Vide Dian. 3. *part. tract.* 4. *resol.* 61.

21. Secunda: In jubilæis, illa verba intelligenda sunt, quatenus per jubilæum datur facultas eligendi confessarium, ut absolvatur etiam à reservatis; & abiata culpâ per confessionem, statim

tim per indulgentiam tollitur pœna; & sic per jubilæum absolvitur quis à culpa, & à pœna. Castr. Pal. *tom.* 4. *tract.* 24. *punct.* 3. *in fine.* Theoph. Raynaud. *tom.* 15. *part.* 2. *sect.* 3. *punct.* 5. *n.* 7. ubi videri potest. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *n.* 17. & apud ipsum Lezan. *tom.* 3. *verbo indulgentia.*

SECTIO III.

Quinam indulgentias concedere queant?

22. SOlus S. Pontifex, ex jure divino, potest concedere indulgentias; quia soli Petro, ejusque successori, qui est S. Pontifex, Christus dixit: *Pasce oves meas. Joann.* 21. & claves Regni cælorum, Thesaurique Ecclesiæ traditi sunt. Dixi: *Solus S. Pontifex ex jure divino*; quia illas de jure divino nec Conc. Generale, nec Cardinales, Archiepiscopi, aut Episcopi possunt concedere; quia Petro, & successoribus, & non illis, facta est à Christo concessio. Sic Cardin. Bellarm. *tom.* 3. *lib.* 1. *de indulg. cap.* 55. Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 49. & 55. & alii, quos referunt, & sequuntur Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 6. *de indulg. q.* 1. *punct.* 3. *n.* 1. Castr. Pal. *tom.* 4. *tr.* 24. *punct.* 5. *à n.* 1. Mend. *disp.* 6. *n.* 17. Gobat. *dict. tract.* 4. *n.* 54.

23. Episcopi, quanvis non habeant potestatem à Christo Domino concedendi indulgentias, illam tamen habent à S. Pontifice: non tamen extenditur ad eorum Vicarios; licèt cum Episcopis idem constituant Tribunal. Nec ad capitulum sede vacante, ut probabilior tenet sententia, apud Fragos. 2. *part. disp.* 4. *n.* 19. Hæc tamen potestas est limitata; ut constat *ex cap. cum ex eo, de pœnit. & remiss.* at est ordinaria, vel quasi ordinaria, ut docet Castr. Pal. *dict. punct.* 5. *n.* 10. Mend. & alii communiter; quia eorum officio annexa est; & consequenter delegabilis.

24. Quas autem indulgentias Episcopi concedere possint? Respondeo, in dedicatione Ecclesiæ, sive ab uno, sive à pluribus Episcopis facta, posse concedere indulgentiam unius anni; in anniversario verò, vel aliàs quando placuerit, solùm quadraginta dies permittuntur concedi. *Cap. cum ex eo, de pœnitent. & remiss.*, nomine autem *Episcoporum* veniunt Archiepiscopi; ut colligitur ex *cap. nostro, de pœnit. & remiss.* Gobat. *dict. tract.* 4. *n.* 58.

25. Archiepiscopi verò possunt in totâ suâ Provinciâ, & suffraganeorum Diœcesibus, illos quadraginta dies concedere; tametsi non sint in actu visitationis. Hæc omnia referunt Soar. *cit. disp.* 55. *sect.* 3. *n.* 7. Bonacin. *proximè n.* 2. Cast. Pal. *n.* 8. Gobat. *proximè n.* 57. Mend. *n.* 18. & 19. in quo addit, posse Archiepiscopos, Primates, & Patriarchas in suis Diœcesibus octoginta dies concedere; quod etiam docuit Barbos. *de potest. Episcop. alleg.* 88. *n.* 16. & cum Henriq. Fragos. 2. *part. disp.* 4. *n.* 20. *in fine.*

26. At si tam Archiepiscopi, quàm Episcopi ampliorem indulgentiam concedant, quàm sibi permissum est; solùm quoad excessum, irrita erit concessio; quia utile per inutile non vitiatur. *Cap. utile, cap. non debet, de reg. jur. in* 6. Soar. *dicta disp.* 55. *sect.* 3. *n.* 14. Barb. *de potest. Episcop.* 3. *part. alleg.* 88. *n.* 22. Bonacin. *cit. punct.* 3. *n.* 4. Riccius. Azor. Laym. Navarr. & alii, quos referunt, & tuentur Castr. Pal. ubi *supra n.* 13. Fragos. 2. *part. disp.* 4. *n.* 4. Trullench. *in proœm. dub.* 2. *n.* 2. Gobat. *supra n.* 59. *junctio n.* 65.

27. Non solùm suis subditis, & extra suum territorium, sed etiam Regularibus exemptis, possunt Episcopi concedere indulgentias; quia inventa in favorem, Religiosis obesse non valent. Sic Fragos. *proximè n.* 18. *vers. juxta hanc doctrinam* Palud. Reginald. Sanctarell. Sanch. & alii, quos referunt, & sequuntur Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 6. *de indulg. q.* 1. *punct.* 3. *n.* 15. Gobat. *dict. tract.* 4. *n.* 63.

28. Sed non extenditur hæc facultas Episcoporum ad defunctos, quia potestas, quam habent limitatam, ad concedendas indulgentias, solùm est ad suos subditos in hâc vitâ degentes. Sic Cardin. Navarr. Cordub. Medin. quos refert, & sequitur Soar. *disp.* 55. *sect.* 3. *à n.* 9. Cardin. Bellarm. Regin. Sa, Nugn. Filiuc. quos citat, & tuetur Bonacin. ubi *supra n.* 5. Barb. Laym. apud Castr. Palao idem sequentem *n.* 9 & cum aliis, Fragos. *n.* 18.: & Dicost. *tom.* 2. *de sacram. tract.* 9. *disp.* 2. *n.* 28. at defuncti non sunt sui subditi, nec in hâc vitâ degentes.

29. Certum est, posse S. Pontificem aliquibus personis actus jurisdictionis capacibus, facultatem concedendi indulgentias, committere; quia potestas, quam habet, est ordinaria; & potest delegari: In hoc omnes conveniunt.

30. Inquiro tamen: An confessarii societatis JESU possint Patribus ejusdem societatis proficiscentibus ad congregationem Generalem plenariam indulgentiam concedere; vel tunc, infra viginti dies: ut concessum fuit à Sixto IV. Cisterciensibus? Affirmat Mend. *disp.* 6. *n.* 21. quia ex Bullis Apostolicis, in societatis JESU favorem expeditis liquet, communicationem nobis præstitam fuisse omnium gratiarum, aliis sacris ordinibus concessarum. Et ita habetur in compendio privilegiorum societatis *verb. indulgentiæ.* Tametsi hoc verum olim fuisset.

31. Hodie tamen prædicti illam non valent concedere indulgentiam, nec ipsi, quibus primò concessa fuit, nec in eisdem privilegiis communicantes. Ostenditur, quia Paulus V. anno 1606. per suam Bullam, in formâ Brevis, revocavit omnes, & singulas indulgentias, per antecessores suos concessas omnibus Regularibus cujuscunque instituti, & sexus; illasque annullavit; & alias de novo concessit; quæ Bulla, seu constitutio incipit: *Romanus Pontifex*, & est 21. inter alias ejusdem S. Pontificis, apud Cherubin. *tom.* 3. ibi: §. 19. *Cæterum omnes, & singulas indulgentias, quibuscunque ordinibus, & institutis Regularibus hujusmodi, etiam Mendicantibus, & quibuslibet personis Regularibus, tam vigore privilegiorum, & Litterarum Apostolicarum, quàm vivæ vocis oraculo, & alias quovismodo, per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & Apostolicam sedem hactenus concessas, confirmatas, approbatas, & innovatas, authoritate, & tenore prædictis, perpetuò revocamus, cassamus, annullamus, & abrogamus, & ad præsentium nostrarum litterarum præscriptum, reducimus, & moderamur:* Sed prædicta indulgentia plenaria fuit concessa, *quibuslibet personis Regularibus* per prædecessores Pauli V. Sixtum IV. aut. V. ut est in compendio privilegiorum, & habetur apud Mend. qui erat S. Pontifex anno 1585. Ego de

illa

illa indulgentia jam, ut expirata, & abrogata, mentio nequit fieri.

32. Neque dicas: prædictam & alias indulgentias à prædecessoribus Pauli V. concessas, fuisse postea revalidatas; quod, ut probabile, tuetur Rodrig. *in compend. qq. Regul. resol. 77. n. 45.* cum quibusdam Salmanticensis Academiæ Magistris, & alii apud Pellizar. *tom. 2. tract. 8. cap. 5. n. 180.* & Quintanad. *tom. 1. in append. tract. 4. dub. 2. n. 1.* Ne inquam, hoc dicas; quia præterquam quod oppositum tuetur, ut certum, Portel. *de dub. regul. verb. indulgentia n. 13.* cum aliquibus juris doctis, apud Pellizar. Alex. VII. anno 1666. 23. Martii, damnat, & prohibet, ut minimum, tamquam scandalosam hanc propositionem; quæ est ex damnatis 37. Et in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione divini judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscunque conditionis, dignitatis, ac statûs, ne prædictam opinionem ad praxim deducant. Propositio sic habet: *Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ:* Ergo dici non potest, confessarios posse concedere indulgentias prædictas proficiscentibus ad Capitulum, vel Congregationem Generalem.

33. Accedit decretum Sacræ Congregationis indulgentiis præpositæ, editum 7. Martii anni 1678. approbatum, & inviolatè servari jussum à S. D. N. Innocentio XI. in quo statuitur, non posse personas Regulares quarumcunque Religionum, ac ordinum, etiam Mendicantium gaudere indulgentiis, ante Breve Pauli V. quod incipit *Romanus Pontifex* (ut supra) concessis.

34. Quibus autem indulgentiis Regulares gaudere possint dicemus *infra disp. 23. a n. 112.* cùm de suspensione indulgentiarum à Commissario factâ, agetur.

SECTIO IV.

Resolutiones aliquæ circa indulgentias.

35. PRima sit, circa causam: Et omnes conveniunt, contra Paludanum, necessariò requiri causam piam, & honestam, non solùm, ut licitè, sed etiam ut validè indulgentia concedatur. Sic D. Thom. Bonacin. Sot. Navarr. Cordub. Henriq. Sa, Coninch. Soar. Laym. Cordub. & alii apud Castr. Palao *tom. 4. tract. 24. punct. 7. n. 1.* Cardin. de Lug. *de penit. disp. 27. n. 139.* Mend. *disp. 6. n. 22.* & ferè omnes Authores. Probatur primò, ex authoritate S. S. Pontificum, qui asserunt, ex justâ, & rationabili causâ, indulgentias posse concedi. Sic Innocentius III. *in cap. cum ex eo, de penit. & remiss.* Clemens VI. *in Extrav. Unigenitus, de panit. & remiss.* Leo X. *in epistol. ad Cajet.* seu Bulla condemnationis Lutheri, & Martini V. *in fine Conc. Constantiens.*

36. Probatur secundò ratione; quia S. Pontifex, & quivis alius facultate concedendi indulgentias utens, non est dominus Ecclesiæ thesauri, sed dispensator: ut constat ex 1. Petri: *sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei*: sed dispensator non potest, sine causâ, de rebus domini disponere; Ergo sine causâ indulgentiæ concedi non possunt; aliàs posset quolibet die omnes animas à purgatorio liberare.

37. An autem ad valorem indulgentiæ, non solùm requiratur causa pia, & honesta, sed æqualis, & indulgentiæ proportionata? sufficere quamcunque, docuerunt plures cum D. Thom., quos referunt Soar. *tom. 4. in 3. part. disp. 54. sect. 3. num. 1.* Bonacin. *disp. 6. de indulg. quæst. 1. punct. 4. num. 5.* (qui illam sequitur) Castr. Pal. ubi *supra n. 2.*

38. Communior tamen sententia, & tenenda asserit, requiri causam æqualem, & proportionatam ita ut, quò major fuerit indulgentia, ita eò major sit causa. Sic Soar. *num. 5.* Cardin. Bellarm. Laym. & alii, quos referunt, & sequuntur Castr. Pal. *proximè num. 3.* Cardin. de Lug. ubi *supra num. 141.* Mend. *disp. 6. num. 23.* Gobat. *tom. 4. tract. 4. num. 86.* Probatur ex ratione *supra num. 36.* quia de ratione dispensatoris est, dispensare juxta causæ proportionem, alias non dicitur fidelis dispensator, sed dissipator, si propter levissimas causas innumeras de thesauro Ecclesiæ indulgentias concederet.

39. Adverto tamen, non dari discrimen inter unam, & aliam indulgentiam plenariam; quasi una sit major aliâ, ut vulgus existimat; quia certum est, inter indulgentias plenarias, non dari inæqualitatem, & eandem consequitur indulgentiam, qui obtinet jubilæum: ut *vulgo* dicitur Porciunculæ, aut Quadraginta horarum in tribus diebus feriam cinerum præcedentibus; ac si obtineret jubilæum die S. Parentis Ignatii, aut S. Dominici, vel S. Francisci, in templis harum Religionum.

40. Secunda, circa statum: Et omnes communiter asserunt Authores, requiri statum gratiæ, in lucrante indulgentiam; non tamen toto tempore, quo opera injuncta, ad indulgentiam requisita, implentur; sed solùm in fine, quando effectus indulgentiæ applicandus, vel consequendus est. Quod requiratur status gratiæ, ratione ostenditur; quia existens in peccato mortali, meretur in eo statu, ut nulla satisfactio pro eo acceptetur, & omnis pœna, etiam ex veniali remisso, quoad culpam, pro eo statu debet esse æterna, cujus reatum non potest indulgentia expiare. Sic cum D. Thom. Navarr. Sâ, Soar. Laym. Bonacin. & aliis, Castr. Pal. *tom. 4. tract. 24. punct. 8. num. 3.* Cardin. de Lug. *de penit. disp. 27. n. 83.* Pellizar. *tom. 2. tract. 8. cap. 5. n. 253.* & Escobar *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 54. & 56.*

41. Quod verò, non toto tempore, quo fiunt opera, sed solùm in fine, quando indulgentia lucranda est, requiratur status gratiæ; constat ex jubilæo duplicis hebdomadæ; ad quam indulgentiam, præmittuntur jejunia, quæ frequenter non fiunt in statu gratiæ, sed subsequitur confessio, per quam homo ponitur in statu gratiæ. Sic Cardin. de Lug. *cit.* Gobat. *cit. n. 152.* & alii, quos citant; sic etiam evenit in indulgentiâ, quam Bulla concedit requirens contritionem, confessionem, & communionem: ut *infra* videbimus, per quæ, gratia sanctificans consequitur.

42. Dubium tamen est; An si omnia opera præscripta, ad indulgentiam lucrandam, in peccato mortali impleantur, reviviscat effectus indulgentiæ; sicut in Sacramentis, quæ, recedente fictione, suum operantur effectum? Affirmant Henriq. *lib. 7. cap. 9. n. 13.* Palud. Silvestr. Gran. cujus verba refert Dian. *part. 5. tract. 12. resol. 4.* approbans cum aliis hanc sententiam, quam valdè tutam fatetur Gabat. ubi *supra. n. 156.*

43. Di-

43. Dicendum tamen probabilius, non reviviscere; quia indulgentiæ tantùm valent, quantùm sonant; sed conceduntur positâ conditione, v.g. *contritis, & confessis:* Ergo quanvis possent reviviscere, si Pontifex indulgentiæ effectum concederet, usque ad primam justificationem sequentem; cùm tamen de facto, id non concedat, dicendum est, non reviviscere. Accedit, quod non omnia Sacramenta, recedente fictione, suum operantur effectum; sed quæ, aliquo modo, iterari non possunt; at indulgentia plerunque est iterabilis; ejusque effectus, qui est pænæ remissio, aliis viis potest obtineri. Ita docent cum Soar. Coninch. Navarr. Filliuc. & aliis Castr. Pal. *tom. 4. tract. 24. punct. 8. n. 4.* Card. de Lug. *de pœnit. disp. 27. n. 84.* Pellizar. *tom. 2. tract. 8. cap. 5. n. 254.* Fragos. *part. 2. disp. 4. n. 34.* Gobat. *loco proxime citato.*

44. Tertia sit circa indulgentiæ interpretationem. Et probabilior sententia tenet, esse latè interpretandam; quia est beneficium Principis, & favor, absque alicujus præjudicio. Sic cum pluribus Castr. Pal. *proximè punct. 4. n. 3.* Pellizar. *cit. n. 185.* Gobat. *dict. tract. 4. n. 46.* Vide quæ diximus *disp. 1. n. 76. & sequentibus.*

SECTIO V.

An pœnitens lucrando indulgentiam plenariam, liber maneat à pœnitentiâ impositâ à confessario?

45. VAria sunt Authorum placita in hac quæstione. Et manere liberum à pœnitentiâ implendâ, docent apud Mend. *disp. 6. num. 69.* D. Th. D. Bonacin. Viguer. Argent. Durand. Ricard. Palud. Palac. Adrian. Sylvest. Angel. Armill. Nav. Soar. Coninch. Amicus. & Card. de Lug. *de pœn. disp. 27. a n. 22.* qui *a n. 24.* asserit, etiam pœnitentem manere liberum ab implendâ pœnitentiâ medicinali; & illum etiam in hâc parte sequuntur Francisc. Bard. *part. 2. tract. 4. cap. 1. à num. 36.* Mend. *disp. 6. n. 71.* Tambor. *in Meth. confess. lib. 4. cap. 1. §. 1. n. 6.* Et Arriag. *de pœnit. disp. 24. à num. 37.* asserens tempore indulgentiæ plenariæ, absolutè loquendo, cessare obligationem, pœnitentias imponendi. Addunt tamen Cardin. de Lug. *num. 30.* tempore jubilæi, posse confessarium leviores imponere pœnitentias: obligando tamen pœnitentem ad lucrandum jubilæum, & Bard. *num. 41.* in praxi nunquam, aut rarò evenire; ut pœnitens possit non implere pœnitentiam Sacramentalem à confessario impositam, cum Valent. Nugn. Candid. quos citat; & in fine, hæc ponit verba *Quanvis tempore jubilæi, aut plenissima indulgentiæ sint imponenda leviores pœnitentiæ.* Quod etiam asseruit Abreus de Paroch. *l. 10. num. 440. in fine,* Card. de Lug. ut *supra*, & alii non pauci.

46. Bardum impugnat Mendo in append *disp. 2. n. 93.* quia si pœnitens ideo tenetur implere pœnitentiam sacramentalem; quia incertus est, an obtinuerit indulgentiæ effectum, non erunt imponendæ pœnitentiæ leviores: quia ex præjectâ doctrinâ, ut supponitur, indulgentiæ effectus est indivisibilis, & cum illâ incertitudine, vel totus, vel nihil obtinetur: si totus, ad nullam tenetur pœnitentiam; si nihil: ad æqualem peccatis tenetur pœnitentiam: Ergo non leviores, sed peccatis proportionatæ, tempore jubilæi, imponendæ sunt pœnitentiæ.

47. Assertum tamen Bard. & aliorum docentium, pœnitentias esse imponendas leviores tempore jubilæi, vel indulgentiæ plenariæ, existimo verum, & in praxi sequendum. Probatur primò, quia confessarius in imponendis pœnitentiis satisfactoriis, habet se, ut judex; sed judex, quando rationes circa factum, & circa jus sunt utrinque probabiles æqualiter; si res sit dividua, tenetur inter partes illam dividere; si verò individua, satisfacere parti, cui res non tribuitur: ut tenent Banes, Sayr. Sanch. Villal. Soar. Coninch. quos refert, & sequitur Castr. Palao *tom. 1. disp. 2. punct. 10. n. 2. in fine.* Accedit Tambor. *lib. 1. decal. cap. 3. §. 4. n. 1. & 2.* & apud illum Merol. & est sententia communis. Idem dicendum, quando lis est dubia, & neuter ex litigantibus possidet; ut videre est apud eundem Tambor. *cit. §. 7. verf. judex n. 1.* Ergo etiam confessarius, quatenus judex, & dubius de indulgentiæ consequutione, tenetur pœnitentiam sacramentalem dividere; non æqualem, sed pœnitentiam leviorem imponendo.

48. Secundò probatur: quia in nostrâ Bullâ Latinâ præcipitur imponi pœnitentiam salutarem, ibi: *ac pro modo culpæ pœnitentiam salutarem injungere plenamque, &c.* Ergo pœnitentiæ non tantùm medicinales, sed etiam satisfactoriæ, quæ etiam dicuntur salutares, illis debent injungi; quando indulgentia, aut jubilæus ab illis lucratur pœnitentibus. Quod etiam in non paucis jubilæis plenissimis expressè additum videmus.

49. Dices pœnitentia imposita à confessario est in punitionem, & satisfactionem peccatorum; sed confessarius, in eâ imponendâ, est veluti judex, in causâ Criminali: Ergo in dubiis de consequutione indulgentiæ tenetur ab omni punitione, & satisfactione abstinere, juxta *reg. 11. cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quàm actori, de reg. jur. in 6.* Respondeo, licèt id probabile sit in judice criminaliter judicante; oppositum tamen etiam est probabile; quia non ignobiles Authores, ut Salonius, & Sayr. apud Tamborin. ubi *supra §. 4. n. 11.* asserunt, non teneri judicem in dubiis reo favere.

50. Accedit, quòd in sacramentali satisfactione datur dispar ratio; quia constat de peccatis commissis à pœnitente, & satisfactionem esse confessionis partem integrantem, & confessionem possidere; & datur dubium consequutionis indulgentiæ: in dubiis autem melior est conditio possidentis, & tutior pars est eligenda. *l. si fuerit. §. ult. ff. de reb. dub.* & aliis. Maximè quando agitur de salute animæ: ut cum Rodrig. Vazq. *t. 2. q. 19. art. 6. disp. 65. cap. 3. & disp. 66. cap. 1.* Salas *l. 2. q. 21. tract. 8. disp. unic. sect. 17. n. 152.* Sayr. *de conf. lib. 1. cap. 16. n. 30. cas. 1. & lib. 6. cap. 2. n. 16.* Flor. de Men. *Var. lib. q. 9. n. 18.* Sanch. *de matrim. lib. 2. disp. 41. n. 9.* Et in obscuris, etiam favetur reo; quia non æqualis punitio, & satisfactio ei est imponenda, sed levior, quod est nostrum intentum.

51. Alia asserit Bard. *n. 37.* nempe, pœnitentiam medicinalem bifariam sumi posse. Primò, in quantùm intendit per se, & directè hominem à peccato præservare; ut est ablatio occasionis

pro-

proximæ, restitutio alieni, depositio odii &c. ad quæ pœnitens tenetur; & confessarius debet eadem illi imponere. Secundò in quantùm intenditur satisfactio, & præservare à peccato; ut est jejunium, flagellationes, confessiones iteratæ &c. quæ macerant carnem, & per illa homo satisfacit; erogatio eleemosynæ ad reprimendam avaritiam; Orationes ad amorem terrenarum rerum extirpandum. Quando verò Authores dicunt, per indulgentiam non remitti pœnitentias medicinales, intelligendi sunt de pœnitentiis primi generis medicinalibus; & non de illis, quæ sunt secundi generis; & citat Ludovic. de Beja, & Candid. Et hujus ratio est; quia confessarius non potest obligare, nisi ad satisfactionem pro peccatis; & non ad medicinam: quia confessarius est simul Medicus, & judex; & ut judex potest obligare ad pœnam, non tamen, ut Medicus ad medicinam; quia Medicus, ut Medicus, non obligat, sed consulit; hæc enim docuit Cardin. de Lug. & Mend.

52. Dicendum tamen est; pœnitentias primi generis, non esse propriè pœnitentias; & liquet, quia confessarius ad illas non obligat, sed declarat pœnitenti obligationem, quam jam habebat; & negat absolutionem, si illi nequeat satisfacere; ad pœnitentias verò Sacramentales obligat confessarius; & si pœnitens ad hanc ostendit repugnantiam; aliam, loco illius, confessarius substituit: Ergo Authores non de impropriè dictis pœnitentiis intelligendi sunt, sed de aliis secundi generis. Sic Cardin. de Lug. *dict. disp.* 27. *num.* 26.

53. Fateor tamen, pœnitentias Medicinales esse simul satisfactorias, & medicinales; at si pœna totaliter condonetur, per indulgentiam plenariam; adhuc confessarius potest obligare ad medicinam; quia in Tribunali confessionis agit personam simul Medici, & judicis; & quanvis Medicus, quà Medicus, non possit obligare ad medicinam; Medicus, qui simul est judex, ad Medicinam potest obligare. Quod ostendo judicis Ecclesiastici exemplo; qui, ut Medicus simul, & judex peccatori imponit exilii pœnam à loco ubi habet occasionem peccandi; non tantùm, ut pœnam peccati, sed ut peccatum vitetur. Sic confessarius imponit confessionem hebdomadariam, vel menstruam pœnitenti, sæpius in idem peccatum reincidenti; quæ simul est satisfactoria, & medicinalis; & si cesset, quâ satisfactoria, positâ aliunde satisfactione; vel condonatione totali, adhuc obligabit, quà est medicinalis; quia, ut judex potest obligare ad medicinam.

Sectionis resolutio.

54. Verior, & in praxi tenenda sententia docet, pœnitentem tempore jubilæi, vel indulgentiæ plenariæ non manere liberum ab implenda pœnitentia à confessario impositâ, maximè si sit medicinalis: injungendæ tamen sunt pœnitentiæ mitiores. Primam partem hujus resolutionis, nempe non manere liberum pœnitentem ab implendâ pœnitentiâ, tenent Navarr. *in summ. cap.* 26. *num.* 21. & 33. per textum in *cap. cum ex eo, de panit. & remiss.* & *Extrav.* 1. & 2. *eodem titulo.* Rutil. *lib.* 2. *de ann. jubil. cap.* 41. *fol.* 255. quos refert, & sequitur Fragos. 2. *part. disp.* 5. *num.* 38. Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 38. *num.* 10. *in fine*, resolutionem concludens, his verbis: *Ex dictâ vero limitatione, obiter intelligitur, his temporibus, considerato modo, quo pœnitentiæ imponi solent, rarò, vel nunquam licere omittere pœnitentias impositas, propter indulgentias; quia reverà imponuntur levissimæ pœnitentiæ, & quæ vix sufficiunt per modum medicinæ.* Idem docent Valent. Nugn. Candid. quos citat, & defendit Bard. *ubi supra num.* 41. dum asserunt, in praxi nunquam, aut rarò evenire, ut pœnitens possit non adimplere pœnitentiam. Accedit Gobat. *tom.* 2. *tract.* 3. *num.* 168. dicens, omnino esse confesso aliquam, etiam levissimam, pœnitentiam injungendam; & *n.* 169. etiam pro gravibus peccatis, parvam esse imponendam pœnitentiam, & apud illum Granad.

55. Probatur primò ex Concil. Trident. *sess.* 14. *can.* 4. requirenti ad perfectam remissionem, tres actus in pœnitente, quasi materiam sacramenti pœnitentiæ: videlicet, contritionem, confessionem, & satisfactionem; & cùm non constet de consecutione indulgentiæ; & possessio stet pro sacramento, tenetur pœnitens pœnitentiam implere, ne sacramentum maneat truncatum.

56. Secundò: quia in jubilæis à S. Pontifice concellis (ut aiunt Fragos. & Gobat.) admonentur confessarii, ut injungant alia opera satisfactionis, & id ostenditur ex praxi; quia semper confessarii pœnitentibus in jubilæis, & indulgentiis plenissimis, aliquam imponunt pœnitentiam; & etiam moribundis, qui jam recitare non possunt, licèt Bullam habeant Cruciatæ, illis in pœnitentiam imponunt, ut ore, vel corde dicant sanctissimum JESUS nomen.

57. Secundam partem nostræ resolutionis; nempe præcipuè, & maximè teneri pœnitentem tempore jubilæi, vel indulgentiæ plenariæ, adimplere pœnitentiam medicinalem, & præservativam, tuentur Soar. *loco citato*, per hæc verba: *Tollere autem remedium, seu medicinam curativam peccati, esset in magnum animarum detrimentum; non est ergo hæc intentio concedentis indulgentiam, neque ad hoc habet potestatem, sed solùm ad remittendam vindictam.* Idem tenet Fragos. cum Authoribus ab ipso citatis *supra*; & expressè cum Bonacin. Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 10. *cap.* 9. *num.* 40. *Vers. Asserо* 16. Abreus de Paroch. *lib.* 10. *num.* 440. *in fine.* Gobat. *proximè num.* 170. citans Taner. *tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 7. *n.* 76. & alios communiter.

58. Probatur: quia confessarius in Tribunali pœnitentiæ, non solùm agit personam judicis, sed etiam medici; & quâ judex, & medicus tenetur, pœnitentiam injungere; quæ sit, non solùm in vindictam, & castigationem præteritorum, sed etiam ad infirmitatis medicamentum; ut tenet Conc. Trident. *sess.* 14. *cap.* 8. *ibi: Habeant autem præ oculis* (loquitur ad sacerdotes confessarios) *ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum; sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem.* Si ergo confessarius debet imponere, etiam tempore jubilæi & indulgentiæ plenariæ, pœnitentiam salutarem, & medicinalem; sequi-

tur, pœnitentem illam implere teneri.

59. Tertiam partem resolutionis: scilicet, quòd pœnitentiæ, tempore jubilæi, seu indulgentiæ plenariæ, debent esse mitiores, & leviores, defendunt Fragos. ut *supra*, ibi: *Quare semper injungendæ sunt pœnitentiæ aliquæ mitiores.* Card. de Lug. *citat. num.* 30. Gobat. Abreus *locis citatis.* Bard. *in fine, num.* 41. *supra citati.* Hujus ratio patet, in hâc sectione *n.* 47.

60. Ex dictis, in hâc sectione maximè *num.* 45. collige juxta DD. statim citandos posse confessarium, qui invenit pœnitentem non impleviſſe multas pœnitentias ex ante actis confessionibus, non auditis peccatis jam confessis, illas commutare in aliquam indulgentiam plenariam ab ipso pœnitente acquirendam; imo pœnitentem ipsum, si sit doctus, posse ex se facere eam commutationem, cùm id fiat per meram substractionem materiæ. Sic cum Cardin. de Lug. Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 10. *cap.* 9. *num.* 40. *Vers. Assero* 16. Quod intelligo exceptis medicinalibus, & præservativis pœnitentiis, quod ante bene docuerant Rutil. *lib.* 2. *de ann. jubil. cap.* 41. *fol.* 255. Cordub. *in* 2. *dicto lib.* 2. *de indulgent. quæst.* 1. Vivald. *de satisfact. n.* 34. Henriq. *de pœnit. lib.* 2. *cap.* 21. *&* 22. quos refert, & sequitur Fragos. 2. *part. disp.* 5. *num.* 38. *in fine.*

SECTIO VI.

An aliquis ignorans revocationem indulgentiarum, illas possit acquirere?

61. CErtum in primis est, indulgentias confictas, & omnino falsas alicui prodesse non posse; quia quod ab initio fuit nullum, ex tempore non convalescit *cap. quod sicut de elect. cap. non firmatur* 18. *de reg. jur. in* 6. *l. quod initio* 30. *& l. pen. ff. eodem titul.* Barbat. *cons.* 70. *col.* 1. *&* 2. *lib.* 3. Decius *cons.* 661. *num.* 14. Oldrad. *cons.* 306. *in principio, & num.* 2. & alii.

62. Secundò certum est, indulgentiam cessare per revocationem, etiam sine causâ factam ab eo, qui illam concessit, vel ab ejus successore, vel superiore; quia sicut indulgentia dependet in fieri à voluntate concedentis; ita etiam dependet in conservari; ut colligitur ex *Extrav. quemadmodum, de pœnit. & remiss.* & *Clement. Dudum.* §. *nos autem de sepult.* & ex praxi, & Doctoribus. Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 57. *sect.* 2. *num.* 5. cum pluribus Castr. Pal. *tom.* 4. *tract.* 24. *punct.* 11. *num.* 2. Fragos. *part.* 2. *disp.* 4. *num.* 42. Card. de Lug. *de pœnit. disp.* 27. *num.* 146. & aliis communiter.

63. Tertiò certum est, quando per aliquod decretum S. Congregationis ad hoc munus destinatæ, non permittuntur aliquæ indulgentiæ, nisi prius ab eâdem Congregatione recognitæ, accedente S. Pontificis approbatione, & præcepto, non posse illarum usus esse validos; quia si non permittuntur, nisi recognoscantur, dum recognitæ non fuerint, manent suspensæ, & cum hæc suspensio, seu non permissio indulgentiarum sit à concedente, vel à successore, à cujus voluntate dependent indulgentiæ, illæ effectum obtinere non poterunt.

64. Quænam indulgentiæ, tamquam Apocryphæ, aut nullæ, vel revocatæ existant? Respondeo sequentes, quas S. Congregatio, ut tales declaravit 12. Martii anni 1678. approbante Sanctiss. D. N. Innocentio XI. & inviolatè observari jubente.

Indulgentiæ à S. Congregatione apocryphæ vel nullæ declaratæ.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ à Joanne II. & Sixto IV. recitantibus orationem Charitatis JESU CHRISTI D. N. *Precor te piissime &c.*

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ ab Urbano II. Ecclesiæ S. Mariæ, vulgo Compagnolæ, & S. Victoriæ.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ ab Eugenio III. revelationi de plaga in humero JESU CHRISTI, factæ S. Bernardo.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ ab Innocentio III. archi-confraternitati, & ordini Redemptionis.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ à Bonifacio IX. visitantibus Capellam S. Niculai de Tolentino, in ejus die festo.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ à Joanne XXII. osculantibus mensuram plantæ pedis B. Mariæ Virginis.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ ab Alexandro VI. Imagini B. Mariæ, vulgo dictæ Laghetti.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ à Leone X. gestantibus funiculum S. Francisci, primum in Urbe impressæ, deinde Mediolani, anno 1665.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ à Leone X. recitantibus salutationem Angelicam ad pulsum horologii.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ à Leone X. Imagini conceptionis B. Mariæ Virginis immaculatæ in circulo depictæ, cujus pedibus Luna subjecta est.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ à Pio IV. & Pio V. Principi Senarum.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ à Clemente VIII. dicentibus orationem: *O magnum mysterium &c.*

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ ab eodem Pontifice Ecclesiæ S. Mariæ, quam vocant: Montis Serrati, Avenione impressæ.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ ab eodem Clemente VIII. pro animabus Christi fidelium defunctorum, impressæ Matriti 20. Julii 1606.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ à Paulo V. cantantibus hymnum: *Te Matrem Dei laudamus, te Mariam Virginem confitemur &c.* vel si die sabbati intererint, dum idem canitur.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ ab eodem Paulo V. Coronis, Rosariis, imaginibus, & numismatibus, quæ Medallias appellant, ab eo benedictis, Federico Cardin. Borromæo supplicante, anno 1611. dum Ecclesiæ Romæ in honorem S. Caroli ædificaretur.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ ab eodem Paulo, & Gregorio XV. dicentibus, *louvado sejaõ santissimo sacramento*; Laus sanctissimo sacramento.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ ab Urba-

bano VIII. in honorem ejusdem sacramenti, precibus Cardinal. Magalotti.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ ab eodem Urbano sacerdotibus, celebrata missa, dicentibus: *Ave filia Dei patris, Ave Mater Dei filii, &c.*

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ à Clemente X. recitantibus mane, meridie, ac Vespere consuetam Antiphonam: *Angelus Domini &c.* & in fine *Deo gratias, & Maria.*

Indulgentiæ, quæ dicuntur tributæ à nonnullis Romanis Pontificibus Coronis Mysteriorum passionis Domini N. Jesu Christi, prece Magni Ducis Hetruriæ.

Etiam sunt fictæ apocryphæ, vel nullæ, sequentes. Indulgentia sodalitatis S. Niculai, quæ repetita quinquies oratione Dominicâ, & salutatione Angelicâ, unam liberari animam, quolibet die à Purgatorio, affirmat.

Indulgentiæ Perusii Confraternitatis Sanctorum Sebastiani, & Rochi, & Romæ Societatis S. Bernardi, ad Columnam Trajani.

Indulgentiæ Cruce Signatorum S. Eustorgii Mediolani, Arimini, & Bononiæ.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ Capellæ Rosarii in Ecclesiâ S. Antonii de Rovigo, vel Ecclesiæ Sanctissi. Trinitatis Bergomi, aut S. Petri Montis Todoni, die festo Inventionis S. Crucis.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ gestantibus funiculum S. Francisci de Paula, vel Celebrantibus missas S. Augustini, aut alias quinque, in honorem quinque festivitatum B. Virginis, vel recitantibus officium S. Franciscæ Romanæ, aut Antiphonam: *O passio magna &c.* (quod congregatio non probat, aut orationem, quæ impressa cum imagine S. Annæ circumferri solet: *Ave gratia plena &c.*, quæ oratio prohibetur.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ recitantibus officium conceptionis B. V. immaculatæ, quod dicitur à Paulo V. fuisse approbatum; aut orationem: *Deus qui nobis in Syndone &c.* aut aliam: *Ave filia Dei &c.* post communionem recitandam; vel aliquo conspicuo signo venerantibus Sanctissi. Eucharistiæ Sacramenti nomen.

Indulgentiæ octoginta millium annorum veteri de tabulâ exscriptæ, quam in Basilicâ Lateranensi asservari dicitur, pro dicentibus orationem illam: *Deus, qui pro redemptione mundi &c.* Tum quæ impressæ fuerunt Papiæ anno 1670. sub hoc titulo: *Sommario delle indulgenze concesse della santità di N. S. Papa Leone X. all' imagine della concezzione della gloriosa Vergine Maria, vel Pisauri sub nomine B. Joannæ anno* 1608. *evulgata, vel Barletæ, seu Barulî* à recitantibus quasdam non sanè malas orationes, lucrandæ, vel Parmæ à Visitantibus per Quadragesimæ dies Ecclesias Tertii ordinis S. Francisci, vel Pistolii, & Vastallæ à recitantibus orationem: *Ave Sancta Maria, Mater Dei, Regina cœli &c.* & aliæ in peculiari impresso libro descriptæ, quibus frui dicitur, Devotos Seraphicos, & Benefactores.

Indulgentiæ quæ dicuntur concessæ Crucibus de Caravaca.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ Coronæ conceptionis Virginis immaculatæ, quæ ex duodecim globulis precariis constat.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ granis, Crucibus, & Coronis Aloysiæ ab Ascensione Hispanæ Monialis ordinis S. Claræ.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ mensuræ altitudinis Christi; vel imagini; aut mensuræ vulneris lateri ejus inflicti; vel orationi, ut dicitur in sepulchro D. Nostri repertæ.

Indulgentiæ fundatæ super revelationem S. S. Birgittæ Mechildi, & Elisabeth; vel B. Joannæ de Cruce, concessæ granis, quæ aliquod ex tribus granis tetigerint extantibus penes Romanorum Pontificem Hispaniarum Regem, & Ministrum Generalem fratrum Minorum observantiæ S. Francisci.

Indulgentiæ revocatæ, sunt omnes concessæ ante decretum Clementis VIII. die 9. Januarii 1597. Coronis, Rosariis, granis, Crucibus, & imaginibus sacris.

Indulgentiæ, ante breve Pauli V. quod incipit: *Romanus Pontifex* concessæ personis Regularibus, quarumcunque Religionum, & ordinum, etiam Mendicantium.

Indulgentiæ concessæ, ante constit. 115. Clementis VIII. incipientem: *Quæcunque &c.* & 68. Pauli V. incipientem: *Quæ salubriter &c.* habitæ per aggregationem, vel aliam communicationem ab archi-confraternitate ullâ, ordine, congregatione, Societate etiam Jesu, capitulo, vel cœtu quocunque, vel ab eorum officialibus, superioribus, aliisque personis, vel personæ, etiamsi earum, vel ejus mentio specialis, & individua facienda esset; nisi fuerint deinde Romani Pontificis authoritate innovatæ, aut confirmatæ.

Summaria indulgentiarum pro congregationibus Doctrinæ Christianæ, Confraternitatibus sanctiss. Trinitatis, & Redemptionis captivorum, & Nominis Dei, Rosarii B. Mariæ de Monte Carmelo, Cincturæ S. Augustini, & S. Monicæ, nisi ab eâdem Congregatione recognitâ, non permittuntur.

Hæ sunt indulgentiæ, quæ à S. Congreg. declarantur, vel apocryphæ, vel fictæ, aut nullæ, aut revocatæ, aut non permissæ. De pluribus ex his, mentionem fecit Gobat. *tom. 2. tract. 4. num. 703.* Quia tamen de hoc decreto novissimo, notitiam habere non poterat, omnia non retulit.

Resolutio quæstionis.

65. Ad quæstionem initio propositam respondeo: Doctores communiter docere, ignorantem revocationem indulgentiæ, illam lucrari, si opus præscriptum ad ejus consecutionem adimpleat. Sic Soar. *tom. 4. in 3. part. disp. 57. sect. 2. n. 8.* cum Navarr. Sylvestr. & Cordub. & cum Bonacin. Sâ, & aliis Castr. Pal. *tom. 4. tract. 24. punct. 11. n. 2. in fine.* Fragos. *part. 2. disp. 4. n. 42.* & cum Bordon. Bossio, & aliis Pellizar. *tom. 2. tract. 8. cap. 5. num. 182.* Gobat. *tom. 4. num. 666. Vers. imo quandiu*, & alii apud ipsum. Probant, quia ita præsumitur esse voluntare S. Pontificis, quòd si declaret, velle revocationem suum habere effectum, independenter à notitiâ eorum, quibus indulgentia concessa erat; tunc indulgentia ab ignorante revocationem non lucrabitur. Sic Soar. & alii ex cit.

66. Hæc sunt inter Authores communia; sed non declarant, unde appareat hæc pia, & præsumpta S. Pontificis voluntas; nec etiamsi per legem revocatoriam, etiam apud ignorantes, maneant sine effectu; quia ut, ait *Soar. loco*

loco citat. Leges etiam irritantes, post sufficientem promulgationem, habent suum effectum, etiam in personis, quæ invincibiliter illas ignorant; cum tamen majora incommoda inde possint sequi, quàm ex revocatione indulgentiarum; nam solùm sequitur quædam materialis deceptio inducens ad bonos actus per se utiles: sed indulgentiæ revocatio est quædam revocatio privilegii: ergo si per legem latam indulgentia revocetur, datâ promulgatione requisitâ ad legem, non poterit ignorans revocationem, illam lucrari.

67. Hâc non obstante ratione, adhuc Soar. videtur innuere, ignorantem invincibiliter revocationem indulgentiæ, illam lucrari posse (licet id non exprimat) dum ait, *si quis bona fide confessus esset peccata reservata, in virtute talis indulti concessi, in ordine ad indulgentiam, cujus revocationem ignorat invincibiliter, talem confessionem esse validam, & illum hominem, sic a censuris etiam absolutum, liberum manere, etiam ab onere comparendi; & vere similiter creditur, hanc esse mentem Pontificis; quia aliud esset, & periculosum, & valde onerosum.* Vides quia asserit, Soar. confessionem esse validam ex bonâ fide factam, & ignorantem revocationem facultatis manere directè absolutum, etiam à censuris, & non exprimit indulgentiæ consecutionem.

68. Ut hæc difficultas eluceſcat, regulanda est revocatio indulgentiæ per revocationem aliorum privilegiorum; nam concessio indulgentiæ, privilegium est; privilegia verò dupliciter revocari possunt: vel per revocationem factam ab homine, vel per revocationem factam à lege. Si privilegium revocetur privatim, & per hominem, qui concessit privilegium, non habet effectum revocatio, quousque privilegiato innotescat; ut docent Sylvest. Cordub. Sot. Medin. Azor. Bonac. Soar. Basil. quos refert, & sequitur Castr. Pal. *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 4. *punct.* 21. §. 5. *n.* 2.

69. Ex hoc Doctorum communi placito sequitur; quando revocatio indulgentiæ facta fuit per revocationem privatam, hominem ignorantem revocationem indulgentiæ, illam lucrari; & in hoc sensu intelligenda est sententia supradictorum Authorum asserentium, ignorantem revocationem indulgentiæ, illam lucrari. Nec videtur dissentire Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *n.* 665. dum ait cum aliquibus Authoribus, esse valdè probabile, non manere revocatam indulgentiam per actum voluntatis internum; licèt plures oppositum, apud ipsum, teneant.

70. At si revocatio privilegii fiat per Legem; quæ ad modum Legis Canonicæ, publicata fuit Romæ, postquam ad privilegiatorum notitiam devenerit, aut commodè devenire poterit, & non antea, obligat, & tenet revocatio; Cùm ergo hæc lex revocatoria vera sit lex, non solum habet effectum obligandi, sed etiam irritat actus contra illam factos. Sic asserunt cum Felin. Panormit. & aliis Salas *de legib. disp.* 17. *sect.* 17. *n.* 80. & 82. Soar. *lib.* 8. *de legib. cap.* 40. *a n.* 1. Bonac. *disp.* 1. *q.* 3. *p.* 8. §. 3. *n.* 20. quos citat, & defendit Castr. Pal. ubi *supra n.* 1. Et quanvis Sot. Medin. & Sà apud Castr. Pal. requirunt publicationem legis revocantis, in quâlibet Diœcesi; hoc tamen est sine fundamento; quia ex praxi constat, privilegia revocari per publicationem Romæ tantùm factam.

71. Ex hoc modo revocandi privilegia liquet, indulgentias Romæ revocatas, per legis promulgationem, manere revocatas, etiam quoad ignorantes revocationem, post illud tempus, quo commodè ad illorum notitiam devenire poterat; & non posse illas lucrari. Sic asserit Cardin. de Lug. *de penit. disp.* 27. *n.* 147. dicendo sufficere, ut indulgentiæ acquisitio censeatur invalida, eam promulgationem, quæ in lege revocatoriâ privilegii requiri solet.

72. Ex his duobus modis revocandi privilegia patet, quid sit respondendum, ad rationem adductam *n.* 67. à Soar. Nam si pœnitens confessus fuit ex indulto ad indulgentiam acquirendam bonâ fide reservata, & ea, quibus annexa erat censura, ignorans revocationem privatam, & ab homine, directè fuit absolutus, & non tenetur comparere? secus dicendum, si ignorantia fuit de revocatione per legem revocatoriam, modo supra explicato, *n.* 70.

73. Cùm ergo constet, omnes indulgentias Regularibus concessas ante Breve Pauli V. & concessas imaginibus &c. ante decretum Clementis VIII. fuisse revocatas, & alias suspensas, & ut tales declaratas per legem revocatoriam, quæ promulgata fuit Romæ; & novissimè per supradictum decretum S. Congreg. 12. Martii 1678. consuetis in locis; & commodè jam poterat notitia ad omnes hujus Regni, & totius orbis Christiani devenire. Unde ignorantes illas indulgentias validè acquirere non possunt.

SECTIO VII.

An lucretur indulgentia qui circa illam, operatur secundùm opinionem probabilem?

74. HÆc quæstio etiam procedit de jubilæo. Et non desunt Doctores affirmantes, lucrari indulgentiam, vel jubilæum, illum, qui circa ea sequitur opinionem probabilem: Exemplum sit de eo, qui tempore jubilæi duplicis hebdomadæ in primâ jejunavit, Ecclesias visitavit; in secundâ verò, eleemosynam erogavit, vel confessus est. Et sufficere opinionem probabilem, docuerunt Fr. Martin. de S. Joseph. Paul. Maria. Quarti, apud Dian. *part.* 10. *tract.* 11. *resol.* 34. Verricell. *tom.* 1. *tract.* 8. *q.* 41. & favet Amic. *tom.* 8. *disp.* 20. *n.* 214. & aliqui moderni consulti à Leandr. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 164. ubi illam probabilem dicit, & ipse Dian. *loco citat.* Idem videtur sentire Dicostill. *tom.* 2. *sacram. tract.* 9. *disp.* 2. *n.* 213. in casu, quo indulgentia publicetur à judice Commissario.

75. Probatur primò; quia sequeretur, vix esse, qui jubilæum, vel indulgentiam obtineret, cùm circa materiam, & opera jubilæi, & indulgentias, adsint diversæ Authorum opiniones; quas, volentes illas lucrari, sequuntur.

76. Secundò: quia sufficit opinio probabilis ad hoc, ut censeatur Sacerdos, habere jurisdictionem, ad absolvendum à reservatis: ut docent Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 32. *sect.* 5. Sanch. *lib.* 3. *de matr. disp.* 20. *n.* 4. & *disp.* 22. *n.* 65. Henriq. *lib.* 5. *de pœnit. cap.* 14. *n.* 4. Less. *lib.* 2. *de justit. cap.* 29. *dub.* 8. *n.* 68. Bonac. *sextum citandus,*

tandus, & alii: ergo etiam sufficiet opinio probabilis, ut credatur, Pontificem concedere indulgentiam illi, qui juxta illam, opera jubilæi, vel indulgentiæ exequitur.

77. Tertiò probatur; quia argumentum de similibus ad similia valet: Gloss. *in l.* 3. *ff. de offic. ejus, cui mandata est.* Gloss. penult. *in l.* 1. *Cod. de interdict. & §. si uxorem*, & ibi gloss. *instit. de nupt.* Deinde de similibus, simile est judicium §. *recte instit. mandat. l. non possunt. l. & quanti ff. de leg.* & DD. communiter: sed S. Pontifex ex opinione probabili, tempore jubilæi, concedit jurisdictionem, ad absolvenda reservata: ergo etiam ex opinione probabili concedit indulgentiam.

78. Quartò: quia S. Pontifex supplet jurisdictionem, interveniente communi errore, & titulo colorato: ut tenet Sanch. *lib.* 3. *matrim. disp.* 22. *a n.* 27. & alii apud Bonac. *disp.* 6. *de indulg. q.* 1. *punct.* 5. *n.* 27. Tamborin. *lib.* 5. *de pœnit. cap.* 5. §. 7. *n.* 8. Ergo etiam per opinionem probabilem supplebit defectum, si opera ad indulgentiam præscripta præstentur.

79. His tamen non obstantibus, dicendum est in indulgentiis, non juvare opinionem probabilem, si coram Deo illæ non sint veræ; in aliis rebus favorabilis esse potest talis opinio probabilis, & liberare à restitutione, jejunio &c. etiamsi re ipsâ vera non sit; at in indulgentiis non prodest. Unde, si mille Doctores dicant indulgentiam posse hoc, aut alio modo obtineri; vel esse plenariam, & ad alios, vel illos extendi: si re ipsâ, ita non est, beneficium tale non comparabit, qui illud conatus fuerit lucrari. Sic asserunt Avendan. *in Thesaur. Indic. tit.* 6. *n.* 299. & illam tuetur *in addition. n.* 107. & apud ipsum Buzembaus *in medul. Theol. moral. lib.* 6. *tract.* 4. *cap.* 1. *dub.* 4. *art.* 2. *n.* 13. adducens Soar. & Sanch. Idem docent Bonac. *disp.* 6. *de indulg. q.* 1. *punct.* 5. *n.* 27. Barthol. à S. Faust. apud Dian. *part.* 5. *tract.* 12. *resol.* 32. Portel. & Leonard. apud Leand. *ut supra.* Hujus ratio est: quia qui ita operatur, ut indulgentiam lucretur juxta opinionem probabilem, non præstat re ipsâ opus præscriptum, ad illam comparandam; nec S. Pontifex supplet defectum; cùm nullum inde publicum sequatur incommodum.

80. Neque oppositum suadent fundamenta contraria *a n.* 75. adducta. Ad primum enim respondetur, falsò dici ex hâc sententia sequi vix futurum, qui indulgentiam obtineat; quia fideles communiter à confessariis edocentur, quomodo illam debeant consequi; & quanvis indocti, relictis opinionibus, tenore concessionis, illos dirigunt viâ certâ, quâ illam lucrentur. Exemplo res liquet, quod affert Avendan. *supra citatus* ex Balinghem *in Kalendario Virginis, die* 11. *Octobris n.* 3. & sic habet: Anno 1300. quo Bonifacius VIII. jubilæum Anni sancti concessit, à B. Virgine Deipara cuidam clerico sibi devoto revelatum fuit, omnes tam vivos, quàm defunctos, pro quibus fuit applicata, indulgentiam fuisse consecutos.

81. Ad secundum non bene arguitur, à jurisdictione habitâ, per opinionem probabilem, ad indulgentiam acquirendam; nam jurisdictio ad absolvendum à reservatis, ex opinione probabili, est certa; supplente Ecclesiâ, seu conferente illam; si re ipsâ talis non sit, propter salutem animarum: ut tenent Doctores, ibi citati; quibus àdde Sanch. etiam *in decal. lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 35. Basil. Pont. *lib.* 5. *de matrim. cap.* 19. *n.* 8. *& cap.* 20. *n.* 7. & alios plures, quos refert, & sequitur Castr. Pal. *tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 2. *punct.* 5. *n.* 9. Tamborin. *lib.* 1. *decal. cap.* 3. §. 4. *n.* 21. at in indulgentiis hoc supplementum non requiritur; quia ad salutem animarum necessariæ non sunt.

82. Ad tertium, de argumento à similibus ad similia; dicendum est, nullam habere vim; quia nulla datur similitudo inter absolutionem à reservatis, & indulgentiam: ut dictum est; & licèt aliqua detur similitudo in Sacramentis; & in Sacramento pœnitentiæ liceat uti opinione probabili, ad absolvendum à reservatis, à censuris, & in matrimonio circa assistentiam, ut *n. precedenti* cum ibi citatis Doctoribus, diximus; non tamen licitum est, in conferendis sacramentis uti opinione probabili de valore Sacramenti, relictâ certâ, & securâ, ut sustinent Soar. *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 16. *sect.* 2. *& disp.* 21. *sect.* 4. *ad fin. & disp.* 45. *sect.* 1. *in fine, & disp.* 60. *sect.* 1. *in fine, & tom.* 4. *disp.* 26. *sect.* 6. *n.* 5. Sal. *l.* 2. *tract.* 8. *disp. unic. sect.* 5. *n.* 86. Henriq. Valenc. & alii apud Castr. Pal. *tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 2. *punct.* 5. *n.* 3. Tametti ipse Castr. Pal. *n.* 5. cum Vazq. *l.* 2. *q.* 19. *art.* 6. *disp.* 63. *cap.* 2. *&* 3. Sanch. de matrim. *lib.* 3. *disp.* 20. *n.* 4. *& lib.* 1. *decal. cap.* 9. *n.* 33. Villal Sayr. Basil. Pont. Salon. Accedit Tambor. *lib.* 1. *decal. cap.* 3. §. 4. *n.* 20. & alii; qui omnes docent, in conferendis Sacramentis, seu in administratione illorum, per se licere, sicut in aliis materiis, uti opinione probabili, relictâ probabiliori, & certâ; nisi ab Ecclesiâ, per consuetudinem, vel speciale aliquod decretum prohibitum sit.

83. Ex utrâque sententiâ sequitur, non solùm esse illicitum, uti opinione probabili de valore Sacramenti, in collatione Baptismi, ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis; sed etiam illicitum esse, in Sacramento, seu materiâ confirmationis, balsamum non apponere, licèt probabile sit, non esse apponendum; ut docuerunt Cajet. Sot. Navarr. Valenc. Sà. Barbos. & alii apud Castr. Pal. *tom.* 4. *tract.* 20. *disp. unic. punct.* 2. *n.* 2. Item in Sacramento Eucharistiæ probabile est, typham, vulgo *centeo* specie non differre à tritico, & tamen non est licitum, in eo consecrari; quanvis oppositum ex D. Thom. dixerint Victoria, Henriq. & alii, apud Fagund. *in* 3. *Eccles. præcept. lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 8. Supersedeo aliis opinionibus probabilibus in hâc materiâ, quarum usus non est licitus, in Sacramentis conferendis, seu administrandis.

84. Quæ opiniones, licèt non sint damnatæ à S. Pontifice Innocentio XI. fuit tamen, per suum decretum quod incipit: *Sanctissimus D. N. Innocentius*, editum anno 1679. 4. Martii, ut minimum tamquam scandalosa damnata, & prohibita hæc propositio, quæ est prima ex damnatis: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis, sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, nisi id vetet Lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententiâ probabilis tantùm utendum non est, in collatione Baptismi, ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.* Ex cujus damnatione, & prohibitione sequitur, etiam in aliis Sacramentis à Baptismo, & Ordine, non esse licitum, in eorum collatione, uti opinione probabili.

85. Ostenditur, quia hæc damnatur: *sententia probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, & ordinis sacerdotalis, aut Episcopalis:* Cùm ergo dictio *tantùm* sit taxativa, includit expressum, & reliqua excludit, ut in *l. qui alienâ §. liberos ff. de neg. gest. & in l. qui fella §. qui altum ff. de servit. rustic. prædior.* & notant DD. Barth. Jason. Card. Felin. Panormit. Ancharr. Abb. Alex. Decius Gozadin. Curt. Jun. Ruin. Tiraq. Menoch. Surd. Cened. & alii plures, quos refert, & sequitur Barbos. *in tract. Variar. dict.* 401. *n.* 2. Impedit etiam extensionem, ad non expressa; ut tenet Farinac. *part.* 4. *cons.* 76. *n.* 13. volunt ergo Authores hujus damnatæ propositionis, quòd in Baptismo, ordine sacerdotali, & Episcopali tantùm, non esse licitum uti opinione probabili; in aliis verò sacramentis, licere. At ex damnatione, sequitur, etiam in aliis sacramentis conferendis, non licere uti opinionibus probabilibus, circa valorem sacramenti, relictis tutioribus; nam si prædicta propositio est damnata, ut est; opposita est certa, & vera, nempe: sententia probabili utendum non est in collatione Baptismi, & ordinis sacerdotalis, aut Episcopalis, & in alio, vel aliquibus sacramentis.

86. Ex dictis sequitur, non bene argui à similibus ad similia ad hoc, ut indulgentia, cum opinione probabili obtineatur; quia absolutio à reseruatis cum illâ obtinetur. Ad quartum patet solutio ex dictis ad secundum, *n.* 81.

SECTIO VIII.

Quæ, & quot indulgentiæ in prædictâ clausulâ concedantur?

87. EXpositis illis, quæ ad hanc, & ad alias hujus Bullæ indulgentias necessaria videbantur; supererat hujus indulgentiæ concessionem, & primum hujus Bullæ privilegium luculenter explanare. In eâ conceditur indulgentia plenissima, & remissio omnium peccatorum; quam apertius declarare voluit S. Pontifex, addendo, eam indulgentiam, à sumentibus Bullam, obtineri; quæ anno jubilæi, Romam petentibus, elargitur. In his tamen verbis, aliquid non additur, supra indulgentiam plenariam; nam supra illam, scilicet remissionem omnium peccatorum, nihil ultra supererat addendum; sed declarat S. Pontifex, hanc indulgentiam esse ejusdem rationis, cum illâ, quæ anno S. Fideles Romæ consequuntur; ut hujus indulgentiæ plenissimæ intelligentiâ, ad illius consecutionem excitentur; Vide quæ diximus de jubilæo anni sancti *disp.* 1. *n.* 104. *& sequentibus.*

88. Similibus verbis utitur S. Pontifex, in concessione aliarum indulgentiarum; ut in Bullâ Hispanâ, quando hæc conceditur indulgentia plenissima, addit: *qua profisciscentibus ad recuperationem terræ sanctæ, quæque in anno jubilæi, concedi consuevit;* quæ verba, licèt extensiora, nihil ultra concedunt, quod in Lusitanâ non concedatur. Hoc etiam palam fit, & aliis concessionibus, in quibus additur: *Lucrantes indulgentiam plenariam, eam obtinere, ac si loca Hierosolymitana, ac basilicas Romæ visitassent.* Vulgus autem per hæc, & similia verba, existimat aliquid, supra indulgentiam plenariam, & majores esse has indulgentias plenarias, cum his clausulis additis, quàm sine illis, alias plenarias indulgentias; qui error provenit ex ignorantiâ fructus indulgentiæ plenariæ. Adduntur tamen illæ clausulæ, ut sicut ex illis aliquid magnum concipiunt; ita etiam ad quamlibet indulgentiam plenariam, eâdem æstimatione, ad opera peragenda, moveantur.

89. Hæc indulgentia plenaria, seu plenissima conceditur semel in vitâ, durante anno publicationis Bullæ; & si post sex menses à die Bullæ publicationis, sumatur chirographus, eroganda eleemosynam dimidii argentei, vulgo *hunc vintem*, indulgentia plenaria secundò in vitâ conceditur; potest tamen hic chirographus, simul cum Bullâ, sumi; at indulgentia plenaria, in illo concessâ, lucrari non potest, nisi post semestre; ut constat ex verbis ipsius Bullæ.

90. Inquires tamen: An sicut indulgentia plenissima, concessa in chirographo, non potest consequi, nisi post sex menses, à Bullæ publicatione, vel intra illorum sphæram, ut tenet à Cost. *q.* 8. ita etiam indulgentia plenissima, per Bullam communem concessa, non possit obtineri, nisi in primis sex mensibus, à Bullæ publicatione, vel inter illos? Cum distinctione, mihi videtur, respondendum: si cum Bullâ simul, vel statim, post sextum mensem, à Bullæ promulgatione, accipiatur chirographus; indulgentia in Bullâ concessa, necessariò ab illo, qui eam vult obtinere, lucranda est, intra primos sex menses, à Bullæ promulgatione. Moveor ex verbis Bullæ Latinæ, ità disponentis, ibi: *Ita ut statim post sextum quemque ipsius triennii mensem, indulgentia hujusmodi rursus à prædictis, & aliis eorundem Regnorum, & dominiorum personis &c.* Cum verò determinet sextum mensem, intra cujus spatium indulgentia sumenda est, aliud tempus à nobis, non est determinandum.

At si Bulla communis, sine chirographo recipiatur, (cum de illo sumendo, nulla detur obligatio) tunc poterit indulgentia lucrari, quocunque die, intra annum durationis Bullæ. Sic Abreus *de Paroch. lib.* 10. *n.* 516. Ratio est, quia hæc conceditur in primis sine limitatione temporis, & solum limitatur, ad primos sex menses; quando accipitur chirographus, ut liquet ex verbis allatis.

91. Dices: si sumatur chirographus, sive in principio anni publicationis, sive post sex menses, à die publicationis, statim post sextum mensem indulgentia debet obtineri, sicut etiam in eodem eventu, statim alia indulgentia Bullæ communis, in principio sumptionis Bullæ; quia S. Pontifex his utitur verbis: *Ita ut statim post sextum quemque ipsius triennii mensem &c.* dictio, autem *statim* nullam admittit dilationem, & regulariter intelligitur, sine temporis intervallo: ut *in l. si finita §. non autem statim ff. de damn. infect. & in l. cum, qui quidam ff. de legat.* 2. Tiraq. *in l. si unquam, verb. revertatur Cod. de revocand. donat.* Surd. *decis.* 57. *n.* 9. *& decis.* 211. *n.* 32. Et Aloys. Ric. asserit, denotare celeritatem, *in decis. Curiæ Archiepisc. Neapol. part.* 4. *decis.* 288. *n.* 6. quod etiam docet, *in praxi rerum fori Eccles. decis.* 308. *n.* 2: Ergo non intra spatium sex mensium, sed statim indulgentia obtinenda est.

92. Respondeo illam dictionem *statim* debere su-

re sumi secundum materiam subjectam, ut dicitur *in l. quod dicimus ff. de solut. & in l. fin. Cod. de judic.* Gloss. *in verbo statim in cap. quicunque distinct.* 77. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *cas.* 9. *n.* 4. Gonsal. *ad reg.* 8. *cancell. Gloss.* 9. §. 1. *in annot. n.* 217. & alii: Cum verò materia sit indulgentiæ, ad quam requiritur confessio, & communio, ut *sect. sequenti* dicetur; sufficit quòd obtineatur quando hæc commodè fieri possunt; nam summus Pontifex, per illam dictionem *statim* non ostendit, quòd non possit intra totos illos sex menses, indulgentia obtineri; sed indicat, quòd statim possit obtineri; ut ex illius verbis constat. Et sanè optimum consilium est, ut statim, nempe intra primum mensem ad summum, post Bullam, vel chirographum receptum, indulgentia lucretur.

93. Et quid dicendum: Si tam Bulla, quàm chirographum post sex menses à publicatione Bullæ recipiantur? Respondeo, posse unam, & alteram indulgentiam intra totos illos sex menses, vel etiam intra tres, si tunc recipiantur, obtineri; quia erogatâ eleemosynâ à Commissario designatâ pro Bullâ, & chirographo; non apparet fundamentum, cur à Bullæ, & chirographi indulgentias fidelis quis excludatur.

94. Similem indulgentiam plenariam, seu plenissimam concedit S. Pontifex in Bullâ Hispanâ cum eisdem dispositionibus ad illam; at non conceditur secunda indulgentia, post primos sex menses. Et hujus discriminis rationem existimo fuisse; quia Gregorius XIII. Hispaniæ facultatem concessit, secundam Bullam recipiendi; quæ prodest, ad iterum reiteranda eadem privilegia; quæ in Bullâ pro unâ tantùm vice conceduntur: ut *supra* jam demonstratum est; cùm ergo Gregorius XIV. hanc facultatem Lusitaniæ non concessisset; secundam substituit indulgentiam; quæ loco secundæ Bullæ alium denuo jubilæum impertiret post primos sex menses; sed per hanc concessionem, nihil amplius conceditur, ut *supra* jam ostensum fuit: non enim voluit concedere facultatem absolvendi iterum à reservatis Pontifici; at concedit, quòd possit pro defunctis secunda Bulla sumi; ut *disp.* 26. videbimus.

SECTIO IX.

Quæ, qualis confessio ad has lucrandas indulgentias requiratur?

95. TRia ad utramque indulgentiam plenissimam requiruntur: Cordis contritio; oris confessio & communio actualis pro valentibus; non valentibus autem confiteri, neque communione reficì sufficit id corde optare. Sic constat, ex verbis Bullæ Latinæ initio hujus disputationis allatis. In præsenti tamen sectione de secundo requisito, in sequentibus, de aliis agemùs.

96. Quæstio principalis, & in quâ maxima datur controversia, est: An ille, qui valet confiteri, debeat id præstare; vel sufficiat confessum fuisse, in quadragesimâ præteritâ, eliciendo contritionem, in quâ includitur votum confitendi quadragesimâ futurâ? Prima sententia tenet, quotiescunque indulgentia conceditur, sub his verbis: *contritis, & confessis*, non requiri actualem confessionem, sed sufficere contritionem, ut indulgentia lucretur. Sic Card. Tolet. Gabriel. Rosel. Fabien. Armill. Angel. Comitol. Filliuc. quos refert, & sequitur Dian. 1. *part. tract.* 11. *resol.* 105. Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 52. *sect.* 3. *n.* 13. Card. de Lug. *de pœnit. disp.* 27. *n.* 94. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 3. *n.* 154. quanvis *n.* 153. requiri confessionem, judicet probabilius; ut *infra* citabitur. Probant Soar. *n.* 14. & Card. de Lug. cit. quia verba illa: *contritis, & confessis*, possunt intelligi distributivè; nempe, aut confessio detur, aut contritio.

97. Secunda sententia docet non requiri actualem confessionem, ad lucrandam prædictam indulgentiam in eo, qui non habet peccata mortalia, licèt peccata habeat venialia. Ita Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 52. *sect.* 3. *n.* 5. & Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 107. & apud illum Zenard. Lorichius, Comitol. Regin. Card. Bellarm. Graff. Coninch. Filliuc. Henriq. Molfes. & alii. Accedunt Castr. Pal. *tom.* 4. *tract.* 25. *de Bull. Cruciat. disp. unic. punct.* 4. *n.* 4. Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 5. *n.* 184. Probant, quia juxta stylum Ecclesiæ, quando à fidelibus requiritur confessio peccatorum, id intelligendum est, de confessione mortalium, quæ sunt materia necessaria hujus sacramenti; non autem de venialibus quæ sunt materia sufficiens.

98. Tertia demum, & tenenda sententia, juxta Bullam Lusitanam, & probabilior, juxta Hispanam, asserit, requiri ad prædictas lucrandas indulgentias actualem confessionem: Absolutè illam docent Floronus, & Nugn. apud Dian. *dict. resol.* 107. Mend. *disp.* 6. *n.* 42. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 3. *n.* 153. cum Peyrin. Navarr. Sanctarell. & Lezan., quos citat, & expresè sequitur juxta Bullam Lusitanam à Cost. *q.* 14. *vers. dubitatur secundò*, Abreus *de Paroch. lib.* 10. *n.* 518. Idem tenet Escobar *tom.* 1. *Theol. moral. l.* 7. *n.* 52.

99. Probatur, assertum esse tenendum, juxta Bullam Lusitanam, primò; quia hæc, ut vidimus, requirit etiam communionem, ad prædictas indulgentias lucrandas; & non distributivè, ut volunt Soar. & Card. de Lug. *supra*, sed copulativè, seu conjunctivè; ut patet ex verbis ipsius Bullæ Latinæ; quæ in concessione secundæ indulgentiæ plenariæ, post quam dixerat ad illam obtinendam requiri etiam eleemosynam, addit: *Aliaque prædicta toties conficientibus* (nempe durante triennio) *consequi possit, misericorditer in Domino concedimus.* Ubi notanda verba: *Aliaque prædicta toties conficientibus*, & supra: *Id corde optaverint*, quæ referuntur ad contritionem cordis, oris confessionem, & communionem actualem; quæ erant prædicta, ad primam indulgentiam. Cum ergo in uno verbo copulentur, & conjungantur; non distributivè, sed copulativè sunt intelligenda.

100. Secundò probatur, requiri confessionem, & communionem actualem, ex verbis, ibi: *confessi, sacraque communione refecti fuerint; aut non valentes confiteri, neque communione ipsâ reficì, id corde optaverint.* Si enim sufficit contritio tantùm, vel confessio in quadragesimâ præterita, vel futurâ, ad quid per dispensationem addit illam limitationem, *Non valentes confiteri ... id corde optaverint?* Ergo sine controversia est,

juxta

juxta Bullam Lusitanam, requiri confessionem actualem.

101. Dices: Præcepta annuæ communionis, & confessionis, ad recipiendam communionem, non obligant in eo, qui non habet conscientiam peccati mortalis; ut ex *Conc. Trident. & ex cap. omnis utriusque, de pœnit. & remiss.* tenent D. D. apud Fag. *præcept. 2. Eccles. lib. 1. cap. 2. n. 8:* Ergo etiam, non obligatur ad confessionem, qui lucraturus est indulgentiam, licèt ad illam requiratur confessio, quando non habet conscientiam peccati mortalis. Respondeo, negando consequentiam: diversa ratio est, quia per eam confessionem præcepto annuæ confessionis, & præcepto confessionis ad communionem satisfacimus, ad quam tenemur ex præcepto divino; de præcepto autem divino non tenemur confiteri peccata venialia, sed tantùm mortalia; at ad lucrandam indulgentiam, potest S. Pontifex, exigere confessionem de venialibus; quanvis illa non sit de præcepto; sicut potest exigere opera alia pietatis, & consilii: ut docet Soar. *tom. 4. in 3. part. disp. 52. sect. 3. num. 4. & 5:* Ergo de facto, illam confessionem postulat, ut ex dictis patet.

102. Hoc tamen assertum etiam existimo probabilius, juxta verba Bullæ Hispanæ; quæ communionem non exigunt, ad hanc lucrandam indulgentiam, ibi: *Si de illis corde contriti, & ore confessi fuerint*; in quibus dictio *Et* non sumitur distributivè, ut volebat Soar. & Card. de Lug. sed copulativè, & conjunctivè, juxta suam propriam naturam, ut in *l. siquis ita stipulatus ff. de verb. obligat. l. si hæredi plures ff. de cond. instit.* & aliis, & D. D. apud Bard. *tract. var. dict. 110. per totam*, ubi non invenitur, quòd dictio hæc intelligatur disjunctivè, seu distributivè; & hoc patet ex verbis Bullæ; quia sicut non requirit communionem, ut requirit Bulla Lusitana; si etiam non requireret confessionem, de illâ non faceret mentionem; sicut de communione non fecit. Quia tamen sententia opposita habet tot, & tam graves Doctores, & verba Bullæ non sunt tam stricta, ut sunt Bullæ Lusitanæ, illam judico probabilem.

103. Quoniam diximus, confessionem esse conditionem necessariam, ad lucrandam duplicem indulgentiam, initio Bullæ concessam; aliqua supersunt dubia supra aliquas confessiones. Et in primis certum est, non sufficere confessionem invalidam; quia per illam non redditur homo Deo gratus, nec dignus favore duplicis, nec alterius indulgentiæ concessæ: præterquam quod, per illam, non fit satis Ecclesiæ præcepto, si voluntaria sit. Nam Alexander VII. anno 1665. die 24. Septembris, hanc inter alias propositiones, tamquam scandalosam, ut minimum, damnavit: *Qui facit confessionem voluntariæ nullam satisfacit præcepto Ecclesiæ*; & est 14.

104. Ex hac propositione damnatâ sequitur, exterminandas esse sequentes opiniones, & non sufficere, ad lucrandam Bullæ indulgentiam, confessiones ab illis assertas. Prima est Sylvest. Palud. Can. Ledesm. & aliorum, quos refert Lean. *de sacram. tom. 1. tract. 5. de pœnit. disp. 3. q. 52.* asserentium, per confessionem non integram, omisso voluntariè aliquo mortali, etsi invalidam, satisfieri præcepto annuæ confessionis; nec talis opinio, ut probabilis potest admitti, ut illam supponit ipse Leand. *cit.*

105. Secunda opinio exterminanda, est Palud. Gabr. Victor. & aliorum, apud Leand. *proximè q. 53.* & Dian. *3. part. tract. 4. resol. 120.* asserentium, satisfieri præcepto annuæ confessionis, per confessionem, licèt integram, nullam tamen propter defectum omnino internum, v. g. doloris, vel propositi &c. Unde etiam audiendi non sunt illi, qui hanc opinionem dicunt probabilem; ut sunt Dian. & Leand. *locis citatis* & alii apud ipsos.

106. Tertia opinio exterminanda, est docentium, satisfieri præcepto Ecclesiæ, per confessionem licèt non subsequatur absolutio; hi sunt Victor. Coninch. & Ludovic. de S. Joan. apud Moyam. *in qq. select. tract. 3. disp. 1. q. 8. n. 21.*

107. Quarta opinio exterminanda, est Dominic. Baltanas *in margarit. confess. fol. 44.* in editione Complut. anno 1554. apud Moyam. *proximè*, tenentis, videri posse, differre confessionem, usque ad mortis articulum, illum, qui solùm haberet peccata cordis; quia de his (ait) Papa nihil habeat judicare. Hæc sententia est falsa; quia de fide est, præceptum divinum confessionis, ad omnia peccata mortalia, tam externa, quàm interna se extendere, & obligare; ut definitur *in concil. Trident. sess. 14. cap. 5. de confessione.* Ex dictis patet, nullam ex prædictis confessionibus esse sufficientem ad lucrandas indulgentias initio Bullæ concessas.

SECTIO X.

Dissolvuntur aliqua dubia, de confessione requisitâ ad lucrandas indulgentias, quæ initio Bullæ conceduntur.

108. PRimum dubium: An sufficiat confessio valida, & informis, ad prædictas indulgentias, supponendo, illam dari posse; ut tenent Soar. *tom. 3. in 3. part. disp. 28. sect. 6.* Card. de Lug. *de sacram. disp. 9. n. 102.* & alii plures apud Leand. *de sacram. tom. 1. tract. 1. disp. 5. q. 7.* Tambor. *lib. 1. de sacram. in gener. cap. 3. §. 2. à n. 8.* nam in sententiâ negante, posse dari (quam docent Vazq. Sotus, & alii apud Leand. *proximè*, & cum pluribus Fagund. *in 2. Eccles. præcept. lib. 2. cap. 7. n. 9.* quæ mihi videtur probabilior) nulla est dubitatio.

109. Illâ ergo suppositâ sententiâ adhuc videtur, eam confessionem non sufficere, ad lucrandas indulgentias; quia per confessionem validam, & informem non fit satis annuæ confessionis præcepto, ut tenet Medin. & Vazq. apud Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 3. q. 54:* Ergo satis non fiet per eam confessionem indulgentiæ Bullæ.

110. Oppositum tamen tenendum est, cum Soar. *tom. 4. in 3. part. disp. 52. sect. 3. n. 6. & 16.* Navarr. Henriq. quos refert, & sequitur Mend. *disp. 6. n. 39.* & omnes alii, qui dicunt, per eam confessionem, satisfieri præcepto Ecclesiæ; quos referunt, & sequuntur Fagund. ut *supra cap. 2. n. 2.* Leand. *citat.* Card. de Lug. *de pœnit. 15. n. 137.* cum hac tamen limitatione, si contritus ultimum opus perficiat, ut rectè notavit Escob. *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 54.* Probatur

batur nostrum assertum; quia illa confessio, licèt non sit formata gratiâ, propter obicem alicujus peccati mortalis, de quo pœnitens invincibiliter non dolet, est tamen valida; & ablato obice in ultimo opere, per appositionem doloris, qui defecit, constituetur in statu gratiæ, & indulgentiam lucrabitur. Adverte peccata explicata, in illâ confessione validâ, licèt informi, fuisse remissa directè, ablato obice, virtute clavium, & iterum non subjici Ecclesiæ judicio sic Card. de Lug. *de sacram. disp. 9. n. 100.* Vide dicenda *sect. sequenti n. 120.*

111. Secundum dubium; an ad has lucrandas indulgentias, requiratur confessio totius vitæ; & ratio dubii est, quia in Bullâ Latinâ, hæc dantur verba: *Plenissimam omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti, & ore confessi, sacrique communione refecti fuerint &c.* Ergo indulgentia plenissima videtur esse de solis peccatis confessis.

112. Dicendum tamen est: non esse necessariam confessionem totius vitæ. Sic à Cost. *q. 14. vers. Nota autem* Navarr. *not. 18. n. 17. & 18.* Rodrig. *§. 2. n. 11.* Trullench. *lib. 1. §. 1. dub. 15. n. 9.* Abreus *lib. 10. n. 520.* Cum communi D. D. Sufficit ergo, quòd confessio sit de peccatis commissis, post ultimam confessionem; si enim aliam requireret Pontifex, illam exprimeret: Illa ergo verba proximè adducta intelliguntur: concedi indulgentiam, pro omnibus peccatis, quæ jam, quoad culpam, & aliquam pœnam per sacramentum pœnitentiæ deleta sunt; alia verò nunc per idem sacramentum deleta; ita ut nullum sit peccatum, quod per confessionem deletum non sit.

113. Ex prædictis verbis *ore confessi*, oritur tertium dubium: An indulgentia extendatur ad peccata oblita, quæ quis oblitus fuit, confiteri, sine culpâ? Respondeo, cum distinctione; vel enim illa generaliter, aut specialiter pœnitens in confessione includit, vel non: si hoc secundum, puto, ad illa extendi indulgentiam, (in quo major esse poterat dubitatio) licèt oppositum teneat Fragos. *citandus*; quia etiam includuntur in eâ confessione; ut tenet Concil. Trident. *sess. 14. cap. 5. de confessione*, ibi: *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum, eadem confessione, inclusa esse intelliguntur.* Si primum etiam ad illa extenditur; quia ad oblita sufficit confessio generalis, ut cum Sylvest. Rutil. Benzon. Graff. tenet Fragos. *2. part. disp. 4. n. 30.* Confessio oblitorum generalis illa dicitur, quando quis in confessione, se accusat de omnibus aliis peccatis in Deum commissis; specialis verò, quando se accusat de omnibus oblitis. Ut hæc tamen exactius intelligantur, instituo sectionem sequentem.

SECTIO XI.

An si in eâ confessione, ad indulgentiam requisitâ, non manifestetur peccatum mortale, quod ex inadvertentiâ, vel oblivione, in transactis confessionibus, non fuit expositum, lucretur indulgentia?

114. HÆc quæstio attingit aliam, paucis ab hinc annis, ab aliquibus modernis, in dubium revocatam, nempe: an detur obligatio, confitendi mortalia, in confessione oblita, in sequenti; cùm jam in memoriam venerint. Primus, qui hanc quæstionem ad controversiam deduxit, & typis mandavit, fuit Leander à Murcia *lib. 2. disquis. moral. in l. 2. D. Thom. disp. 4. resol. 25.* Et primo loco illam proponit, & illius fundamenta probantia, (ut inscius aliquis existimabit) neminem teneri, fateri ea peccata; quæ, post diligentem discussionem, & examen conscientiæ, illius memoriæ non occurrunt; nonnullos, suppresso nomine, pro hâc sententiâ referens; in responsione autem ultimæ objectionis, adducit sententiam Petri Corneio, per Tribunale S. Inquisitionis, expunctam; quæ affirmabat; illum, qui confessus est, cum intentione sumendi Eucharistiam, vel sine eâ intentione confessus; voluit postea communicare; non teneri, confiteri peccata mortalia, quæ denuò, post confessionem, & ante communionem, in memoriam venerunt; & pro illâ citat Henriq. Præposit. Tambor. Buzemb. Sâ, Fagund. & Hieron. Gracia; injuriam irrogando Authoribus magni nominis, falsissimè hoc deliramentum imponens.

115. Quod fuisset impostura, in hos Authores, ostenditur; quia apertissimè oppositam sequuntur sententiam, in locis ab eo citatis. Solùm enim asserunt, quando communicaturus stat jam ad linteum, vel ad crates, ubi recipienda est sacra Eucharistia, eum non teneri, inde surgere, ad quærendum confessarium, si infamia, vel scandalum sequatur; & ex illis aliqui addunt, non teneri surgere, ob reverentiam illius loci. Et ex Trident. constat, necessitate urgente; posse omitti confessionem ad communionem; necessitas autem est urgens, si infamia, vel scandalum sequatur, nisi communicet; aut irreverentia exterior, contra sacramentum; extra hunc casum, nullus, ex præcitatis Authoribus, docuit, posse quem, absque necessitate, omittere confessionem alicujus peccati mortalis, quod in memoriam venit, se in aliis confessionibus non fuisse confessum.

116. Post discussionem hujus sententiæ, & objectionum responsiones, asserit, se pro sententiâ oppositâ stare; quia prædicta opinio, in praxi defendi non potest; tum quia nova, & in lucem non edita; tum quia contrarium tenet certa, & communis opinio; tum etiam; quia fuit expuncta mandato S. Inquisitionis, cujus judicio in rebus fidei, & morum, standum est.

117. Immorari non intendo in proponendis, nec refutandis prædictæ opinionis fundamentis; curiosus videat Moyam *in qq. select. tract. 3.*

disp. 1. quæst. 7. per totam, & Cardin. *in d. sput. select. 2. part. tract. 6. disp. 50. per totam* 13. capita, non parum extensa, comprehendentem: ubi fundamenta proponit, & dissolvit, quæ à Leand. à Murcia dissoluta non fuerant; ut facere debebat. Sufficiat dicere, eam propositionem, quæ universaliter docet; peccata, propter oblivionem, omissa in confessione, non debere amplius in confessione manifestari; ab Alexandro VII. fuisse damnatam ut minimum, tanquam scandalosam, in priori decreto anni 1665. estque ex damnatis, undecima, quæ sic habet: *Peccata in confessione omissa, seu oblita, ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur, in sequenti confessione, exprimere.*

118. Ex quâ palam sit, prædictam sententiam asserentem, peccata oblita in confessione, non esse confitenda, cum in memoriam venerint, esse falsam; & liquet etiam ex Trident. *sess. 14. cap. 5.* sic definiente: *Institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis, jure divino, necessariam existere.* Et statim: *Constat enim sacerdotes judicium hoc, incognitâ causâ, exercere non potuisse; si in genere duntaxat, & non potius in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent.* Ex his colligo, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum, post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri; etiamsi occultissima illa sint: Et infra: *Verum cùm universa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines-ira filios, & Dei inimicos reddant, necessum est omnium, etiam veniam, cum apertâ, & verecundâ confessione à Deo quærere.* & can. 7. *si quis dixerit, in sacramento pœnitentiæ, ad remissionem peccatorum, necessarium non esse, jure divino confiteri omnia, & singula peccata mortalia: quorum memoria cum debita, & diligenti &c. Anathema sit.* Sic Trident.

119. Ex quibus verbis, probo assertum: Omnes fideles tenentur, omnia, & singula peccata commissa confiteri: sed qui ex oblivione in aliquâ confessione, aliqua peccata omisit, illa non est confessus: ergo si modò in memoriam venerint, tenetur in sequenti confessione, illa exprimere.

120. Dices: Nemo tenetur, peccata iterum manifestare, à quibus directè fuit absolutus; sed peccata oblita in confessione, fuerunt directè absoluta: ergo illa non tenetur quis exprimere, cùm in memoriam venerint, in sequenti confessione: Major probatur ex Cardin. de Lug. *de sacram. disp. 9. num. 100.* ibi: *omnia enim peccata mortalia, quæ ab Ecclesia non remittuntur directè, debent ei subjici, ut remittantur directè;* & Arriag. *de pœnit. disp. 36. num. 6.* ibi: *Quod verò Theologi utantur ea voce directè, vel indirectè dimitti, parùm refert id fit in ordine ad obligationem ea peccata postea subjiciendi clavibus: quando enim manet obligatio ea subjiciendi, dicimus ea indirectè fuisse dimissa, directè verò, quando non est obligatio.* Et ex illis omnibus, qui docent, eum, qui sub dubio aliquod peccatum fuit confessus, non teneri postea, dubio cessante ut certum confiteri; quia jam fuit ab illo directè absolutus. Hi Authores sunt, Merol. *tom. 1. disp. 3. cap. 3. dub. 3. corollar. 23. num. 157. & 159.* Martin. de S. Joseph *in monit. confess. tom. 1. lib. 1. tract. 8. n. 9.* Vidal. *in arca Theol. moral. tom. 1. tract. de pœnit. inquis. 5. a num. 33.* Caram. *in Theol. moral. lib. 3. disp. 4. num. 1539.* & iterum *in Theol. fundamentali fol. mihi 699.* & alii apud Soar. Lusit. *de pœnit. tract. 3. disp. 3. num. 318. qui oppositum tenet n. 322.* & probabile existimant Pelliz. *tom. 1. tract. 5. cap. 3. num. 56.* Tambor. *in method. expedit. confess. lib. 2. cap. 1. §. 4. num. 24.* Verricell. *in quæst. moral. tom. 1. tract. 5. quæst. 6. num. 22.* Fr. Joseph. Rosell. *in tract. de deponendâ conscientiâ in dub. cap. 19. num. 14.* & tuentur Fr. Sebast. Sachus *in fascicul. flor. lib. 1. tract. 4. cap. 3. de conscient. dub. num. 35.* Delgadill. *tom. de pœnit. cap. 14. dub. 10.* Ferantin. *in disp. practic. q. 78.* Tancred. *in qq. moral. disp. 6. de pœnit. q. 2. fol. 102.* Anton. Perez *in manuscript. de pœnit.* & non improbabile putat Bresser. *de conscient. lib. 4. cap. 18. num. 197.* Addens idem dicendum etiam, si dubitatio procedat circa speciem; quod negat Card. de Lug. *de pœnit. disp. 16. num. 587. & 588.* & probabile dicit Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 5. quæst. 27.* omnes pene apud Moyam. *in qq. select. tract. 3. disp. 1. num. 2.* qui oppositum tenet, cum communi Doctorum.

121. Minor ostenditur: scilicet, peccata oblita fuisse directè, in confessione, absoluta; quia (ut ait Leand. à Murcia) id docent plures Authores; & pro hâc sententiâ citat viginti, & unum; & primo in loco Henriq. *lib. 1. de pœnit. cap. 13. n. 8.* & apud ipsum novemdecim Authores, nempe: Navarr. Palud. Gabriel; Adrianum, Can. Ledesm. Angluem. Anton. Sylvest. Armill. Angel. Gerson. Cov. Cord. Penam, Gallum, Guev. Rosell. Rodrig. Unde majoris, & minoris probatione sequitur; non teneri, pœnitentem exprimere, in sequenti confessione, peccata oblita, in præteritâ; si in memoriam venerint.

122. Respondet Moya, ubi *supra num. 20.* & apud ipsum Hurt. *tom. 2. tract. 12. cap. 2. num. 2091.* negando majorem; quia non est vera, ut probat Hurt. *ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 5.* & Moya hâc ratione. Si quis in urgentissimâ necessitate, in quâ ex causâ, nec species, nec numerus peccatorum confiteri possint, se in genere accusaret, dicens: *peccasse mortaliter*; poterit absolvi, ut docent communiter Theologi; & ab omnibus mortalibus, in tali casu, directè maneret absolutus; quia absolvi indirectè ab aliquo peccato, tunc datur; quando absolvitur quis ab aliquo directè: in præsenti autem casu nullum datur in particulari; clavibus subjectum; sed omnia æqualiter, & confusè: ergo omnia directè absolvuntur.

123. Respondeo tamen, concedendo majorem; nec ratio à Moya in responsionem adducta, contrarium probat; quia illa absolutio, licèt valida, non fuit directa illorum peccatorum generaliter confessorum. Et hujus ratio est, quia judicium non procedit directè, nisi in causam cognitam, sed absolutio est judicium: Ergo non procedit directè, nisi in causam cognitam; sed peccata confessa in genere, non sunt causa cognita, cùm judici sacerdoti maneant incognita: Ergo absolutio non procedit directè, in peccata in genere confessa: Major probatur expresè ex Concil. Trident. *sect. 14. cap. 5. de confessione*, ibi: *constat enim judicium hoc, incognitâ causâ, exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos, in pœnis injungendis, servare potuisse, si in genere duntaxat, & non potius in specie &c.* Ex quibus apertè constat, illud judicium non fuisse directum.

124. Ad

124. Ad illud verò, quòd asserit Moya, non dari absolutionem indirectam; quin detur ab aliquo peccato directa. Respondeo negando assertum; ut patet in casu, ab eo adducto *num.* 122. in quo judicium, seu absolutio fuit directa secundum rationem communem peccati, & non secundum singula peccata mortalia, quæ adhuc manent clavibus obnoxia; indirectè enim illis fuerunt subjecta; ut docet in eodem casu Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 23. *sect.* 1. *num.* 11. Cardin. de Lug. *de pœnit. disp.* 17. *à num.* 14. & Arriag. *cit. à dicto num.* 6. quanvis aliter explicet eam absolutionem directam, & indirectam. Vide illum.

125. Concessa igitur à nobis illius argumenti majore, nihil contra nos concludit illius probatio; & quanvis non concederetur, nihil probaret; primò, quia illam, existimo, non esse tenendam; quia, cessante dubio, peccatum debet, ut certum confiteri; ut docet Sanch in summ. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 69. Turrian. *de pœnit. q.* 9. *art.* 2. *disp.* 29. *dub.* 6. Dian. *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 91. & 4. *part. tract.* 3. *resol.* 5. *in fine* & 10. *part. tract.* 16. *resol.* 79. Gasp. Hurt. Scob. Avers. Martin. Ovied. & alii communiter quos refert, & sequitur Moya, ut supra *disp.* 6. *num.* 1. & Soar. Lusit. ubi *supra.* Secus dicendum, si peccatum fuisset confessum, ut certum; & post confessionem, ortum fuisset dubium, vel an fuisset mortale; quia tunc non est confitendum: sicut nec error in præcedenti confessione commissus, confitendo pœnitens bonâ fide peccatum, quod non commisit. Idem de illo, qui confessus est plures actus peccaminosos, quàm revera commiserat; quia negatio notitiæ certæ, non est materia accusationis, sed potius excusationis; ut docet Bonac. *disp.* 5. *de sacram. quæst.* 5. *sect.* 2. *punct.* 3. *num.* 7. & cum Megal. & aliis Dian. *part.* 2. *tract.* 3. *misc. resol.* 25. Soar. Lusit. *de pœnit. supra allegatus dicta disp.* 3. *num.* 324. & *seqq.*

126. Secundò: quia datâ eâ opinione: *n.* 120. adducta, peccata, sub dubio confessa, fuerunt directè absoluta; ut docent Authores pro illa citati: at peccata directè clavibus subjecta, ut docent communiter DD. non sunt iterum eis subjicienda: peccata verò oblita, clavibus directè, subjecta non sunt; quia debebant illis subjici secundum numerum, & speciem: ut sacerdos de illis, causâ cognitâ, potuisset judicium exercere; quod requiritur à Trident. cùm autem hoc datum non sit, tenentur fideles, cum in memoriam venerint, illa confiteri expresè & ab illis absolvi.

127. Deinde nego minorem *num.* 120. *allatam* in argumento, nec DD. pro illius probatione, illi subscribunt: ut jam *num.* 115. notavimus. Imo addo; neque mille Authores, si pro non confitendis oblitis, cùm in memoriam redeunt, darentur; illam opinionem redderent probabilem; quia contra propositionem, ex principiis fidei illatam, non sufficiunt. Item neque contra certitudinem moralem; quia ubi una pars est certò falsa, altera opposita necessariò esse debet certa; at hæc propositio certò est falsa: *Peccata in confessione omissa, seu oblita ob injustum periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere*; quia est damnata, ut minimum, tamquam scandalosa: Ergo opposita est certa: nempe, fideles tenentur, peccata in confessione omissa, quàcunque ex causâ, in sequenti confessione, exprimere. De peccatis oblitis, post confessionem, ad Eucharistiam sumendam, quæ debent ante communionem confiteri, Vide *infra num.* 152.

SECTIO XII.

De contritione, ad indulgentias initio Bullæ concessas, requisitâ.

128. PRima conditio, ad indulgentiam duplicem plenissimam lucrandam, in Bullâ communi, & chirographo concessam, est contritio; ut constat ex Bullâ Latinâ, ibi: *Corde contriti.* Et licèt contritio specie differat ab attritione, ut docet Sbar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 1. *sect.* 1. Cardin. de Lug. *de pœnit. disp.* 5. *num.* 131. Bonacin. *disp.* 3. *de pœnit. quæst.* 5. *sect.* 1. *punct.* 4. *num.* 12. & alii communiter, quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 1. *quæst.* 44. Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 3. *num.* 106. Omnes tamen Bullæ, & similium indulgentiarum expositores (in quibus prædicta verba apponuntur) asserunt sufficere attritionem; quæ est imperfecta contritio; quia intentio S. Pontificis est, partes essentiales sacramenti pœnitentiæ imponere; ut validum fiat pœnitentiæ sacramentum, per confessionem integram, & per contritionem, seu attritionem; inde est, quòd nomine contritionis, veniat etiam attritio. Sic Trullench. *lib.* 1. §. 1. *dub.* 15. *num.* 6. Abreus de Paroch. *lib.* 10. *num.* 520. Mend. *disp.* 6. *num.* 35. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 3. *num.* 155. Escob. *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *num.* 51.

129. Addit Trullench. & Escobar *citat.* per actum dilectionis Dei super omnia, si cætera adsint, posse lucrari indulgentiam; quia est quædam virtualis contritio; & per illam homo ponitur in gratiâ. Hæc tamen incongruenter dicta sunt ad lucrandam indulgentiam; quia, quanvis verum sit, dilectionem Dei super omnia ad justificationem sufficere; ut tenent communiter Theologi cum Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 9. *sect.* 1. Cardin. de Lug. *de pœnit. disp.* 5. *num.* 93. Vazq. *tom.* 4. *in* 3. *part.* & alii, quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 1. *quæst.* 23. Tamb. *in method. confess. lib.* 1. *cap.* 1. §. 5. *num.* 12. Ad lucrandam tamen indulgentiam Bullæ initio concessam, verum non est: quia, ut diximus proximè, intentio S. Pontificis ad hanc indulgentiam contritionem requirentis fuit, apponere partes essentiales sacramenti pœnitentiæ; at dilectio Dei super omnia sine dolore, & detestatione formali peccati, non est pars essentialis sacramenti pœnitentiæ: Ergo quanvis sufficiat ad justificandum peccatorem, extra sacramentum; non est tamen sufficiens dispositio, ad pœnitentiæ sacramentum.

130. Et ostenditur, *ex Trident. sess.* 14. *can.* 4. definiente, requiri contritionem ad confessionem, cujus partes sunt, non tantùm dilectio Dei super omnia; sed etiam dolor, & detestatio peccati formalis, cum proposito efficaci non peccandi de cætero; & non virtualis, & æquivalens, qualis datur in dilectione Dei super omnia; ut docent Soar. *citatus disp.* 20. *sect.* 4. Ægid. Coninch. Filluc. quos referunt, & sequitur Bonac.

disp. 5. de pœnit. quæst. 3. part. 2. num. 6. Tambor. ut *supra*: repugnat enim æquè, esse sacramentum pœnitentiæ sine pœnitentia, ac confessionis sine confessione: Ergo nomine contritionis, sive perfectæ, sive imperfectæ, quæ ad lucrandam indulgentiam in Bulla requiritur, non venit dilectio Dei super omnia tantum, ut dicebant Trull. & Escobar.

131. Diximus, per illa verba Bullæ, *Corde contriti*, intelligi, Contritionem, quæ *est dolor de peccatis propter Deum summè dilectum, cum proposito non peccandi de cætero*; sufficere tamen attritionem, quæ *est dolor de peccatis propter eorum turpitudinem, vel ex metu gehennæ, & pœnarum, seu carentiâ beatitudinis conceptam, cum proposito non peccandi de cætero.*

132. Hæc tamen attritio, quæ sufficit ad valorem sacramenti pœnitentiæ, necessariò debet esse vera, & non sufficit existimata, ut cum pluribus defendit Vazq. *tom. 4. in 3. part. quæst. 92.* Ægid. *disp. 4. dub. 11.* Laym. *tract. 6. cap. 9. n. 9.* Cardin. de Lug. *disp. 14. num. 70.* Soar. *disp. 20. sect. 5.* Filliuc. *tr. 7. quæst. 11.* quos refert, & sequitur Moya *tract. 2. disp. 5. quæst. 3. num. 4.* quibus addo Soar. Lusit. *de pœnit. tract. 3. disp. 1. num. 139.* Ratio est, quia est pars essentialis sacramenti; & deficiente parte essentiali, totum corrit; nec bona fides pœnitentis potest suppiere defectum; aliàs etiam deficiente absolutione esset validum; si pœnitens bona fide se absolutum existimaret.

133. Hæc attritio ad sacramentum sufficiens non debet esse ex motivo purè naturali, ibi sistendo, v. g. ob infamiam apud homines; quia sub eâ ratione, non potest movere, ad attritionem supernaturalem; attritio verò, quæ disponit homines ad gratiam in hoc sacramento impetrandam, est donum Dei; & Spiritûs Sancti impulsus, ut dicitur in Concil. Trident. *sess. 14. cap. 4.* Ergo est supernaturalis. Ita Soar. *disp. 20. sect. 2. num. 6.* Vazq. *quæst. 92. art. 2. dub. unic. num. 13.* Molin. *in concordiam, disp. 14. in fine*, dicens oppositum parum tutum in fide, Soar. Lusit. *de pœnit. tract. 3. disp. 1. num. 136.* & alii communiter.

134. Meritissimè ergo sanctissimus D. N. Innocentius XI. die 4. Martii anno 1679. inter alias propositiones, damnavit, ut minimum tamquam scandalosam, hanc: *Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam*; quæ ex damnatis est quinquagesima septima, inter alias duas ad sacramentum pœnitentiæ attinentes.

135. Ex qua sequitur, relegandam esse opinionem Sot. *in 4. dist. 14. q. 2. art. 5. §. & confirmatur ratione*, & expressiùs *dist. 18. q. 3. art. 3.* asserentis, ad effectum hujus sacramenti sufficere attritionem naturalem solis viribus naturæ elicitam, sive sit ex motivo æterno, & honesto, sive ex motivo naturali, & indifferenti, ut vitare infamiam apud homines, ibi sistendo, vel aliud temporale detrimentum, secundum se consideratum, & non prout à Deo in ultionem, & pœnam peccati immissum; cum Sot. consentit Can. in relect. de pœnit. p. 5.

136. Cum his, quos citat, annumerat Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 1. q. 47.* Vazq. *l. 2. disp. 194. cap. 4.* Valent. *q. 8. punct. 2.* Hurt. *disp. 6. de pœnit. sect. 6.* Quantam injuriam inferat his Authoribus non consideravit Doctissimus Leand. & si legeret locum, quo Vazq. citatur à Valent., illum non conjungeret cum Sot. nam *citato loco n. 34.* sic ait Vazq. impugnando Sot. *Quocirca Sot. in 4. dist. 14. q. 2. art. 5. post medium, perperam docuit, hanc attritionem, quæ concipiatur ex metu inferni, & turpitudinis peccati, esse ex proprijs viribus; & nihilominus esse dispositionem ad justificationem cum sacramento, ut jam loco notavimus.* Non consentit ergo Vazq. cum Sot. nec tenet, attritionem naturalem sufficere cum sacramento. Legere etiam poterat Vazq. *de pœnit. q. 92. art. 1. dub. 3. per totum*, ubi primo, *n. 1. 2. & 3.* impugnat Sotum asserentem in eo loco expressiùs attritionem naturalem sufficere cum sacramento; & *n. 4.* impugnat Can. & addit *n. 5.* hæc verba: *Quod verò docet Sot. quòd dolor de peccato, ut est offensa Dei tantùm ex amore naturali Dei, sit attritio, & non contritio; quam videtur concedere ex propriis viribus, in quo eum sequitur Can. 5. part. relect. fol. 121. §. Tertio, etiam est manifestè falsum ut probavi l. 2. d. sp. 194.* Et statim addit: *Sed non dicerem attritionem, sed contritionem, nec ex propriis viribus, sed ex auxilio gratiæ.* Apertè ergo constat Vazq. nunquam pro sententiâ Sot. & Can. stetisse, & malè pro eâ cum illis eum conjunxisse Leand. Illos tantùm, nempe: Sotum, & Canum citant pro attritione naturali Trullench. *tom. 3. praxis sacram. lib. 4. cap. 5. dub. 5.* Soar. *de pœnit. disp. 5. sect. 1. n. 4.* Alios etiam, pro eodem citat Soar. Lusitan. *supra n. 134.*

137. Ut tamen à calumnia, & impostura non solùm defendamus Vazq. Valent. & Hurt. *supra citatos*, sed etiam Bonac. Henriq. quos etiam citat Leand. pro attritione naturali, & Soar. Lusit. proximè; licèt pro oppositâ sententiâ illos referat Trullench. & bene. Advertendum est, inter Theologos controverti; an attritio ad sacramentum pœnitentiæ requisita debeat esse supernaturalis, quoad substantiam, an sufficiat supernaturalis quoad modum, nempe: ex gratiâ per Christum elicitâ, licèt entitativè sit naturalis? Communis sententia cum Soar. docet, debere esse supernaturalem quoad substantiam; alia verò, cum Vazq. Hurt. Bonac. & aliis, tenet, sufficere attritionem supernaturalem quoad modum, seu ex gratiâ per Christum elicitâ. Non est hujus loci, has in controversiam adducere opiniones; sufficiat dicere, nullum ex prædictis Theologis somniasse scribere; attritionem viribus naturæ elicitam ad sacramentum pœnitentiæ sufficere: ut falsò illis imponit Leand. Aliud enim est, entitativè, licèt ex auxilio gratiæ, esse naturalem, aliud viribus naturæ elicitam absque auxilio gratiæ, per Christum. Sic Moya *cit. q. 4. n. 17.* Propositio verò damnata, non videtur includere hunc modum Theologisandi horum Authorum.

138. An verò in prædictâ propositione damnatâ includatur opinio Can. Sot. Palud. Capreol. Durand. Cajet. Sylvest. Victor. Mantii, & Penâ apud Henriq. *lib. 1. de pœnit. cap. 26. n. 2.* & in gloss. litter. D. & Ludovic. Lop. ut referunt Moya proximè *n. 16.* & Soar. Lusit. *cit.* asserentium, attritionem viribus naturæ elicitam sufficere ad valorem sacramenti, licèt non sufficiat ad gratiam in sacramento obtinendam? Mihi videtur affirmandum; quia attritio naturalis, in eâ propositione, intelligitur ea, quæ est pars sacramenti; sed attritio, quæ est pars essentialis sacramenti, est dispositio ad gratiam: Ergo si est

natu-

naturalis, ex viribus naturæ elicita; insufficiens est ad sacramenti valorem.

SECTIO XIII.

De contritione requisita ad confessionem venialium.

139. DIximus, ad lucrandas indulgentias initio Bullæ concessas, etiam in eo, qui non habet conscientiam peccati mortalis, requiri confessionem; sed quia peccata venialia sunt materia sufficiens ad hoc sacramentum, oritur quæstio. An ad confessionem de mortalibus jam confessis, aut de solis venialibus, requiratur dolor formalis? Respondeo cum communi affirmativè; quia totum continet suas partes *l. 1. §. si stipulanti ff. de verb. oblig. l. si alii ff. de usufruct. l. in toto* 114. *ff. de reg. jur. cap. plus* 35. *cap. in toto* 80. *eod. titul. in 6.* Sed in Concil. Trident. *sess.* 14. *can.* 4. definitur, dolorem esse partem pœnitentiæ, ibi: *Videlicet contritionem, confessionem, & satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur*; nomine autem *contritionis* venit dolor, seu detestatio peccati commissi: Ergo dolor formalis necessariò requiritur ad confessionem, sive confiteantur mortalia, sive venialia. Sic Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 11. *sect.* 3. *& disp.* 10. *sect.* 6. Vazq. *de pœnit. disp.* 91. *art.* 1. *dub.* 1. *n.* 2. Bonac. *disp.* 5. *de pœnit. q.* 5. *sect.* 1. *punct.* 3. quos refert, & sequitur Tamborin. *in method. confess. lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 1. Card. de Lug. *de pœnit. disp.* 14. *n.* 106. Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 3. *disp.* 1. *n.* 190. Non desunt tamen, qui dicant, sufficere dolorem virtualem: ut videre est apud Tambor. *cit.* & Moyam *in qq. select. tract.* 3. *disp.* 5. *q.* 5. *n.* 13. *&* 19. qui alios citant, & sequuntur.

140. Unde sequitur, illum committere peccatum mortale, qui absque dolore efficaci confitetur sola venialia; quia frustrare sacramentum in re levi non est culpa levis, sed gravis; ut patet in eo, qui se offert rebaptisandum ab eo, qui ignorat priorem baptismum; cujus turpitudo consistit in eo, quòd faciat proferre verba formæ, in eo casu, quo valida esse nequeunt: Ergo in ordine ad sacramentum, non levis, sed gravissima res est, irritare sacramentum. Nec ex pœnitentiâ levi, potest confici argumentum; quam non implendo pœnitens, mortaliter non peccat; quia per eam non impletionem, sacramentum non frustratur; sed solùm fraudatur aliquâ parte levi sui fructus. Nec etiam valet argumentum à sacramento matrimonii, quod celebratur fictè absque intentione, & consensu interno, ad vitandum aliquod grave damnum; nam licèt sacramentum fiat irritum propter fictionem; in eo tamen non committitur peccatum mortale, ut docet Sanch. *lib.* 1. *de matrim. disp.* 11. *n.* 2. Henriq. *lib.* 11. *de matrim. cap.* 9. *n.* 6. quia matrimonium cùm sit contractus onerosus humanus, voluit Christus illum relinquere, ut in se erat; elevando tamen illum, ad rationem sacramenti; cum verò homines, ex urgenti causâ, possint fingere contractum; noluit Christus, eos cogere ad hoc; ut propter reverentiam sacramenti, relinquerent facultatem, quam antea habebant, fingendi consensum, & reddendi contractum irritum, ex eâ parte, quâ contractus est. Ita Card. de Lug. ubi *supra* §. 2. *per totum.* Tamborin. *super cit. n.* 4. Soar. Lusitan. *proximè n.* 196.

141. An verò prædictus dolor sit sub peccato mortali habendus de omnibus peccatis venialibus in ea confessione explicatis? Respondeo: sufficere si de uno tantùm habeatur. Sic Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 20. *sect.* 6. *n.* 6. Henriq. Fagund. quos refert, & sequitur Cardin. de Lug. *dict. disp.* 14. *n.* 118. Moya *cit. q.* 6. *n.* 2. & apud illum Gasp. Hurtad. Granad. Dian. 4. *part. tract.* 4. *resol.* 193. Soar. Lusit. *cit. n.* 198. Tambor. *ut supra n.* 5. & apud ipsum Laym. & alii. Probatur, quia quando ponitur dolor efficax de aliquo veniali, quòd in confessione subjicitur, non frustratur sacramentum.

142. Ex quo sequitur, posse excedentem terminos temperantiæ in potu, & cibo, comedendo, vel bibendo usque ad satietatem, se accusare: quia peccatum est, & dolere de illo; dum manet inter terminos veniales. Quando autem excessus cibi, & potus, sit mortalis, vide Less. *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 1. 2. 3. *&* 4. Abreum de Paroch. *lib.* 8. *à n.* 676. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 5. *cap.* 23. *à n.* 100.

143. Advertè, quòd Sanctissimus D. N. Innocentius XI. 4. Martii, anni 1679. damnavit, ut minimum, tamquam scandalosam, hanc propositionem: *Comedere, & bibere usque ad satietatem, ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui*; quæ ex damnatis, est octava. Quare audiendus non est, imo ablegandus, Joann. Sanch. *in select. disp.* 2. *n.* 14. apud Dian. 3. *part. tract.* 5. *resol.* 6. hanc propositionem docens.

SECTIO XIV.

Quænam communio requiratur ad prædictas indulgentias.

144. ULtimum opus requisitum, ad lucrandas indulgentias plenissimas, in principio Bullæ concessas, est sumptio Sacræ Eucharistiæ, ibi: *Sacràque communione refecti*, quæ non postulatur à Bullâ Hispanâ; ut jam *supra* notavimus; & cum sit ultimum opus, debet homo existere in gratiâ: docent enim D. D. quando ad aliquam indulgentiam, vel jubilæum obtinendum, multa opera requiruntur, sufficere ad illum lucrandum, quòd in ultimâ existat gratia. Sic cum Soar. & aliis Fragos. *tom.* 2. *disp.* 4. *n.* 39. Mend. *disp.* 6. *n.* 46. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 3. *n.* 59. & alii, quos *supra n.* 41. citavimus.

145. Videntur tamen negare omnes, docentes, satisfacere communioni à jubilæo requisitæ, illum, qui sacrilegè communicat; ut sentiunt Card. de Lug. *de pœnit. disp.* 27. *n.* 103. Dian. *part.* 5. *tract.* 12. *resol.* 17. post Bossium; & probabile dicit, ob rationes à Bossio allatas, Gobat. *n.* 177.

146. Pro hac etiam sententiâ citari poterant omnes illi, qui docuerunt, satisfeciisse Ecclesiæ præcepto, eum qui scienter, vel ignoranter, in peccato mortali, communicavit in Paschate; ut tenuerunt Sot. Azor. Granad. Soar. Vazq. Filliuc.

Trullench. Card. de Lug. Bonac. Fagund., & alii plures, quos referunt, & sequuntur Leand. *tom. 2. tract. 7. disp. 3. q. 28.* Dian. *part. 3. tract. 4. resol. 43. & in addit. resol. 14. & part. 11. tract. 7. resol. 20.* ex eâ ratione; quia vere communicat, & verè suscipit sacramentum: Ergo etiam per communionem, in peccato mortali susceptam, satisfacit jubilæis duplicibus in Bulli concessis, habens Bullam Cruciatæ; si contritio, quam Bulla requirit, post communionem habeatur.

147. Dicendum tamen est, ut certum, requiri ad communionem statum gratiæ. Ratio est, quia, ut diximus *supra n. 41. & n. 144.* cum D. D. ibi citatis, quando ad aliquam indulgentiam, vel jubilæum obtinendum, requiruntur plura opera, necesse est, quòd in ultimo, lucrans sit in statu gratiæ: Sed ad Bullæ indulgentias plenarias, seu jubilæos, requirunt tria, nempe: contritio, confessio, & communio, ut notavimus *supra n. 95.* & constat ex ipsâ Bullâ, ibi: *De quibus corde contriti, & ore confessi, sacrâque communione refecti fuerint:* Ergo cum communio sit in ultimo loco, necessariò debet esse lucrans in statu gratiæ: Addo quòd Bulla requirit eam communionem, quâ refecti reddantur communicantes: Sed per communionem sacrilegam, communicantes non redduntur refecti: Ergo semper communio debet esse in statu gratiæ.

148. Nec opiniones oppositæ aliquid convincunt, non adductæ *n. 145.* quia S. Pontifex requirens, ad aliquam indulgentiam, vel jubilæum obtinendum, communionem; non intendit sacrilegam; nec eam communionem, in quâ suscipitur solùm materialiter sacramentum; sed eam, quæ à lucrante, in statu gratiæ, & sinè peccato mortali, recipitur; ut clarius, ex responsione sequenti, apparebit.

149. Nec etiam opinio *n. 146.* allata, aliquid conficit; quia sicut S. Pontifex non admittit, posse satisfieri præcepto communionis Paschalis, per confessionem sacrilegam; sic etiam non admittit, posse, per communionem sacrilegam; quando illam, ad aliquam indulgentiam, vel jubilæum, expostulat. Quòd S. Pontifex non admittit eam opinionem, ad satisfaciendum præcepto communionis Paschalis, ostenditur; quia Sanctissimus D. N. Innocentius XI. 4. Martii, anni 1679. damnavit, ut minimum, tamquam scandalosam, propositionem hanc: *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem*; quæ inter damnatas est 55. & continet doctrinam illius opinionis. Si ergo S. Pontifex expressè declarat, non satisfieri præcepto communionis Paschalis, cum communione sacrilegâ, quanvis in eâ detur receptio sacramenti, & Sanctissimi corporis Christi; etiam dicendum est, quando in operibus ad jubilæum requisitis, vel ad binas indulgentias in nostrâ Bullâ concessas, designat communionem, non designare sacrilegam, nec velle illam sufficere; quanvis in eâ communione detur susceptio sacramenti.

150. Ex damnatione dictæ propositionis sequitur primò, sacrilegè communicantem in Paschate, non manere deobligatum à communionis annuæ præcepto; imo teneri, quàm primùm moraliter possit, sumere dignè sacram Eucharistiam; quia adhuc non satisfecit præcepto, ut patet, ex propositionis damnatione. Et terminus ille Paschatis non assignatur, ut in solo Paschate fiat; sed ut ultra illum non debeat communio differri: sunt enim in *cap. omnis utriusque sexus, de pœnit. & remiss.* in verbis illis: *suscipiens reverenter ad minus in Paschâ Eucharistiæ sacramentum*, duo præcepta; alterum communicandi semel saltem in anno, alterum communicandi in Paschate; qui ergo in Paschate, sacrilegè communicavit, non implevit secundum præceptum: Ergo tenetur iterum dignè communicare in Paschate; si adhuc durat præcepti secundi tempus; si autem jam est transactum, tenetur adimplere præceptum annuæ communionis. Et ita debent docere omnes illi, qui docent, teneri non communicantem in Paschate, post illud, quam primùm communicare. Hi sunt Soar. Regin. Filliuc. Villal. & alii plures, quos referunt, & sequuntur Cardin. de Lug. *de Euchar. disp. 16. n. 65. & 66.* Leand. *tom. 2. tract. 7. disp. 3. q. 29.* Licèt oppositum, ut probabile, teneat Dian. *3. part. tract. 4. resol. 41.* Soar. Lusitan. *de pœnit. tract. 5. n. 85. & part. 5. tract. 13. resol. 3.* cum pluribus, quos in utroque loco citat.

151. Sequitur secundò, per communionem sacrilegam, tempore Paschali, susceptam, non evadere excommunicationem communicantem, si forte lata sit ab Ordinario, sacram Eucharistiam non suscipientibus; quia imponitur, ut præceptum observetur; at præceptum per illam communionem non observatur: Ergo illam incurrunt. Authores verò, qui id negabant, audiendi jam non sunt, post prædictæ propositionis damnationem. In hâc tamen Ulyssiponensi Diœcesi, non communicantibus, non imponitur, sed non confessis, excommunicatio.

152. Inquires: An si quis, antequàm ad altare accedat, recordetur alicujus peccati mortalis obliti in confessione ad eam communionem factâ, teneatur illud confiteri, antequàm communicet? Respondeo affirmativè, sic tenet praxis fidelium, non audentium communicare, nisi prius confiteantur peccata memoriæ occurrentia, post confessionem, & Doctores, quos citant, & defendunt Leand. *tom. 2. tract. 7. disput. 7. quæst. 21.* Dian. *part. 9. tract. 3. resol. 4. & part. 11. tract. 8. resol. 40.* Accedit Card. de Lug. *de sacram. Eucha. disp. 14. num. 116.* asserens, nullum Authorem invenisse contrarium docentem; illos verò invenerunt Leand. & Dian. *locis cit.* qui falsò citant Regin. *tom. 2. lib. 19. cap. 6. quæst. 4. sect. 1. num. 105.* & Joan. propos. *in 3. part. q. 80. art. 5. dub. 3. num. 5.* eandem intulit injuriam Reginaldo Castr. Pal. *tom. 4. tract. 21. disp. unic. punct. 12. num. 4.* & Trullench. *de sacram. lib. 3. cap. 6. dub. 4. num. 13.*

153. Ab hac injuriâ liberare conatur Reginaldum Moya *in qq. select. tract. 4. quæst. 5. §. 1. n. 1.* afferendo verba ipsius, in loco ab ipsis injuriantibus allato; ubi modestè carpit Leand. de impostura in Regin. & pro defensione refert ipsius Reginaldi verba. Verba verò ab eo relata, nec sunt Reginad., nec Reginaldus eâ indiget defensione. Non sunt verba Reginaldi: quia eo *n. 105.* numerat tres casus, in quibus licet Eucharistiam sumere, non præmissâ confessione, & in sequentibus, alios. Primum illius *num. 105.* dicit, esse in articulo mortis, quando habetur copia Eucharistiæ, & non confessarii. Secundus est infamiæ, quæ aliâ viâ non potest vitari; & in hoc secundo casu, hæc asserit: *Hunc si quis coram sacer-*

cerdote positus ad communicandum, recedere non potest, sine infamia notâ, excusatur, si contritus de mortali, cujus est sibi conscius, communicet, non præmissâ confessione; & ex Soar. *eâdem sect.* 4. §. *sexta causa*, subjunxit ista, notatu digna: Primò &c. secundò &c. & in tertiò, ea verba, quæ illi attribuit, & quibus eum defendit Moya; quæ tamen, non ex proprio Marte, sed ex Soar. refert Reginald. Quare illâ non eget defensione; tum quia, sua non est; tum quia nullum verbum in prædicto *num.* 105. affert, in quo, vel directè, vel indirectè ostendat se stare pro illâ opinione, pro quâ citatur à Leand. & ab aliis; ut attentè legenti constabit. Unde qui illum pro eâ citârunt, eum non viderunt.

154. Potest tamen videri eodem loco, non autem *num.* 105. *cit.* sed *num.* 103. antecedente prope finem; ubi expressè tenet sententiam communem (pro quâ non citatur) his verbis: *sufficit autem ad nostrum institutum, advertere primò; quantumcunque mortale, in confessione legitimè factâ, omissum inculpate censeatur cum aliis remissis; quod tamen adhuc debet clavibus Ecclesiæ subjici, si (etiam solum) in mentem recurrat, sumpturo Eucharistiam, eundem illius confessionem teneri ipsius sumptioni præmittere.* Quid clarius poterat dicere? Falsissimè ergo à prædictis citatur pro sententiâ negante, non debere præmitti confessionem peccati obliti, si fieri possit ad communionem, etiamsi ad eam sumendam, jam confessus sit; & pro hâc parte citatur à Card. de Lug. prædictis diligentiore, *tom. de sacram. disp.* 14. *Euchar. n.* 121. *in medio.*

155. Nec etiam Joann. Præposit. stat pro eâ sententiâ, pro quâ à Leand. & à Dian. citatur: quia, eo in loco, agit de illâ quæstione; an sacerdos qui prius confessus fuerat, & postea recordatur in missâ peccati, quod in confessione oblitus omiserat; & non potest jam confiteri; cum jam sit in altari, v. g.: an debeat elicere contritionem novam illius peccati ante communionem? Et asserit non debere; si dolor, præcedens confessionem, fuerat universalis de omnibus peccatis, vel ex motivo universali, quod etiam ad hoc peccatum se extenderet. Quam sententiam docet Card. de Lug. *disp.* 14. *de Euch. num.* 122. *& sequentibus*, asserens hanc in particulari observasse Præpos. 3. *part. quæst.* 80. *art.* 5. *dub.* 3. *num.* 5. in quo loco, & num. allegatur à Leand. & Dian. *loc. cit.* & ab aliquo, apud Moy., ubi *supra n.* 5, falsitati illorum inadvertenter consentientem.

SECTIO XV.

An qui non possunt confiteri, & communicare, valeant prædictas indulgentias obtinere?

156. REspondeo affirmativè; quia id conceditur in Bulla, ibi: *Aut non valentes confiteri, neque communione ipsâ reficì, id corde optaverint.* Et tunc dicitur quis non posse confiteri, neque communicare; quando ad hæc habet legitimum impedimentum, sive sit naturale; ut si quis sit mutus, ita ut non possit aliquo modo confiteri; vel si non habeat copiam confessarii, nec ad illum possit accedere; vel impedimentum sit morale; quia confessarius est peste infectus, censurâ ligatus &c. Sic à Cost. *q.* 14. §. *circa illa* Abreus de Paroch. *lib.* 10. *num.* 520. *in fine.* Hæc tamen absolutè ab his Authoribus prolata, indigent explicatione.

157. Circa impedimentum naturale, dico primò: Mutus, qui ore non potest confiteri, sed tantùm signis exterioribus; si per ea signa confiteatur, indulgentiam hanc obtinebit; si postea sacrâ reficiatur communione; quia hâc confessione potest satisfacere annuæ confessionis præcepto, & ad id teneri, docet Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 21. *sect.* 3. *num.* 2. Navarr. Rodrig. & alii communiter, quos referunt, & sequuntur Dian. *part.* 5. *tract.* 6. *resol.* 3. Leand. 1. *tom. tract.* 5. *disp.* 6. *quæst.* 18. Trullench. *in Bullam lib.* 1. §. 1. *dub.* 15. *num.* 6. Ergo etiam eâdem confessione, per nutus factâ, indulgentiam Bullæ obtinebit. Sic Escobar *in Theol. moral. tom.* 1. *lib.* 7. *num.* 53.

158. Dices: Qui solùm per nutus confitetur, non potest licitè absolvi, extra tempus, quo obligat præceptum confessionis; ut videntur docere Fernand. Nald. Megal. & Dian. *loc. cit.* Henriq. *lib.* 5. *cap.* 12. *num.* 3. & alii; & Medin. apud Henriq. id limitat, pro mortis articulo: Ergo Bullæ indulgentias, initio concessas non potest obtinere; si extra tempus, quo obligat præceptum confessionis, illas velit lucrari. Respondeo primò, negando antecedens; quia non desunt Authores, qui probabiliter asserant, posse mutum, etiam extra id tempus, confiteri, & communicare; ne sine culpâ, diu careat sacramenti remedio. Sic docent Possevin. de pœnitente ignotæ linguæ, Lop. & Sot. etiam de muto; quos refert, & probabile dicit Leand. *proximè*: ergo poterit confiteri, & communionem sumere, ut indulgentias consequatur. Respondeo secundò: posse mutum indulgentiam unam adipisci tempore, quo adimplet præceptum, & alteram, contritum; si non habet sacerdotem, qui eum, extra id tempus, velit absolvere; quia jam existit impedimentum morale, ad confessionem, & Eucharistiam sumendam.

159. Dico secundò: si infirmus, vel membris captus, extra tempus Paschale, careat sacerdote, à quo recipiat sacram Eucharistiam, ut indulgentiam Bullæ acquirat, debet confessionem præmittere; quia ad illam non habet impedimentum, ut suppono, & absque communione indulgentiam obtinebit.

160. Dico tertiò: si desiderans lucrari indulgentiam Bullæ, non habeat copiam alius confessarii, nisi excommunicati non tolerati, qualis dicitur nominatim excommunicatus, vel manifestus clerici percussor, qui nullâ tergiversatione celari potest, nequit ab eo petere confessionem. Ratio est, quia it contra prohibitionem, & obligationem censuræ, in re gravi; quæ prohibet communicationem in divinis cum excommunicatis, non toleratis; ut docent communiter Doctores, Soar. Henriq. Sayr. Granad. Becan. quos citat, & sequitur Leand. *tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 8. Bonac. *de excom. disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 2. §. 4. *num.* 7. Excipitur tamen casus necessitatis, quæ non datur, ut indulgentia lucretur.

161. Dico quartò: Non potest quis, ad lucrandam prædictam indulgentiam, petere confessio-

fessionem ab excommunicato tolerato; & si non habeat copiam alterius confessarii, maximè, si potest, confessionem differre, per aliquos dies, in quorum dilatione, alium habebit commodum; quia sic operatur tutius, nullum inducendo ad peccatum mortale; & prima Bullæ indulgentia ex binis, in principio illius concessa, obtineri potest intra primos sex menses; & altera intra alios sex, à publicatione Bullæ; juxta ea quæ diximus *supra num.* 90.

162. Dixi: *quia sic tutius operatur*, nam licèt Sanch. *lib.* 7. *de matrim. disp.* 9. *num.* 8. existimet, licitum esse petere sacramenta, absque necessitate ab excommunicato tolerato; dummodo aliud non sit impedimentum, præter excommunicationem; nec peccare confessarium, sic præventum, nec irregularem manere; quod etiam videtur tenere Cardin. de Lug. *de sacram. disp.* 8. *num.* 229. *prope medium*; quia petendo; non peccat, quia cum excommunicatis toleratis, jam licita est communicatio; nec etiam propter cooperationem ad peccatum excommunicati; quia iste peccatum non committit; nam datâ facultate, petendi ab excommunicato tolerato sacramenta, datur etiam ipsi excommunicato indirectè facultas ministrandi; quando alius petit ob suam utilitatem.

163. Alii tamen asserunt, si non detur copia alterius confessarii, posse peti sacramenta, etiam extra casum necessitatis, & præcepti, propter magnam utilitatem, à proprio parocho tolerato; quia ab Ecclesiâ toleratur, & datur jus petendi; & Parochus si velit, potest sine ullo peccato ministrare. Sic Dian. *part.* 10. *tract.* 11. *resol.* 64.

164. Si verò confessarius non sit proprius parochus, licèt sit paratus ad confessiones audiendas, non potest, extra casum necessitatis, ab eo peti confessio; quia intercedit inductio ad actum in individuo, qui est peccatum. Sic Less. apud Dian. *proximè* Soar. Reginald. Sòt. Bonac. Granad. & alii apud Leand. *tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 5. *q.* 9. Oppositum tamen docet, si detur magna utilitas in petente, cum aliis pluribus, quos refert, ipse Leand. *dict. q.* 9. & 10. Cùm verò omnes hæ opiniones sint probabiles, potest illis uti, lucrari volens indulgentiam, propter illius magnam utilitatem; at si potest, per aliquos dies differre confessionem, tutius procederet, ut *supra* dixi.

165. Cæterum dico: ad lucrandas prædictas binas Bullæ indulgentias, etiam non datâ copiâ confessarii, nunquam alicui licere, accedere ad sacram communionem, non præmissâ confessione peccati mortalis, de quo conscius est; etiamsi perfectè contritum se existimet; constat *ex Concil. Trident. sess.* 13. *Can.* 11. & *cap.* 7. his verbis: *Nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere, audeat.* Et quanvis Concilium paulò post, eodem *cap.* 7. excipiat casum urgentis necessitatis communionis, ibi: *Modo non desit copia confessoris; quod si necessitate urgente sacerdos &c.* hæc tamen urgens necessitas non datur, ut quis indulgentias Bullæ lucretur; & licèt detur utilitas, non sufficit, ut quis sacram Eucharistiam, absque prævia confessione, recipiat.

SECTIO XVI.

An alia requirantur ad has indulgentias Lucrandas?

166. DUo tantùm, juxta Bullam Lusitanam (quam solum suscipimus explicandam) in dubium possunt venire. Primum, quòd etiam est commune aliis indulgentiis; An ad indulgentiam lucrandam, requiratur intentio formalis, dum media requisita exercentur; an verò sufficiat virtualis; quæ datur in eo, qui facit opus injunctum à Pontifice, nesciens, tali operi indulgentiam esse annexam? Respondeo cum distinctione; vel enim ad indulgentiam lucrandam, requiruntur aliqua opera apponenda, ad illius necessariam acquisitionem, vel non; sed tantùm conceduntur facienti aliquod bonum opus, v. g. si dicatur missa de Requiem, in tali altari, pro aliquo defuncto, liberabitur illius anima à purgatorii pœnis. Si primum, requiritur intentio formalis ad lucrandam indulgentiam; non tamen requiritur, ut in singulis mediis, ea habeatur intentio. Sic videntur sentire Veg. Leon. Cordov. Rodrig. Soar. quos refert, & sequitur Mend. *disp.* 6. *n.* 57. Accedit Trull. *lib.* 1. §. 6. *dub.* 2. *n.* 5. Quintan. *in append. tract.* 9. *dub.* 4. *n.* 1. & alii, quos citat. Probatur, quia S. Pontifex dum injungit opera ad aliquam lucrandam indulgentiam, ea vult dirigi ad eundem finem: Ergo si deficiat intentio formalis finis, media, ad eum finem, non dirigentur; nam media sunt propter finem.

167. Ex hoc sequitur, siquis ex devotione, & consuetudine, in eadem hebdomadâ visitet Ecclesiam, pauperibus eleemosynas eroget, jejunet feria 4. 6. & sabbato, confiteatur, & sacram recipiat communionem, indulgentiam non obtinere; si forte, ea facientibus, concedatur; quia hæc bona opera ex devotione, etiam ex optimâ consuetudine, & non ex intentione, jubilæum acquirendi, sunt facta; quanvis oppositum videatur tenere Gobat. *tom.* 2. *tract.* 3. *n.* 86. *vers. non etiam requiritur* & apud ipsum Card. de Lug. *de pœnit. disp.* 27. *n.* 8. Scobar, & alii, quos citatos sequitur Moya *tom.* 2. *qq. select. tract.* 3. *disp.* 4. *q.* 8. *n.* 30.

168. Dices: si quis ex devotione, missam audiat die festo ignorans, diem esse festum, non tenetur aliam audire; quia per illam missam, præcepto satisfecit; ut docent Sanch. Vazq. Valent. quos citat, & sequitur Dian. 3. *part. tract.* 6. *resol.* 68. Tambor. *lib.* 4. *decaleg. cap.* 2. §. 1. *n.* 18. Ergo etiam sine intentione lucrandi indulgentias, si opus requisitum ex devotione ponatur, lucrabuntur. Respondeo, negando consequentiam; dispar ratio est, quia ad implendum præceptum sufficit, quòd ponatur res præcepta; præcipitur enim, quòd missa audiatur, non verò, ut cum illâ, vel illâ intentione audiatur; at verò, ut indulgentia obtineatur, requirit Pontifex, ut opera injuncta apponantur; si verò finis non intendatur, opera ad eum finem, non diriguntur.

169. Sin autem ad lucrandam indulgentiam, non requirantur aliqua opera antecedenua; sed ea

ea concedatur, facienti aliquod opus v. g. recitanti coram aliquâ imagine; sufficit intentio virtualis. Probatur, quia unusquisque semper vult ex suo bono opere acquirere totum fructum, quem acquirere potest. Et ita videntur docere omnes dicentes, ad lucrandas indulgentias, sufficere intentionem virtualem; hi sunt Portel. Molin. quos refert, & sequitur Card. de Lug. *de pœnit. disp.* 27. *n.* 81. Tambor. *in Bull. cap.* 12. §. 2. *n.* 15. Gobat. ubi *supra*.

170. Ex dictis sequitur, ad lucrandas binas indulgentias Bullæ, requiri intentionem formalem, nempe: ut confessio, & communio fiat intentione acquirendi illas; & etiam potest confessio, & communio Paschalis pro una ex illis acquirendâ applicari; quia licèt sint opera, ex præcepto debita; hæc præstari possunt pro qualibet lucrandâ indulgentiâ, quando in illius concessione contrarium non exprimitur. Sic Henriq. *lib.* 7. *cap.* 10. *n.* 5. & 6. Rodrig. §. 7. *n.* 1. & 2. Villal. & alii, quos citat, & defendit Fragos. *tom.* 2. *disp.* 6. §. 3. *n.* 22. & §. 4. *n.* 34. & cum aliis Mend. ubi *supra n.* 57. *in fine* Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *n.* 177. *in fine*. Hoc existimo probabile, nam probabile est etiam oppositum ut videbimus *infra disp.* 10. *n.* 92.

171. Dubium secundum: An ad prædictas binas indulgentias lucrandas, requiratur confessarii applicatio? Expositores Bullæ Hispanæ affirmant; quia in suâ Bullâ Latinâ hæc dantur verba, apud Bard. *part.* 2. *tract.* 4. *cap.* 5. *n.* 1. *Et ab eo* (confessore) *quorumcunque peccatorum, & censurarum plenariam indulgentiam, & remissionem semel in vitâ, & semel in morte obtinere.* Et cùm verba sint clara, parvum inter illos est dissidium; solùm hoc datur: an applicatio fieri debeat intra, an verò extra confessionem? ab approbato, vel à simplici sacerdote? à sacerdote, vel à non sacerdote? Hæc curiosus videre potest apud Bard. *cit. dicto cap.* 5. Mend. *disp.* 27. *cap.* 1. 2. & 3. Tambor. *cap.* 12. §. 1. & 2. & alii, quos citant.

172. Dixi *parvum esse dissidium*: quia oppositum, nempe: non requiri, ad indulgentiam obtinendam, confessarii applicationem, tenet Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 9. *appendic. dub.* 3. *n.* 1. quia verba *obtinere*, & *ab eo* cadunt super absolutionem tantùm, & non super indulgentiæ lucrationem. Accedunt Rodrig. §. 9. *n.* 43. Curiel. *de jubil. pag.* 33. apud Bard. *cit. n.* 3. Fernand. *in exam. Theolog. moral.* 3. *part. cap.* 9. §. 10. *n.* 4. apud Dian. 1. *part. tract.* 11. *resol.* 106. & apud Fr. Joseph Mend. *sect.* 1. *n.* 141. *in fine*; quatenus docent acquiri indulgentias Bullæ ab eo, qui eâ intentione confitetur, licèt confessarius eas, renuat, applicare.

173. In Bullâ verò Lusitanâ, ea non dantur verba, hæc tamen habet: *Ex his, qui ab Ordinario, & quoad Regulares semel tantùm approbati fuerint, in confessorem eligere &c. plenamque omnium peccatorum suorum remissionem impendere.* Ex quibus verbis, non apparet, indulgentiam debere applicari per confessarium; sed ut remissionem omnium peccatorum, dum absolvit impendat, quod faciet post absolutionem, per illa verba: *Passio Domini nostri* &c. *sint tibi in remissionem peccatorum tuorum*; intentionem habens pœnitentem à pœnis absolvere. Et si hujus absolutionis intentionem obliviscatur, ea verba enuntiando; pœnitens habens Bullam, remissionem omnium peccatorum suorum obtinebit; quia confessarius semper habet intentionem absolvendi quantùm potest, tam à culpis, quàm à pœnis per illa verba: *In quantum ego possum*, & juxta Bullam Lusitanam, ex verbis Bullæ Latinæ, nuper relatis, hæc sufficere existimo; quia S. Pontifex solum electionem confessoris, qui remissionem impendat, præscribit. Nota, in summario, de applicatione, vel indulgentiæ impensâ, nullam fieri mentionem.

174. Possunt etiam hæc fieri, per ipsam absolutionem sacramentalem, intendente ipso confessario, absolvere pœnitentem à culpis, & à pœnis: ut tenet Soar. *tom.* 3. *in* 3. *partem disp.* 50. *sect.* 1. *n.* 8.

175. Consilium tamen optimum erit, à confessario petere absolutionem remissionis prædictæ; & si confessarius uti velit illis verbis, in summarii Bullæ fine positis utatur, vel illis tantùm immediatè post absolutionem: *Outorgo te plenissima indulgencia, e remissam comprida de todos teus peccados, agora, cem qualquer tempo, confessados, esquecidos, ou naon sabidos, e das penas que por elles eras obrigado, à padecer no fogo do purgatorio; In nomine Patris &c.* Vel Latinis verbis, dicendo hæc, vel similia verba: *Ego tibi impendo remissionem omnium peccatorum tuorum, quam ex Bullâ tibi concedit S. Pontifex, in nomine Patris, & Filii, & spiritus sancti, Amen.* Hæc verò necessaria non sunt, ut dictum manet.

DISPUTATIO VIII.

De indulgentiâ concessâ tempore mortis.

1. NEcessarium duxi Bullæ ordinem in præsenti interrumpere; & conjunctim agere de Bullæ indulgentiis, quæ vivis conceduntur; & quia ordo exposcit, ut post unam; & iterum alteram pleniſſimam indulgentiam, si erogetur dimidii argentei eleemosyna, vulgo: *hum vintem*, quæ indulgentiæ semel, atque iterum in vitâ, durante anno Bullæ, conceduntur, dicamus de eâ, quæ dicitur semel concedi in morte; nam de illis, quæ pro defunctis conceduntur, suo in loco dicemus; ex eo, quòd pro defunctis Bulla separata à communi, fidelibus tradatur.

2. Hæc indulgentia semel in morte conceditur, illis verbis: *Semel in vitâ, & in mortis articulo; aliis verò eidem sedi non reservatis casibus, quoties confitebuntur, absolvere, ac pro modo culpæ pœnitentiam salutarem injungere, plenamque omnium peccatorum suorum remissionem impendere.* His debemus adjungere indulgentiam, quæ morienti finè confessione conceditur, quæ sic habet: *Eos etiam, quos dicto triennio durante, contigerit ob repentinam mortem, vel confessorum absentiam, sine confessione, decedere; modò ipsi contriti decesserint. Et prius statuto tempore confessi, nec hujus nostræ confessionis fiduciâ, negligentiores fuerint, volumus plenariam, ut præfertur remissionem consequi posse, eorumque corpora, nisi forte vinculo excommunicationis innodati decesserint; non obstante etiam interdicto, etiam Apostolicâ authoritate apposito, Ecclesiastica tradi sepulturæ.*

3. Et in summario eadem dantur verba: *Aos quais dando penitencia saudavel, conforme suas culpas, lhes concede plenaria remissam de todos seus peccados; e isto huma vez na vida, e outra na morte; e dos casos que nam forem reservados à mesma See Apostolica, os absolva pella dita maneira, quantas vezes se confessarem.* Et inferius hæc apponuntur: *Item concede aos que (durante o dito anno) morrerem sem confissam por causâ de morte subita, de que Deus nos livre, ou falta de confessor, com tanto, que morram contritos, e antes confessados no tempo determinado pella Igreja, que por confiar nesta graça nam fossem mais negligentes, alcancem a plenaria remissam atras referida; e que a seus corpos seja dada Ecclesiastica sepultura; nam morrendo elles excomungados, e isto, naon obstante qualquer interdicto, ainda que esteja posto por authoridade Apostolica.*

4. Hæc indulgentia concessa morienti sine confessione habetur eisdem verbis in Bullâ Hispanâ; alia verò semel in vitâ, & semel in morte expressius habetur in Bulla Hispana, ibi: *Plenariam indulgentiam, & remissionem semel in vita, & semel in mortis articulo*; non ita tamen in Bullâ Lusitanâ, ut liquet ex verbis relatis.

SECTIO I.

An in Bullâ Lusitanâ concedatur indulgentia plenaria in mortis articulo?

5. DOctissimus Baptista Fragos. *in 2. tom. Regim. Reipubl. Christian. disp. 7. de Bull. Cruciat. num.* 13. docet: si durante anno Bullæ, virtute illius aliquis absolvatur ab aliis reservatis, quæ S. Pontifici reservata non sunt, indulgentiam plenissimam non consequi: at si sint Pontifici reservata, illam obtinere. Probat primò; quia verba Bullæ Lusitanæ: *Aliis verò eidem sedi non reservatis casibus, quoties confitebuntur, absolvere, ac pro modo culpæ, pœnitentiam salutarem, injungere; plenamque omnium peccatorum suorum remissionem impendere*, referuntur omnino ad casus S. Pontifici reservatos, tam in Bullâ Cœnæ, quàm extra illam, à quibus solùm potest, semel in vitâ absolvi, & ad plenissimam indulgentiam; aliàs pœnitens, qui haberet casus sedi Apostolicæ non reservatos; etsi ab illis sæpius absolveretur, esset melioris conditionis, quàm ille, qui pauciss imos, aut nullos haberet; siquidem absolveretur pluries à reservatis, & insuper plenissimam indulgentiam consequeretur, quod rationi consonum non est.

6. Probat secundo; quia, quando ponitur clausula aliqua, in uno paragrapho, vel versiculo; & fit divisio per paragraphum, vel versiculum, tunc non refertur, per eam divisionem, ad alium paragraphum, vel versiculum, juxta Gloss. *in cap. unic. Verb. sic scilicet, de postul. prælat. in 6.* sed in Cruciatâ fit divisio inter casus reservatos sedi Apostolicæ, & alios reservatos; & de his potest pœnitens toties, quoties absolvi; & de illis solùm, semel in vitâ, & semel in morte: Ergo his conceditur remissio omnium peccatorum, & non aliis.

7. Confirmatur: quia Commissarius Generalis, in summario, immediatè post facultatem absolvendi à reservatis Pontifici semel in vitâ, & in mortis articulo, hæc verba conjungit: *da dita Bulla do senhor, aos quais dando penitencia saudavel, conforme suas culpas, lhes concede plenaria remissam de todos seus peccados, e isto huma vez na vida, e outra na morte; e dos casos que nam forem reservados à mesma See Apostolica, os absolva pella dita maneira, quantas vezes se confessarem:* ergo cùm clausula concessionis indulgentiæ adjungatur reservatis S. Pontifici, ad illos tantùm se extendit.

8. Hoc assertum est apertè falsum. Ostenditur primò ex absurdis, quæ ex illo sequuntur. Primum; sequitur nullam concedi indulgentiam illis, qui peccata non habent reservata S. Pontifici; quia si istis solùm conceditur indulgentia, omnibus aliis non conceditur; & melioris esset conditionis ille, qui S. Pontifici habet reservata, quàm ille, qui nulla habet reservata. Secundum; quia fraus committeretur à Commissario asserente, accipienti chirographum sex mensium concedi absolutè, & sine aliquâ distinctione, duplex jubilæum, eodem durante anno; Cùm juxta assertum Fragos. nullum concedatur illis, qui non habent reservata S. Pontifici. Tertium, quia omnibus confraternitatibus, quæ Bullas habent à S. Pontifice, ad minus, conceditur una indulgentia plenaria in vitâ, & alia in mortis articulo: ergo dicendum non est, quòd hæ non concedantur sumentibus Bullam, si conditio peccati mortalis Pontifici reservati non detur.

9. Secundò ostenditur ratione; quia S. Pontifex non solet, concedere indulgentias fidelibus, quando absolvuntur ab his, & non ab aliis peccatis mortalibus: ergo sine fundamento asseritur, illam concedere illis, qui à reservatis Pontifici, & non à reservatis aliis absolvuntur; cùm facilius ad hæc, quàm ad illa concedatur facultas, & libentius reservata non habentibus; nam majori favore digni reputantur. Prætèrea, quando clausula ponitur, in alicujus dispositionis fine, refertur ad omnia præcedentia, ut tenet Sanch. *lib. 3. de matrim. disp. 7. n. 27. & lib. 6. disp. 22. num.* 17. sed indulgentia plenissima, nempe remissio omnium peccatorum suorum, ponitur in fine facultatis, absolvendi peccata reservata, & non reservata: ergo ad omnia refertur.

10. Quare certissimè tenendum est, in Bullâ Lusitanâ, concedi plenissimam indulgentiam semel in vitâ, & iterum in vitâ, si chirographus sex mensium recipiatur; & semel in articulo mortis; non tamen potest accipi secunda Bulla, ut supradictum remanet. Ut tamen concessio hujus indulgentiæ plenissimæ, tam in vitâ, quàm in mortis articulo, intelligatur; advertendum est positam esse in fine clausulæ; & comprehendere omnia peccata reservata, & non reservata, quæ in Bullâ erant designata, scilicet Ecclesiæ mandatorum, & votorum transgressiones, jejuniorum, & horarum Canonicarum omissiones, cæteraque omnia peccata, crimina, excessus, delicta quantumcunque gravia, & enormia, etiam talia, propter quæ, sedes Apostolica meritò consulenda foret; ac etiam casus, qui in litteris cœnæ Domini continentur, exceptis quibusdam (de quibus *infra*) & statim adduntur verba: *semel in vitâ, & in mortis articulo*, quæ non solùm restrictiva absolutionis, S. Pontifici reservatorum; sed etiam indulgentiæ plenissimæ: in aliis verò verbis quæ sequuntur, nempe: *Aliis verò eidem sedi non reservatis casibus; quoties confitebun-*

fitebuntur absolvere, ac pro modo culpæ, pœnitentiam salutarem injungere, plenamque omnium peccatorum suorum remissionem impendere. In quibus duo sunt notanda. Primum, dictionem *Quoties confitebuntur*, solùm referri ad absolutionem, & non ad indulgentiam pro singulis vicibus, quibus confitentur; nam quoad indulgentiam, jam hæc peccata aliis reservata, fuerunt in præcedentibus comprehensa, & per particulam *semel in vitâ, & in mortis articulo*, restricta; Alias quoties confitebuntur, toties plenissimam indulgentiam consequerentur; quod non est dicendum: ut notavit Fragos. Secundò notandum: verba indulgentiæ plenissimæ non esse limitata ad aliqua certa peccata; sed ad omnia extensa, ibi: *Plenamque omnium peccatorum suorum remissionem impendere* non comprehendit ergo solùm Pontifici reservata, aut ea quando confitentur.

11. Nulla hujus explicationis inveniri potest efficacior probatio, quàm ex Commissario Generali, qui potestatem habet exponendi ea, quæ in Bullâ Latinâ clarè non exprimuntur, ut diximus *disp.* 1. *num.* 89. Et in summario, ita supra dicta declarat: *Concede S. Santidade a todos os sobreditos, que durando o dito anno, possam eleger confessor... O qual ouvidas suas confissoens, os absolva das transgressoens de quaesquer votos, e mandamentos da Igreja, das omissoens dos jejuns, e horas canonicas, e de todos os mais peccados, e delictos, e excessos por graves, e enormes, que sejam; ainda que por elles, se ouvesse de consultar a See Apostolica. E tambem dos casos contendos na Bulla da Cea do Senhor, tirando... aos quais dando penitencia saudavel, conforme suas culpas, lhes concede plenaria remissam de todos seus peccados, e isto huma vez na vida, e outra na morte.* Ubi nota, hanc plenissimam indulgentiam omnia prædicta comprehendere, & non tantùm peccata S. Pontifici reservata. Et addit, separando ea, quæ dubium ingerebant: *E dos casos, que nam forem reservados à mesma See Apostolica, os absolva, pella dita maneira, quantas vezes se confessarem*; & his non addit indulgentiam plenissimam; quia jam in prædictis erat inclusa, quoad indulgentiam; non verò, quoad absolutionem; quod egit, illa separando, ne in dubium caderent, si post illa indulgentia poneretur; ut in Bullâ Latinâ fuit apposita. Sic etiam docet à Cost. *quæst.* 72. ubi asserit, juxta suam expositionem, disponi verba, in summario Lusitano. Ex his verbis manifestum fit, junctâ praxi, & communi fidelium sensu, concedi in Bullâ Lusitanâ sicut in Hispanâ, indulgentiam plenissimam; semel in vitâ, & semel in mortis articulo. Et hæc confirmantur ex indulgentia, quæ conceditur illis, qui contriti sine confessione decedunt, de quibus *sect.* 5. si his enim indulgentia plenaria in mortis articulo conceditur, etiam illis, qui sacramentis decedunt, conceditur.

SECTIO II.

An requiratur applicatio confessarii, ut aliquis in mortis articulo obtineat indulgentiam?

12. EXpositores Bullæ Hispanæ affirmant, ut diximus *disp. præcedenti num.* 171. asserentes, eam applicationem esse necessariam, tam pro acquirendâ indulgentiâ in vitâ, quàm pro mortis articulo; adduntque, si moribundus post indulgentiæ applicationem convaluerit; & eodem durante anno Bullæ, in alium incident mortis articulum, non posse illi virtute ejusdem Bullæ eam indulgentiam applicari; quia pro una tantùm vice concessa fuit. Sic Cordub. Navarr. Trullench. quos citat, & sequitur Bard. *part.* 2. *tract.* 4. *cap.* 5. *num.* 24. Castr. Pal. *tom.* 4. *tract.* 25. *de Bull. disp. unic. punct.* 4. *num.* 8. Mend. *disp.* 27. *num.* 1. Tambor. *in Bull. cap.* 12. §. 2. *num.* 5. & alii communiter.

13. Unde inferunt Fernand. *in exam. Theolog. moral. part.* 3. *cap.* 9. §. 9. *num.* 4. citans Navarr. & Cordub. Villal. *tom.* 1. *tract.* 27. *claus.* 11. *n.* 3. Vega *in summ. tom.* 2. *cap.* 7. *cas.* 23. quos refert, & sequitur Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 106. accedunt Galleg. *claus.* 9. *disp.* 107. Abreus de Paroch. *lib.* 10. *num.* 521. Mend. *disp.* 27. *num.* 2. citans Rodrig. §. 9. *num.* 38. posse confessarium indulgentiam concessam pro mortis articulo sub conditione applicare, hoc modo: *Ego tibi applico indulgentiam plenariam, si mortem obieris; sin autem, ad verum mortis articulum illam tibi servet Dominus.* Probant, quia ita fieri jubet Commissarius Hispanus; & quia hæc indulgentia acquiritur, mediâ applicatione confessarii: ergo juxta illam, effectum obtinebit.

14. Oppositum tamen defendunt non pauci Trullench. *in Bullam lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 19. *num.* 8. Cordub. *quæst.* 39. *de indulg. dict.* 2. malè pro suâ sententiâ citatus à Fernand. Navarr. Lopes, apud Trullench. Accedunt Bard. *supra num.* 26. Tambor. *proxime num.* 6. Mend. *n.* 3. sibi contrarius. Probant; quia S. Pontifex, in Bullâ Latinâ, eam non concedit suspensionem; ergo illam non potest concedere Commissarius Hispanus. Hanc sententiam judico probabiliorem, ut ex dicendis constabit.

15. Addit Mend. *num.* 5. posse fieri indulgentiæ applicationem mentaliter à confessario; quia ad illam non requiruntur verba, & peractum internum perfici potest. Sed non benè; quia si hæc applicatio necessariò fieri debet; per actum externum, & non internum facienda est; quia hæc potestas ab Ecclesiâ visibili concessa est: ergo exterior, & non interior debet esse applicatio. Sic Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disput.* 56. *sect.* 1. *num.* 1. Quintanad. *tom.* 1. *in append. tract.* 9. *dub.* 3. *num.* 5. Quare fieri potest per nutus, & signa externa, v. g.: Si pœnitens confessarium interrogaret, num sibi indulgentiam applicaret? Poterit capite, vel alio signo, annuere.

16. Posse hanc indulgentiam moribundo absenti applicari, extra confessionem docent Trullench. *cit. num.* 7. Dian. *part.* 5. *tract.* 3. *resol.* 134. Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *quæst.* 173. Quintanad.

tanad. *proximè*, Bard. *cit. num.* 15. Mend. *disp.* 17. *num.* 15. Probant: quia non requiritur confessio, ut hæc indulgentia obtineatur: Ergo sicut potest acquiri, extra confessionem, ita etiam ab absenti. Hoc assertum probabile mihi videtur, juxta Bullam Hispanam; non autem juxta Lusitanam; quia in hac præscribitur, quòd confessarius omnium peccatorum plenam impendat remissionem; quod requirit & confessionem, & præsentiam. Ut alia in hac sectione hactenus dicta intelligantur juxta Bullam Lusitanam, instituo sequentem sectionem.

SECTIO III.

An indulgentia in Bullâ pro mortis articulo concessa, intelligatur de mortis articulo vero, vel præsumpto?

17. SUppono primò; articulum mortis vel esse verum, vel præsumptum; verus ille dicitur, in quo quis vere moriturus est; præsumptus autem, in quo quis moriturus præsumitur, sed verè non morietur.

18. Suppono secundò, multas esse indulgentias concessas pro mortis articulo in Bulla Cruciatæ (ut in principio hujus disputationis vidimus) illam sumentibus; illis, qui sunt ex aliquâ confraternitate, seu congregatione; & illas lucrantur, qui admissi sunt ad congregationes in Ecclesiis Societatis JESU, sitas authoritate Apostolicâ; nec non conceduntur habentibus imagines, numismata sacra, grana benedicta &c. quas concessit Urbanus VIII. anno 1623. die tertiâ Novembris, & Paulus V. anno 1615. ad instantiam pp. Societatis JESU. Et eadem concesserat idem S. Pontifex Coronis, Rosariis, Crucibus benedictis &c. ad instantiam Procuratorum canonizationis S. Caroli Borromæi, 3. Novembris ann. 1610. & Clemens X. in canonizatione S. Francisci Borgiæ, S. Rosæ, & aliorum sanctorum anno 1672. Demum conceditur pro articulo mortis indulgentia plenaria omnibus Regularibus à Paulo V. ut *infra* dicemus *disp.* 23. *n.* 122. His suppositis

19. Dico primò: Quando in concessione indulgentiæ pro articulo mortis non præscribitur applicatio, seu ministerium confessarii; pro vero articulo intelligitur concessa, & non pro præsumpto. Sic communis Doctorum sententia cum Bonac. *tom.* 1. *disp.* 6. *de indulg. q.* 1. *punct.* 8. *n.* 12. Trull. *l.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 29. *n.* 9. Reginald. *lib.* 7. *n.* 156. Navarr. *Miscellan.* 18. *de Rosario B. Virginis Mariæ n.* 4. Quintanad. *tom.* 1. *in append. tract.* 9. *dub.* 2. *n.* 1. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *n.* 619. Probatur, quia indulgentiæ tantum valent, quantùm sonant: sed quæ conceduntur pro articulo mortis independenter ab applicatione, seu ministerio confessoris, sonant verum mortis articulum: Ergo pro vero debent valere, & non pro præsumpto. Ex his sequitur, omnes prædictas indulgentias, exceptâ Bullæ Cruciatæ, de quâ statim, esse à S. S. Pontificibus concessas, pro vero mortis articulo, & non pro præsumpto.

20. Neque dicas in compendio Mendicantium *verb. indulgentiæ, quoad fratres n.* 1. dici, quòd Martinus V. Eugenius IV. Nicolaus V. ac Sixtus VI. concesserunt omnibus fratribus Minoribus de observantiâ, quòd possint eligere confessarium, qui ipsis possit concedere indulgentiam plenariam, in articulo mortis; non inquam, hoc dicas; quia per constitutionem Pauli V. quæ incipit: *Romanus Pontifex*, anno 1606. & per damnationem factam ab Alexandro VII. ut minimum, tamquam scandalosam, hanc propositionem prohibente: *Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ:* Quæ inter damnatas est 37. certum est, jam non requiri eam applicationem; quia idem Paulus V. eam concessit sine illâ, ut *disp.* 23. *n.* 122. dicetur.

21. Existimo tamen, probabile esse, articulum mortis in prædictis indulgentiis posse accipi pro vero, & præsumpto; ut cum Soar. *tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 19. tenet Quintanad. *proximè*; & non improbabiliter hoc sentire Scobar. tenet Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *n.* 620. At Escobar *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *num.* 232. id absolutè, ut certum defendit citatque pro eodem Navarr. *notab.* 30. *n.* 3. & 4. Corduin. *q.* 36. *punct.* 1. *dicto* 1. Rodrig. §. 9. *n.* 38. & nos *infra n.* 24. *in fine* alios citabimus. Ratio est, quia propositio indefinita æquivalet universali; ac proinde in quocunque mortis articulo, sive vero, sive præsumpto, licèt sit multiplex, indulgentia suum sortietur effectum.

22. Dico secundò: Si ad lucrandam indulgentiam, requiratur applicatio, seu aliquod ministerium confessarii, tunc mortis articulus potest accipi tam pro vero, quàm pro præsumpto. Et sic accipi indulgentiam Bullæ Cruciatæ pro mortis articulo concessam, docent cum pluribus Trullench. *supra n.* 8. Bard. *dicto cap.* 5. *n.* 19. Quintanad. *cit. n.* 2. Ratio est jam assignata *n. præcedente*. Cùm verò in Bulla Latina Lusitanâ, aliquod requiratur confessoris ministerium; cùm ibi dicatur, quòd *plenam omnium suorum peccatorum remissionem impendat* mortis articulus pro vero, & præsumpto videtur accipi.

23. Et quanvis in hoc conveniant Authores: non tamen conveniunt in effectu hujus indulgentiæ; nam, ut vidimus *sectione præcedente n.* 12. Si semel indulgentia fuit applicata à confessore in articulo mortis præsumpto, non potest, iterum illi virtute ejusdem Bullæ, eodem durante anno, applicari. Et cùm in Bulla Lusitanâ secunda non concedatur; non potest confessarius in secundo mortis articulo omnium peccatorum remissionem impendere; tametsi articulus mortis sit verus; nec etiam potest applicari indulgentia in tertio mortis articulo vero per Bullam Hispanam; si forte præcesserint duo præsumpti; quia in eâ non conceditur tertia Bulla; dicere autem, quòd fidelis habens Bullam, non acquirat indulgentiam pro mortis articulo videtur esse à mente Pontificis alienum, & apud fideles incredibile.

24. Quare probabilius existimo, indulgentiam in Bullâ Cruciatæ concessam pro mortis articulo esse tantùm concessam pro vero mortis articulo. Probatur primò tam de Bullâ Hispanâ, quàm de Lusitanâ; quia ita habet praxis; nec confessarii interrogant, an ex durante anno, habuerit pœnitens alium mortis articulum, in quo, ei impensa fuisset indulgentia. Secundò,

quia

quia indulgentia in Bullâ concessa non est deterioris conditionis; imo melioris, quam sint aliæ confraternitatibus, & habentibus numismata &c. concessæ; sed hæ sunt concessæ pro vero mortis articulo, ut diximus *n.* 19: Ergo etiam, & hæc. Tertiò; quia intentio S. Pontificis concedentis indulgentiam in mortis articulo est, ut accipiens Bullam, ex hâc vitâ decedat sine onere luendi pœnas in purgatorio; sicut etiam datur in aliis indulgentiis pro mortis articulo concessis: Ergo pro mortis articulo vero concessa est. Sic docet Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 9. *append. dub.* 2. & Soar. *tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 19. *n.* 11. Et quòd sit concessa pro vero, & præsumpto mortis articulo, tuentur D. Anton. Genson. Gabriel, & alii, quos refert, & sequitur Rodrig. §. 9. *dub.* 3. apud eundem Quintanad. quatenus asserunt, indulgentiam concedi absolutè pro articulo vero, & præsumpto, absque limitatione unius, vel plurium concessionum.

25. Probatur in particulari de Bullâ Lusitanâ, in quâ dantur hæc verba: *Semel in vitâ, & in mortis articulo*; & non illa, quæ dantur in Bullâ Hispanâ: *Semel in vitâ, & semel in mortis articulo.* Ubi nota, non addi in verbis Bullæ Lusitanæ, dictionem *semel* ad mortis articulum, sed tantùm ad indulgentiam in vitâ; sed quando particula, seu dictio *semel* non ponitur in indulgentiâ pro mortis articulo concessâ intelligitur concessa pro vero mortis articulo; ut docet Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 56. *sect.* 1. *n.* 3. & *tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 19. *n.* 12. Castr. Pal. *tom.* 4. *tract.* 24. *disp. unic. punct.* 4. *n.* 12. Citans Felin. *tract. de indulg. n.* 16. D. Antonin. 1. *part. tract.* 10. *cap.* 3. Ergo in Bullâ Lusitanâ in mortis vero articulo conceditur plenaria indulgentia.

26. Ex hac resolutione juxta verba nostræ Bullæ in quâ non ponitur particula *semel* in concessione indulgentiæ pro mortis articulo, sequitur alia magis pia expositio, quæ videtur satis probabilis, non tamen videtur certissima; scilicet, non solùm acquiri indulgentiam in vero mortis articulo, ut dictum manet, sed etiam in quolibet mortis articulo, etiamsi mors non sequatur, vel donec mors vera sequatur, durante eodem anno. Probatur primò: quia beneficium Principis amplè est interpretandum, quando illud ipse non limitat. Sed in Bulla Lusitana illud non limitat; quia non dicit, *semel in articulo mortis*, sed tantùm: *In mortis articulo*, quæ est concessio indefinita pro mortis articulo: Ergo amplè intelligendum est hoc beneficium pro quovis articulo; nam in hujusmodi rebus indefinita æquivalet universali: ut jam *supra n.* 21. probabiliter diximus.

27. Secundò: quia in Bullâ Lusitanâ Pontifex absolutè dat confessori facultatem impendendi hanc indulgentiam, in articulo mortis: Ergo confessor illâ utens absolvit plenariè, sine aliquâ conditione: Ergo absolutio non manet suspensa, quasi adventum mortis spectans: nec debemus recurrere ad præscientiam Dei; quia hi effectus morales fiunt juxta virtutem, & intentionem agentis independenter ab extrinsecâ scientiâ; Ergo absolutio statim in illa operatur: Ergo non reservatur in verum mortis articulum nova absolutio, sive indulgentiæ impensio.

28. Tertiò sic explicatur: quia S. Pontifex per talem indulgentiam vult plenariam concedere omnium peccatorum totius vitæ remissionem usque ad mortis articulum; quia tamen Pontifici de vero mortis articulo constare non potest; ideo consequenter, & necessariò vult, quòd talis absolutio, instante periculo, & quando moraliter timetur mors, concedatur; & quia non vult absolutionem, quæ debet esse actus legitimus, esse conditionatam; ideo statim suum habet effectum. Si autem mors non sequitur, effectus ille non est adæquatus gratiæ, & facultati; quia non est de reatibus totius vitæ, usque ad mortem veram: Ergo semper supererit facultas absolvendi in vero articulo mortis à reatibus, qui supersuerint: Ergo semper reservatur indulgentia aliqua ad verum mortis articulum. Sic cum Gerson. Cordub. Soar. *tom.* 4. *de Relig. cap.* 19. *n.* 12. in casu non dissimili.

29. Dices: Commissarius Generalis in Bullæ summario asserit, hanc indulgentiam pro mortis articulo semel tantùm concedi: his verbis: *Lhes concede plenaria remissam de todos seus peccados; e isto huma vez na vida, e outra na morte*: Ergo solùm conceditur indulgentia in vero mortis articulo, & non in quolibet mortis articulo, etiamsi mors non sequatur. Respondeo illam particulam *e outra* fuisse additam à Commissario; non enim datur, in Bullâ Latinâ, sed tantùm, in vitæ indulgentiâ, ibi: *semel in vitâ, & in mortis articulo:* Cum verò Commissarius non possit addere verbum, seu particulam, quæ non invenitur, in Bullâ Latinâ, de illâ additâ in summario non est curandum; standum enim est Bullâ Latinâ: ut in hâc materiâ sæpius dicimus cum communi Doctorum, ut ex professo ostendemus *disp.* 23. *num.* 263.

30. Instabis: in transcripto Bullæ Latinæ sunt hæc verba: *semel in vitâ, & iterum in mortis articulo:* Sed dictio *iterum* post dictionem *semel* appositam, sumitur pro duabus vicibus, ut videre est apud Barb. *tract. de dict. usu frequent. dict.* 186. nempe: pro unâ indulgentiâ in vitâ, & alterâ tantùm pro mortis articulo, quod est idem, quod semel: Ergo Bullæ indulgentia non censetur concessa in Bullâ, pro quolibet mortis articulo, sed tantum semel, ut à Commissario dicitur. Respondeo, eam dictionem *iterum* in pluribus Bullæ transcriptis reperiri: ut videre est in adductis à Sebastian. à Cost. & Abreu; sed non rectè: Nam in Originali, quod in Archivo Cruciatæ servatur, ea dictio *iterum* non reperitur; sed tantùm ea verba, de quibus semper mentionem facimus, nempe: *semel in vitâ, & in mortis articulo*: Cum verò instantia in hâc dictione fundetur; & illa in originali non detur, de allatâ in aliis transcriptis non curamus.

31. Urgebis adhuc: dictio *semel* apposita in indulgentiâ, pro vitâ, quanvis non repetatur, cadit etiam super indulgentiam pro articulo mortis, etiamsi ibi non exprimatur; nam expressum dicitur, quòd continetur ex vi verborum: ut cum pluribus Barbos. *in tract. de axiom.* 89. *n.* 8. & ex vi verborum, censetur etiam in eâ indulgentia pro mortis articulo dictio *semel* expressa: ergo. Respondeo: si S. Pontifex vellet, illam dictionem *semel* cadere super indulgentiam pro articulo mortis, illam repeteret, ut fecit in Bulla Hispanâ: *Remissionem semel in vitâ, & semel in mortis articulo*; illam verò non repetendo in Bullâ Lusitanâ, voluit illam remanere; sicut aliæ pro mortis articulo remanent concessiones.

32. Dixi *supra num.* 26. hanc expositionem es-

se piam, & satis probabilem, non tamen certissimam; & quod sit pia, & satis probabilis, ostendunt rationes hactenus adductæ; quòd verò non videatur certissima; probatur, quia verba Bullæ Latinæ *semel in vitâ, & in mortis articulo*, primò referuntur ad facultatem absolvendi à reservatis Pontifici, non exceptis. Et certum est, in mortis articulo, solum semel posse impendi absolutionem à reservatis Pontifici: at si dicta verba etiam, ad indulgentias referantur, ut vult Commissarius; etiam in articulo mortis, semel tantum, indulgentia impendetur; datur enim eadem ratio.

33. Ex dictis in hâc sectione sequitur, non opus esse differre indulgentiam, usque ad extremum vitæ intervallum: ut consulit Mend. *cit. num.* 2. quia indulgentia, in Bulla Lusitanâ conceditur pro vero mortis articulo, ut vidimus *n.* 24. Nec etiam opus est, habenti plures indulgentias plenarias, pro mortis articulo ex diversis privilegiis; (putà ex numismate benedicto, confraternitate, vel aliquo alio) aliquam relinquere, pro alio mortis articulo, si eo anno hic superveniat; quia hæ indulgentiæ conceduntur, pro vero mortis articulo, & non indigent confessoris applicatione: ut dictum est. Si tamen confessarius uti vellet applicatione indulgentiæ, id faciat in ipsâ confessionis absolutione, intendendo, pœnitentem absolvere à culpa, & pœnâ, nam id præscribitur in nostrâ Bullâ, ibi: *Plenamque omnium peccatorum suorum remissionem impendere.*

34. Adhuc adverto, ad aliquas indulgentias concessas numismati benedicto, vel alicui confraternitati lucrandas requiri, quòd moribundus ore, aut corde nomen JESU, vel Mariæ invocet, vel dicat: *louvado seja o santissimo sacramento*: Confessarius verò moribundum admoneat: ut ita faciat, dum compos sui judicii est; ut indulgentiam sub hâc invocatione concessam acquirat. Vide Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *num.* 602. & 603. referentem Bullam Sixti V. in quâ conceditur 25. dierum indulgentia, sacratissima nomina JESUS, & Maria prouuntiantibus reverenter, ac devotè.

SECTIO IV.

An in periculo mortis acquiratur indulgentia plenaria pro illius articulo concessa?

35. ANte resolutionem advertendum est; articulum, & periculum mortis, strictè sumpta, differre inter se. Articulus enim mortis ille est; quando mors apparet infallibiliter inevitabilis, sive proveniat à causis naturalibus, ut à morbo, vel nimiâ senectute, sive à causâ extrinsecâ, quando v. g. quis per sententiam judicis, vel ab inimico, juxta breve spatium, occidendus sit; Sic cum pluribus Sebastian. à Cost. *quæst.* 71. Ludovic. à Cruce *disp.* 1. *cap.* 3. *dub.* 16. *num.* 1. Sanch. *lib.* 2. *decal. cap.* 13. *num.* 1. Rodrig. §. 9. *num.* 38. Trullench. *in Bulla lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 4. *num.* 2. Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 11. *quæst.* 17. Dian. *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 71. & *part.* 8. *tract.* 1. *resol.* 90. *Vers. verum si aliquis* Bard. *part.* 2. *tract.* 6. *cap.* 6. *num.* 10. Mend. *disp.* 27. *num.* 23. & alii plures, quos citant.

36. Periculum verò mortis illud dicitur, quando probabile datur mortis dubium; quia, in eo eventu, mors frequenter accidere solet. Unde prudenter timetur, ut in eo contingat; ut in febri acutâ, vel ægritudine diuturnâ; ex quibus plures non evaserunt, in pugnâ Campali vel navali, periculosâ navigatione, partu primo fœminæ, & aliis, quæ, inspectis circunstantiis, periculosa judicentur: ita Authores *proximè citati.* Aliqui tamen, ex prædictis Authoribus, rejiciunt periculum remotum v. g. quando navigatio est in principio, & partus fœminæ non sentitur adhuc difficilis: ut à Cost. Mend. *n.* 28. *in fine*, & alii. Et rectè quidem.

37. Alii verò confundunt mortis articulum cum illius periculo, prout etiam, in ipso jure, confunditur: ut constat ex multis textibus, *cap. si quis suadente* 17. *q.* 4. ibi: *Nisi mortis urgente periculo.* Et *in cap. non dubium*, ubi eadem apponitur excommunicatio, contra eos, qui manus violentas, in personas Ecclesiasticas injiciunt; ubi jam non periculum; ut in *cap. si quis*, sed mortis articulus nuncupatur, ibi: *Nec nisi in articulo mortis.* Et non solùm, in diversis juris capitibus; sed etiam in eodem, unum pro alio usurpatur: ut liquet *ex cap. eos qui, de sent. excom. in 6.* ibi: *propter imminentis mortis articulum*; & statim: *si cessante postea periculo.* Id etiam patet *ex cap. ea noscitur* 13. *cap. quod de his* 26. *cap. quamvis* 58. *de sent. excom.* Et subscribit Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *num.* 618. & Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 6. *disp.* 1. *num.* 24.

38. Ex quibus colligitur; tametsi articulus, & periculum mortis inter se methaphysicè distinguantur; moraliter tamen, & quoad absolvendum à reservatis in articulo mortis, pro eodem usurpari; ut cum communiori sententia defendit Cardin. de Lug. *de pœnit. disp.* 18. *num.* 21. & nos dicemus *infra*, cùm de absolutione à reservatis. In ordine tamen, ad indulgentiam acquirendam, res est dubia; & expressè negant, illam acquiri in periculo mortis, Sebast. à Cost. *quæst.* 71. §. *secunda conclusio.* Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 106. Abreus *lib.* 10. *num.* 521. Et idem defendere debent omnes asserentes, privilegia Bullæ esse strictè interpretanda; quia idem non est, in acceptione strictâ, articulus, ac periculum mortis.

39. Dicendum tamen existimo; etiam in mortis periculo, acquiri indulgentiam, pro mortis articulo, concessam: ita Trullench. *lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 19. *n.* 11. Bard. *part.* 2. *tract.* 4. *cap.* 5. *n.* 22. Mend. *disp.* 27. *à n.* 24. Probatur primò: quia, ut diximus *disp.* 1. *n.* 71. privilegia Bullæ sunt latè interpretanda: Ergo clausula *in mortis articulo* extendi debet, ad mortis periculum. Secundò: quia à S. Pontifice, in Bullâ, designatur mortis articulus, confundendo mortis articulum, cum illius periculo, prout, in jure, confunditur: ut *supra n.* 37. ostensum fuit: Ergo si in jure, in ordine ad absolvenda reservata, confunduntur; etiam ad lucrandam Bullæ indulgentiam, confundentur: non enim apparet disparitas. Et patet, quia indulgentia, juxta Bullam Lusitanam, in confessione præstatur à confessario: Ergo si confessarius, virtute Bullæ, in periculo mortis, potest absolvere à reserva-

servatis, potest etiam à pœnis pro illis, & aliis peccatis debitis, absolvere.

SECTIO V.

De indulgentiâ plenariâ, illis concessa, qui contriti, absque confessione, decedunt.

40. CUm indulgentia, pro mortis articulo, concessa, impertienda sit à confessore; ut dicitur in nostrâ Bullâ, & *supra* notavimus; & illa non possit, impendi illis, qui subitò, aut sine confessore moriuntur; ne absque hujus indulgentiæ beneficio abeant, illam concedit S. Pontifex; si contriti decedant: dummodo statuto tempore, confessi, & hujus concessionis fiduciâ negligentiores non fuerint.

41. Tria igitur, ad hanc plenariam indulgentiam acquirendam, requiruntur. Primum: ut habentes Bullam, morte repentinâ, vel in absentiâ confessorum sine confessione, decedant. Secundum: quòd contriti moriantur; existenti enim in peccato mortali, indulgentia non prodest: ut *supra disp.* 7. *n.* 40. notavimus. At si post ultimam confessionem in nullum peccatum mortale inciderint, existimo, non requiri à Pontifice contritionem de venialibus, aut mortalibus præteritis jam remissis, & confessis; quia ea contritio requisita; non ut forma, & conditio, ad adquirendam indulgentiam postulatur; sed ut homo per illam ad effectum indulgentiæ, maneat dispositus; quæ sine gratia non consequitur. Sic Trullench. *lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 20. *n.* 2. Bard. *part.* 2. *tract.* 4. *cap.* 5. *n.* 29. Escobar *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 240. Tertium, quòd confessi fuerint tempore ab Ecclesia statuto, & ob fiduciam hujus indulgentiæ confessionem, eo tempore, non neglexerint. De quo *à n.* 45.

42. Dices: Ad lucrandam indulgentiam semel in vitâ, & in mortis articulo, concessam, non sufficit nullum habere peccatum mortale, sed ulterius requiritur, contritio, confessio, & communio: ut diximus *disp.* 7. *n.* 95. licèt homo sit dispositus ad obtinendam indulgentiam: Ergo etiam ad lucrandam indulgentiam in morte repentinâ, vel in absentiâ confessorum necessariò requiritur contritio; licèt homo nullum habeat peccatum mortale, non confessum, & remissum. Respondeo, negando consequentiam; diversa ratio est, quia ut acquiratur indulgentia, semel in vitâ, & in mortis articulo, S. Pontifex requirit contritionem, confessionem, & communionem, ut conditionem necessariam; quia necessariò requirit, ut confessarius plenariam remissionem impendat omnium peccatorum; & cùm hanc non possit impendere, nisi in confessione: ut *supra disp.* 7. *n.* 98. vidimus, necessariò requiritur contritio, & quanvis hæc tantùm ad effectum indulgentiæ obtinendum de se sufficerent, ulterius requirit communionem, non ad dispositionem indulgentiæ, ut patet; requirit ergo illam, ut necessariam conditionem; sicut alia pia opera poterat injungere, non ad dispositionem, sed ut conditiones, sine quibus, indulgentia non obtineretur: at in moriente morte repentinâ, vel in absentiâ confessorum; non præsumitur ex piâ Pontificis concessione contritionem postulare, ut conditionem necessariam, sed ut dispositionem ad statum gratiæ, ut indulgentia consequatur.

43. Quæres tamen; quomodo se gerere debeat confessarius, qui accessit ad moribundum in mortis articulo constitutum repentè sensibus, & ratione destitutum; qui nullum confessionis, vel contritionis signum ad confessionem dedit; habet tamen Bullam Cruciatæ; & aliquibus conjecturis constat illum esse in statu gratiæ, & postulare ea, quæ sibi ad bonum animæ concedi possunt? Respondeo; cum jam sit præsens moribundo, ante illius obitum, debere ei impendere indulgentiam plenariam omnium suorum peccatorum; nam licèt in Bullâ absque ministerio confessoris concedatur indulgentia in morte repentinâ, vel in absentiâ confessorum sine confessione; Attamen, cùm jam confessor sit præsens, & moribundus adhuc vivat; arbitror, necessariò esse impendendam à confessore; quia, ut jam diximus, non requiritur ad indulgentiam lucrandam, quòd habens Bullam, illam postulet sibi impendi; sed sufficit voluntatem habere virtualem illius: sic infirmo ministrari possunt sacramenta Eucharistiæ, & extremæ Unctionis: ita docent Henriq. *lib.* 3. *de pœnit. cap.* 9. *num.* 4. *& lib.* 7. *cap.* 6. *n.* 4. *litter. Q.* Navarr. *notab.* 30. *num.* 12. Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 56. *tract.* 1. *num.* 7. Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 19. *num.* 5. Mend. *disp.* 27. *num.* 17. Escobar *proxime num.* 241.

44. Dices; hanc indulgentiæ impensionem debere esse in sacramentali confessione; sed pœnitens, qui nullum signum externum dedit ad confessionem, non potest sacramentaliter absolvi; quia materia debet esse sensibilis, ut communis tenet DD. sententia apud Soar. Lusitan. *de pœnit. tract.* 4. *num.* 89. Ergo nec etiam poterit ei impendi indulgentia, pro articulo mortis, concessa. Respondeo, intentionem S. Pontificis, eam concedentis indulgentiam, esse, ut infirmus eam acquirat, & si deficiat materia ad confessionem; non est tamen necessaria ad indulgentiæ acquisitionem. Quapropter, potest confessarius, eam illi impendere, quando illam, in actu sacramentalis confessionis, impendere non valet.

45. Tertium requisitum, ad hanc indulgentiam, est; quòd morientes confessi fuerint tempore ab Ecclesiæ statuto, & ob fiduciam hujus indulgentiæ confessionem eo tempore non neglexerint; id enim significant illa verba: *Et prius, statuto tempore, confessi, nec hujus nostræ concessionis fiduciâ negligentiores fuerint.* Tempus autem ab Ecclesiâ statutum, in quo quis debet confiteri, est semel in anno; & quando Eucharistiam accepit, etiam ex devotione, vel ex præcepto, tempore Paschali; quod ex consuetudine, in Lusitaniâ, est quadragesimale; & demum quando adest periculum mortis proximum. Sic Mend. *disp.* 27. *num.* 37. licèt Trullench. *proximè dub.* 20. *num.* 2. illud explicet tantùm de confessione annuali: & quidem probabiliter, ut verba: *statuto tempore* significare videntur. At Bard. *cit. dist. cap.* 5. *num.* 31. non de omissione confessionis, tempore debito, explicat hanc negligentiam; sed de omissione pœnitentiæ agendæ pro peccatis omissis; & quanvis eum sensum habere possunt verba Pontificis; verosimilius est, loquutum fuisse de confessione; ut exprimit dictio *confessi*, &

& non de omissione pœnitentiæ, quæ non est confessio.

46. Quid autem, per fiduciam, intelligatur? Respondeo, intelligi confidentiam positivam; qua quis omittit confessionem, tempore ab Ecclesiâ statuto, fidens in articulo mortis, posse virtute Bullæ, & absolutionem à peccatis, & censuris, & plenariam indulgentiam obtinere.

47. Ut hæc tamen clariùs percipias, adverte: duplicem in hâc concessione posse considerari confidentiam. Prima dicitur positiva; & est illa, quæ movet ad peccandum, & est vera causa, ut peccatum fiat; & ideo etiam dicitur, peccare ex confidentiâ, v. g. *furari volo bona naufragantium; quia habeo Bullam, per quam, ab hoc peccato absolvar*; vel *volo confiteri statuto Ecclesiæ tempore: quia, in articulo mortis, per illam possum absolvi ab omnibus peccatis, & censuris, & indulgentiam plenariam consequi; quam si non haberem, nec bona naufragantium furarer, nec a statuto Ecclesiæ tempore confessionem differrem.* Secunda confidentia vocatur negativa; quam alii dicunt; cum confidentiâ peccare; & tunc datur, quando Bulla non est causa, ut quis peccet: habet tamen se concomitanter ad peccatum; quòd etiam daretur, si peccans Bullam non haberet; quia peccat ex fragilitate, vel ex aliâ passione, v. g. *volo usurpare bona incerta; non quia Bullam habeo, per quam possum à restitutione, per compositionem, manere liber; quia etiamsi illam non haberem, adhuc illa, & alia bona usurparem*; Bulla tamen facilitat; quia per illam possum à peccatis absolvi, & per compositionem manere liber à restitutione. Hoc supposito.

48. Dicò: Quando confidentia, seu fiducia est negativa, seu concomitans, ad non confitendum, statuto tempore Ecclesiæ: quia ex fragilitate, & malitiâ quis illam confessionem omisit, non tollit indulgentiæ acquisitionem; at si confidentia, seu fiducia sit positiva, seu causa, ut quis, statuto tempore, non confiteatur; tunc indulgentiam in morte repentinâ, vel in absentiâ confessorum, sine confessione, non acquirit; etiamsi contritus obeat. Sic Rodrig. §. 10. *num.* 11. Trullench. *lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 20. *num.* 2. *& lib.* 1. §. 1. *dub.* 9. *num.* 2. Bard. *part.* 2. *tract.* 6. *cap.* 1. *num.* 50. Mend. *disput.* 27. *num.* 38. Escobar *ubi supra num.* 240. *in fine.*

SECTIO VI.

De Ecclesiastica sepultura, quæ conceditur, tempore interdicti, his, qui contriti, repentinâ morte, vel sine confessione, decedunt.

49. PRædictæ indulgentiæ plenariæ, pro obeuntibus morte repentinâ, vel sine confessione in absentiâ confessorum, adduntur hæc verba in Bullâ Latinâ. *Eorumque corpora, nisi forte vinculo excommunicationis innodati, decesserint, non obstante etiam interdicto, etiam Apostolicâ authoritate apposito, Ecclesiastica tradi sepulturæ.* Et etiam in summario, ibi: *E que a seus corpos seja dada Ecclesiastica sepultura: nam morrendo elles excomungados; e isto, nam obstante qualquer interdicto, ainda que esteja posto por authoridade Apostolica.* Hæc verba in Bullâ Latinâ Hispanâ non reperiuntur; dantur tamen in illius summario.

50. Duo continet hæc clausula: primum, quòd possint decedentes morte repentinâ, vel sine confessione sepeliri in loco sacro, non obstante interdicto, etiam authoritate Apostolicâ appositio. De hoc tamen *infra* dicendum. Secundum, excludit ab Ecclesiasticâ sepulturâ prædictos, si excommunicati decedant. Quæ verba, seu declaratio non fuit appositia in Bulla Latinâ, in concessione privilegiorum, pro tempore interdicti, sicut fuit expressa, in Bullâ Hispanâ. Et hac de causa in Lusitana, hoc loco, non verò in illo, fit mentio. Appositia autem fuit hoc loco, ne aliquis existimaret posse mortuum excommunicatum virtute Bullæ, absolvi; quia per illam absolveretur vivus, si morte repentinâ, vel sine confessore, non obiret; juxta textum *in cap. à nobis* 28. *de sentent. excomm.* ibi: *A quibus dum viverent, fuerant absolvendi*: Et sic jam absoluti, virtute Bullæ, poterant, loco sacro sepeliri. Hæc autem veniunt, hoc loco, explicanda.

51. Et in primis certum est, excommunicatum non posse loco sacro sepeliri etiamsi in gratiâ decesserit, nisi prius absolvatur: ut constat *ex cap. a nobis* 28. *cap. sacris de sentent. excomm. cap.* 15 *cui eodem tit. in* 6. Nomine autem *loci sacri*, intelligitur templum consecratum, aut benedictum; item & cœmeterium, sive templo contiguum, sive ab eo disjunctum sit; item locus, in quo missa celebrari potest. Sic Soar. *tom.* 3. *in* 3. *part. de cens. disp.* 12. *sect.* 4. *n.* 6. ubi alia invenies, ad dictum locum spectantia.

52. Quæres primò: An per clausulam Bullæ: *Nisi forte vinculo excommunicationis innodati decesserint*, intelligantur excommunicati tolerati, seu non vitandi; ita ut etiam non possint loco sacro sepeliri? Respondeo, partem affirmantem sustineri ab Avila *part.* 2. *cap.* 6. *& disp.* 9. *dub.* 6. *& disp.* 10. *dub.* 6. *concluf.* 3. Theophil. Raynaud. *tract. de monit. part.* 2. *cap.* 3. *n.* 7. & ut probabilem à Blond. *de cens. disp.* 4. *art.* 14. *assert.* 3. apud Dian. *part.* 5. *tract.* 3. *resol.* 140. & apud ipsum *tract.* 9. *resol.* 97. Cajetan. *verb. excommunicatio cap.* 46. & apud Leand. *part.* 4. *tract.* 2. *disp.* 8. *q.* 4. Ægid. *disp.* 14. *de cens. dub.* 8. *concluf.* 3. *n.* 65. Bauny *disp.* 7. *de excommun. q.* 11. *vers. Dixi denuntiato.* Fundantur, quia jura antiqua id prohibebant omnibus publicis excommunicatis toleratis; & Extravag. *Ad evitanda*, nullum illis favorem præstavit, quando indulsit, ne vitarentur.

53. Partem tamen negativam judico probabiliorem cum Soar. *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 12. *sect.* 4. *n.* 5. *& tom.* 4. *in eandem part. disp.* 81. *sect.* 4. *vers. quartò, violatur Ecclesiæ.* Dian. *proximè* & apud illum Henriq. *lib.* 13. *cap.* 7. *n.* 2. Card. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 10. Gutierr. *in qq. canon. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 30. Ricciul. *de jur. person. lib.* 4. *cap.* 60. *n.* 4. Mercer. *de sacram. in* 3. *part. q.* 21. *dub.* 7. Turrian. *lib.* 2. *disp.* 11. *cap.* 4. *n.* 106. Cornejo *in* 3. *part. tract.* 5. *de excomm. disp.* 10. §. 8. Gordon. *tom.* 2. *lib.* 7. *q.* 8. *cap.* 3. *n.* 38. & Leand. *ut supra*, & apud illum Bonac. *disp.* 2. *de censur. q.* 2. *punct.* 3. §. 3. *n.* 2. Accedit Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 20. *n.* 4. & alii. Ratio est, quia post prædictam Extravag. prohibitio non cadit super ipsos excommuni-

municatos, qui se ipsos sepelire non possunt: sed super fideles, ne illos sepeliant: & fideles non magis prohibentur communicare cum excommunicatis mortuis toleratis, & non vitandis, quàm cum vivis: ut liquet *ex cap. ut privilegia, de privileg. cap. Episcopus, eodem tit. in 6.* Unde ex hâc sententiâ, quæ probabilior est, sequitur, Bullam, de his excommunicatis toleratis, non loqui.

54. Quæres secundò: An excommunicati vitandi, seu non tolerati, si in gratiâ decedant, indigeant absolutione, ut possint loco sacro sepeliri? Absolutè negat Paludan. *in* 4. *dist.* 18. *q.* 1. *art.* 1. *n.* 8. Alii dicunt, mortuum non propriè absolvi, sed declarari, non obiisse, in peccato mortali, nec cum pertinaciâ, aut inobedientiâ; & hanc declarationem debere fieri necessariò à judice, vel superiore, ut mortuus excommunicatus sepulturâ sacrâ donetur. Sic Navarr. *in sum. cap.* 27. *n.* 271. Rodrig. §. 10. *in fine.* Villal. *tract.* 27. *claus.* 10. *n.* 3. Trullench. *lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 20. *n.* 4. Bard. *part.* 4. *tract.* 3. *cap.* 2. *n.* 17. & apud ipsum Card. Bellarmin. *de indulg. lib.* 1. *cap.* 14. *q.* 2. Covarr. *in cap. alma mater, rel.* 1. §. 11. *n.* 8. Bonac. *de cens. disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 4. *n.* 1. & alii, quos citat. Idem videtur sentire Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 7. *sect.* 7. *n.* 3. dum asserit, aliquomodo dici mortuum absolvi; quanquàm illa absolutio respectu defuncti sit potius quædam declaratio: nam, ut est absolutio, potius refertur ad vivos, qui liberantur onere vitandi illum quoad communicationem, quæ ratione animæ vel corporis haberi potest. Hæc opinio est probabilis.

55. Sed probabilius mihi videtur, defunctos excommunicatos, simpliciter, & absolutè indigere absolutione, ut in sacro loco sepeliantur: nam quanvis mortuus propriè censurâ ligari non possit; tamen quæ lata fuit in eum vivum, aliquomodo in eo manere potest; quia ratione talis censuræ, v. g. excommunicationis, corpus ejus inhabile est ad sepulturam Ecclesiasticam, & anima ad fruendum orationibus, & suffragiis Ecclesiæ. Sic Soar. *t.* 5. *in* 3. *part. disp.* 7. *sect.* 1. *n.* 4. & *sect.* 7. *n.* 3. cum Nav. *in sum. cap.* 26. *n.* 36. citante Rosel. verb. *absolutio* 1. §. 31. Accedit Mend. *disp.* 27. *n.* 43.

56. Moveor primò, ex ipso jure, absolutè statuente, defunctum excommunicatum debere absolvi. Sic text. *in c. à nobis* 28. de sentent. excomm. ibi: *Defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur.* Et *in cap. a sacris, eodem tit.* & eadem verba, ibi: *Et juxta cujusdam constitutionis nostræ tenorem, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur.* Et *in cap. is cui, eodem tit. in* 6. Sed verba intelligenda sunt, & interpretanda secundum suam propriam significationem, nec ab illa est recedendum, *l. non aliter, ff. de legat.* 3. *l. cum lege ff. de testam.*, & etiam debent intelligi secundum communem usum loquendi: *l. librorum.* §. *quòd tamen ff. de legat.* 3. & aliis, & Doctoribus apud Barbos. *tract. var. axiom.* 222. *n.* 4. & 7. Ergo cùm verba juris loquantur de absolutione, absolutio defuncti excommunicati debet intelligi, de propriâ.

57. Secundò ostenditur ratione; quia absolutio defuncti excommunicati non est tantùm declaratio excommunicationis ablatæ, sed est illius vera ablatio, prout durat; quia non solùm propter scandalum sed propter Ecclesiæ prohibitionem, non licèt hujusmodi excommunicatum in loco sacro sepelire, nec pro eo communia suffragia facere.

58. Tertiò: quia ideo non posset Ecclesia defunctos excommunicatos propriè absolvere, quia jam non sunt sui subditi: sed Ecclesia aliquod jus habet in corpus defuncti excommunicati, quoad hunc absolutionis effectum; & etiam postquam est sepultus; potest enim, & debet illius ossa, si ab aliis discerni possunt, exhumare: ut patet *ex cap. sacris de sepult.* & omnibus Doctoribus Soar. *cit. disp.* 12. *sect.* 4. *n.* 4. Bonac. *disp.* 2. *q.* 2. *punct.* 3. §. 3. *n.* 5. & aliis, quos refert, & sequitur Leand. *t.* 4. *tract.* 2. *disp.* 8. *q.* 7. & potest ejus memoria deleri, ut videre est, apud Fagund. *in* 1. *decalog. precept. lib.* 1. *cap.* 19. *n.* 5. Et quoad animam; quia prohibet, ne vivi pro illo orent: Ergo absolutio excommunicato defuncto impertienda non est tantùm declaratio, sed propriè absolutio.

59. Advertit tamen Soar. *dict. à sect.* 1. *n.* 5. si defunctus in articulo mortis fuit absolutus à quocunque sacerdote, etiam simplici, non indigere post mortem absolutione: quia illa absolutio fuit vera, ex jurisdictione omnibus sacerdotibus pro illo articulo veluti delegatâ; ut liquet ex *Conc. Trident. sess.* 14. *cap.* 7. & aliis juris canonici capitibus, & id notavit Gloss. *in cap. a nobis de sent. excomm. verb. non potuerit*; quæ id etiam extendit ad absolutionem excommunicationis à laico datam in absentiâ sacerdotis; quam sequuntur aliqui canonistæ; quibus adde Armill. Panormit. Tabien. Valer. Joann. à Cruce, Joann. Sanch. Barth. de Ledesm. Raguf. Margarit. Confess. D. Anton. Bauny, Candid. quos referunt Leand. *t.* 1. *part. tract.* 5. *disp.* 11. *q.* 7. *& part.* 4. *tr.* 2. *disp.* 17. *q.* 5. Dian. *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 133. & *part.* 5. *tract.* 9. *resol.* 7. Oppositum docet Soar. *loco cit. & sect.* 6. *n.* 6. & Sanch. Vazq. Card. de Lug. Bonacin. & alii apud *citatos*, Leand. & Dian. quorum sententia probabilior est: licèt contraria etiam probabilis sit. Unde si à laico in articulo mortis excommunicatus sit ab excommunicatione absolutus; post mortem, ut sepulturæ tradatur, non aliâ indiget absolutione; dummodò mortuus decesserit contritus, ut dictum est; at juxta probabiliorem sententiam, illâ indiget.

60. Quæres tertiò: A quo debeat absolvi defunctus excommunicatus, qui ante mortem absolutus non fuit? Respondeo, posse tantum ab illo, à quo poterat vivus absolvi: sive ordinariam, sive delegatam habeat jurisdictionem; quia per mortem, jam cessavit articulus mortis, in quo tam à censuris, quàm à peccatis potuisset absolvi. Sic Soar. *citat. n.* 7. cum Navarr. Mend. *ut supra n.* 44.

61. Non autem ex hoc inferas, posse excommunicatum post mortem absolvi à quocunque Sacerdote approbato: quia, dum vivebat, habebat Bullam; & virtute illius poterat absolvi à confessario approbato semel in vita, & in mortis articulo à censuris, & reservatis S. Pontifici juxta ea, quæ *infra* dicentur; & ab aliis, toties quoties. Non, inquam, hoc inferas; quia per mortem cessant Bullæ privilegia, excepto sepulturæ Ecclesiasticæ, tempore interdicti; & licèt, dum viveret, potuisset eligere confessarium, qui eum ab illâ censurâ absolveret; post mortem verò eam electionem, nec formaliter, nec interpretativè facere potest. Sic Trullench. *dict. lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 20. *n.* 4. Mend. *proximè n.* 45. *& disp.* 4. *cap.* 5. *n.* 24. Dian. *part.* 11. *tract.* 8. *resol.* 13. *& apud illum*, Scob. *tom.* 1. *lib.* 7. *n.* 472. Villal. *tract.* 27. *claus.* 10. *n.* 3.

62. Quæres quartò: an si excommunicatus occultus jam sit sepultus in loco sacro, sit ab eo exhumandus? Respondeo, Soar. asserere *loco citato* non esse exhumandum; quia cùm non sit publicè

blicè denunciatus, nec etiam publicus clerici percussor, exclusus non est à communicatione fidelium ex parte ipsorum; deinde non decet manifestare rem occultam, quæ & infamiam, & scandalum generare valet. Idem sentiunt Nav. & Mend. qui addit cum Soar. si possit commodè à censura absolvi secretò, sic fieri debere. Et sic juxta sententiam, quam sequuti sumus *num.* 53. dicendum est: ut Ecclesiæ suffragiis fruatur; nam circa allatam *num.* 52. indiget eâ absolutione secretâ, ut maneat in eo loco sepultus, & ut fruatur Ecclesiæ suffragiis.

63. Quæres quintò (quandoquidem diximus *quæsito* 2. defunctum excommunicatum propriè debere absolvi) qua forma utendum erit in illius absolutione? Respondeo: *in cap. à nobis* 28. *de sent. excomm.* disponi, quòd hæc observetur forma: *Absolutionis autem forma servetur, ut fiat cum pœnitentiali Psalmo, & tam oratione Dominicâ, quam aliâ consuetâ.* Unde colligunt Navarr. *in sum.* 26. *num.* 8. & *in cap.* 1. *de pœnit. dist.* 6. *num.* 56. Alter. *de cens. tom.* 1. *de excomm. lib.* 4. *disp.* 7. *in fine.* Barbos. *in collect. ad dictum cap. n.* 6. absolutionem debere esse publicam, recitato prius aliquo ex Psalmis pœnitentialibus; quia tamen jurare non potest, ejus hæres compelli potest ad jurandum, antequam absolvatur; quòd si renuat; non ideo tamen differetur absolutio: ut ait Gloss. *in dicto cap. Verb. forma servetur.*

64. Cæterum, quia hæres tenetur ad implendam satisfactionem, quam defunctus promisit, vel debebat, quoad vires hæreditatis: non tamen quoad actiones, seu onera personalia; si in mora sit, potest per censuras compelli: sic *dictum cap. à nobis*, Gloss. & Soar. *cit. n.* 6. & cum pluribus Barbos. *cit. n.* 1.

65. Quomodo verò se debeat gerere Parochus, quando aliquis excommunicatus non toleratus decessit? Respondeo: si potest, recurrat ad Prælatum; si non potest; quia longè distat; consulat Doctos, & si est hujus Diœcesis Ulyssiponensis, consulat Constit. Synod. *lib.* 4. *tit.* 16. §. 2. Expensas tamen hujus diligentiæ, & adhuc obligationem procurandæ absolutionis pro defuncto excommunicato, pertinere ad hæredem, existimat Soar. *cit. n.* 7.

DISPUTATIO IX.

De participatione bonorum operum in Bullâ concessâ.

1. AD eundem ordinem Bullæ revertimur; quæ sic prosequitur. *Præterea illos omnium precum, eleemosynarum, peregrinationum etiam Hierosolymitanarum, cæterorumque bonorum operum, quæ in militante Ecclesiâ universali, & singulis ejus membris fiunt, participes esse volumus.* In Summario, sic vertitur. *Item os fas participantes de todas as oraçoens, esmolas, e peregrinaçoens, anda da Caza santa de Hierusalem, e de todas as mais obras boas, que na universal Igreja militante, e em cada hum de seus membros se fazem.* Hæc gratia, omnibus Bullam habentibus, conceditur; sine aliquâ jejunii, & orationum conditione, ut habet Bulla Hispana. sic à Cost. *quæst.* 23. *in principio.* Abreus *de Paroch. lib.* 10. *num.* 526. Affero tamen in Bullâ Hispanâ aliquid amplius concedi, nempe: Quindecim annos, & totidem quadragenas, de injunctis, & quomodolibet debitis pœnitentiis: hoc autem est sub eadem conditione precum, & jejunii; & si jejunare non possint, Bullam habentes Hispanam: aliud opus pium arbitrio Parochi, vel confessoris assumere valent; sed hæc lucrantur tantum toties, quoties ea pia opera pro victoriâ contra infideles fecerint; at in Bullâ Lusitanâ sine aliquo opere injuncto bonorum operum, quæ in militante Ecclesiâ fiunt, quotidie, & quolibet momento (si incapaces non sint) participes sunt; quod sanè magna gratia, & privilegium est.

SECTIO I.

Quænam communicatio bonorum operum hic concedatur?

2. UT prædictâ gratia intelligatur, supponendum est primò; de fide certum esse, dari inter justos constitutos in Ecclesiâ, sub uno capite Christo, communicationem bonorum operum, ut dicitur in symbolo, ibi: *Sanctorum Communionem* & in Psalm. 118. 63. *particeps ego sum omnium timentium te.* Hæc autem communicatio consistit in influxu, quo Christus Dominus, tamquam caput in sua membra, gratias impertit; teste Paulo, 1. *ad Corint.* 12. 12. *sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem corporis cum sint multa, unum corpus sunt, ita & Christus.* Et in communicatione sacramentorum omnibus fidelibus communium; & etiam in eo, quòd quilibet justus sua bona opera possit applicare, & de facto applicet illis, quibuslibet, in satisfactionem pœnarum, quas pro suis culpis debent. Demum in eo, quod per sua bona opera possit impetrare, & de congruo obtinere pro aliis aliquod donum supernaturale, vel naturale: scilicet auxilium gratiæ, conversionem à malo statu, sanitatem, bona temporalia &c. Vide Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 48. *sect.* 1. *num.* 1. Bard. *part.* 2. *tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 2.

3. Suppono secundo, tria dari in operibus cujuscunque justi: scilicet meritum, satisfactionem, & impetrationem: meritum de condigno gratiæ, & gloriæ solùm justo operanti favet, & alteri applicari non potest: Solus enim Christus, tamquam caput in membra, in ipsos justificatos jugiter virtutem influit; ut inquit *Trident. sess.* 6. *cap.* 16. satisfactio est, quæ datur pro pœnâ temporali ex peccato remisso debita; quam justus & sibi, & alteri applicare potest; dummodo alter cui applicatur, in gratiâ existat. Impetratio, quæ à Theologis vocatur meritum de congruo, non solùm impetranti, sed etiam aliis, imo & peccatoribus prodesse potest; mereri de congruo, idem est, ac de liberalitate convenienti Deo, aliquod beneficium sibi, vel alteri mereri. Vide Castr. Pal. *tom.* 4. *tr.* 24. *disp. unic. punct.* 1. §. 1.

4. Suppono tertiò, in satisfactionibus hoc evenire: Potest justus pro se, vel pro alio, v. g. jejunare, vel orare; si pro se, satisfacit pro aliquâ parte pœnæ, quam fortasse adhuc pro suis culpis debet; at si debitor non sit totius saltem partis illius satisfactionis, quia per alia bona opera, vel indulgentiam plenariam acquisitam plene satisfecit; & illud jejunium, vel orationem pro alio applicavit, satisfactio superabundans, ex eo jejunio, vel oratione, reservatur in thesauro Ecclesiæ, supra quem solus S. Pontifex jus habet, illum distribuendi; ut tenet Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 55. *sect.* 5. *n.* 4. & 5. Cordub. Lavor. quos refert, & sequitur Bard. *cit. num.* 7.

Tam-

Tamborin. *in Bull. cap.* 9. §. 2. *n.* 4. Si tamen justus, illud jejunium, vel orationem pro alio applicet; & hic alius sit incapax, quia est in mortali, vel in gloriâ, vel in gehennâ; tunc illa satisfactio, quæ ipsi jejunanti, vel oranti necessaria non est, etiam reponitur in thesauro Ecclesiæ. Simile quid dici potest de merito impetrationis; ut videre est apud Galleg. *clauſ.* 7. *diſp.* 66. quem refert Tambor. *loco citat.*

5. Suppono quartò, inter satisfactionem applicatam, & inter meritum impetrationis similiter applicatum, dari discrimen; quia meritum satisfactorium, cùm sit finitum, si multis applicetur, minuitur: at meritum, quatenus est impetratorium, quantò ad plures extenditur, tantò magis meritum crescit. Unde, qui pro pluribus jejunat, vel orat, magis meretur; quia sibi, & aliis meretur; quia non minus sibi impetrat, eo quòd aliis etiam impetret. Sic Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 48. *sect.* 2. *n.* 17. *& sect.* 3. *n.* 6. *&* 7. Rodrig. §. 7. *n.* 13. *Verſ. la ſecunda* Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 5. *dub.* 4. *n.* 3. à Coſt. *q.* 23. *Verſ. deinde notandum.* Bard. *cit. n.* 6. His suppositis,

6. Respondent ad quæstionem in titulo sectionis propositam Henriq. *lib.* 7. *cap.* 30. *n.* 1. *litter. D.* & aliqui Recentiores, S. Pontificem in Bullâ nihil aliud concedere, nisi illam participationem omnibus fidelibus communem, in primâ suppositione relatam; illam tamen concedere, novo titulo acquirendam.

7. Dicendum tamen est, in hoc Bullæ privilegio aliquod aliud speciale beneficium concedi fidelibus. Sic Ludovic. à Cruce *diſp.* 1. *cap.* 8. *dub.* 15. *n.* 14. Trullench. *in expoſit. Bull. lib.* 1. §. 5. *dub.* 2. *n.* 3. *& ſequentibus*, malè citati pro oppositâ sententiâ à Tambor. qui tamen hanc sequitur *in tract. Bull. cap.* 9. §. 2. *n.* 3. Accedunt Castr. Pal. *tom.* 4. *tract.* 25. *de Bull. diſp. unic. punct.* 5. *n.* 5. Bard. *part.* 2. *tract.* 4. *cap.* 2. *a n.* 6. Rodrig. *in Bull.* §. 7. *a n.* 17. Villalob. *tract.* 27. *clauſ.* 7. *n.* 6. *& tract.* 26. *diffic.* 6. Lop. *de Bull. c.* 7. Mend. *diſp.* 19. *à num.* 23. Escobar *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 143. Lezan. *in qq. Regul. tom.* 3. *Verb. Bulla Cruc. n.* 17. & idem videtur tenere à Coſt. *quæſt.* 23. Probatur, quia privilegium debet explicari tali modo, ut aliquid supra id, quod est commune omnibus, concedat; sed quæ continentur in primo supposito, omnibus justis sunt communia: Ergo aliquid aliud concedit S. Pontifex in hâc clausulâ.

8. Quid autem sit hoc speciale, quod concedit? Respondeo, esse non solùm omnia merita de congruo, aut impetratoria bonorum operum, in quibus communicant omnes fideles, sed etiam omnes satisfactiones superabundantes, juxta ea, quæ diximus *suppoſitione* 3. quæ in toto orbe peraguntur, sive sint ex elecmosynis, sive ex peregrinationibus, etiam Hierosolymitanis, quæ specialiter exprimuntur: ut intelligamus, etiam maximarum satisfactionum participationem in hac clausulâ omnibus Bullam habentibus concedi. Quare si habentes Bullam sint in gratiâ, in eo momento, quo illa opera à justis exercentur, statim antequam reponantur in thesauro Ecclesiæ, illa participant; quia ad hanc participationem nihil aliud desideratur, nisi status gratiæ; quòd in Hispanis per suam Bullam non contingit, si jejunia, & preces non sint præstitæ. Hæc autem bonorum operum participatio habetur, durante anno Bullæ.

9. Adverte tamen, hujus participationis concessionem, non esse indulgentiam, ut docent Ludovic. à Cruce *ſupra cit. num.* 9. Cordub. *lib.* 5. *indulg. q.* 3. §. *dicitur, & q.* 42. *a punct.* 4. Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 55. *ſect.* 5. *n.* 2. *& ſequentibus*, Bard. ubi *ſupra n.* 5. Mend. *dict. diſp.* 19. *num.* 25. Et hujus ratio est, quia non fit ex thesauro Ecclesiæ, per dispensationem Pontificis, sed ex illius applicatione, prout est caput Ecclesiæ, & distributor bonorum illius, ut *infra* clarius patebit.

SECTIO II.

An ſuperiores Religionum poſſint concedere ſæcularibus participationem bonorum operum ſuorum ſubditorum?

10. EX dictis *in præcedenti ſectione* infertur, quid sit dicendum de Prælatis Religionum, sive sint locales, sive Provinciales, aut Generales, quoad admittendos extraneos ad communicationem, seu participationem bonorum operum, quæ à suis subditis fiunt; & ad hunc finem litteras confraternitatis præbent. Ut hæc intelligantur suppono primò, Prælatos Religionum non habere potestatem ordinariam concedendi indulgentias ut contra Medin. *lib. de indulg. cap.* 19. asserit Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 55. *ſect.* 5. *n.* 1. & communiter Theologi, & constat *ex cap. accedentibus, de exceſſ. Prælat.* solùm ergo procedit quæstio de bonorum participatione, quæ consistit in obligationibus, seu donationibus suffragiorum, ut asserit Soar. *proximè n.* 2.

11. Suppono secundò, superiores Religionum non applicare confratribus satisfactiones superabundantes, quæ jam sunt in thesauro Ecclesiæ; sed illis, quæ post datas litteras confraternitatis resultaverint, gaudebunt; si in gratiâ extiterint; at non manent liberi per hoc beneficium adimplendi pœnitentias, sicut non manent ratione participationis, quæ in Bullâ conceditur; ut docent illius Expositores. His suppositis.

12. Dico primò: Admissi ad participationem bonorum Religionis, præter satisfactiones superabundantes, gaudent etiam meritis impetrationis, & de congruo omnium bonorum operum, quæ à Religiosis in eâ Religione fiunt, ratione peculiaris conjunctionis cum illâ. Addo etiam gaudere, novo quodam titulo, illis bonis, quæ omnibus fidelibus sunt communia; quod etiam beneficium est, ut aliqui tuentur, in expositione hujus gratiæ in Bullâ Cruciatæ concessæ, ut dictum est, *ſect. præcedente n.* 2.

13. Dices: satisfactiones superabundantes omnium fidelium, & Religiosorum, & alia merita de congruo, de quibus *ſect. præcedente*, jam per S. Pontificem suscipientibus Bullam manent applicata; qui etiam poterat non superabundantes illis applicare, eo quòd omnia bona fidelium illi, ut supremo capiti, subjecta sunt; dummodo sint spiritualia, & alteri applicabilia. Quia tamen id non exprimit, judicamus solùm applicare superabundantes, ut asserunt Ludovic. à Cruce *in Bull. diſp.* 1. *cap.* 8. *dub.* 15. *n.* 16. Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 5. *dub.* 2. *n.* 5. Mend. *diſp.* 19. *n.* 21. Ergo si à S. Pontifice jam manent applicatæ, non possunt ab aliis inferioribus Prælatis, seu superioribus, aliis applicari.

14. Confirmatur: quia ex eo, quòd superiores locales, Provinciales, & Generales possint admittere extraneos ad participationem bonorum, quæ à

suis subditis fiunt, ut *in principio hujus sectionis* diximus; si hæc tamen facultas limitetur à Generali, (& de facto in nostrâ Societate solùm ad Præpositum Generalem limitatur, ut habetur *in compendio nostrorum privilegiorum verb. Generalis* §. 7. & tenet Bard. *part.* 2. *tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 12.) non poterunt alii inferiores, nempe: Provinciales, aut superiores locales eam participationem concedere: Ergo cum S. Pontifex illam concedat sumentibus Bullam, nec noster Generalis, nec aliarum Religionum superiores poterunt ad participationem bonorum operum alios admittere.

15. Respondeo satisfactiones superabundantes, prout sunt satisfactoriæ, si à S. Pontifice aliquibus applicentur; ab inferioribus, aliis non posse applicari; quia si aliis applicentur, cum sint finitæ, minuuntur: licèt, prout impetratoriæ, non minuantur. Imo quo ad plures extenduntur, magis augetur meritum in applicante, *ut supra n.* 5. *diximus*. Deinde efficacior est oratio facta pro personâ conjunctâ, quàm pro extraneâ, ut inquit Soar. *ubi supra sect.* 5. *n.* 12. quia merita justorum per se, & absque aliâ intentione valent de congruo ipsis personis conjunctis, & non extraneis; ita ob eandem proportionem, eadem merita, adjunctâ speciali intentione, & oratione, majorem habent efficaciam respectu personæ conjunctæ, quàm extraneæ; & simili modo oratio ipsa, cæteris paribus, efficacior est ad impetrandum pro personâ conjunctâ, quàm pro extraneâ. Multum ergo confert unio, ad participationem habitam à Prælatis Religionum; nam hæc per participationem à S. Pontifice sumentibus Bullam non minuitur.

16. Addo, aliquando prædictis concedi satisfactiones non superabundantes à superioribus, & à SS. Pontificibus participationem aliquarum indulgentiarum, quæ Religionibus sunt concessæ: ut tenet Soar. *dicta. sect.* 5. *n.* 13.

17. Attamen cùm Religiosorum indulgentiæ sint revocatæ à Paulo V. hæ videntur etiam revocatæ. At non sunt: solùm enim censentur revocatæ, quæ directè ipsis Religiosis sunt concessæ; ut docent Quintan. *in append. tom.* 1. *tract.* 4. *dub.* 13. *n.* 3. Moya *tom.* 2. *qq. select. tract.* 3. *disp.* 4. *q.* 8. *n.* 19. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *n.* 546. & apud illum Bonagratia Halbsensis *in summul. verb. indulgentia n.* 221. sequitur cum ipsis Authoribus non esse revocatas indulgentias promiscuè datas Regularibus, & Sæcularibus, & impertitas parentibus, cognatis, & servitoribus Religiosorum; & illas, quas ipsi Regulares poterant concedere, tam Regularibus, quàm sæcularibus pro aliquo opere: ut pro audientibus ipsorum conciones &c. Ergo dicti confratres per participationem poterunt indulgentias concessas obtinere; & hæ per Bullam non conceduntur illam sumentibus. Et ex his patet solutio, ad confirmationem.

18. Dico secundò: Non sufficit, quòd superiores applicent sæcularibus participationem bonorum operum, quæ à subditis fiunt, si ipsa bona opera sint satisfactoria; sed ulterius requiritur applicatio ipsius subditi. Sic Soar. *cit. n.* 12. Bard. *supra n.* 14. & apud ipsum Lavor. *de indulg. part.* 2. *cap.* 4. *n.* 24. & 25. Mend. *disp.* 19. *n.* 27. cum distinctione *infra* adducendâ *num.* 27. Probatur, quia Prælatus non potest immediatè applicare opus subditi sine ejus intentione, aut quasi operatione: nam hic est, qui proximè operatur, & non Prælatus; & licèt, præcipiente Prælato, subditus debeat id facere; tamen ipsum facere manet sub dominio subditi: Ergo si Prælatus præcipiat subdito pro aliquo satisfacere, & subditus nolit, quanvis malè faciat, reverâ pro illo non satisfacit. Nec oppositum convincunt Cordub. & Lavor. apud Bard. *cit.* & Sot. apud Soar. *cit. n.* 7. & Sylvester, Angel. Henriq. apud Dian. *part.* 2. *tract.* 14. *resol.* 72. asserentes, posse opus à Prælato applicari, etiam invito subdito. Nam id est falsum; quia applicatio dependet ab operantis intentione, & voluntate liberâ: ut patet in Ministro sacramenti Baptismi, & pœnitentiæ; qui si non habeat intentionem, illa sacramenta prodesse non possunt.

19. Dices: superior est dominus voluntatis, & omnium actionum, & fructuum earum sui subditi: Ergo illi potest præcipere, non solùm ut faciat tale opus, sed etiam ut satisfactionem offerat pro tali personâ: Ergo etiam potest suâ solâ intentione efficaciter applicare alteri talem satisfactionem, irritando voluntatem subditi repugnantis. Respondeo, dato antecedente, & primâ consequentiâ, negando secundam; dispar ratio est, quia superior potest præcipere subdito, ut faciat eleemosynam; & facere opus ad satisfaciendum pro alio, est eleemosyna: at repugnante subdito, non potest alteri applicare eam satisfactionem, irritando voluntatem subditi; quia dominium, quod superior habet in voluntatem subditi, est ad debitum usum, non tamen simpliciter, in ordine ad usum, quia operari, & non operari est subditi, & non superioris; qui subditus potest facere, & non facere; quanvis non faciendo, malè faciat contra voluntatem superioris: ut docet Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 55. *sect.* 5. *n.* 7. & 8. Ut hæc melius percipiantur, instituo sequentem sectionem.

SECTIO III.

An superiores Regulares possint præcipere suis subditis, ut extraneis applicent aliqua opera satisfactoria?

20. Hæc gravissima quæstio procedit circa sacrificia, orationes, & alia pia opera, quæ superiores præcipiunt applicari aliquoties à subditis pro benefactoribus, & aliis Religionis obligationibus. Et tota difficultas vertitur super applicationem præceptam: an scilicet cadat sub præceptum, si superior eam præcipiat sub pœna peccati mortalis, vel excommunicationis? Hæc tamen quæstio dependet ab illâ; an superior possit præcipere actus internos? nam applicatio consistit in intentione internâ; ut tenet Fagund. *in* 1. *Eccles. præcept. lib.* 3. *cap.* 10. *n.* 4. Tambor. *in method. celeb. miss. lib.* 1. *cap.* 2. §. 9. *n.* 2.

21. Et non procedit quæstio de præcepto superioris circa obligationem applicandi missas, & alia opera pia pro fundatoribus, & illis, qui stipem monasterio dederunt; quia hæc obligatio cum radicetur in justitiâ, tenentur sub mortali subditi obedire, quia ex voto, & contractu virtuali ad id se obligarunt, cùm professionem emiserunt. Sic Fagund. *cit.* & apud illum Henriq. *lib.* 9. *de miss. cap.* 21. *n.* 6. Soar. *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 79. *sect.* 9. §. *aliis nihilominus*.

22. Procedit ergo quæstio: An superior ex vi jurisdictionis, seu ex vi voti obedientiæ, possit suis subditis præcipere, ut applicent missas, orationes, aut similia opera pia, pro extraneis? Ad cujus reso-

resolutionem suppono, esse communem Authorum opinionem, non posse superiorem suis subditis præcipere actus merè internos; quia sicut Ecclesia non judicat de interiori, sic etiam interiora non præcipit. Sic D. Thom. Medin. Cajet. Valent. Becan. Serr. Sot. Gordon. Petr. de S. Joseph. Montesin. Lorc. Sal. Soar. Vazq. Laym. Sayr. Arriag. Amic. Præpositr. Castr. Pal. Gran. Azor. Henriq. Sylvius Malder. Rocaf. Caspens. Vuiggers. Villal. Aravio Less. quos refert, & sequitur Dian. *part.* 9. *tract.* 8. *resol.* 67. *ad finem.* Accedit Lezan. *in qq. Regul. tom.* 1. *cap.* 4. *n.* 5.

23. Suppono secundò: posse superiorem præcipere suis subditis actus internos indirectè, qui per se conjunguntur cum externis, sive in esse physico, sive in suo esse morali. Sic Soar. *lib.* 4. *de leg. cap.* 13. *n.* 6. Castr. Pal. *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 6. Lezan. proximè, & alii communiter. Dupliciter autem possunt esse conjuncti: Primò in esse physico, dum necessarii sunt ad actus externos imperatos faciendos; ut in contractu celebrando, qui sine voluntate fieri non solet. Secundò in esse morali, quatenus necessarii sunt, ut in esse morali constituantur, ut in oratione vocali imperatâ habentibus ordinem sacrum; qui tenentur recitare horas canonicas cum intentione, & attentione internâ; & in præcepto annuæ confessionis, quæ requirit actum internum doloris; & in administratione sacramentorum, quæ requirit intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Quando verò actus interni, & externi ita conjunguntur: Ecclesia, seu superior præcipiendo externum, præcipit & internum; quia internus necessarius est, ut externus in esse morali virtutis constituatur.

24. Suppono tertiò: non posse superiorem præcipere suis subditis actum internum, quando conjungitur per accidens, seu concomitanter cum externo. Sic Soar. *lib.* 3. *de leg. cap.* 20. & *lib.* 4. *cap.* 13. *n.* 14. Castr. Pal. *proxime n.* 4. Meroll. *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 4. *dub.* 16. *diffl.* 2. *n.* 824. Exempla illorum, qui ita conjunguntur, sunt; quando superior imperat jejunia, orationes, & flagellationes in necessitatibus, nihil curando de speciali intentione, & fine; quia si id præciperet, directè actum internum præciperet. Et hoc patet; quia si subditus ob alium finem, nempe: ob vanam gloriam, ea opera faceret, non peccaret contra præceptum superioris. His suppositis, videndum est, an applicatio missarum, orationum, aut aliorum operum piorum conjungatur cum ipsis piis operibus per se, an per accidens?

25. Prima sententia docet, applicationem missæ, & aliorum piorum operum non conjungi per se cum illis, sed per accidens; ac proinde non posse à superiore subditis præcipi, nec subditos peccare non obediendo. Sic Laym. *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 4. *n.* 13. Castr. Pal. *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 6. *n.* 4. *in fine.* Tamborin. *in method. celeb. miss. lib.* 1. *cap.* 2. §. 9. *n.* 8. & aliqui, quos tacito nomine refert Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 55. *sect.* 5. *n.* 7. ubi asserit, sibi videri, ita sensisse Scot. *quod lib.* 29. quanvis ibi id clarè non inveniatur. Probatur hæc sententia efficaciter; quia superior non potest imperare actus internos, ut tenet communis sententia *supra n.* 22. nec etiam actus internos, se habentes concomitanter, & per accidens ad actus externos, ut tenent D. D. *supra citat. n.* 24. Sed actus internus applicationis missæ, & aliorum piorum operum habet se ad hæc sacrificia, & opera veluti concomitanter, & valdè per accidens: Ergo à superiore non potest subditis imperari.

26. Secunda sententia communior, & mihi probabilior asserit applicationem conjungi per se cum prædictis sacrificiis, & piis operibus imperatis: ideoque posse à superiore præcipi, & subditos teneri obedire; si tamen non obediant, & pro alio applicent, eorum valebit applicatio, & non superioris. Sic Rodrig. Ascan. Mirand. Meroll. quos citat Tambor. *supra n.* 7. Soar. *proximè cit. n.* 8. & *lib.* 3. *de leg. cap.* 29. *n.* 10. Fagund. *in. l. Eccles. præcept. lib.* 3. *cap.* 10. *n.* 6. Villal. *part.* 1. *tract.* 8. *dub.* 11. *n.* 3. Franxinell. Gavant. Sot. quos citat, & probabilem dicit hanc sententiam Dian. 2. *part. tract.* 14. *resol.* 72. & eam sequitur *part.* 11. *tract.* 6. *resol.* 39. *in fine.* Bard. *part.* 2. *tract.* 4. *cap.* 2. *à n.* 17. Lezan. *supra n.* 35.

27. Demum Mend. *disp.* 19. *n.* 27. & 28. hanc sententiam defendit cum hâc distinctione, nempe non posse superiorem opera satisfactoria ex opere operato pro aliis applicare, invito offerente sacrificium; quia cùm offerat nomine Christi, ejus valet applicatio, & non superioris: at si opera satisfactoria sint ex opere operantis, possunt quoad satisfactiones invitis subditis à superiore aliis applicari, quia superior est voluntatis eorum quasi dominus. Hoc tamen fundamentum in fine sectionis præcedentis rejecimus cum Soar. *citat. tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 55. *tract.* 5. *n.* 7. & 8.

28. Probatur hæc secunda sententia à Soar. *lib.* 3. *de leg. cap.* 29. *n.* 10. *in fine*, quia licèt intentio applicandi sacrificium (idem dicendum de aliis operibus piis) non sit de necessitate sacrificii, est tamen necessaria ad completam oblationem sacrificii, & ad fructum ejus alteri conferendum; & ideo qui potestatem habet præcipiendi sacrificium, totum id præcipere potest. Confirmatur, quia superior potest præcipere actum internum, quando se habet, ut circunstantia necessaria, ut actio externa imperata sit honesta, in aliquâ specie virtutis: Sed cùm præcipitur offerri missam, & alia pia opera, pro aliquo, vel aliâ necessitate, applicatio, quæ est actus internus in hâc specie honestatis, non habet se cum iis operibus, seu sacrificio, ut concomitanter, & per accidens, sed ut per se conjuncta: Ergo à superiore potest imperari. Superior enim non præcipit applicationem missæ in se, vel aliorum operum, sed tantùm præcipit, ut dicatur missa pro tali personâ, vel necessitate, quæ est actio externa; ad illam tamen exercendam requiritur actus internus, qui est ipsa applicatio, quam tenetur apponere subditus.

29. Explico hanc sententiam quodam exemplo: Præcepit Urbanus VIII. per sacram Congreg. Concil. anno 1625. 21. Junii, ut absolutè tot missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint. Ex quo præcepto, & decreto non licebat sacerdoti eandem missam duobus applicare, & ab illis duplicatum stipendium accipere, applicando ultimo petenti partem specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem; quæ applicatio per se, & necessariò erat conjuncta cum opere externo, non dicendi missam pro duplicato stipendio. Damna-

vit igitur S. D. N. Alexander VII. ut minimum tanquam scandalosam, hanc propositionem: *Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem; idque post decretum Urbani VIII.*

30. Unde non sequitur ex eâ censurâ, damnasse S. Pontificem opinionem asserentem, Ecclesiam non posse præcipere actus merè internos, ut vult, & infert ex dictâ propositione damnatâ Carden. *in disp. select. tract. 1. disp. 9. n. 429.* quia applicatio, quæ est actus internus facta duobus, vel pluribus, necessariò, & per se erat conjuncta cum præcepto Urbani VIII. præcipientis, dicendam esse missam ad rationem præscriptæ eleemosynæ, quæ est actio externa, ut per se patet, alias enim sequeretur illatio Carden. quæ non videtur sine majori fundamento admittenda, utpote contra communem D. D. sensum.

31. Advertunt tamen Fagund. ubi *supra* Dian. *part. 11. tract. 6. resol. 39. in fine*, & apud illum Franciscus de Lug. *de sacram. lib. 5. cap. 3. q. 3. n. 28.* quando superiores præcipiunt pro amicis, Prælatis, Principibus, vel pro conversione gentilium, aut hæreticorum, vel pro communibus necessitatibus occurrentibus, missas, vel alia pia opera offerri, non intendere subditos sub mortali obligare; quod etiam notat Bard. *supra citat. n. 28.* de superioribus societatis Jesu, quando pro aliquâ causâ, vel sua intentione subditis prædicta opera pia præscribunt, solum esse simplicem ordinationem, & non rigorosam obligationem, quæ præcepti (dummodo non constat) rationem non habeat.

DISPUTATIO X.

De indulgentiis stationum in Bullâ Cruciatæ concessis.

1. De alio privilegio hic debebat esse Expositio, ordinem Bullæ prosequendo; sed quia hactenus de indulgentiis expositio extitit, ne iterum ad illas revertamur, placet hoc loco stationum indulgentias introducere, quia etiam in Bulla Latinâ ex præcedenti clausula iteratâ ad hanc fit introitus, & sic habet: *Ad hoc ultra precum, eleemosynarum, peregrinationum, & aliorum operum præditorum participationem eos, qui in loco ubi ipsos morari contigerit, singulis quadragesimalibus, & aliis anni temporibus, ac diebus stationum Ecclesiarum almæ Urbis, & extra illius muros quinque Ecclesias, sive altaria, seu si ibi tot Ecclesia, vel altaria non fuerint, quinquies unam Ecclesiam, seu unum altare, devotè visitaverint; precesque ad Deum, pro sanctæ Romanæ, & universalis Ecclesiæ Catholicæ conservatione, & salubri directione, paceque inter Christianos Principes confovendâ, & alias prout cujusque suggeret devotio, piè effuderint, omnes, & quascumque indulgentias, tam pro se, quam per modum suffragii pro illis, qui in charitate Christi decesserint, & pro quibus ipsi visitaverint, consequantur; quas consequerentur, si iisdem temporibus, & diebus, singulas Ecclesias dictæ Urbis, & extra illius muros hujusmodi, pro eisdem stationum indulgentiis consequendis deputatas, personaliter visitassent.* Summarium verò, sic asserit: *Item concede a todos, os que visitarem devotamente sinco Igrejas, ou altares, nos lugares onde estiverem, assim na quaresma como nos outros tempos do anno, nos dias das estaçoens da Cidade de Roma, e fora dos muros della; e nam havendo tantas Igrejas, ou altares, visitarem sinco vezes huma Igreja, ou altar, dizendo oraçoens a Deos nosso senhor pella conservaçam da santa Romana, e universal Igreja Catholica, pello felice successo, paz, e concordia entre os Principes Christaõs, ou o que melhor lhe pedir sua devoçam, alcansem todas, e quaesquer indulgentias pera si, & per modum suffragii, pera as almas, que partiram desta vida em graça, e charidade com Deos, pellas quaes elles as visitarem, as alcansaram como se nos mesmos tempos, e dias visitassem pessoalmente cada huma das Igrejas da Cidade de Roma, e fora dos muros della, deputados pera se ganharem estas mesmas indulgentias.*

2. Hæc eadem clausula cum minori verborum copiâ, & diverso fine invenitur in Bullâ Hispanâ. Aliæ plures sunt concessæ indulgentiæ in aliquibus Ecclesiis, & confraternitatibus pro visitantibus quinque, vel septem altaria: Nec non Religiosis intra claustra viventibus, in reductione indulgentiarum à Paulo V. conceduntur eædem indulgentiæ, visitando propriam Ecclesiam; quas, si visitassent Ecclesias Urbis, & extra eam diebus stationum, consequerentur: cùm tamen pro hâc indulgentiâ non quinque Ecclesiarum, aut altarium, sed solùm Ecclesiæ Religiosorum visitatio requiratur, illius erit profectò consecutio facilior. De hâc autem *infra* erit nobis sermo, cum de aliis, quæ sine Bullâ à Regularibus acquiri possunt. De naturâ verò harum indulgentiarum, & de modo, quo lucrari valent, in hac pertractabimus disputatione.

SECTIO I.

Quænam sint stationum indulgentiæ?

3. Statio dicitur actus, quo Christiani stantes orabant in Basilicâ, aut Sepulchro Martyrum; sicut milites dicuntur stationarii, qui stantes stationem faciebant, ut in *l. desertorem. §. qui stationis munus ff. de re milit. & l. apud Labeonem ff. de injur.* Qui modus orandi contradistinguitur ab orando flexis genibus, & abjectione super terram, de quibus Tertullian. *l. ad Scapulam, & l. de coron. milit.* Propriè tamen dicuntur stationes; quia ut hæ indulgentiæ lucrentur, itur ad Romæ stationem, & orandum. De his consule Onuphrium Panuinum *l. de stat. Roma.*

4. Initium harum stationum ignoratur; & videtur emanasse à primis Pontificibus, ut inquit Soar. *tom. 4. in 3. part. disp. 49. sect. 2. n. 12.* quanvis Lavor. apud Bard. *part. 2. tract. 4. cap. 4. n. 4.* asserat, à tempore Apostolorum exordium habuisse. Clarior tamen extat notitia, S. Gregorium illas instituisse. Ita sustinent Gobat. *tom. 2. tract. 4. n. 337.* & apud illum Cardin. Tolet. & Rodrig ille *lib. 6. cap. 28.* hic *q. 89. art. 1.* & alii. Ex quibus aliqui docent, plenariam concessisse indulgentiam: Scholastici tamen asserunt apud Soar. *cit.* septem tantùm annos indulgentiæ in qualibet die stationum concessisse S. Gregorium.

5. Hæc

5. Hæc quanvis vera videantur, ut præter citatos, referunt D. Thom. *in addit. ad 3. part. q. 25. art. 2. in corpore* Turrecrem. *in cap. menjuram, de pœnit. dist. 1.* Cajet. *de indulg. ad Lucium Cardin. tract. 15. cap. 1.* Rodr. *in Exposit. Bull. §. 8. initio* Sorb. *in compend. privileg. verb. indulgentiæ stationum §. circa stationes.* Panuin. *supra cit.* quos refert, & sequitur Bard. *loco cit.* Quintanad. *tom. 1. appendic. tract. 6. dub. ultim. n. 1.* Mend. *disp. 20. n. 15.* & alii. Verius est testimonium Sixti V. qui sua Const. quæ inter alias hujus Pontificis est 23. edita anno Dom. 1586. apud Cherub. *tom. 2.* in quâ sunt hæc verba: *Inter quæ, vetus admodum est, ab Apostolis usque ducta temporibus sacrarum stationum consuetudo, in quibus fidelium multitudo ad Apostolorum sepulchra, & fortissimorum Martyrum memorias conveniens, hymnis, & canticis spiritualibus, Deum in sanctis suis mirabilem laudabat, & salutaribus immaculatæ Hostiæ sacrificiis placabat &c.* Ex hâc constit. constat, hunc S. Pontificem stationes introduxisse, licèt ab Apostolis, usque ad id tempus, jam essent in usu. Sic Cherub. *tom. 4. in indice verb. stationes.*

6. Inter alias Ecclesias, ad quas fiunt stationes, septem præ cæteris omnibus celeberrimæ (ut constat ex citat. constit.) sunt S. Joann. Lateranensis prima. Secunda D. Petri: Tertia D. Pauli, quarta S. Mariæ Majoris: Quinta S. Laurentii extra muros: Sexta S. Fabiani, & Sebastiani: septima denique S. Crucis in Hierusalem. In quibus, & multis aliis sunt copiosæ indulgentiæ. De Basilicâ S. Joannis Lateranensis, ait Bonifacius VIII. apud Sorb. *verb. indulgentiæ stat. n. 6. Indulgentiæ Ecclesiæ Lateranensis numerari non possunt, nisi a solo Deo, & ego omnes illas confirmo*; & ad illam plures fiunt stationes; & in Basilicâ S. Petri per integrum annum singulis diebus; & in eis conceditur indulgentia plenaria, ut tenet Trullench. *lib. 1. §. 6. dub. 1. n. 7.* Sorbus verò, inquit, Romæ quotidie ad minus in tribus locis est remissio plenaria omnium peccatorum, apud Quintanad. ubi *supra* & Gobat. *supra n. 338.* ex Escobar, & Rodrig. asserit, quotidie esse in aliquibus illarum Ecclesiarum indulgentias plenarias, in aliis 4000. annorum, & 1500. quadragenarum.

7. Concedit ergo S. Pontifex illis, qui diebus stationum quinque Ecclesias, vel altaria devotè visitaverint, & preces ad Deum pro S. Roman. & universalis Ecclesiæ conservatione, salubrique directione, paceque Principum Christianorum, obtulerint, omnes & singulas indulgentias, quas consequerentur, si personaliter, in eisdem diebus omnes, & singulas Ecclesias, tam intra, quàm extra muros Romanæ Urbis, visitassent.

SECTIO II.

An indulgentiæ stationum in Bullâ concessæ sint plenariæ.

8. PRima opinio negat esse plenarias, etiam in casu, quo visitantes in diebus stationum Ecclesias almæ Urbis tam intra, quàm extra muros, plenarias obtineant. Sic Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 10. n. 2.* Cordub. *lib. 5. de indulg. q. 41. post tertiam propos. vers. utrum seculares*, Sorb. *de indulg. stat. vers. advertendum est*, Navarr. *de jubil. not. 9. illatione 13.* Ludovic. à Cruce *disp. 1. cap. 8. dub. 2. n. 3.* Lavor. *de indulg. part. 2. cap. 10. n. 45.* Granad. *in 3. part. de sacram. contr. 12. tract. 6. disp. 2. n. 4. & 7.* Alphons. de Leone *tract. de jubil. part. 1. q. 6. n. 229.* Lezan. *tom. 3. verb. Bulla Cruciatæ n. 18. & verb. indulgentia n. 21.* cum Cassarub. Malfessio. Idem tenet Ildephons. Rodrig. *in manuscript. tract. de indulg. dub. ult. conclus. 4.* Soar. *tom. 4. in 3. part. disp. 52. sect. 8. n. 12.* pro eâdem sententiâ, videtur stare Avend. *Thesaur. Indic. tit. 5. à n. 298.* Probant primò cum Soar. ex stylo Curiæ, & regulâ Cancellariæ, quæ tenet, non intelligi concessam indulgentiam plenariam, nisi exprimatur: at in hâc clausulâ non exprimuntur indulgentiæ plenariæ, sed indulgentiæ.

9. Si iliis objicias: In calce summarii appositum esse catalogum stationum indulgentiam plenariam singulis diebus continentem. Respondent aliqui: summarium esse corrigendum per Bullam Latinam, in quâ eæ indulgentiæ non inveniuntur concessæ. Addit Sorbus, & alii; summaria eas habentia indulgentias plenarias fuisse compositâ à Quæstoribus, vel Commissariis, vel lucri causâ, vel ex ignorantiâ.

10. Probant secundò; quia in Bullâ, ut *supra* diximus, conceditur indulgentia plenaria semel in vitâ, & in articulo mortis: Ergo excludit alias plenarias indulgentias.

11. Tertiò: quia indulgentiæ stationum possunt per modum suffragii animabus Purgatorii applicari, ut dicitur in clausulâ: Ergo si indulgentiæ sunt plenariæ, singulis stationum diebus liberarentur animæ à pœnis purgatorii. Hoc autem non est dicendum; quia privilegium liberandi animam à purgatorio non censetur concessum, nisi exprimatur.

12. Quartò probatur à Ludovic. à Cruce: quia difficulter Romæ conceditur indulgentia plenaria pro aliquâ Ecclesiâ, vel Capellâ: sæpe enim opus est ingentem pecuniarum summam erogare in eleemosynam: Quomodo ergo credibile est, eroganti unum, vel duos argenteos tantam indulgentiarum plenariarum multitudinem concedi.

13. Secunda tamen sententia mihi videtur certa docens, indulgentias stationum concessas in Bullâ Cruciatæ esse plenarias, & idem dicendum de aliis, quæ Ecclesiis, confraternitatibus, & Religiosis à Paulo V. nomine stationum Romæ conceduntur. Ita Rodrig. §. 8. *n. 5.* Villal. *tract. 27. claus. 8. n. 3.* Trullench. *in Bullam lib. 1. §. 6. dub. 1. n. 5.* Garnic. quem cum aliis refert, & sequitur Dian. *part. 5. tract. 12. resol. 2.* Machad. *tract. 5. docum. 5. n. 2.* Lopes *2. part. instruct. ubi de Bull. cap. 1.* Quintanad. *tom. 1. tract. 6. append. dub. ult. n. 5.* Abreus *de Paroch. lib. 10. n. 507.* Bard. *part. 2. tract. 4. cap. 4. à n. 18.* Mend. *disp. 20. n. 2.* Gobat. *tom. 2. tract. 4. n. 330.* & apud illum Bonagratia *in summulâ selectarum qq. Regularium verb. indulgentia n. 221.* Ft. Joseph Mend. *sect. 1. n. 73.* Sebastian. à Costa *q. 34. vers. concedit igitur.* Escobar *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 769.* Moya *in qq. select. tom. 2. tract. 3. disp. 4. q. 9. n. 1.* cum Galleg. *in Bullam cap. 8. n. 70.* & probabilem dicit Avend. *ubi supra.*

14. Pro-

14. Probatur primò ex ipsâ Bullâ Latinâ, in qua conceduntur omnes, & quæcunque indulgentiæ diebus stationum consequerentur, si eisdem temporibus, & diebus pro consequendis indulgentiis Ecclesias Romæ personaliter visitassent: sed plures ex his indulgentiis, quæ consequerentur, sunt plenariæ, ut omnibus notum est; & concedunt ipsi adversarii: ergo habentes Bullam, & visitantes quinque Ecclesias, vel altaria, indulgentiam plenariam consequuntur.

15. Confirmatur primò: quia dispositio generalis omnes species comprehendit, & includit, & generaliter est intelligenda *L. si chorus ff. de legat.* 3. Alexand. Federic. quos refert, & sequitur Barbos. *tract. var. axiom.* 106. & cum aliis Quintanad. *cit.* Sed dispositio S. Pontificis est generalis; nam generaliter concedit omnes stationum indulgentias: ergo nullas excludit.

16. Confirmatur secundò: quia tam dictio *omnes* quàm dictio *quascunque* sunt dictiones universales omnia includentes, & nihil excludentes; De primâ *L. Julianus in principio ff. de legat.* 3. *l. hoc articulo. ff. de hæred. instit. l. à procuratore Cod. mandat. cap. solita, de majorit. & obedient.* Tiraq. *in l. si unquam, verb. totam n.* 1. *Cod. de revocand. donat.* Barthol. Perett. *ad Extravag. ambitiosæ de reb. Eccles. non alienand. n.* 17. Surd. *decis.* 265. *n.* 30. & cum aliis pluribus Barb. *in tract. variis axiom.* 168. Pro secundâ stat *L. à procuratore Cod. mandat. Cap. solita, de majorit. & obedient.* & notant Gloss. *Verb. quicunque*, & in *Cap. quicunque, de sent. excommun. in* 6. Menoch. *cons.* 600. *n.* 5. *& cons.* 1129. *n.* 28. Card. Tusch. *practic. conclusion. tom.* 2. *litter. D. concluf.* 351. & Barbos. cum pluribus *cit. dict.* 317. Sed S. Pontifex in hâc clausulâ asserit, se concedere *omnes & quascunque indulgentias* tam pro se, quàm per modum suffragii &c. Ergo omnes indulgentias plenarias includit, & nullas excludit.

17. Probatur secundò ex Summario Lusitano jussu Commissarii Generalis compositio sic in fine dicente: *Summario das Estaçoens, e indulgencias de Roma, as quaes concede S. Santidade a todas as pessoas, que fizerem, e cumprirem, o que nesta Bulla está declarado.* Et in prima linea, sic habet: *Doming. 1. do Advento em S. Maria major indulg. plenar.* Et hoc modo percurrit omnes dies stationum in Missali Romano descriptos; aliquibus tamen additis, in 2. linea, qui sunt delendi, juxta dicenda *infra sect.* 4. *a n.* 43.

18. Probatur tertiò, & efficaciter; quia S. Congregatio Indulgentiis præposita anno Dom. 1678. die 7. Martii suo decreto, quod Sanctitas sua probavit, & inviolatè servari jussit, hæc circa stationum indulgentias sancivit: *Indulgentias verò stationum Urbis, quæ à Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio vel communicatæ sunt, vel communicabuntur interdum aliquibus locis, ordinibus, & personis, diebus tantùm stationum in Missali Romano descriptis, suffragari posse declarat: semel autem duntaxat in die, plenariam indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus lucrifieri.* Ubi notentur hæc ultima verba, quæ clarè concedunt in diebus stationum plenariam lucrifieri indulgentiam.

19. Et ex hâc ultimâ probatione sequitur, oppositam, & primam sententiam assertam *a n.* 8. jam non esse probabilem, quia S. Pontifex approbat, & inviolatè servari jussit, concedi indulgentiam plenariam illis, qui in diebus stationum Ecclesiam visitant, ex gratia ab ipso S. Pontifice habitâ. Superest igitur, ut ad illius fundamenta respondeamus.

20. Ad primum enim *dicto n.* 8. allatum, de stylo Curiæ, & regulâ Cancellariæ, respondetur; sufficere prædictam concessionem generalem in Bullâ Latinâ adductam, & declarationem factam à S. Congreg. Cardin. cum approbatione S. Pontificis; tunc enim opus est, addere dictionem *plenaria* quando solùm conceditur aliqui, vel aliquæ indulgentiæ; non verò quando omnes, dispositione generali conceduntur. Aliter respondet Gobat. ubi *supra n.* 340. cum Bonagratiâ; at sufficit adducta ratio; quia hi Authores non potuerunt notitiam habere de decreto S. Congregationis.

21. Ad responsionem objectioni *n.* 9. factam, dico constare ex dictis pro nostrâ sententiâ, Commissarium generalem maturo judicio in compositione indulgentiarum plenariarum catalogi se habuisse, ut etiam ex dicendis patebit.

22. Ad secundum fundamentum respondetur; concessionem indulgentiæ plenariæ semel in vitâ, & in mortis articulo, non excludere alias indulgentias plenarias: concessio enim per unum medium non est exclusio alterius per alterum medium; at concessio indulgentiæ plenariæ semel in vitâ, & in mortis articulo conceditur contritis, confessis, & sacrâ communione refectis, impendente confessario plenam peccatorum remissionem: plenariæ verò stationum indulgentiæ conceduntur sub conditione visitationis quinariæ Ecclesiarum, vel altarium, & orationum pro S. Romanæ, & universalis Ecclesiæ conservatione &c. ut dictum remanet initio hujus disputationis, nec ad illas requiritur confessio, & communio, sed status gratiæ; si pro seipsismet visitantibus acquirantur.

23. Ad tertium respondetur, concedendo & antecedens, & consequentiam: quia prædictæ visitationes in diebus stationum possunt applicari pro defunctis per modum suffragii, ut concedit Bulla: ergo si quolibet illarum die pro aliquo applicentur, à pœnis purgatorii liberabitur: dum modò visitans, pro seipso illas non applicet, juxta dicenda *inferius.*

24. Ad quartum respondetur, falsum esse, quòd asseritur à Ludovic. à Cruce: non enim datur illa difficultas in concedenda indulgentia plenaria pro aliquâ Ecclesiâ, vel Capellâ, ut ipsa praxis manifestat; nec ad illam necessaria est illa summa pecuniarum ingens; nam gratis Brevia pro indulgentiis Romæ conceduntur; ut quotidie practicari videmus. Denique in hâc re attendendum non est ad erogationem eleemosynæ unius, vel duorum argenteorum, qui pro Bullæ receptione donantur; sed ad causam, pro quâ Bulla conceditur, quæ est manutentio militum, pro defensione locorum Africæ, in commodum, & honorem hujus Regni, & nominis Christiani.

SECTIO

SECTIO III.

An stationum indulgentiæ plenariæ possint pluries eâdem die obtineri repetendo visitationem?

25. PArtem affirmativam tenuerunt non pauci: Villal. *tom.* 1. *tract.* 27. *claus.* 8. *n.* 8. Rodrig. §. 8. *n.* 15. Nugn. *in* 3. *part. tom.* 2. *tract. de Bull.* §. 10. quos citat, & sequitur Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 104. & iterum *part.* 5. *tract.* 12. *resol.* 2. *in fine.* Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 6. *dub.* 3. *num.* 2. Lavor. *de indulgent. num.* 129. Moya *tom.* 2. *qq. select. tract.* 3. *disp.* 4. *q.* 9. *n.* 3. plurimus citatis Escob. *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *num.* 780. Lezan. *in qq. Regul. tom.* 3. *verb. Bull. Cruc. n.* 18. Eandem tenet Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *num.* 348. ubi inquit, verisimilius videri, posse indulgentias stationum intra, & extra Romam ter, quaterque intra diem unum, ab uno, eodemque homine obtineri; adeoque toties quoties visitatur humano, & non nugatorio modo Ecclesia; Eandem docet Mend. *disp.* 6. *a num.* 61. & apud illum Angel. *Verb. indulg.* §. 4. Henriq. *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 20. *num.* 2. Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 57. *sect.* 1. *num.* 7. Laym. *lib.* 5. *tract.* 7. *cap.* 8. *num.* 8. Cardin. de Lug. *de pœnit. disput.* 27. *num.* 95.

26. Sed hi Authores malè citantur à Mend. pro hâc sententia: malè citatur Henriq. quia *loco citato* tantum ait: *ad majorem certitudinem. & efficaciam consequi posse sepius in die*; non ergo id docet absolutè, sed ut repetitis visitationibus, suppleatur, quod defecit in aliâ, si forte aliquid necessarium superent. Malè etiam adducitur Soar. quia *loco citat.* id negat, quando est designatus dies; at in nostro casu designantur dies stationum ibi: *ac diebus stationum*, quod etiam, citato Soar. asserit Card. de Lug. non eo *num.* 95. in quo id concedit, quando indulgentia est perpetua, sed *num.* 96. *sequenti*, ubi sic ait: *Mihi etiam placet* (nempe, negativa sententia) *de indulgentia pro unis die concessa*; quales sunt de quibus agimus; quorum doctrinam etiam amplectitur Laym. *loco citat.*

27. Ratio hujus sententiæ erat, quia hæ indulgentiæ non sunt restrictæ ad unam tantùm vicem, sed absolutè, & indefinitè conceduntur: ergo repetendo visitationes possunt toties quoties lucrifieri. Deinde cùm hæc concessio sit privilegium in alterius damnum non redundans, amplè est interpretandum, & non ad unam tantùm vicem restringendum.

28. Hæc opinio non est vera ut eam appellat Mend. *cit. num.* 62. sed falsâ post decretum S. Congregat. indulgentiis præpositæ *allatum, sect. præcedente num.* 18. in quo declaratur, approbante, & ita inviolatè servari jubente Innocentio XI. solùm posse semel in die indulgentiam plenariam in diebus stationum concessam obtineri, per hæc verba: *semel autem duntaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus lucrifieri.* Quæ declaratio, non solùm habet verum in indulgentiis visitantium quinque Ecclesias, vel altaria in diebus stationum Urbis concessis per Bullam Cruciatæ; sed etiam in aliis pro eisdem stationum diebus aliquibus locis, confraternitatibus, aut Ordinibus concessis, aut concedendis.

29. Ante hoc decretum, hanc opinionem, nempe: solùm posse indulgentias stationum semel in die obtineri docuerunt expresse ex vi Bullæ Cruciatæ, Henriq. *lib.* 7. *cap.* 10. *n.* 2. *ubi litt. D.* aliquos citat. Idem asserunt Bard. *part.* 2. *tract.* 4. *cap.* 4. *num.* 67. & apud illum, Ludovic. à Cruce, & Riccius. Avendan. *in th. fund. Indic. tit.* 5. *n.* 300. Tambor. *in Bull. cap.* 10. §. 3. *n.* 2. Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *de Bull. punct.* 5. *num.* 11. Hanc etiam sententiam tenentur defendere omnes asserentes, indulgentiam ad designatum tempus concessam non posse iterari, nec toties quoties acquiri. D. Th. S. Anton. Paludan. apud Bard. *proximè* Soar. Cardin. de Lug. Laym. adducti *supra* Bonacin. *tom.* 1. *disput.* 6. *de indulg. q.* 1. *punct.* 5. *n.* 32. ubi præter citatos, refert Cordub. Card. Tolet. Sâ, Reginald. Filliuc. Grathum, & alios; & Lavor. *pag.* 205. *n.* 128. & plures apud Avendan.

30. Probatur hæc vera sententia primò; quia suo decreto declaravit S. Cardin. Congregatio anno Dom. 1678. 7. Martii, quod publicatum fuit locis Urbis consuetis 12. Martii 1678. & à S. Pontifice approbatum, & inviolatè servari jussum. Secundò; quia communiter docent Authores, indulgentiam determinato tempore additam non posse intra id tempus nisi semel acquiri: Sed indulgentiæ stationum sunt additæ diebus tantùm stationum Urbis: Ergo semel tantum quilibet stationum die possunt acquiri. Tertiò ex ipsâ fidelium praxi, qui non solent, quando indulgentia in aliquâ Ecclesiâ, aut altari pro tali die determinatâ est concessa, pluries eâdem die Ecclesiam visitare; & hæc praxis Romæ etiam datur in stationum indulgentiæ acquisitione, ut tenet Trullench. *lib.* 1. §. 6. *dub.* 3. *n.* 1.

31. Dices: Saltem poterit eadem stationum indulgentia bis in die obtineri ab eo, qui binam Bullam accepit Hispaniam; quia per secundam Bullam obtinentur ea privilegia secundò, quæ semel in illâ Bullâ conceduntur; & ita asserunt Bard. *cit. n.* 69. Moya ubi *supra à n.* 7. Respondeo cum Trullench. *proximè n.* 3. Rodrig. §. 8. *n.* 15. Mend. *disp.* 28. *n.* 3. non posse; primò, quia ex ipsâ Bullâ Hispanâ apertè colligitur concedi tantùm ea privilegia iterum per secundam Bullam, quæ semel in anno per unam tantùm Bullam acquiri possunt: ut eam legenti patebit: at indulgentiæ stationum non conceduntur semel in anno, sed semel in quolibet die, in quo statio datur.

32. Respondeo secundò, non posse eandem indulgentiam acquiri bis eodem die ab habente secundam Bullam Hispanam; quia in præcitato decreto S. Cardin. Congreg. dicitur, semel posse eam indulgentiam obtineri, per hæc verba: *Semel autem duntaxat in die plenariam indulgentiam &c.* in quibus dictio *duntaxat* conjuncta cum dictione *semel* ita est taxativa, & restrictiva, ut concludat hoc loco negationem in eodem die, ad indulgentiam plenariam obtinendam; & hanc esse naturam hujus dictionis, cum D. D. non paucis & L. L. ostendit Barbos. *in tract. varius dict.* 97. *n.* 1. *& sequentibus.* Aliam solutionem invenies *infra n.* 48.

33. Unde colligo probabiliter, non posse acquiri

indulgentiam stationum bis in eodem die ab illo, qui habet Bullam simul, & privilegium ad eandem indulgentiam; quia v. g. est Religiosus, vel ex aliquâ confraternitate, in quâ eadem stationum indulgentia conceditur; quia ex prædicto decreto semel tantum in die stationum potest indulgentia obtineri.

34. Dixi: *probabiliter non posse acquiri indulgentiam stationum bis in eodem die ab illo, qui habet Bullam simul, & privilegium aliud ad easdem indulgentias*; quia probabilius est, posse eodem die acquiri; quia concessiones ad has binas indulgentias stationum sunt impetratæ per diversa indulta, & ex circumstantiis diversis, & ob fines diversos; & quando indulgentia, seu privilegium sic conceditur; non revocatur unum per aliud, nec præfata verba sacræ Congregationis per illam dictionem *duntaxat* irritant concessiones alias; ita ut non possint indulgentiæ in aliis indultis concessæ, pro diebus stationum simul cum concessis in Bullâ eodem die lucrari; sed tantùm loquuntur de qualibet ex his concessionibus, ex quâ, & virtute cujuslibet, potest semel duntaxat in die plenaria obtineri indulgentiâ. Et ratio hujus majoris probabilitatis magis patebit ex dicendis *infra n.* 47. *in fine, & inferius ex disp.* 26. *n.* 163. *& sequentibus*, ubi hæc elucidabuntur in casu simili.

35. Et ex eodem fundamento, si eodem die concurrat festum alicujus sancti, in quo datur indulgentia, cum die stationum; tunc utraque acquireretur indulgentia, faciendo opera ad utramque requisita; quia & observatur decretum, & alio titulo alia festi obtinetur indulgentia: & designata pro die stationum pro aliquo defuncto, & alia festi pro se ipso applicari poterit.

36. Tradita doctrina *n.* 29. non extenditur ad indulgentias, quæ non sunt tempori addictæ; quales sunt, quæ conceduntur habentibus numismata sacra, visitantibus talem Ecclesiam, recitantibus talem orationem: tunc enim obtineri potest sæpius indulgentia, si sæpius opus injunctum repetatur. Ita Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 57. *sect.* 1. *n.* 7. Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 6. *de indulg. q.* 1. *punct.* 5. *n.* 32. Ludovic. à Cruce *disp.* 1. *cap.* 8. *dub.* 13. *n.* 10. Cardin. de Lug. *de pœnit. disp.* 27. *n.* 95. Tamborin. *in Bull. cap.* 10. §. 3. *n.* 2. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *n.* 217. *in fine*, & alii, quos citant. Adverte tamen, in Brevi indulgentias concedente habentibus numismata sacra, imagines, Cruces, Coronas, &c. quanvis non in singulis, in pluribus tamen tempus ad eas acquirendas determinari; & juxta illud regulanda est indulgentia; ut tantùm acquiratur semel in eo tempore, in quo conceditur: ut supradictum manet, de indulgentiis stationum.

SECTIO IV.

An indulgentia stationum quotidie obtineri possit?

37. OMnibus anni diebus esse Romæ intra, & extra muros stationes, affirmat Sorbus relatus à Trullench. *lib.* 1. §. 6. *dub.* 1. *n.* 7. Galleg. *claus.* 6. *disp.* 70. apud Tambor. *in Bull. cap.* 10. *n.* 2. Escobar *tract.* 7. *exam.* 5. *n.* 55. Rodrig. *in qq. Regul. q.* 89. *art.* 2. quos refert, & sequitur Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *n.* 338. Moya *in qq. select. tom.* 2. *tract.* 3. *disp.* 4. *q.* 9. *n.* 2. cum Galleg. *in Bullam cap.* 8. *dub.* 70. Unde Commissarius Hispanus in fine summarii post catalogum indulgentiarum, quæ certis diebus obtineri possunt. Sic subdit, apud Mend. *disp.* 1. *cap.* 2. *n.* 5. *Todos los de mas dias del anno, se ganhan las indulgencias, que en Roma, por aver cada dia estacion en ella.* Numerat tamen nonaginta quantuor dies, in quibus asserit, esse plenariam indulgentiam, & inter illos omnes dies festivitatum Deiparæ Virginis comprehendit. At Alphonsus Perez de Lara *lib.* 3. *trium grat. pag.* 20. & Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 6. *appendic. dub. ult. n.* 7. multò plures esse existimant; & apud ipsum Quintanad. Panuinus enumerat solùm septem supra octoginta; & Franciscus Cabrera de Morales centum, & nonaginta tres apponit; & Petrus Martyr bis centum, & plus refert. In aliquibus summarus aliquarum congregationum plures adscribuntur dies, in quibus indulgentia plenaria obtineri potest, eo quod illis conceditur lucrari posse stationum indulgentias; & Romæ sunt quotidianæ. Demum apud Mend. *disp.* 20. *n.* 20. fit mentio de alio summario, cui titulus est, *Indulgencia plenaria cada dia por la Bulla de la S. Cruzada, edito Compluti, anno* 1620. Eo fundamento; quia in Bullâ visitanti quinque Ecclesias, vel altaria conceduntur omnes indulgentiæ, quæ Romæ dantur diebus stationum; statumque dies designantur: ut videri potest apud Mend. *citatum.*

38. In Catalogo indulgentiarum in fine Summarii Lusitani appositò à Commissario designantur dies stationum, scilicet: quatuor adventus Dominicæ, & tres dies ipsius adventus temporum, tres in die nativitatis Domini, & tres dies immediatè sequentes, dies circuncisionis, & Epiphaniæ, & Dominicæ septuagesimæ, sexagesimæ, & quinquagesimæ, omnes dies quadragesimæ cum ipsius Dominicis: item omnes dies hebdomadis Paschæ cum ipso die, & Dominicâ in Albis, dies Ascensionis, Vigiliæ Pentecostes, & sex dies sequentes, & tres dies quatuor temporum Septembris; denique omnes festivitates Deiparæ Virginis, in quibus datur in S. Maria majori indulgentia plenaria; qui omnes conficiunt dies octoginta, & novem, si in festivitatibus B. Mariæ Virginis novem enumeramus: ut annumerat Mend. *cit.* & Trullench. *lib.* 1. §. 6. *dub.* 1. *in fine*, quod certum non erat, quoad præsentem gratiam, nec etiam quoad præsentem Commissarii Hispaniæ dierum computum; ut statim videbimus.

39. Non defuere Authores asserentes, quotidie virtute Bullæ posse illam habentes indulgentiam plenariam obtinere; quod etiam extendere debebant ad omnes alios indulgentiâ stationum ex aliquo beneficio gaudentes. Sic Galleg. apud Tambor. *in Bull. cap.* 10. *in principio n.* 2. Bard. *part.* 2. *tract.* 4. *cap.* 4. *n.* 5. idem videtur tenuisse Castr. Pal. *part.* 4. *tract.* 25. *punct.* 5. *n.* 11. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *n.* 339. *in simili*; & expressè in præsenti Moya *tom.* 2. *in qq. select. tract.* 3. *disp.* 4. *q.* 9. *n.* 3.

40. At Mend. *disp.* 20. *n.* 17. distinctione utitur: asserit enim, diebus à Commissario in catalogo indulgentiarum designatis indulgentiam acquiri plenariam; in aliis verò totius anni, non plenariam,

riam, sed partialem: idem tenent Lezan. *tom.* 3. *verb. indulgentia n.* 21. Quintanad. *tract.* 6. *appendic. dub. ult. n.* 5. & alii. Fundamentum istius sententiæ erant verba Commissarii Hispani, in fine catalogi indulgentiarum, in quo asserit, singulis totius anni diebus dari Romæ stationes; sed Bulla Latina concedit omnes, & singulas stationum indulgentias: Ergo quotidie lucrari possunt. Ad verba Commissarii respondet Mend. intelligi debere de indulgentiis non plenariis; nam plenariæ solum diebus in catalogo designatis acquiri possunt.

41. Hæc tamen sententia, nec etiam cum illâ limitatione Mend. & aliorum jam sustineri potest; quia S. Congregatio die 7. Martii 1678. declaravit suo decreto, concessionem indulgentiarum diebus stationum solùm intelligi de diebus stationum in missali Romano designatis, per hæc verba: *Indulgentias verò stationum Urbis, quæ à Romanis Pontificibus, singulari quodam beneficio, vel communicata sunt, vel communicabuntur interdum aliquibus locis, ordinibus, aut personis, diebus tantùm stationum in missali Romano descriptis suffragari posse declarat.* Quam declarationem Innocentius XI: approbavit, & inviolatè servari jussit, factâ illi per Secretarium relatione.

42. Dices: In nostrâ Bullâ Lusitanâ dicitur, posse acquiri indulgentias stationum diebus stationum, & aliis anni temporibus, his verbis: *aliis anni temporibus, & diebus stationum:* Ergo per Bullam Lusitanam non solùm erant concessæ stationum indulgentiæ in Missali Romano descriptæ, sed etiam aliæ, quæ per singulos dies Romæ dantur. Respondeo negando consequentiam: quia ea verba Bullæ alium habent sensum; nam illa dictio *&* cum sit conjunctiva, conjungit tempus & dies, & facit hunc sensum: diebus stationum, & temporibus stationum, quæ in Missali Romano sunt designatæ, non verò has stationes cum aliis, quæ non sunt in Missali; ut clarius explicat Bulla statim per hæc verba: *Si eisdem temporibus, & diebus singulas Ecclesias Urbis, pro eisdem stationum indulgentiis consequendis deputatas visitaverint.* Ac si diceret, in Missali Romanó deputatas, nam hæ sunt, quæ hic conceduntur.

43. Inquires tamen: Quot, & quales sint dies, qui in Missali Romano sub stratione describuntur? Respondeo, esse tantùm quinque supra octogintâ; seu, ut verum referam, stationes habent dictum numerum, dies verò sunt tantùm tres supra octoginta; nam in unâ die Nativitatis Domini, tres dantur stationes. Hæ igitur, per suos dies, ita recensentur. In omnibus Dominicis Adventus, in diebus quatuor Temporum mensis Dec. & Sept. In die Natalis Domini tres, ad quamlibet Missam; die S. Stephani, S. Joannis Evangelistæ, Sanctorum Innocentium, die Circumcisionis, & Epiphaniæ, Dominicis septuagesimæ, sexagesimæ, & quinquagesimæ, ac singulis diebus quadragesimæ cum suis Dominicis. In die Paschatis, & reliquis diebus, usque ad Dominicam in Albis inclusivè. Die autem Ascensionis, & Litaniarum tam majorum, quàm minorum, in prævigilio Pentecostes, ipso die, & omnibus aliis, usque ad Dominicam S. S. Trinitatis exclusivè. Hæ sunt dies stationum in Missali Romano descriptæ.

44. Ex quo collige, catalogos indulgentiarum tam summarii Lusitani, quàm Hispani corrigendos esse, ut cum dicto decreto cohæreant. Ab utroque enim auferendi sunt dies festivitatum B. Virginis Deiparæ, in quibus non dantur stationes in Missali Romano descriptæ; & ab Hispano dies S. Marci, quando transfertur; quia statio non transfertur, nisi occurrat in die Paschatis; eodem enim die vigesima quinta Aprilis fit processio. Et utrique catalogo delendi sunt dies Litaniarum; & majorum, quæ cadunt vigesima quinta Aprilis; & minorum tribus diebus Ascensionem antecedentibus. Verba autem superius allata in fine catalogi Hispani indulgentiarum, jam non apponi asserit Avendan. *in Thesaur. Indic. tit.* 5. *n.* 296. & sic corruit fundamentum, quo Mend. & alii *supra citati* nitebantur.

45. Ante prædictum decretum hanc stationum computationem secuti fuerunt, à Cost. *q.* 34. Trullench. *lib.* 1. §. 6. *dub.* 1. *n.* 6. *in fine*, Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 6. *appendic. dub. ult. n.* 4. Rodrig. quem refert, & sequitur Bard. *part.* 2. *tract.* 4. *cap.* 4. *n.* 25. Avendan. ut *supra*, Escobar *in Theol. moral. tom.* 1. *lib.* 7. *num.* 772. & alii communiter; dum asserebant, indulgentias in Bullâ concessas esse pro stationibus, seu intuitu ipsarum, non verò pro diebus, in quibus fiunt stationes; ut ex Bullâ Hispanâ clarè colligitur; quæ habet *Indulgentias stationum*, sine dictione *dierum:* quia tamen Bulla Lusitana habet dictiones: *Aliis anni temporibus, & diebus stationum*; illis non obstantibus, eodem modo debent intelligi; quia id clarè explicat S. Pontifex, dum in fine periodi his utitur verbis *si eisdem temporibus, & diebus singulas Ecclesias Urbis pro eisdem stationum indulgentiis consequendis deputatas visitaverint.* Unde constat, indulgentias esse stationum, & non dierum stationum. Vel etiam dici potest, indulgentias stationum, non esse illas, quæ conceduntur, quando stationes intra eandem Ecclesiam ad aliquod cujuslibet sancti altare fiunt; nam de his non loquitur Bulla; sed de illis, quæ fiunt ad aliquam Ecclesiam; & sunt, quæ habentur in Missali Romano; & à Commissario in catalogo indulgentiarum designantur: exceptis, quæ præter spem exciderunt, vel non fuerunt additæ, ut *n. precedente* notavimus.

46. Dices: Prædictum decretum declarat, posse tantùm indulgentias stationum acquiri diebus stationum in Missali Romano descriptis: Sed eodem die occurrere possunt duæ stationes ex iis, quæ sunt in Missali Romano descriptæ v. g. si dies S. Marci veniat die Paschatis, vel in aliquo ex septem sequentibus diebus, in quibus dantur stationes ad diversas Ecclesias; & in die Sancti Marci, ratione Litaniarum Majorum, datur statio ad Sanctum Petrum: Ergo eo ipso die binæ indulgentiæ plenariæ acquiri possunt pro duplici defuncto, vel una, pro ipso acquirente, & pro aliquo defuncto altera. Major, & minor est certa: consequentia verò est contra ea, quæ diximus *sect.* 3. *n.* 32.

47. Probatur tamen: quia quando duæ indulgentiæ sunt duabus Ecclesiis concessæ pro eodem die; possunt ambæ acquiri, si opus ad quamlibet requisitum habeat diversum motivum, & indulgentiæ sint concessæ ex diversis circunstantiis, (juxta ea, quæ *inferius* dicemus in simili, *dub.* 26. *n.* 163.) applicando unam pro defuncto, si in concessione id habeatur: ut habetur in jubilæo communionis generalis pro singulis mensibus in Ecclesiis Societatis Jesu: ut videre est apud

Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 1. *appendic. dub.* 1. *n.* 3. & *dub.* 14. *n.* 1. *in fine*; & aliam applicando pro se ipso; & quando opus injunctum iteratur, videtur esse sine controversiâ: ut patet ex Card. de Lug. *disp.* 27. *de pœnit. n.* 93. & ex pluribus, quos referunt Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 70. Dian. *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 166. & *part.* 5. *tract.* 12. *resol.* 11. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *n.* 218. quia solùm controvertuntur circa opus, an idem sufficiat, an verò pro quâlibet indulgentiâ, idem debeat reperi; etiamsi eidem Ecclesiæ concessæ sint, quando eâ duplex indulgentia ex diversis indultis, & diversis circunstantiis est concessa pro eodem die; ut si una sit concessa v. g. pro festivitate S. Parentis Ignatii, & altera pro communione generali mensium, occurrentes in eâdem quartâ Julii Dominicâ, non obstante regula 57. Cancellariæ: ut docet Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 2. *appendic. dub.* 4. Sed illæ duæ stationes, eâdem die occurrentes, vel sunt ad diversas Urbis Ecclesias, vel ad eandem, ex diverso tamen fine, & circunstantiâ: ergo ambæ possunt eâdem die acquiri.

48. Respondendum mihi videtur, concedendo primam consequentiam, propter illius exempla; nec oppositum sunt à nobis assertum *dicto n.* 32. in quo tantùm procedebat quæstio de stationibus Bullæ, quarum una tantùm in Missali Romano erat descripta, & non duplex; & Bard. contendebat, ex duplici Bullâ Hispanâ sumpta posse eâdem die stationum duplicem lucrari indulgentiam; & cùm finis, & circunstantiæ sint eædem pro quâlibet, duplex non potest consequi: est enim contra id, quod expressè continetur in regula 57. Cancellariæ, cùm prædictum decretum declarasset unam tantùm posse lucrifieri pro quodam singulari beneficio concessam: at argumentum in præsenti procedit de duabus indulgentiis, aut stationibus in eâdem die occurrentibus, ex diverso fine, & circunstantiis: ut dicitur in argumento, de quibus habemus exemplum in Natalitio Domini; in quo ad tres missas, tres dantur stationes & omnes tres indulgentiæ plenariæ in illis concessæ possunt acquiri, & pro tribus defunctis applicari. Addo tamen, ut hæc trina indulgentia lucretur, debere visitationes Ecclesiarum, seu Altarium etiam triplicari; quia si in diversis diebus eæ stationes evenirent, visitationes erant apponendæ in singulis diebus, ut indulgentiæ acquirerentur: ergo etiam quando stationes eâdem die occurrunt.

49. Non tamen placent, quæ hoc loco affert Mend. *dict. disp.* 20. *n.* 27. nempe: Religiosos Sancti Francisci, & Societatis JESU, & cum eis in privilegiis communicantes posse lucrari omnes indulgentias plenarias, & non plenarias, quæ sunt Romæ, in singulis Ecclesiis, quocunque tempore, & die, recitantes in suis Ecclesiis, quæ Romæ injunguntur recitari; quæ concessio comprehendit tam indulgentias stationum, quàm cæteras; cùm non restringatur ad stationes: ut habetur *in Suplem. Minor. fol.* 97. *pag.* 2. & in compend. privilegiorum societatis JESU. *verb. indulgentiæ.* §. 11. Ex quo infert Mendo, in visitatione altarium, obtinere Religiosos indulgentias stationum.

50. Hæc, inquam, mihi non probantur, quia *ex locis citatis* constat, eas indulgentias fuisse concessas à Sixto IV. & à Gregorio XIII. at Paulus V. anno 1606. revocavit omnes indulgentias, per antecessores suos concessas, quibuslibet Regularibus, ac Monialibus cujusvis ordinis; cùm verò prædictæ indulgentiæ fuissent concessæ per antecessores Pauli V. à Religiosis jam acquiri non possunt. Accedit, quòd Alexander VII. damnavit: ut minimum tamquam scandalosam, propositionem hanc: *Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ, à Paulo V. hodie sunt revalidatæ*; quæ inter alias ab eodem Pontifice damnatas, est 37. Additur, quia in privato decreto S. Congreg. inter alias indulgentias à S. S. Pontificibus revocatas afferuntur, quæ personis Regularibus à Paulo V. fuerunt revocatæ, de quibus jam *supra*, & *inferius* agendum est. Quare prædictæ indulgentiæ à Mend. allatæ jam lucrari non possunt.

51. Scio Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 4. *appendic. dub.* 13. *n.* 3. existimare, eas indulgentias à Mend. adductas non esse à Paulo V. revocatas; quia in prædictis indultis, non conceduntur indulgentiæ Regularibus; sed facultatem ad lucrandas illas, quæ jam sæcularibus, & omnibus Christiani Orbis fidelibus erant concessæ. Sed hoc non est verum, ut legenti indulta apud eundem Quintanad. patebit. Cum directè Religiosis S. Francisci à Sixto IV. & Societati JESU à Gregorio XIII. sint concessæ; ac proinde per Paulum V. sunt revocatæ.

52. Fateor verò, ab eodem Paulo V. omnibus Regularibus utriusque sexus fuisse post revocationem indulgentiarum alias concessas, de quibus *inferius*, inter quas septima in ordine est indulgentia stationum, & cum talis sit, hodie viget, & illius expositio ab hoc loco non erit aliena.

53. Hujus concessio sic habet: *fidem Religiosi intra claustra viventes, qui suam Ecclesiam devotè visitaverint, & ut præfertur, oraverint, consequentur easdem indulgentias, quas visitando Ecclesias Urbis, & extra eam, diebus stationum consequuntur in omnibus diebus: perinde, ac si ipsas Urbis Ecclesias visitassent. Circa hanc indulgentiæ stationum concessionem,*

54. Nota primò: Verbum, *ut præfertur oraverint*, juxta tenorem tertiæ indulgentiæ concessionis esse accipiendum, in quâ orandum decernitur: *pro Christianorum Principum concordiâ, hæresum extirpatione, Romani S. Pontificis salute, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione.* Cùm ergo pro hâc indulgentiâ consequendâ non requiratur quinque Ecclesiarum, vel altarium visitatio, sed tantùm Ecclesiæ ipsorum Religiosorum, illius sufficiet visitatio.

55. Nota secundò; hanc indulgentiam esse plenariam, & quotidie non posse obtineri, nisi in illis tantùm diebus stationum in Missali Romano descriptis, juxta ea, quæ *supra n.* 41. remanent dicta.

56. Nota tertiò; Hanc stationum indulgentiam non posse defunctis per modum suffragii applicari; quia ibi ea non conceditur, ut in Bullâ Cruciatæ; & quando in indulgentiæ concessione defuncti non exprimuntur, pro illis applicari non potest indulgentia; ut communiter docent Theologi cum D. Thom. *dist.* 45. Navarr. *notabili* 22. *de indulg. n.* 29. Trullench. *in Bullam lib.* 4. *dub.* 9. *n.* 6. Quintanad. *tract.* 1. *append. dub.* 14. *n.* 1. & alii. Quidquid in oppositum teneat Rheita *in fasciculo sacrarum indulgent. dub.* 1. apud Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *n.* 347. asserens, illum, qui sæpius in die visitat

Eccle-

Ecclesiam, posse sibi comparare primâ visitatione, secundâ verò, & tertiâ pijs Manibus; sed hoc post decretum sacræ Cong. sustineri non potest: ut vidimus *supra n.* 28.

57. Attamen existimo, posse pro illis animabus applicari eas indulgentias, quæ in illis stationibus defunctis applicari conceduntur; quia in dictâ clausulâ conceduntur eædem indulgentiæ, quas consequerentur, si Ecclesias Urbis, & extra muros in diebus stationum, visitârent: sed in eisdem stationum diebus conceduntur aliquando indulgentiæ pro defunctis: Ergo hæ pro illis applicari possunt, & tenet Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 5. *in fine.*

58. Qui autem sint dies, in quibus hæ defunctis conceduntur, habes in Catalogo Indulgentiarum in fine summarii, ubi cum ista nota ✠ designantur dies, in quibus defuncti anima per indulgentiam à purgatorii pœnis eruitur, nempe: Dominicâ in septuagesimâ, feria tertiâ post Dominicam primam quadragesimæ, sabbato post Dominicam secundam, Dominicâ tertiâ, & quartâ, & feriâ sextâ, & Sabbato post Dominicam Passionis; nec non feriâ quartâ infra octavam Paschæ, & denique feriâ quintâ post Pentecostes diem. Alia, quæ ad hujus indulgentiæ acquisitionem necessaria esse possunt ex dicendis patefient.

SECTIO V.

Quid nomine Ecclesiæ, vel altaris veniat, ut illorum visitatione, indulgentia stationum obtineatur?

59. PRæscribitur in Bullâ ad acquirendam stationum indulgentiam visitatio quinque Ecclesiarum, vel altarium. Et circa sensum harum visitationum tractandum est; quid veniat primo loco nomine *Ecclesiæ*, & postea, quid nomine *altaris*?

60. Dico primò: Nomine *Ecclesiæ* veniunt omnia templa, Capellæ, Eremitoria authoritate Episcopi erecta, in quibus missa, & alia divina officia celebrari possunt. Ita communiter DD. *in cap. Almæ Matris* agentes de immunitate Ecclesiasticâ Soar. *de cens. disp.* 34. *de interdict. sect.* 1. *num.* 9. Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 3. *de immunit. q.* 7. §. 2. *disp.* 5. *punct.* 4. *propos.* 1. Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 6. *dub.* 2. *num.* 2. Bard. *part.* 2. *tract.* 4. *cap.* 4. *num.* 30. Mend. *disp.* 20. *num.* 32. & alii quamplurimi; & hoc est intelligendum, etiamsi templa, Capellæ & Eremitoria sita sint in suburbiis, prædiis, agris, hortis, & carceribus: dummodo sint ab Episcopo erecta; nam etiam veniunt sub nomine *Ecclesiæ* ad immunitatem; ut cum Alexand. *cons.* 145. *num.* 13. Card. Tusc. *Verb. Ecclesiæ concl.* 8. *num.* 5. Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 6. *append. dub.* 2. *num.* 1. Sanch. *lib.* 9. *de matrim. disp.* 15. *num.* 21. docet Fagund. *in quinque Eccles. præcept. præcept.* 1. *lib.* 3. *cap.* 14. *n.* 37. & alii, quos adducit Bard. *in tract. de appell. Verb. appell.* 85. *num.* 14.

61. Dubium tamen est: An in ordine ad visitationem veniant nomine *Ecclesiæ* oratoria privata, & domestica ab Ordinario approbata ad celebrandum, & in illis orandum? Partem negativam tenet quidam neotericus apud Trullench. *proxime dict. lib.* 1. §. 6. *dub.* 2. *num.* 2. qui id tantum concedit, quando lucraturus indulgentiam est infirmus, aut in oppido, in quo non sint quinque altaria. Attamen si oratorium in hoc casu venit nomine *Ecclesiæ*, ut asserit, etiam in aliis venit; quia infirmitas, aut defectus in eo oppido altarium Ecclesiam illud non constituunt.

62. Partem affirmativam tuentur communiter Authores, Rodrig. *in addit.* §. 8. *num.* 1. Dian. *part.* 5. *tract.* 12. *resol.* 43. *& part.* 9. *tract.* 2. *resol.* 31. Hieron. Grac. *tract.* 3. *diffic.* 8. *dub.* 1. *punct.* 2. *n.* 21. Henriq. Trullench. *cit.* Ludovic. à Cruce, Machad. quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *quæst.* 73. Mend. *disp.* 20. *num.* 33. Quintanad. ut *supra* cum pluribus, Escob. quem adducit, & defendit, præter alios citatos, Avend. *in Thesaur. Indic. tit.* 5. *num.* 302. Hæc sententia est probabilis, & quidquid de eâ sit, in præsenti sufficit venire nomine *altaris*, cùm sit ad celebrandas missas destinatum. Sic Bard. *supra n.* 31.

63. Majus dubium est; si privatum oratorium remansit cum suo altari in privatâ domo, in quo antea fuerat licentia celebrandi ex Brevi Pontificio, & simul approbatione Ordinarii, sed jam non est; quia eam licentiam habens mortuus est, vel ad aliam divertit civitatem, sine animo ad eandem domum revertendi? Respondet negativè Mend. *cit. num.* 37. & quidem probabilius: quia illud jam non venit nomine *Ecclesiæ*, nec *altaris* ad has visitationes; quia ad illas non sufficit quodcunque oratorium, vel altare habens aliquam imaginem; nam licèt communi acceptione, oratoria, & altaria vocentur; non tamen more Ecclesiastico; juxta quem debent accipi oratoria, & altaria, ut visitationes ad illa sufficiant; ut acquirantur indulgentiæ. Vide dicenda *disputat.* 12. *sect.* 5.

64. Nec inde inferas: Ergo etiam Eremitoria, quæ sunt in agris, quorum altare aram non habet, non erunt sufficientia ad visitationem; eo quòd sine arâ in eis celebrari non potest: Non, inquam, hoc inferas, quia illa Eremitoria, seu Capellæ sunt destinata ad Missæ celebrationem; & quanvis in eo, vel in aliis altaribus ad sacrificia celebranda erectæ non sint aræ, sufficit illa visitari; quippe rationem propriam habent altaris. Sic Henriq. *lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 11. *litter. B.* Trullench. *proximè num.* 3. Mend. *loco cit.* Idem dicendum de Ecclesiâ, in quâ non licèt celebrare, propter aliquod impedimentum canonicum, quo cessante, in eâ celebrabitur; quia verè est adhuc Ecclesia, authoritate Episcopi erectâ. Sic cum Riccio Bard. *ubi supra num.* 33.

65. Dico secundò: Quando in aliquâ Residentiâ, vel domo Religiosâ unum tantùm est oratorium, bene possunt Bullam habentes, in illo indulgentias stationum lucrari, visitando illud quinquies; quia venit nomine *Ecclesiæ*, vel *altaris*, & in illo oppido, ut suppono, deficiunt quinque Ecclesiæ, vel altaria. Sic Avend. *in Thesaur. Indic. tit.* 5. *num.* 303.

66. Dubium tamen est de indulgentia stationum ipsis Religiosis concessa à Paulo V. allata *sect. precedente num.* 52. ad quam non requiritur visitatio quinque altarium, sed solius Ecclesiæ, ibi: *Ecclesias suas devote visitaverint.* Et non procedit dubium, quando Religiosi aliam non habent Ecclesiam: ut *n. precedenti*; quia non solùm

Religiosi, sed etiam sæculares satisfaciunt ad intentum Pontificis, illud oratorium visitando; quia est Ecclesia illius loci, & Residentiæ.

67. Procedit ergo dubium, quando Religiosi Ecclesiam habent ab Oratorio, vel Capella diversam? Et in hoc sensu dicendum est: non apponere visitationem requisitam; quia in dictâ concessione nomine *Ecclesia* non venit oratorium, seu Capella; & patet, quia si quis dicat: vado ad Ecclesiam, seu venio ex Ecclesiâ, non intelligitur vadere ad oratorium, seu venire ex oratorio, seu Capellâ: at ex communi modo loquendi accipienda est legum, & aliarum dispositionum intelligentia: ut habetur *in l. si librorum §. quod tamen*, ubi Bart. *ff. de legat. 3. l. Labeo. ff. de supellect. legat. l. cum autem Cod. de donat. ant. nupt.* Card. Mantic. *de conject. ultim. volunt. lib. 3. tit. 8. n. 1.* Surd. *cons. 313. n. 87. & cons. 454. n. 19.* & alii, quos adducit Barbos. *in tract. var. axiom. 222. n. 7.* & videri etiam potest Sanch. *lib. 6. de matrim. disp. 23. n. 3.* ergo non sufficit visitatio oratorii, vel Capellæ, sed requiritur visitatio Ecclesiæ.

68. Dices: In Bullâ requiritur ad hanc obtinendam indulgentiam visitatio quinque Ecclesiarum: sed nomine harum Ecclesiarum veniunt Capellæ, Eremitoria authoritate Episcopi erecta, & oratoria ab eo approbata; ut vidimus in principio hujus Sect. Ergo etiam ad obtinendam indulgentiam stationum, Regularibus concessam sufficiet visitare Capellam, aut oratorium; quanvis in concessione requiratur visitatio propriæ Ecclesiæ. Respondeo, negando consequentiam; diversa ratio est; quia in indulgentiâ stationum per Bullam impertita nomine *Ecclesiæ* veniunt Capellæ, oratoria &c. authoritate Episcopi erecta: ut tenent omnes DD. at nomine Ecclesiæ propriæ Regularium non veniunt Capellæ, & oratoria intra claustra Regularium existentia, ut constat ex communi modo loquentium, & ulterius patet ex sequelâ sequenti.

69. Ex traditâ doctrinâ sequitur, quando jubilæus publicatur pro visitantibus Ecclesias Regularium, non illum lucrari, qui eorum oratorium visitant; Sanch. in simili *lib. 7. de matrim. disp. 8. n. 13.* Et licèt aliqui probabiliter oppositum sentiant; quia tamen incertum, securitati potius in re tanti momenti standum est.

70. Adverte tamen pro lucrandis stationum indulgentiis exactum fuisse à Leone X. illas concedente Ordini equestri S. Jacobi, ut duo, vel tria altaria, etiam in oratoriis, aut Capellis visitarent; & licèt videatur Avend. *supra cit. dict. n. 303. in fine*, hoc privilegium à Paulo V. esse revocatum; asserit adhuc per Bullam Cruciatæ posse illum ordinem eo uti; quia non obstante revocatione indulgentiarum Regularibus factâ, per Bullæ clausulam, verificatur. Quod verum, & tutum non existimo: quia per Bullam, non verificantur eæ indulgentiæ, quæ acquiri non possunt, si Bulla Cruciatæ deficiat; at si aliquo anno deficeret, eæ indulgentiæ stationum, utpote revocatæ, lucrari non poterunt; ut suo in loco dicendum: ergo per Bullam non verificantur.

71. Dico tertiò: Nomine *altaris*, venit illa mensa firma, & stabilis, quæ approbata est ad missæ sacrificium in eâ celebrandum, à potestatem habente. Unde sufficit visitare altare, quod in navibus erigitur, ut Missa in eo celebretur; & quæ habentur in prædiis, domibus privatis; &c. Sic Rodrig. *in addit. ad §. 8. n. 1.* Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 10. litt. B.* Ludovic. à Cruce *disp. 1. cap. 8. dub. 13. n. 2.* Quintanad. *tract. 6. append. dub. 3. n. 1.* Bard. ubi *supra n. 30.* Mend. *n. 36.* Etiam appellatione *altaris* veniunt illa, quæ licèt non sint ab Episcopis erecta, nec approbata, sunt tamen ab illis, qui privilegium à S. Pontifice habent; ut sunt Oratoria & Capellæ intra claustra, & in prædiis Regularium, existentia.

72. Inquires tamen; quinam sint, qui privilegium habent, vel habuere, celebrandi in altari portâtili, in domibus privatis sæcularium? Respondeo, illud habere vel habuisse P. P. Prædicatores, & Minores, & communicantes cum eis in privilegiis: ut patet ex *Cap. in his de privileg. in 6.* & P. P. Carmelitas ab Urbano V. & Sixto IV. ut habetur *in opusculo Ordinis fol. 69. & 89.*

73. Dubium tamen est: An hoc privilegium sit revocatum à Concil. Trident. *sess. 22. in decreto de servandis, & evitand. in celeb. missæ?* Partem negantem docent Portel. *in dub. Regul. Verb. Altare num. 1.* Villal. *tom. 1. tract. 8. disp. 33. n. 7.* Rodrig. *in compend. qq. Regul. resol. 9. num. 4.* Ludov. de Sanct. Joan. *de sacram. Euchar. quæst. 12. art. 3. dub. 2. append. 1.* quos refert, & sequitur Dian. *part. 9. tract. 1. resol. 34.* & adducit Marchin. *de sacram. Ordin. tract. 3. cap. 9. num. 13.* & Cardin. de Lug. *de Euchar. disp. 20. sect. 2. n. 52.* At Cardin. de Lug. in eo loco nihil habet de hoc privilegio: attamen *num 51.* dicit multos communiter asserere esse per Tridentinum *loco citato* revocatum; alios tamen probabiliter id negare, quandiu Episcopus non contradicit. His accedunt Illustrissimus DD. Fr. Anton. à Spiritu Sancto Episcopus Angolan. *in direct. confess. tract. 7. à num. 77.* Tambor. *in Method. celebr. miss. lib. 1. cap. 4. §. 3. num. 10.* & apud illum, Pasqual. *decis. 54.* Avend. *in Thesaur. Indic. tit. 5. num. 233.* & alii, quos refert, & tuetur Lezan. *tom. 3. Verb. altare num. 13.* quibus addi potest Arriag. *de Euchar. disp. 54. num. 28.* dum asserit, hoc sibi videri probabilissimum, & statim procedit, *quidquid de hoc sit.*

74. Moventur prædicti Authores: quia Tridentinum solùm decernit, ne Episcopi *patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantùm cultum dedicata Oratoria ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda sanctum hoc sacrificium a sæcularibus, & Regularibus quibuscunque peragi:* Ergo, dum Episcopi id non prohibent, seu non contradicunt, non est revocatum privilegium.

75. Existimo tamen, privilegia allata esse per Concil. Trident. revocata. Ita Soar. *tom. 3. in 3. part. disp. 81. sect. 3. §. quarta exceptio.* Navarr. *in man. cap. 25. num. 82.* Henriq. *lib. 9. de miss. cap. 27. num. 2. in fine.* Tabien. *Verb. missa, §. 7. & Verb. Altare 2. §. 1.* quos adducit, & defendit Fagund. *in præcept. Ecclesiæ, præcept. 1. lib. 3. cap. 3. num. 16.* Quibus addo Mascaren. *de sacram. tract. 5. de sacrif. miss. disp. 5. cap. 5. num. 28. Vers. dixi ratione.* Garcia *in summ. tract. 3. difficult. 8. dub. 2. punct. 3. num. 29.* Azor. Coninch. Barbos. apud Pasqual. *supra.* Probatur primò, & communiter ex eodem Trident. *loco citato in fine*, ibi: *Non obstantibus privilegiis, exemptionibus &c.* Quæ verba oculis Arriag. *cit.* non occurrerunt; nam addit ad probationem oppositæ sen-

ten-

tentiæ, pro quâ videntur stare hæc verba: *Denique, ibi non additur: Non obstantibus privilegiis:* Cum verò certum sit, hæc verba addi in fine illius capitis, dicendum est, etiam in sententiâ hujus Authoris, esse revocata prædicta privilegia.

76. Probo secundò: quia id expressè decernit Gregorius XIII. Ut hoc tamen ostendam, scire oportet, Paulum III. anno Domini 1549. in Bulla, quæ incipit, *licet debitum*, concessisse societati JESU, usum altaris portatilis, fol. mihi 34. his verbis: *Liceatque Præpositis, & de eorum etiam facultate, universis fratribus, & sociis societatis hujusmodi in presbyteratus ordine constitutis in locis, in quibus degunt, & eos pro tempore morari contigerit, habere oratoria, & in eis, ac quocunque alio honesto, & congruenti loco, in altari portatili cum debitis reverentiâ, & honore, etiam tempore interdicti, missas, & alia divina officia celebrare:* de quo meminit Avend. *in Thesaur. Indic. tit. 5. num.* 322. At quia hoc privilegium fuit ante Conc. Trident. concessum: à Gregorio XIII. in Bullâ, quæ incipit: *Dilecte fili*, anno 1579. in quâ declarat, seu asserit, hoc privilegium à Conc. Trident. fuisse revocatum, & ob hanc causam illud nobis restituit, cum aliquâ tamen moderatione, his verbis: *Usum altaris viatici societatis vestræ à felic. record. Paulo III. concessum, deinde à Conc. Trident. universe sublatum, vobis eatenus restituimus, ut inter missiones, quæ à superioribus fiunt, presbyteri vestri, servatâ aliàs formâ dictæ concessionis, missæ sacrificium licitè valeant celebrare, super hujusmodi altare ubique gentium, etiam in castris militum; modò loca, ecclesiis communia, & profana, tuta, & honesta sint; & Generalis, & per eum Provinciales Præpositi, eo tum utendum fore, judicaverint:* Ubi nota verba: *Deinde à Concil. Trident. universe sublatum.* Si enim Concil. Trident. universè sustulit usum altaris viatici, seu portatilis; ut asserit S. Pontifex Gregorius XIII. quomodo dici potest, non esse prædicta privilegia revocata. Addo dictionem *universe* nullam pati exceptionem: Ergo dicendum est, non solùm privilegium nobis à Paulo III. concessum fuisse revocatum, sed omnia alia aliis Regularibus concessa.

77. Confirmatur primò; quia si privilegia altaris portatilis non essent per Tridentinum revocata; hoc privilegio non indigeret societas JESU; quia habebat per communicationem prædicta privilegia; deinceps non opus erat, ut Pontifex Tridentino derogaret: si autem derogavit, ut docent Soar. Henriq. Fagund. Mascaren. *locis citat.* Hurt. *de missa disp. 4. disc. 6.* & patet, ex prædictis verbis illi derogasse; evidens est, ea privilegia per Tridentinum esse revocata.

78. Confirmatur secundò; quia Episcopi meritò, & rationabiliter non permittunt Regularibus, uti altari portatili; quam voluntatem ostendit Illustrissimus Dominus D. Antonius de Mendonca, hujus Diœcesis Ulyssiponensis Archiepiscopus, prohibendo per edictum Religiosis, ne eo uterentur privilegio, in hac Ulyssiponensi civitate; quod edictum approbavit illius successor DD. Ludovicus à Sousa, dum omnia sui prædecessoris edicta jussit observari.

79. Quare dicti Religiosi, & omnes Mendicantes possunt prædicto societatis JESU, privilegio gaudere in Missionibus, & cum assignatis à Pontifice conditionibus; quia Mendicantes privilegiorum habent communicationem, & omnes alii Regulares cum illis; ut in hoc casu tenet Lezan. *tom. 1. cap. 21. num.* 14. & apud illum Peirin. *tom. 1. privileg. in const. Pauli num.* 28. quos refert, & sequitur Mascaren. *ubi supra*; quanvis oppositum doceat Arriag. *tom. 7. disp. 54. num.* 28. cum Soar. ex ea ratione, quòd privilegium est personale.

80. Dico quartò: Si contingeret, in aliquâ Ecclesiâ destrui altare, non lucrarentur indulgentiæ stationum, si locus ubi erat, visitaretur; quia jam altare non visitatur: secus dicendum, si visitetur Ecclesia, in quâ nullum est altare; eo quòd paulatim destruitur, & paulatim reædificatur; quia adhuc verè est Ecclesia. Sic Cordub. Nunûs. Soar. Pinell. quos citat, & sequitur Bonac. *disp. 6. de indulg. q. 1. punct. 8. n. 4.* Quintanad. *tom. 1. tract. 6. append. dub. 3. n. 4.* Mend. *disp. 20. n. 38.*

SECTIO VI.

Quâ intentione, quo tempore, & quibus precibus visitationes fieri debeant ad lucrandas stationum indulgentias?

81. INquires primò: An ad has stationum indulgentias lucrandas, requiratur intentio saltem virtualis, & animas illas lucrandi, & fundendi preces pro Ecclesiæ Romanæ conservatione, & salubri directione, paceque inter Principes Christianos? Respondeo affirmativè; Et de animo, ac intentione illas lucrandi, vidimus *supra disp. 7. sect. 15. in principio*, qui locus hic recolendus venit. De precibus pro Ecclesiæ Romanæ conservatione, & salubri directione, paceque inter Principes Christianos fundendis constat; quia ita à S. Pontifice exigitur, ut ex verbis *initio disp.* allatis, liquet.

82. Si verò aliquis ignoret, pro quâ re sint orationes fundendæ, sufficit pro intentione S. Pontificis illas offerre. Sic docent Rodrig. §. 8. *n.* 9. Trullench. *in Bull. lib. 1. §. 6. dub. 2. n. 5.* Dian. *part. 5. tract. 12. resol. 33.* Lezan. *tom. 3. verbo indulgentia n.* 13. Quintanad. *tom. 1. tract. 6. append. dub. 6. n. 3.* Si tamen hæ non recitentur preces, indulgentia non acquiritur; quia conditio requisita, ad effectum privilegii, & gratiæ, nisi apponatur, non obtinetur: ut asserit Arriag. *tom. 2. in l. 2. disp. 32. sect. 4. n. 25.*

83. Ad has acquirendas indulgentias non requiritur confessio, nec communio; requiritur tamen, ut acquirens sit in statu gratiæ, saltem quando ponit ultimum requisitum, nempe: quando visitat ultimam Ecclesiam, vel altare; licèt in aliis quatuor, in peccato mortali extitisset. Sic Quintanad. *proximè*, & alii citati *supra disp. 7. n. 40. & 41.*

84. Inquires secundò: An sufficiat oratio mentalis, pro his stationum indulgentiis consequendis? Respondeo, partem affirmativam docere communiter Authores. Navarr. §. *in Levitico notab. 32. vers. preces n.* 48. Card. de Lug. *de pœnit. disp. 27. n.* 111. Trullench. *in Bull. lib. 1. §. 6. dub. 2. n. 7.* Bard. *part. 2. tract. 4. cap. 3. n. 7.* Mend. *disp. 19. an. 8.* Tamborin. *in Bull. cap. 9. §. 3. n. 7. & cap. 10. §. 2. in fine.* Avendan. *in*

The-

Thesaur. Indic. tit. 5. n. 305. & alii, quos adducit, & sequitur Dian. *part. 9. tract. 1. resol. 29.* Gobat. *tom. 2. tract. 3. n. 137.* Escob. *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 778.* & alii. Probant: quia nomine orationis non solùm venit oratio vocalis, sed etiam mentalis; & quando S. Pontifex vult orationem esse vocalem, id exprimit. Hæc sententia est probabilissima, maximè, quia S. Pontifex vult, ut omnes has lucrentur indulgentias; & si non sufficeret oratio mentalis, illam non possent lucrari, qui usum loquendi amiserunt: ut non paucis accidit paralyticis.

85. Dicendum tamen existimo, in re tanti momenti tenendam, & consulendam esse partem negativam: scilicet requiri orationem vocalem. Primò, quia S. Pontifex non utitur dictione *orationes*, sed *preces*, quæ magis ostendunt, orationes debere esse vocales, quàm mentales. Addo, quando S. Pontifex non declarat, orationes, seu preces debere esse mentales, intelligi de vocalibus; quia ut caput Ecclesiæ visibilis, opera injungit visibilia. Fateor, posse orationem mentalem pro indulgentiâ lucrandâ exigere, ut docet Soar. *tom. 4. in 3. part. disp. 52. sect. 5. n. 6.* at quando illam non exigit, intelligendus est loqui de oratione vocali. Sic Soar. *proximè n. 5.* Cum D. Bonav. & in terminis nostræ resolutionis, idem asserunt Rodrig. *in addit. ad §. 7. n. 2.* Ludovic. à Cruce *disp. 1. cap. 8. dub. 13.* Quintanad. *tract. 6. appendic. dub. 6. n. 2.* Castr. Pal. *tom. 4. tract. 25. punct. 5. n. 3.*

86. Secundò, ostendo eandem resolutionem; quia Card. de Lug. Tambor. *locis citatis* Galleg. apud ipsum, & Gobat. *tom. 2. tractat. 3. n. 137.* docent, tutius esse ad has, & alias similes indulgentias obtinendas, aliquam addere orationem vocalem: Ergo si oratio vocalis non detur in visitatione Ecclesiæ, vel altaris, non est tutum acquiri indulgentias: Ergo, ut tutius dicendum est, orationem debere esse vocalem.

87. Inquires tertiò: An debeat circa preces certus earum numerus assignari? Respondeo, Trullench. *cit. n. 6.* assignare pro visitatione ad singula altaria, semel orationem Dominicam, & Angelicam, nempe: unum Pater, & unum Ave; idem tenet Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 14. q. 65.* Escobar *in Theolog. moralis tom. 1. l. 7. n. 154.* Quod, se non audere damnare asserit Tamborin. *cit. disp. cap. 10. §. 2. n. 4.* & probabile dicit Quintanad, *ut supra.* Licèt addat; quòd recitentur tres, aut quatuor Pater, aut Ave. Mend. *disp. 19. n. 12.* non penitus improbare asserit opinionem Trullench., hortatur tamen, ut in singulis altaribus quisque recitet bis orationem Dominicam, simulque bis, orationem Angelicam. Alii, ut Castr. Pal. *tom. 4. tract. 25. de Bull. punct. 5. n. 3.* & alii plures, quos refert, & sequitur Leand. *citat.* docent, sufficere minimam, & brevem orationem.

88. Cæterum Avendan. *ubi supra* existimat, ea esse voluntariè dicta, cùm non habeant in concessionis formâ, unde colligant ii Authores eas ad visitationes altarium requiri orationes; asserit tamen, visitationem debere fieri cum aliquali pausatione, ut re ipsâ videatur persuadere: quia de re summi momenti agitur; & non debet leviusculè peragi; & sic rogari Deum, ut Princeps, aut non inferioris notæ homo, in re momenti, qualiscunque rogatur.

89. Hæc sanè Avendan. approbo, sed approbare non possum, nec tempus, nec orationis quotam determinare, ut fideles dirigantur ad indulgentiam consequendam, ut præcitati Authores approbant & designant in re tanti momenti, & tantæ indulgentiæ.

90. Quare dicendum mihi videtur, tutius esse notabilem fundere orationem, & ad minus in singulis altaribus recitare quinquies Pater, & quinquies Ave; & has sufficere preces, quoad Regulares, quando visirant suam Ecclesiam pro lucrandâ indulgentiâ stationum à Paulo V. concessâ sustinet Gobat. *tom. 2. tract. 4. n. 340. in fine.* Moveor ad has preces, ut minimum determinandas, quia Paulus V. in suâ Constitut. quæ incipit: *Romanus Pontifex §. 11.* concessit omnibus Regularibus intra claustra degentibus quinque annos, & totidem de indulgentiâ, qui ante altare propriæ Ecclesiæ quinquies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam quolibet die recitaverint. Si ergo S. Pontifex pro indulgentiâ quinque annorum in quolibet die à Regularibus lucrandâ exigit recitationem quinque Pater, & quinque Ave; quomodo credendum est, pro indulgentiâ plenariâ stationum, solùm unum Pater, vel unum Ave exigere? Vide Card. de Lug. *loco citato* asserentem ad orationem mentalem debere addi aliquam vocalem, nempe: Litanias (intelligo Sanctorum) vel Rosarium, vel quid simile; ergo non existimat sufficere unum, vel duo Pater, vel unum, vel duo Ave, pro quâlibet visitatione Ecclesiæ, vel altaris.

91. Quòd verò ad minus sufficiant quinque Pater, & Ave, tenet Tamborin. ubi *supra n. 4.* & Gobat. *cit. tract. 3. n. 140. in fine*, loquens de visitatione Ecclesiæ pro jubilæo consequendo. Et probatur; quia Gregorius XIII. in Bulla pro Societate Jesu, quæ incipit: *Quanta in vineâ Domini*, concedens plenariam indulgentiam omnibus fidelibus verè pœnitentibus, confessis, & sacrâ communione refectis, quamlibet Societatis Jesu Ecclesiam, die circumcisionis, vel alio à nostro Generali designando, devotè visitantibus, requirit, ut ibibi quinquies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam recitent, pro Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione: Si ergo S. Pontifex, ultra confessionem, & communionem, requirit, ad hanc plenariam indulgentiam in visitatione Ecclesiæ, quòd recitentur quinque Pater, & quinque Ave, etiam in indulgentiâ plenariâ, quæ per Bullam conceditur, in quolibet die stationum, sufficiet in visitatione cujuslibet Ecclesiæ, vel altaris recitatio quinque Pater, & quinque Ave ad minimum; cùm ad hanc indulgentiam consequendam, non requiratur confessio, & communio, sed tantùm status gratiæ, quando quis pro seipso illam intendit lucrari.

92. Inquires quartò: An preces, si sint debitæ ex voto, vel pœnitentiâ, aut aliâ obligatione, sufficiant in visitatione altarium? Respondeo, non sufficere; ratio est, quia quando S. Pontifex ad aliquas lucrandas indulgentias aliquod requirit opus, nisi aliud exprimat, intelligitur de opere non obligatorio. Sic D. Bonav. *in 4. dist. 20. art. 2. q. 4.* Rodrig. *in Bulla. §. 7. n. 1. & 3.* Mend. *disp. 19. n. 14.* quanvis oppositum sit etiam probabile, ut vidimus *supra disp. 7. n. 170.*

93. Di-

95. Dices: In jubilæis duarum hebdomadum obtinetur indulgentia jejuniis ex præcepto debitis; ut cum Sot. Henriq. Villal. tenet Fragos. *part.* 2. *de jubil. partic. disp.* 6. §. 3. *n.* 22. & cum aliis pluribus Quintanad. quem refert Mend. *proximè*: Ergo etiam indulgentia stationum per preces aliàs debitas poterit obtineri. Respondeo, negando consequentiam, & diversa ratio est; quia ille jubilæus à S. Pontifice præcipitur publicari, ubi de illo datur authentica notitia, & per accidens est, quòd in illis illarum hebdomadum diebus occurrant dies quatuor Temporum, aut alicujus vigiliæ; nam uno jejunio potest satisfieri duplici præcepto, aut obligationi; quando simul occurrunt; & in eâ hebdomadâ alio modo jejunio requisito satisfieri non potest; at preces pro indulgentiâ stationum possunt fieri, quin alio titulo sint debitæ.

94. Inquires quintò: Quo tempore sint visitandæ Ecclesiæ, vel altaria, ut indulgentia stationum obtineatur? Respondeo, Tamborin. *in Bull. cap.* 10. §. 3. *n.* 3. existimare per unum diem Ecclesiasticum; qui incipit à primis vesperis, usque ad occasum diei sequentis; & pro eodem asserto citat Castr. Pal. Mendosium *de indulgent. fol.* 69. & cùm hic ab Authoribus oppositæ sententiæ etiam citetur, infero, illum clarè non fuisse locutum, nam illum videre non potui.

95. Dicendum tamen est, altaria, seu Ecclesias visitandas esse, per eundem diem naturalem, in quo datur statio Romæ ad aliquam Ecclesiam designata in Missali Romano; qui dies naturalis comprehendit viginti quatuor horas, post primam mediam noctem, usque ad mediam noctem sequentem. Sic Quintanad. *tract. 6. appendic. dub.* 6. *num.* 1. Mend. *disp.* 20. *num.* 43. Rodrig. *in addit. ad.* §. 8. *num.* 1. & apud illos Mendosius *cit.* Villal. *tom.* 1. *tract.* 27. *claus.* 8. *n.* 2. Ludovic. à Cruc. *disp.* 1. *cap.* 8. *dub.* 13. *n.* 2.

96. Probatur, quia indulgentia, quæ hic conceditur, est stationum: statio autem est quædam processio, quæ eo die fit, ad aliquam Ecclesiam, de quâ tantum die naturali fit commemoratio, & non à primis Vesperis, ut liquet in Litaniis, tam majoribus, quàm minoribus; in quibus dantur Romæ stationes in Missali Romano descriptæ; quæ suppositâ earum obligatione non possunt pridie Vesperi recitari: ut tenet idem Tamborin. *lib.* 2. *decalog. cap.* 5. §. 5. *num.* 7. *vers. Atque hinc*: Ergo etiam visitationes earum stationum non possunt fieri à primis Vesperis diei antecedentis; cùm ergo in Bullâ dicatur: *in diebus stationum*, de die naturali, & non de Ecclesiastico intelligi debent.

97. Aliæ autem visitationes ad lucrandas indulgentias in aliquibus festivitatibus concessas; cùm festivitates incipiunt à primis Vesperis, ab illis visitationes possunt incipere; non verò visitationes stationum; quia hæ primas Vesperas non habent. Ex hâc explicatione, quæ vera est, & juxta fidelium praxim, possunt nocte, diuque visitari Ecclesiæ, & altaria pro lucratione indulgentiarum quæ illi diei annexæ sunt; non verò pro lucratione aliarum, quæ ad primas Vesperas, usque ad occasum sequentis diei determinatæ sunt.

98. Inquires sextò: An visitationes indulgentiarum stationum possint interrumpi, quocunque temporis spatio, intra eandem diem; ita ut unâ horâ diei visitetur unum altare, vel una Ecclesia, & alia horâ diversâ visitetur aliud; vel ut matutino tempore visitentur duo altaria, & Vespertino alia, sive ejusdem, sive alterius Ecclesiæ? Respondeo, posse. Sic Quintanad. *supra citat. dub.* 5. *num.* 6. Mend. *disputat.* 20. *num.* 52. Hujus ratio est, quia à S. Pontifice non exigitur, ut visitationes quinque sint simul, nec in eâdem Ecclesiâ; & quando concedens non restringit, nec nos restringere debemus.

99. Addo, quòd visitatio quinque altarium; vel Ecclesiarum non est unum opus morale, etiam per modum unius sumptum, ut officium canonicum, in quo quælibet hora unum opus censetur; quæ si notabiliter interrumpatur, juxta communem sententiam, ut videre est apud Dian. *part.* 1. *tract.* 12. *resolut.* 4. necessariò jam recitata debent repeti: at quælibet visitatio cum aliâ non habet connexionem: Ergo datâ eâ interruptione, possunt aliæ visitationes adimpleri.

100. Addit verò Quintanad. *loco citat.* si diversis diebus quis visitaret altaria, lucrari solùm indulgentias uni diei, non omnibus alligatas; non tamen explicat, cujus diei indulgentias lucretur; si v. g. in quadragesimâ fuisset visitatio; si erat indulgentia diei, in quâ incepit visitare altaria, vel Ecclesias; aut illius diei, in quâ illas finivit. Dato quocunque, non placet hæc visitandi altaris, vel Ecclesiæ per dies interruptio. Ratio est; quia S. Pontifex, ad has lucrandas stationum indulgentias, exigit, ut visitationes quinque alterium fiant in die, quâ fit statio, ibi: *diebus stationum quinque Ecclesias, sive altaria visitaverint*, & eo die Romæ lucratur indulgentia: Ergo eo die, quo lucratur indulgentia, visitationes fieri debent. Accedit fidelium praxis, qui eodem stationis die visitare solent altaria, & non per duos dies.

SECTIO VII.

Quâ devotione, ex quo locò, & quomodò debeant fieri altarium visitationes, ut indulgentiæ stationum lucrentur?

101. CIrca primam hujus tituli partem datur in Bullâ hæc verba, *devotè visitaverint*, quæ si non darentur, quæstio erat: an visitatio altaris cum peccato veniali, v. g. vanâ gloriâ sufficeret ad visitationem à S. Pontifice requisitam? de quâ inter Doctores controversia est; qui videri possunt apud Bellarm. *lib.* 1. *de indulgent. cap.* 3. *q.* 2. Quia tamen in Bullâ apponuntur; saltem longè tutius esse debet, sine ullo peccato altaria esse visitanda. Illa enim cum vanâ gloriâ, immodestiâ, vel confabulando, vel ad aliquem alium finem, quanvis veniliter malum, devotè non dicuntur visitari.

Maximè si uno, eodemque actu, nempe: ex vanâ gloriâ, & ex motivo acquirendæ indulgentiæ quis moveatur ad visitandas Ecclesias, aut altaria. Secus si per duplicem actum, unum tendentem ad vanam gloriam, & alterum ad visitationes: nam hic bonus actus non specificatur ab illo malo, nec ille malus destruit hunc bonum; & sic indulgentia consequetur. Sic cum Barthol. de S. Faust. Bard. *part.* 2. *tract.* 4. *cap.* 4. *n.* 58.

102. Oppositum docent Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 52. *sect.* 6. *n.* 3. Filliuc. & alii, quos adducit Bonac. *de sacram. disp.* 6. *q.* 1. *punct.* 5. *n.* 15. quia finis pravus non destruit finem honestum; etiam quando uniuntur in uno, eodemque actu; quia adhuc dicitur virtualiter bonus, propter finem honestum, quod sufficit, ut visitatio prodesse possit. Et ideo hunc dicendi modum probabiliorem judico. Imo inquit Gobat. *tom.* 2. *tract.* 3. *num.* 127. *in fine*, cum Peyrin. *tom.* 1. *fol.* 156. *n.* 7. & Navarr. *notab.* 32. *n.* 46. Si quis eat, ad Ecclesiam visitandam cum peccato veniali, aut mortali, posse nihilominus dici devotè visitare Ecclesiam; si modestè illam ingrediatur, & in eâ oret. Additur, quia circa iter nihil præscribitur, sed circa visitationem; nam qui intra Ecclesiam habitant, possunt illam visitare nullum iter conficiendo.

103. Quia tamen verbum *devotè* requiritur ad recitationem Officii Canonici, *in Cap. dolentes de celebr. miss.* & attentio interna, ad satisfaciendum præcepto audiendi missam, præter præsentiam moralem; quæ ad hæc præcepta adimplenda sufficiunt, sufficient etiam ad visitationem altarium pro lucrandâ stationum indulgentiâ.

104. Adverto tamen primò cum Soar. *tom.* 2. *de relig. tract.* 4. *lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 5. solam vocalem verborum prolationem ad orationem non sufficere; oratio enim est quidam cultus Dei, qui fieri debet in spiritu, & veritate, & non solo corpore: ergo requirit attentionem actualem, vel virtualem; quæ datur, quando quis involuntariè, & inculpatè distrahitur. Videatur tamen Gobat. *proximè n.* 142. qui aliter sentit. De attentione requisitâ ad horas canonicas videri possunt D. D. quos refert Leand. *tom.* 2. *tract.* 6. *disp.* 13. *q.* 13. & *tom.* 6. *tract.* 8. *disp.* 4. *quæst.* 2. Gobat. *nuper citat.* & Dian. *part.* 2. *tract.* 12. *resol.* 1. & *part.* 7. *tract.* 11. *resol.* 30. De attentione ad audiendam missam vide Cardin. de Lug. *de sacram. disp.* 22. *à n.* 25.

105. Adverto secundò, ad has visitationes sufficere illam corporis compositionem, quæ moralem præsentiam manifestet, vel flexis genibus, vel stando, & talem, qualis ad audiendam missam sufficeret. Videantur Dian. *part.* 5. *tract.* 12. *resol.* 33. Gobat. *dict. tom.* 2. *tract.* 3. *n.* 140. & alii, quos citant.

106. Circa secundam tituli sectionis partem, nempe: ex quo loco debeant fieri visitationes Ecclesiæ, vel altaris ad lucrandas stationum indulgentias? Occurrit commune dubium: An quando quis ob multitudinem ad Ecclesiam confluentem illam ingredi non potest, sufficiat à foribus quinque altaria in eâ sita visitare? Respondeo cum communi Doctorum, sufficere; si omnia quinque altaria in prospectu sint. Sic cum Ludovic. à Cruce Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. *dub.* 2. *n.* 3. *in fine.* Cardin. de Lug. *de pœnit. disp.* 27. *n.* 98. Bard. *part.* 2. *tract.* 4. *cap.* 4. *n.* 53. Mend. *disp.* 20. *n.* 51. Tamborin. *in Bull. cap.* 10. §. 1. *n.* 15. Escobar *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 152. & alii. Probatur; quia ea præsentia moralis requiritur ad altarium visitationem, quæ requiritur ad missæ auditionem, ut *supra* diximus; sed à foribus Ecclesiæ potest missa audiri, quæ in altaribus, quæ sunt in prospectu, celebratur: ergo idem dicendum de altarium visitatione, quæ sunt in prospectu; ut sunt in Templo S. Roqui P. P. Societatis Jesu hujus Ulyssiponensis civitatis.

107. Si tamen altaria non sint in prospectu, adhuc posse ab ostio visitari, non solùm corde, & intentione, sed etiam capitis inclinatione, cùm sciat visitans, ubi sit unumquodque illorum, existimat Quintanad. *tract.* 6. *append. dub.* 5. *num.* 4. & 5. & apud ipsum Ludovic. à Cruce *lib.* 1. *cap.* 18. *dub.* 3. *num.* 5. Cordub. *lib.* 5. *de indulg. q.* 21. Villal. *tract.* 26. *diffic.* 24. *n.* 7. Sâ *n.* 12. Bonac. *disp.* 6. *de indulg. q.* 1. *punct.* 5. *num.* 25. citans Soar. Graffim, & alios: dummodo visitans his altaribus moraliter adesse censeatur; ad quam præsentiam non est necesse altaria videre; sed sat est, esse in loco, ubi altaria esse dicitur: Sic enim præsens est moraliter missæ, cùm Sacerdos non videtur ob distantiam; sicut etiam cæcus illam audit, licèt Sacerdotem non videat.

108. Ab hâc sententiâ non videtur dissentire Avendan. *in Thesaur. Indic. tit.* 5. *num.* 304. quia Moniales (inquit) distantiâ non obstante, altaria ad effectum indulgentiæ visitant; deinde si contingat in earum Ecclesiis esse quinque altaria, quæ ab eisdem conspici non possunt, non habenda sunt; ac si non essent in eâ Ecclesiâ, quia in eâ Ecclesiâ verè sunt quinque altaria, quæ omnia debent visitari, ut comparetur stationum indulgentia. Quare judicat, conspecto Capellæ ingressu, in quo altare est, ad visitationem altaris sufficere; sic enim sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum visitatur, quanvis in suo sit inclusum tabernaculo.

109. Hæc tamen horum Authorum asserta mihi displicent: quia communiter ad visitationes altaris requiritur ea præsentia moralis, & humana, quæ ad audiendam missam requiritur; & si in ipsis altaribus, quæ ab audientibus conspecta non sint, missa celebretur, missa non auditur, nisi ratione multitudinis, cum quâ faciunt unam moralem præsentiam; quod non datur in casu à Quintanad. allato; nam, ut suppono, illa gentium multitudo, quæ ingressum Ecclesiæ impedit, visitationi altarium ad lucrandas stationum indulgentias non assistit; nam si illis visitationibus assisteret; tunc unam moralem præsentiam cum illâ efficerent multitudine visitantes, & sufficeret.

110. Deinde, si Moniales missam non audiunt, quando in eo altari celebratur; quia tantùm ingressum Capellæ aspiciunt, & illius deficit præsentia moralis; nec etiam illud visitare possunt, quia ad eam visitationem ea moralis præsentia exigitur. Et certè si Ecclesia vacua esset, & aliquis visitaret altaria,

quæ

quæ non videt, quippe sunt in Capellis intro sita, ista visitatio non sufficeret: quia etiam non sufficeret ea præsentia ad præcepto missæ audiendæ satisfaciendum. Neque ex hoc sequitur, necessum esse, videre altaria, quæ visitantur; nam sicut cæcus adimplet præceptum missæ audiendæ, licèt Sacerdotem celebrantem non videat; sic etiam potest altaria visitare, licèt illa non videat: affero tamen, ad utrumque requiri præsentiam moralem, quæ tunc datur, cùm attentis situ, loco, & circunstantiis, dici potest: hic est præsens illi altari, quæ non dantur, quando quis est in eâdem Ecclesiâ, intra quandam Capellam pariete divisam, & missa in aliâ celebratur.

111. Nec exemplum visitationis S. S. Eucharistiæ Sacramenti ab Avendan. adductum probat intentum; quia si Ecclesia sit clausa potest ab ostio visitari, licèt ostium clausum sit: sic etiam licèt tabernaculum, seu sacrarium sit clausum, S. S. Eucharistiæ Sacramentum verè visitatur; non tamen clausis Ecclesiæ foribus, altaria possunt visitari; sicut etiam, nec satisfacere præcepto audiendi missam, si missa in altari celebretur. Sic Doctores *locis supra cit.* Dicendum ergo est, Moniales aliqua ipsius Ecclesiæ altaria non aspicientes posse altaris, quod vident, repetere visitationem; nam quæ videri nequeunt, habenda sunt ad hoc intentum, ac si in eâ Ecclesiâ non essent; quod amplius hâc communi doctrinâ expono.

112. Docent Doctores illum, qui aliquo detinetur impedimento, unde nequeat quinque Ecclesias, vel altaria visitare ad has stationum indulgentias lucrandas, posse unum altare, cujus copiam habet, quinquies visitare. Ejusmodi sunt Moniales, quæ unum tantùm altare in suis Ecclesiis habent; ejusmodi sunt carceribus detenti, infirmi, Religiosi, & non Religiosi senes, qui ob nimiam senectutem, & infirmitatem à domo egredi nequeunt; & qui grave malum ab inimico timent, si per Ecclesias vagentur; fœminæ, quæ in vicinio habent Ecclesiam, cum unico altari, vel in domo privatâ oratorium, vel fenestellam ad aliquod Ecclesiæ, vel Capellæ altare, ne ad has acquirendas indulgentias deambulare per civitates, aut oppida cogantur. Sic Bard. *part. 2. tract. 4. cap. 4. n. 44.* Mend. *disp. 20. n. 42. in fine.* & apud illum Basil. Legionens. *in manuscript. explic. Bull. cap. 5.* Tamborin. *in Bull. cap. 10. §. 1. n. 2.* Probat Bard. quia ita omnino præsumendum est, de mente Pontificis.

113. Hæc ratio mihi non probatur; quia in privilegiis non præsumitur extensio, quando illius verba, id non insinuant. Melius ergo probatur à tenore hujus privilegii, in quo sunt hæc verba: *Si ibi tot Ecclesiæ, vel altaria non fuerint, quinquies unam Ecclesiam, seu unum altare, devote visitaverint.* Quæ verificantur, non solùm quando re verâ in eo loco deficiunt illæ quinque Ecclesiæ, vel altaria; sed etiam quando deficiunt ex parte Bullam habentium; qui ita se habent, ac si in eo loco non fuerit ille Ecclesiarum, vel altarium numerus.

114. Circa tituli sectionis tertiam partem, nempe: Quomodò sint visitanda quinque altaria in eâdem Ecclesiâ, vel unum, quando in oppido quinque non dantur; an hæ visitationes, ut obtineantur stationum indulgentiæ, fieri debeant aliquo corporis motu, v. g. surgendo, vel genu flectendo, vel caput inclinando, dum singulæ visitationes fiunt, ex eodem loco ad idem altare, vel ad quinque in eâdem Ecclesiâ sita; ad quæ datur moralis præsentia?

115. Respondeo, duplicem dari sententiam: Prima asserit, non esse opus, ad quamlibet visitationem corporis motum, sed sufficere corde moveri. Sic Veg. *in summ. tom. 2. cap. 7.* Ludovic. à Cruce *disp. 1. cap. 8. dub. 13. n. 4.* Dian. 1. *part. tract. 11. resol. 102.* Villal. *tract. 27. claus. 8. n. 6.* Rodrig. *in addit. ad §. 8. n. 1.* mutans sententiam, quam docuerat *in Bullâ §. 8. dub. 7. n. 12.* Quintanad. *tract. 6. append. dub. 5. n. 1.* Mend. *disp. 20. n. 47. & in appendic. disp. 2. n. 98.* Ludovic. Mend. *in Bull. sect. 1. n. 72.* Probant; quia Bulla illum non exigit motum corporalem; & ubi indultum non restringit, nec nos restringere debemus. Additur; quia sufficit visitationes mentaliter distinguere; nam distinctio magis propriè dicitur fieri per intellectum, quàm per motum externum.

116. Secunda tamen sententia requirit ad quamlibet altaris visitationem aliquem corporis motum, vel capitis inclinationem. Ita Garnic. *in expos. Bull. fol. 39.* Trullench. *lib. 1. §. 6. dub. 2. n. 4.* Fragos. *tom. 2. disp. 7. de Bull. n. 22.* Bard. *part. 2. tract. 4. cap. 4. n. 49.* Escobar *in Theolog. moral. tom. 1. lib. 7. n. 775.* Lezan. *in qq. Regular. tom. 3. verb. Bulla Cruciata n. 18.* Tamborin. *in Bull. cap. 10. §. 1. n. 13.* & apud illum Galleg. *claus. 6. cap. 8. dub. 79.* Cardin. de Lug. *de pœnitent. disp. 27. num. 98.* malè citatus à Mend. pro primâ sententiâ Quintanad. *tract. 6. append. dub. 5. n. 5.* sibi contrarius, Gobat. *tom. 2. tract. 3. n. 131.* eandem defendunt Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 10. n. 1.* Graffis, Azor. Sâ, quos refert, & sequitur Bonacin. *tom. 1. disp. 6. de indulg. q. 1. punct. 5. n. 25.* malè citati pro contrariâ sententiâ à Quintanad. Mend. & Galleg. nam Henriq. *loco citato*, hæc habet verba: *Quòd expedit cum aliquâli corporis, & situs motu, si commode fieri potest. At non oportet moveri loco, aut exire de Ecclesiâ, & deinde reverti, ut dicatur, quinquies eam visitare, sed satis est, ut uno loco fixus, preces fundat versus quinque altaria; quod si tantùm sit in oppido unum altare, debet illud quinquies visitare, interpolatis vicibus, & preces fundere coram illo.* Et Sâ *verb. indulgentia n. 8.* in quo citatur à Bonacin, hæc verba refert: *Cùm dicitur, ut visitentur aliquot in Ecclesiâ altaria, sufficit in eâ ad illa orando, se convertere ex eodem loco.* Cæterum Bonacin. *loco cit.* eisdem utitur verbis, & alii ab eo citati; qui vel utuntur verbo *convertere*, vel *vertere*; quæ aliquem motum corporalem designant: non enim potest quis, ad unum altare orando se vertere, vel convertere, ut ad aliud oret, sine corporis motu sensibili. Quare hi Authores vel incuriosè perlecti fuerunt, vel à primo Authore citati, à reliquis sine alio examine fuerunt allati.

117. Hæc secunda sententia, non solùm securior ut liquet, sed etiam ex terminis intrinsecis probabilior est; ut securiorem, illam consulunt adversarii, Mend. Galleg. & alii. Quòd ratione sit probabilior, ostenditur, quia

S. Pontifex, ut est caput Ecclesiæ visibilis, & habens jurisdictionem ad indulgentias concedendas: ad has stationum, quas in Bullâ concedit, necessariò exigit visitationem altarium: Ergo exigit sensibilem. Confirmatur, quia non exigit visitationem mentalem: ut per se patet, nec etiam ut preces sint mentales, ut remanet dictum *sect. 6. n. 85.* Ergo nec mentalem distinctionem, inter ipsas visitationes. Vide quæ diximus *citato loco.* Ad fundamenta Mend. impugnantis in appendice Bardi patet, quid sit respondendum.

SECTIO VIII.

De visitatione quinque Ecclesiarum, & quinque altarium?

118. AD has obtinendas stationum indulgentias exigit S. Pontifex visitationes quinque Ecclesiarum, sive altarium, quæ cùm sint actiones personales, per alium exhiberi non possunt: ut rectè docent Bard. *part. 2. tract. 4. cap. 4. n. 63.* Tamborin. *in Bull. cap. 10. §. 2. n. 2.* Bonacin. *de sacram. disp. 6. q. 1. punct. 5. n. 24.* Villal. *tract. 26. diffic. 25. n. 1.* & alii apud ipsum. Quomodò verò hæ visitationes intelligantur, dicendum per sequentia quæsita.

119. Inquires primò: An si in uno oppido inveniantur quinque Ecclesiæ, possit quis pro suo libito visitare quinque altaria? Respondeo, aliquos apud Bard. *proxime n. 36.* negare. Dicendum tamen est posse quinque altaria visitare. Sic Rodrig. §. 8. *n. 9.* & *in addit. ad §. 8. n. 1.* Trullench. *lib. 1. §. 6. dub. 2. n. 3.* Bard. ubi *supra*, Tambor. *super cit. §. 1. n. 3.* Escobar *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 150.* Lezan. *in qq. Regul. tom. 3. verb. Bulla Cruciatæ n. 18.* Ludovic. à Cruce *disp. 1. cap. 8. dub. 13. n. 1.* & alii. Ostenditur, quia Bulla utitur alternativâ dictione *sive*, ibi: *Quinque Ecclesias, sive altaria:* Sed dictio *sive* inducit alternativam, sicut dictio *aut*, ut tenet Barbos. *in tract. var. dict. 374. n. 1. & 2.* Ergo cùm in alternativis liceat quamlibet partem eligere, *juxta regul. in alternativis, de regul. juris in 6.* potest quis pro suo libito visitare quinque altaria, vel quinque Ecclesias. Sic confirmat communis fidelium praxis.

120. Inquires secundò: Si in uno oppido non reperiantur quinque altaria, sufficitne unum tantùm visitari? Respondeo cum distinctione: si in eo oppido unum tantùm sit altare; sine controversia est, posse illud quinquies visitari; idem expresè dicitur in Bullâ: *Si ibi tot Ecclesiæ, vel altaria non fuerint, quinquies unam Ecclesiam, seu unum altare devotè visitaverint.* At si in eo oppido fuerint duo, tria, vel quatuor altaria dubium est. Trullench. *proximè allatus*, Quintanad. *tract. 6. append. dub. 4. n. 3.* Mend. *disp. 20. n. 39.* existimant, non sufficere unum altare visitare, sed ea, quæ inveniuntur, esse visitanda; & loco eorum, quæ deficiunt, alia, vel aliud altare tot vicibus, quot desunt ad quinque visitationes. Probant; quia iste modus visitandi magis menti Pontificis accedit.

121. Dicendum tamen est; eum modum visitandi sufficere. At etiam sufficit, & est magis secundùm litteram, unum tantùm ex illis duobus, tribus, vel quatuor altaribus visitari. Ita Ludovic. à Cruce *loco cit. n. 3.* Dian. *part. 1. tr. 11. resol. 102.* Bard. *supra n. 46.* Escobar *proximè.* Lezan. *cit. dict. n. 18.* & Mend. *cit.* idem probabile judicat, cum Quintanad. *proximè.* Ratio est, quia in Bullâ dicitur; si ibi non fuerint quinque altaria, vel quinque Ecclesiæ, sufficere unam Ecclesiam, vel unum altare quinquies visitari: Cum verò solùm reperiantur in eo oppido, duo, tria, vel quatuor altaria, jam non dantur quinque: Ergo unum ex illis potest quinquies visitari. Si verò S. Pontifex voluisset, illa duo, tria, vel quatuor visitari; & repeti visitationes, quæ ad quinque deficiunt, id declarasset; cùm autem id non declaraverit, sufficit unum altare quinquies visitari.

122. Inquires tertiò: An si in oppido, in quo quis adest, sint quinque Ecclesiæ, quarum una habet quinque altaria, quælibet verò ex aliis unum tantum habet, potestne unum altare quinquies visitari, si ad has visitationes eligatur ea Ecclesia, in quâ unum tantùm altare reperitur? Respondeo, partem affirmantem doceri à Mend. *disp. 20. n. 41. & 42.* & in appendic. *disp. 2. n. 96.* impugnante Bard. *infra* citandum, & citat pro hac sententia Nunùm. *in 3. part. tom. 2. tract. de Bull. §. 10.* Dian. *1. part. tract. 11. resol. 102.* & innuere illam, inquit, Basil. Leg. *in manuscript. explicat. Bull. cap. 5.* Nec Basil. nec Nunùm vidi: Dian. verò *loco cit.* de hâc quæstione non tractat.

123. Probat primò ex communi fidelium praxi, qui accedunt ad vicinam, vel ad eam Ecclesiam, ad quam commodius accedere possunt; & quanvis in eâ sit unum tantùm altare, illud quinquies visitant, existimantes, se stationum indulgentias obtinere; licèt in eo oppido sint aliæ Ecclesiæ, vel altaria. Et hæc praxis maximè viget in Religiosis, & Monialibus, in quorum Ecclesiis forte non reperitur, nisi unum altare. Nec impotentia adeundi alias Ecclesias, illis favere potest; quia impotentia, etiam inculpata, exequendi aliquod opus ad indulgentiam requisitum illis minimè suffragatur, dum à concedente id non exprimitur. Et confirmat ex doctrinâ *supra sect. 7. n. 112.* quia, inquit, si oratorium privatæ domus quinquies visitetur, indulgentia obtinetur; & tamen communiter in locis, in quibus hæc reperiuntur oratoria, aliæ dantur Ecclesiæ, & altaria.

124. Probat secundò; quia verba Summarii: *Nam havendo tantas Igrejas, ou altares; visitarem cinco vezes huma Igreja, ou altar*, sic intelligi debent: quinquies altare esse visitandum, si non sint quinque altaria, non quidem in eâ urbe, aut loco, sed in eâ Ecclesiâ, quæcumque sit, quam quis pro suo libito, devotione, aut commoditate elegit visitandam; & verba Bullæ Latinæ Hispanæ: *seu in illorum defectu* immediatè cadunt supra vocem *altaria* antecedenter positam; & in eodem sensu debent accipi verba Summarii Hispani distributivè, ut possit quis eligere, visitare quinquies unam Ecclesiam; si quinque non sint in eodem oppido; vel visitare unum altare quinquies, si in Ecclesiâ electâ, quinque non sint altaria. Sic Mend.

125. Dicendum tamen, ut quis possit, hanc obtinere indulgentiam, non sufficere visitare quinquies unum altare in eâ Ecclesiâ, quæ unum tantùm habet, si in toto oppido dentur quinque altaria. Sic Bard. *part. 2. tract. 4. cap. 4. n. 42.* Idem videtur sentire Henriq. *lib. 7. cap. 10. n. 1.*

dum

dum asserit, satis esse unum altare quinquies visitare, si unum tantùm in eo oppido sit. Probatur ex verbis Bullæ Lusitanæ, quæ clarius exponunt hoc assertum: *Si ibi tot Ecclesiæ, vel altaria non fuerint, quinquies unam Ecclesiam, seu unum altare, devotè visitaverint.* In quibus notanda est dictio *ibi*, quæ refertur ad aliam paulò antea positam, nempe: *ubi, in loco ubi ipsos morari contigerit.* Et cùm hæ duæ dictiones *ibi*, & *ubi* referantur inter se una ad aliam in eâdem oratione, in quâ inveniuntur: ut canit Ecclesia: *ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sint gaudia.* Et *in l. si quis in legatione ff. de judic.* ibi: *Non cogi eum, ibi judicium pati, ubi constituerit.* Et aliquando referuntur ad tempus: ut *in eit. l.* juxta Gloss. & Octavian. Vulpell. *de propos. & adverb. significat. in principio sub dict. ubi pag.* 126. Aliquando ad locum; ut in dictâ Ecclesiæ oratione, & in Bullâ *citatis verbis:* clarius constat, non posse aliquem in quâvis Ecclesiâ visitare quinquies unum altare, si in eodem loco, seu oppido, in quo moratur, quinque reperiantur altaria. Et ex his dictionibus, quæ in Bullâ Lusitanâ ad majorem explicationem apponuntur, infertur; idem esse dicendum juxta Bullam Hispanam, in quâ hæc clausula minori verborum periodo designatur.

126. Nec fundamenta Mend. *n.* 121. & 124. oppositum suadent; non primum; quia ea praxis in fidelibus sæcularibus non datur; in Religiosis, Monialibus, carceribus detentis, infirmis, senibus, & aliis, de quibus *in cit. sect.* 7. si datur ea praxis, est, quia pro illis perinde est, ac si in toto oppido, non esset, nisi unum tantùm altare; quare non impotentia adeundi aliam Ecclesiam illis favet, sed defectus quinque altarium; quæ si in eâ civitate, seu oppido dantur, pro illis ita dantur, ac si non dentur.

127. Non secundum; quia nullum datur fundamentum ad hoc, ut verba Summarii Hispani distributivè accipiantur; nec etiam verba Bullæ Hispanæ, *In illorum defectum*, immediatè tantùm cadunt supra altaria; sed immediatè cadunt, & super Ecclesiam, & super altaria. Si enim in principio clausulæ, apponuntur primò Ecclesiæ, deinde altaria; quomodò in clausulæ fine, ordo scribendi inverti poterat. Certè argueretur scribens de enormitate, & de inversione. Ne igitur hoc dici queat, vel in alicujus mentem tale veniat, dicamus, quòd sanè in re est; dictiones *In illorum defectum* immediatè cadere, & in Ecclesias, & in altaria; & si dentur in eodem oppido quinque altaria, non posse aliquem cum fructu hujus indulgentiæ visitare quinquies unum altare, quod tantùm in aliquâ ejusdem oppidi Ecclesiâ reperitur.

SECTIO IX.

An indulgentiæ stationum possint pro defunctis applicari?

128. REsolutio hujus quæstionis affirmativa est certa: ut apertè constat ex verbis Bullæ Latinæ: *Tam pro se, quàm per modum suffragii, pro illis, qui in Christi charitate decesserint:* Sed quando hæc fit applicatio, eâ intentione fieri debent visitationes Ecclesiarum, seu altarium, ut pro defuncto sibi destinato prosint. Sic Villal, *tom. 1. tract. 27. claus. 8. n. 8.* Dian. *1. part. tract. 11. resol. 104.* Trullench. *in Bull. lib. 1. §. 6. dub. 4. n. 1.* Bard. *part. 2. tract. 4. cap. 4. n. 26.* Mend. *disp. 20. n. 7.* & alii. In summario Bullæ Lusitaniæ designantur dies, in quibus per hanc stationum indulgentiam, anima à pœnis purgatorii liberabitur, quos recensuimus in fine sect. 4. hujus disputationis.

129. Inquires primò: An non solùm diebus in summario ad liberandam defuncti animam designatis possit fieri ea applicatio, sed in omnibus aliis, in quibus in Missali Romano, pro stratione describitur dies, de quibus facta est mentio *sect. 4. n.* 43.? Respondeo affirmativè; quia S. Pontifex in Bullâ non solùm concedit indulgentias in stationibus pro defunctis concessas, sed etiam eas stationum indulgentias, quæ pro vivis applicari solent, ibi: *Tam pro se, quàm per modum suffragii, pro illis, qui in Christi charitate decesserint.* Sic Quintanad. *tract. 6. append. dub. ultim. n. 6.* Trullench. *proximè n. 3. in fine.* Mend. *loco citato.*

130. Ex Bullæ verbis collige, indulgentiam plenariam, quæ in singulis stationum diebus, in Missali Romano descriptis conceditur, posse applicari, vel pro se vivo, vel pro aliquo defuncto; licèt in catalogo, in fine Bullæ pro defunctis proprii designentur dies; quia S. Pontifex sine aliquâ distinctione asserit, posse applicari tam pro se, quàm pro defunctis.

131. Inquires secundò: An saltem in illis stationum diebus, de quibus dicitur in fine summarii in catalogo indulgentiarum animam eo die liberari à purgatorii pœnis, possit quis & sibi indulgentiam plenariam lucrari, & animam à pœnis purgatorii eruere? Affirmant Escobar *in Theolog. moral. tom. 1. l. 7. n. 156.* Trullench. ubi *supra num. 2.* & apud ipsum Rodrig. *in Bull. §. 8. num. 13. & num. 16.* requirentes, ut visitationes altarium, vel Ecclesiarum iterentur, in quâlibet die, quâ quis pro se, & defuncto vult indulgentiam lucrari. At Mend. *disp. 20. n. 8. & 9.* aliquâ utitur distinctione, nempe: quod indulgentia plenaria, quæ in catalogo à Commissario designantur, pro animâ à pœnis purgatorii liberandâ; eâdem quinque altarium visitatione tam ab ipso lucrante, quàm ab ipsâ defuncti animâ obtinebitur. In cæteris verò stationum diebus, si quis velit pro se ipso, & pro defuncti animâ illam lucrari, debet stationem repetere, scilicet, visitationes altarium, ut Trullench. & Escobar *proximè.* Addit Mend. *dicto n. 9.* in aliis autem diebus stationum, qui à Commissario in catalogo non sunt designati; cùm eæ indulgentiæ non sint plenariæ, si pro animâ defuncti applicentur, non eam à pœnis liberabunt; illi tamen minuentur pœnæ, juxta indulgentias concessas. Hæc inquit secundùm opinionem, quam docuerat de indulgentiis stationum quotidianis, de quâ facta est mentio *supra n.* 40.

132. Probant Trullench. & Rodrig. primam partem: quia id videntur insinuare verba Commissarii in catalogo apposita: *Nesta dia* v. g. Dominicâ in septuagesimâ, *Indulgentia plenaria*, & liberatur anima à purgatorio; In quibus particula *Et* cum sit copulativa, significat & animam liberari, & viventem eâdem altarium visitatione indulgentiam pro se ipso lucrari. Secundam partem iidem ostendunt ex verbis Bullæ Latinæ: *Tam pro se, quàm pro defunctis:* ac si diceret (in-

quit Trullench.) poterit pro se unâ visitatione, & oratione, tum etiam pro defunctis alterâ visitatione, & oratione altaria visitare, & indulgentiam consequi. Quâ probatione etiam utitur Mend. alio tamen modo explicata, ut suum intentum *n. precedenti* adductum, probet.

133. Hæc tamen horum Authorum placita non sunt admittenda; & post decretum S. Congreg. in hâc disput. sæpius allatum, manifestè apparent falsa; quia in eo decreto juxta dicta *supra num.* 18. & 28. constat, indulgentiam plenariam stationum solùm concedi pro diebus stationum, in missali Romano descriptis; & hanc indulgentiam semel duntaxat in die lucrifieri: si ergo una tantùm indulgentia plenaria die stationum in Missali Romano descripta conceditur; si pro defuncto applicetur, illam defunctus obtinebit, non tamen applicans; etiamsi pro se visitationes quinque altarium repetat; & è contra: si vivus pro se illam applicet, illam defunctus non lucrabitur, sed tantùm ipse applicans.

134. Imo puto, si sine aliquâ temporis, vel mentis prioritate, hæc stationum indulgentia pro se ipso, & pro aliquo defuncto, simul à vivente applicetur, nulli prodesse. Ratio est, quia in Bullâ defunctorum indulgentia plenaria defuncto concessa per modum suffragii, si duobus applicetur, neutri prodest; quia pro uno, & non pro duobus debet applicari; ut docent Trullench. *in Bull. lib. 4. dub.* 11. *num.* 4. Bard. *part. 4. tract. 4. cap. 4. num.* 9. Tambor. *in Bull. cap.* 17. §. 2. *n.* 6. ergo etiam plenaria indulgentia stationum, pro duobus simul non poterit applicari, nempe: pro ipso applicante vivo, & simul pro uno defuncto.

135. Scio, Mend. *disp.* 36. *num.* 2. *& in addit. disp.* 4. *à num.* 69. docere, posse unam defunctorum Bullam pro duobus, & pluribus accipi, & consequenter ad hæc, etiam dicet, posse indulgentiam stationum plenariam simul pro ipso vivente, & defuncto applicari. Hæc tamen non videntur fidelium praxi cohærentia; nam una indulgentia plenaria importat omnium peccatorum, etiam oblitorum remissionem: ut tenent D. Thom. S. Bonav. Soar. Card. Tolet. Bonac. Henriq. & alii, quos refert, & sequitur Quintanad. *tom.* 1. *in proæm. appendic. n.* 1. *in fine:* una autem remissio, non ad duas, vel plures personas, sed ad unam tantùm relationem dicit. Hæc tamen sententia Mend. *infra disp.* 26. *à num.* 400. *rejicietur.*

136. Dixi: *supra dictorum placita esse falsa, maximè post decretum S. Congreg.*; quia etiam ante illud sustinenda non erant, ut docuit Bard. *part.* 2. *tract. 4. cap. 4. num.* 28. & innuit Castr. Pal. *tom.* 4. *tract.* 25. *de Bull. punct.* 5. *num.* 11. dum ait, semel tantùm in die obtineri posse. Probatur, quia duplex indulgentia ex eâdem stationem sine fundamento astruitur; nullus enim est textus, ex quo appareat talis concessio; nam catalogus indulgentiarum, in quo dicitur *Nostre dia*, v. g. *Dominicâ in septuagesimâ, indulgentia plenaria, liberatur anima una à purgatorio:* In quibus verbis per conjunctionem copulativam *Et* significatur duplex indulgentia, est liberè dictum; nam illa conjunctio copulativa *&* non datur in catalogo indulgentiarum Lusitano; & tamen non inde infertur, habere in hâc parte, seu clausulâ majus privilegium Bullam Hispanam; quàm Lusitanam; nam in utraque Bulla Latinâ, quibus standum est, dantur eadem verba, & cum majori verborum extensione in Bullâ Lusitanâ. Deinde demus, eam conjunctionem *&* ex consulto fuisse appositam; unde infertur per illam significari, indulgentiam lucrandam in eâdem stationem, esse duplicem, & pro vivo, & pro defuncto? certè id ibi non exprimitur.

137. Nec etiam exprimitur, nec insinuatur in Bullâ Latinâ, in quâ dantur hæc verba, in Hispanâ: *Tam pro se, quam pro defunctis.* In Lusitanâ: *Tam pro se, quàm pro illis, qui in Christi charitate decesserint,* ex illis enim solùm infertur, eandem indulgentiam quam vivus pro se potest lucrari, posse pro defuncto; & non pro se, & pro defuncto lucrari; quia dictiones *Tam*, & *quam* cum sint divisivæ, actum æqualem utrique copulatum tribuunt, & non amplius. Menoch. *cons.* 793. *num.* 2. & 23. *& cons.* 400. *num.* 9. & id etiam notant, *in l. Sancimus Cod. de testament.* Surd. *cons.* 317. *num.* 16. *& cons.* 401. *num.* 11. & alii apud Barbos. *in tract. Var. dict.* 399. *n.* 1. Ergo ex verbis Bullæ solùm æqualitatem indulgentiis, & non conjunctionem indulgentiarum pro vivis, & defunctis simul, constat concedi.

138. Hoc idem confirmo exemplo à Mend. adducto ad stabiliendum, visitationes altarium debere iterari die stationis à Commissario non designato pro liberandâ animâ à purgatorii pœnis: Si S. Pontifex dicat: (inquit Mend.) Hæc indulgentia obtinebitur, tam visitando quinque Ecclesias, quàm jejunando, nullus dicet, requiri visitationem, & jejunium simul sed unum, vel alterum: ergo, quia illæ particulæ *tam, quàm* disjunctionem, non conjunctionem significant, non est fundamentum, ut asseratur, nunc copulativè, nunc disjunctivè fore accipiendas. Optima consequentia.

139. Ex illâ infero, contra Mend. si in proposito exemplo particula *Tam*, & *quàm* significant disjunctionem, & non conjunctionem, nempe: vel visitationem, vel jejunium, & non utrumque simul: Ergo etiam eædem particulæ *Tam & quàm* in Bullâ Latinâ appositæ *Tam pro se, quam pro defunctis*, non conjunctionem, sed disjunctionem significabunt, nempe: vel indulgentia lucrabitur pro se, vel pro defuncto: non enim datur fundamentum, ut asseramus, illas particulas *Tam*, & *Quàm* nunc copulativè, nunc disjunctivè esse accipiendas. Ex quo, & supra dictis apertè constat, etiam præscindendo à decreto S. Congregationis, indulgentiam stationis non posse simul pro se vivo, & pro defuncto lucrari; sive iterentur, sive non, altarium visitationes.

140. Inquires tertiò: An requiratur gratiæ status in eo, qui indulgentias stationum pro animabus purgatorii applicat? Respondeo, tutius & securius esse, requiri statum gratiæ; & requiri, docent Cardin. de Lug. *de pœnit. disp.* 27. *n.* 75. & alii. Communiter verò asserunt Theologi, non requiri. Sic Henriq. *lib.* 7. *cap.* 9. *n. ult.* Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 53. *sect.* 4. *n.* 6. Riccius, Reginald. & alii plures, quos referunt, & sequuntur Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 1. *appendic. dub.* 14. *num.* 4. Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 6. *dub.* 4. *num.* 3. Bard. *part.* 2. *tract.* 4. *cap.* 4. *n.* 27. Escobar *in Theol. moral. tom.* 1. *lib.* 7. *n.* 784. Ratio est, quia sufficit apponere conditionem à Pontifice requisitam; quia non pro se applicat illam

illam indulgentiam, sed pro defuncto, qui in purgatorii pœnis in statu gratiæ exiſtit. De hoc tamen ſuſius dicendum, in Bullâ defunctorum, *diſp. 26. ſect. 31. in principio.*

141. Inquires quartò: Quid ſit indulgentia per modum ſuffragii? Reſpondeo, nos de hac quæſtione agere in *cit. loco ſect. 27.* In hoc breviter dico, indulgentiam per modum ſuffragii eſſe diſpenſationem Theſauri Eccleſiæ factam exiſtenti extra illius forum, qui ſe ipſum juvare non poteſt: indiget verò ab aliis aliquo opere adjuvari, opus efficiendo, quod ille efficere non poteſt. Sic Rodrig. Ludovic. à Cruce, quos refert Quintanad. *tract. 6. appendic. dub. ult. n. 6.* Alios modos affert Card. de Lug. ubi *ſupra ſect. 5.* quibus S. Pontifex animabus purgatorii indulgentias applicare, vel concedere poteſt. De his tamen dicendum *cit. ſectione.*

DISPUTATIO XI.

De privilegiis in Bullâ Cruciatæ tempore interdicti conceſſis.

1. BUllæ methodum interrupimus, ut abſque interruptione de indulgentiis in eâ conceſſis ageremus. Regrediendo igitur ad eandem methodum, explicanda veniunt ea, quæ tempore interdicti, & circa oratoria, & horam celebrandi miſſam habentibus Bullam conceduntur; quæ in Bullâ ſic continentur: *Ac etiam aliis qui intra dictum triennium* (lege juxta conceſſionem Pauli V. & ſucceſſorum eodem durante anno) *in manutentionis hujuſmodi ſubſidium, alias pias eleemoſynas fecerint, pariter concedimus, ut eodem durante triennio, libere poſſint in privato oratorio ad divinum cultum duntaxat deputato, ab Ordinario loci approbando, & viſitando, etiam in locis interdicto, quavis etiam Apoſtolicâ authoritate ſuppoſitis; dummodo ipſi cauſam non dederint hujuſmodi interdicto, vel per eos non ſteterit quo minus illud amoveatur; ac etiam illuſtribus, & aliis nobilibus, qui facultatem ad id a Commiſſario, ſuper hoc deputando, habuerint, etiam per horam antequam dies eluceſcat; & per horam poſt meridiem, excommunicatis, & interdictis prorſus excluſis, per ſe ipſos, ſi presbyteri fuerint, ſeu per alium, vel alios ſacerdotes, ut præfertur, approbatos, in ſuâ, ac familiarium, ac domeſticorum, & conſanguineorum ſuorum præſentiâ miſſas, & alia divina officia celebrare, & tempore interdicti hujuſmodi divinis intereſſe; nec non Euchariſtiæ, & alia Eccleſiaſtica Sacramenta, præterquàm in die Paſchatis, recipere, & eorum decedentium corpora cum moderatâ funerali pompâ Eccleſiaſtica tradi ſepultura.* Quæ ſic in ſummario vertuntur: *Item concede a todos aquelles, que dentro no dito anno, fizerem outras pias eſmolas; em favor da ſuſtentaçam, e defenſam dos ditos lugares; que durando o tal tempo em qualquer oratorio, deputado ſomente para o culto divino, viſitado, e approvado pello Ordinario, e em outros lugares ainda que ſejam por authoridade Apoſtolica interdictos (com tanto, que nam haja dado cauza ao tal interdicto, ou nam eſte por elles, fazello levantar, lançando primeiro fora os excommungados, e interditos) poſſam, ſendo ſacerdotes, celebrar a miſſa licitamente, e nam o ſendo, acharſe prezentes a ella, e aos mais officios divinos; e aſſi receber a ſagrada communham, e todos os Sacramentos Eccleſiaſticos, excepto dia de Paſchoâ; E que morrendo, poſſam ſeus corpos ſer enterrados em ſepultura Eccleſiaſtica com moderada pompa funeral. Item concede aos Illuſtres, e as outras peſſoas nobres, que ſendo ſacerdotes poſſam dizer miſſa, e nam o ſendo fazellas dizer por outros ſacerdotes approvados, antes que amanheça hũa hora, contra depois domeio dia em ſua prezença, e de ſeus familiares, domeſticos, e parentes, tendo tambem primeiro para iſſo licença do Commiſſario General, excluindo os excommungados, e interdictos.*

2. Jam ſupra notavimus, Commiſſarium Generalem loco triennii in Bullâ Latinâ appoſito, tranſcribere: *dentro no dito anno* quia textus Bullæ à Gregorio XIV. emanavit, qui illam per triennium concedebat, & publicari jubebat: at Paulus V. qui illam conceſſionem ad ſexennium extendit; ſingulis annis publicari poſſe indulſit; quam facultatem poſtea S. S. Pontifices ſucceſſores etiam & extenſam, & conceſſam eſſe voluerunt, & hâc facultate utitur Commiſſarius, quando loco triennii in Bullâ Latinâ, tranſcribit: *durante eodem anno.*

3. Hæc eadem clauſula reperitur in Bullâ Hiſpanâ cum uno, vel altero diſcrimine, ſeu differentiâ, ſcilicet: quòd Bulla Hiſpana ad conſequenda hujus clauſulæ privilegia requirat preces Deo fundendas, pro unione Principum &c. Et quoties, quis uti privato oratorio voluerit; at Bulla Luſitana, alias pias eleemoſynas exigit. Aliud eſt; quòd in Bullâ Hiſpanâ conceditur ſine differentiâ perſonarum, de Commiſſarii Generalis licentiâ, ut poſſit quis celebrare, vel audire miſſam per horam ante lucem, & per horam poſt meridiem; at in Luſitanâ de eâdem Commiſſarii licentiâ ſolùm conceditur id privilegium illuſtribus, ac nobilibus perſonis. In aliis etiam aliqua dantur diſcrimina: ut decurſu diſputationum ſequentium, videbimus. At cum expoſitio hujus clauſulæ ſit nimis longa, placet illam in tres dividere diſputationes. Prima, & præſens erit de privilegiis Cruciatæ tempore interdicti. Secunda de privilegiis ejuſdem circa oratoria. Tertia de privilegio nobilibus conceſſo ad celebrandum ante auroram, & poſt meridiem.

SECTIO I.

Præmittitur brevis de interdicto explicatio.

4. UT intelligantur, quæ in prædictâ clauſulâ ſumentibus Bullam conceduntur; oportet cognoſcere naturam, ſpecies, & effectus interdicti, ut illis cognitis, percipiantur privilegia in illâ à S. Pontifice conceſſa; illa autem ſummariè perſtringemus.

5. Interdictum definitur: *Cenſura Eccleſiaſtica prohibens uſum aliquarum rerum, ut fidelium communem; & quatenus eſt uſus talium rerum.* Colligitur ex *cap. non eſt vobis, de ſponſal. & ex cap. quòd in te, de panit. & remiſſ.* & ex DD. Soar. *in 3. part. tom. 3. diſputat. 32. ſect. 1. num. 3. & 4.* Res autem, quas prohibet, ſunt primò,

primò divina officia, (quæ autem veniant *nomine divinorum officiorum*, vide apud Lezan. *tom.* 3. *in qq. Regul. verf. interdictum n.* 20. *& infra disp.* 23. *n.* 31. *&* 37. *&* 215.) Secundò aliqua ministrari Sacramenta, vel suscipi Eucharistiam, Ordinem, & extremam unctionem: cum hâc tamen ampliatione, quòd in articulo mortis potest recipi Eucharistia; & extrema unctio, quando in eo periculo quis non potuit recipere Sacramentum pœnitentiæ. Sic D. D. apud Leand. *tom.* 4. *tract.* 5. *disp.* 5. *q.* 19. *&* 36. Alia verò Sacramenta Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ, & satis probabiliter, Matrimonii, non prohibentur: ut videri potest apud D. D. quos affert Leand. *dict. tract.* 5. *disp.* 5. *q.* 1. §. 8. *&* 34. Tertiò prohibet Ecclesiasticam sepulturam.

6. Jure antiquo in *Cap. permittimus, de sent. excommun. Cap. quod in te, de pœnit. & remiss.* concessum erat Parochis, & Ecclesiarum Rectoribus tempore interdicti semel in hebdomadâ missam celebrare, pro conficiendâ Eucharistiâ, pro infirmis asservandâ. Concessum etiam erat clericis legere horas canonicas sine cantu: non tamen pluribus, quàm tribus simul. Demum concessum erat solùm pœnitentiæ Sacramentum, & viaticum morituris, & clericis, qui specialiter interdicti non essent, & interdictum generale servaverant, in cæmeterio sepeliri.

7. At jure novo *in Cap. Alma mater, de sent. excomm. in* 6. fuerunt prædicta moderata; nam concessum fuit tempore interdicti localis generalis clericis, & Regularibus utriusque sexus celebrare missas, & divina Officia in Ecclesiis, in quibus, cessante interdicto, possunt, exceptis oratoriis privatis, quanvis approbatis ad sacrificium. Sic Convar. *in Cap. alma mater, part.* 2. §. 4. *n.* 2. Rodrig. *in addit. ad* §. 5. *n.* 1. Sanch. *lib.* 7. *de matrim. disp.* 8. *n.* 12. At oratoria privata expressè comprehendit Soar. *de cens. disp.* 34. *sect.* 1. *n.* 8. Bonac. *tom.* 1. *disp.* 5. *punct.* 4. *propos.* 1. *n.* 12. Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 3. *dub.* 2. *n.* 5. & alii.

8. Ea concessio fuit cum hâc limitatione: dummodo prædicti causam non dedissent interdicto, & ea divina fierent januis clausis, submissâ voce, & non pulsatis campanis ad convocandum populum, exclusisque excommunicatis, & personaliter interdictis. Vide Bonacin. *disp.* 5. *de interdict. punct.* 5. Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 3. *dub.* 2. Leand. *ubi supra.* Non prohibetur tamen eo tempore pulsare campanas ad convocandum populum ad concionem, ad salutationem Angelicam. An verò prohibeatur ad elevationem Sacræ Eucharistiæ in missâ? Aliqui negant: ut Lezan. *tom.* 3. *verb. interdict. n.* 26. & Leand. *cit. disp.* 4. *q.* 27. Probabilius tamen concedunt alii, ut Gasp. Hurt. *de interd. difficult.* 7. *n.* 20. quia non pulsatur campanula ad convocandum populum, sed ad eos monendos, qui sunt in Ecclesiâ de reverentiâ exhibendâ. Et quanvis clericis, & Regularibus *in dict. cap. Alma mater*, non concedatur in Ecclesiâ sepeliri, quod majus est, quàm in cæmeterio; quia tamen in eâ divina Officia celebrare conceditur, inferunt Authores, etiam cum dictis conditionibus posse in ea sepeliri. Sic Hurt. *supra disc.* 9. *n.* 29. Bonac. *proximè n.* 13. Lezan. *cit. n.* 33. *in fine.*

9. Violantes interdictum, v. g. audiendo missam absque privilegio, vel quid simile agendo, etiam præciso contemptu, & scandalo, peccant mortaliter, Sic D. D. communiter, quos refert, & sequitur Leand. *supra allatus disp.* 8. *q.* 1. *& seqq.* Pœnas verò quas incurrunt Laici, illud violantes; invenies apud eundem Leand. *proximè q.* 15. & quas incurrunt clerici *q.* 16. *& sequentibus.*

10. Interdictum dividitur in personale, locale, & mixtum. Personale est illud, quo ipsis personis, divina Officia, Sacramenta aliqua, & Ecclesiastica sepultura prohibentur, modo *dicto à n.* 5. Locale illud dicitur, quod immediatè, & directè afficit locum, & indirectè, & mediatè personas, & eisdem prohibitionibus eas afficit. Mixtum illud vocatur, quod tam personas, quàm loca, illis prohibitionibus comprehendit. Quodlibet ex his subdividitur in generale, & speciale, seu particulare. Personale generale est, quando interdicitur populus, cujus appellatione in hâc materiâ etiam veniunt qui suburbia habitant, Universitas, Capitulum, Collegium, Communitas unum constituens corpus morale, & politicum. Personale speciale, seu particulare est, quando interdicitur hic, vel ille, etiamsi sint plures, vel quando interdicuntur omnes, qui tale commiserunt crimen, non ut partes communitatis, sed singuli, ut personæ particulares.

11. Interdictum Locale Generale est illud, quo interdicitur locus, qui à communitate incolitur, ut provincia, civitas, &c. per quæ loca etiam intélliguntur comprehensa suburbia *cap. si civitas, de excomm. in* 6. & Ecclesiæ Regularium exemptorum, in eis locis sitæ. Trident. *sess.* 25. *cap.* 2. *de reformat.* Castr. Pal. *tom.* 6. *tract.* 29. *disp.* 5. *punct.* 2. §. 1. *n.* 1. Interdictum locale speciale, seu particulare est illud quo interdicitur locus particularis, vel loca particularia, hæc illa, & illa Ecclesia, non ut partes communitatis, sed ut particulares Ecclesiæ. Cast. Pal. *proximè punct.* 1. *n.* 4.

12. De interdicto, prout est mera pœna in vindictam peccati commissi, mentionem non facio, quia vel rarò, vel nunquam ut tenet Bard. *part.* 2. *tract.* 6. *cap.* 7. *à n.* 17. imponi solet. Interdictum verò ab ingressu Ecclesiæ est, quoddam personale, & speciale interdictum, ab alio distinctum; quia hoc privat participatione divinorum in Ecclesiâ tantùm, aliud verò in omni loco. Videatur Soar. *citat. disputat.* 33. *sect.* 4. Castr. Pal. *citat. dict. disputat.* 5. *punct.* 4. §. 4. *n.* 1.

SECTIO II.

Quæ in prædictâ clausulâ sumentibus Bullam concedantur, & quibus conditionibus?

13. EX dictis sectione præcedente facile est cognoscere, quinam favores in hâc clausulâ à S. Pontifice concedantur. Primò enim conceditur, ut habens Bullam per se ipsum, si est sacerdos, vel per alium, aut alios possit celebra-

lebrare missam tempore interdicti in Ecclesiis, seu in oratoriis privatis. Secundo, ut reliqua divina officia, vel per se ipsum, vel per alios valeat celebrare. Tertiò, ut possint missæ, & reliquis divinis officiis cum Bullam habente assistere familiares, domestici, & ipsius consanguinei. Quartò, ut possit tempore interdicti, & extra illud, tam in Ecclesiis, quàm in privatis oratoriis, recipere Eucharistiam, & alia sacramenta, præterquàm in die Paschatis. Quintò, ut possit celebrare, si est sacerdos, per se ipsum, vel per alium, aut alios, per horam antequam dies elucescat, vel per horam post meridiem, habitâ ad id facultate Commissarii, dummodo sit nobilis. Sextò, ut possit ejus corpus post mortem tempore interdicti cum moderatâ pompâ funerali Ecclesiasticæ tradi sepulturæ. Hæc expressè ex prædictâ clausulâ colliguntur.

14. Hi favores sub aliquibus conceduntur conditionibus. Prima est, ut oratorium, in quo prædicta divina celebrari debent, sit duntaxat ad divinum cultum deputatum, & ab Ordinario sit visitatum, & approbatum. Secunda, ut habens Bullam non dederit causam interdicto, nec per ipsum stet quo minus amoveatur. Tertia, ut prædictis favoribus utentes aliquas pias eleemosynas faciant pro manutentione militum prædictorum locorum Africæ.

15. An verò hi favores habeant locum non solùm in interdicto generali locali, sed etiam in interdicto speciali, seu particulari locali, dicemus *infra sect.* 23. in uno, & altero habere locum; nec non quando aliquod illorum fuerit pœnale; non tamen in interdicto ab ingressu Ecclesiæ, quæ licèt sint contra Expositores Bullæ Hispanæ, conceduntur tamen in Bullâ Lusitanâ. Vide *citat. sect.* 23. ubi de his erit sermo.

SECTIO III.

An tempore interdicti non solùm in oratorio, sed in aliis locis prædictis privilegiis uti possit?

16. HAnc instituo quæstionem propter differentiam, quæ datur inter Bullam Lusitanam, & Hispanam, in hâc enim expressè conceditur: *ut possint in Ecclesiis, in quibus aliàs divina officia, interdicto durante quomodolibet celebrare permissum fuerit, vel in privato oratorio . . . etiam in tempore interdicti.* at in Bullâ Lusitanâ dicitur; ut *liberè possint in privato oratorio ad divinum cultum duntaxat deputato, ab Ordinario loci approbando, & visitando, etiam in locis interdicto suppositis.*

17. Ubi nota primò: Verba Bullæ Hispanæ extendere privilegia, pro oratorio privato concessas, etiam ad tempus extra interdictum; verba verò Bullæ Lusitanæ non ad tempus extra interdictum, sed ad loca, quæ sunt interdicto suppositæ, extendunt. Unde cùm dictio *etiam* in utriusque Bullæ clausulis sit talis naturæ, ut exprimat casum magis dubitabilem, & implicet minus dubitabilem, ut constat *ex lib. etiam ff. de verb. signif.* & aliis, & D. D. apud Barbos. *in tract. Var. tract. de dict. usu frequent. dict.* 112. *num.* 1. Inde est, quòd dictio *etiam* in Bullâ Hispanâ exprimendo privilegia pro oratorio privato ad tempus interdicti, quod erat magis dubitabile, illa implicat, extendit, & augmentat ad omne aliud tempus extra interdictum. At in Bullâ Lusitanâ, eadem dictio *etiam* exprimendo loca interdicto suppositæ, quod erat magis dubitabile, implicat, extendit, & augmentat privilegia ad omnia alia loca extra interdictum.

18. Nota secundò, ex præfato discrimine in verbis utriusque Bullæ oriri, quòd majus sit privilegium, quod in prædictis verbis datur in Bullâ Lusitanâ, quàm sit quod conceditur in Bullâ Hispanâ: & hoc ostenditur: quia dictio *etiam* exprimendo magis dubitabile in Bulla Lusitana, nempe: loca interdicto suppositæ, super quæ immediatè cadit, expressè concedit, quòd possit uti privilegiis *num.* 13. *relatis* in omnibus locis, sive sint interdicto generali, sive speciali suppositæ, sive non; quia absque aliqua limitatione conceditur, quòd possit uti privilegiis *etiam in locis interdicto suppositis.* At in Bulla Hispana, cùm dictio *etiam*, exprimat magis dubitabile, nempe: tempus interdicti, super quod immediatè cadit, concedit tantùm, quòd possit uti dictis privilegiis tempore interdicti generalis loci; quia hoc tantùm tempore, & non aliàs permissum erat, tempore interdicti celebrare, sive extra id tempus. Hæc tamen *infra sect.* 27. elucidabuntur. Quia tamen in præsenti solùm agimus de extensione ad alia loca, orta ex dictione *etiam* in Bullæ Lusitanæ & Hispanæ clausulis inserta; ut nullum dubium in futurum reviviscat; ut temporibus elapsis ortum fuit inter viros doctissimos, juxta dicenda *sect. sequenti*, operæ pretium est, hoc loco inferere vim hujus dictionis *etiam*, ex cujus intelligentia patebit discrimen, quod generat in clausula utriusque Bullæ, tam Lusitanæ, quàm Hispanæ.

19. Ut vis dictæ dictionis *etiam* intelligatur, præ oculis habendum est subjectum, circa quod, immediatè versatur, vel supra quod immediatè cadit; & in hoc etiam dari potest deceptio, si unum applicetur significatum alteri; cui non est applicandum. Exemplis natura hujus dictionis patefiet; & quia versari solet circa locum, ut in Bullâ Lusitanâ; circa tempus, ut in Bullâ Hispanâ; circa actiones, circa personas &c. de his omnibus affero exempla, ex quibus natura dictæ dictionis clarius apparebit.

20. Primum sit de loco, si v. g. dicas: *Hoc anno fuit maxima penuria tritici, etiam in Transtaganâ provinciâ.* In quo, dictio *etiam* exprimit magis dubitabile, scilicet: fuisse penuriam tritici in Transtaganâ provinciâ; & implicat, & auget minus dubitabile, scilicet locum, & non tempus, & facit hunc sensum: fuisse in toto Regno tritici penuriam.

21. Secundum sit circa tempus, siquis v. g. dicat: *Petrus abstinet se ab immoderato vino, etiam in hieme.* Et in hoc, dictio *etiam* exprimit

magis dubitabile, nempe: Petrum in hieme abstinere se ab immoderato vino; & implicat, augetque minus dubitabile, nempe, tempus, & non locum; & facit hunc sensum: Petrum, & in æstate, & in hieme se abstinere ab immoderato vino.

22. Tertium respicit actiones; si v. g. velis dicere de Paulo esse à murmurationibus alienum, & dicas: *Etiam de inimicis recte loquitur.* In quo, per dictionem *etiam* exprimis magis dubitabile, scilicet, Paulum rectè loqui de inimicis; & implicas, augesque minus dubitabile, nempe: actiones Pauli; & non locum, aut tempus; & significas, Paulum, non solùm de inimicis, sed etiam de omnibus aliis, rectè loqui.

23. Quartum versatur circa personas, si v. g. affirmes de pueris hujus Regni: *etiam esse bellatores:* In quo, dictio *etiam* exprimit magis dubitabile, nempe: pueros esse bellatores; implicatque, & auget minus dubitabile, nempe: adolescentes, viros, & senes esse bellatores; & hæc implicatio est circa personas, & non circa locum, tempus, aut actiones.

24. Ex his exemplis sequitur, quando in propositionibus dantur dictiones implicativæ, attendendum esse ad subjectum, circa quod immediatè versatur dictio, & supra quod immediatè cadit; & ex defectu hujus attentionis, non eodem modo philosophandum est, supra dictionem *etiam* insertam in clausulis prædictis Bullæ Lusitanæ, & Hispanæ: nam in clausulâ hujus, dictio *etiam* implicat tempus; quia immediatè versatur, & immediatè cadit supra tempus, ibi: *Etiam in tempore interdicti.* At in clausulâ Bullæ Lusitanæ, implicat loca, & non tempus; quia immediatè versatur, & immediatè cadit supra loca, ibi: *Etiam in locis interdicto suppositis.* Et ex his apparebit ratio pro sequenti quæstione.

SECTIO IV.

Proponitur germana ratio, cur privilegia concessa in Bullâ pro tempore interdicti vigeant etiam extra illud?

25. QUoniam de dictâ dictione *Etiam* hic incidit sermo, examinanda est ratio, cur extra tempus interdicti, in oratoriis privatis ab ordinario designandis, & approbandis vigeant privilegia Bullæ; cùm juxta Brevia Pontificia, una tantùm missa in illis quotidie celebrari possit, exceptis diebus solemnioribus, in quibus nec una quidem celebrari permittitur. Et cum sæpius occurrat occasio plures eâdem die celebrandi; insurgit dubium, an ex dictione *Etiam* in prædictâ clausulâ positâ extendatur privilegium Bullæ ad tempus extra interdictum; nam in Bulla Hispana dicitur: *Etiam tempore interdicti*, & in Bulla Lusitana: *Etiam in locis interdicto suppositis.*

26. Expositores Bullæ Hispanæ communiter docent, dictum privilegium extendi ad tempus extra interdictum. Sic Rodrig. *in addit. ad* §. 5. *num.* 1. Ludovic à Cruce *disp.* 1. *cap.* 5. *dub.* 1. Trullench. *lib.* 1. §. 3. *dub.* 4. *n.* 10. Bard. *part.* 2. *tract.* 2. *cap.* 6. *n.* 7. Mendo *disp.* 16. *a n.* 8. Tambor. *in method. celebr. miss. lib.* 1. *cap.* 4. §. 4. *n.* 37. & alii. Probant facile ex verbis ipsius Bullæ, in quâ id conceditur sine restrictione non solùm ad tempus interdicti, sed etiam ad omne aliud: ut indicat dictio *etiam* addita tempori interdicti; quæ cùm sit implicativa, & augmentativa (*ut n.* 17. notavimus ex legibus, & DD. apud Barbos. *cit. dict. disc.* 112. *n.* 1.) facit hunc sensum: Non solùm conceditur, ut possit celebrari omni tempore, in quo non est interdictum, quod est minus; sed etiam tempore interdicti, quod est majus: Alia plura adducit Bard. *loco citat.* in confirmationem hujus sententiæ, quæ sanè his adductis ab eo, rectè procedit; & ex illo aliqua *supra* attigimus.

27. Idem dicunt, juxta Bullam Lusitanam, omnes, qui hoc dubium attigerunt in suis scriptis, vel de illo fuerunt consulti, in communibus interrogationibus. Sic Mascarenh. *de sacrament. tract.* 5. *disput.* 5. *cap.* 5. *num.* 288. Commissarius Generalis D. D. Anton. Mascarenâs. *in Relat. ad Urbanum VIII. fol.* 28. *Vers. Nas quaes palavras*; & Authores cujusdam Concilii *in eadem Relatione fol.* 41. *num.* 3. *& fol.* 42. *num.* 2. Probant Mascarenâs, & Authores Consulti ex verbis Bullæ Originalis, quæ in Archivo servatur, quæ ita habent: *Etiam in locis interdicto, quàvis etiam authoritate, suppositis.* Et D.D. Antonius Mascarenâs ex dictione *etiam* eo modo, quo Expositores Bullæ Hispanæ, ut *num. praecedente vidimus*, quem modum probandi etiam sequuntur consulti de hâc re, magis authoritate D. D. exponentium Bullam Hispanam inniti, quàm verbis Bullæ Latinæ Lusitanæ concessæ, quam fortasse non viderunt.

28. Cæterùm ex dictis per totam sectionem præcedentem clarè constat, non bene probari extensionem privilegii celebrandi in oratorio privato tempore interdicti, ad tempus extra interdictum ex dictione *etiam*, quæ licèt sit implicativa, & augmentativa, & exprimat casum magis dubium, & minus dubium comprehendat, ut dicunt, & bene; non tamen bene inde inferunt, quòd implicet, seu explicet tempus. Quia licèt sit verum juxta Bullam Hispanam, in quâ dictio *etiam* implicat, & augmentat tempus; quia immediatè versatur circa tempus; & supra tempus immediatè cadit; non tamen est verum, juxta Bullam Lusitanam, in quâ dictio *etiam* non est implicativa, seu explicativa temporis, sed loci, quem implicat, & augmentat; quia circa loca immediatè versatur, & supra loca immediatè cadit, ibi: *Etiam in locis interdicto, quàvis authoritate, suppositis.* Fateor, prædictos Authores, & Consultores casuum conscientiæ sequutos fuisse Expositores Bullæ Hispanæ; quia nullum habebant Authorem, à quo expositionem Bullæ Lusitanæ in hoc puncto acciperent; at ex dictis in *sectione praecedente* satis liquet, non rectè processisse.

29. Unde ergo desumenda est ratio celebrandi missam in oratorio privato non solum in tempore interdicti, sed etiam extra illud tempus? Respondeo ex ipsa clausula, quam *in principio hujus disput. num.* 1. transcribimus, in quâ S. Pontifex absolutè, sine ullâ temporis, & numeri missarum differentiâ, id concedit, ibi:

Ut

Ut liberè possint in privato oratorio ad divinum cultum dumtaxat deputato... per se ipsos, si præsbyteri sint, seu per alium, vel alios sacerdotes &c. Si ergo S. Pontifex hoc privilegium non restringit ad unam tantùm missam, nec nos illud restringere debemus. Addo, ad hanc absolutam concessionem, ne daretur locus ambigendi, an tempore interdicti possint divina in privato oratorio celebrari; quia ibi, de eo non fecit mentionem, ut fecit in Bullâ Hispanâ, statim adjunxisse hæc verba: *Et tempore interdicti hujusmodi divinis interesse.* Ex dictis in hâc sectione indubitatum manet, posse habentem Bullam Lusitanam gaudere privilegiis hujus clausulæ, tam intra, quàm extra tempus interdicti, tum in Ecclesiis, tum in oratoriis privatis, ab Ordinario approbatis, datis conditionibus statim exponendis, & *supra num.* 14. designatis. De hâc tamen quæstione iterum redibit sermo *disp.* 22. *sect.* 7.

30. Dices primò: Prædicta verba proximè allata, non debent intelligi de facultate celebrandi in oratorio privato extra tempus interdicti, sed de privilegio concesso ex facultate Commissarii personis nobilibus; nam post illud ponuntur dicta verba: Ergo non rectè ex illis probavimus, extra tempus interdicti posse in oratorio privato celebrari missas. Respondeo, negando antecedens; quia de oratorio privato, & non de facultate concessâ nobilibus intelligenda sunt dicta verba Pontificis; quia in illis conceditur, quòd possint habentes Bullam per se ipsos, si præsbyteri fuerint, seu per alium, seu alios sacerdotes in suâ, ac familiarium, domesticorum, & consanguineorum suorum præsentiâ; quæ verba ad oratorium privatum sunt accommodanda, & non ad facultatem per Commissarium concessam personis nobilibus ad celebrandum per horam ante auroram, & per horam post meridiem; nam si ex hoc privilegio celebrent in Ecclesiis, vel faciant celebrare personæ nobiles; eam missam celebratam eo tempore possunt audire absque privilegio earum familiares, domestici, ac consanguinei, sicut alii fideles carentes Bullâ; non tamen in oratorio privato, nisi qui sunt expressi: quia non datur textus, qui hoc prohibeat.

31. Dices secundò: Eadem verba, ex quibus probamus, posse extra tempus interdicti celebrari plures missas in oratorio privato, dantur etiam in Bullâ Hispanâ; ut videre est apud Mend. in principio elucidationis Bullæ: Et tamen Expositores dictæ Bullæ non probant hoc privilegium ex illis, sed ex aliis, nempe: *Etiam tempore interdicti*, ut vidimus *num.* 26. Ergo etiam juxta Bullam Lusitanam, idem debet probari ex illis verbis: *Etiam in locis interdicto suppositis*, quæ ponuntur mox post privilegium oratorii privati, in eodem loco, quo ponuntur dicta verba Bullæ Hispanæ; ut ex illis probabant Authores *num.* 27. *cit.* Respondeo primò concedendo majorem, & minorem, & negando consequentiam, quia ex dictis *sectione præcedente num.* 17. *& à num.* 19. apertè constat, dictionem *etiam* in Bullâ Lusitanâ non esse implicativam, nec augmentativam temporis, ut est in Bullâ Hispanâ, sed esse implicativam, & augmentativam loci, circa quem immediatè versatur, & supra quem immediatè cadit, ut vidimus. Unde ex illâ dictione *etiam* non poterat probari nostra conclusio; quæ est circa tempus, quo missa debet celebrari virtute Bullæ in oratorio privato. Quòd verò expositores Bullæ Hispanæ non probent suam conclusionem ex eisdem verbis, ex quibus eam probamus, nihil contra nos; nam illi optimum habent fundamentum, ex quo illam probent, ut vidimus: at nos ex eodem fundamento illam ita bene probare non possumus, ut dictum est; & si hæc solutio non satisfacit, aliam evidentiorem, quæ mihi insinuetur, libenter amplectar. Respondeo secundò, concedendo consequentiam, quia etiam ex prædictis verbis, *etiam in locis interdicto suppositis*, poterat probari extra tempus interdicti posse celebrari plures missas in oratorio privato: quia dictio *etiam* juxta suam naturam, facit hunc sensum: Non solùm conceditur, ut possit celebrari in omni loco, in quo non est interdictum, quod est minus; sed etiam in omni loco, in quo est interdictum, quod est majus: cùm ergo extra tempus interdicti localis non sit interdictum in locis, ubi sunt oratoria, in illis ex vi dictorum verborum, ibi poterit celebrari. Quanvis enim dictio *etiam* in dictis verbis, immediatè implicet loca, & non tempus, ex eâ locorum implicatione mediatè sequitur, quando in locis non datur interdictum, posse in illis, plures celebrari missas.

SECTIO V.

Quænam eleemosyna ad acquirenda hæc privilegia requiratur?

32. UT privilegia hujus clausulæ à Bullam habentibus acquirantur, requirit S. Pontifex, ut aliæ piæ eleemosynæ pro manutentione militum elargiantur. Et plures occurrunt difficultates ad illius expositionem. Prima circa eleemosynæ quantitatem. Secunda, an eleemosyna sit de substantiâ hujus privilegii? Tertia, an saltem sit de præcepto? Quarta, quæ personæ ad illam elargiendam obligentur? Quinta, an quoties, quis utitur aliquo ex privilegiis *n.* 13. recensitis, specialem debeat erogare eleemosynam? Sexta, an etiam requiratur Commissarii licentia? De his omnibus sigillatim dicendum. De primâ in hâc sectione, de aliis in sex sequentibus.

33. Prima difficultas petit, quænam pecuniæ quantitas sit elargienda pro qualibet vice, quâ quis utitur aliquo ex prædictis privilegiis, v. g. pro celebrandâ secundâ, vel tertia missâ, aut pro suscipienda semel sacra communione in privato oratorio &c? Respondeo, sufficere, elargiri aliquam monetam æream parvi valoris, Ita Mascarenh. *de sacram. tract.* 5. *disput.* 5. *cap.* 5. *num.* 288. *Vers. Accedit, in fine*, licèt ibi non distinguat, an ea parva eleemosyna debeat erogari pro qualibet vice, qua quis gaudet aliquo hujus clausulæ privilegio, an pro omnibus, quibus, eo durante anno, gaudebit; hoc tamen *infra* examinabitur. Probo assertum primò: quando enim aliqua eleemosyna indefinitè injungitur ad aliquam consequendam indulgentiam, sufficit dare parvam; si hæc de se sit sufficiens, & proportionata operi injuncto: ut docent

Henriq. *lib. 7. cap. 10. & in commento litt. R.* Soar. *tom. 4. in 3. part. disp. 52. sect. 8. n. 5.* Fragos. *tom. 2. disp. 6. §. 4. n. 36. in fine* loquentes de eleemosynâ in jubilæo duarum hebdomadum præscripta: Ergo etiam sufficiet quælibet parva eleemosyna ad privilegia prædicta, cùm quælibet sit ad quodlibet ex illis proportionata.

34. Probo secundò à simili; quia expositores Bullæ Hispanæ, in quâ præscribuntur ad hæc privilegia lucranda aliquæ preces pro unione Principum Christianorum contra infideles, eorumque contra eosdem infideles victoriâ, docent sufficere quamcumque brevissimam orationem. Sic Bard. *part. 2. tract. 2. cap. 3. n. 42.* Tamborin. *in Bull. cap. 7. n. 4.* ubi ait, sufficere unum Pater, & unum Ave; & *lib. 1. method. celebr. miss. cap. 5. §. 4. n. 41.* sufficere unum Ave, nec multum dissidet Mend. *disp. 15. n. 17.* dum se remittit ad *infrà* dicenda, de visitatione Ecclesiarum, & altarium; ubi asseruit, sufficere duo Pater, & duo Ave ut *supra* in eodem loco de illo retulimus: Ergo etiam juxta Bullam Lusitanam, in quâ non preces, sed piæ eleemosynæ pro manutentione militum præscribuntur, sufficiet minima eleemosyna pecuniæ æreæ.

35. Dubitabis: Cui debeant hæ tradi eleemosynæ? Respondeo, cum Mascarenhas *supra cit.* projici debere in capsulâ, quæ in Ecclesiis, ad eleemosynas votorum commutationum, & ad similes exponitur.

SECTIO VI.

An prædictæ eleemosynæ sint de substantiâ hujus privilegii?

36. SEcunda difficultas: An eleemosynæ in Bulla præscriptæ sint de substantiâ hujus privilegii, ut si illæ non elargiantur, sit irritum privilegium? Pro parte affirmativâ dubium ingerit: quia quoties lex tribuit facultatem actus faciendi, & simul modum præscribit, talis modus censetur inductus, ut substantialis forma: ut constat ex *cap. dilecti, de rescript. cap. venerabili, junctâ Gloss. de Offic. delegat.*, quia censetur dans potestatem dare illam limitatam: hoc est, sub illâ formâ servandâ, & non aliàs; & cùm ex defectu potestatis actus ruat., ruit actus ob non servatam talem formam. Et hoc est verum, etiamsi non apponatur clausula irritans, ut tenet *Clem. 1. de jur. patron. verb. inhibentes* Felin. *in cap. ex parte, de const. in principio*, Panormit. *ibi n. 5.* & probat Castr. Pal. *tom. 1. tract. 3. disp. 2. punct. 9. n. 2.* Sed S. Pontifex in hâc clausulâ concedit facultatem actus, seu privilegia in designatâ formâ faciendi præscribendo modum, seu eleemosynas: Ergo tales eleemosynæ censentur inductæ, ut forma substantialis.

37. Ab hâc difficultate se expedient Bullæ Hispanæ expositores; quia preces præscriptæ ad usum oratorii, non ponuntur exercendæ ante usum oratorii, sed post illum inceptum: ergo preces non possunt esse de essentiâ. Sic Bard. *proximè n.* 44. Tambor. *cit. loco decalog.* At in Bullâ Lusitanâ eleemosynæ non ponuntur exercendæ, post usum oratorii, sed ante illum, ibi: *Alias pias eleemosynas fecerint, pariter concedimus, ut, eodem durante triennio, liberè possint in privato oratorio &c.* Nota, eleemosynas prius à S. Pontifice exigi, & postea fieri viam ad privilegia.

38. Mascarenh. ubi *supra Vers. Quod probo*, existimat, adimpletionem eleemosynarum esse conditionem non necessariam ad valorem hujus privilegii, sed tantùm præceptum sub veniali obligans; & in illius probationem affert DD. Bullam Hispanam exponentes; qui id asserunt, ut videbimus *sequenti sectione.* Id tamen probari potest; quia quando alicui datur aliqua potestas, & simul præcipitur forma apponenda, quæ in jure communi inest accidentaliter, non præsumitur exigi substantialem; ut docet Castr. Pal. *supra num. 3.* sed hæ eleemosynæ à S. Pontifice expostulatæ, si non formaliter, æquivalenter insunt in jure communi: ergo non est præsumendum, exigi pro formâ substantiali, sed tantùm accidentaliter.

39. Major probatur exemplo matrimonii: si enim quis alicui det mandatum, ut suo nomine contrahat, præmissis denuntiationibus; & mandatarius denuntiationes omittat, contractus matrimonii est validus; quia non censetur mandans, aliam conditionem postulare, quàm à jure postulatur: cùm verò à jure denuntiationes sint requisitæ de solemnitate accidentali, & non substantiali: ut docet Sanch. *lib. 3. de matrim. disp. 5.* sequitur, mandantem non alio modo postulasse eam conditionem. Idem dicendum de Parocho alicui sacerdoti licentiam concedente assistendi matrimonio, diligenti examinatione præmissâ, an detur impedimentum; sacerdos verò id omisit; quia tamen est veluti forma accidentalis, ut tenet Sanch. *proximè num. 4.* Basil. *lib. 5. de matrim. cap. 39. num. 6.* Salas *disp. 16. sect. 9. n. 39. Vers. Unde hæc differentia* matrimonium fuit validum: Ergo etiam quando alicui datur aliqua facultas, & simul præcipitur aliqua forma, quæ in jure communi inest accidentaliter, non præsumitur exigi pro forma substantiali.

40. Minor, in quâ est difficultas, ostenditur: quia Trullench. *in Bull. lib. 1. §. 3. dub. 5. num. 4.* Bard. *part. 2. tract. 2. cap. 3. num. 50.* asserunt, ideo imponi preces in Bullâ Hispanâ, ut illam habentes, memores sint Ordinationis Concil. Trident. *sess. 22. de observand. & evitand. in celebr. miss.* ubi præcipitur, ut in privatis oratoriis sacrum non celebretur, *nisi prius, qui interfuit decenter composito corporis habitu, declaraverint, se mente, ac devoto cordis affectu, non solùm corpore, adesse.* Si ergo preces in Bullâ Hispanâ imponuntur, ut fideles memores sint decreti Concil. Trident., etiam dicere possumus pias eleemosynas in Bullâ Lusitanâ imponi; ut fideles memores sint illius decreti; non enim datur dispar ratio: quia si ibi mentio de eleemosynis non fit, etiam de precibus non fit: cùm verò ea, quæ in Conc. apponuntur, non ad formam substantialem, sed accidentalem sint appositæ; idem videtur dicendum de appositis eleemosynis in clausulâ Bullæ Lusitanæ.

41. Nihilominus existimo, pias eleemosynas in Bullâ Latinâ appositas esse conditionem, sine quâ validè obtineri non possunt privilegia in hâc clausulâ concessa; ut expressè & clarius constat ex verbis Bullæ, ibi: *Qui alias pias eleemosynas fecerint, pariter concedimus, ut eodem durante triennio libere possint in privato oratorio &c.* Ubi nota, dictionem *pariter* importare identitatem, & similitudinem juris: ut ostendit Barbos. *de diction. 245.* ex jure & DD. Sed ipsa Bulla, quæ est quod:

quoddam jus, ante hanc clausulam dixerat primò: *Qui pro facultatibus, eleemosynas pro manutentione militum contulerint, indulgentiam plenissimam consequi, si corde contriti, & ore confessi, & sacrâ communione refecti fuerint.* Secundò: *Et alias denuo conferentibus eleemosynas, concedi aliam plenissimam indulgentiam, ut supra post primos sex menses.* Tertiò: *Si pro animabus in purgatorio existentibus toties eleemosynas contulerint, eas a pœnis liberari.* Et concessâ sine aliâ eleemosynâ bonorum operum participatione, quæ in militante fiunt Ecclesiâ, statim adjunxit: *Illis quoque, qui ut præcipitur, contulerint, ac etiam aliis, qui intra dictum triennium in manutentionis hujusmodi subsidium, alias pias eleemosynas fecerint, pariter concedimus, ut eodem durante triennio, liberè possint in privato Oratorio &c.* Ex quibus omnibus eleemosynis numeratis.

42. Sic validam conficio hujus mei asserti probationem: Dictio *pariter* ex suâ naturâ indicat cum præcedentibus eandem identitatem, & similitudinem juris: sed eleemosynæ in præcedentibus Bullæ juribus sunt veluti conditiones, sine quibus privilegia non obtinentur; quia si eleemosyna à Commissario designata pro Bullâ non elargiatur, indulgentia plenissima, & alia privilegia non obtinentur: & si denuo eleemosyna designata pro jubilæo sex mensium non donetur, jubilæus non consequitur; & si pro qualibet Bullâ defunctorum eleemosyna non tradatur, defuncti anima à purgatorii pœnis, non liberabitur: ergo pariter, si eleemosynas non conferas pro privilegiis oratorii privati, & cæterorum, quæ in hâc clausulâ conceduntur, illa validè lucrari non poteris.

43. Ad fundamentum oppositum respondeo, negando minorem; & illius probatio nihil arguit contra nos; quia quanvis eleemosynæ in Bullâ appositæ sint, ut fideles memores sint dispositionis Concil. Trident. circa privata oratoria; hoc tamen non convincit, primò: quia illæ non sunt appositæ in eo decreto, nec de illis in eo aliqua fit mentio. Secundò: quia illæ in eo decreto apponuntur, non ut forma accidentalis, sed ut substantialis apposita esse videntur, ut consideranti patebit; & licèt sint appositæ, ut forma accidentalis, eleemosynæ in hâc clausulâ sunt appositæ, ut conditio sine quâ non, ut ostendimus *supra*.

44. Dices primò: Commissarius Generalis de his eleemosynis in advertentiis ad sumentes Bullam nullam facit mentionem: ergo ex eo est, quia illas non existimat, ut conditionem necessariam. Respondeo, negando consequentiam: quia ex eo, quòd Commissarius de dictis eleemosynis mentionem non faciat; non bene arguitur, illas non esse de substantiâ hujus privilegii; sufficit enim, quòd id deducatur ex Bullâ plumbeâ, quod re verâ deducitur, ut ostendimus *n.* 41. & 42. Addo Commissarium, quando ab eo exigitur licentia à nobilibus, ut possint uti privilegio celebrandi, vel facere celebrare missam per horam ante auroram, vel per horam post meridiem, statim jubere tradi eleemosynam, & sic ante usum privilegii, conditio sine quâ, datur: Si verò in aliis privilegiis hujus clausulæ licentia ab eo non postuletur, quod necessarium non est, ut *infra sectione* 10. ostendemus sufficit, quòd projiciatur in capsulis in Ecclesiis existentibus ea eleemosyna; ut per multos annos fiebat de eleemosynâ jubilæi sex mensium, ut jam *supra* notavimus.

45. Dices secundò: Preces in Bullâ Hispanâ ad hæc privilegia acquirenda sunt conditio non necessaria, ut docent Avil. Henriq. Rodrig. apud Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 3. *dub.* 5. *n.* 4. & esse tantùm præceptum, tenent plures, quos initio hujus *sequentis sect.* citabimus; & esse tantùm modum per dictionem *dummodo* in Bullâ Hispanâ appositam significatum, docet Barbos. *cit. in dict.* 95. *n.* 2. ubi cum pluribus asserit, esse modum, & non conditionem. Et cum Sanch. *lib.* 3. *de matrim. disp.* 33. *n.* 2. Tamborin. *in method. celebr. miss. lib.* 1. *cap.* 4. §. 4. *n.* 41. ergo etiam eleemosynæ in Bullâ Lusitanâ requisitæ non conditionem necessariam, & sine quâ non, sed vel conditionem non necessariam, vel præceptum, vel modum indicabunt. Respondeo, negando consequentiam: quia preces in Bullâ Hispanâ eam amplitudinem admittunt opinandi, ex verbis quibus adjunctæ: at eleemosynæ in Bullâ Lusitanâ ex verbis, quibus adjunguntur, id non patiuntur, ut *supra* probatum remanet.

SECTIO VII.

An prædictæ eleemosynæ sint de præcepto?

46. EXpositores Bullæ Hispanæ asserunt, preces fundendas pro acquisitione privilegiorum istius clausulæ esse in præcepto: at cùm præceptum sit in materiâ levi, earum omissionem non esse peccatum mortale, sed tantùm veniale. Sic Henriq. *lib.* 13. *cap.* 48. *n.* 4. *in fine* Avil. *de cens. part.* 5. *disp.* 4. *sect.* 2. *dub.* 7. §. 5. Rodrig. *in Bull.* §. 5. *n.* 4. Villal. *tract.* 27. *claus.* 4. *n.* 13. Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 3. *dub.* 5. *n.* 4. Dian. 1. *part. tract.* 11. *resol.* 2. *in fine*, Bard. *part.* 2. *tract.* 2. *cap.* 3. *n.* 46. Mend. *disp.* 15. *n.* 17. Et Doctores Juristæ, & Theologi Salmanticenses, & Commissarius Generalis Episcopus Lucensis apud Henriq. Et esse præceptum, facilè probatur: quia in Bullâ Hispanâ id præcipitur per verbum *teneantur*, quod præceptum importat: ut cum pluribus tenet Bonac. *tom.* 2. *disp.* 1. *de leg. q.* 1. *punct.* 7. §. 4. *n.* 6. & cum sit in materiâ levi ad mortale non obligat: ut cum communi D. D. idem Bonacin *cit. n.* 13.

47. Procedit ergo hæc tertia difficultas juxta Bullam Lusitanam? Et Mascarénas ubi *supra dict. tract.* 5. *disp.* 5. *cap.* 5. *n.* 288. *vers. quod probo, in fine* asserit, etiam erogationem eleemosynarum, quæ à Bullâ Lusitanâ exigitur ad hæc privilegia, esse præceptum, & hoc obligare sub veniali.

48. Hæc tamen resolutio displicet primò, quoad præceptum; quia in Bulla Lusitanâ nullum datur verbum, quod præceptum indicet, sicut exprimitur in Bullâ Hispanâ: apponuntur enim in Bulla Lusitana hæc verba: *Qui alias pias eleemosynas fecerint, pariter concedimus, ut eodem durante triennio, liberè possint in privato oratorio &c.* quæ nullum important præceptum, sed tantùm conditionem necessariam, sine qua privilegia in hac clausula concessa validè non acquiruntur, ut *sectione præcedente* ostendimus.

49. Displicet secundò, asserens peccare tantùm venialiter, si non impleta eleemosyna, ali-

quo privilegio hujus clausulæ quis utatur: quia hoc est falsum, juxta Bullam Lusitanam, in quâ eleemosynæ exiguntur, ut conditio sine quâ validè privilegium non acquiritur, ut *sect. precedente dictum remanet*; quare siquis aliquibus hujus clausulæ privilegiis in oratorio privato utatur, absque dubio peccatum mortale committit.

50. Affero exemplum, ex quo hæc resolutio ostendetur *n.* 52. habet quis Breve Pontificium oratorium privatum concedens missamque unam tantùm pro uno quoque die, diebus Resurrectionis, Pentecostes, & Nativitatis D. nostri JESU Christi, nec non aliis solemnioribus anni exceptis. Nomine autem *aliis solemnioribus festis* veniunt, juxta decretum S. rituum Congregationis apud Gavant. *in rubr. miss. part.* 1. *tit.* 10. §. *secundum quoque*, dies Natalis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Annunciationis, & Assumptionis B. Virginis, Festum S. S. Petri, & Pauli, & Festum omnium Sanctorum. Additque Bard. *part.* 2. *tract.* 2. *cap.* 6. *n.* 17. festa Patronorum principalium locorum. At si praxis eos non introduxit, Gavantus id non admittit, etiamsi dicat, ordinarios optare, quòd addantur.

51. Desiderat ergo habens Bullam, non unam tantùm, sed plures missas eâdem die, in eodem oratorio celebrari; etiam in illis solemnioribus; quo privilegio uti potest virtute hujus clausulæ, ut *infra disp.* 12. *sect.* 7. dicitur; sed eleemosynas à Bullâ requisitas erogare non curat (non ex eo quòd non advertit, & bonâ fide hoc privilegio usus fuit, quia tunc peccatum non commisit) sed quia advertendo eleemosynam erogare noluit: tunc absque dubio peccatum mortale commisit, pro quâlibet vice, quâ sic usus fuit Bullâ Cruciatâ, quia non aliàs hoc illi privilegium concedebatur; ut notavimus *n.* 41. & 42.

52. Probatur: quia faciendo celebrare in eodem oratorio alteram missam, illam facit celebrare in loco inepto: Sed celebrare, vel facere celebrare in loco inepto, est peccatum mortale, ut tenet Laym. *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 5. *n.* 2. Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *q.* 8. Ægid. Coninch. *de sacram. q.* 83. *art.* 3. *disp.* 1. *n.* 224. & alii, quos adducit, & defendit Bonacin. de *Euchar. disp.* 4. *q. ult. punct.* 9. *n.* 10. Ergo peccavit mortaliter. Major ostenditur, quia concessio facta à S. Pontifice pro unâ missâ celebrandâ, non est concessio pro alterâ, vel aliis, eodem die celebrandis: Ergo concessio pro altera, vel aliis missis eadem die celebrandis, perinde se habet, ac si nulla præcesserit: Confirmatur quia causa limitata, qualis in præsenti est voluntas S. Pontificis, non nisi effectum limitatum producere potest: sequitur ergo, missas celebratas, præter concessam à S. Pontifice, fuisse celebratas loco inepto, ac proinde cum peccato mortali.

53. Dices: *sect.* 5. *n.* 33. à nobis dictum fuit, sufficere pro usu privilegii hujus clausulæ eleemosynam parvi numi ærei pro qualibet vice: Ergo defectus talis eleemosynæ non potest esse peccatum mortale. Respondeo concedendo totum; quia peccatum mortale non oritur ex eo, quod privilegiatus deficiat in ea eleemosyna parva, sed ex eo quòd faciat celebrare sine licentia in loco inepto, quòd est materia gravis, & peccatum mortale, ut manet dictum.

SECTIO VIII.

Quæ personæ ad has obligentur eleemosynas? a.

54. HÆc quanta difficultas inquirit; an solum habens Bullam teneatur ad has elargiendas eleemosynas, an etiam familiares, domestici, & consanguinei ad illas teneantur, cùm solùm missæ assistunt ratione privilegiati habentis Bullam, sive assistentia sit in privato oratorio extra tempus interdicti, sive in Ecclesiis, & oratorio tempore interdicti? Bard. *part.* 2. *tract.* 2. *cap.* 3. *n.* 49. existimat, omnes teneri ad preces, tam privilegiatum habentem Bullam, quàm alios, licèt ratione illius missæ assistant, quia participant privilegii hujus effectum, per quandam connexionem cum ipso principali; quia verba diplomatis Hispani sunt generalia, quoad personas, nullam excipiendo, & sic habent: *Eis tamen, qui privato oratorio ad præmissa uti voluerint, ut quoties id fecerint, aliquas preces Deo fundere teneantur, imponitur.* Cùm verò hæc verba universaliter ad omnes fruentes tali privilegio proferantur, non solum principalis, sed etiam omnes fruentes privilegio ad preces tenentur. Et confirmat, quia pronomen illud *Eis* ad omnes refertur, quibus supra concessum fuit uti privato oratorio, & non sunt solùm Bullam habentes, sed etiam alii assistentes ratione privilegiati.

55. Hæc tamen juxta Bullam Hispanam mihi non videntur certa, quia verba diplomatis non sunt generalia ad omnes prædictos, sed tantùm ad Bullam habentes, nec pronomen *Eis* ad illos omnes refertur; quia accessorium non sequitur principale, quando datur diversa ratio, & id, quod accessorio imponitur, est arduum; ut cum pluribus Barbos. *de axiom.* 4. *n.* 5. & 10. & in præsenti datur diversa ratio, nam familiares, & alii non ratione sui, sed habentis Bullam, eo privilegio gaudent. Deinde quanvis preces impositæ res arduæ non sint, semper sunt onus, ut Bard. *n.* 48. esse, supponit. Sed quidquid sit de hoc modo opinandi,

56. Juxta Bullam Lusitanam arbitror, prædictos familiares domesticos, & consanguineos habentis Bullam, & ratione illius assistentes missæ in oratorio privato, vel in Ecclesiis tempore interdicti, non teneri ad eleemosynas in Bullâ præscriptas, sed sufficere, quòd principalis illas erogaverit; quia Bulla hunc tantùm obligat, & non alios, ibi: *Ac etiam alios, qui alias pias eleemosynas fecerint, libere possint in privato oratorio &c. in sua, ac familiarium, ac domesticorum, & consanguineorum suorum præsentia, missas, & alia divina officia celebrare, & tempore interdicti &c.* Ex quibus apertè constat, non teneri familiares, domesticos, & consanguineos in præsentiâ habentis Bullam missæ assistentes, ad pias eleemosynas pro manutentione militum erogandas.

SECTIO

SECTIO IX.

An quoties quis utitur aliquo privilegio hujus clausulæ, specialem debeat erogare eleemosynam?

57. QUinta difficultas petit: An pro quolibet favore hujus clausulæ aliqua specialis eleemosyna erogari debeat? nempe pro qualibet missâ, pro qualibet communione in oratorio, vel in Ecclesiis tempore interdicti, pro celebratione missæ ante, vel post debitam horam de licentiâ Commissarii, vel quando quis tempore interdicti in loco sacro sepelitur; an verò sufficiat pro omnibus conjunctim sumptis aliquam eleemosynam initio anni publicationis Bullæ in capsulas projicere? Expositores Bullæ Hispanæ affirmant, pro quolibet favore preces esse fundendas, si hi favores in privato oratorio acquirantur, dummodo excipiatur susceptio Eucharistiæ, & aliorum Sacramentorum; nam horum concessio ad preces non obligat; cùm extra diem Paschæ illa suscipiunt; nec etiamsi in Ecclesiis, & Monasteriis, etiam tempore interdicti missam audiant. Sic Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 3. *dub.* 5. *n.* 4. Rodrig. §. 5. *n.* 4. Bard. *part.* 2. *tract.* 2. *cap.* 3. *n.* 50. Vide etiam Tambor. *in Bulla cap.* 7. *n.* 4. Probant ex ipsâ Bullâ Hispanâ, in qua solùm preces imponuntur, dum agitur de his favoribus, in ordine ad oratorium.

58. Juxta Bullam Lusitanam duo dicenda veniunt. Primum, non esse opus elargiendi pro quolibet ex prædictis favoribus specialem eleemosynam, sed unam pro omnibus conjunctim in capsulam projicere, absque respectu ad singulas vices, quibus habens Bullam, gaudere potest. Ratio est, quia in Bullâ Lusitanâ non apponuntur verba; *Quoties id fecerint aliquas preces* &c. ut in Bullâ Hispanâ, sed hæc: *Qui alias pias eleemosynas fecerint, pariter concedimus, ut libere possint in privato oratorio* &c. Cum ergo S. Pontifex non utatur dictione *quoties*, ut in Bullâ Hispanâ, nec distinguat, nec ad quemlibet favorem specialem eleemosynam determinet, nec nos determinare debemus. Quare existimo, huic obligationi satisfactum iri ab eo, qui initio publicationis anni in capsulam mitteret unum regalè argenteum cum quartâ parte, hoc est: *meyo tostam* pro singulis, & quibuslibet vicibus, quibus dicto anno durante, privilegiis hujus clausulæ uti voluerit. Hoc asfero, dum à Commissario ea eleemosyna non designatur, qui illam, ut alias designare potest, ut *infra* dicetur.

59. Alterum dicendum est, quòd eleemosyna pro omnibus hujus clausulæ favoribus exhibenda est: nullus enim excipitur; & nullus, nisi elargitâ eleemosynâ, obtineri potest. Ratio est quia eleemosyna in principio hujus clausulæ apposita ad omnes favores in ea clausula contentos se extendit; quod ostenditur ex ea regula, quam tradunt D. D. nempe: quando aliqua clausula posita est in una parte dispositionis, sive ponatur in principio, sive in medio, sive in fine, censetur referri ad omnia in ea clausula contenta *Cap. Secundò requiris, de appellat.* ubi id observant DD. quod intelligitur, ut cum multis tenet Menoch. *de præsumpt. lib.* 4. *præsumpt.* 181. *n.* 2. Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disp.* 16. *n.* 11. quando omnium eadem est ratio; sed in omnibus in hac clausula contentis eadem est ratio, ut eleemosyna pro illis, vel pro aliquo acquirendo elargiatur: ergo eleemosyna pro omnibus simul, vel pro aliquo acquirendo favore in particulari semper elargienda est.

SECTIO X.

An ut aliquis his privilegiis utatur, sit necessaria Commissarii licentia?

60. SExta, & ultima difficultas circa eleemosynam inquirit: An ad usum favorum hujus clausulæ sit necessaria licentia Commissarii generalis? Respondeo, certum esse, requiri ab illustribus, ac nobilibus personis, qui antequam dies eluceseat per horam, & per horam post meridiem, voluerint celebrare, vel celebrare facere. Sic expressè habetur in Bullâ, ibi: *Ac etiam illustribus, & aliis nobilibus, qui facultatem ad id à Commissario super hoc deputando habuerint, etiam per horam* &c. de hoc igitur privilegio, difficultas non procedit.

61. Procedit verò de aliis: Et resolutio affirmativa suaderi potest primò, ex verbis Summarii, ibi: *Tendo tambem primeiro pera isto licença do Commissario General.* ubi notetur dictio *tambem*, quæ cùm in hoc loco sit implicativa, & augmentativa licentiarum; quia versatur, & immediatè cadit super licentias, juxta ea, quæ diximus *supra sect.* 4. *a n.* 19. & indicat juxta suam naturam, non solùm indigere licentiâ personas illustres, ac nobiles ad celebrandas, vel ut faciant celebrare missas per unam horam ante auroram, & post alteram post meridiem; sed etiam hos, & alios non nobiles, ad alia hujus clausulæ lucranda privilegia.

62. Secundò suaderi potest, quia Illustrissimus D. D. Antonius Mascarenhas Commissarius generalis edictum publicavit anno domini 1626. die Februarii vigesimo primo, ut constat *ex suâ Relatione ad Urbanum VIII. fol.* 57. *verso in fine* incipiente: *D. Antonio Mascarenhas:* in quo edicto *fol.* 58. verso. & 59. hæc dantur verba: *Portanto pella dita authoridade Apostolica com justissimos fundamentos, e por evitar o abuso que na praxe desta graça pode haver, declaramos, que os que tiverem tomado à Bulla da santa Cruzada, nam podem sem nossa licença especial, uzar da faculdade para ouvir missa em oratorios privados, assim por respeito da esmola que por nos lhe deve ser arbitrada, como a respeito dos approvaçam do oratorio, de que nos hade constar, e da necessidade, ou qualidade da pessoa, que delle deve uzar. E em conformidade desta declaraçam; mandamos sob pena de excomunham maior latæ sententiæ, que sem nossa especial licença in scriptis nenhuma pessoa de qualquer estado, e condiçam que seia, digamem possa mandar dizer missas em oratorios privados, posto que estejam approvados pello ordinario, e posto que tenham a Bulla da santa Cruzada; e os taes, que tiverem licença nossa, possam licita, e livremente dizer, e mandar dizer missas nos taes oratorios privados, sem contradiçam alguma. E declaramos tudo o que em contrario se haia ordenado, e dis-*

disposto por qualquer pessoa, de qualquer estado, e preeminencia, que seja &c. Ex cujus tenore patet, non posse habentes Bullam celebrare, vel celebrare facere missas in oratoriis privatis absque licentia Commissarii Generalis.

63. Confirmatur: quia Commissarii Generales liberam habent facultatem, tam à Clemente VIII. quàm ab aliis successoribus, qui usque adhuc illam extensam voluere, ut possint per se, vel per alios facere, & exequi, quæ ad Bullam necessaria fuerint, vel quomodolibet opportuna: Sed Commissarius arbitratur, vel arbitrari potest, ad dicta privilegia esse necessarium, & opportunum, quòd licentia ab illo obtineatur: ergo ab illo obtineri debet.

64. His tamen non obstantibus: existimo ad privilegia, & favores hujus clausulæ, non esse necessariam Commissarii licentiam, dummodo excipiatur privilegium celebrandi, vel faciendi celebrare missam ante, vel post horam debitam, ut in principio hujus sect. diximus. Ratio est primò, quia omnes Expositores Bullæ Hispanæ, in quâ datur eadem clausula cum eisdem favoribus, supponunt eam licentiam non esse necessariam; nec inter eos id in quæstionem adducitur; sed tantùm concedunt, eam esse necessariam, ut quis ante, vel post horam debitam celebret, vel faciat celebrare: ergo idem dicendum, juxta Bullam Lusitanam: non enim datur diversa ratio, cùm dentur eadem verba, & dispositio.

65. Secundò, quia exceptio firmat regulam in contrarium, ut ex juribus, & Doctoribus ostendit Barbos. *de axiom.* 85. *n.* 4. Sed in hâc clausulâ dicitur, licentiam obtinendam esse ab illustribus, & nobilibus, ut possint celebrare, vel celebrare facere ante, vel post horam debitam; & in aliis favoribus hujus clausulæ hæc licentia non postulatur, nec de illâ fit mentio: ergo dicendum est, non esse necessariò postulandam.

66. Neque fundamenta contraria oppositum suadere possunt. Non primum ex verbis Summarii *n.* 61. deductum, quia dictio *Tambem*, non datur in Bullâ Latinâ, & fuit à Commissario, & aliis adjunctis addita Summario: Commissarius autem, etiamsi dubia Cruciatæ possit interpretari, non tamen potest, vel addere, vel detrahere verbum, quod formam concessionis mutet, ut *supra* in multis locis diximus cum Communi Doctorum, & dicemus *disp.* 23. *n.* 264. Cùm verò illa ampliatio, seu augmentatio in Bullâ Latinâ non detur, de illâ non est curandum. Fateor, non deesse Authores docentes, posse fieri in legibus aliquam extensionem, quando ex non extensione sequeretur aliqua injustitia, absurditas, aut lex periret: ut cum Soar. clau. reg. Salas, & aliis, Bonacin. *tom.* 2. *disp.* 1. *de leg. punct.* 8. *n.* 14. at in præsenti, ex non extensione illius dictionis *etiam*, non sequitur injustitia, absurdum, nec privilegia hujus clausulæ pereunt.

67. Ad secundum in *n.* 62. dico, Illustrissimum Commissarium alio fuisse motum impulsu, ad publicandum edictum: lis enim erat mota inter illum, & illustrissimum Collectorem; & quia ab illo plures habebant licentiam ad celebrandum, vel facere celebrare in oratoriis privatis, cum approbatione tantùm Archiepiscopi, sine Brevi S. Pontificis ad habenda privata oratoria; quæ approbatio à Capitulo, Sede vacante, jam erat revocata, eo quod ad ea oratoria Breve Pontificium non dabatur. Commissarius, ut suam integritatem, opinionem, & facultatem manifestaret, illud publicavit edictum, quod eo anno expiravit, ut Bullæ accessorium, quæ per annum tantùm durat, & ex abusu, qui illis temporibus dabatur circa hujus privilegii oratorii privati usum, quem abusum abstulit S. Pontifex, ut *infra* videbimus. Unde cùm dictus Commissarius excessisset in usu oratorii privati, mirum non est, quòd etiam excessisset ad se advocando licentiam, quam juxta Bullam ad se advocare nequibat. Quare, ut patet ex Bullâ solùm in qualificatis personis requiritur licentia Commissarii ad celebrandum, vel faciendum celebrare missam ante, vel post horam debitam, & non in aliis. De hâc contentione *disp. sequenti* redibit sermo, cùm de oratoriis privatis; & ibi magis apparebit controversia hæc, inter hos Prælatos illustrissimos, & etiam quando de facultatibus Commissarii agendum fuerit *disp.* 23. *sect.* 24.

68. Addo, posse Commissarium Generalem prædictas eleemosynas designare, sicut jam designavit pro Bullâ vivorum, & defunctorum, & pro jubileo sex mensium; quia id illi conceditur in diplomate Gregorii XIV. misso ad Serenissimum Albertum S. R. E. Cardinalem, & hujus Regni Proregem, quod à successoribus extenditur in Bullæ concessione. Nec contra hanc designationem stat, quòd hactenus non fuerunt designatæ; quia etiam eleemosyna jubilei sex mensium à principio cum aliis non fuit designata, & tamen istis novissimis temporibus à Commissariis designata est.

69. Ad confirmationem *n.* 63. respondeo: Etiamsi Commissarii facultatem habeant faciendi, & exequendi ea, quæ ad expeditionem Bullæ sibi necessaria visa fuerint; non tamen possunt facere aliquid contra id, quod est expressum in textu Bullæ: Cum verò in hâc clausulâ S. Pontifex concedat prædictos favores absque licentiâ Commissarii, excepto favore, qui conceditur illustribus, & nobilibus personis ad celebrandas, vel faciendum celebrare missas, per horam ante auroram, & per horam post meridiem, sequitur, ad alios favores licentiam non posse ad se revocare, ut probatum remanet.

SECTIO XI.

Quinam veniant in hâc clausulâ familiarium, & domesticorum nomine?

70. COncedit S. Pontifex in hâc clausulâ Bullam habentibus, & pias eleemosynas erogantibus, missas audire (si Laici sint) vel illas celebrare (si Presbyteri fuerint) tam in oratoriis privatis, quàm in aliis locis, etiam interdicto suppositis; & illis præsentibus, idem concedit eorum familiaribus, domesticis, & consanguineis, etiamsi Bullam non habeant, dummodo ipsi excommunicati, aut interdicti non sint. Explicandum ergo venit, quid nomine prædictorum intelligatur, & à primo incipiendo.

71. Adverto, quanvis nomen *familiaris* denominationem accipiat à familiâ, non eos tamen, qui veniunt sub nomine familiæ, venire sub nomine familiarium; nec è contra, qui veniunt nomine familiarium, veniunt nomine familiæ (juxta aliquos) quod maximè advertendum, quia in

Brev

Brevi Pontificio ad usum oratorii privati dantur hæc verba: *In tuâ, ac familiæ tuæ, nec non hospitum tuorum nobilium præsentiâ* &c. in Bulla verò hæc: *In suâ, ac familiarium* &c. Hoc animadverso.

72. Inquires primò: Quinam veniant nomine *familiarium* in præsenti clausulâ Bullæ? Respondeo, Tamborin. *lib. 1. method. celebrand. miss. cap. 4. §. 4. n. 39.* existimare, venire omnes, qui veniunt nomine *familiæ*. Gloss. verò *in Capit. in Litteris, de testib. & attestat. verb. de familiâ* asserit, familiares esse, omnes habitantes in domo, nempe: consanguineos, colonum, ascriptitium, mercenarium, filium in potestate, libertum, & servum.

73. Qui autem veniant nomine *familiæ* multipliciter accipitur apud juristas: nam aliqui volunt solùm venire descendentes, ut videre est, apud Barbos. *de appellat. 94. n. 1.* At si dispositio facta est ad favorem familiæ, si non potest verificari in descendentibus, tunc veniunt transversales: Menoch. *cons. 106. n. 229. & cons. 424. n. 12. & cons. 1171. n. 22. & cons. 1177. n. 8.* Barbos. *proximè n. 4.*

74. In terminis autem privilegii, & rescripti oratorii privati (non virtute Bullæ) juxta verba: *In tuâ, ac familiæ tuæ* &c. docent, venire nomine *familiæ*, maritum, & uxorem, filios, & filias, nurum, & generum, habitantes in eadem domo, & commensales sicut etiam omnes servos, & servas commensales, qui in servitio ejusdem familiæ, Dian. *part. 4. tract. 4. resol. 208.* Pellizar. *tom. 2. tract. 8. cap. 2. n. 149. vers. caterum nomine.* Tamborin. ubi *supra num. 28.* qui cum Pellizar. id extendit ad factorem, qui ex salario domini alitur, & habitat, & dormit in propriâ domo.

75. Dicendum tamen in præsenti Bullæ clausulâ nomine *familiarium* intelligi illos tantùm, qui personam privilegiatam solent comitari, servitiis ejus obnoxii, & illius expensis viventes. Sic colligitur *ex cap. Licèt vobis de privileg. in 6.* & notat Gloss. *verb. non debent*, & tenent DD. communiter apud Barbos. *de appellat. 96. n. 1.* Navarr. & Sot. quos referunt à Cost. *q. 27.* Fragos. *tom. 2. disp. 7. de Bullâ. n. 32. vers. nomine autem.* Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 13. n. 3.* Rodrig. §. 5. *n. 5.* Bard. *part. 2. tract. 2. cap. 3. n. 13.* Leand. *tom. 4. tract. 5. de interdict. disp. 4. q. 20.* cum Avil. & Ægid. Escobar *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 76.* Ratio est, quia privilegium Bullæ intelligitur tantùm de illis personis, quæ sunt necessariæ ad usum privilegii; sed familiares, seu famuli, qui solent comitari privilegiatum, sunt necessarii ad usum privilegii audiendæ missæ in oratorio, vel tempore interdicti, vel assistendi divinis; quia sine illis non solet dominus à domo exire, nec incedere sine comitatu; non verò, qui sunt de familiâ, quia non sunt necessarii ad usum privilegii: ergo in præsenti illi tantùm veniunt nomine *familiarium*, & non isti.

76. Inquires secundò: Quinam in præsenti clausulâ veniant nomine *domesticorum*? Respondeo, illos venire, qui in eâdem domo, cum domino habitant, & illi subsunt, vel ratione patriæ, vel dominicæ potestatis, ut filii, & servi: Bald. *in l. 2. Cod. de test.* Mascard. *de probat. concluf. 533.* Sanch. *lib. 7. consil. cap. 3. dub. 20. n. 22.* Barbos. *de appellat. 78. n. 1.* Si tamen aliis habitantibus in eâdem domo deficiat dicta subjectio, appellatione *domesticorum* propriè non veniunt. Ratio est, quia hi propriè domestici vocantur, & non alii, qui eam non habent subjectionem.

SECTIO XII.

Quinam veniant consanguineorum *appellatione?*

77. INter juristas circa *consanguineorum* appellationem, est maxima dissentio: Nam plures docent, solum venire agnatos; alii tenent, etiam venire cognatos; non pauci, etiam volunt, venire conjunctos cognatione spirituali; & denique plures hanc appellationem diverso modo autumant; ut videre est apud Barbos. *de appellat. 57. per totam.*

78. Theologi autem in explicatione hujus privilegii etiam non conveniunt: nam Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 13. n. 3.* tenet, sub nomine *consanguineorum* venire tantùm consanguineos in primo gradu, & pro hâc opinione *in gloss. Lat. G.* citat Rodrig. §. 5. *n. 5.* at Rodrig. non est pro eâ opinione, ut statim videbimus. Probat; quia intentio S. Pontificis fuit coarctare hanc vocem *consanguineorum* ad uxorem, & cognatos in primo gradu; quia uxor gaudere solet nobilitate, & privilegio viri, & alii proprio, vel alieno.

79. Communis tamen Theologorum sententia defendit, appellatione *consanguineorum* venire uxorem privilegiati, filios, & filias, & omnes alios usque ad quartum gradum inclusivè. Sic Rodrig. *proximè* per hæc verba: *A los parientes, por los quales se entienden muger, y hijos, padre, y madre, y toda su parentela, hasta el quarto grado por via de ascendencia, y descendencia, y por linea collateral.* Idem Avil. de cens. *part. 5. disp. 2. sect. 2. dub. 7. vers. Secundo notandum.* Trullench. *lib. 1. §. 3. dub. 3. n. 5. & dub. 5. n. 3.* Villal. *tract. 27. claus. 4. num. 16.* Ricc. *in addit. ad §. 2. Bull. n. 9.* Basil. Legion. quem refert, & sequitur Mend. *disp. 15. n. 12.* Accedunt Bard. *part. 2. tract. 2. cap. 3. n. 22.* Escobar *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. num. 79.* & Leand. *tom. 4. tract. 5. disp. 11. q. 7.* & alii, quos citat. Ratio est, quia Bulla loquitur generaliter de consanguineis; sed omnes, usque ad quartum gradum, simpliciter, & rigorosè dicuntur consanguinei: ergo omnes comprehendit. Et quòd non extendatur ultra quartum gradum, ostenditur, quia post Concil. Trident. agnatio, & cognatio ultra non extenditur: ergo non apparet fundamentum, ut ulterius amplietur.

80. Ad fundamentum Henriq. *n. 78. allatum* respondetur; ab eo non probari eam fuisse intentionem S. Pontificis; quia licèt uxor, & filii tantùm privilegiis mariti utantur, id non evenit, quando privilegium conceditur consanguineis absolutè, & sine restrictione; nam etiam in civilibus illo gaudere possunt cognati, & agnati, usque ad quartum gradum. Lex enim, & privilegium interpretatur juxta verborum proprietatem: ut tenet Gloss. *in Clem. litteras, de Prabend. verb.*

verb. dilectus. Bonacin. *tom.* 2. *disp.* 1. *de leg. q.* 3. *punct.* 7. §. 1. *n.* 2. Soar. *lib.* 8. *de legib. cap.* 28. *n.* 15. & 16. Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disp.* 1. *n.* 5. Castr. Pal. *tom.* 1. *tract.* 3. *de privileg. disp.* 4. *punct.* 9. *a n.* 3. At in proprietate verbi *consanguineorum nomine* veniunt omnes quartum gradum non excedentes.

81. An verò inter consanguineos comprehendatur uxor, comparatione mariti; & maritus, comparatione uxoris? Negat. Castr. Pal. *tom.* 4. *tract.* 25. *disp. unic. punct.* 6. *n.* 8. & apud ipsum Salas. *in explicat. Bull. q.* 19. Accedit Dian. *part.* 9. *tract.* 1. *resol.* 28. Probant: quia verè consanguinei non sunt.

82. Dicendum tamen est cum communi, comprehendi; quia licèt consanguinei non sint, sunt plusquam consanguinei; quia sunt una caro, quæ est veluti quædam identitas major agnatione, vel cognatione. Sic Mend. *proximè n.* 11. Bard. *citat.* Leand. *q.* 8. & apud illum Avil. Trullench. Ludovic. à Cruce, Villalob. & Machad.

SECTIO XIII.

Quinam familiares, domestici, & consanguinei hoc privilegio gaudeant?

83. Diximus in præcedentibus sectionibus, qui veniant nomine familiarium, domesticorum, & consanguineorum: In præsenti videndum, an omnes prædicti possint hujus clausulæ privilegiis uti.

84. Dico primo: Familiares habentem Bullam, soliti comitari, & expensis illius viventes, possunt gaudere privilegio audiendi missam, & aliis divinis assistendi. Ratio est, quia de his tantùm intelligitur Bulla, dum asserit: *In suâ, & suorum familiarium præsentiâ*; sic tenent à Cost. Henriq. Rodrig. Fragos. *citat.* & Bard. *part.* 2. *tract.* 2. *cap.* 3. *n.* 13. Similiter fœmina habens Bullam potest in oratorio privato, vel tempore interdicti, ad alias accedere Ecclesias, & ibi missam audire cum familiâ illam solitâ comitari: dummodo in illâ non sit aliquis excommunicatus, vel qui causam interdicto dederit, vel per quem stet, ne amoveatur.

85. Dico secundò: Non possunt ab habente Bullam in fraudem hujus privilegii alii familiares, præter solitos comitari, admitti. Sic deducitur *ex cap. fin. de verb. signif. in* 6. & docent Rodrig. §. 5. *n.* 5. cum Sot. & Navarr. Et cum Villal. Henriq. Ludovic. à Cruce. Bard. ubi *supra n.* 16. quibus addo Fragos. *proximè allatum vers. nomine autem.*

86. Dico tertiò: si habens Bullam sit Sacerdos, & velit in oratorio privato, vel in aliquâ Ecclesiâ tempore interdicti missam celebrare, potest eligere in Ministrum, Laicum, qui nec sit familiaris, domesticus, aut consanguineus, dummodo non sit excommunicatus, nec interdictus, nec interdicto causam dederit. Sic docent communiter in terminis juris communis Soar. *de censur. disp.* 35. *sect.* 1. *n.* 31. Avil. *part.* 5. *disp.* 4. *sect.* 2. *dub.* 7. *vers. ex dictis sequitur*, Navarr. *in summ. cap.* 27. *n.* 181. Præposit. *in* 3. *part. q.* 4. *de interdict. dub.* 3. *n.* 31. Mercer. Villal. & Ludovic. à Cruce, quos refert, & sequitur Dian. *part.* 5. *tract.* 10. *resol.* 87. quibus accedunt Castr. Pal. *de censur. disp.* 4. *punct.* 4. §. 2. *n.* 16. Bard. *supra n.* 18. Leand. *tom.* 4. *tract.* 5. *disp.* 4. *q.* 19. Ratio est, quia Sacerdoti in iis locis conceditur celebrare: ergo etiam conceditur adjutorium, quod juxta morem Ecclesiæ est necessarium: concesso enim principali, conceditur & accessorium *l.* 2. *ff. de jurisdict. omn. judic.*

87. Contra hanc resolutionem sunt aliqui apud Alterium, quem refert Leand. *proximè* asserentes, non posse Sacerdotem tempore interdicti uti in hoc ministerio celebrandi missam operâ non privilegiati; & si privilegiatum non inveniat, posse sine Ministro celebrare. Aliâ viâ incedunt alii existimantes, posse Sacerdotem uti ministerio Laici non privilegiati, dum alium privilegiatum non invenit; quòd si inveniat, non privilegiati operâ uti non potest. Sic Avil. *part.* 5. *disp.* 4. *sect.* 2. *dub.* 7. *vers. ex dictis sequitur.* Armil. *verb. interdictum. n.* 58. Portel. *in dub. Regul. verb. interdictum. n.* 29.

88. At probabilior est opposita resolutio: Quia non est cogendus sacerdos, qui habet privilegium celebrandi tempore interdicti, quærere ministrum, qui simile habeat privilegium, ut se adjuvet: hoc enim accidentarium est, & ab eo non dependet utilitas hujus privilegii, quod per se debet esse efficax, & efficaciam in socium non privilegiatum transfundere. Sic Gloss. *in cap. licèt verbis, de privileg. in* 6. *Verb. non debent.* Soar. *lib.* 8. *de legib. cap.* 11. *num.* 7. Novarius, Sayr. & alii, quos refert, & sequitur Dian. *part.* 10. *tract.* 13. *resol.* 4. *Vers. ex dictis infertur.* Sic etiam privilegium recitandi matutinum post meridiem, extenditur ad socium non habentem id privilegium; ut docent Soar. *citat. dict. cap.* 11. *in fine.* Castr. Pal. *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 4. *punct.* 12. *n.* 2. Bonacin. *tom.* 2. *disp.* 1. *de legib. q.* 3. *punct.* 7. §. 2. *n.* 6. Dian. *part.* 2. *tract.* 12. *resol.* 35. & *part.* 10. *tract.* 13. *resol.* 4. & apud illum Portel. Henriq. Faust. Meroll. etiam *citati.*

89. Dico quartò: Domestici, qui in eâdem domo habitant, & subsunt Bullam habenti, vel ratione patriæ, vel dominicæ potestatis, ut filii, & servi, possunt sibi privilegio audiendi missam in oratorio, vel in Ecclesiis tempore interdicti, ut jam diximus *n.* 76. An verò solùm præsente patre, vel domino, dicemus *sect.* 15. Ratio est, quia hi veniunt nomine *domesticorum*: ut diximus *citat. loco.*

90. Dico quintò: Consanguinei habentis Bullam usque ad quartum gradum, sive sint ascendentes, sive descendentes, aut collaterales, sive habitent in eâdem domo, sive non, possunt cum illo audire missam, & divinis assistere: Idem dicendum de uxore comparatione mariti habentis Bullam; & de marito comparatione uxoris illam habentis, quia ut diximus *sect.* 12. *n.* 79. veniunt nomine *consanguineorum.* Cum DD. ibi citatis.

SECTIO XIV.

An affines comprehendantur nomine Consanguineorum, *ut hoc privilegio uti possint?*

91. COnsanguinei habentis Bullam possunt in illius præsentiâ missam audire, & aliis divinis assistere tempore interdicti, ut dictum remanet: Nunc inquirimus, an appellatione *consanguineorum* veniant affines, & illo etiam privilegio uti possint? Pars affirmativa suaderi potest primò, quia in Summario Bullæ dicitur: *Em sua presença e de seus familiares, domesticos, e parentes:* Sed nomine *parentes* veniunt affines: ergo illo privilegio uti possunt. Secundò, quia privilegia Bullæ sunt latè interpretanda: ut diximus *disp. 1. n. 73.* ergo præsumendum videtur, de mente Pontificis, nomine *consanguineorum* comprehendi affines; præsertim si sint maximè conjuncti, v.g. socrus, & privigna.

92. Dicendum tamen est, nomine *consanguineorum* non comprehendi affines; consanguinei enim illi dicuntur, qui ab eodem sanguine originem trahunt: ut cum TT. & jurisperitis Sanch. *lib. 7. de matrim. disp. 50. n. 1.* Affinitas verò juxta eundem Sanch. *dicto l. 7. disp. 64. n. 1.* est quasi finium propinquitas: quia cognationes diversæ per matrimonium copulatæ, altera ad alterius fines accedunt: cùm ergo inter consanguineos, & affines tantum detur discrimen; non possunt affines comprehendi sub nomine *consanguineorum.* Sic Trullench. *in Bull. lib. 1. §. 3. dub. 3. n. 6.* Castr. Pal. *tom. 4. tract. 25. de Bull. disp. unica. punct. 6. n. 8.* Bard. *part. 2. tract. 2. cap. 3. a n. 32.* Mend. *disp. 15. n. 11.* Henriq. Ludovic. à Cruce, Machad. Villal. Dian. quos refert, & sequitur Leand. *tom. 4. tract. 5. disp. 11. q. 9.* idem tenet Escob. *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 484.*

93. Ad fundamentum ex Summario desumptum *n. 91.* dicendum est, illud esse regulandum cum Bullâ Latinâ, quæ solùm loquitur de consanguineis, & non affinibus ibi: *In suâ, ac familiarium, ac domesticorum, & consanguineorum præsentiâ:* Summarium verò usum est illâ voce *parentes*, quia alia non est vox Lusitana, quæ unicè significet consanguineos; & cùm illâ significantur, & non affines, simpliciter; sed cum addito affinitatis, scilicet: *parentes por affinidade.*

94. Ad secundum ibidem, respondetur, licèt privilegia Bullæ sint latè interpretanda, non tamen extendenda sunt ultra verborum significationem, ut *ex cap. perro de privileg.* colligitur; nec ea extensio ex mente Pontificis potest præsumi, quando verba contrarium exprimunt: & quanvis in aliquibus affinibus detur aliqua maxima conjunctio, comparatione alicujus consanguinei, id est per accidens, ac proinde de illâ curandum non est.

SECTIO XV.

An prædicti familiares, domestici, & consanguinei non habentes Bullam possint missæ, & aliis divinis interesse, absente domino, qui Bullam habet?

95. DUplex in hâc quæstione datur sententia. Prima est affirmativa; illam defendunt Ludovic. à Cruce *in Bull. disp. 1. cap. 5. dub. 3. n. 5.* Dian. *part. 5. tract. 10. resol. 76. & part. 9. tract. 1. resol. 21. & 28.* Quintanad. *tom. 1. tract. 7. singul. 32. n. 7.* Pellizar. *tom. 2. tract. 8. cap. 2. sect. 2. n. 149.* Aversa *de sacram. Euchar. q. 11. sect. 14. §. 8.* Castr. Palao *tom. 4. tract. 25. disp. unic. punct. 6. n. 9.* & apud illum Sal. *in Bullam Cruciat. q. 19.* & probabilem dicit Machad. *lib. 1. part. 3. tract. 13. docum. 8. num. 8.* quos refert Leand. *part. 4. tract. 5. disp. 11. q. 11.* ubi eam æquè probabilem ac oppositam existimat. Probant; quia licèt hoc privilegium audiendi missam, & assistendi divinis concedatur familiaribus, domesticis, ac consanguineis in gratiam habentis Bullam; non tamen restringitur ad hoc, ut possint in illius præsentiâ, & non possint in illius absentiâ illo frui: Ergo esto habens Bullam sit absens, possunt familiares, domestici, & consanguinei illo uti privilegio. Antecedens ostenditur ex verbis ipsius Bullæ: *In suâ ac familiarium ac domesticorum, & consanguineorum suorum præsentiâ, missas, & alia divina officia celebrare, & tempore interdicti hujusmodi divinis interesse;* quæ verba faciunt hunc sensum: potest habens Bullam facere celebrare in sua præsentia, & etiam facere celebrare in præsentia suorum familiarium, domesticorum, & consanguineorum.

96. Neque dicas dictionem *ac* positam in prædictis verbis, esse idem, ac dictionem *&*, ut ex utroque jure docent Cened. *in practic. qq. singul. 16. n. 1.* Barbos. *de diction. dict. 3. n. 1.* & dictio *&* est copulativa, & conjunctiva, quæ in præsenti copulat, & conjungit præsentiam & habentis Bullam, & familiarium &c. Non enim hoc dicas: quia præterquam, quòd dictio *&* aliquando resolvitur in disjunctivam, ut cum pluribus tenet idem Barbos. *cit. dict. 110. n. 28.* in præsenti dicto modo debet resolvi. Primò, quia si dictio *&* sumatur disjunctivè, reddit hoc privilegium magis favorabile: sed privilegia Bullæ sunt favorabilia: ergo dum non datur inconveniens, sicut in præsenti non datur, dictio *&* sumi debet eo modo, quo reddatur favorabilis.

97. Secundò, quia in præsenti clausulâ dictio *&* necessariò debet accipi disjunctivè, quia si copulativè accipiatur, non poterit habens Bullam missam audire, & divinis assistere absque præsentiâ familiarium &c. hoc autem est falsum, quia habens Bullam tempore interdicti in oratorio privato, & in Ecclesiis sine familiaribus &c. potest divinis assistere: ergo si comparatione habentis Bullam dictio *&* necessariò debet accipi disjunctivè, & non copulativè,

etiam comparatione familiarium disjunctivè, & non copulativè accipi debet.

98. Quæ dicta sunt juxta hanc opinionem, habent locum etiam in illis, qui habent privilegium ex indulto Pontificis, vel Nuntii ad oratorium privatum, in quo dantur eadem, vel similia verba: *In tuâ, ac familia tua, celebrare facere.*

99. Secunda tamen, & negativa sententia tenenda est cum communi Doctorum asserentium, requiri necessariò præsentiam habentis Bullam, ut familiares, domestici, & consanguinei illam non habentes missam possint audire, & aliis divinis assistere in oratorio privato, & in Ecclesiis tempore interdicti: & idem dicendum de principali privilegiato ex Brevi Pontificio ad oratorium privatum, cujus præsentia necessariò requiritur, ut familia missam possit audire. Sic Henriq. *lib. 7. cap. 7. n. 4.* & apud illum *in gloss. litter. M.* Rodrig. *in Bull. §. 7. n. 5.* Accedit Leand. *ubi supra*, judicans hanc sententiam æquè probabilem, ac contrariam, & pro illâ adducit Villal. *2. part. tract. 27. claus. 4. n. 16.* Avil. *part. 5. disp. 4. sect. 2. dub. 7. vers. Circa eandem conclusionem.* Trullench. *in Bull. lib. 1. §. 3. dub. 5. n. 4.* Machad. *lib. 1, part. 3. tract. 13. docum. 8. n. 8.* quibus addo Fragos. *tom. 2. disp. 7. n. 32. vers. Non poterunt.* Bard. *part. 2. tract. 2. cap. 3. n. 70.* Mend. *disp. 15. n. 11.* Fr. Joseph Mendes *sect. 1. n. 53.* Ægid. Coninch. *de interdict. disp. 17. dub. 2. n. 38. vers. Nota tandem.* Sayr. *de cens. lib. 5. cap. 5. n. 32.* Ugolin. *de cens. tab. 5. cap. 8. §. 4. n. 2.* & apud ipsum Francus, Anchar. & Gemen. *in cap. Licèt de privileg. in 6.* & Tamborin. *lib. 1. method. celebr. miss. cap. 4. §. 4. num. 40.* Utramque sententiam probabilem existimans.

100. Probatur primò, quia hoc privilegium conceditur habenti Bullam, & aliis ob gratiam illius: ergo illo præsente tantùm uti privilegio poterunt. Secundò, quia dictio *ac* quæ est idem, ac dictio *&* est copulativa, & conjunctiva ex communi DD. consensu, apud Barbos. *cit.* & si aliquando disjunctivè accipitur, id est impropriè, ut cum Alexand. Cardin. Tusch. & aliis tenet Barbos. *cit. dicta dict. 110. n. 37.* ergo cùm verba privilegii accipi debeant in propriâ significatione, ut *supra* diximus *ex cap. porro de privileg.* verba Bullæ intelligi debent de præsentiâ habentis Bullam necessariâ, ut alii in illius gratiam privilegiati missam audire, & aliis divinis tempore interdicti interesse possint.

101. Nec ex eo, quòd dictio *&* sumatur copulativè, seu conjunctivè sequitur, quòd habens Bullam non possit sine familiaribus, domesticis &c. audire missam, & interesse divinis; quia privilegium primò, & per se datur in habente Bullam; in aliis verò per redundantiam, & dependentiam ab habente Bullam: ac proinde sine illis, divinis tempore interdicti interesse valet; at non familiares, domestici, & consanguinei sine illo. Et ex his patet solutio ad fundamenta oppositæ sententiæ, quæ sanè videtur probabilis, saltem ob DD. authoritatem.

102. Dubium tamen sit: An si habens Bullam (idem de habente Breve Pontificium ad oratorium privatum) jam missam audivit, possit alteram audire, ut familiares &c. qui aberant, illam audiant? Respondeo, absolutè affirmare Trullench. *in Bull. lib. 1. §. 3. dub. 5. n. 4.* Dian. *part. 5. tract. 10. resol. 76.* & *part. 9. tract. 1. resol. 27.* Castr. Pal. *tom. 4. tract. 25. disp. unic. punct. 6. n. 7.* Leand. *proximè q. 12.* & idem tenere debent, quos *supra n. 95.* Citavimus pro primâ sententiâ. Probant, quia familiares domestici, & consanguinei habentis Bullam possunt sine illo audire missam: ergo etiam illo præsente, esto aliam audierit; quia per Bullam potest in oratorio privato plures audire, & tempore interdicti, etiam pluribus adesse in Ecclesiis.

103. Aliquâ tamen distinctione nobis utendum est, juxta nostram, & communem sententiam: vel enim, habens Bullam, vel privilegiatus ex indulto Pontificis ad habendum oratorium privatum, aliam in oratorio virtute Bullæ, vel extra illud, audivit; & alteram audit, intuitu *familiarium* &c. ut illam audiant; vel ex devotione, quia vult aliam audire missam: si tantùm intuitu familiarium &c. qui missam non audierunt; respondeo, non posse habentem Bullam, nec principalem ex indulto Pontificio missam audire, ut præfati missam audiant; quia ubi datur fraus, non potest quis admitti ad missam ratione privilegii, ut diximus supra *sect. 13. n. 85.* & constat ex *Cap. fin. de verb. signific. in 6.* Sed quando habens Bullam, illam tantùm audit, ut alii illam audiant, fraude utitur. Secus dicendum, si eam missam audiat ex devotione; quia tunc cessat fraus. Sic docet cum Avil. *de cens. part. 5. disp. 4. sect. 2. dub. 7. vers. secunda conclusio.* Fragos. *ubi supra dict. n. 32. vers. Non poterunt.*

SECTIO XVI.

An habentes Bullam teneantur, diebus festis tempore interdicti missam audire?

104. CConceditur in Bullâ omnibus illam sumentibus, ut possint tempore interdicti celebrare, vel celebrare facere, & missæ, & aliis divinis interesse: inquirimus, an non solùm possint, sed teneantur missam audire in diebus festis eo modo, quoad auditionem illius tenerentur, si interdictum non daretur? Prima sententia negat: illam tuentur cum Victor. & Can. Avil. *de censur. part. 5. disp. 4. dub. 6.* Lamas. *in summ. part. 3. cap. 4. §. 11.* Alterius *de censur. tom. 2. disp. 2. de interdict. cap. 3.* Ægid. Coninch. *de sacram. disp. 17. de interdict. dub. 2. n. 28.* Dian. *part. 1. tract. 11. resol. 2. & part. 4. tract. 4. resol. 80.* Mascarenh. *de sacram. tract. 5. disp. 6. n. 533.* & apud illum Ledesm. *in summ. part. 1. de Eucharist. cap. 27.* & probabilem asserit Laym. *lib. 1, tract. 5. part. 4. cap. 2. §. tertia ex privilegio:* at Soar. *tom. 3. in 3. part. disp. 88. sect. 6.* inquit, non esse probabilem. Sed immeritò, quia plures illam defendunt, & rationes pro illâ probabilitatem astruunt.

105. Prima est; quia nemo tenetur uti privilegio sibi concesso, *cap. si tua, de privileg.* nam si privilegium obligationem induceret, jam non esset gratia, sed onus.

106. Secunda ratio est: Siquis habeat licentiam, ut possit audire missam in oratorio domus suæ, si sit infirmus, vel ibi incarceratus, non tenetur quærere sacerdotem, & illi stipendium dare, ut illam audiat, ut tenent Fagund. *lib. 2.*

pre-

præcept. 1. Eccles. cap. 9. n. 9. Soar. *tom. 3. in 3. part. q. 83. artic. 6. disp. 88. sect. 6.* Ledesm. *in summ. part. 1. cap. 27. de Euchar. conclus. 16.* Trullench. *in Bull. lib. 1. §. 3. dub. 6. n. 9.* quos refert, & sequitur Dian. *part. 1. tract. 11. resol. 2. & part. 4. tract. 4. resol. 80.* quibus accedunt Mascarenh. *cit. n. 531.* Mend. *disp. 15. n. 28.* sed hoc ideo est, quia nemo tenetur uti suo privilegio: Ergo idem dicendum in nostro casu.

107. Tertia ratio: Si interdictâ civitate, missa extra illam celebretur, nemo tenetur extra civitatem adire, ut missam audiat: Ergo etiam non tenetur illam audire in civitate, si Bullam habeat.

108. Quarta ratio: Tempore interdicti datur præceptum Ecclesiasticum non audiendi missam; & etiam datur aliud præceptum audiendi missam diebus festis absolutè: Ergo potest quis huic, vel alteri præcepto se conformare, & maximè primo, cum se communitati conformet: Ergo missam interdicti tempore non tenetur audire.

109. Quinta ratio: Quia in Bullâ conceditur, ut possit missa audiri tempore interdicti, *sic enim* habetur in summario: *Em qualquer oratorio... E em outres lugares ainda que sejam por authoridade Apostolica interdictos, possam sendo sacerdotes, celebrar a missa licitamente, e naõ o sendo acharse presentes a ella:* Cùm ergo utatur verbo: *possam*, in voluntate Bullam habentis relinquitur illam audire, vel non audire: quia verbum illud obligationem non inducit.

110. His non obstantibus: Secunda, & affirmativa sententia est probabilior; illam defendunt Henriq. *lib. 9. cap. 25. n. 11. & lib. 13. cap. 48. n. 5.* Rodrig. *in Bull. §. 5. n. 6.* Sot. *in 4. dist. 13. q. 2. art. 1.* Soar. *tom. 3. in 3. part. disp. 88. sect. 6. vers. solet hic interrogari & lib. 8. de legib. cap. 23. n. 7.* Sanch. *lib. 9. de matrim. disp. 6. n. 14.* Petr. de Ledesm. *de Euchar. cap. 27. post conclus. 16. diff. 2.* Cened. *in qq. Comm. q. 44.* Cast. Pal. *tom. 1. tract. 3. disp. 4. punct. 7.* Barth. de S. Faust. *de sacrific. miss. lib. 2. q. 425.* Tancr. *l. 2. disp. 5. q. 6. dub. 2. n. 25.* Villal. *in summ. tom. 1. tract. 19. diff. 5. n. 14.* Portel. *in dub. Regul. verb. privilegii usus. n. 39.* Riccius *in Bulla addit. ad §. 5. à n. 18.* à Cost. *q. 28.* Azor. *tom. 1. lib. 7. cap. 2. q. 3.* Joann. Sanch. *in select. disp. 5. n. 2.* Reginald. *lib. 19. n. 16. in fine,* Bonacin. *disp. 4. de sacrific. missæ q. ult. punct. ult. n. 23. & disp. 5. de interdict. punct. 4. n. 19.* Card. de Lug. *de sacram. disp. 22. n. 13.* Barbos. *in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 33. cap. 25. n. 7.* Pragos. *tom. 2. disp. 7. de Bull. n. 34.* Leand. *part. 3. tract. 2. disp. 2. q. 7. & part. 4. tract. 5. de interdict. disp. 5. q. 42.* Bard. *part. 2. tract. 2. cap. 3. à n. 55.* Mend. *disp. 15. à n. 20.* Escob. *in Theolog. moral. tom. 1. lib. 7. n. 490.* Arriag. *tom. 8. disp. 57. n. 19.* Marchin. *de ordin. tract. 3. part. 3. cap. 17. n. 4.* Henao *de sacrif. miss. disp. 30. à n. 191.* Lezan. *in qq. Regul. tom. 3. verb. Bulla Cruciata n. 14.* & alii quamplurimi apud citatos, & utramque probabilem dicit Tambor. *in Bull. cap. 5. §. 2. n. 7. in fine,* Dian. *1. part. tract. 11. resol. 2.* & Bonac. *tom. 2. disp. 1. de leg. q. 3. punct. 4. in fine.*

111. Probatur hæc sententia, quia præceptum audiendi missam diebus festis obligat omnes, qui non habent impedimentum: sed habens Bullam tempore interdicti nullum habet impedimentum ad audiendam missam: Ergo tempore interdicti tenetur illam audire.

112. Confirmatur primò: Siquis in vinculis detineatur, pro eo tempore ab audiendâ missâ die festivo excusatur: at si privilegium habeat exeundi à carcere, in aliquo die festo, & detur occasio audiendi missam, tenetur illam audire: Ergo etiamsi excusetur aliquis ab audiendâ missâ, quia datur interdictum, non excusabitur si habeat privilegium, illam audiendi virtute Bullæ Cruciatæ.

113. Secundò confirmatur alio exemplo: Si coniux votum castitatis habeat, certum est non excusari à reddendo debito petenti: at si petens committat adulterium, jam habens votum, non solùm potest non reddere, sed etiam tenetur non reddere, ut votum servet, (ut communiter docent Theologi apud Bard. *citatum*) quia jam non habet impedimentum servandi votum, quod votum si non daretur, & poterat reddere, & non reddere; at posito voto, & dato adulterio in conjuge, servare votum tenetur: Ergo etiam dato interdicto, non tenetur quis audire missam: si tamen Bullam habeat, jam non datur impedimentum, ut præceptum observet.

114. Ad has confirmationes respondent Avil. & Bard. (quanvis enim in eâdem non conveniant opinione, in has, & similes confirmationes impugnando conveniunt) dari disparem rationem: quia carcere detentus, & votum habens castitatis nullo jure humano prohibetur audire missam, & non reddere debitum conjugi petenti: at jus humanum prohibet laicis tempore interdicti audire missam: privilegium verò Bullæ, per quod conceditur missam audire, cùm sit vulnus juris, ac proinde odiosum, non videtur cadere sub præceptum.

115. Hæc tamen disparitas nullam habet efficaciam ad hoc, quod prædicta exempla non probent intentum; quia sive impedimentum proveniat à jure, sive ab aliâ quâcunque causâ, si cessat, tenetur non impeditus missam audire. Addo, privilegia Bullæ non esse odiosa, sed favorabilia, ut diximus *disp. 1. n. 73.*

116. Restat, ut respondeamus ad rationes oppositæ sententiæ. Ad primam *n. 105.* allatam dico, habentem Bullam non teneri uti suo privilegio; nec privilegium est, quod obligat habentem Bullam: at supposito privilegio; quia non habet impedimentum, quod eum excuset ab audiendâ missâ, tenetur illam audire.

117. Ad secundam *n. 106.* adductam, respondeo cum Authoribus ibi citatis, negando minorem; quia non excusatur ab audiendâ missâ infirmus, vel in suâ domo incarceratus, eo quòd non teneatur uti suo privilegio: Sed quia solùm tenetur in diebus festis missam audire; & cùm nullo modo teneatur quærere sacerdotem, & illi præbere stipendium, ut missam audiat, quia ad hoc non obligat præceptum, inde provenit, quòd non tenetur missam audire: at si de facto in tali oratorio missa celebretur, tenetur illam audire; & idem dicendum, si gratis inveniat sacerdotem, qui missam celebret; jam enim nullum datur impedimentum ad illam audiendam; quod licèt sit contra Trullench. & Ledesm. apud Dian. *4. part. tract. 4. resol. 80.* existimantes, hoc esse odiosum, & privilegium derogatorium juris communis, ac proinde per illud non tolli impedimentum; hæc tamen ratio non convincit, quia

si id impedimentum tollitur per privilegium, idem de illo dicendum, ac de nostro casu, in quo eadem datur paritas: ut tenent D. D. citati, & Mend. adductus *num.* 28. & 29.

118. Ad tertiam *num.* 107. respondetur, negando antecedens; dummodo distantia itineris non sit unius leucæ: at si sit dimidiæ leucæ, non excusat juvenes, viros robustos, & operarios valentes; excusabit tamen pueros, puellas ætatis teneræ, senes, & viros debilium virium; si verò fœminæ sint delicatæ, seu alicujus authoritatis, non tenentur ire pedestres, ultra unum milliare; quod est tertia pars unius leucæ. Sic Dicastill. *tract.* 5. *de sacram. disp.* 4. *num.* 184. Vide Leand. *part.* 3. *tract.* 2. *disp.* 2. *à quæst.* 21. *usque ad* 26. ubi multas refert opiniones de distantia itineris, quæ ab audiendâ missâ excusat. Et ex dictis patet, non manere excusatum illum, qui habitat in civitate interdictâ ab audiendâ missâ, si extrà illam potest missam audire: at si Bullam, vel privilegium habeat ad illam in loco interdicto audiendam, ad id tenetur; quia nullum habet impedimentum.

119. Ad quartam rationem *num.* 108. respondetur, non dari præceptum Ecclesiasticum de non audienda missa erga Bullam habentem: quia ex eo quòd Bullam habet, id præceptum cessavit, & viget aliud præceptum de missâ in die festo audiendâ.

120. Ad quintam *num.* 109. allatam respondeo, verba summarii non significare potentiam ad obligationem præcepti, sed potentiam moralem ad audiendam missam absolutè, & simpliciter. Unde si potest moraliter illam audire in die festo ad id tenetur; neque hoc judicari debet onus, sed maxima gratia, qualis judicatur, quæ *in cap. Alma mater de sentent. excommunic. in* 6. conceditur clericis ministris Ecclesiæ, & Religiosis, ut possint januis clausis tempore interdicti celebrare, & assistere divinis.

121. Circa quod privilegium adverte; licèt prima sententia sit probabilis, dum excusat habentes Bullam, ab audienda missa tempore interdicti: ut diximus *num.* 104. *in fine*: non tamen est probabilis, ex privilegio concesso clericis, & Ministris Ecclesiæ *in cap. Alma mater*, quia hi tenentur missam diebus festis audire; & hujus diversa ratio est; quia privilegium Bullæ conceditur ipsi personæ in particulari, quæ illud liberè potest renuntiare: at privilegium *in cap. Alma mater*, concessum omni ordini Ecclesiastico confertur, & illi quilibet privatus non potest renuntiare. Sic Ludov. à Cruce *in Bull. disp.* 1. *cap.* 5. *dub.* 4. *num.* 6. Tambor. *etiam in Bull. cap.* 5. §. 2. *n.* 8.

SECTIO XVII.

Quænam concedantur tempore interdicti circa usum sacramentorum?

122. VIdimus in principio sectionis primæ, quæ sacramenta tempore interdicti absque privilegio administrari, ac suscipi concedantur; & quæ administrari, & suscipi prohibita sint; nunc inquirimus, quæ sacramenta virtute Bullæ administrari, & suscipi possint? Respondeo, concedi ea, quæ ibi diximus, prohiberi, nempe: Eucharistiam, Ordinem, Extremam unctionem, & benedictiones nuptiales (cum limitatione mox adducenda *num.* 124.) dummodo, qui ministrat, vel accipit hæc sacramenta, causam non dederit interdicto, vel per illum non stet, quo minus amoveatur; quæ conditio non solùm requiritur, ad missam audiendam; sed etiam ad recipienda sacramenta, ut ex verbis Bullæ colligitur.

123. Adverte primò: Sacramenta non solùm concedi, recipi in oratoriis privatis, sed etiam in Ecclesiis, ut constat ex Bullâ, ibi: *Tempore interdicti hujusmodi divinis interesse, nec non Eucharistiæ, & alia Ecclesiastica sacramenta, præterquam in die Paschatis, recipere*: quæ clausula est absolura, & independens; & dictio *nec non* quæ resolvitur in copulativam & repetit omnes qualitates præcedentis orationis, Gloss. *Verb. nec non in Clement. I. de offic. delegat.* & DD. communiter apud Barbos. *dict.* 209. & cùm immediatè concedatur, posse in privato oratorio, & in locis interdicto suppositis missam celebrari, hoc ipsum conceditur circa administrationem Eucharistiæ, & aliorum sacramentorum: ita docent Ludovic. à Cruce *in Bull. disp.* 1. *cap.* 5. *dub.* 5. *n.* 2. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 4. Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 3. *dub.* 7. *num.* 5. Soar. *de interdict. disp.* 33. *sect.* 1. *num.* 33. Villal. *tract.* 27. *claus.* 4. *n.* 19. Rodrig. *in Bull.* §. 5. *num.* 7. Bard. *part.* 2. *tract.* 2. *cap.* 4. *num.* 4. Mend. *disput.* 15. *n.* 36. Escobar *in Theolog. moral. tom.* 1. *à n.* 88.

124. Adverte secundò: quando diximus facultatem recipiendi sacramenta concedi tempore interdicti in oratorio, vel in aliis locis, intelligi debere: communionem Paschalem (de quâ *infra* erit sermo,) & in periculo, vel articulo mortis, matrimonium cum benedictionibus, & extremam unctionem, non nisi à proprio Parocho esse administranda, nec Ordines, nisi à proprio Episcopo; alia verò in suo jure manent. Hæc tempore interdicti erant prohibita, & per Bullam concessa sunt: hæc tamen concessio eo modo accipienda est. Et clarè ostenditur, quia si tempore non interdicti, nulli licitum est, etiam in Ecclesiis illa sacramenta recipere ab aliis, qui non sunt proprii Parochi, sinè illorum speciali licentiâ, ita etiam tempore interdicti nunquam licebit illa recipere, nisi à propriis, Parocho scilicet, & Episcopo. Sic Mend. *supra num.* 38. Trullench. in particulari de benedictionibus *lib.* 1. §. 3. *dub.* 9. *num.* 2. & Escobar *proximè num.* 91.

125. Adverte tertiò: benedictiones nuptiales jure communi esse prohibitas à prima die Adventus, usque ad Epiphaniam inclusivè, & à primâ die cinerum, usque ad dominicam in Albis, etiam inclusivè, ut constat ex Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 10. *de reformat.* at pro toto tempore interdicti sunt prohibitæ: per Bullam verò conceditur, eo interdicti tempore illas recipere, tam in oratorio privato, quàm in Ecclesiâ. Quod intelligitur extra tempus à jure communi prohibitum; nam per id tempus nec virtute Bullæ possunt accipi: Bulla enim solùm tollit tempus interdicti; & alia non concedit. Sic Henriq. *lib.* 2. *de matrim. cap.* 2. *num.* 1. *litter. F.* Rodrig. *in addit. ad* §. 5. *num.* 22. & alii quos refert & sequitur Trullench. *lib.* 1. §. 3. *dub.* 9. *n.* 1. & 2. accedit Mend. *dict. disp.* 15. *n.* 37. Escobar *super citatus.*

126. In-

126. Inquires tamen: An liceant benedictiones nuptiales in illis festivitatibus, in quibus juxta textum *in cap. Alma mater, de sentent. excommunic. in 6.* suspenditur interdictum? Ante resolutionem suppono, festivitates, in quibus suspenditur interdictum eo capite, esse Nativitatem Domini, Resurrectionem, Pentecosten, & Assumptionem B. Virginis Mariæ; an vero hæc suspensio duret per unum, tres vel plures dies. Vide Leand. *tom. 4. tract. 5. de interdict. disp. 4. à quæst. 28. usque ad* 32. suspenditur etiam interdictum in festivitate corporis Christi, & per octavam per Martinum V. & Eugenium IV. & in festivitate Immaculatæ conceptionis B. Mariæ Virginis, & per octavam pro sola Hispania, à Leone X. nec non in festivitate omnium sanctorum secundum aliquos Doctores. De his Leand. *cit. q.* 33. Hoc supposito.

127. Respondeo ad quæsitum; sine Bullâ, vel cum illâ non licent benedictiones nuptiales in festivitatibus Nativitatis Domini, Resurrectionis, & immaculatæ conceptionis, cum suâ octavâ, quia jure communi his diebus prohibentur, ut vidimus *num.* 125. at in aliis, nempe Pentecostes, corporis Christi, Assumptionis B. Mariæ Virginis, & omnium sanctorum licent, etiam sine Bulla; quia in his diebus licet tempore interdicti solemniter celebrare divina officia: benedictiones verò nuptiarum comprehenduntur sub nomine officii divini. Sic Trullench. *ubi supra à n.* 3. & cum pluribus Leand. *proximè q.* 39. Escobar *cit. n.* 92.

SECTIO XVIII.

An virtute Bullæ possit quis recipere Eucharistiam à quocunque sacerdote absque Parochi licentiâ?

128. UT hæc quæstio, de qua sui interrogatus, dissolvatur, suppono primò ex recepta consuetudine in Portugalliæ Regno, & etiam in Hispania, posse fideles ubique communicare: dummodo in Paschate, & per modum viatici, fiat communio per manus Parochi, vel per alium de ejus licentia. Sic de hoc Regno testatur Abreus *de Paroch. lib. 10. num.* 592. & de Hispaniâ Mend. *disp.* 15. *n.* 39.

129. Secundò suppono cum eodem Mend. *cit.* Episcopum approbare sacerdotem, & jurisdictionem illi præbere administrandam Eucharistiam, quando ab eo approbatur ad missam celebrandam; tametsi Petrus Vincentius de Mareilla *in suo memoriali, ad Episcopum Compostellanum apud Cardin. de Lug. de sacrament. disp.* 17. *n.* 30. & 31. licèt Gavantus, *in rubric. Miss. part. 2. tit. 10. post n. 6. lit. D.* & Joann. Sanch. *in soleatis disp.* 19. *n.* 4. apud Leand. *part. 2. tract. 7. disp. 4. q. 2.* dicant, nullam requiri jurisdictionem in sacerdote, ad administrandam Eucharistiam ex devotione per annum; sed sufficere potestatem ordinis; quam sententiam probabilem judicat ipse Leand.

130. Tertiò suppono cum communi D. D. sufficere, administrandam Eucharistiam consensum Parochi expressum, vel interpretativum, aut præsumptum, qui semper adest, cùm præsumatur, eum ratam illam esse habiturum. Ita Cardin. de Lug. *de sacram. disp.* 18. *n.* 31. & 37. Soar. Vazq. Dicastill. & alii, quos refert, & sequitur Leand. *supra q.* 3. quibus accedit Mascarenh. *de sacram. tract. 4. disp. 4. cap. 4. n.* 161. cum pluribus, quos ibi adducit.

131. Quartò suppono cum Abreu *de Paroch. lib. 9. n.* 177. quando Parochus alicui dat facultatem, in sua Ecclesiâ celebrandi, censeri illi tacitè concedere facultatem ministrandi Eucharistiam illis, qui ex devotione illam petierint. Addit Tamborin. *in method. celebrand. miss. lib. 1. cap. 4. §. 4. n.* 26. cùm S. Pontifex alicui familiæ concedit audire missam in oratorio privato, dicere possumus, quòd ei etiam concedat ibi sumere Eucharistiam, quia communio pertinet ad idem sacrificium; nam olim semper communicabant, qui missæ intererant, quam rationem non rectè impugnat Henaus *de sacrif. missæ disput.* 23. *n.* 175.

132. Quintò suppono, Religiosos posse ministrare Eucharistiam omnibus Christi fidelibus, quovis anni tempore, & loco, excepto die Paschatis, (qui dies *infra* explicabitur) absque licentiâ Parochi. Sic Societati JESU, concessit Paulus III. ut habetur *in compendio privilegiorum Societatis* JESU *verbo Eucharistia* §. 2. & tenent Authores, quos refert, & sequitur Leand. *ubi supra q.* 4. Mascarenh. *de sacrament. tract. 4. disp. 4. cap. 4. n.* 174. & 175. Mend. *disp.* 15. *n.* 40. Lezan. *in qq. Regular. tom. 1. cap. 21. n.* 8. His suppositis,

133. Inquirit quæstio: An habens Bullam possit suscipere Eucharistiam tempore interdicti vel extra illud, in oratorio privato, vel in Ecclesiis à quolibet sacerdote absque licentiâ Parochi? Prima sententia negat; illam defendunt Soar. *tom. 3. in 3. part. disp.* 72. *sect. 2.* Nunûs *tom. 1. in 3. part. q.* 82. *art. 3.* Rodrig. *in addit. ad §. 5. n.* 9. Henriq. *lib. 7. cap. 13. n.* 4. Avil. *de cens. part. 5. disp. 4. sect. 1. dub.* 8. Trullench. *in Bull. lib. 1. §. 3. dub. 8. n.* 4. Cardin. de Lug. *de sacram. Euchar. disp.* 18. *a n.* 41. Dicastill. *de Euchar. tract. 4. disp.* 11. *dub. 3. n.* 44. Villal. *tract. 27. clauf. 4. in fine*, quos refert, & sequitur Leand. *part. 2. tract. 7. de Euchar. disp. 4. q. 6. & part. 4. tract. 5. de interdict. disp.* 11. *q.* 16. quibus accedunt Bard. *part. 2. tract. 2. cap. 6. à num.* 39. Mend. *disp.* 15. *a n.* 42. Escobar *in Theolog. moral. tom. 1. l. 7. n.* 496. Rationes pro hâc sententiâ *infra* proponuntur *à n.* 139.

134. Secunda sententia ex opposito affirmat. Illam tuentur Vazq. *tom. 3. in 3. part. disp.* 219. *cap. 5. n.* 47. Filliuc. *tom. 1. tract. 4. cap. 9. n.* 263. Castr. Pal. *part. 4. tr. 21. disp. unic. punct. 18. n. 4. & tract. 25. de Bull. disp. unic. punct. 6. n.* 15. Lezan. *supra tom. 3. verb. Eucharistia n.* 11. Dian. *part. 1. tract. 11. resol. 20. & part. 4. tract. 4. resol.* 81. & *part. 9. tract. 1. resol. 9. &* 25. & apud illum *in 4. part. loco cit.* Petr. Ochagavia *de sacram. tract. 3. de minist. Euchar. q. 4. n. 16. & in part. 9.* Aversa *de sacram. Euchar. q. 11. sect. 14. §. 8.* quibus addo Mascarenh. *de sacram. Euchar. tract. 4. disp. 4. cap. 4. n.* 173. *in fine, & n.* 180. & *n.* 181. addit; posse celebrantem dare communionem infirmo, etiam in mortis articulo, si jam per modum viatici communicavit; & Abreus *de Paroch. lib. 10. n.* 592. à Cost. *in Bull. q. 27. vers. secundum privilegium* Tamborin. *in Bull. cap. 6. n. 3. in fine* Benedict.

Pereyr.

Pereyr. *in prompt. tom. 2. n. 1407. vers. Rectius tamen.* Basil. Legion. *in Bull. cap. 3. n. 26.* apud Mend. *ubi supra*, qui hanc sententiam videtur tenere *in stater. dissert. 14. n. 122.* Eandem probabilem dicunt Leand. *locis citat.* Et illustrissimus Episcopus Angolanus D. D. Fr. Anton. à Spiritu Sancto *in direct. confess. tract. 6. n. 283.* & ut certa innuitur ab Arriag. *tom. 7. disp. 47. n. 31.* & idem Tamborin. qui *citato loco* illam expresè docet; & probabilem fatetur utramque *in method. sacræ comm. cap. 4. §. 4. n. 44.*

135. Inter has duas opiniones difficile est ferre sententiam: nam qui sequuntur secundam, dicunt primam esse probabilem; & Dian. *part. 9. loco citat.* asserit, esse probabiliorem, & consulendam. Et primam defendentes non pauci, ut Soar. Nunùs, Bard. & Mend. docent, secundam esse improbabilem. His tamen non obstantibus censuris, existimo, secundam opinionem non solùm esse probabilem propter tantorum D. D. authoritatem, sed esse probabiliorem, ob rationes, quas pro se habet efficaciores.

136. Prima sit, quia intentio S. Pontificis in his verbis: *Et tempore interdicti hujusmodi divinis intereſſe nec non Eucharistiæ, & alia Ecclesiastica sacramenta, præterquam in die Paschatis, recipere*, fuit tollere interdicti impedimentum: Sed ablato interdicti impedimento, potest habens Bullam suscipere Eucharistiam, ac alia sacramenta, ac si non esset interdictum, in oratorio, vel in Ecclesiis virtute ejusdem Bullæ: Ergo etiam potest Eucharistiam recipere à quocunque sacerdote, absque licentiâ proprii Parochi extra tempus interdicti. Major admittitur ab adversariis. Minor probatur, quia dato privilegio, ad missam audiendam in oratorio, & in aliis locis interdicto suppositis, censetur tacitè facultatem concedi ad Eucharistiam suscipiendam, ut vidimus in quartâ suppositione ex Abreu, & Tambor. Ergo si Pontifex concedit facultatem audiendi missam in oratorio, & Ecclesiis, etiam illam concedit ad communicandum; nam communio ad idem pertinet sacrificium. Si hoc ergo conceditur, quare dicendum est; quòd communio non conceditur, maximè cum Concil. Trident. *sess. 22. de sacrif. miss. cap. 6.* desideret, ut fideles in singulis missis communicent, ibi: *Optaret sacrosancta Synodus, ut in singulis missis fideles adstantes non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quoad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret.* Ex hâc minoris probatione bene sequitur consequentia.

137. Secundò, & efficax ratio est; quia in prædictis Bullæ verbis excipitur dies Paschæ, qui refertur etiam ad Eucharistiæ receptionem: Si ergo excipitur, ideo est, quia sublato interdicti impedimento, debebat jus commune observari, quod disponit *in cap. omnis utriusque sexus de pœnit. & remiss.* ut præceptum communionis hoc tempore adimpleatur, recipiendo Eucharistiam à proprio Parocho, vel ab alio de ejus licentiâ: Si ergo hæc exceptio ponitur, ut jus commune observetur, signum est, Eucharistiam extra hunc diem posse recipi à quocunque sacerdote, absque licentiâ Parochi; nam die Paschatis, & in oratorio privato, & in aliis Ecclesiis, de licentiâ Parochi poterat recipi.

138. Confirmatur, quia in illâ exceptione: *præterquam in die Paschatis*, utitur S. Pontifex dictione *præterquam*, quæ naturam habet eximendi communionem paschalem à novâ dispositione Bullæ, & illam relinquendi sub eâdem juris dispositione, quâ prius continebatur. Deinde est exceptiva, & importat contrarium ejus, quod in regulâ continetur, ut ex jure, & DD. docet Barbosa *tract. de dict. dict.* 281. si ergo dictio *præterquam*, communionem paschalem à nova dispositione Bullæ eximit, & importat contrarium ejus, quod in regulâ continetur, bene sequitur dispositionem Bullæ, & contrarium illorum verborum *præterquam in die paschatis*, esse quòd Eucharistia à quocunque sacerdote recipi possit: nam exceptio erat, quòd in Paschate recipiatur à proprio pastore; contrarium verò est, quòd extra hunc diem recipiatur à quocunque sacerdote: ergo à quolibet sacerdote, extra prædictum diem virtute Bullæ Eucharistia recipi potest.

139. Dices primò cum Bardi: Facultas recipiendi aliquod sacramentum non extenditur ad circunstantias receptionis, si de illis mentio non fiat, nec aliqua sit cum ipsâ receptione necessariò connexa: Ergo facultas recipiendi Eucharistiam non extenditur ad ministrum, nempe ad quemcunque sacerdotem; & maximè cum detrimento proprii. Confirmatur: quia si à quolibet sacerdote potest recipi Eucharistia, etiam alia sacramenta à quolibet sacerdote possent administrari, nullâ habitâ parochi licentiâ; ut sunt Extrema unctio, & matrimonium; quia Bulla eodem modo concedit Eucharistiæ receptionem, quo alia sacramenta; ac proinde etiam poterit à quolibet Episcopo ad Ordines promoveri, sine dimissoriis proprii; nam eadem clausula etiam hoc comprehendit sacramentum. En ratio efficax hujus controversiæ Bard.

140. Omissa responsione Vazq. quam Bardî impugnat, & nos non defendimus, sed tantùm illius assertum, seu opinionem; respondeo ad argumentum, negando consequentiam; quia in receptione Eucharistiæ per Bullam concessâ tempore interdicti fit mentio de quocunque sacerdote: excipitur enim una communio, quæ à proprio sacerdote, vel ab alio de ejus licentiâ recipi debet: *præterquam in die Paschatis:* At in jure tritum est, exceptionem firmare regulam in contrarium: ut ex jure, & DD. ostendit Barbos. *de axiom. 85. n. 4.* si ergo Paschalis excipitur communio, quæ jure suscipi debet à Parocho, aliæ intra annum per Bullam à quolibet sacerdote sine Parochi licentiâ recipi possunt. Nec per hoc privilegium læditur Parochi jurisdictio; quia non datur læsio, quando illi gratæ sunt communiones suorum Parochianorum ab aliis sacerdotibus exhibitæ, seu administratæ: ut *supra* diximus, esse Parocho gratas communiones ex devotione; læderetur tamen, quando communiones sunt ex præcepto, si absque suâ licentiâ ab alio sacerdote administrarentur, quales sunt Paschales, & per modum viatici; quæ semper secundum jus debent excipi.

141. Ad confirmationem respondeo; non sequi ex eo, quòd Eucharistia à quolibet sacerdote posset recipi, etiam alia sacramenta posse à quolibet administrari, nullâ habitâ Parochi licentiâ: quia non eodem modo illorum usus conceditur, in hâc clausulâ; nam quoad Eucharistiam, per dictionem *præterquam*, datur nova dispositio, ut vidimus *supra*; & per exceptionem communio-

nio-

nionis Paschalis à proprio sacerdote, confirmatur, habentem Bullam in aliis diebus posse illam obtinere à quolibet sacerdote, absque licentiâ proprii. Hoc tamen non datur, quoad alia sacramenta, ad quorum usum tollitur interdicti impedimentum. Unde per Bullam possunt ministrari eo modo, quo illo non dato, ministrarentur: Cùm verò extra tempus interdicti, extrema unctio, benedictiones nuptiarum, & matrimonium, nec non sacramentum Ordinis non possint ministrari, nisi à proprio Parocho, vel Episcopo, vel de illorum licentiâ, inde est quod nec etiam, tempore interdicti per Bullam possunt à quolibet administrari; quia ut jam dixi, per illam solùm tollitur interdicti impedimentum, extenditurque Eucharistiæ receptio ad quemlibet sacerdotem, cætera verò in suo jure manent. Et in hâc parte, quanvis non convenio cum adversariis, à Vazq. ratione dissentio, qui hanc defendit opinionem.

142. Dices secundò cum Mendo: In Bullâ inferius exprimitur facultas eligendi quemlibet approbatum ad confessionem audiendam; sed non exprimitur facultas eligendi quemlibet sacerdotem ad Eucharistiam suscipiendam tempore interdicti: Ergo quilibet sacerdos non potest virtute Bullæ Eucharistiam ministrare, sed standum est jure communi. Respondeo, negando minorem: quia ex *supra* dictis constat satis de expressione, dum conceditur, ut missa audiatur in oratorio, & in aliis locis, & per exceptionem communionis Paschalis, quæ à proprio Parocho ministratur; quæ verba, si non confirmarent facultatem recipiendi Eucharistiam à quolibet sacerdote sine licentiâ proprii, essent superflua; quia à proprio tempore interdicti potest Eucharistia recipi, vel ab alio de ejus licentiâ: receptio ergo Eucharistiæ concessa in Bulla non de proprio, sed de quolibet sacerdote intelligenda est. Nec alia expressio hujus concessionis necessaria erat; quia non tanta requiritur, quanta ad audiendas confessiones, requiritur. Supersedeo aliis fundamentis adversariorum, eo quòd sint minoris momenti, & facilè ex dictis dissolvi possunt.

Post hæc scripta, inveni in quodam opusculo, cujus titulus est: *Constitutiones, & decreta Apostolica, præcipue utilia hoc tempore adversus quosdam abusus in materia fidei, & morum*; typis datum Moguntiæ anno 1679. superiorum permissu; in quo à fol. 144. continetur decretum à S. Cardin. Congreg. Concilii Trident. interpretum emanatum de mandato SS. D. N. Innocentii XI. & ab eo approbatum, & jussum publicari. Ex quo constat posse fideles sacram recipere communionem absque Parochi licentiâ, & absque Bullæ privilegio, non solum in Ecclesiis, sed etiam in Oratoriis ex dispensatione, & privilegio Pontificis concessis. Et quoniam hoc decretum est novum, & in Auctoribus non adhuc invenitur, continensque plura ad communionem quotidianam proficua, illud in medium adduco. Et sic habet.

Decretum circa communionem quotidianam datum Romæ 12. Februarii 1679.

CUm ad aures SS. D. N. fide dignorum testimonio pervenerit, in quibusdam Diœcesibus vigere usum quotidianæ communionis, etiam in feria sexta Parasceves, & simul affirmari eandem quotidianam communionem præceptam esse à jure divino, quin etiam in illius administratione aliquos abusus inolevisse; videlicet, quòd aliqui, non in Ecclesia, sed in privatis Oratoriis, & domi, imo cubantes in lecto, & non laborantes ulla gravis infirmitatis nota sumant sacrosanctam Eucharistiam, quam argentea theca inclusam in crumena, aut secreto illis deferunt sacerdotes sæculares, aut regulares; aliique in communione accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores solitò; ac tandem quis confiteatur peccata venialia simplici sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Cum autem hæc S. S. consideranda commiserit S. Congregation. Cardinalium Concil. Trident. interpretum, eadem sacra Congregatio prævia matura discussione super prædictis unanimi sententiâ, ita censuit: Etsi frequens quotidianusve sacrosanctæ Eucharistiæ usus à SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus; nunquam tamen, aut sæpius illam percipiendi, aut ab ea abstinendi, certos singulis mensibus, aut hebdomadis dies statuerunt, quos nec Concil. Trident. præscripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet tantum indicavit, cum inquit: Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis missis fideles adstantes sacramentali Eucharistiæ perceptione communicarent; idque non immeritò; multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variæ ob negotia spiritus alienationes, multæ è contra gratiæ, & Dei dona parvulis concessa: quæ cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certè de cujusque dignitate, atque integritate, & consequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui. Et propterea quod ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus, confessariorum secreta cordis explorantium, judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem processu laicis negotiatoribus, & conjugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt. In conjugatis autem hoc amplius animadvertent, cum B. Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacent orationi, eos seriò admoneant, tanto magis ob sacratissimæ Eucharistiæ reverentiam continentiæ vacandum, puriorique mente ad Cælestium epularum communionem esse conveniendum. In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut à frequenti, aut quotidiana sacræ communionis sumptione, unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seu confessarios sibi decernendum putet; Illudque omnino provideat ut

nemo à sacro convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur, & nihilominus det operam, ut unusquisque dignè pro devotionis, & præparationis modo rarius, aut crebrius Dominici corporis suavitatem degustet. Itidem Moniales quotidie sacram communionem petentes admonendæ erunt, ut in diebus ex earum ordinis instituto præstitutis communicent; si quæ verò puritate mentis eniteant, & fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis à superioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum, & confessariorum diligentiam, opera quoque concionatorum uti, & cum eis constitutum haberi, ut cum fideles ad sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, statim de magna ad illud sumendum præparatione orationem habeant, generatimque ostendant, eos qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive Laici negotiatores sint, sive conjugati, sive quicumque alii suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac divini judicii formidine discant cœlestem mensam, in qua Christus est, revereri; Etsi quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad majorem præparationem accingere. Episcopi autem in quorum Diœcesibus viget hujusmodi devotio erga sanctissimum Sacramentum pro illa gratias Deo agant, eamque ipsi adhibito prudentiæ, & judicii temperamento alere debebunt, & ab eorum officio postulari sibi maximè persuadebunt, nulli labori, aut diligentiæ parcendi, ut omnis irreverentiæ, & scandali suspicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque, ac dona in sumentibus augeantur. Quod abundè continget si ii, qui devoto hujusmodi studio, divina præstante gratia tenentur, seque sacratissimo Pane frequentius refici cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore, & charitate assueverint: Quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum, & se pretium in morte tradidit, atque in cœlesti Regno se præmium est daturus, precatur sacra congregatio, ut suam opem ad dignam præparationem & sumptionem largiatur. Porro Episcopi, & Parochi, seu confessarii redarguant asserentes communionem quotidianam esse de jure divino, doceant in Ecclesiis, seu Oratoriis privatis ex dispensatione, seu privilegio Pontificis de manu Sacerdotis sumendam sanctissimam Eucharistiam, nec eam ullo modo deferendam in crumena, aut secreto ad existentes domi, vel cubantes in lecto, quàm ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca prædicta accedere non valeant, & ad eos, si ab Ecclesia deferatur publicè, & cum pompa juxta formam Ritualis Romani; si verò ab oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent etiam ut circa communionem in feria sexta Parascevæ, Missalis Rubricæ, & Ecclesiæ Romanæ usus serventur. Insuper admoneant nulli tradendas plures Eucharistiæ formas, seu particulas, neque grandiores, sed consuetas. Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi, & confessarii etiam regulares, aut quicunque alii Sacerdotes secus egerint, sciant Deo Optimo, Maximo rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum, & Ordinariorum justam, ac rigorosam animadversionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu, facultate ipsis Episcopis, & Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa.

Et facta de præmissis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, sanctitas sua approbavit, ac præsens decretum typis mandari, ac publicari voluit. In quorum &c.

Ex hoc Decreto constat, posse fideles, etiam absque Parochi licentia, & Bullæ Cruciatæ privilegio, in Ecclesiis, & Oratoriis privatis de judicio confessariorum, quibus hoc judicium relinquitur, Eucharistiam sumere.

SECTIO XIX.

Quomodo intelligatur exceptio diei Paschatis?

143. Conceditur in Bullâ ministrari Eucharistiam per annum tam in oratorio privato, quàm in Ecclesiis, tam in tempore interdicti, quàm extra illud: ut videre est apud Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 3. *dub.* 7. *n.* 5. *&* 6. prohibetur tamen, ne die Paschatis alicui conferatur. Eadem enim prohibitio datur in privilegiis Regularium, dum illis conceditur ministrare Sacramentum Eucharistiæ omni tempore, *præterquam in die Resurrectionis Domini*, in quo festo exigunt Pontifices Rectoris parochialis, aut Diœcesani licentiam, ut constat ex compendio privilegiorum Societatis Jesu, *Verb. Eucharistia.* §. 3.

144. Inquires primò: Quid per diem Paschatis juxta Bullam, & per diem Resurrectionis, juxta Regularium privilegia, intelligatur? Respondeo, non intelligi illum diem materialiter, in quo Festum Resurrectionis celebratur; sed formaliter pro toto illo tempore, in quo fideles, qui ad annos discretionis pervenerunt, tenentur *ex cap. omnis utriusque sexus, de pœnit. & remiss.* Eucharistiam sumere; sive hoc tempus comprehendat quindecim dies, incipiendo à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusivè, ut ex declaratione Eugenii III. refert Navarr. *in Summ. cap.* 21. *num.* 45. sive ex more alicujus Diœcesis aliud longius spatium contineat, ut videre est apud Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 3. *dub.* 7. *num.* 6. seu ex consuetudine alicujus Regni, aut Provinciæ, ut in Lusitaniâ, in quâ hoc tempus comprehendit totum illud spatium, quod intercedit à primâ die quadragesimæ usque ad Dominicam in Albis inclusivè. Sic docent Henriq. *lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 4. *& lib.* 8. *cap.* 55. Azor. *tom.* 1. *cap.* 41. *q.* 7. *ad finem.* Ludovic. à Cruce *in Bull. disp.* 1. *cap.* 5. *dub.* 5. *num.* 4. Cardin. de Lug. *de Sacrament. disputat.* 18. *sect.* 4. Mascarenh. *de Sacrament. tractat.* 4. *disputat.* 4. *cap.* 5. *num.* 176. Bard. *part.* 2. *tractat.* 2. *cap.* 4. *num.* 9. Escobar *in Theolog. moral. tom.* 1. *lib.* 7. *num.* 493. & alii.

Ratio

Ratio est; quia in his privilegiis non solùm attendenda sunt verba Pontificis, sed etiam illius mens, qui communionem, quâ impletur præceptum, appellat communionem diei Paschatis, seu quod idem est, communionem in die Resurrectionis. Et hic dies excipitur, ut saltem semel in anno Pastor vultus suarum ovium agnoscat, & ab illo oves cœlesti reficiantur cibo.

145. Inquires secundò: An ille, qui jam intra tempus designatum implevit præceptum, vel intendit illud implere ante diem Dominicæ in Albis, possit ex devotione in Ecclesiâ Regularium, vel in suo oratorio, virtute Bullæ sacram recipere Eucharistiam in ipsomet die solemni Paschatis. Prima sententia negat, quam defendunt Trullench. *in Bull. lib. 1. §. 3. dub. 7. n. 8.* Navarr. in Summ. *cap. 21. num. 52.* Azor. *tom. 1. lib. 7. cap. 3. quæst. 7.* Sylvius *in 3. part. q. 80. art. 11. quæst. 1. in fine.* Hieron. Sorb. *in notis ad Compend. privileg. verb. Communicare.* Ex his, Trullench. nomine *diei Paschæ* intelligit omne illud tempus, quod designatum est ad hoc præceptum communionis implendum, ut *supra* vidimus in diversis diœcesibus, diversum esse, & in Lusitaniâ incipere à primo quadragesimæ die, & finiri in Dominicâ in Albis; alii verò Authores solùm ipsum diem solemnem Paschæ excipiunt.

146. Secunda sententia affirmat, & est communis & probabilior: illam tuentur Rodrig. *tom. 1. q. 56. art. 3. vers. ad hanc*, Ludovic. à Cruce *in Bull. disp. 1. cap. 5. dub. 6. n. 11.* Bonacin. *disp. 4. q. 7. punct. 2. n. 9.* Abreus *de paroch. lib. 10. n. 592.* Pellizar. *tom. 2. tract. 8. cap. 3. n. 289.* Bard. *part. 2. tract. 2. cap. 4. à n. 13.* Mend. *disp. 16. n. 12. & in stater. opin. dissert. 14. q. 10. n. 122.* Soar. Filliuc. Vazq. Laym. Fagund. Villal. Hurt. Tancr. Præpos. Dian. Castr. Pal. Amic. Sâ, Barbos. quos refert, & sequitur Mascarenh. *de sacram. tract. 4. disp. 4. cap. 5. n. 177.* Probatur, quia S. Pontifex, excipiendo communionem Paschalem, motus fuit, ut fideles præceptum adimpleant, & parochus suas cognoscat oves; sed ut supponimus, jam hoc præceptum est impletum communione in parochiâ, & à proprio parocho, & non tenentur jam eo anno amplius communicare: ergo possunt ex devotione in Ecclesiis Regularium, vel in aliis, & oratorio privato virtute Bullæ ipso die Resurrectionis Dominicæ sacrâ communione refici. Et ita habet praxis.

147. Dices pro primâ sententiâ: Privilegium Bullæ, & Regularium excipit diem Paschæ: sed hæc privilegia, cùm sint contra jus commune, strictè, & non amplè sunt interpretanda: ergo dies Paschæ non formaliter, sed materialiter est intelligendus. Respondeo, dato quòd ea privilegia sint odiosa, utpote contra jus commune, non sequi, diem Paschæ sumendum esse materialiter, pro ipso die Paschatis Resurrectionis; quia sequeretur, posse fideles in Ecclesiis Regularium, & virtute Bullæ in oratoriis adimplere præceptum communicandi. Probatur sequela, quia juxta hanc interpretationem, solus dies Paschæ materialis excipitur, & nullus alius: ergo cùm nemo teneatur eo die Paschæ materiali ad satisfaciendum præcepto, poterit alio die in Ecclesiis Regularium, vel in oratorio adimplere præceptum.

148. Respondet Trullench. negando sequelam: quia cùm hæc concessio sit odiosa, non est amplianda ad eum casum, in quo non est eadem, aut major ratio: ut optimè Navarr. *consil. 15. n. 1. & cons. 22. num. 3. de privil. lib. 9.* Non enim est eadem ratio de communione ex præcepto, & ex devotione, nam illa ex jure in propriâ Parochiâ, & à proprio Parocho accipi debet: at hoc non militat in communione ex devotione.

149. Hæc tamen responsio non satisfacit; quia non apparet ratio, cur S. S. Pontifices communionem ex devotione exciperent, & nullam mentionem de communione ex præcepto fecissent: & sic excipiendo unam, & de aliâ mentionem non facientes, vel dabitur occasio erroris, vel alicui videbitur excludere communionem ex præcepto. Ne ergo hæc dentur, dicendum est, S. S. Pontifices excipere communionem formalem, nempe ex præcepto, & non materialem ex devotione.

150. Adverte tamen juxta *supradicta* sectione præcedente, non posse Parochum prohibere Bullam habenti, ne in oratorio, vel in aliis Ecclesiis in die Paschatis communionem recipiat: possunt tamen Episcopi prohibere Regularibus, ne in ipsomet die Resurrectionis Domini sæcularibus sacram administrent communionem, quanvis jam antea in suis parochiis satisfeciissent communionis præcepto, vel post ipsam diem satisfacere intendant, sic constat ex declaratione, quæ emanavit à S. Congregatione Concilii cum subscriptione Innocentii X. & est tenoris sequentis.

151. *Die 9. Julii 1644. Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Conc. Trident. interpretum, post maturam discussionem censuit, Archiepiscopum Burdugalensem non posse prohibere Regularibus habentibus privilegia Apostolica, ut à Dominica palmarum, usque ad Dominicam in Albis inclusivè, administrare non valeant personis sæcularibus Sacramentum confessionis, posse tamen eisdem prohibere, ut personis sæcularibus in die Paschatis non administrent sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, etiamsi dictæ personæ sæculares aliâ die satisfecerint præcepto Ecclesiæ de hâc re edito* &c. Hæc declaratio habetur apud Joannem Nald. *in allegatione pro P. P. Societatis JESU contra Episcopum Angelopolitanum in Summ. n. 10.* Dian. *part. 9. tract. 9. resol. 27.* Mascarenh. *de Sacram. tract. 4. disp. 4. cap. 5. n. 177. in fine.* Avendan. *in Thesaur. Indic. tract. 12. tom. 2. cap. 10. n. 222.*

152. Ex hâc declaratione sequitur, quòd dum Regulares ab Episcopo non prohibentur, licitè administrant sæcularibus sacram Eucharistiam die Paschatis, sequitur etiam, enervari aliam declarationem, de quâ meminit Sylvius *loco supra citato*, in quâ anno Domini 1586. die 23. Januarii fuit decisum, non posse sæculares in ipso die Paschatis in Ecclesiis Regularium Eucharistiam sumere, sive ex præcepto, sive ex devotione fiat; quia declaratio subscripta ab Innocentio X. ut posterior, & majori authoritate roborata, asserit, posse Regulares, dummodo ab Episcopo non prohibeantur, Eucharistiam administrare.

SECTIO XX.

An per privilegium assistendi divinis officiis, & recipiendi sacramenta, intelligatur concessa Ecclesiastica sepultura?

153. IN principio sectionis primæ hujus disputationis vidimus, tertium prohibitum tempore interdicti esse Ecclesiasticam sepulturam; quæ prohibitio etiam comprehendit pueros, infantes, & usu rationis carentes. At virtute Bullæ potest quis eâ sepulturâ gaudere, dummodo excommunicatus non decesserit; absolutus tamen ab eâ, poterit hoc privilegio frui, si Bullam, dum vixerat, acceperat: nam mortuo non prodest; etiamsi pro eo accipiatur, ut diximus *disp. 2. sect. 7. num. 60.* Hoc privilegium his verbis conceditur: *Et eorum decedentium corpora cum moderatâ funerali pompâ Ecclesiastica tradi sepulturæ.*

154. Inquirimus ergo: An hoc privilegium sit distinctum à præcedente, in quo conceditur divinis officiis tempore interdicti interesse, & sacramenta recipere? Et non esse distinctum hoc privilegium, asserunt Avil. *part. 5. disp. 4. sect. 3. dub. 4. conclus. 1.* Ægid. *disp. 17. dub. 2. n. 52.* Et Fragos. *tom. 2. disp. 7. num. 33.* id probabile reputat, dum asserit, infantes usu rationis carentes posse sepeliri in loco sacro cum missâ in gratiarum actionem; quia possunt interesse divinis, licèt oppositum existimet probabilius. Pro eodem asserto citat Bard. *statim citandus*, Ludovic. à Cruce, Henriq. Sâ, Navarr. Possunt etiam pro hâc sententiâ citari omnes illi, qui docent, licitum esse sine aliquo privilegio sepelire laicos in loco sacro in illis quatuor festivitatibus, de quibus *in cap. Alma mater de sentent. excommun. in 6.* eo quòd in illis licitum est divinis assistere officiis. Hi sunt Angel. *Verb. interdictum 5. n. 34.* Sylvest. *verb. interdictum 5. §. 4. Vers. quartum.* Tabien. *eodem Verb. num. 12.* Sot. *dist. 22. q. 3. art. 1.* Navarr. *cap. 17. num. 181. in fine.* Covarr. *in cap. Alma mater part. 2. §. 5. num. 6. Vers. octavo quæritur.* Henriq. *lib. 13. cap. 44. n. 5.* Dian. *part. 5. tract. 10. resol. 67.* Bonacin. *tom. 1. disp. 5. de interdict. punct. 5. num. 7.* Sayr. *de censur. lib. 5. cap. 8. num. 11.* & alii.

155. Probant primò, quia Ecclesiastica sepultura prohibetur propter divinum officium, ut principale; & sepultura, ut illius accessorium: ergo si conceditur principale, nempe divinum officium, etiam conceditur accessorium, nempe sepultura. Secundò, quia cui communicamus vivo, possumus etiam communicare defuncto *cap. sane dist. 24. quæst. 2.* sed in divinis officiis, quando conceduntur, possumus vivo communicare: ergo etiam possumus communicare mortuo in sepulturâ.

156. Nihilominus dicendum, hoc tertium privilegium esse diversum à præcedente, in quo conceditur divinis officiis interesse, & sacramenta recipere. Ita Soar. *de censur. disput. 35. sect. 1. num. 11.* Castr. Palao *de censur. disp. 5. punct. 4. §. 3. num. 7.* Cornejo, Præposit. Filliuc. Alterius Hurt. Gordon. Coninch. & alii, quos refert, & sequitur Leand. *part. 4. tract. 5. disp. 6. quæst 14.* & citat Dian. ubi *supra.* Probatur, quia ut vidimus *sect. 1.* interdictum tres habet effectus distinctos, scilicet: prohibere divina officia, ministrare aliqua sacramenta, & Ecclesiasticam sepulturam; ita ut unus non contineatur in alio: ergo etiam, quando alicujus sit concessio, erit distinctum privilegium. Antecedens probatur *ex cap. cum & plantare §. quod si Templarii de privileg.* ubi conceditur Templariis, & Hospitalariis, qui semel in anno accesserint ad Ecclesiam interdictam, januis apertis, & publicè divina officia celebrare; & tamen in eo textu decernitur, ne corpora defunctorum in locò sacro sepeliantur, quod intelligi debet de corporibus laicorum: ut tenet Gloss. *in eodem cap. cum & plantare Verb. defunctorum:* Ergo signum est concessionem ad divina officia non esse concessionem ad sepulturam sacram. Probatur etiam idem antecedens *ex cap. Episcoporum, de privileg. in 6.* ubi: *Ne aut excommunicatos publicè, vel interdictos ad divina officia, seu Ecclesiastica sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam admittant.* In quibus verbis textus expressè distinguit tres illos effectus interdicti: Ergo si effectus sunt diversi, diversa etiam erunt privilegia, per quæ relaxentur.

157. Ad primum fundamentum *num. 155.* pro contrariâ sententiâ respondeo, nec sepulturam Ecclesiasticam prohiberi propter divina officia, nec esse illorum accessorium: sed quodlibet ex illis prohiberi per se, & æquè principaliter, ut constat ex præcitatis textibus.

158. Ad secundum *eodem num.* respondetur, verum esse illud axioma, quando communicatio vivi est circa eandem rem cum mortuo; non verò, quando est circa diversam. Quare si communicatio fuit cum vivo in divinis officiis, potest etiam cum illo mortuo dari eadem communicatio, deferendo illius cadaver ad Ecclesiam, dum celebrantur divina officia, vel ejus exequiæ; at illis completis, extra locum sacrum debet sepeliri. Addo, hanc communicationem esse impropriam, nam nec mortui communicant cum viventibus in divinis officiis, nec viventes cum mortuis in Ecclesiasticâ sepulturâ. Erit ergo verum illud axioma, hoc modo: Is qui dum vivit habet privilegium sepulturæ, etiam post mortem illud habet; vel quod jam supra diximus: Qui habuit privilegium assistendi divinis officiis, etiam suo modo potest illis interesse, dummodo Ecclesiasticæ sepulturæ non tradatur. Sic Soar. *dictâ sect. 1. num. 17.*

SECTIO XXI.

An Bulla in aliquo prosit clericis pro Ecclesiasticâ sepulturâ?

159. VIdetur negandum, in aliquo prodesse posse Bullam Clericis pro Ecclesiasticâ sepulturâ; quia hæc illis conceditur expressè *in cap. quod in te, de panit. & remiss.* licèt ibi decernatur, quòd sepeliantur *cum silentio, sine pulsatione campanarum, & absque solemnitate.* Et ita docent communiter Doctores Soar. *disp. 35. sect. 1.* Sayr. *de censur. lib. 5. cap. 8. n. 12.* & alii, quos refert, & sequitur Trullench. *in Bull. lib. 1. §.*

1. §. 3. *dub.* 10. *n.* 2. Idem tenet Lezan. *in qq. Regul. tom.* 3. *verb. interdictum n.* 33. Ergo non videtur Bulla in aliquo favere clericis, quoad sepulturam Ecclesiasticam.

160. Nihilominus dicendum, Bullam in aliquo favere clericis, quoad Ecclesiasticam sepulturam, nempe quoad pompam moderatam funeralem. Sic docent Bard. *part.* 2. *tract.* 2. *cap.* 5. *à n.* 16. Mend. *disp.* 15. *n.* 48. Trullench. *lib.* 1. §. 3. *dub.* 10. Escob. *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 96. ostenditur, quia in dicto capite hæc funeralis pompa non conceditur, ut ex verbis ipsius textus apertè constat. Et quanvis *ex cap. alma mater, de sent. excommun. in* 6. Licitum sit in illis quatuor festivitatibus Paschæ, Pentecostes, Natalis Domini, & Assumptionis B. Mariæ Virginis celebrare divina officia cum debitâ solemnitate, bene etiam poterit addi officium pro defuncto cum eâ solemnitate in eo capite concessa: in reliquis autem anni diebus non possunt clerici habere sepulturam Ecclesiasticam cum funerali pompâ: at si Bullam habuerint, tunc gaudere poterunt hâc pompâ modo *infra* explicando.

161. Neque dicas, aliud amplius, præter pompam funeralem, concedi clericis Bullam habentibus: quia in dicto *capite, quod in te* conceditur clericis, ut sepeliantur in cæmeterio; in Bullâ verò Cruciatæ hoc privilegium ad Ecclesias extenditur. Et si respondeas, per cæmeterium intelligi Ecclesias, hoc non est verum, quia privilegium accessorio concessum, quale est cæmeterium, non extenditur ad principale, quale est Ecclesia.

162. Non, inquam, hoc dicas, quia jam licet clericis ratione illius privilegii *in cap. quod in te*, in Ecclesia sepeliri quia in eo textu nomine *cæmeterii* venit omnis locus sacer ad fidelium sepulturam destinatus, Pontifex autem in eo textu usus est nomine *cæmeterii*; quia olim fideles in cæmeterio, & non in Ecclesiis sepeliebantur. Unde Constantinus Magnus magno fuit honore affectus, habendo sepulturam pro foribus Ecclesiæ S. Petri: ut ait S. Joannes Chrysost. *homil.* 66. *ad populum: Nam & hic Constantinum Magnum ipsius filius honorem magnum censuit habere, si pro foribus Piscatoris paternum corpus collocaret:* at hodie jam ex consuetudine clerici tempore interdicti intra Ecclesiam tumulantur ita Henriq. *lib.* 13. *cap.* 44. *n.* 4. Covarr. *in cap. Alma mater. part.* 2. §. *n.* 7. *vers. clericis etiam.* Avil. *part.* 5. *disp.* 4. *sect.* 3. *dub.* 2. *post* 3. *concluf.* Soar. *disp.* 35. *sect.* 1. *n.* 5. *vers. tandem additur*, Alterius *disp.* 9. *cap.* 1, *col.* 8. *vers. tertiò principaliter*, Filliuc. *tract.* 17. *cap.* 4. *n.* 94. Bauny *tract. de interdict. q.* 16. *dict.* 3. Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 5. *punct.* 5. *n.* 13. Castr. Pal. *disp.* 5. *punct.* 5. §. 3. *n.* 3. quos adducit, & sequitur Leand. *part.* 4. *disp.* 5. *q.* 8. & est communis. Et ex illâ sequitur, Bullam Cruciatæ in nullo alio favere clericis, nisi in pompâ funerali.

SECTIO XXII.

In quo consistat pompa funeralis moderata, quæ tempore interdicti per Bullam conceditur?

163. Circa hujus tituli expositionem, duo nobis veniunt inquirenda: Primum, quid sit hæc pompa? Secundum in quo consistat ejus moderatio? Quoad primum dico, pompam esse quandam solemnitatem, quæ in honorem defuncti fit. Hæc duplex est, altera humana, & politica, altera Ecclesiastica: humana, & politica consistit in comitatu famulorum, amicorum, & aliorum, qui corpus defuncti ad sepulturam associant: Ecclesiastica verò illa est, quæ fit per comitatum clericorum, & Religiosorum cum cereis in manibus recitantium cum cantu Psalmos, & consueras orationes, nec non per campanarum clamores in tristitiæ signum.

164. De primâ pompâ non loquuntur canones, nec illam prohibent, nec Bulla funeralem pompam moderatam concedens de hâc loquitur: Secundam prohibent canones tempore interdicti, & de illâ loquuntur, dum illam prohibent, & non de primâ. Sic Soar. *disp.* 35. *sect.* 1. *n.* 7. & alii, & de hâc pompâ intelligitur Bulla, dum illam concedit Bullam habentibus moderatam.

165. Quoad secundum: In quonam consistat hæc moderata pompa, est magis controversum. Cordub. *de indulg. q.* 43. *dub.* 5. asserit consistere in triplici campanarum clamore, si defunctus sit vir, & in duplici, si fœmina, cum cantu publico clericorum, & Religiosorum cadaver deferentium; dummodo non dicatur officium divinum, aut defunctorum, aut missa; nisi id, quod in ordinario ad deferendum, & sepeliendum defunctum præscriptum est. Et ita fuisse statutum in Bullâ Cruciatæ contra Africam per Leonem X. anno Domini 1516. at in Bullâ contra infideles concessâ per Julium III. anno 1552. declaratum fuisse, per pompam moderatam intelligi dimidiam solemnitatem eorum, quæ fieri solent tempore non interdicti; & sic etiam declaratum esse à Pio IV. anno 1564. & 1565. hoc tamen non fuisse præceptum, sed directionem. Tandem se remittit ad consuetudinem loci, & judicium Episcopi; & in ejus absentiâ ad arbitrium Parochi. Eandem sententiam defendunt à Cost. *q.* 27. *vers. si autem quæras* Rodrig. *in Bull.* §. 5. *n.* 13. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 13. *n.* 4. Castr. Pal. *tom.* 4. *tract.* 25. *disp. unic. punct.* 6. *n.* 19. Villal. *tract.* 27. *clausul.* 5. *n.* 3. Ludovic. à Cruce *in Bull. disp.* 1. *cap.* 5. *dub.* 7. *n.* 2. Ludovic Lopes 2. *part. instruct. ubi de Bull. cap.* 6. Lezan. *in qq. Regul. tom.* 3. *verb. Bulla Cruciatæ num.* 15.

166. Dicendum tamen est, posse defunctum; præter supradicta (in quibus semper standum est consuetudine loci, vel judicio ordinarii, vel in illius absentiâ, Parochi: ut docent præcitati Authores) sepeliri in loco sacro cum officio sepulturæ januis apertis, quæ tamen sunt claudendæ tempore celebrationis missæ: ut habetur in moderationibus *cap. Alma mater* quæ sunt observandæ impletâ funeris pompâ. Sic docent Avil. *part.* 4.

disp. 4. sect. 3. dub. 1. vers. tertio notandum est, & *dub. 4. vers. sed major difficultas* Trullench. *in Bull. lib. 1. §. 3. dub. 10. n. 6.* Leand. *part. 4. tract. 5. disp. 11. q. 22.* Mend. *disp. 15. n. 47.* Escobar *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 99.* Bard. *part. 2. tract. 2. cap. 5. n. 24.* malè citat. à Leand. asserente, illum defuncto negare missam, quam illi concedit celebrandam; sed non præcisè ex eo, quòd in pompâ funerali moderatâ includatur; sed quia januis clausis, ea conceditur celebranda *in cap. Alma mater* quod est verum, non tamen illud, quod asserit Henriq. nempe, defunctum esse sine missâ sepeliendum; nisi dispenset Episcopus: nam in lege istâ de effectibus interdicti, cùm sit à S. Pontifice, non potest Prælatus inferior dispensare; & oppositum optimè impugnat Bard. *cit. n. 26.*

SECTIO XXIII.

An privilegium Bullæ circa missas, officia divina, & sepulturam, extendatur ad locum specialiter interdictum?

167. AD hunc locum reliquimus resolutionem hujus quæstionis, & non solùm tractanda est circa sepulturam tempore interdicti concessam, sed circa alia, quæ tempore interdicti prohibentur, & in hâc clausulâ conceduntur. De prohibitis constat ex dictis *sect. 1.* esse tria, nempe: divina officia, aliqua ministrare, & suscipere sacramenta, & Ecclesiasticam sepulturam. Hæc tria conceduntur per Bullam.

168. Inquirimus igitur primò: An hoc privilegium, circa officia divina, & celebrationem, & receptionem sacramentorum, extendatur ad locum specialiter interdictum, quod idem est ac quærere, an in loco specialiter interdicto sit licitum habenti Bullam celebrare, & audire missam, & recipere sacram Eucharistiam, & alia sacramenta? Negant omnes expositores Bullæ Hispanæ, Henriq. *lib. 7. cap. 13. n. 3.* Rodrig. §. 5. *n. 4. & in addit. ad §. 5. n. 2.* Trullench. *in Bull. lib. 1. §. 3. dub. 2. n. 8.* Bard. *part. 2. tract. 2. cap. 1. n. 8.* Tamborin. *in Bull. cap. 5. §. 1. n. 7.* Escobar *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 70.* at Mend. *disp. 15. n. 13.* asserit, posse habentem Bullam eam audire missam, quæ in Ecclesiâ specialiter interdictâ ad renovandam sacram Eucharistiam celebratur; at non concedit illo in loco posse aliam virtute Bullæ celebrari, vel audiri missam.

169. Probant ex verbis ipsius Bullæ Hispanæ, quæ tantùm extendunt hoc privilegium ad Ecclesias, *in quibus aliàs, divina officia, durante interdicto, quomodolibet celebrari permissum fuerit:* Sed ex jure tempore interdicti solùm licet celebrare divina officia in Ecclesiis tempore generalis interdicti loci, ut habetur *in cap. Alma mater §. adjicimus, de sentent. excommunic. in 6.* & tenent omnes Doctores, Soar. *de censur. disp. 34. sect. 1.* Avil. *part. 5. disp. 4. sect. 2. dub. 2.* Alterius *disp. 5. cap. 1.* Bonacin. *tom. 1. disp. 5. punct. 4.* Bauny *tract. 9. q. 13.* Filliuc. *tract. 18. cap. 3. q. 2. n. 63.* & alii, quos refert, & sequitur Leand. *part. 4. tract. 5. disp. 4. q. 4.* non verò in Ecclesiis specialiter interdictis, in quibus non licet celebrare divina officia, sed tantùm unam missam in hebdomadâ ad renovandam Eucharistiam *ex cap. permittimus, de sentent. excomm.* & D. D. communiter, quos adducit, & sequitur Leand. proximè *q. 5.* Ergo cum Bulla loquatur de Ecclesiis, in quibus permissum est celebrare, tempore interdicti, & non permittatur celebrari in specialiter interdictis; in illis virtute Bullæ non licebit audire missam, quæ ad renovandam Eucharistiam in illis celebratur: ut tenent Henriq. *lib. 7. cap. 13. n. 3. litter. E.* Covar. *in cap. Alma mater part. 2. §. 4. n. 1.* quos citat, & defendit Trullench. *in Bull. lib. 1. §. 3. dub. 2. n. 8. in fine,* Escobar nuper *citat.* & quidem probabilius, licèt oppositum doceat Mend. *supra.* Hæc juxta Bullam Hispanam.

170. At juxta Bullam Lusitanam, dicendum est, tempore interdicti tam generalis, quàm specialis loci, licitum esse audire missam, recipere sacramenta, & assistere divinis tam in Ecclesiis generaliter interdictis, quàm specialiter, & ibi celebrare, & facere celebrare. Probatur ex verbis ipsius Bullæ, quæ absolutè, & sine aliquâ limitatione, id concedit, ibi: *Etiam in locis interdicto, quàvis etiam Apostolicâ authoritate suppositis, dummodo ipsi causam non dederint hujusmodi interdicto, vel per eos non steterit &c.* Ergo sive locus, sive Ecclesia interdicta sit, possunt habentes Bullam, dummodo excommunicati, vel interdicti non sint, nec interdicto causam dederint, nec per illos stet, quominus amoveatur, assistere divinis, celebrare, & facere celebrare, & sacramenta recipere, etiam in eo loco, vel Ecclesiâ specialiter interdicta. Confirmatur, quia ut vidimus *disp. 1. num. 73.* privilegia Bullæ sunt latè interpretanda: Ergo si Bulla Lusitana non limitat hoc privilegium ad loca, & Ecclesias generaliter loci interdictas, imo etiam specialiter interdictas comprehendit, etiam nos id facere debemus. Ita de Bullâ Lusitanâ docent à Cost. *quæst. 27. fol. 67.* Abreus *de Paroch. lib. 10. cap. 13. num. 589.* Benedict. Pereyr. *in Prompt. num. 1405.*

171. Ex hâc resolutione sequitur, non prodesse Bullam, quando datur interdictum generale personale, vel personale speciale; quia S. Pontifex satis declarat, se hoc privilegium non concedere personis interdictis. Unde nec hoc privilegio gaudebit interdictus ab ingressu Ecclesiæ: quia ex eo, quòd sit personaliter interdictus, illo gaudere non potest.

172. Inquires secundò: An hoc privilegium circa sepulturam, extendatur ad locum specialiter interdictum? Respondeo, quòd juxta Bullam Hispanam, negare videtur Rodrig. *in addit. ad §. 5. num. 32.* & expresè negat Bard. *part. 2. tract. 2. cap. 5. à num. 32.* Mend. *disput. 15. num. 49.* ambo tamen oppositam sententiam probabilem existimant. Addit Bard. *num. 36.* si in aliquo casu interdictum speciale æquivaleat generali, ut quando in aliquâ civitate omnes Ecclesiæ sunt specialiter interdictæ, vel in aliquo oppido non est, nisi una tantum Ecclesia, quæ specialiter interdicta est, tunc asserit, & bene, privilegium Bullæ suffragari, & id probat exemplo privilegii clericorum, quia in prædictis casibus illis suffragatur. *cap. quod in te, de panis. & remiss.*

173. Alii tamen asserunt absolutè, virtute Bullæ posse illam habentes, tempore interdicti sepeliri

peliri in Ecclesiâ specialiter interdictâ; quia Bulla Hispana, dum hoc concedit privilegium, illud non limitavit, sicut in privilegio celebrandi divina. Sic Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 3. *dub.* 10. *num.* 5. Machad. *tom.* 1. *lib.* 1. *part.* 3. *tract.* 13. *docum.* 11. *num.* 4. Leand. *tom.* 4. *tract.* 5. *disp.* 11. *q.* 19. Escobar *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *num.* 98. *& n.* 100. asserit, posse cadaver sepeliri, virtute Bullæ, cum supra assignatâ pompâ, sed sine missa. Pro hâc etiam sententiâ citari possunt omnes illi, qui docent, posse clericos ex privilegio *in cap. quod in te, citato*, sepeliri in Ecclesiâ specialiter interdictâ, licet decentius sit, si commodè potest, quòd sepeliantur in propriâ Ecclesiâ non interdictâ; quia textus nullam ponit limitationem, aut restrictionem. Sic Avil. Filliuc. Paludan. Castr. Pal. quos citatos affert, & tuetur Leand. *dicta 4. part. tract.* 5. *disp.* 6. *q.* 9. & probabile dicit Bard. *citatus num.* 37. cum aliquibus quos refert, & supponit Mend. *dict. disp.* 15. *num.* 49. Hæc procedunt juxta Bullam Hispanam.

174. Nam juxta Lusitanam, est resolutio affirmativa sine controversiâ; quia sine aliquâ limitatione, & restrictione conceditur privilegium sepulturæ sumentibus Bullam tempore interdicti; & cùm privilegia assistendi divinis, & sacramenta recipiendi etiam sine eâ limitatione, de quâ in Bullâ Hispanâ, concessa sint; nulla apparet ratio dubitandi de hoc privilegio. Quare dicendum est, posse corpora eorum cum moderatâ pompâ funerali tradi sepulturæ, eo modo quo diximus *sect.* 22. quanvis Ecclesia sit specialiter interdicta; & ibi januis clausis, & non habentibus Bullam Lusitanam exclusis, & aliis, qui de jure sunt expellendi, ut *supra* remanet dictum; ibi etiam cum officio defunctorum, & missâ de requiem sepeliri defunctum. Quod tamen in eâ Ecclesiâ specialiter interdictâ non licet clericis non habentibus eam Bullam, nec aliis per Bullam Hispanam.

175. Ratio est, quia in Bullâ Lusitanâ conceditur quòd in locis interdicto suppositis possint habentes Bullam celebrare, vel celebrare facere: Ergo defunctus habens Bullam, dum erat vivus, vel alius eandem habens poterit jubere, ut in eâ Ecclesiâ specialiter interdictâ pro defuncto celebrentur missæ, dummodo id fiat cum moderationibus *cap. Alma mater*, & consensu ordinarii, ut in eâ *sectione* 22. vidimus.

SECTIO XXIV.

An privilegia pro tempore interdicti concessa extendantur ad tempus cessationis à divinis?

176. INterdictum, etsi olim à cessatione à divinis in nihilo differebat, ut notavit à Cost. *q.* 29. hodie tamen licèt in aliquibus aliquam habeant similitudinem, & affinitatem, in multis tamen differunt. Nam cessatio à divinis definitur: *simplex prohibitio Ecclesiastica, quâ clerici, seu ministri Ecclesiæ in signum mœstitiæ prohibentur, persolvere publicè divina officia, ministrare aliqua sacramenta, & sepelire laicos in loco sacro.* Sic cum Soar. Bonacin. Laym. Filliuc. & aliis Castr. Pal. *tom.* 6. *disp.* 5. *punct.* 9. *n.* 1. Leand. *tom.* 5. *tract.* 3. *disp.* 1. *q.* 2. Alia est generalis, quâ prohibentur divina officia in loco generali, seu universali, ut in Regno, civitate, villâ, oppido &c. Alia est specialis, seu particularis, quâ prohibentur divina in loco particulari, ut in hâc, vel in aliâ, vel aliis Ecclesiis. Ex his patet, similitudinem dari, inter illam, & interdictum.

177. Differunt verò in pluribus, quia si per exercitium ordinis violetur cessatio à divinis, non incurritur irregularitas, quanvis graviter peccetur; at si violetur interdictum, incurritur; illa enim non est censura, secus interdictum, *cap. querenti de verbor. signific.* Cessatio non imponitur ipso jure; bene tamen interdictum; alia vide apud citat. Authores, & apud Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 7. *cap.* 4. *n.* 94. His notatis

178. Dico omnes Doctores convenire, privilegia in Bullâ concessa pro tempore interdicti non habere locum in cessatione à Divinis, sic à Cost. *dict. q.* 29. Covar. Medin. Henriq. Rodrig. Riccius, Ludovic. à Cruce, Trullench. Navarr. Soar. Ægid. Coninch. Laym. Bonacin. Filliuc. quos citat, & sequitur Bard. *part.* 2. *tract.* 2. *cap.* 3. *n.* 73. quibus adde Sal. *in Bull. q.* 19. quem refert, & sequitur Castr. Pal. *supra n.* 2. & *tom.* 4. *tract.* 25. *disp. unic. punct.* 6. *n.* 20. Escobar *in Theolog. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 101. loquens tantum de sepultura; illius tamen ratio omnia alia privilegia comprehendit. Lezan. *in qq. Regul. tom.* 3. *verb. Bulla Cruciatæ num.* 14. Idem tenet Leand. *part.* 4. *tract.* 5. *disp.* 11. *q.* 23. Ratio est, quia in Bullâ solùm fit mentio de interdicto, & non de cessatione à divinis: Sed interdictum, & cessatio sunt diversa, nec unum in alio continetur: Ergo à concessione Bullæ pro tempore interdicti non potest fieri illatio ad cessationem à divinis.

179. Dices primò: Privilegium celebrandi semel in hebdomadâ pro renovandâ Eucharistiâ, tempore interdicti loci specialis, *in cap. permittimus de sent. excommunic.* extenditur ad cessationem à divinis, ut cum pluribus tenet Leand. *tom.* 5. *tract.* 3. *disp.* 3. *q.* 14. Ergo etiam licèt privilegium Bullæ, sit concessum pro tempore interdicti, extendetur ad tempus cessationis à divinis. Respondeo, negando consequentiam, diversa ratio est; quia ea celebratio pro tempore cessationis à divinis erat necessaria semel in hebdomadâ; ne infirmi sine viatico decedant; neve species sacramentales putrefiant; at hæc, nec alia similis necessitas nec ratio convincens datur, ut quis tempore cessationis à divinis gaudeat privilegiis in Bullâ concessis, pro tempore tantùm interdicti.

180. Dices secundò: Privilegium *in cap. Alma mater*, quoad illas quatuor festivitates Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis B. Virginis Mariæ, in quibus licitum est tempore interdicti generalis celebrare publicè divina officia, extenditur ex æquitate, usu, & consuetudine, & sapientum authoritate ad cessationem à divinis generalem: ut docent Henriq. *lib.* 13. *cap.* 53. *litter. V. in gloss.* ubi ait, hanc sententiam fuisse practicatam Salmanticæ anno Domini 1584. consultis Doctoribus illius Academiæ, tam Theologis, quàm juristis, eandem docent Avil. *part.* 6. *disp.* 1. *dub.* 6. Sayr. *tract. de cessat. n.* 6. Sanch. *l.* 7. *de matrim. disp.* 8. *n.* 18.

Castr.

Castr. Pal. *tom.* 6. *de cesur. disp.* 5. *punct.* 9. §. 2. Laym. Alterius Vivald. & alii, quos adducit, & sequitur Leand. *tom.* 5. *tract.* 3. *disputat.* 3. *q.* 6. quanvis ex rigore juris id non sit licitum, ut tenet Soar. *disp.* 59. *sect.* 2. *n.* 13. & alii communiter apud eundem Leand. Ergo etiam licèt ex verbis Bullæ non sit licitum tempore cessationis à divinis uti prædicto privilegio, erit licitum ex æquitate.

181. Respondeo, dato antecedente, negando consequentiam, quia ad antecedens concurrunt æquitas, consuetudo, & placita sapientum, & his datis, adhuc Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 6. *punct.* 3. *n.* 1. cum pluribus negat eam extensionem, sicut etiam Bard. *ubi supra n.* 77. at, ut quis tempore cessationis à divinis virtute Bullæ gaudeat privilegiis pro tempore interdicti concessis, nec datur æquitas, consuetudo, nec sapientum placita. Quare in cessatione à divinis virtute Bullæ non est licitum, uti Bullæ privilegiis, nec etiam eam missam audire, quæ pro renovandâ Eucharistiâ, vel ad eam dandam infirmis in Ecclesiis celebratur.

SECTIO XXV.

An privilegia concessa pro tempore interdicti extendantur ad Ecclesiam violatam?

182. Ecclesia tunc dicitur violata, seu polluta, quando post consecrationem, benedictionem, aut approbationem Episcopi, in eâ committitur aliquod crimen ex iis, quæ in jure exprimuntur, quorum ratione jura prohibent ne officia divina in eâ Ecclesiâ celebrentur. Hic tamen non veniunt nomine *Ecclesiæ* oratoria privata, quæ domi habentur: non enim gaudent immunitate, & privilegiis Ecclesiæ. Sic Sanch. *lib.* 9. *de matrim. disput.* 15. *num.* 39. Fagund. 1. *Eccles. præcept. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 45. & alii.

183. Ecclesia benedicta, seu consecrata polluitur in sex casibus. Primus est, per homicidium voluntarium, & publicum. *Cap. Proposuisti de consec. Eccles. seu altar.* Secundus, per effusionem sanguinis humani injuriosam, & publicam. *Cap. si Ecclesia, de consec. Eccles.* Tertius, per effusionem seminis humani voluntariam, illicitam & publicam. *C. si Eccl. de cons. Eccl.* Quartus, quando in Ecclesiâ sepelitur excommunicatus vitandus, & non toleratus *cap. consuluisti de consecr. Eccles. seu altar.* Quintus, quando in eâ sepelitur non baptisatus. *Cap. Ecclesiam.* 1. & 2. *de consecr. d.* 1. Sextus, si Ecclesia destruatur, vel comburatur, ita ut de novo reædificari debeat; colligitur *ex cap. Ligneis, de consecr. Eccles. & ex cap. Ecclesiis de consecr. dist.* 1. De his vide Soar. *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 81. *sect.* 4. Fagund. *proximè* Arriag. *de sacram. & de Euchar. disp.* 54. *a n.* 31. Mascarenh. *de sacram. tract.* 5. *disp.* 5. *à n.* 293. Lezan. *in qq. Reg. tom.* 3. *verb. Ecclesia n.* 12. & alios quos citant. His præmissis

184. Inquirimus: An sicut, virtute Bullæ, potest quis tempore interdicti, & in Ecclesiis tam generaliter, quàm specialiter loci interdictis divinis interesse; ita etiam possit in Ecclesiis pollutis, seu violatis? Et pro parte affirmativa est ratio dubitandi: ut inquit à Cost. *q.* 30. quòd violatio videtur quoddam interdictum positum à jure, atque ita Ecclesiam violatam appellat vulgus interdictam.

185. Dicendum tamen est, Bullam non prodesse pro Ecclesiâ violata. Ita à Cost. *loco citat.* Bard. *part.* 2. *tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 80. Probatur, quia violatio Ecclesiæ non est interdictum; & patet, quia si quis absque urgente necessitate vel licentiâ Episcopi, licèt peccet graviter, celebret in Ecclesiâ violatâ, non incurrit irregularitatem; at si celebret in interdictâ, illam incurrit. Et hujus ratio est, quia violatio non est censura, at interdictum inter censuras numeratur, ut constat *ex cap. is cui de sentent. excomm. in* 6. & tenent DD. Soar. *de censur. disp.* 1. *sect.* 3. Avil. 1. *part. disp.* 2. *dub.* 5. Bonacin. *de censur. disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 1. *n.* 4. & alii communiter.

186. Ad rationem dubitandi respondeo, violationem dici interdictum latè, & impropriè, quatenus importat prohibitionem divinorum in Ecclesiâ violatâ: ad illa enim est inepta in se, per prohibitionem Ecclesiæ; quæ prohibet, in Ecclesiâ violatâ, seu pollutâ divina exerceri; at Ecclesia interdicta de se non est inepta ad ea divina in eâ exercenda; sed per ordinem ad effectus, quos causat interdictum, & per ordinem ad causam à qua procedit, & cùm inter se sint diversa, privilegium concessum pro Ecclesiâ interdictâ non censetur concessum pro Ecclesiâ violatâ, seu pollutâ.

DISPUTATIO XII.

Quænam privilegia concedantur in Bullâ circa oratoria privata?

1. Gratiæ non paucæ in Bullâ conceduntur circa oratoria privata, nempe circa celebrationem, & auditionem missæ, nec non circa Eucharistiæ sumptionem; & cum circa illa quotidianæ sint interrogationes, operæ pretium erit hoc loco, quæ peragenda sunt, elucidare; eo quòd resolutio eorum ad praxim valde est utilis, & necessaria; quia passim inveniuntur oratoria authoritate Episcopi approbata, in quibus ex licentiâ S. Pontificis celebratur per Breve ad id concessum. Non tamen immorabimur in iis, quæ superiori disputatione dicta sunt; nempe, in eleemosynis, quæ ad usum horum privilegiorum sunt elargiendæ, de quibus videndæ sunt *sect.* 5. 6. 7. 8. & 9. alia verò ex dicendis patebunt.

SECTIO I.

Præmittuntur aliqua de Oratoriis privatis.

2. Ut dicenda in hâc disputatione melius percipiantur; præmittenda sunt aliqua de concessione Oratorii privati, non per modum disputationis, sed tantum summariè, ac remissi-

vè,

vè, ut ex privilegio à S. Pontifice concesso petenti oratorium appareat, quid amplius, virtute Bullæ concedatur; quibus autem verbis à S. Pontifice oratorium privatum soleat concedi, habetur apud Pellizar. *tom. 2. tract. 8. cap. 2. n. 138.* & Tamborin. *in method. celebrandi miss. lib. 1. cap. 4. §. 4. n. 1.* Hoc Breve Pontificium continet has clausulas.

3. Prima, ut celebretur missa in oratorio, quod habet quis in civitate v. g. Ulyssiponensi. Si tamen ad aliquam aliam, v. g. Conimbricam, transferat domicilium, potest ibi eo oratorio privato uti; monendus tamen erit Ordinarius, ut illud approbet. Sic Pellizar. *proxime num. 152.* Tamborin. *citat. num. 2.* & apud illum Sal. & Sanctarell. idem tenent Quintanad. *1. tom. tractat. 7. singul. 31. num. 9.* Dian. *part. 4. tractat. 4. resol. 208.* & penes illum Novar. Megal. Zambel. *& part. 9. tractat. 1. resol. 7.* citans ultra aliquos jam à nobis allatos Barbos. & Aversa.; accedunt Mascarenh. *de sacram. tract. 5. disput. 5. num. 288. Vers. secunda quæstio,* & Henao *de sacrif. miss. disput. 23. num. 167.* etiamsi in indulto Oratorii exprimatur nomen civitatis, in qua morabatur dominus tempore indulti adepti. Non tamen ex vi ejusdem indulti potest habere unum Oratorium in Civitate, & alterum in villa rurali, quia hoc est habere duo Oratoria, ad quæ indultum non se extendit. Sic Henao *citat. num. 168.* cum Bardi, Dian. contra Pasqualig.

4. Secunda clausula constat ex his verbis in Brevi appositis: *Qui, ut asseris, de nobili genere procreatus existis*, quæ ut verificetur, requirit; ut qui petit gratiam, descendat ab illis, qui per aliquot generationes artem mechanicam ex parte patris, non exercuerint; & non verificatâ hâc clausulâ, privilegium corruit. Sic Pellizar. *num. 139.* Tamborin. *n. 3. & seqq.*

5. Tertia nititur in his: *Ad hoc decenter muro extructo ornato, ab omnibus domesticis usibus libero.* Quod intellige, debere esse Oratorium, tam quoad formam structuræ, quàm ad ornamenta in eo posita ita separatum, ut ab aliis ad prophanos usus destinatis, discernatur. Sic Authores citati.

6. Quarta habetur per hæc: *Per Ordinarium loci prius visitando, & approbando, ac de ipsius Ordinarii licentiâ ejus arbitrio duraturâ.* Intellige, sine hâc approbatione non licere usum oratorii. Eo tamen approbato, & visitato, non est amplius visitandum: *Ac de ipsius Ordinarii &c.* non in omnibus Brevibus hæc verba apponuntur, in illis tamen, in quibus apposita inveniuntur, Pellizar. existimat, importare beneplacitum Ordinarii, quoad durationem: at Tambor. asserit, importare arbitrium boni viri, quod differt à libera voluntate Ordinarii. Quare ad revocationem, requiritur justa, & rationabilis causa; quod videtur probabilius.

7. Quinta, sic procedit: *Unam missam pro una quoque die.* Intellige, esse grave peccatum, si alia in eo loco celebretur, ut *supra disput. 11. num. 51. & 52.* notavimus, qui locus hic recolendus est. Utrum verò virtute Bullæ? *infra sect. 7.* dicendum plures posse celebrari.

8. Sexta est: *Per quemcunque sacerdotem ab Ordinario approbatum, seu de superiorum suorum licentiâ Regularem.* Intellige, sufficere approbationem generalem celebrandi missam, & non requiri specialem ad celebrandum in oratorio privato. Sic Pellizar. *n. 146.* Tamborin. *n. 23.* & cum Dian. Henao *supra n. 173.*

9. Septima: *sine tamen quorumcunque jurium parochialium præjudicio.* Intellige, ne ibi ministrentur sacramenta, fiant solitæ eleemosynæ, detur pax, denuntientur festa, matrimonia, jejunia, & similia ad parochum pertinentia. Ita DD. *citati.*

10. Octava: *Paschatis, Resurrectionis, Pentecostes, & Nativitatis Domini nostri JESU Christi, nec non aliis solemnioribus festis diebus exceptis.* Quæ autem sint hæc festa solemniora, quæ excipiuntur, diximus *disp. 11. num. 50.* in aliis verò in Brevi expressis, solùm excipitur prima dies, & non aliæ.

11. Nona: *In tuâ, ac familiæ tuæ præsentiâ celebrare facere.* Quid veniat nomine *familiæ* vidimus *disput. precedente 11. num. 72.* & an sit necessaria præsentia principalis, ut familia missam audiat? Ibi affirmativè resolvimus; quanvis oppositum teneat Quintanad. *tom. 1. tractat. 7. singul. 32. num. 7.* cum Dian. & Ludov. à Cruce.

12. Decima: *Nec non in Hospitum tuorum nobilium præsentiâ:* intellige ipsos nobiles hospites cum suis famulis illos de more comitantibus. Sic Pellizar. & Tamborin. *locis citatis.* Nomine *hospitum nobilium* intelliguntur exteri ex alio oppido advenientes, & non ex eodem, ubi est oratorium, ut cum Dian. Henao *de sacrif. miss. disp. 23. num. 171.* Quanvis oppositum etiam sit probabile cum ipso Henao, & Pellizar. & Tambor. ab ipso citatis.

13. Undecima: *Volumus autem quòd familiares, servitiis tuis non necessarii, ibidem missa interessentes, ab obligatione audiendi missam in Ecclesiâ, diebus festivis de præcepto minimè liberi censeantur.* Hæc ultima clausula diverso modo ab Authoribus explicatur. Nam Pellizar. ubi *supra num. 151.* existimat nominatos in hâc clausulâ satisfacere præcepto, quia ea verba ponuntur juxta formam antiquam, & præceptum audiendi missam in propria parochiâ; cùm verò hodie jam cessasset id præceptum per contrarium usum; perinde est, ac si non apponeretur; & citat Castr. Pal. *tract. 22. disp. unic. punct. 16. num. 13.* & apud Tamborin. illam tenet Homobon. *de exam. quæsit. 14. tractat. 8. cap. 5. p. 2.* & aliqui recentiores, qui hanc sententiam probabilem judicarunt. Oppositum tamen censet Tamborin. *num. 36.* quia verbà Pontificis expressè affirmant, illos, qui non sunt ex familiâ, vel familiares servitiis principalis non necessarii, non manere liberos à præcepto missam audiendi.

SECTIO II.

An, ut quis celebret virtute Bullæ in oratorio privato, sufficiat quòd oratorium sit approbatum à quocunque ordinario?

14. EXposcit Bulla visitationem, & approbationem oratorii, ut in illo missa celebrari possit, his verbis: *Libere possint in privato oratorio ad divinum cultum duntaxat deputato, ab ordinario loci approbando, & visitando.* In Bullâ verò Hispanâ non datur verbum illud *loci*, sed tantùm, *ab ordinario visitando, & designando.* Ex cujus defectu inter expositores Bullæ Hispanæ exorta est dubitatio à quo ordinario fieri debeat visitatio, & approbatio, an à proprio, an verò à quocunque alio extraneo? Et sufficere approbationem cujuscunque ordinarii, quanvis loci non sit, existimarunt Ludovic. à Cruce *in Bulla disputat. 1. cap. 5. dub. 1. num. 4.* Trullench. *etiam in Bull. lib. 1. §. 3. dub. 4. num. 7.* & Dian. *part. 5. tract. 10. resolut. 76.* & probabile dicit Henao *part. 2. de sacrific. miss. disputat. 23. sect. 11. num. 147.* apud Mend. *in stater. dissert. 14. n. 130.* eo ductí fundamento, quia approbatus ad audiendas confessiones à quocunque Episcopo, potest ubique terrarum audire confessiones virtute Bullæ: Ergo etiam oratorium privatum approbatum à quocunque Episcopo potest virtute Bullæ eligi à quocunque ad hoc, ut in eo missa celebretur, virtute Bullæ.

15. In hoc tamen fundamento, præterquam, quòd nitatur falsâ suppositione, ut *infra disp. 14. num. 27.* ostendemus, non datur eadem paritas, quia electio approbati à quocunque Episcopo dicit ordinem ad personas, quæ possunt subjici judicio cujuscunque Episcopi: at approbatio oratorii dicit ordinem ad locum; & locus cùm sit sub jurisdictione proprii Episcopi, in eo nihil potest alius Episcopus extraneus. Et sic expositores Bullæ Hispanæ communiter reprobant prædictam opinionem, & omnes alii, qui loquuntur de approbatione oratorii concessi per Breve Pontificium, quod in idem recidit, ut *infra* videbimus. Sic docet Bard. *part. 2. tract. 2. cap. 1. num. 6.* & apud illum Soar. *in 3. part. tom. 3. disput. 81. sect. 3.* Persic. *de offic. sacerdot. lib. 1. cap. 6. dub. 3. num. 22.* Vazq. *tom. 3. in 3. part. disput. 223. num. 2.* Fagund. *in prim. Eccles. præcept. lib. 3. cap. 13. num. 7. in fine*; quibus addo Mend. *in Bull. disputat. 16. num. 7. & in stater. dissert. 14. à num. 129.* & apud ipsum *num. 131. in fine*, Fr. Joann. Martines de Prado *tom. 1. Theolog. moral. cap. 6. q. 4. n. 16.* Idem judicant Pellizar. *tom. 2. tract. 8. cap. 2. num. 142. Vers.* quod verò. Tamborin. *in method. celebr. miss. lib. 1. cap. 4. §. 4. n. 14.* Frey Joseph Mend. *in indice Verb. oratorium.* Lezan. *in qq. Regul. tom. 3. Verb. Bulla Cruciata n. 14.* Hæc juxta Bullam Hispanam.

16. Attamen juxta Lusitanam res sine controversia est; quia in illâ dicitur expressè visitationem, & approbationem oratorii privati habendam esse ab ordinario loci; & ubi hæc datur expressio, non potest recurri ad ullam opinionem *L. Numinis ff. de Legat. 3. & L. antiqui ff. si pars hared. petatur.*

17. Dubium tamen sit, secundùm utramque Bullam: An, si contingat oratorium esse decens, & idoneum arbitrio boni viri, & Episcopus proprius non vult illud approbare, poterit privilegiatus, illo uti, ac si esset approbatum, & in eo celebrare, vel per se, vel per alios? Respondent Lezan. *proximè*, Ludovic. à Cruce *dict. dub. 1. num. 4. & 5.* & insinuat Diana *supra cit.* probabile esse, posse; quia licentia justè petita, & injustè ab ordinario negata, ipso jure, intelligitur à Papâ concessa.

18. Dicendum tamen est, non posse. Sic Trullench. *ubi supra* Pellizar. *dict. num. 142.* Bard. *num. 3.* Tamborin. *num. 15.* Ratio est, quia per Bullam ea non conceditur facultas, & S. Pontifex eam omnino requirit ordinarii approbationem: Confirmatur, quia approbatio à Regularibus ad audiendas confessiones, justè petita, & injustè negata non operatur, ut possint confessiones audire, ut *infra disputat. 14. sect. 14.* dicemus cum Soar. *de penitent. disputat. 28. sect. 5. num. 13.* Cardin. de Lug. *ibidem disputat. 21. num. 52.* & aliis: Ergo idem dicendum est de approbatione oratorii justè petitâ, & injustè negatâ. Quare habens oratorii privilegium, renuente ordinario concedere approbationem, debet recurrere ad ordinarii superiorem, & ab eo licentiam petere, & ut alteri committat, vel deleget oratorii approbationem.

SECTIO III.

An virtute Bullæ possit quis sine Brevi Pontificio habere in domo sud oratorium privatum visitatum, & approbatum ab Ordinario, in quo celebret, vel faciat celebrare missam?

19. HÆc quæstio magna contentione controversa fuit, anno domini 1625. inter Illustrissimum D. D. Antonium Mascarenàs Bullæ Commissarium Generalem, & Illustrissimum D. D. Joannem Baptistam Palloto hujus Regni Collectorem. Referre omnia, quæ in hâc contentione evenerunt, non est hujus loci. Proponam utriusque sententiæ Authores, & fundamenta, & quod circa illam tenendum sit.

20. Ut aliqui Bullæ privilegia ampliarent, asseruerunt, licitum esse habenti Bullam in domo suâ erigere oratorium, & obtentâ ab ordinario approbatione, in illo audire missam, vel celebrare. Primus hujus sententiæ Author fuit Sot. *in 4. dist. 13. q. 2. artic. 3. vers. jam verò.* Illam etiam tenent Castr. Pal. *tom. 4. tract. 25. disputat. unic. punct. 6. num. 2. & 3.* & pro illâ citat Henriq. Joann. de Salas; & alios Neothericos. Illam etiam sequitur Ludovic. à Cruce *in Bull. disputat. 1. cap. 5. dub. 1. num. 5.* & apud Henao *de sacrific. miss. disputat. 23.*

à num. 143. & *disput.* 30. *a num.* 205. Ledesm. Vivald. & Lamaf. Eandem docent Lezan. *in summar. Verb. Oratorium num.* 5. Pasqualig. *quæst.* 638. *de sacram. novæ legis num.* 4. & eam non improbat Quintanad. *tom.* 1. *tractat.* 7. *singul.* 33. & probabilem dicit Henao *supra*, & valde probabilem, & tutam in praxi Thom. Hurt. *tom.* 2. *resol. moral. tract.* 12. *cap.* 1. *num.* 1242.

21. Hanc etiam sententiam, non ut talem, sed ut veram Bullæ interpretationem publicari fecit illustrissimus DD. Antonius Mascarenâs Bullæ Commissarius per Epistolam declaratoriam, quam misit ad Ecclesias, & Monasteria hujus Regni, septimo Novembris anni Domini 1625. At 15. Novembris ejusdem anni, illustrissimus D. D. Joannes Baptista Palloto hujus Regni Collector, & postea S. R. E. Cardinalis illam declaratoriam annullavit, & revocavit, per edictum; quod publicari jussit, per Ecclesias seculares, & Regularium. Hæc constant ex Relatione ad Urbanum VIII. ab eodem illustrissimo D. D. Antonio Mascarenâs *fol.* 17. usque ad 19. Pro hâc sententiâ, etiam afferri potest judicium Academiarum hujus Regni, quas consuluit illustrissimus D. D. Commissarius Generalis, quòd judicium habetur in eadem Relatione *a fol.* 42.

22. Primum hujus sententiæ, & controversiæ pro parte Commissarii Generalis, fundamentum desumitur à verbis Bullæ: *Ut liberè possint in privato oratorio, ad divinum cultum duntaxat deputato, ab Ordinario loci approbando, & visitando, etiam in locis interdicto suppositis, & ibi per se ipsos, si præsbyteri fuerint, missas, & alia divina officia celebrare &c.* Ex quibus, sic conficitur fundamentum, quo principaliter hæc stabilitur sententia.

23. Hoc privilegium aliquid debet operari: Ergo datâ approbatione Ordinarii, possunt habentes Bullam in oratorio privato missas celebrare, si sint præsbyteri, vel illas facere celebrare, si sint, vel non sint præsbyteri. Antecedens patet, consequentia ostenditur, quia S. Pontifex utitur verbis de futuro: *approbando, & visitando*, quibus conceditur, ut Ordinarius visitet, & approbet oratorium, ut illo visitato, & approbato sine aliquo alio privilegio, seu Brevi Pontificio, possit Bullam habens in illo celebrare, vel celebrare facere, aliàs privilegium nihil operaretur.

24. Secundum fundamentum: Quia Commissarius Bullæ facultatem habet declarandi ea, quæ in Bullâ dubium possunt ingerere, *ex Clemente VIII. & successoribus* per hæc verba: *Commissario generali nuper deputato, plenam & liberam in præmissis facultatem, & authoritatem tribuimus per se, vel per alium, vel alios, quos ad id idoneos duxerit, ad executionem præmissorum, & aliorum juxta facultates concessas, omni, & quacunque appellatione postposita, procedendi, aliaque faciendi, & exequendi, quæ in præmissis, circa ea necessaria fuerint, & quomodolibet opportuna. Non obstantibus &c.* At illustrissimus D. D. Antonius Mascarenâs Commissarius Bullæ Generalis in Epistolâ, seu edicto *citato num.* 21. declaravit, posse omnes illos, qui oratoria approbata ab ordinario habebant, illis uti virtute Cruciatæ; quia decreta Pontificis, & Cardinalium circa oratoria privata hanc Bullæ gratiam non comprehendebant.

25. Verba declaratoria sunt sequentia: *E porque à nossa noticia veio, que algumas pessoas levadas de suas particulares consideraçoens, ou contravão o uzo destas graças e os sacerdotes se intimidavão, temendo castigo, e vexaçam em menoscabo da authoridade Apostolica, e notavel detrimento do dito subsidio; nos pareceo com maduro conselho de muitas, e varias pessoas Religiosas, e doutas, mandar passar provizoens em favor de algumas pessoas particulares, que justificavão diante de nos terem oratorios ia visitados, e approvados pello ordinario, na forma que na Bulla se requere. E porque nas ditas provizoens damos licença pera nos taes oratorios assim approvados, se dizer, e ouvir missa pellos sacerdotes, e pessoas que tiverem a Bulla, nam por via de nova concessão, mas por via de declaração da graça, que ia as ditas pessoas tem immediatamente do Summo Pontifice; conformando nos com os termos de direito, e poderes, que pera a execução da dita Bulla nos sam concedidos, nam saltando pessoas, que individamente repuguem as ditas provizoens; Mandamos em vertude de santa obediencia, e sob pena de excommunhão major latæ sententiæ, e de duzentos cruzados applicados pera ainda da sustentação, e defensão dos ditos lugares de Africa, que nenhuma pessoa de qualquer qualidade que seia ainda que esteia constituida em dignidade Ecclesiastica, e por qualquer outra via seia exempta, impida o uzo da dita graça, e qui e tação das consciencias dos fieis Christaõs. Declaramos que a ordem de sua santidade, e decreto dos illustrissimos Cardeaes a cerca dos oratorios particulares, e das licenças dadas pera nelles se dizer missa, naõ comprehendeo esta que a Bulla concede, por quanto emana immediatamente do summo Pontifice, cujas licenças estaõ no dito decreto exceptuadas, e a approvação, e visitação do Ordinario, que a Bulla requere, naõ respeita a licença do tal Ordinario nos breves Apostolicos de semelhantes licenças. E outrosi declaramos, que a nós directamente pertence, intimar, declarar, e defender &c.*

26. Si ergo Commissarius declarat, se posse dare licentiam celebrandi, & audiendi missam in oratorio privato: dummodo prius sit ab Ordinario visitatum, & approbatum; & de facto illam non paucis dedit, ut asserit; dicendum est, posse, nam ut ait Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 3. *dub.* 4. *num.* 6. *in fine*, hæc facultas expresè non continetur in Bullâ; at si Commissarius illa utitur, credendum est, posse. Sic de illo asserit Moya *in qq. select. tract.* 2. *de Relig. disput.* 3. *quæst.* 1. *num.* 9. Fateor tamen in præcitato loco, ubi de hâc re agit Trullench. ea verba non habere, nec in citato à Moya, nempe *lib.* 2. *Bull.* §. 5. *dub.* 3. *num.* 7. in quo nihil de hoc puncto; nec in hoc §. 5. datur *dub.* 3. nec alia dubia, sed tantùm explicatio tituli illius §.

27. Tertium fundamentum: Quia Episcopi possunt oratoria approbare: nullibi enim hæc facultas invenitur prohibita; solùm enim illis sublata est facultas, concedendi licentiam, celebrandi in privatis oratoriis per Paulum V. & Urbanum VIII. ergo datâ, &

posità ab eis approbatione oratorii, poterit habens Bullæ privilegium illo uti. Quod ostenditur, quia Episcopi non habent facultatem concedendi licentiam, ut quis à reservatis Pontifici absolvat: At si approbet hunc confessarium, etiam rogatus ab habente Bullam poterit hic confessarius approbatus ab Episcopo habentem Bullam absolvere à reservatis Pontifici: Ergo etiam licèt facultatem non habeat concedendi oratorium, in quo celebretur, poterit tamen rogatus ab habente Bullam oratorium approbare, & datâ hâc approbatione, poterit habens Bullam illo uti oratorio approbato, ad hoc, ut in eo celebret, vel faciat celebrare.

28. Quartum fundamentum deductum ex judicio Academiarum habito in citatâ Relatione *fol.* 44. pro defensione Commissarii, sic figurari potest. Ideo non liceret, uti oratoriis approbatis ab Ordinario virtute Bullæ, quia hæc facultas expiravit per Breve Pauli V. sed per novam Bullæ concessionem à Gregorio XV. successore Pauli factam, & per Successores extensam, iterum revixit: quia confirmarunt, & concesserunt omnia, quæ in Bullâ Gregorii XIV. fuerunt concessa; ex quibus unum erat oratorium privatum visitandum, & approbandum ab Ordinario cum clausulis: *Extendimus, & prorogamus*; & ibi *concedimus, & indulgemus*, & tandem *Non obstantibus constitutionibus:* Ergo quanvis à Paulo fuissent revocata oratoria, de novo à successoribus fuerunt concessa.

29. Quintum fundamentum ex eisdem Academicis est; quia concessio Bullæ Cruciatæ est per modum contractus, ut vult Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disp.* 33. *num.* 10. Ergo ut censeatur revocata per Breve Pauli V. necesse erat, ut de Bullâ expressa fieret mentio: ut idem Sanch. tenet *dict. num.* 10. Et in dubio dici non potest, quòd ei derogare voluerit, cùm id non expresserit; si enim id voluisset, id declarasset: sicut Urbanus VIII. in Brevi hoc ipso anno declaravit, & expressit, per Breve anni sancti, non censeri Bullam Cruciatæ suspensam. Alia minoris momenti Doctores Academici ad suam stabiliendam sententiam adducunt; quæ omnia in prædictis comprehenduntur.

§. I.

Proponitur, & approbatur vera, & opposita sententia.

30. Non obstantibus pro contrariâ sententiâ fundamentis adductis, dicendum est, per dicta verba Bullæ, nullo modo concedi habenti Bullam in suâ domo habere oratorium, ut missa in eo celebretur, vel audiatur; nec Episcopi possunt tale oratorium approbare, ut vi Bullæ in eo celebretur; nec Commissarius Generalis, datâ eâ Episcopi approbatione, potest eam licentiam concedere; nec recurrere facere habentes Bullam, ut approbationem ab Episcopo obtineant; ut ipse concedat virtute Bullæ, missam celebrare, & audire. Sic docent Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 3. *dub.* 4. *num.* 7. Garcias *in sum. Theol. moral. tract.* 3. *diff.* 8. *dub.* 2. *punct.* 3. *num.* 26. Dian. *part.* 9. *tract.* 1. *resol.* 23. & 42. Mend. *in Bull. disput.* 16. *num.* 6. & *in stater. opin. differt.* 14. *n.* 122. & 128. & apud ipsum Fr. Barnab. Galleg. *in exposit. Bull. dub.* 31. *fol.* 20. Gabriel de Henao *tom.* 2. *de sacrific. miss. disp.* 30. *num.* 210. ex Decreto Urbani VIII. mutans sententiam, quam *disp.* 23. *num.* 146. secutus fuerat Thom. Hurt. *tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 1. *in digressione de oratoriis* §. 4. Fr. Joannes Martines de Prado *tom. Theolog. moral. cap.* 6. *quæst.* 4. *num.* 8. Accedunt Quintanad. *tom.* 1. *singul.* 33. *num.* 7. Bard. *part.* 2. *tract.* 2. *cap.* 6. *num.* 2. Leand. *part.* 4. *tract.* 5. *disp.* 11. *quæst.* 4. Moya *in quæst. select. tract.* 2. *disp.* 3. *q.* 1. Illustrissimus Fr. Anton. à Spiritu S. Episcopus Angol. *in direct. confess. tract.* 7. *à num.* 74. & Tambor. *in Bull. cap.* 5. §. 5. *num.* 10. Idem tenet ex vi tenoris Bullæ, de quo procedit nostra quæstio, & non ex aliquo alio speciali privilegio.

31. Tres partes habet assertum: prima tenet, non posse per Bullam Cruciatæ concedi oratorium, in quo missa celebretur, vel audiatur. Secunda, non posse Episcopos oratoria approbare, nisi à S. Pontifice id circa aliquod, expresè committatur. Tertia, non posse Commissarium datâ approbatione Episcopi, licentiam concedere, ut in tali oratorio virtute Bullæ celebretur, vel missa audiatur; nec facere, ut habentes Bullam recurrant ad Ordinarium, ut approbationem oratorii ab Ordinario obtineant, ut ipse concedat virtute Bullæ, ut in ipso celebretur, vel missa audiatur.

32. Prima pars ostenditur, quia eodem modo, quo per Bullam conceditur in Ecclesiis celebratio, & auditio missæ, tempore interdicti, vel extra illud; conceditur in oratoriis privatis: Sed concessio circa Ecclesias, non est ad eas erigendas: Ergo etiam concessio circa oratoria, non est ad ea erigenda: sicut enim S. Pontifex supponit Ecclesias jam erectas, ita etiam supponit, & aliunde oratoria jam esse concessa, & erecta.

33. Confirmatur: Quia non est præsumendum de S. Pontifice, quòd omnibus sumentibus Bullam (in quibus plures ex plebeis reperiuntur) concedat id, quod maximâ cum difficultate nobilibus concedit; & prohibet Nuntiis & Episcopis, ne id concedant: ut mox videbimus: Ergo ex vi verborum Bullæ incredibilis est talis facultas.

§. II.

Secunda pars assertî ex authoritate astruitur.

34. Secunda pars asserti, in quâ dicitur, non posse Episcopos oratoria approbare, nisi eis per Breve Pontificium id expresè committatur, stabilitur ex variis Pontificum decretis, & mandatis; ex quibus constat ablatam esse ab Episcopis facultatem oratoria approbandi. Primum sit, quod protulit Urbanus VIII. anno 1626. pro decisione dictæ litigiosæ causæ, inter illustrissimos dominos D. Joannem Baptistam Palloto hujus Regni Collectorem, & D. Antonium Mascarenàs Bullæ Commissarium anno 1625. ortæ: ut initio sectionis notavimus. Et quanvis hoc decretum invenire non potuissem in Bullæ, vel Legatiæ archivis; illud vidit Portel, & illius publicationi affuit, ut ipse testatur *in respons. Regul. tom.* 1. *part.* 3. *cas.* 20. *n.* 1. apud Dian. *part.* 9. *tract.* 1. *resol.* 42. per hæc verba: *Addi potest ad hoc, quod ego vidi meis oculis anno* 1626. *in aulâ cujusdam domini tunc collectoris hujus Regni, publicari edictum Sanctissimi D.N. Papæ Urbani VIII.*

in quo prohibebat, ne Episcopus aliquis, vel similis Prælatus licentiam dare posset alicui celebrandi, vel celebrare faciendi, in oratoriis privatis; & scirent omnes talem licentiam concedere esse reservatum soli summo Pontifici. Hæc Portel. Unde constat, exortâ lite, hoc emanasse decretum; quia lis inter dictos illustrissimos Dominos anno 1625. orta fuit, & decretum fuit publicatum anno 1626. de hoc decreto mentionem facit, ultra citatos, Garcias ubi *supra n.* 18. & antea *n.* 15. & Henao *in oper. scientiæ mediæ fol.* 463. *n.* 1678. *& de sacrif. miss. disp.* 30. *n.* 211. in responsione ad quoddam argumentum, in qua asserit, se posse dicere cum Christophoro à S. Joseph, esse prohibitum Episcopis dare licentiam ad oratoria privata & ad illa approbanda. Adducitque prohibitionem Urbani VIII. citatis Portel & Dian. ut *supra* eademque referens verba.

35. Secundum constat ex declaratione Cardinalium, jussu Pauli V. editâ 10. Martii, anno 1615. in quâ omnes licentiæ ab ordinariis in privato oratorio celebrandi concessæ omnino abrogantur: ut videre est apud Trullench. ubi *supra dict. n.* 7. Scortia *lib.* 2. *de sacrific miss. cap.* 13. *n.* 3. Marchin. *de ordin. tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 9. *n.* 7. Henao *de sacrif. miss. disp.* 28. *n.* 15. & alios; sed quia hoc decretum, seu declaratio S. Rom. Eccles. Cardin. fuit missa ad collectorem hujus Regni, hoc loco erit inserenda, & sic habet eisdemmet verbis, quibus in archivo Legatiæ custoditur.

Copia Litterarum S. Congreg. Cardin. S. Concilii Trident. interpretum ad illustrissimum D. Collectorem Lusitaniæ.

36. PErillustris, ac Reverendissime Domine, uti frater. Tametsi S. Congregatio Cardin. Concil. Trident. interpretum, optimis enixa rationibus sæpissimè respondit; celebrandi licentias in privatis oratoriis, non nisi à sede Apostolicâ esse concedendas: compertum est tamen, per plures Antistites, ejusdem Concilii verba in alium censum detorquentes, passim illas, ac nullo prope delectu impertiri; quâ quidem facultate, nedum ipsi Pontificiam sibi authoritatem asciscunt, illarumque Ecclesiarum, & frequentiam minuunt, & dignitatem; verum etiam quod summè dolendum est, tremendum illud mysterium, quo nullum aliud opus adeo sanctum, atque divinum à Christi fidelibus tractari possit, intra domesticos parietes, plerumque tantâ cum irreverentiâ peragitur, ut nihil fere inter prophanam, & divinam domum interesse videatur. Quod sanè teterrimum exemplum, ut de Christianâ republicâ evellant illustrissimi Patres, Amplitudini T. cæterisque Archiepiscopis, atque Episcopis universis, Sanctiss. D. N. jussu significandum duxerunt; facultatem hujusmodi licentias dandi ipsius Concilii decretis unicuique ademptam esse; solique Rom. esse reservatam; proindeque Ampl. T. abstinendum ab illis utcumque tribuendis, ac siquas hactenus, vel à se ipsâ, vel à suis antecessoribus, aut alias quoque modo, quàm ab ipso S. Pontifice concessas, repererit, nullas, atque irritas esse, quàm primùm decernendas; atque enixè curandum, ne ulla illarum ratio in posterum habeatur. Quam quidem S. Congregationis, atque adeo Sanct. suæ voluntatem, Ampl. T. perficiet; harumque litterarum exemplum in acta publica primo quoque tempore, referendum, ac deinde ad singulos istius Provinciæ Episcopos curabit. Et bene valeat Ampl. T. in Domino, à quo cuncta illi prospera, ac salutaria precamur. Romæ die 10 Martii Anni 1615.

Ampl. T. perillustris, ac Domin. uti frater studiosis. Hor. Cardin. Lancellotus.

Ex hâc declaratione, & supra dicto decreto expressè constat, non posse Episcopos concedere licentiam altaris privati.

37. Dices ex supradicto decreto *n.* 34. *& precedente declaratione* constat, non posse Episcopos, & similes ordinarios concedere facultatem ad oratoria privata; non tamen ad illa approbanda: ergo cum ordinariis, ad approbanda oratoria privata non sit adempta facultas, datâ ab illis dictâ approbatione, poterit habens Bullam privilegiis in illâ concessis gaudere. Respondeo, negando antecedens cum Moya *supra citato n.* 13. & apud ipsum Henao, & Pasqualig. & aliis communiter. Quod ostendo, quia revocatio facultatum à Paulo V. Urbano VIII. & à sacrâ Congregat. comprehendit non solùm facultatem celebrandi in oratorio privato, sed etiam illud approbandi, & declarandi aptum ad celebrandum.

38. Et hoc patet primò, quia olim solùm requirebatur, ut quis in oratorio privato celebraret, quòd daretur facultas Nuntii, Collectoris, aut Episcopi ad illud erigendum, approbandum, & ad divinum cultum designandum; sicut hodiè Regulares solùm indigent approbatione Episcopi ad audiendas confessiones: nam jurisdictionem ad absolvendum habent virtute suorum privilegiorum: si ergo prædicti ordinarii adhuc eâdem potestate potirentur, cùm in Lusitaniâ, & Hispaniâ sit Bulla Cruciata continua, non ablatâ per dicta decreta eâ potestate à dictis Prælatis approbandi oratoria privata, S. Pontifex oleum, & operam perdidisset: nam usum oratorii Bulla concedit. Igitur, ut certissimum tenendum est, S. S. Pontifices, & Cardin. declarationem non solùm prohibere Nuntiis, Collectoribus, & Episcopis in prædictis decretis facultates celebrandi in privatis oratoriis, sed etiam facultates approbandi.

39. Secundò patet, quia finis prædictæ revocationis fuit oratoriorum privatorum numerum minuere: sed hic finis non potest obtineri, si ex unâ parte ordinarii possint approbare oratoria privata, absque licentiâ S. Pontificis, & ex aliâ omnes habentes Bullam possint celebrare, vel celebrare facere in oratoriis ab ordinariis approbatis: cùm ergo hoc secundum dici non possit, cùm sit expressum in Bullâ; necessariò dicendum est primum, nempe: Ordinarios non posse absque Pontificis licentiâ approbare oratoria privata; & hanc facultatem, seu licentiam esse S. Pontifici per prædicta decreta, & Cardin. declarationem reservatam.

§. III.

Tertia pars asserti ratione, & authoritate ostenditur.

40. In tertiâ asserti parte dicebatur, non posse Commissarium, datâ approbatione Altaris privati ab Episcopo, licentiam concedere, ut in tali oratorio virtute Bullæ celebretur, vel missa audiatur, nec facere, ut habentes Bullam recurrant ad Ordinarium pro oratorii approbatione. Ratio primi est quia Commissarius non potest concedere licentiam, ut virtute Bullæ celebretur in altari privato non approbato ab ordinario. Sed altare privatum ab ordinario approbatum, sine speciali commissione S. Pontificis non manet approbatum; quia S. Pontifex Paulus V. & Urbanus VIII. sibi, & successoribus reservarunt approbationem altaris privati: ergo Commissarius non potest concedere licentiam ut, virtute Bullæ celebretur, vel audiatur missa in altari privato ab Episcopo, sine commissione Pontificis approbato. Major est certa, minor ostenditur: quia ex eo, quòd S. Pontifex sibi reservat aliquod peccatum, nullum confessarium absque illius authoritate, & licentiâ potest ab eo validè absolvere: ergo etiam ex eo, quòd S. Pontifex sibi reservavit approbationes altarium privatorum, nullus ordinarius absque illius speciali licentiâ, & commissione validè illa potest approbare.

41. Ratio secundi est; quia si Episcopus non potest validè absque commissione Pontificis approbare oratoria privata, non potest Commissarius facere, ut habentes Bullam ad illum recurrant pro approbatione; quia Episcopus iniquè operatur, si illa approbet; sed Commissarius non potest concurrere ad operationem iniquam: ergo non potest facere, quòd habentes Bullam pro approbatione oratorii ad Episcopum recurrant.

42. Addo, ad favores; qui in hâc clausulâ conceduntur, non requiri licentiam Commissarii; sed tantùm, ut nobiles possint celebrare, vel facere celebrare per unam horam ante auroram, & per alteram post meridiem, ut notavimus *disp. præcedente sect.* 10. *à n.* 64.

43. Authoritate etiam ostenditur, Commissarium non posse concedere facultatem erigendi oratoria privata. Primò, ex declaratione factâ à Gregorio XV. anno 1622. in Epistolâ de mandato ejus scriptâ per Eminentissimum Cardinalem Ludovisium, ad Illustrissimum Nuncium Hispaniæ; ut Commissario Cruciatæ intimaretur, quam ex linguâ Italâ in Hispanam vertit Moya, *ubi supra n.* 16. & sic habet. *Muy Illustre, y Reverendiss. Senòr: Nuestro Senòr ha hecho ver, si el Patriarcha de las Indias tiene facultad de conceder oratorios particulares despues de la revocacion hecha del Papa Paulo de feliz memoria, y se ha hallado, que en virtud de la Bulla de la Cruzada, no se pueden conceder oratorios particulares, y que esto mismo se intentó tambien en tiempo del Papa Paulo, mas estudiada diligentemente la controversia, de orden del mismo Pontifice de buena memoria, del Cardenal Lanzeloto, del Cardenal de S. Suzana, y de Monsenòr Marardi, entonces Datario, se resolvió, que no se podia. Lo mismo ha ordenado S. Santidad, que escriva ora a V. S. pera que haga entender à Monsenòr Patriàrcha* (tunc Commissario Cruciatæ) *que son ningunas las gracias, que ha hecho, y que pera en adelante se abstenga Nuestro Senòr guarde a V. S. de Roma 20. de Mayo de 1622. De V. S. afectissimo como hermano Ludovico.* Sic Epistola, cujus transumptum Moya *citatus* fatetur se vidisse.

44. Secundò, quia idem declaravit Clemens IX. in Litteris sub annulo piscatoris datis Romæ 28. Octobris 1668. ad Commissarium Generalem Hispaniæ D. D. Antonium de Benavides, querens de antecessoribus in hoc puncto terminos suæ jurisdictionis transgredientibus, per hæc verba: *Summâ cum animi lætitiâ nunc accipimus te sapientissimo Reginæ pissimæ judicio maxime dignum existimari, cui gravissimum Commissarii Cruciatæ munus obeundum committatur. Quod idem, & Nos omnino censemus, & mutuò probamus, pro certo nimirum habentes, eximiam, & perfectam virtutem tuam hujus officii tanti partibus omnibus egregiè satisfacturam esse, neque locum ullum inconvenientibus, & præjudiciis relicturam, quibus ex antecessoribus tuis nonnulli fines jurisdictionis sua prætergressi, Pontificia solicitudini causam justam expostulandi, non rarò præbuerunt. Quæ ne temporibus tuis accidant, quamvis verendum non sit, tamen ut à te summopere petamus, cum res gravitas, tum etiam debita Pastoralis providentia cura profectò facit. Sed omnia planius ex venerabili fratre Patriarcha Alexandrino Nuntio nostro coram intelliges.* Hæc S. Pontifex Clemens IX. Principale autem, quod illustrissimus Dominus Hispaniæ Commissarius à dicto illustrissimo Nuntio accepit, fuit, *Ne in posterum oratorii erigendi privilegium concederet.* Hæc habentur apud Moyam *citat. n.* 17. ubi inquit, se ab eodem Commissario accepisse, illum à Nuntio admonitum fuisse, ne in posterum oratorii erigendi privilegium concederet.

45. Ex hâc declaratione Clementis IX. notanda veniunt verba, in quibus asserit ex antecessoribus nonnullos fines jurisdictionis suæ fuisse prætergressos. Et præcipuè ex eo, quòd concederent oratorium privatum: non ergo aliquo tempore Commissarii facultatem habuerunt concedendi oratoria privata; & si illâ usi fuerunt, fines suæ jurisdictionis sunt prætergressi.

46. Ex prædictis decretis, & declarationibus S. S. Pontificum constat, Episcopis esse sublatam facultatem approbandi oratoria, nisi specialiter ab eisdem summis Pontificibus illis committatur; non enim sufficit Commissarii commissio: quia ex dictis constat, non posse concedere licentiam erigendi oratoria. Nunc ad fundamenta opposita respondeamus.

§. IV.

Satisfit fundamentis contrariæ opinionis.

47. Ex dictis facilè respondetur ad ea, quæ pro oppositâ sententiâ ab adversariis, & ab ipsis Academicis in defensionem illustrissimi Commissarii afferebantur. Ad primum enim allatum *n.* 22. & 23. respondetur, privilegium in Bullâ concessum circa oratoria privata multa operari, ut in hâc *disputatione sect.* 6. & 7. videbimus; nam multa, quæ in indultis Pontificum conceduntur circa oratoria cum limitatione, per Bullam Cruciatæ ampliantur. Nec verba Pontificis, futuri temporis, *approbando*, & *visitando*, aliquid concedunt, in favorem contrariæ sententiæ; quia Commissa-

rius

rius illa in Summario vertit in præteritum, ibi: *visitado, e approvado pello Ordinario:* si ergo existimaret, dum erant in futuro, aliquid amplius illi concessura, in præteritum non verteret, quod forsan fecit, ut confusionem auferret.

48. Ad secundum *n.* 24. 25. & 26. adductum dicendum: licèt Commissarius possit declarare ea, quæ in Bullâ reperiuntur dubia, id non habet locum, quando circa ea datur S. Pontificis declaratio; nam ad concedentem primo in loco pertinet privilegii declaratio, & interpretatio; & hâc datâ, cessat Commissarii declaratio. Addo, quòd in declaratione, & interpretatione privilegii servanda est verborum proprietas: ut cum communi tenet Castr. Pal. *tom.* 1. *tract.* 3. *de privileg. disp.* 4. *punct.* 9. *n.* 3. & hæc non est servata, positis decretis Pauli V. & Urbani VIII. de reservatione oratorii privati: at Pauli V. decretum eo tempore jam vigebat, sicut & declaratio Cardin. S. Congregationis jussu ejusdem Pontificis, quæ necessariò ipsis Episcopis debebat esse intimata: ut in eâ disponitur, ne oratoria approbarent: ut in ipsâ declaratione videri potest, *supra n.* 36. & in illius explicatione *n.* 38. & 39.

49. Ad tertium *n.* 37. patet responsio ex dictis pro verâ sententiâ, ubi ostendi facultatem approbandi oratoria Episcopis sublatam esse, & præsertim *n.* 38. & 39. *citatis.*

50. Ad quartum respondetur, Breve Pauli V. non expirasse per novam Bullæ concessionem à Gregorio XV. successore Pauli V. quia in Bullâ nunquam concessâ fuit facultas approbandi oratoria, ut supra *locis citatis* ostendimus, & licèt aliqua exorta fuisset dubitatio, S. Pontifex illam potuerat declarare, ut declaravit, jubileum anni sancti Bullam non suspendere: & tamen nullus dicet, per novam Bullæ concessionem, talem expirasse declarationem: ergo nec expiravit facta per Paulum V. Nec decretum Pontificis Pauli fuit in ordine tantùm ad Bullam, sed absolutè sibi reservavit concessionem oratorii privati, auferens potestatem, quam antea Episcopi, & Nuntii illa erigendi, approbandi, & designandi habebant, ut *n.* 38. notavimus.

51. Nec ex eo, quòd Gregorius XV. eodem modo Bullam concessisset, ut eam concessit Paulus V; sequitur, quòd concessit privilegium oratorii privati, ut illud concesserat Gregorius XIV. quia nec Gregorius XIV. nec Paulus V. illud concesserat; & cùm non fuisset concessum ab aliquo eorum, non poterat revivisere per concessionem Bullæ à Gregorio XV. factam: ut expressè constat ex declaratione ipsius Gregorii XV. *n.* 43. Et nulla alia magis efficax ratio adduci potest, quàm illa, quæ ab Epistolâ jussu ejusdem Pontificis emanavit: ut *citato loco* videri potest.

52. Ad quintum *n.* 29. respondeo, S. Pontificem Paulum V. non derogasse Bullæ privilegiis; quia ut antea erant concessa, in eodem statu reliquit. Unde non erat necessaria expressa mentio de revocatione factâ: quia ea revocatio data non fuit circa Bullam, in quâ nunquam fuit concessa: ut ex citat. Epistolâ constat, & ex dictis.

SECTIO IV.

An factâ revocatione approbationis oratorii privati, possint habentes Bullam, post eam revocationem, in eo celebrare, vel missam audire?

53. Decisio hujus quæstionis pertinet etiam ad contentionem controversam inter dictos illustrissimos viros habitam. Quæ contentio initium accepit à revocatione approbationum oratoriorum privatorum à Reverendissimo Capitulo hujus Sedis Ulyssiponensis factâ, Sede vacante, per mortem Illustrissimi Archiepiscopi D. D. Michaelis de Castro, qui ea oratoria absque S. Pontificis commissione approbarat. Et non obstante revocatione per Reverendissimum Capitulum factâ; mandavit Illustrissimus Commissarius, ut virtute Bullæ in dictis oratoriis celebraretur, & missæ audirentur.

54. Ad hujus resolutionis intelligentiam, quæres primò: An ordinarius, post oratoria à se approbata ex speciali commissione S. Pontificis, vel à prædecessoribus, possit eorum approbationem revocare? Et certum est primò, oratorium semel tantùm esse visitandum, & approbandum, & quidem gratis. Ratio est, quia verba indulti: *Prius visitando, & approbando* unam tantùm visitationem, & approbationem important: sermo enim simpliciter prolatus intelligitur de primâ vice *L. Boves. §. hoc sermone. ff. de legat.* 1. & alia jura, & Doctores apud Barbos. *de axiom. axiomat.* 206. & in præsenti, id docet Tambor. *in method. celebr. miss. lib.* 1. *cap.* 4. §. 4. *n.* 11.

55. Certum est secundò, hanc approbationem posse ab ipso ordinario revocari; quia ita exprimitur in ipso Brevi concessionis Pontificio, ibi: *Ac de ipsius ordinarii licentiâ ejus arbitrio duraturâ.* Et quanvis hæc clausula in his indultis non daretur, sicut in multis non invenitur; positâ tamen; adhuc potest Episcopus suspendere, & revocare dicta oratoria; & inhibere etiam Regulares exemptos, ne in illis celebrent; quando scilicet sciret sine debito decore, & decentiâ ibidem celebrari. Sic constat ex Concil. Trident. *sess.* 22. *titul. de observand. & evitand. in celebr. missæ.* Et quòd hoc decretum hæc privata oratoria comprehendat, resolvit Sell. *in select. canon. cap.* 18. *n.* 25. apud Barbos. *in Remiss. ad dictum decretum n.* 25. Et ratione ostenditur; quia ad quemlibet Episcopum pertinet providere quæcunque in suâ Diœcesi ad divinum cultum spectant. *Sess. eâdem cap.* 8. *de reform. & Sess.* 21. *cap.* 8. *de reformat.*

56. Dubium tamen est: An ex prædictâ indulti clausulâ possit ordinarius revocare oratorii approbationem semel collatam, pro suo libito, & arbitrio? Respondeo non posse licitè, posse tamen validè. Probatur, posse validè; quia verba, *ejus arbitrio duraturâ* idem significant, ac beneplacitum: ut tenet Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 2. *n.* 243. in fine: at cessante beneplacito approbantis, cessat approbatio.

57. Non posse licitè, ostenditur: quia verba: *ejus arbitrio*, vel *arbitrio suo* important arbitrium boni viri, ut cum Barthol. Menoch. & aliis plurib. Barbos. *de clausul. clausul.* 11. & cum aliis Juristis

ristis Sanch. *tom.* 2. *consil. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 55. *n.* 8. At inter arbitrium, & liberam voluntatem hoc intercedit dissidium; quòd cùm aliquid relinquitur liberæ voluntati alicujus, ille ad nihil tenetur, nec indiget causâ, & suâ statur declaratione, sive justâ, sive injustâ, sive dignâ, sive indigna. Quando verò fit commissio per verba importantia arbitrium boni viri, exigitur arbitrium regulatione commensuratum; & sic exigitur causa; quia id dicitur arbitrium boni viri, quod bonus vir arbitraretur *L. vir bonus. ff. judic. solut.* Sic Sanch. *n.* 5. cum Bart. Jason. Imol. Ex quibus infertur, non posse ordinarium, pro merâ suâ voluntate, & libito; sed solùm ex justâ, & rationabili causâ datam approbationem revocare. Et hoc potest, non tantum ratione hujus indulti clausulæ, sed etiam ex vi Concil. Trident. *citat.* Vide dicta *supra n.* 6. *& infra disp.* 14. *sect.* 16. *n.* 162.

58. Quæres secundò: An datâ revocatione approbationis oratorii privati per ordinarium, possit in eodem oratorio virtute Bullæ, missa celebrari, vel fieri celebrari? Respondeo, affirmare Consilium Academiarum hujus Regni, in defensionem Commissarii Generalis, quod habetur *in Relatione citatâ sectione precedente fol.* 42. Probat, quia, ut quis virtute Bullæ possit in oratorio privato celebrare, vel facere celebrare, solùm requiritur, ut oratorium sit visitatum, & approbatum ab ordinario, ut patet ex verbis Bullæ *supra* relatis, & ex illis, quæ affert super illa Fr. Emman. Rodrig. §. 5. *n.* 4. & melius §. 13. *n.* 8. *vers. Item se concede* ad medium: Sed oratoria, de quibus contentio agit, fuerunt visitata, & approbata à domino Archiepiscopo: Ergo in illis virtute licentiæ concessæ in Bullâ, & approbationis ab Archiepiscopo datæ, potest celebrari, vel fieri celebrari. Ut autem Bulla aliquid operetur (inquiunt) extra tempus interdicti, dicendum est, quòd necessariò sit, quando licentiæ sint revocatæ; nam si revocatæ non essent, Bulla non erat necessaria, quia satis erat licentia domini Archiepiscopi, juxta Concil. Trident. *sess.* 22. *cap. unic. de observand. & evitand. vers. Nemineni praterea.* Alias illa dictio *etiam* superfluè esset addita in eâdem Bullâ; quod secundùm jus dici non potest; quia in Brevibus, & Rescriptis Apostolicis verborum superfluitas semper vitanda est; & eorum verba aliquid operari debent *ex cap. si Papa, de privileg. in* 6. & ex iis, quæ Doctores communiter afferunt *in l.* 3. *in princip. ff. de jur. jurand.* Inde est, quòd aliqui dicunt, in Rescriptis, seu Bullis Apostolicis, non solùm verbum, & dictionem, sed etiam Syllabam in eis appositam, aliquid debere operari, & non esse appositam sine effectu. Ita per Gloss. *Verb. tanquam in cap. solita de majorit. tenent* Simon Pretis *de interpretat. ultim. voluntat. lib.* 2. *interpret.* 3. *dub.* 2. *solut.* 5. Sanch. *lib.* 3. *de matr. disp.* 26. *n.* 6.

59. Nec in hoc casu (progrediuntur Academici) aliqua necessaria est Capituli licentia; ut in dictis oratoriis missa audiatur, vel celebretur; & sufficit duntaxat, quod fuissent à Domino Archiepiscopo visitata, & approbata ad hoc, ut in illis virtute Bullæ celebretur missa: ut constat ex illius verbis, ibi: *In oratorio ad cultum divinum deputato ab Ordinario loci approbando, & visitando,* & solùm requiritur, ut semel sint approbata, & visitata, arg. textus *in L. Boves.* §. *hoc sermone ff. de verb. signif.* ubi Tirag. *à n.* 59. *&* 73. Cum sequentibus, Valasc. *tom.* 1. *consult.* 102. *num.* 30. referente pluret, & sequitur Barbos. *in lib.* 8. §. *quid in anno num.* 8. *&* 9. *ff. solut. matrimon.* Et solùm dicta oratoria manserunt subjecta ad visitationem per Episcopum futurum, sive Capitulum; sicut alia loca, juxta Trident. *sect.* 22. *cap.* 8. *de reform.* Molin. *tom.* 2. *de justit. disp.* 250. *num.* 3. Sanch. *de matrim. lib.* 8. *disput.* 2. *num.* 1. *Vers. tunc enim.* Præterquam quòd licentiæ, quas Capitulum revocavit, operari non possunt, ut oratoria non fuissent approbata, & visitata (tametsi eas potuerit revocare: ut tenent Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disput.* 28. *num.* 72. 73. *&* 85. Frat. Laurent. Portel. *in dub. Regul. Verb. licentia, in principio,* quod tantùm sufficit, ut virtute Bullæ in eis possit audiri, & celebrari missa. Hæc sunt fundamenta Academicorum in hoc difficultatis puncto.

60. Sed illis non obstantibus; dicendum est, non posse habentem Bullam virtute illius audire, vel celebrare missam in oratorio, cujus approbatio per Ordinarium fuit revocata. Probatur, quia sacerdos, cujus approbatio fuit revocata, non potest eligi virtute Bullæ in confessarium: ut docent Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 28. *sect.* 8. Vazq. *tom.* 4. *de pœnit. quæst.* 93. *art.* 3. *dub.* 5. Ludovic. à Cruce *disp.* 1. *cap.* 2. *dub.* 12. à Cost. *quæst.* 40. Trullench. *lib.* 1. §. 7. *cap.* 1. *dub.* 7. Bard. *part.* 2. *tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 99. Mend. *disp.* 22. *num.* 92. & omnes: dummodo cum causa approbatio fuerit revocata, & alii. Aliqui tamen asserunt, etiamsi absque causâ ab Ordinario reprobetur, non posse virtute Bullæ eligi: ut Joann. à Cruce *in summ. part.* 2. *de pœnit. quæst.* 5. *dub.* 4. *concl.* 4. Mend. *citat. num.* 94. & alii: & meritò ut *infra* dicemus *disp.* 14. *sect.* 10. Ergo etiam oratoria privata, quorum approbationes ab ordinario fuerunt revocatæ, non possunt eligi virtute Bullæ, ut in eis missa celebretur, vel audiatur. Sicut enim Sacerdos ille post revocationem approbationis non manet approbatus, ita etiam oratorium post revocationem approbationis amplius jam non manet approbatum.

61. Ad ea, quæ in oppositum Academici adducunt *n.* 58. *&* 59. facilè ex dictis *sect. precedente* respondetur: quia si oratoria à Domino Archiepiscopo fuerunt approbata, post illius obitum à Capitulo eæ approbationes fuerunt cum causâ revocatæ; quia post decretum Pauli V. non poterant à Domino Archiepiscopo approbari; ut vidimus *sect. precedente à n.* 38. & post hanc contentionem declaravit Urban. VIII. ut vidimus *eâd. sect. n.* 34. positâ ergo revocatione cum causâ, sicut non potest virtute Bullæ eligi in confessarium Sacerdos; sic non potest oratorium ad sacrificium in eo peragendum.

62. Ad alia, quæ dicunt: Positâ approbatione Episcopi, posse fideles extra tempus interdicti absque Bullâ in oratorio celebrare, vel facere celebrare; respondetur, eam facultatem erigendi oratoria jam Episcopis per decretum Pauli V. fuisse ablatam; & jam nec oratoria poterant approbare: ut vidimus *supra.* Nec dicti Academici illam dictionem *etiam*, explicant: ut continetur in Bullâ Lusitanâ, sed ut in Bullâ Hispanâ est apposita, cum in quâlibet illius valde diversam indicet implicationem, ut videre est *precedente disp.* 11. *sect.* 4. ne eadem repetamus.

63. Denique: ultimum non conficit intentum;

quia

quia non sufficit, quòd oratoria fuissent semel approbata; quia dato, quòd illa approbatio fuisset legitima, si sint postea revocata, vel per approbantem, vel per successorem, nihil prodest: ut tenet Pellizar. *tom.* 2. *tractat.* 8. *cap.* 2. *num.* 143. & 153. per revocationem remansit oratorium, ac si nunquam fuisset approbatum; & ut in illo, virtute Bullæ possit quis celebrare, vel audire missam, necessaria erat actualis approbatio; ut optimè verba Bullæ Latinæ: *ab Ordinario loci approbando, & visitando*, explicavit summarium transferendo verba, quæ erant de futuro, ad ea, quæ de præsenti, & præterito erant necessaria, ibi: *visitado e approvado pello Ordinario*: Oratorium autem, quod ab Ordinario est reprobatum, non potest dici actu approbatum.

64. Fateor, Capitulum, sede vacante, non posse facere, quòd oratoria, quæ fuerunt approbata, non fuissent approbata: at potest justâ de causa revocare eas approbationes factas, & declarare fuisse nullas; sicut poterat Archiepiscopus; quia quoad jurisdictionem, eandem habet potestatem, sicut Archiepiscopus: ut docent omnes. Sanch. *lib.* 3. *de matrim. disp.* 28. *n.* 5. & datâ revocatione, ut de facto Capitulum, sede vacante, approbationes omnes ab Archiepiscopo circa oratoria factas revocavit, non remanebant oratoria approbata; ac proinde virtute Bullæ non poterat in illis celebrari, sicut sacerdos, cui revocata fuit approbatio, virtute Bullæ non potest in confessarium eligi: ut *infra* dicetur *disp.* 14. *sect.* 10. & jam *supra* diximus.

65. Cæterum (addit dictum Concilium Academicorum) quanvis in prædictis aliqua superesse posset dubitatio, illam illustrissimus Commissarius sustulit, declarando, posse habentes Bullam illis oratoriis uti ad celebrandas, & missas audiendas; quia ad id à S. Pontifice facultatem obtinebat. Respondeo, ante revocationes à Capitulo factas, aliquam apparentem habuisse facultatem, ad eam declarationem; quia nonnulli eam opinionem tenuerunt; at post revocationes ad illam non habebat fundamentum, ut patet ex dictis.

SECTIO V.

An in oratorio privato approbato ab Ordinario de licentia S. Pontificis, finito tempore à Pontifice præfixo, liceat, virtute Cruciatæ, in eo celebrari, vel celebrari fieri?

66. DE hoc casu sæpius interrogatus fui, ex eo quòd in hâc civitate in amplis domibus dantur oratoria decenter ornata, & muro extructa, ab omnibus aliis domesticis usibus libera; & habitatores, quorum non sunt propriæ domus, per plures annos in illis non habitant, divertendo ad alias, vel si illorum sunt domus propriæ, qui indultum Pontificis ad oratorium obtinuerunt, obeunt, & in eâdem domo hæredes, vel alii succedentes interrogant; an virtute Bullæ possint in eo oratorio missam celebrare, vel facere celebrare; ut illam audiant; quia jam idem oratorium in eodem manens statu, ab Ordinario de licentiâ S. Pontificis fuit approbatum, & ex his interrogantibus, aliqui non habent, vel habent Breve Pontificium ad oratorium; & ne toties ad Ordinarium recurrant pro approbatione, vellent, si possint, adjuvari approbatione ejusdem oratorii, jam habitâ ab Ordinario quanvis à diverso indulto, vel privilegiato; & in præsenti habent Bullam.

67. Hæc quæstio jam agitari cœpit; nam ab Authoribus olim magis citra dubium judicabatur, quàm ad disputationem ea necessariò esset adducenda. Illam tamen pro parte affirmativâ, nullo authore citato, docuerunt Thomas Hurtad. ex clericorum Minorum familia *tom.* 2. *resol. moral. tract.* 12. *cap.* 1. *in digressione ad Bullam num.* 2177. §. 5. Quintanad. *tom.* 1. *tractat.* 7. *singul.* 32. *num.* 4. Mascarenàs *de sacram. tractat.* 5. *disputat.* 5. *cap.* 5. *num.* 290. *Vers. quod vero.* Benedict. Pereyr. *in Trompinar. moral. tom.* 2. *num.* 1402. & 1403. jam prædictos adducens. Docent hi Doctores, si summus Pontifex, vel Nuntius indultum alicui concedit, celebrandi, vel celebrare faciendi, in oratorio domus suæ, si fuerit prius examinatum de decenti ornatu, & ab Ordinario approbatum; si moriatur persona, cui concessum fuit, aut aliò divertat, manente oratorio, in eâdem decentiâ, ac antea, posse quemlibet sacerdotem habentem Bullam, in illo celebrare, & laicum etiam virtute Bullæ in illo facere celebrare, sine aliâ licentiâ, nec aliâ approbatione. Addit Pereyra, etiamsi in eo, non dentur antiqua paramenta, dummodo nova, quæ adveniunt, sint sacrata, vel benedicta à legitimo ministro, juxta formam juris.

68. Probant primò; quia licèt privilegium hoc sit personale, & finiatur cum personâ. *cap. privilegium, de regul. jur. in 6. l. unica. §. ne autem Cod. de cadue. tollend.* probatio tamen oratorii semper manet, quæ primariò respicit personam, cui concessum est privilegium, & secundariò respicit locum approbatum; qui si maneat cum eâdem decentiâ, & non transeat ad prophana, semper manet dicatus divino cultui ex vi prioris approbationis, & semper approbatus: nam semel approbatum semper manet approbatum, manentibus circunstantiis, sub quibus fuit approbatum, *l. Pomponius ff. de negot. gest. Thomas. Surd.* Sanch. *de matrim. lib.* 9. *disputat.* 6. *num.* 9. & alii apud Barbos. *de axiomat. juris axiom.* 31. *num.* 3. Et solus Princeps potest reprobare, quod semel approbatum fuit, *l. sed & reprobari ff. de excusat. tutor. & in l. ut gradatim §. reprobari. ff. de muner. & honor.* Idem Barbos. *loco cit.* sed in oratorio approbato de licentiâ Pontificis ab Ordinario, potest quis virtute Bullæ celebrare, vel celebrari facere, ut patet ex Bullâ: Ergo quanvis, qui indultum oratorii obtinuit, moriatur, vel ad aliam domum divertat, poterit novus habitator habens Bullam sine aliâ licentiâ, & oratorii approbatione in illo celebrare, vel facere celebrari, ut missam audiat.

69. Probant secundò; quia ita se habet oratorium ab Ordinario approbatum, in ordine ad celebrandum in eo, ut se habet approbatio sacerdotis, ad audiendas confessiones:

At sacerdos approbatus ad audiendas confessiones, licet mutet domicilium, vel ad aliam Diœcesim divertatur, semper manet eligibilis ab habente Bullam: Ergo etiam oratorium semper manet eligibile ab habente Bullam, ut in illo celebret, vel faciat celebrare; quanvis approbatum non sit ad petitionem illius, qui illo utitur.

70. Probat tertiò Pereyra; quia licèt in primâ oratorii approbatione veniissent etiam accessoriè ornamenta, & vasa, quæ non dantur cum novo habitatore domus, sed alia de novo allata: hæc sunt sacra, & benedicta à legitimo ministro, & aliâ non indigent approbatione; sicut illâ non indigebant, post primam approbationem oratorii cum omnibus paramentis, alia successivè de novo facta, præter suam accommodatam consecrationem, & benedictionem: Ergo cùm oratorium ex aliâ parte persistat, divino cultui dicatum, & separatum ab usibus prophanis, sicut antea erat; nihil illi deest ad approbationem, quam habebat, & habet: Ergo in illo virtute Bullæ poterit celebrari, vel celebrari facere. Hanc sententiam aliqui viri docti probabilem judicarunt, quos consului, sed illis assensum non præbui, imo oppositam interrogantibus sequendam esse consului.

71. Hanc oppositam sententiam, quam defendo à nullo inveni Authore expresè pro hâc parte tractatam, nisi à Doctissimo Moya *in qq. select. tract. 2. disp. 3. quæst. 2.* qui unus pro cunctis sufficit: nam alii magis eam, ut veram supponebant, quam ut dubiam, & disputatione dignam.

72. Illam probo primò, destruendo primum affirmativæ, & contrariæ sententiæ fundamentum: Quia oratorii approbatio perit, pereunte illo, qui oratorii habuit indultum, vel divertente illo ad aliam domum absque spe brevi redeundi ad eandem domum: Ergo cùm non maneat approbatum, non potest aliquis in illo celebrare, vel celebrari facere virtute Bullæ. Antecedens probatur, quia Ordinarius illud oratorium approbavit, juxta licentiam illi in indulto concessam: sed in indulto non conceditur licentia, nisi ad personam in illo indulto expressam: Ergo illâ pereunte, vel aliò divertente, oratorium non manet approbatum: secus diceretur, Ordinarium posse approbare oratoria pro tempore à Pontifice non concesso; quod est contra id, quod *in sect. precedentibus* asseruimus, ex decretis, & declarationibus S. S. Pontificum. Nec valet, dicere semel approbatum, semper manet approbatum, quia id intelligitur, ut ibi dicebatur, nisi Princeps reprobet; at oratorium finito tempore concessionis à Pontifice, manet reprobatum; quia pro eo tempore tantùm fuit approbatum.

73. Probo secundò, destruendo oppositæ sententiæ secundum fundamentum: Sacerdos approbatus cum limitatione temporis, eo transacto tempore, non est eligibilis ad confessiones, virtute Bullæ: ut docet communis sententia cum Soar. *in 3. part. tom. 4. disput. 28. sect. 7. num. 19.* Vazq. *ibidem quæst. 93. artic. 3. dub. 5. num. 4.* Mend. *disputat. 22. num. 90.* & aliis pluribus, quos *infra disputat. 14. sect. 8. & 9.* adducam, & defendam: Sed oratorium etiam est approbatum pro tempore limitato; quia approbatio oratorii sequitur licentiam ad celebrandum in illo: Ergo finito tempore licentiæ, & approbationis, virtute Bullæ non potest in eo celebrari. Aliàs sequeretur, quòd semel approbato oratorio ex concessione Pontificis ad personam illustrissimam, pereunte illâ, maneret approbatum virtute Bullæ ad personam vilissimam in perpetuum; quod est contra mentem Pontificis: ut vidimus *præcedentibus sect.* Ex his liquet solutio ad primum, & secundum fundamentum oppositæ sententiæ.

74. Ad tertium, quod etiam innititur in approbatione, quæ non datur, respondeo: Quanvis in oratorio maneat eadem decentia, & ornatus, ut antea, non manet, mortuo privilegiato, eadem approbatio: sicut licèt maneat eadem scientia, & morum probitas in sacerdote cum limitatione temporis approbato, non manet tamen, illo transacto, approbatio; ut videbimus *dicta disputat. 14. sect. 8.*

75. Ex dictis sequitur; approbationem oratorii privati non ultra vitam illius, cui facta est oratorii concessio, transire; quia eâ cum limitatione concessa fuit. Nec etiam oppositum convincunt ea, quæ affert Pellizar. *tom. 2. tract. 8. cap. 2. num. 153.* asserens, quando in concessione oratorii, ea apponuntur verba: *Ac de ipsius Ordinarii licentiâ ejus arbitrio duraturâ*, transire concessionem ad hæredes; quia tunc dicta concessio durat, usque dum legitimè revocetur, sicut si privilegium personale concedatur in perpetuum, transit ad alios post mortem privilegiati, ne dicatur esse frustranea dictio *in perpetuum*, ut notavit Castr. Palao *tom. 1. tract. 3. disputat. 4. punct. 2. §. 1. num. 4.* ita etiam, ne dicatur, nihil operari clausula *ac de ipsius Ordinarii licentiâ ejus arbitrio duraturâ* putat Pellizar. concessionem ad hæredes transire.

76. Non solùm hanc, sed etiam aliam extensionem adducit Pellizar. post mortem illius, cui facta est oratorii concessio, nempe: si indulto oratorii matri concesso, filiæ concedatur, ut absente matre, possit cum suâ familiâ in eo oratorio audire missam, per hæc verba: *Tibi ut quando dicta N. a domo prædictâ abfit* (in quâ scilicet existit oratorium matri concessum) *durante absentiâ hujusmodi, missa in dicto oratorio in tuâ ac familiæ tuæ præsentiâ celebrari facere, liberè, & licitè possis.* Si mater jam sit mortua, existimat, oratorii concessionem per eam mortem non cessare; quia concessio facta filiæ est absoluta, & independens à concessione matri factâ; & destructo, vel amisso exemplari non censetur revocatum privilegium ad instar; ut dicit Soar. *de legib. cap. 15. num. 5.* cum pluribus, quod procedit in præsenti casu.

77. Quoad primum *num. 75.* non placet Pellizar. quia verba: *ac de ipsius Ordinarii licentiâ ejus arbitrio duraturâ* intelligenda sunt, durante vitâ illius, qui indultum oratorii obtinuit; ac ideo ipso mortuo, extincta remanet facultas, & indultum: nec credibile est Pontifices, qui oratoria minuere curant; & licentias Episcopis concessas revocarunt; intendisse illis concedere facultatem perpetuandi oratoria semel concessa; & concessionem temporalem, quam

ora-

oratores petunt, reddere perpetuam, si ordinarius approbationem non revocet. Sic contra Pellizar. docent Moya *supra allegatus num.* 17. Dian. *part.* 9. *tract.* 1. *resol.* 17. & cum Tambor. Henao *de sacrif. miss. disp.* 23. *num.* 166.

78. Nec etiam placet alia extensio adducta *n.* 76. à Pellizar. de indulto oratorii matri concesso; in quo filiæ conceditur, ut absente matre, cum familiâ suâ possit in eodem oratorio audire missam; sicut etiam non placuit Dian. & Henao *locis citat.* nam cum his contra Pellizar. existimo, mortuâ matre, illo indulto non posse gaudere filiam; quia indultum oratorii fuit concessum matri, filiæ verò solùm in absentiâ matris; & bene, quia quando privilegium conceditur ad instar alterius; vel uni concessum alteri communicatur; si prius illud revocetur in personâ, cui fuit concessum, etiam revocatur in personâ, cui communicatur. Et ita docent Soar. *de legib. lib.* 8. *cap.* 15. *à num.* 5. *& cap.* 16. *à num.* 11. Rodrig. *in quæst. Regul. tom.* 7. *quæst.* 55. *artic.* 19. Azeved. Mandos. quos refert, & sequitur Barbos. *de clauf.* 5. *num.* 8. Sed indultum per mortem matris revocatur: Ergo etiam revocatur in filiâ. Et ita in praxi video ab Ordinariis ea indulta expediri.

SECTIO VI.

An virtute Bullæ Cruciatæ in oratorio privato possit celebrari missa die Paschatis, & in aliis diebus solemnioribus, in Brevi exceptis?

79. VIdimus *disp.* 11. *præcedente, sect.* 4. posse virtute Bullæ tam temporè interdicti; quàm extra illud, celebrari, & audiri missas in oratoriis privatis; quia tamen in Brevi Pontificio excipiuntur dies Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschæ, Resurrectionis, Pentecostes, & festorum solemniorum, sub quibus veniunt dies Annuntiationis, & assumptionis Beatissimæ Virginis, festum S. S. Petri, & Pauli, & festum omnium Sanctorum: ut explicavit decretum S. Congregationis rituum, anno 1607. apud Gavant. *in rubr. miss. part.* 1. *tit.* 20. §. *sciendum quoque*, quo magis declaratur decretum Concil. Agathens. *in Cap. si quis de consecrat. dist.* 1. At Bard. *part.* 2. *tractat.* 2. *cap.* 6. *num.* 17. asserit, etiam excipi solere festa illa quæ sunt solemniora in eâ civitate, in quâ erectum est oratorium: ut sunt festa Patronorum &c. Hoc tamen assertum locum non habet, si dicat, hoc esse ex obligatione; quia Gavant. solùm dixit, Ordinarios optare ut festa patronorum addantur; non verò esse addita; & cùm res sit odiosa, non est extendenda ultra declarationem S. Congregat. ut tenet Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 7. *singul.* 33. *n.* 2. & nos jam diximus *supra disp.* 11. *n.* 50.

80. Inquirimus ergo: an privilegiatus ex Brevi de oratorio privato possit virtute Bullæ celebrare, vel audire missam diebus exceptis in Brevi, & satisfacere præcepto? Negat quoad omnes prædictos dies Fr. Joann. Martines de Prado *tom.* 1. *Theolog. moral. cap.* 6. *quæst.* 4. §. 5. apud Mend. *in statut. statim citandum*, ubi ait, sibi incredibile videri, tam amplam facultatem concedi per Bullam, quam Nuntius, & Episcopus impertiri non valent; & frustra expediri Brevia ad oratoria in Regnis Hispaniæ, cum illis exceptionibus, si existimaretur, per Bullam Cruciatæ esse cessaturas.

81. Sed respondetur, hoc incredibile non videri Authoribus, qui oppositum docent: nam multa in Bullâ dantur privilegia, quæ Nuntius, & Episcopus concedere non possunt. Stylus autem in Brevibus pro oratoriis est idem pro Hispaniâ, Italiâ, Galliâ, Germaniâ, & aliis Regnis, in quibus non datur Bulla; nec in illis, in quibus datur, omnes illam accipiunt; deinde Bulla potest cessare, non verò cessabit stylus in expediendis dictis indultis.

82. Negant etiam quoad diem Paschæ, Galleg. *in explicat. Bull. dub.* 36. apud Mend. *in statut. dissertat.* 14. *num.* 17. & Riccius *in Bull.* §. 5. *num.* 14. apud Bard. citandum: quia in Bullâ excipitur dies Paschæ, ibi: *Præterquam in die Paschatis.* Sed hæc ratio non urget: quia ea dies non excipitur in ordine ad missam, sed in ordine ad communionem paschalem, ex præcepto Ecclesiæ, quæ debet fieri in propriâ Parochiâ, & à manibus proprii Pastoris; ut vultum sui pecoris agnoscat: ut ex Bullâ constat, ibi: *Nec non Eucharistia, & alia sacramenta, præterquam in die Paschatis, recipere.* Juxta ea, quæ diximus *disputat.* 11. *à num.* 144. Non autem datur fundamentum ad extendendam hanc exceptionem ad missam audiendam in propriâ parochiâ, vel in aliis publicis Ecclesiis.

83. Et hoc etiam habet verum in Bullâ Lusitanâ, in quâ, apponitur illa dictio *nec non*, quæ resolvitur in copulativam, *&*, & repetit omnes qualitates præcedentes: ut tenet Gloss. *Verb. Nec non, in Clement. I. de offic. delegat.* quam approbavit Rota *decis.* 794. *num.* 2. *part.* 1. *divers.* & Doctores apud Barbos. *de dict.* 209. quia quanvis sit copulativa, & repetat qualitates præcedentes, non habemus fundamentum ad concedendum, intentionem S. Pontificis fuisse ad extendendam exceptionem diei Paschatis ad audiendam missam in propriâ Ecclesiâ; quia ad id jam non datur præceptum, sicut datur ad recipiendam Eucharistiam. Idcirco asserimus hanc excipi, & non illam.

84. Dicendum ergo est, omnibus illis diebus solemnioribus virtute Bullæ licitum esse satisfacere præcepto audiendæ missæ, in oratoriis privatis. Sic docent Rodrig. *in addit. ad* §. 5. *num.* 1. Trullench. *lib.* 1. §. 3. *dub.* 4. *n.* 11. *&* 12. Dian. 4. *part. tract.* 4. *resol.* 76. *& part.* 9. *tract.* 1. *resol.* 14. Bard. *part.* 2. *tract.* 2. *cap.* 6. *num.* 20. *&* 21. Mend. *disp.* 16. *num.* 13. & expressiùs *in statut. dissertat.* 14. *num.* 117. Mascarenâs *de sacrament. tractat.* 5. *disput.* 5. *cap.* 5. *num.* 228. Quintanad. *tom.* 1. *tractat.* 7. *singul.* 33. *n.* 5. & apud illum Henriq. *lib.* 7. *cap.* 3. *n.* 4. Ludovic. à Cruce *disput.* 1. *cap.* 1. *dub.* 1. *art.* 3. Gabr. de Henao *tom.* 2. *de sacrific. miss. disp.* 23. *sect.* 14. *num.* 223. & antecedenter *num.* 175. Dicastill. *de sacram. tract.* 5. *de sacrif. miss. disput.* 5. *dub.* 4. *num.* 59. Tambor. *in method. celebr. miss. lib.* 1. *cap.* 5. §. 4. *num.* 38. & praxis hujus civitatis Ulyssiponensis. Probatur, quia Bulla Cruciatæ absolutè, & sine aliquâ limitatione concedit posse celebrari missas in oratorio privato: ergo cum privilegium Bullæ sit ampliandum; & non limi-

tatur, nec à nobis est limitandum. Si enim S. Pontifex voluisset, quòd prædicti dies exciperentur, illos excipere; sicut illos excepit in Brevibus de oratoriis privatis.

85. Admonet tamen Dian. *dicta part. 9. tract. 1. resol. 4. in fine, & 14.* Lectorem, ut videat, an prædicta opinio sit refellenda, propter declarationem S. Cong. Concil. statuentis die 14. Novembris. 1648. Privilegium Cruciatæ non suffragari pro hujusmodi oratoriis, & altaribus, ac missarum celebratione. At *resol. 5. in fine.* asserit, S. Congregationem intelligere privilegium Bullæ non suffragari, ut quis ejus virtute possit erigere oratorium, absque licentiâ S. Pontificis; nam virtute Bullæ id concessit Castr. Pal. & alii, quos *supra n. 21. & 22. citavimus.* & Dianæ assentit Mascarenas *cit. Vers. Nec sanè.*

86. Attamen Mend. *in stater. differt. 14. num. 26.* inquit, Dianam non afferre verba formalia illius declarationis, nec ullus alius illam refert, nisi ex ipso Dianâ. Quare ex illa non potest certum desumi argumentum, cùm non constet, circa quid ea prodierit declaratio. Et Henao *part. 2. de sacrific. miss. dist. ult. 23. sect. 11. num. 149. & 152.* apud Mend. asserit per eam solùm fuisse declaratum, non posse virtute Bullæ erigi oratoria, nec altaria ad missam celebrandam; quod aliqui Authores non rectè asserebant; cùm ergo illa declaratio proferatur obscura, & non authentica, & ad alium finem; non est contra nostrum assertum; si tamen aliud constiterit de illâ, illi firmiter adhæremus.

87. Et quid dicendum, si Episcopus sub pœnâ excommunicationis prohibeat, ne quis celebret, vel missam audiat in oratoriis privatis aliquâ die ex solemnioribus? Negant, posse Episcopum hanc prohibitionem inducere Rodrig. & Dian. *l. cit.* hic *in 4. part. tract. 4. resol. 76.* quos refert Bard. *supra num. 22.* quibus addo Galleg. in Bullam *cap. 4. clausf. 4. dub. 37. fol. 25.* Probant, quia quod Papa concedit, inferior prohibere non potest. Ego tamen cum Bard. *cit.* suadeo, ut in hoc eventu Episcopo obtemperetur, licèt prædicti Authores probabiliter autument.

SECTIO VII.

An aliquæ limitationes, quæ apponi solent in concessione oratorii, cessent virtute Bullæ?

88. IN indultis oratorii privati prohibetur, ne plus quam una missa singulis diebus celebretur; in festis autem solemnioribus ne una quidem (ut *supra num. 79.* notavimus;) ne in eo recipiantur sacramenta; ne in eo satisfaciat præcepto audiendi missam alius, præter eum, cui oratorii indultum fuit concessum, juxta dicta *num. 11. 12. & 13.* De prohibitione missæ pro diebus solemnioribus virtute Bullæ diximus *initio sect. præcedentis*; de prohibitione recipiendi sacramenta, virtute ejusdem, diximus *disp. sect. 17. & 18.* Restat, de aliis dicendum.

89. Dico primò: Virtute Bullæ in oratorio privato non solùm una, sed plures missæ à pluribus sacerdotibus eâdem die celebrari possunt; & non solum in festis, & festis; sed etiam in solemnioribus. Sic Bard. *part. 2. tract. 2. cap. 8. n. 24. & 25.* Mend. *in Bull. disp. 16. num. 9. & instaur. differt. 14. à num. 21.* Tamborin. *in method. celeb. miss. lib. 1. cap. 5. §. 4. num. 38.* Dian. *part. 9. tractat. 1. resol. 5.* Quintanad. *tom. 1. trad. 7. singul. 33. num. 5.* & apud ipsum Rodrig. Henriq. Trullench. *in Bull. lib. 1. §. 3. dub. 4. num. 1. & 2.* Cum Ludovic. à Cruce, & alius. Probatur, quia, etsi vigore indulti oratorii id non liceat, licet tamen virtute Bullæ; in quâ conceditur privilegium absolutè, & sine aliqua restrictione, ibi: *per se ipsos, si presbyteri fuerint, seu per alium, vel alios sacerdotes &c.* ergo non solùm una, sed plures missæ in eâdem die, & in eodem oratorio, possunt celebrari.

90. Dico secundò: licèt in oratorio privato ratione indulti, non satisfaciat præcepto alius, præter eum, in cujus gratiam oratorium fuit concessum; virtute tamen Bullæ possunt illam habentes ibi audire missam, & præcepto satisfacere. Sic Mend. *locis citatis*, Bard. *num. 23.* Mascarenas *de sacram. tract. 5. disp. 5. cap. 5. num. 291. Vers. Quinta quæstio est.* & Tamborin. *proximè*, Dian. *part. 9. tract. 1. resol. 4.* Probatur, quia exceptio, quæ datur in concessione oratorii, non datur in verbis Bullæ; quæ sinè aliquâ limitatione concedit: ut per se, si sacerdotes sint, & per alium, vel per alios sacerdotes in oratorio, possit celebrari, sine restrictione oratorii proprii, vel alieni: ergo quilibet, quanvis non sit ille, cui concessum fuit indultum, potest in eo oratorio audire missam, vel facere celebrare, ad eam audiendam.

91. Contra has duas conclusiones, seu dicta, insurgit Fr. Joann. Martin. de Prado *cit. num. 80.* præcedentis sectionis; & sicut sibi incredibile videtur, posse virtute Bullæ audiri missam in oratoriis privatis in diebus solemnioribus in Brevi Pontificio exceptis; ita etiam quæ dicta sunt in *prædentibus n. n.* illi incredibilia videntur. Sed, ut ibi, ad illud sibi incredibile respondimus, sic etiam ad hæc respondemus.

92. Quæres tamen: An necesse sit, quòd sacerdos, qui celebrat missam in oratorio privato virtute Bullæ, illam habeat, an sufficiat, quòd illam tantùm habeat ille, qui illum facit celebrare? Respondeo, non opus esse, quòd sacerdos, qui in oratorio, non ratione sui, sed ratione alterius, celebrat, habeat Bullam; sed sufficere, quòd illam habeat ille, qui facit celebrare. Sic Bard. *cit. num. 25.* Dian. *part. 9. tract. 1. resol. 5.* referens verba Bardi, Mascarenâs ubi *supra num. 291.* Probatur ex ipso Bullæ textu, in quo absolutè conceditur, quòd Bullam habentes possint celebrare missam per se, si præsbyteri sint, vel per alium, seu alios, ut illam audiant. Quare si sacerdos Bullam non habeat, & velit in oratorio privato celebrare, poterit minister Bullam habens, etiamsi sit sacerdos, & jam eâdem die celebrasset, illum invitare, ut celebret; quia illi vult ministrare, & alteram audire missam: quia virtute Bullæ potest quis in eodem oratorio, & eâdem die plures missas facere celebrare.

DISPUTATIO XIII.

De privilegio nobilibus concesso ad celebrandam missam ante auroram, & post meridiem.

1. HOc Bullæ privilegium pertinet etiam ad hanc præsentem clausulam: In eo enim conceditur illustribus, & nobilibus personis, de licentiâ Commissarii Generalis, ut possint per horam ante auroram, & per horam post meridiem missam celebrari facere, vel audire, per hæc verba: *Ac etiam illustribus, & aliis nobilibus, qui facultatem ad id a Commissario super hoc deputando habuerint, etiam per horam antequam dies illucescat, & per horam post meridiem, excommunicatis, & interdictis &c.* Ex quibus, duo nobis veniunt exponenda, nempe: privilegium, quod conceditur; & conditio personæ, cui impertitur.

SECTIO I.

Quâ hora liceat celebrare missam, absque privilegio?

2. UT videamus ea, quæ in Bullâ illustribus, & nobilibus personis circa horam celebrandi missam conceduntur: scire oportet, quâ horâ, sublato omni privilegio, liceat missæ sacrificium celebrare? Et in primis certum est, horam celebrandi missam, esse ab aurorâ usque ad meridiem. Sic constat ex rubricis missalis à Pio V. & tenent communiter D. D. Soar. *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 80. *sect.* 4. Cardin. de Lug. *de sacram. disp.* 20. *n.* 24. Mascarenàs etiam *de sacrament. tract.* 5. *disp.* 5. *cap.* 4. *n.* 252. Bard. *part.* 3. *tract.* 4. *cap.* 1. *n.* 2. Tambor. *in method. celebr. miss. lib.* 1. *cap.* 6. §. 4. *n.* 2. Marchin. de Ordin. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 7. *à n.* 1. Lezan. *in qq. Regul. tom.* 1. *cap.* 21. *n.* 2.

3. Quæres primò; quid per auroram intelligatur? Respondeo, physicè loquendo, intelligi initium crepusculi diei; quando aer incipit illuminari per primam solis irradiationem; quæ in hoc nostro hæmisphærio aliquando citius, & aliquando serius, propter temporis varietatem, solis ortum prævenit: aliquando per horam cum quadrante: ut invenies apud Mascaren. *cit.* & aliquando per horam cum dimidiâ: ut ait Bard. *n.* 3. & etiam per duas horas: ut Card. de Lug. *à n.* 31. In hac tamen materiâ, hi termini sumendi non sunt physicè, & mathematicè, sed moraliter; ut notat Soar. *allegatus vers. secundo inquiri potest*; nam cum hæc sint moralia, moraliter accipienda sunt, nempe: secundum hominum existimationem. Unde siquis præveniat auroræ initium mathematicum, per mediam horam, incipiendo tunc missam; ita ut finis illius cadat circà auroræ initium, non peccabit. Sic Soar. *citat.* Vazq. Laym. Ægid. Regin. Fagund. Filiuc. Hurt. quos refert, & sequitur Mascaren. *loco citato.* Accedunt Cardin. de Lug. *supra n.* 32. Bard. Tambor. *locis citat.* Leand. cum pluribus *part.* 2. *tract.* 8. *disp.* 6. *q.* 2. quod non approbat Marchin. *proximè n.* 6.

4. Excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus licèt sacerdotibus multò ante celebrare. Primus est, in die Natalis Domini; in quo statim post mediam noctem non solùm una, sed omnes tres possunt celebrari missæ. Sic Soar. Vazq. Ægid. Laym. Regin. Rodrig. quos refert, & sequitur Mascarenàs *n.* 253. Accedit Tamborin. ubi *supra n.* 3. Marchin. *cit. n.* 9. Henao *de sacrif. miss. disp.* 21. *n.* 6. constat *ex cap. Nocte Sanctâ, de consecrat. dist.* 1. ubi absolutè, & sine restrictione id conceditur, & consuetudo in multis locis obtinuit.

5. Secundus casus est, quando datur necessitas dandi viaticum infirmo; si non detur sacramentum paratum ad statum recipiendam sacram communionem: nam in hoc casu, etiam non petitâ licentiâ ab Ordinario, potest sacerdos statim post mediam noctem celebrare. Sic Azor. *lib.* 1. *instit. moral. lib.* 10. *cap.* 25. *q.* 7. Fagund. 1. *Eccles. præcept. lib.* 3. *cap.* 17. *n.* 15. & alii, quos adducit, & defendit Mascarenàs *loco cit. n.* 259. Tambor. *allegatus supra n.* 4. & apud illum Laym. *tract.* 5. *cap.* 4. *n.* 5. Dian. *part.* 2. *tract.* 14. *resol.* 33. Marchin. *cit. n.* 10. Henao *proximè n.* 7. Accedit cum pluribus Leand. *ubi supra q.* 50. Ratio est, quia præceptum communicandi est de jure divino; prohibitio autem non celebrandi statim post mediam noctem, vel est ex jure positivo, vel ex consuetudine tantùm, ut vult Leand. Aliæ exceptiones videri possunt, apud citatos Authores.

6. Quæres secundò: Quid intelligatur per meridiem, ultra quem terminum non licèt missam celebrari? Respondeo, etiam hunc terminum non esse sumendum mathematicè, sed moraliter: ut docent citati Doctores. Unde si inchoetur missa ante meridiem, vel in ipso meridie, licèt postea absolvatur, non erit peccatum. Sic Vazq. *de Euchar. disp.* 232. *cap.* 4. *n.* 37. Tamborin. *cit. n.* 19. si tamen absque causâ inchoetur post tertiam partem horæ à meridie, ex Azor. *loco citato q.* 6. vel post mediam horam, ex Laym. *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 4. *n.* 4. Henriq. Philibert. Fagund. Hurt. apud Leand. *cit. q.* 11. vel post tres quadrantes, aut horam ex Bonacin. *de Euchar. disp.* 4. *q. ult. punct.* 9. *n.* 7. erit peccatum mortale, & non veniale.

7. At ex Leand. *dicta q.* 11. non est peccatum mortale, missam incipere unâ horâ integrâ post meridiem, citatque pro hoc asserto Bonacin. proximè à nobis allatum, & Dian. *part.* 2. *tract.* 14. *resol.* 34. *& part.* 10. *tract.* 12. *resol.* 22. Sylvest. *q.* 85. *art.* 2. & Narbona. At non rectè citat Bonacin; nam præfato loco, sic inquit: *Siquis per horam post meridiem non perficiat missam, non videtur à mortali excusandus præcisâ justâ causâ.* Nec etiam rectè citat Dian. nam *citatis* ab eodem Leand. *locis* refert aliorum opiniones, quin illas approbet, reprobet, aut impugnet; & si hoc sufficit, ut stet pro eâ opinione, pro quâ à Leand. citatur, rectè cum citat Leand. At referre aliorum placita, quando nihil additur, non est illa approbare.

8. Dicendum tamen est cum Mend. *in Bull. disp.* 37. *n.* 98. & Marchin. *supra n.* 12. non licere inchoare missam post meridiem, si verò ante

inchoetur, potest finiri. Ex justâ autem causâ, v. g. itineris; quia citius sacerdos ad Ecclesiam non potuit pervenire, vel solemnitatis alicujus diei, in quo sacerdos non potuit celebrare ante missam celebriorem, nec tempore concionis, vel quando datur consuetudo, vel ne magna populi pars careat auditione missæ; in his, & similibus casibus, poterit missam inchoare unâ horâ, & non amplius post meridiem. Sic cum Soar. Marchin. *cit. n.* 13. *in fine.*

9. Non tamen licèt, illam incipere post tertiam horam pomeridianam: ut voluerunt Navarr. Vivald. & Sâ, quos refert Leand. *cit. q.* 9. Si tamen sit addandum viaticum infirmo, licet; id enim docent D. D. communiter, præcipuè Cardin. de Lug. Vazq. & Hurt. apud eundem Leand. *q.* 12. qui id extendit ad eandem horam tertiam cum Narbon. Dian. ad missam privatam; quando solemnis fuit inchoata ante meridiem, & durat post illum etiam usque ad nonam, seu horam tertiam; quia potest incipi, dum solemnis durat.

SECTIO II.

Quid concedatur virtute Bullæ circa horam missæ celebrandæ?

10. VIdimus quâ horâ liceat missam celebrare absque privilegio; nunc examinandum venit; quid amplius concedat Bulla illustribus, & nobilibus illam habentibus, de licentiâ Commissarii. Et certum est, licere prædictis celebrare, si Presbyteri sint, vel facere celebrare per unam horam completam ante auroram, & per aliam post meridiem: id enim expressè conceditur in Bullâ, ibi: *per horam antequam dies illucescat, & per horam post meridiem.* Difficultas tamen est in his horis computandis.

11. Respondeo: has horas esse intelligendas moraliter, & non mathematicè; ut *supra* cum communi D. D. dictum remanet de horâ celebrandi ab aurorâ usque ad meridiem, juxta rubricas missalis; & cùm dictum sit, hoc tempus auroræ prævenire solis ortum per horam cum quadrante, vel cum dimidiâ horâ; & in ipso meridie posse inchoari missam, & post illum finiri; ita per justam consequentiam dicimus, virtute Bullæ posse inchoari missam per duas horas cum quadrante, vel cum dimidiâ horâ ante solis ortum; & etiam licebit illam inchoari in ipsâ unâ horâ, post meridiem, & post illam missam finiri. Sic à Cost. *in Bulla q.* 33. Idem videtur sentire, quoad horam post meridiem Bard. *part.* 3. *tract.* 4. *cap.* 2. *n.* 1. Mend. *disp.* 37. *n.* 99. nam quoad duas horas cum dimidiâ ante solis ortum, id expressè defendunt.

12. Probatur hæc sententia, quia Religiosi Societatis JESU simile habent privilegium à Gregorio XIII. cum derogatione Conc. Trident. ut possint per horam ante auroram, & infra horam post meridiem, itineris, vel alterius legitimi impedimenti causâ, missas celebrare; ut constat *ex compend. privileg. verb. missa* §. 3. ex quo participant omnes aliæ Religiones. Attamen Vazq. *disp.* 233. *cap.* 3. *n.* 27. Laym. *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 4. *n.* 7. Hurt. *de sacrific. miss. disp.* 4. *diff.* 4. quos refert, Leand. *part.* 2. *tract.* 8. *disp.* 6. *q.* 3. & Mascarenâs *de sacram. tract.* 5. *disp.* 5. *cap.* 4. *n.* 255. asserunt, posse inchoari missam per duas horas, & dimidiam, ante solis ortum; & per easdem post meridiem. Et aliqui idem privilegium extendunt ad tres horas, ante solis ortum, & ad tres horas post meridiem: ut Tambor. *in method. celebrand. miss. lib.* 1. *cap.* 6. §. 4. *n.* 5. & 22. & Leand. *proxime & q.* 10. cum aliis, quos citant: Ergo etiam idem dicendum de privilegio Bullæ Cruciatæ, quod est idem; non enim datur diversa ratio, cur sic intelligatur privilegium Regularium, & non intelligatur privilegium Cruciatæ.

SECTIO III.

Quinam veniant hoc loco nomine illustrium, & nobilium?

13. HOc privilegium celebrandi, vel faciendi celebrare missam, per horam ante auroram, vel per horam post meridiem omnibus sumentibus Bullam non conceditur; sed tantùm illustribus, & nobilibus; & his etiam non absolutè, ut alia hujus clausulæ privilegia; sed tantùm de licentiâ Commissarii Generalis. Unde illâ nec petitâ, nec concessâ, hoc privilegio gaudere non possunt; etiamsi Bullam habeant, & sint illustres, & nobiles.

14. Inquires ergo primò: Quinam veniant *nomine illustrium?* Respondeo venire Reges, Duces, Marchiones, Comites, Vice-Comites, Barones, Dynastas, & omnes alios, quos vulgus dicit *Fidalgos.*

15. Inquires secundò: Qui veniant appellatione nobilium? Respondeo primò cum Barbos. *de appellat.* 164. *n.* 1. & aliis, quos ibi refert, venire non solùm illos, qui ex generis antiquitate dicuntur nobiles, sed etiam illos, qui in Regis servitio, & illius libris sunt descripti. Hi tamen magis ad illustres pertinent, prout hi à nobilibus distinguntur: ut videre est apud Barthol. *in l.* 1. *Cod. de dignit. lib.* 11. Tiraq. *de nobilit. cap.* 4. *cum seqq. de triplici, vel quadruplici nobilitatis divisione.*

16. Respondeo secundò: Nobilium appellatione, veniunt Doctores non solùm Theologi, & utriusque juris canonici, & civilis, sed etiam Magistri artium Card. Tusch. *pract. conclus. tom.* 5. *litter. N. conclus.* 48. *num.* 9. Menoch. *de præsumpt. lib.* 4. *præsumpt.* 78. *num.* 25. & alii plures.

17. Respondeo tertiò: Inter nobiles etiam solent numerari divites *lib.* 3. *Cod. de commerc. & mercat.* Tiraq. *de nobilit. cap.* 3. *in princip. &* 15. nobilitas enim sine divitiis sordescit. Sic cum pluribus Emman. Barbos. *in remiss. ad tit.* 139. *Ordin. lib.* 5. *in princip. n.* 7.

18. Respondeo quartò: In Hispaniâ, & Lusitaniâ illegitimi ex patribus nobilibus nobiles dicuntur, & admittuntur ad insignia, nomen, arma, honores, & nobilitatem Patris. Azeved. *consil.* 24. *n.* 27. *&* 29. Garcia de benefic. *part.* 7. *cap.* 15. *n.* 47. Vide Doct. *in remiss. ad Ordin. lib.* 5. *tit.* 92. An verò sufficiat nobilitas ex parte matris, ut filii illegitimi dicantur nobiles? Vide Sanch. *de matrim. lib.* 7. *disp.* 24. *n.* 2. ubi cum aliquâ respondet distinctione.

19. Cum

19. Cum verò nobilitas non insit à naturâ, sed ab alicujus probatione verificatur: ut Tiraq. *tract. de nobilit. cap.* 10. *n.* 13. & alii. Inde est, quòd ad Commissarium pertinet examen; in quo non debet procedere mathematicè inquirendo; sed sufficit, ut humano modo, & moraliter inquirat. Sic à Cost. *dicta q.* 33. Et hæc sufficiant de hoc puncto, ne aliàs maneat sine aliquâ explicatione, si quis tamen alia ad dictam nobilitatem videre cupiat, adeat Henao *de sacrif. missæ disp.* 28. *à. n.* 210.

DISPUTATIO XIV.

De approbatione requisitâ in confessario, qui per Bullam est eligendus.

1. PRosequitur Bulla Latina: *Et ut purius preces Deo fundere, & eo efficacius divinum auxilium implorare possint, quò magis peccatorum vinculis absoluti, in his Litteris contenta adimpleverint. Ut iisdem omnibus dicto anno durante quemcunque Presbyterum secularem, vel cujusvis etiam Mendicantium ordinum Regularem ex his, qui ab Ordinario, & quoad Regulares semel tantùm approbati fuerint, in confessorem eligere &c.* Hæc clausula est nimis lata, & latissimâ indiget declaratione; idcirco per partes, erit transcribenda, & per partes, & per aliquas disputationes, nobis exponenda. Commissarius verò in summario, sic vertit dicta verba: *E pera que com maes pureza das consciencias possam fazer oraçoens a Deos Nosso senhor, e alcançar delle o divino favor, concede sua santidade a todos os fobreditos, que durando o dito anno, possam eleger confessor secular, ou Regular de qualquer ordem approvado pello Ordinario (e quanto aos Regulares basta, que huma sò ves sejam approvados)* &c. Hoc idem privilegium eligendi confessarium ab Ordinario approbatum reperitur in Bullâ Hispanâ cum solâ verborum mutatione.

SECTIO I.

Quid sit approbatio, & quid jurisdictio, & quomodo inter se distinguantur?

2. SUppono ut certum, ad ministrum sacramenti pœnitentiæ requiri de jure divino, & naturali sacerdotium, usum rationis, & potentiam loquendi, ad formam proferendam. Et præter hæc, alia duo requiruntur, nempe: approbatio, & jurisdictio. Hoc supposito.

3. Inquires primò: quid sit approbatio, quam requirit Conc. Trident. *sess.* 23. *cap.* 15. *de reformat.* ad confessiones audiendas? Respondeo, aliquos Authores docere, esse quandam sententiam, seu juridicam testificationem, quam Episcopus profert de aptitudine sacerdotis ad audiendas confessiones. Sic Avers. *de penitent. q.* 16. *sect.* 6. citans Fabium Bonacin. Bordon. apud Tamborin. *lib.* 5. *de pœnit. cap.* 5. §. 1. *n.* 1. & tenet expresè Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 7. *dub.* 1. *n.* 1. allegans Regin. & Coninch. Probari potest: quia approbatio est actus jurisdictionis, sicut ipsa jurisdictio: Ergo sicut jurisdictio procedit ab Episcopo, ut ab Episcopo; ita etiam ab eo procedit approbatio.

4. Ex hâc sententiâ sequitur, approbationem ab Episcopo excommunicato vitando factam, esse nullam; quia ab excommunicato vitando tollitur, & suspenditur omnis jurisdictio. Ita tenent Sylvest. Sot. Ledesm. & alii, apud Fagund. 2. *Eccles. præcept. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 48. Idem tenet Bardi *part.* 2. *tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 144.

5. Alii Doctores asserunt, approbationem ad audiendas confessiones requisitam, esse meram, & simplicem testificationem Episcopi approbativam sufficientiæ sacerdotis, sine quâ non potest sacerdos esse idoneus sacramenti pœnitentiæ minister. Sic Fagund. *proximè n.* 49. Mend. *disp.* 22. *n.* 22. Tambor. *supra.* Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 6. *disp.* 1. *n.* 189. Probatur, quia hoc simplex testimonium sufficit ad intentum Trident. Hæc sententia videtur probabilior. Et juxta illam, valida est approbatio, ab Episcopo excommunicato non tolerato facta; nam cùm sit simplex testificatio, seu merum testimonium, non oriens à potestate jurisdictionis, per excommunicationem non impeditur; sic enim validum est matrimonium cum assistentiâ Parochi vitandi: ut cum pluribus tenet Fagund. & Tambor. *locis citatis.* Et de Prælato Regulari, qui ad suorum subditorum confessiones approbat confessarios, tenet Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 2. *n.* 1.

6. Ad fundamentum oppositum respondetur, approbationem non esse actum Episcopi, ut Episcopus est; sed in quantùm est legitima persona habilitans ipsos sacerdotes, ut sint sufficientes, & idonei ministri per testimonium authenticum de sufficientiæ illorum approbatione: Hanc autem authoritatem Episcopis tribuit Concil. non quia hic actus formaliter esset propriè Episcopi, aut habentis formaliter jurisdictionem; sed quia illos decebat hoc munus, ad quos animarum cura spectabat.

7. Ex dictis collige, approbationem ad confessiones nihil aliud esse, quàm testimonium, seu sententiam (loquendo juxta primam opinionem) de doctrinâ sufficienti sacerdotis, morum integritate, & prudentiâ, cæterisque conditionibus ad confessiones fidelium dignè excipiendas. At juxta secundam *n.* 5. allatam, est mera, & simplex testificatio Episcopi approbativa sufficientiæ sacerdotis. Unde approbati per examinatores in concursu alicujus beneficii Parochialis, per eam approbationem non dicuntur approbati ea approbatione, quam requirit Trident. quia de ea approbatione non habent testimonium, nec sententiam Episcopi, sed tantum ab examinatoribus; sicut non sufficit testimonium, aut sententia alicujus Universitatis de scientiâ alicujus laureati, ut dicatur approbatus ad confessiones excipiendas; quia hoc testimonium, & approbatio de scientia, non est ab Episcopo. Vide Moyam *tom.* 1. *in qq. selectas tract.* 3. *disputat.* 7. *q.* 3. *à num.* 10.

8. Inquires secundò: Quid sit jurisdictio? Respondeo jurisdictionem in communi ex Azone *esse potestatem de publicio introductam, cum necessitate juris dicendi, vel æquitatis statuendæ.* Seu cla-

clarius: *Est potestas dicendi jus, & proferendi sententiam, absolvendo a delicto, vel imponendo pœnam.*

9. In præsenti tamen, jurisdictio est potestas data à legitimo superiore alicui sacerdoti, per quam tanquam in suos subditos possit dictus sacerdos reducere in actum eam potestatem absolvendi à culpis, & pœnitentias injungendi, quam habet in ordine sacerdotii.

10. Hæc jurisdictio, quæ potestas clavium appellatur, dividitur in ordinariam, & delegatam. Ordinaria residet in S. Pontifice, Episcopis, & Parochis, nec non in superioribus Regularibus prælaturam habentibus. Hi omnes respectu suorum subditorum dicuntur Ordinarii; S. Pontifex respectu omnium fidelium, Episcopi, respectu suorum Diœcesanorum, Parochi, respectu suorum Parochianorum, & superiores regulares, respectu suorum subditorum.

11. Inquires tertiò: Quomodo inter se differant approbatio, & jurisdictio? Respondeo, multipliciter differre. Primò, quia approbatio est actus intellectus; est enim judicium, seu testimonium de sufficientia sacerdotis: at jurisdictio est actus voluntatis; fit enim per voluntatem liberam concedentis jurisdictionem. Secundò, quia approbatio est actus justitiæ, quæ negari non potest illi, qui se examini exposuit, & in illo inventus est idoneus: at jurisdictio, cùm dependeat à voluntate alterius, est actus gratiosus, & potest ab eo, qui jurisdictionem habet Ordinariam, non committi illi, qui ab eo sunt approbatus. Tertiò, quia approbatio, & jurisdictio sunt separabiles: potest enim Episcopus non conferre jurisdictionem illi, qui ab eo fuit judicatus idoneus, ad confessiones audiendas; quia alios habet jam confessores in numero sufficientes, ad suorum subditorum confessiones audiendas. Si tamen in aliquo oppido, tametsi parvo, non detur nisi unus, vel alter sacerdos, tenebitur Prælatus, vel alios idoneos designare, vel huic conferre jurisdictionem; ne ibi commorantes fideles careant confessariis, qui illos a peccatis absolvant.

12. Hanc jurisdictionem habent virtute Bullæ omnes sacerdotes ab Ordinario approbati. Unde si ab habentibus Bullam eligantur, possunt illorum confessiones excipere, nullâ aliâ requisitâ jurisdictione. Hanc etiam jurisdictionem habent sacerdotes ab Ordinario approbati, si eligantur à fidelibus ad confessiones in jubileo duarum hebdomadarum, quem solent S. S. Pontifices concedere in suis creationibus, vel pro aliquâ magnâ necessitate. Hanc etiam jurisdictionem possunt Parochi, ad confessiones suarum ovium audiendas prædictis committere approbatis; dummodo dicti approbati approbationem obtinuissent ab Ordinario loci, ubi confessiones ex eâ jurisdictione excipiuntur. De hoc tamen in hac *disput. infra* dicendum.

SECTIO II.

A quo Ordinario debeat esse approbatus sacerdos, ut per Bullam possit eligi in confessarium?

13. Hæc quæstio fuit valde celebris; & ob varietatem responsionum, & declarationum Sacræ Congregationis quæ hinc, inde afferebantur, orta fuit causa multarum opinionum inter Authores de illâ tractantes. Sed jam nec ad declarationes anteriores, nec ad opiniones aliquorum attendiendum est; quia jam plures non sunt probabiles post constitutionem Clementis X. quæ incipit: *Superna magni Patris familias* anno domini 1670. 11. Kalendas Julii, & publicata locis solitis, & consuetis eodem anno 2. die mensis Augusti. Etiam habetur apud Angelum à Lantusca, & Joann. Paulum, *tom.* 5. Bullarum, & est 7. inter alias hujus S. Pontificis. Et juxta illius dispositionem, quæstio præsens tractanda est. Et quanvis doctrina hujus quæstionis habere debebat locum à Gregorio XV. & à Bulla Innocentii X. in causa Angelopolitana edita 9. Maji anno 1648. de qua mentionem faciunt Moya *tom.* 1. *in qq. select. tract.* 3. *d.* 7. *q.* 3. *n.* 7. Fr. Anselmus Gomes *mox citandus.* Quia tamen aliqui Authores, ut illustrissimus Episcopus Araujo *in suis selectis tract.* 1. *q.* 8. *n.* 16. *in fine fol. mihi* 46. & apud ipsum Lezan. *tom.* 1. *cap.* 10. Hinojos. *decis. Regul. verb. confess. vers. in nomine Sanctissimæ Trinitatis*, Carranza, & Augustinus Vellês, quibus addo Fr. Anselm. Gom. *in perfect. exam. confess. cap.* 10. §. 1. *vers. Tamque fol.* 25. notant Bullam Gregorii XV. fuisse suspensam per quoddam Breve ab Urbano VIII. Philippo IV. Hispaniæ Regi concessum per Oratorem ejusdem Regis Ducem de Pastrana, in quo jubet sanctissimus suo Nuntio Julio Sacheto; ut in Regnis Hispaniæ Breve Gregorii XV. suspendat. Hâc tamen non obstante suspensione, constitutio Gregorii XV. edita fuit anno Domini 1621. quæ incipit: *Inscrutabili* & habetur apud Cherubin. *tom.* 3. & inter alias hujus Pontificis est 18. Cæterum, quia Clemens X. in citatâ constitutione, definitiones aliorum S. S. Pontificum in unum colligit; prædicta quæstio juxta illam dilucidanda est.

14. Inquirit ergo: A quo Ordinario impertienda est approbatio, ut sacerdos approbatus virtute Bullæ, vel jubilei in confessarium possit eligi? Respondeo, impertiendam esse ab Ordinario illius loci, in quo auditur confessio. Sic docet, ut certum post dictam constitutionem Clementis Fr. Anselm. Gomes *loco citato*, & ante illam idem tenet Mend. *in Bull. disp.* 22. *n.* 52. & in stater. *dissert.* 13. *n.* 295. ubi pro eâ citat Soar. Cardin. de Lug. Thom. Sanch. Vazq. Granad. Fagund. Laym. & alios; & pro eodem asserto citat Hurtad. de pœnit. præter Vazq. citatum Guttien. & Ochagav. Accedunt alii plures, quos refert, & sequitur Barb. *in collect. ad sess.* 23. *cap.* 15. *Concil. Trident. n.* 30. Et Illustrissimus Episcopus Araujo *in suis select. tract.* 1. *q.* 8. *n.* 16.

15. Pro-

15. Probatur primò ex dictâ Constit. Clementis X. ubi asserit, Regulares ab Episcopo Diœcesano ad sæcularium confessiones audiendas approbatos non posse sine alia approbatione Episcopi in aliâ Diœcesi illas audire; etiamsi pœnitentes subditi sint illius Episcopi, à quo jam fuerunt approbati, per hæc verba: *Ad hæc Religiosos ab Episcopo ad confessiones sæcularium in suâ Diœcesi audiendas approbatos non posse in aliâ Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire; quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati*; Ex quibus sic conficitur probatio. Per Bullam concedituir electio confessarii ab Ordinario approbati: sed extra Diœcesim, in quâ sunt approbati ab Ordinario, non sunt approbati: ergo virtute Bullæ extra illam non possunt esse electi: nam Bulla requirit approbationem Ordinarii in confessario; ut confessiones possit audire. Minor ostenditur: quia si S. Pontifex requirit approbationem in aliâ Diœcesi, in quâ Regulares non sunt approbati: ergo sine illâ non sunt approbati in eâ Diœcesi.

16. Probatur secundò, destruendo opinionem, quæ asserebat, approbationem debere esse ab Ordinario pœnitentis: Confessarius non potest absolvere pœnitentes subditos Episcopi, à quo fuit approbatus, dum sunt extra Diœcesim, in quâ non est approbatus: ut ait S. Pontifex in verbis relatis: ergo etiam, virtute Bullæ eorum confessiones non potest excipere. Probatur consequentia; quia virtute Bullæ non potest eligi, nisi approbatus: sed confessarius non est approbatus ab Ordinario illius Diœcesis, in quâ reperitur pœnitens subditus illius Episcopi, à quo fuit approbatus: ergo virtute Bullæ illius confessionem non potest audire.

17. Probatur tertiò, destruendo opinionem, quæ tenebat sufficere approbationem Ordinarii confessarii, ut habens Bullam illum posset eligere; quia hic confessarius, extra Diœcesim proprii Ordinarii non est approbatus: ut inquit S. Pontifex in verbis allatis; sed virtute Bullæ non potest eligi, nisi approbatus ab Ordinario: ergo non sufficit, quòd confessarius sit approbatus à proprio Ordinario, ut virtute Bullæ possit eligi ad audiendas confessiones.

18. Probatur quartò ex definitionibus, quæ ante hanc Constitutionem præcesserant, quas in ea vult Clemens in unum esse collectas; quæ tamen debent intelligi juxta declarationem hujus S. Pontificis. Prima, quæ refertur emanasse à S. Cong. Card. est, Regulares indigere approbatione Ordinarii, non utcunque, sed Ordinarii loci, in quo resident, ad audiendas sæcularium confessiones; ita habetur in declaratione missâ ad Archiepiscopum Valentinum, ibi: *Approbatum ab alio, quam a Valentino Episcopo in Diœcesi Valentinâ, non conferri approbatum ab Ordinario.*

19. Alia fuit missa ad Episcopum Abulensem anno 1593. in quâ fuit declaratum: approbatos ad audiendas confessiones certi generis personarum, vel in certa Ecclesia, non conferri approbatos simpliciter; ac proinde non posse virtute Jubilei aut Cruciatæ eligi ad audiendas confessiones aliarum personarum; vel extra illas Ecclesias ipsis designatas. Tertiam adducit Barbos. in suis ad Concil. declarationibus *sess.* 23. *cap.* 15. *n.* 42. in quâ decernitur; quòd exterus sacerdos approbatus ab Ordinario pœnitentis potest illius confessiones audire, & non aliter. Quarta affertur à Bellarmino *in declaratione loci ipsius Conc. sess.* 23. *cap.* 15. in quâ dicitur: *Quod approbatus ab uno Episcopo non confertur approbatus ab Ordinario in alienâ*: Hæc habentur apud Illustriss. Episcop. Araujo *cit. n.* 14. & 15. & apud alios.

20. Aliæ declarationes S. S. Pontificum per S. Congreg. referuntur à DD. Soar. *de pœnit. disp.* 28. *sect.* 6. & aliis. Prima sic inquit: *S. D. N. declaravit, tempore Jubilei posse omnes Regulares confiteri peccata sua sacerdotibus approbatis ab Ordinario ad audiendas confessiones; in Bullâ enim non fit mentio, nisi de Ordinario eorum, qui audituri sunt confessiones, non autem de Ordinario pœnitentium*: Hæc autem bene concordat cum prædictâ Clementis constitutione; quia Episcopus non est Regularium Ordinarius; & tamen asserit, posse confiteri sua peccata tempore Jubilei sacerdotibus ab Ordinario approbatis. Quod intellige de Ordinario, in cujus Diœcesi tempore Jubilei Regulares confitentur. Alium sensum hujus declarationis invenies apud Soar. & alios; sed cùm non sit juxta dictam Constitutionem, illi non est standum.

21. Secundam invenies apud Arriag. *de pœnit. disp.* 42. *sect.* 3. *num.* 17. & Bard. *part.* 2. *tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 15. & alios, & sic ait: *S. D. N. auditâ relatione Congregationis, declaravit; Episcopum vigore privilegii, de quo in cap. fin. de pœnitent. & remiss. non posse sibi eligere sacerdotem sibi non subditum, qui a proprio Ordinario non fuerit adhuc ad formam hujus decreti admissus, seu approbatus ad audiendas confessiones*; Hæc autem debet intelligi de Episcopo extra propriam Ecclesiam, seu Diœcesim existente, qui non potest sibi eligere in confessarium illum sacerdotem, qui non fuerit approbatus ab Episcopo illius Diœcesis, in quâ auditur confessio. Alios invenies sensus hujus declarationis apud citatos, & alios; sed cùm non conveniant cum dicta Clementis constitutione, non eos admittimus, cùm juxta constitutionem sint mensurandi.

22. Alias omitto declarationes: principales enim manent relatæ, & quæ fuerunt in causa multarum opinionum inter Authores de hac materiâ tractantes. At Clemens X. hâc suâ constitutione omne tulit dubium, & dissensionum semina: ut ait, ibi: *Nos attendentes, quòd aliàs diversis temporibus prædictæ dubitationes, & controversia nonnullis prædecessorum nostrorum S. S. Pontificum Constitutionibus, earumque declarationibus definitæ fuerint; Ejusmodi definitiones in unum collectas, ut magis, magisque dissensionum tollantur semina, & in posterum firmior, in agro Domini pax Christi floreat; pro summo, quo fungimur, Apostolatus officio &c.*

23. Dices primò contra doctrinam hactenus traditam: S. Pontifex Clemens in dictâ Constitutione solùm loquitur de Regularibus confessariis: ergo non est extendenda ad omnes confessarios, etiam sæculares. Respondeo, negando consequentiam; quia licèt S. Pontifex loquatur tantùm de Regularibus; quia tamen declarationes in dictâ Constitutione contentæ, sunt circa approbationes confessariorum requisitas à Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 15. de quo initio Const. mentionem fecit; quod in illa decernitur circa approbationes Regularium, decretum etiam manet circa confessarios sæculares: nam Tridentinum eandemmet approbationem requirit in utrisque. Et ita tenet Fr. Anselm. Gom. *in suo perfect. confess. exam.*

cap. 10. §. 1. *in principio*, ubi hanc addidit doctrinam ad omnes confessarios universalem.

24. Nec in præsenti potest dici habere locum illud juris axioma: *Exceptio firmat regulam in contrariis*: Ergo cum dispositiones Clementis X. ad regulares tantum dirigantur, nullo modo comprehendunt confessarios sæculares. Non inquam, in præsenti hoc potest dici, primò: Nam S. Pontifex ex datâ causâ suam constitutionem direxit ad confessarios, & concionatores Regulares, de quibus contentio mota fuerat; & non de confessariis, & concionatoribus sæcularibus, de quibus nulla movebatur causa. Et ex hoc prædictum axioma secundò non potest objici: Quia ut à prædicta dispositione exciperentur confessarii sæculares, dicebant esse de ea regula; seu dispositione: ut patet *ex l. nam quod liquide §. fin. ff. de penis legat.* Castrens. *cons.* 70. *pro plenori, num.* 3. *lib.* 1. ubi ait: *Quod si exceptio non esset de regula, esset deformis.* & ex aliis apud Barbos. *de axiomat.* 85. *num.* 6. Cùm verò dispositio Clementis X. non sit de exceptionibus circa Regulares confessarios; sed circa ea, quæ decernit Conc. Trident., quod omnes tam Regulares, quàm sæculares confessarios comprehendit: ea, quæ in prædictâ Const. continentur circa Regulares, etiam censentur disposita circa confessarios sæculares; nam hi non sunt digni majori favore, quàm ipsi Regulares. Tertiò adduci non potest dictum axioma; quia Clemens in præfatâ Constit. in unum collegit declarationes aliorum SS. Pontificum, & S. Cong. Card. & tamen non omnes Regulares attingebant, sed etiam sæculares confessaris, ut ex illis constat, & fusiùs DD. *num.* 14. *citati.* Et si aliquæ solùm confessarios Regulares attingebant; ex eo erat, quia Regulares in hâc materiâ approbationis ad audiendas confessiones existimabant, se esse magis privilegiatos, quàm confessarios sæculares; at ex dictâ Constit. est manifestum, in hâc materiâ approbationis tales non esse. Hæc dicta sufficiant pro illis, qui doctrinæ supra traditæ annuere renuebant, sine alio fundamento, quàm dicere, Constit. solùm esse circa Regulares, & opiniones tantùm circa illos, & non circa confessarios sæculares, esse restringendas.

25. Dices secundò: Si per Bullam non potest eligi, nisi confessarius ab Ordinario illius Diœcesis approbatus, in quâ confessio audienda est; sequitur, in Bullâ nullum concedi privilegium, circa electionem confessarii: hoc tamen non videtur dicendum. Sequela probatur, quia præscindendo à Bullâ, quilibet potest confiteri cuicunque confessario, approbato ab Ordinario illius loci, seu Diœcesis, in quâ confessio est facienda. Respondeo, negando sequelam; quia, etiamsi nullum per Bullam concedatur privilegium circa approbationem; quia S. Pontifex derogare non vult Concil. Trident. suppositâ tamen confessarii approbatione ab Episcopo illius loci, in quo excipienda est confessio, illi confessario approbato tantùm per Bullam datur jurisdictio; ut vidimus *n.* 12. & facultas absolvendi à reservatis Episcopo, & semel in vitâ, & in mortis articulo, à multis S. Pontifici reservatis, & commutandi vota &c. *ut infra* videbimus.

SECTIO III.

Recensentur opiniones, quæ cessarunt per prædictam Constitutionem.

26. Post prædictam Clementis Constitutionem jam non sunt probabiles plures opiniones, quæ hinc, inde asserebantur, asserentes, virtute Bullæ posse quomodolibet approbatos eligi ad confessiones audiendas.

27. Prima asserebat, posse quemcunque confessarium approbatum ab aliquo Ordinario virtute Bullæ ubique eligi. Illam docuerunt Henriq. Portel. Petr. de Ledesm. Vivald. Nunûs, Gom. apud Bard. *part.* 2. *tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 11. Lamas. Coninch. & Reginald. & alii plures, quos refert, & sequitur Dian. 1. *part. tr.* 11. *resol.* 7. & 3. *part. tract.* 4. *resol.* 110. & *part.* 5. *tract.* 12. *resol.* 53. & Soar. Lusitanus *de pœnit. tract.* 6. *disp.* 2. *num.* 185. qui plures citat pro eâdem sententia *n.* 178. & illam, aliis citatis probabilem æquè, ac contrariam, saltem in foro conscientiæ, fatetur Leand. 1. *tom. tract.* 5. *disp.* 11. *quæst.* 70. Hæc tamen post prædictam constitutionem est improbabilis; quia nullus confessarius censetur approbatus ubique terrarum, si ab uno Episcopo approbetur; sed solùm pro illâ Diœcesi, ad quam ab Ordinario approbationem recipit, & in quâ audit confessiones.

28. Secunda opinio dicebat, sufficere approbationem ab Ordinario pœnitentis; ut virtute Bullæ possit confessarius eligi. Hanc tenuerunt Hurt. *de pœnit. disp.* 10. *diff.* 18. citans Rodrig. & ait, communiter doceri à Theologis, & Canonistis, illam etiam docuit Soar. Lusit. *proximè n.* 176. *Vers. Et quod attinet.* Hæc tamen etiam post prædictam constitutionem absolutè prolata est improbabilis; quia quanvis pœnitentes sint subditi illius Episcopi, à quo confessarius fuit approbatus, si sint in aliâ Diœcesi, in quâ confessarius approbatus non est, illorum confessiones virtute Bullæ non potest audire; quia ibi non est approbatus, ut patet ex dictâ Constit. ibi: *Quanvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati.*

29. Tertia sententia, quam dicebat veram Arriag. *de pœnit. disp.* 42. *num.* 17. asserebat, approbationem requisitam debere esse ab Ordinario confessarii, quæ approbatio si esset absoluta, poterat confessarius in aliis Diœcesibus virtute Bullæ audire confessiones; dummodo illarum Episcopi illos non prohibeant; quia ad hoc habent jus, sicut & ad illos examinandos. At hæc sententia ita prolata non est probabilis post prædictam Constitutionem, in quâ decernitur, nullum censeri approbatum ad confessiones audiendas; si approbatus non fuerit ab Episcopo illius loci, seu Diœcesis in quâ confessiones excipiuntur.

SECTIO IV.

An Parochi, post constit. Clementis X. possint virtute Bullæ ubique eligi ad confessiones?

30. HAbentes beneficium Parochiale possunt audire confessiones suorum subditorum; quia ad illos & approbationem, & jurisdictionem habent; nec ab eis approbatio, & jurisdictio possunt tolli, nisi ab eis tollatur beneficium Parochiale, aut suspendatur; quia hæc muneri eorum sunt annexa, & ab Ecclesia immediatè procedunt. Barb. *de potest. Episcop. alleg.* 25. *n.* 18. *& de Paroch. cap.* 19. *n.* 3.

31. Censentur etiam approbati pro toto Episcopatu; quia eo ipso, quod fiunt Parochi, approbantur ab Ordinario ad confessiones audiendas pro totâ Diœcesi. Sic Card. de Lug. *de pœnit. disp.* 21. *n.* 14. & Trullench. *citandus.* Licèt aliqui oppositum teneant, quos refert, & sequitur Barbos. *in collect. ad Trident. sess.* 23. *de reform. cap.* 15. *n.* 19. & *de potest. Episc. alleg.* 25. *n.* 18. *& de Paroch. cap.* 23. *n.* 13.

32. Nomine habentis beneficium Parochiale in Trident. non solùm venit Parochus, sed etiam illi, qui superiora habent beneficia, ut Episcopi, Archiepiscopi, & Abbates aliqui habentes beneficia cùm jurisdictione ordinariâ in foro externo. Eadem enim omnium est ratio: ut tenet Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 28. *sect.* 4. *n.* 21. Fagund. 2. *Eccles. præcept. lib.* 7. *cap.* 2. *n.* 41. & alii passim. His suppositis.

33. Inquirimus in præsenti; An Parochus post prædictam Const. Clementis X. possit ubique terrarum virtute Bullæ, vel jubilei eligi ad confessiones audiendas? Respondeo, primam, & affirmativam sententiam hactenus fuisse communem. Ita cum pluribus Barb. *in collect. Trident. proximè cit. dict. num.* 19. Dian. *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 146. Henriq. *lib.* 6. *cap.* 6. *n.* 6. & 7. Bossius, Joann. Valer. Card. Tolet. Vivald. Trullench. Soar. Fagund. Bonacin. & alii, quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 11. *q.* 67. Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 6. *disp.* 3. *n.* 294. ubi plures refert. Barbos. *in collect. ad Trident. loco cit. dicto n.* 19. *in fine.* Illustriss. Fr. Anton. à Spiritu S. Episcopus Angol. *in direct. confess. tract.* 5. *n.* 863. Eandem tenet Arriag. *de pœnit. disp.* 42. *n.* 5. & *n.* 14. & id negat virtute jubilei; quia in eo non datur facultas eligendi, nisi approbatum ab Ordinario loci, & Mend. *disp.* 22. *n.* 28. non obstante, quòd teneat, virtute Bullæ eligendum debere esse approbatum ab Ordinario loci, in quo auditur confessio; & quod ait de Parocho; asserit de omni habente ordinariam jurisdictionem in sæculares. Sic *n.* 29.

34. Hæc sententia primò probari potest, quia Parochus, pro omni loco debet reputari idoneus ad jurisdictionem, si illi à potente eam delegare conferatur; & ita sensisse plures gravissimos Prælatos, qui Concil. Trident. interfuerunt, & D.D. tam Theologos, quàm jurisperitos Academiæ Salmanticensis; ut sibi constitit, ait Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 28. *n.* 18. Ergo cùm per Bullam illi jurisdictio conferatur, virtute illius non solùm in propria Diœcesi, sed ubique potest eligi.

35. Secundò probatur; quia siquid obstaret, esset Conc. Trid. *dicta sess.* 23. *cap.* 15. Sed non obstat: quia Conc. Trid. nullum jus novum constituit circa habentes Parochiale beneficium, sed retinuit antiquum: ut docent communiter D. D. Soar. *cit. n.* 13. Bard. *part.* 2. *tract.* 5. *cap.* 2. *n.* 14. Card. de Lug. de pœnit. *disp.* 21. *n.* 8. Arriag. *de pœnit. disp.* 42. *n.* 8. *vers. Objiciunt* 2. & alii plures, quos affert, & sequitur Leand. *dict. tract.* 5. *disp.* 11. *q.* 58. Sed per jus antiquum quilibet Parochus poterat eligi per quamcunque facultatem, & consentientibus, & demandantibus aliis Parochis: Ergo etiam nunc potest. Consequentia patet; quia hoc jus ordinarium per Concil. Trident. non fuit ablatum; nam solùm revocavit privilegia, & contrarias consuetudines, ibi: *Non obstantibus privilegiis, & quacunque consuetudine:* jus verò, quòd Parochi habebant, non erat ortum ex privilegio, aut ex consuetudine, sed ex ordinario officio, & potestate.

36. Tertiò probatur; quia Parochus est approbatus jure Pontificio, seu (ut ait Soar.) est approbatus ab Ecclesiâ: Ergo ab omnibus Episcopis censetur approbatus; nam si accepit beneficium immediatè à S. Pontifice, à summo Ordinario est approbatus; si ab aliis inferioribus Ordinariis, ab illis etiam approbatus remanet.

37. Quartò probatur ex ipsâ praxi communiter receptâ: nam in confinio Diœcesum, Parochus unius convocat Parochos alterius, ut illum adjuvent in audiendis confessionibus, dum illarum frequentia occurrit: ut cum Machad. Dian. & aliis, tenet Barbos. *in citat. loco Trident. num.* 19. *in fine:* Sed hi Parochi non sunt approbati ab Ordinario loci, in quo audiunt confessiones, sed tantùm ab Ordinario loci, sui beneficii: Ergo etiam sufficiet habere beneficium curatum in aliquâ Diœcesi, ut virtute Bullæ possint in aliis eligi ad confessiones excipiendas: sicut enim Parochus illis dat jurisdictionem in aliâ Diœcesi; ita etiam Bulla illi eam dare poterit in diversâ Diœcesi; non enim datur dispar ratio, inter has jurisdictiones.

38. Quintò probatur, quia Const. Clementis X. non aliud disponit circa illos, qui habent jurisdictionem ordinariam, quales sunt Parochi; sed circa illos, qui illam habent delegatam: ut constat. Quia in illâ solùm agit S. Pontifex de Regularibus, qui approbationem habere debent ab Ordinario loci, in quo confessiones audiunt. Et quanvis extendatur ad alios delegatos, propter eandem paritatem: ut vidimus *sect. precedente*; ad Parochos non extenditur, quia non datur eadem paritas: ut probant hæc fundamenta præcipuè tria prima allata.

39. Secunda sententia defendit, non posse Parochum virtute Cruciatæ, aut jubilei eligi in confessarium extra propriam Parochiam. Ita Guttierr. *in qq. Canonic. lib.* 1. *cap.* 27. *num.* 21. Laym. *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 11. *num.* 7. Garcia *de benef. part.* 5. *cap.* 8. *num.* 87. *in respons. ad* 4. & alii. Hæc sententia probari potest; quia Parochus solum censetur approbatus intra eam civitatem, vel oppidum, ubi sita est Parochia, & non pro totâ Diœcesi: ut docent Piasec. *in prax. Episcop. part.* 2. *cap.* 1. *n.* 10. *pag.* 92. Homobon. de Bon. *de exam. Ecclesiast. part.* 1. *tract.* 5. *cap.* 3. *quæst.* 15. Squilant. *de privileg. Cleric. cap.* 1. *n.* 73. Barbos. *de*

Potest. Episcop. alleg. 25. *n.* 19. & *de potest. Paroch. cap.* 19. *n.* 3. & *in collect. ad Trident. sess.* 23. *de reform. cap.* 15. *n.* 19. & ita fuisse decisum à S. Congreg. refert Stephan. Dalvin. *de potest. Episcop. & Abbat. cap.* 23. *n.* 13. apud Bard. *cit. in collect.* sed virtute Bullæ, vel jubilei non potest eligi, nisi approbatus ab Ordinario: Ergo cùm non sit approbatus pro totâ Diœcesi, non potest Parochus per totam eligi.

40. Tertia sententia tuetur, Parochum non posse eligi, ubique terrarum virtute Bullæ, aut jubilei, posse tamen in eâdem Diœcesi, in quâ habet beneficium. Pro hâc sententiâ citat Leand. *supradictâ disp.* 11. *q.* 67. Rodrig. *in Bull.* §. 9. Floron. *de casib. reservat. part.* 1. *cap.* 4. §. 12. *n.* 2. & alios. Idem tenet virtute jubilei, non tamen Bullæ, Card. de Lug. *de pœnit. disp.* 21. *n.* 14. quia in jubileo additur, approbatus *ab Ordinario loci*, non tamen in Bullâ, ubi tantùm dicitur approbatus *ab Ordinario.*

41. Ex his sententiis, quæ sunt probabiles saltem ex DD. authoritate, hanc tertiam existimo probabiliorem. Moveor primò; quia intentio Conc. Trident. *sess.* 23. *de reform. cap.* 15. fuit, ut quilibet Episcopus possit providere pro suâ Diœcesi de idoneis confessariis: Sed si Parochus alterius Diœcesis in eâ, in quâ non habet beneficium, nec est approbatus ab Episcopo, posset virtute Bullæ, aut jubilei, eligi in confessarium; frustraretur dictum intentum: Ergo dicendum est, non posse virtute Bullæ aut jubilei eligi in alterâ Diœcesi, in quâ non est situm beneficium, nec est approbatus.

42. Secundò moveor: Quia Conc. Trident. *loco cit.* æquiparat beneficium Parochiale approbationi Episcopi, ibi: *Nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis approbationem obtineat*; & docet Trullench. statim *citand.* & alii; sed approbatus absolutè, & sine limitatione ab aliquo Episcopo non potest virtute Bullæ, aut jubilei ubique eligi in confessarium, post dictam Constit. Clementis X. ut videmus *sect. precedente*: Ergo etiam Parochus habens beneficium Parochiale non poterit ubique eligi post prædictam Constit. quia eodem modo se debet habere, ac approbatus absolutè, cui æquiparatur.

43. Tertiò moveor: Quia habens beneficium Parochiale ex eo quòd fit Parochus, approbatur ab Ordinario ad audiendas confessiones pro toto Episcopatu: ut inquit Card. de Lug. *dicta disp.* 21. *n.* 14. & tenet Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 7. *dub.* 4. *n.* 2. Et ita accepi à quodam Provisore in civitate Portugalensi, cui erat facultas approbandi ad audiendas confessiones: Ergo in eo Episcopatu, in quo habet beneficium, potest virtute Bullæ, aut jubilei excipere confessiones quia pro illo approbatur, & non pro aliis: cùm ergo in aliis, ab eorum Ordinariis non sit approbatus, in illis non potest eligi. Et hoc ultimum ostenditur, contra Arriag. *de pœnit. disp.* 42. *n.* 8. *vers. subjiciunt secundò*, asserentem etiam pro toto mundo approbari. Quia hi Parochi pro aliis Episcopatibus à jure non sunt approbati: non enim datur textus, ex quo id colligatur: nam id ex Trident. *loco cit.* non colligitur; cùm in illo æquiparentur approbatis absolutè: ut diximus *n.* 42. & est doctrina multorum: ut videre est apud Leand. *dict. tract.* 5. *disp.* 11. *q.* 58.

44. Quartò moveor, ex quâdam responsione S. Congreg. apud Soar. *cit. n.* 17. in hæc verba: *An obtinens Parochiale beneficium ubique censendus sit idoneus absque aliâ Episcoporum approbatione, ita quod audire possit confessiones eorum, qui non habent hujusmodi privilegium, sed Parochorum consensum. Congregatio respondit: Non posse.* Si ergo Parochus non censetur idoneus sine approbatione Episcoporum, non potest ubique eligi virtute Bullæ; nam ut quis virtute Bullæ eligatur in aliquâ Diœcesi, debet esse approbatus ab eo Ordinario, in cujus territorio confessio excipitur.

45. Soar. *n.* 19. respondet, sibi non constare de tali responsione; eo quòd illam non invenit apud illustrissimum Episcopum Conimbricensem inter alias, quæ ab illo summâ diligentia sunt collectæ; nec in nostro insigni Collegio Conimbricensi. Soar. *subscribit* Arriag. *de pœnit. disp.* 42. *n.* 5. Hæc tamen ratio non convincit; quia nec etiam in ipso Bullario Cherubini inveniuntur omnes Bullæ à S. S. Pontificibus expeditæ, quamvis ab illo summâ diligentiâ sint collectæ. Et Authores, qui eâ responsione hanc sententiam confirmant, non illam ex proprio Marte excogitarunt.

46. Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 7. *cap.* 1. *dub.* 4. *in fine*, respondet; ex eâ Cardin. responsione solùm colligi, Parochum præter approbationem indigere delegatione jurisdictionis. Et bene. At si Parochus sine approbatione cujuslibet Episcopi non censetur idoneus ad eam jurisdictionem: Ergo non potest virtute Bullæ ubique eligi; quia in singulis Diœcesibus non habet eam idoneitatem; quia in illis caret approbatione.

47. Nec etiam satisfacit Bard. ubi *supra n.* 16. dicendo in eâ Cardin. S. Congreg. responsione non esse sermonem de approbatione, sed de jurisdictione. At minus bene: quia ibi de approbatione est sermo; ut patet expressè ex interrogatione, quæ inquirebat: An Parochus censeatur idoneus ubique sine approbatione Episcoporum, ut possit confessiones audire; (quod intelligitur adveniente jurisdictione ab eo, qui illam potest concedere) & cùm non censeatur idoneus sine approbatione Episcoporum, non potest ubique virtute Bullæ confessiones excipere.

§. Unicus.

Dissolvuntur fundamenta contraria.

48. Nec fundamenta primæ sententiæ *à n.* 34. adducta oppositum suadent: Non primum, quia illi P. P. qui Conc. Trident. interfuerunt, intelligi debent loquuti de eâ idoneitate, quam Parochi habebant ante Concil., ut possint ab aliis Parochis conveniri intra eandem Diœcesim, ut se ipsos adjuvent: ut ante Concil. fiebat: non verò, ut per Bullam, vel jubileum possint eligi, in eâ Diœcesi, in quâ non sunt approbati ab ejus Episcopo; quod est requisitum; ut quis per Bullam, vel jubileum eligatur.

49. Ad secundum *n.* 35. respondeo concedendo majorem, & distinguendo minorem: Sed per jus antiquum quilibet Parochus poterat eligi per quamcunque facultatem, & consentientibus, & demandantibus aliis Parochis, si electio, & consensus aliorum Parochorum esset ad existentes Parochianos intra eandem Diœcesim, in quâ situm erat beneficium, concedo, si verò esset ad Parochianos aliorum Parochorum, qui non habe-

habebant beneficium intra eandem Diœcesim, nego minorem: Et hoc patet ex responsione *allata num.* 44. à S. Card. Congregat. in quâ dicitur, absque aliâ Episcoporum approbatione non esse censendum idoneum ad audiendas ubique confessiones beneficium parochiale obtinentem: si ergo S. Card. Congreg. ita decrevit; censendum est ita esse in praxi jus antiquum; etsi ita in praxi non erat; per decretum prædictum declaratum est, idoneitatem Parochorum modo in eo decreto contentam juxta Trident. esse intelligendam.

50. Ad tertium *num.* 36. patet solutio ex dictis: licèt enim Parochus censeatur approbatus à jure Pontificio, vel ab Ecclesiâ, quia ab ejus Prælatis beneficium obtinuit; cùm tamen ab uno tantùm illud obtinuit; ab illo tantùm fuit approbatus; & quanvis illud obtinuisset immediatè à S. Pontifice, qui illum poterat ad omnes Diœceses approbare; id tamen non præsumitur, sed quòd illum approbavit pro eâ Diœcesi, in quâ illi beneficium fuit collatum, vel pro illo tantùm oppido, aut Diœcesi, in quâ situm est beneficium: ut volunt citati pro primâ sententiâ.

51. Ad quartum *num.* 37. respondeo, eam praxim, & sententiam eorum Authorum esse intelligendam, dato, & posito consensu Episcoporum: nam sine illo eas confessiones de consensu tantùm Parochorum non possunt excipere: ut rectè notavit Abreus *de Paroch. lib. 9. cap. 5. sect. 7. num.* 328. per hæc verba: *Possuntque* (nempe Parochi) *audire incolas parochiæ vicinæ, se invicem juvando, quando sunt in confinis duorum Episcopatuum, tacentibus, & consentientibus Episcopis, alias non.* Et sufficit ad audiendas confessiones approbatio ex consensu Episcopi tacito, habita; eo modo, quo *infra dicemus sect.* 12.

52. Ex his infero contra Leand. *de pœnit. tract. 5. disp. 11. quæst.* 59. Navarr. Ægid. Coninch, & Trullench. ab eo citatos. Si Parochus non potest exponere in suâ parochiâ, in quâ habet beneficium parochiale, alios Parochos habentes beneficia curata, quando sunt ex diversâ Diœcesi, ut manet dictum; nec etiam posset exponere alios sacerdotes à quocunque Episcopo approbatos; quia ut Parochus hos possit exponere in suâ parochiâ requiritur approbatio Episcopi ejus territorii; & cùm hæc deficiat, ibi non sunt approbati: ergo ibi exponi non possunt. Et hæc Leand. sententia post Constit. citatam probabilis non est; & ante illam hoc idem docuerunt Petr. de Leon. Gutticrr. Nunûs. Hurt. Vazq. Ochagav. Dian. 3. *part. tract. 4. resol.* 110. *in fine, & part.* 10. *tract.* 16. *resol.* 75. Mend. *disp.* 22. *cap.* 10. *num.* 107. & alii, quos refert idem Leand.

53. Ad quintum *num.* 38. concedo Constit. nihil disponere, circa habentes jurisdictionem ordinariam; qualem habent Parochi. At quando prædicti eam non habent ordinariam: ut non habent in non subditos; & volunt delegatâ virtute Bullæ, aut jubilei gaudere; debent se conformare cum habentibus delegatam: hæc autem uti non possunt, nisi sint approbati ab Ordinario in eo loco, in quo confessiones audiuntur.

54. Adverte, nomine prædictorum Parochorum non venire superiores Regulares; quia eæ Prælaturæ non sunt beneficia parochialia. Ita Soar. Card. de Lug. Fagund. Rodrig. Ludovic. à Cruce, & alii plures, quos refert, & sequi-Leand. *supra quæst.* 62. Bard. *part. 2. tract. 5. cap. 2. num.* 6. Mend. *disp.* 22. *num.* 30. Arriag. *de pœnit. disp.* 42. *num.* 5. Barbos. *in collect. ad Trident. sess.* 23. *de reform. cap.* 15. *num.* 18. *in fine.* cum Dalvin. *de potest. Episc. cap.* 23. *num.* 6. & Moya *tom.* 1. *in qq. select. tract.* 3. *disp.* 7. *quæst.* 3. *num.* 4. Nec sententia opposita est probabilis: ut autumat Illust. Episcopus Angol. Fr. Anton. de Spiritu S. *in direct. confess. tract.* 5. *n.* 861. & plures ex citatis: Quare, ut possint eligi virtute Bullæ, requirunt approbationem Ordinarii Diœcesis, in quâ confessiones sunt excipiendæ: Nec etiam veniunt curati ad nutum; quia non habent beneficium parochiale.

55. Ad fundamentum secundæ sententiæ *n.* 39. *allatæ* respondeo; habentem beneficium parochiale, præcisâ aliâ approbatione, vel authoritate, quàm sibi à jure concessa est, non posse aliorum parochianorum, qui sui non sunt, confessiones suscipere: ut cum Soar. *de pœnit. disp.* 28. *sect.* 4. *num.* 2. tenet Abreus *de Paroch. ubi supra num.* 327. Quoniam tamen *num.* 43. diximus, esse approbatum pro eo Episcopatu, in quo habet beneficium, ab Episcopo illius; virtute Bullæ, vel Jubilei, vel ex consensu Parochorum ejusdem Episcopatus potest illorum confessiones audire: & in hoc sensu existimo, accipiendam esse S. Congreg. decisionem à Dalvin. adductam. Addo cum Trullench. *cit. supra dicto lib.* 1. §. 7. *dub.* 4. *num.* 2. posse Parochum eligi per Bullam à subditis alterius Episcopatus, dum ad propriam ipsius parochiam accedunt, etiamsi eo tantùm animo accedant; quia in eo Episcopatu habet completam approbationem; & confessiones excipiuntur juxta Constit. Clementis, quæ requirit approbationem Episcopi illius territorii, in quo confessiones excipiuntur; dummodo non accedant pro absolutione à reservatis in fraudem proprii Parochi; ut *infra* dicetur.

SECTIO V.

An Parochus extra parochiam, & Episcopus extra Diœcesim possint absolvere suum subditum; & quid de iis, qui non sunt Parochi, sunt tamen ab Episcopo approbati pro suâ Diœcesi?

56. COnveniunt Doctores posse Parochum extra suam parochiam, & Episcopum extra suam Diœcesim absolvere suum subditum. Sic Vict. Sylvest. Navarr. Card. Tolet. Henriq. Couvarr. Rodrig. Valer. Sanch. Piasset. Regin. Homobon. Molfes. Campanil. & alii, quos refert, & sequitur Barb. *in collect. ad Trident. sess.* 23. *de reform. cap.* 25. *num.* 20. Zerol. Armil. Gom. Bonac. Azor. & alii, quos adducit, & defendit Leand. *tract.* 5. *de pœnit. disp.* 11. *quæst.* 41. Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 25. *sect.* 1. *n.* 17. Cardin. de Lug. *de pœnit. disputat.* 39. *num.* 34. Soar. Lusitan. *de pœnit. tract.* 6. *num.* 35. cum pluribus.

57. Hanc sententiam etiam post Constit. Cle-

mentis X. existimo veram; quia in eâ Constit. nihil disponitur circa Parochos, maximè erga suos subditos. Probatur ergo hæc sententia; quia hic actus jurisdictionis non est contentiosus, nec requirit cæremonialem strepitum, ac judicialem: propter quem debeat prohiberi, ne extra territorium exerceatur. Quia tamen aliquam habet solemnitatem, decet licentiam obtineri à Parocho, vel Religiosis in quorum templo eæ audientur confessiones; non ad jurisdictionem à Parocho templi obtinendam, sed ob decentiam, sicut etiam petitur ad celebrandum.

58. Inquires tamen primò: An eadem resolutio sit etiam intelligenda in illis confessariis, qui jurisdictionem habeat delegatam; v.g. dat mihi Archiepiscopus Ulyssiponensis licentiam, ut suorum subditorum possim confessiones audire; aliquos invenio in Episcopatu Conimbricensi, ubi ab Ordinario non sum approbatus: possum ne illorum confessiones excipere? Respondeo, sic affirmasse Soar. Cardin. de Lug. Arriag. Leand. *locis citatis.* Soar. Lusitan. *proximè num.* 37.

59. Hæc tamen sententia post Constit. Clementis X. non est probabilis; quia in illa oppositum decernit S. Pontifex per hæc verba: *Non posse in aliâ Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire; quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati:* Cùm ergo ego, vel quilibet alius confessarius, non simus approbati ab Episcopo Conimbricensi; in illius Episcopatu confessiones aliquas in eo non possumus excipere. Ita post Constit. Fr. Anselm. Gom. in perfect. exam. confess. *cap.* 10. §. 1.

60. Dices primò: ergo saltem virtute Bullæ approbatus ab Ordinario Ulyssiponensi poterit Conimbricæ pœnitentium subditorum Archiepiscopi Ulyssiponensis confessiones excipere. Respondeo, non posse; quia Bulla concedit, ut quis possit eligere approbatum ab Ordinario: cùm verò ipse approbatus Ulyssipone, non sit approbatus Conimbricæ, ubi confessiones sunt excipiendæ, ut vult Clemens X. inde est, quòd Conimbricæ non potest virtute Bullæ absolvere, nec confessiones aliquas audire.

61. Dices secundò: Parochus, & Episcopus possunt extra Diœcesim suorum subditorum confessiones excipere: ut cum pluribus tenet Barbos. *in collect. ad Trident. sess.* 23. *de reform. cap.* 15. *num.* 20. Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 6. *num.* 35. Ergo etiam, qui delegationem habet jurisdictionis ab Episcopo in suos subditos poterit in aliâ Diœcesi eorum confessiones audire: Consequentia patet; quia jurisdictio voluntaria delegata potest exerceri in subditos delegantis in territorio alieno; ut habetur expressè *l.* 2. *ff. de offic. pro consul.* & tenet Sanch. *lib.* 3. *de matrim. disp.* 19. *num.* 8. & *disp.* 34. *num.* 2. sed jurisdictio ad audiendas confessiones delegata, quam habet Confessarius ab Episcopo in suos subditos, est voluntaria: Ergo sicut Ordinarius illam in territorio alieno exercere potest, audiendo confessiones suorum subditorum: ita etiam poterit ejus delegatus, confessiones eorum subditorum excipiendo.

62. Respondeo, negando utramque consequentiam; diversa ratio est; quia Parochus ex jure communi habebat, & habet facultatem exercendi suam jurisdictionem in suos subditos, etiam in territorio alieno; quando exercitium ipsius jurisdictionis non erat contentiosum; nec talem strepitum requirebat, per quem aliquis alius offendi posset; & cùm hoc jus non sit revocatum per Conc. Trident. nec per aliam S. Pontificis Constitutionem, potest Parochus in suos subditos in territorio alieno illam exercere. Ex quo asserit Sanch. *cit. disp.* 34. *num.* 3. posse Parochum, & quemlibet sacerdotem de ejus licentiâ validè assistere matrimonio extra propriam parochiam: At sacerdoti habenti jurisdictionem delegatam ad confessiones audiendas prohibitum est per Concil. Trident. ne confessiones audiat sine approbatione Episcopi; & hanc approbationem habendam esse ab Ordinario loci, in quo confessiones audiuntur, declarat S. Pontifex Clemens in suâ Constitutione; & cùm jus prohibeat delegatis, ne jurisdictionem delegatam ad confessiones audiendas exerceant in Diœcesi alienâ sine approbatione Diœcesani; & id non prohibeat Parochus; hi illas possunt audire, non verò illi.

63. Inquires secundò: An saltem Episcopus, dum est extra suam Diœcesim, possit sibi eligere sacerdotem in confessarium, si approbatus non sit ab Episcopo loci, in quo fit confessio? Respondeo, in duplici sensu posse procedere inquisitum: primò si talis sacerdos non sit illi subditus; secundò si ejus subditus sit. In primo sensu communis Authorum resolutio est, non posse Episcopum confiteri sacerdoti non subdito extra suam Diœcesim, si approbatus non sit ab Episcopo loci, in quo fit confessio. Sic Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 28. *sect.* 6. *num.* 7. Navarr. Riccius, Graff. Faust. Barbos. Filliuc. Molsesius, Azor, & alii, quos citat, & sequitur Dian. *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* Nunûs, Ægid. Candid. Bonac. Hurt. Nald. Megala, Fagund. Præpositus, Armendaris, Paschal. Thom. Hurt. quos adducit, & sequitur Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *de pœnit. disp.* 11. *quæst.* 28. Mend. *in Bull. disp.* 22. *n.* 16. Card. de Lug. *de pœnit. disp.* 21. *n.* 38. & *resp. mor. l.* 1. *dub.* 17. *n.* 2. Soar. Lusit. *dict. tr.* 6. *n.* 277.

64. Probatur primò ex decreto Gregorii XIII. à S. Cong. Concil. expedito: ut videre est apud Soar. *cit.* & alios, quod sic habet: *S. D. N. auditâ relatione Congregationis, declaravit, Episcopum vigore privilegii, de quo in cap. fin. de pœnit. & remiss. non posse sibi eligere sacerdotem sibi non subditum, qui a proprio Ordinario, non fuerit adhuc ad formam hujus decreti admissus, seu approbatus ad audiendas confessiones:* Secundo ex Const. Clementis X. ibi: *Religiosos ab Episcopo ad confessiones sæcularium in suâ Diœcesi audiendas approbatos, non posse in aliâ Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire:* Cum ergo S. Pontifex requirat approbationem Episcopi ejus Diœcesis, in quâ confessiones excipiuntur; & prædictus sacerdos electus ab Episcopo extra suam Ecclesiam nec sit illius subditus, nec à Diœcesano, in cujus Diœcesi fit confessio, sit approbatus; illi Episcopus non potest confiteri.

65. Ex hâc constitutione sequitur, non esse probabilem opinionem, quæ asserebat, Episcopum posse confiteri sacerdoti sibi non subdito extra suam Diœcesim non approbato à Diœcesano; quam tenuerunt Valer. Graff. Zerol. Bossius Coriolan. Villal. Pasqual. apud Leand. *proximè citat.* & docuit Soar. Lusitan. *de pœnit. tractat.* 6. *num.* 277.

66. In secundo sensu, nempe; an possit Episco-

piscopus extra suam Diœcesim confiteri sacerdoti sibi subdito, non approbato à Diœcesano ejus loci, in quo auditur confessio? Partem affirmantem docuerunt communiter DD. quos citavimus *supra num.* 58. & illam expressè tenet Card. de Lug. *disp.* 21. *num.* 37. Et videtur doceri à Soar. Lusitan. *de pœnitent. tractat.* 6. *disputat.* 3. *num.* 273. & aliis.

67. At hæc sententia post prædictam Constit. jam non est probabilis; quia S. Pontifex declarat, necessariam esse approbationem illius Episcopi, in cujus Diœcesi confessiones excipiuntur: ergo licèt prædictus sacerdos sit subditus illius Episcopi, & ab eo approbatus in proprio, vel alieno Episcopatu; cùm non sit approbatus à Diœcesano, in cujus territorio confessionem excipit, illam excipere non potest.

68. Dices: Episcopis *in cap. fin. de pœnit. & remiss.* Conceditur facultas eligendi sibi confessarium idoneum; sed ille, qui fuit approbatus à suo Episcopo, est idoneus; nam idem est esse idoneum per testimonium Episcopi, ac esse approbatum ab Episcopo: Ergo Episcopus illi confiteri poterit extra suam Diœcesim, quanvis à Diœcesano non sit approbatus. Respondeo, juxta textum relatum concedi facultatem Episcopo eligendi confessarium idoneum; At juxta Const.-Clementis X. *supra* allatam, non dicitur idoneus, nisi ille, qui per testimonium Episcopi illius Diœcesis, in quâ auditur confessio, est approbatus. Unde non sufficit, esse idoneum, & approbatum in alio Episcopatu, vel ab alio Episcopo; ut quis virtute alicujus privilegii possit esse electus; sed requiritur, ut talis sit per approbationem Episcopi loci, ubi confessio excipitur. Et ante Const. Clementin. cum pluribus docuit Barbos. *supra citat. num.* 29. & videtur tenere Arriag. *de pœnit. disp.* 42. *num.* 1. post medium.

SECTIO VI.

An Parochus, qui habuit beneficium, sed jam non habet, sit virtute Bullæ eligibilis?

69. TRes in hac quæstione invenio sententias. Prima est affirmativa; illam defendunt Rodrig. *in addit. ad* §. 9. *num.* 4. Villal. *tom.* 1. *tract.* 27. *claus.* 9. §. 1. *num.* 4. & *tract.* 9. *de pœnit. diff.* 56. *n.* 4. quos refert Leand. 1. *tom. tr.* 5. *de pœnit. disp.* 11. *q.* 65. Joann. à Cruce *part.* 2. *de pœnit. quæst.* 5. *dub.* 8. *concl.* 4. Basilius Legion. *in Bull. manuscript.* §. 7. quos citat Mend. *disp.* 22. *num.* 34. & sequitur Moya *tom.* 1. *in qq. select. tractat.* 3. *disputat.* 7. *quæst.* 3. *num.* 4.

70. Secunda sententia absolutè negat: illam tuentur Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 28. *sect.* 6. *n.* 13. *& sect.* 4. *num.* 20. Regin. *lib.* 1. *num.* 190. Bonac. *disp.* 5. *de pœnit. quæst.* 7. *punct.* 4. §. 1. *n.* 24. Fagund. 2. *Eccles. præcept. lib.* 7. *cap.* 2. *n.* 38. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 3. *num.* 3. *in fine.* Vivald. *de confess. num.* 27. *conclus.* 2. Dian. 1. *part. tract.* 11. *resol.* 8. & 5. *part. tract.* 12. *resol.* 47. Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 6. *cap.* 1. *dub.* 1. *num.* 6. *& dub.* 3. *num.* 3. Granad. *tract.* 10. *disp.* 5. *num.* 2. Hurt. *disp.* 10. *diff.* 16. Boss. *tr. de jubil. cas.* 2. §. 2. *n.* 56. *& num.* 236. Floron. *de casib. reserv.* 1. *part. cap.* 4. §. 12. *n.* 6. Quintanad. *de jubil. duplic. hebdomad. cap.* 21. *num.* 3. omnes apud Leand. *supra.* Eandem tenet Bard. *part.* 2. *tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 18. Barbos. *de paroch. cap.* 19. *num.* 6. *& in collect. ad Trident. sess.* 23. *de reform. cap.* 15. *n.* 21. Card. de Lug. *de pœnit. disp.* 21. *num.* 8. Calleg. *in Bull. cap.* 9. *dub.* 85. Fr. Joseph Mend. *in Bull. sect.* 1. *num.* 82. *fol.* 42. Arriag. *de pœnit. disp.* 42. *num.* 3. *Vers. secunda difficultas.* Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 6. *num.* 297. Lezan. *in qq. Regul. tom.* 3. *Verb. Bulla Cruciatæ num.* 20. Illustr. DD. Fr. Anton. à Spiritu Sancto *in direct. confess. tract.* 5. *num.* 864.

71. Tertia sententia est media inter primam, & secundam: Convenit cum primâ, quando Parochus sponte reliquit beneficium, vel cum alio simplici commutavit; in his enim casibus sine aliâ novâ Episcopi approbatione, potest per Bullam eligi. Et concordat cum secundâ, quando illi fuit beneficium ablatum per crimina, aut dementiam, aut per supervenientem imperitiam; quia in his casibus illi præstita approbatio in collatione beneficii aufertur. Et sic, cùm non maneat approbatus, per Bullam eligi non potest. Sic Leand. *citat.* Mend. *in Bull. disputat.* 22. *à num.* 34. & *num.* 91. *& in addit. disputat.* 15. *à num.* 138.

72. Ex his sententiis secunda, mihi videtur vera docens, sine novâ Episcopi approbatione, Parochum, qui vel sponte dimisit beneficium, vel aliam ob causam, illi fuit ablatum, non posse virtute Bullæ eligi. Probatur primò; quia ex Tridentin. constat, solùm esse idoneos ad audiendas confessiones, qui beneficium Parochiale, vel approbationem ab Episcopo obtineat; & hæc, ut contra distincta exiguntur: sed qui habuit beneficium, jam illud non habet; sicut, qui fuit approbatus cum limitatione temporis, illo transacto, jam non est approbatus ut *infrà* dicetur: ergo sicut hic virtute Bullæ non potest eligi, ita qui beneficium jam non habet.

73. Probatur secundò: quia Conc. Trident. omnes habentes beneficium Parochiale reliquit sicut antea, nihil innovando circa illos; unde sicut antea, poterant extra suam parochiam, & intra eandem Diœcesim audire aliorum confessiones, consentientibus, & demandantibus eorum Parochis, & illos juvare, quando ab illis vocabantur; sic etiam poterant post Conc. Trident. ut vidimus *supra num.* 49. & 51. sed dimisso, seu ablato beneficio, jam id non poterant; quia jam non habebant beneficium: ergo illo dimisso, vel ablato, non possunt virtute Bullæ eligi; quia jam nec habent beneficium, nec sunt approbati.

74. Dices: In Collatione beneficii concessa fuit Parocho approbatio: ergo quanvis dimittatur beneficium, non dimittitur approbatio: Consequentia patet; quia quanvis approbatio dependeat in suo fieri à collatione, ab illâ non dependet in suo conservari; nam idoneitas, seu approbatio, ut quid distinctum à beneficio, manet, licèt beneficium auferatur, vel dimittatur: ergo, cùm permaneat approbatio, virtute Bullæ poterit eligi: Respondeo, negando consequentiam, & illius probationem. Et hujus ratio est; quia Parochus in tantùm erat approbatus, in quan-

quantùm beneficium obtinebat; quia per beneficii collationem Parochus habebat approbationem: Si verò collatio beneficii in conservari, seu in facto esse, cessat per ablationem, seu dimissionem beneficii; etiam cessat approbatio; quæ solùm propter beneficii collationem Parocho impertita fuit.

SECTIO VII.

An Confessarius approbatus cum limitatione ad personas, possit ab aliis vir tute Bullæ eligi?

75. EX ætatis, vel scientiæ defectu confessarios aliquando approbant Episcopi cum limitatione ad personas; hæc autem approbationis limitatio datur in audiendis virorum solùm confessionibus, vel tantùm sacerdotum, vel solùm ad pueros, rusticos &c.

76. Si sacerdos sæcularis ex defectu ætatis approbetur ad audiendas solùm virorum confessiones, & non mulierum, posse virtute Jubilei, aut Bullæ, etiam à mulieribus eligi, docuerunt Henriq. Petrus Fay Fagund. Bonacin. Ægid. apud citandos, & Illustriss. Episcopus Angol. *in direct. confess. tract.* 4. *num.* 904. & alii; & id esse probabile, & in praxi tutum dicunt Sanch. Dian. Bossius. Card. de Lug. & alii apud Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 7. *cap.* 1. *dub.* 3. *num.* 6. Lezan. *in qq. Regul. tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 19. & Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 11. *quæst.* 68. dicit, hanc sententiam æquè probabilem, ac oppositam; & Mend. *in Bull. disp.* 22. *num.* 69. aut esse tutam in praxi, ac probabilem, saltem ob authoritatem extrinsecam.

77. Hæc tamen sententia post Const. Clementis X. quæ incipit: *Superna magni Patrisfamilias, supra citat.* nec est probabilis, nec tuta in conscientiâ; quia juxta illam per jurisdictionem cum limitatione concessam limitatur approbatio. Unde qui solùm habuit ab Episcopo licentiam, ad audiendas confessiones virorum; ad has solùm ab Episcopo fuit approbatus; & cùm per Bullam concedatur facultas eligendi sacerdotem ab Episcopo approbatum; & habens licentiam, seu facultatem ad audiendas virorum confessiones, solùm ad has sit approbatus; ab his tantùm virtute Bullæ potest eligi in eo Episcopatu, in quo eam habet approbationem. Et sic post prædictam Const. docet Fr. Anselm. Gom. *in sua perfect. exam. confess. cap.* 10. §. 1. *fol.* 25. *Vers. Ni el approvado.*

78. Et ante dictam Constitutionem hæc sententia erat communis, & illam docuerant Rodrig. *in sum. tom.* 1. *cap.* 60. *num.* 4. Soar. *de pœnit. disp.* 28. *sect.* 1. *num.* 3. Ludovic. à Cruce *in Bull. disp.* 1. *cap.* 2. *dub.* 9. à Cost. *in Bull. quæst.* 39. Cardin. de Lug. *de pœnit. disp.* 21. *sect.* 1. *n.* 16. Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 7. *cap.* 1. *dub.* 3. *n.* 6. Bard. *part.* 2. *tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 4. Barbos. *in collect. ad Trident. sect.* 23. *de reformat. cap.* 15. *n.* 42. Mend. *in Bull. disp.* 22. *num.* 69. Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 6. *num.* 300. Villal. *tract.* 27. *claus. ful.* 9. §. 1. *num.* 3. & videtur docere ab Arriag. *de pœnit. disp.* 42. *num.* 7. & alii apud Leand. *dict. quæst.* 68. Hæc vera sententia ex dictis manet probata.

79. Et hæc approbatio ex usu, & consuetudine Episcoporum in his concedendis approbationibus sic habetur. *Pode confessar homens neste Bispado per espaço de hum anno, ou em quanto se nam mandar o contrario.* Ex quibus constat, simul cum approbatione concedi jurisdictionem limitatam, quoad personas: cùm ergo jurisdictio sit limitata, etiam approbatio est limitata ad personas: ergo cùm confessarius ad mulieres non sit approbatus, ab illis non potest eligi, virtute Bullæ. Et patet ex Declar. Cardin. apud Barbos. *in collect. ad Bullar. Verb. confessarius* quæ sic habet: *Confessarii seculares ad certum genus personarum, seu ad limitatum tempus ab Ordinario approbati, minime possunt, etiam vigore Bullæ Cruciatæ, pœnitentium confessiones audire, ultra facultatem ipsis ab Ordinario concessam.*

80. Ex hâc resolutione sequitur primò, sacerdotes approbatos in aliquâ Diœcesi ad audiendas confessiones clericorum, vel sacerdotum, non posse extra illam Diœcesim audire confessiones clericorum, nec sacerdotum; quia extra eam Diœcesim ad eas confessiones non sunt approbati; nec etiam, ex vi talis approbationis possunt in eâdem Diœcesi audire confessiones laicorum, nec mulierum; quia ad has personas non sunt approbati; quod necessariò requiritur à Bullâ; & à Cardin. Declaratione.

81. Secundò sequitur, sacerdotem approbatum ad audiendas confessiones puerorum, & rusticorum, non posse ab aliis virtute Bullæ eligi; propter eandem rationem & Cardin. declarationem; nec etiam in aliâ Diœcesi ab illius pueris, & rusticis; quia in eâ Diœcesi non est approbatus. Et à Clemente X. requiritur approbatio illius Episcopi, in cujus Diœcesi confessiones excipiuntur. Ita cum pluribus Illustriss. Episc. Angolanus Fr. Anton. à Spiritu S. *in direct. confess. tract.* 5. *num.* 906. cum hac limitatione: *si ad prædictos ex defectu scientiæ sit approbatus.* At sine eâ limitatione ab aliis etiam non potest eligi, quia ad illos non est approbatus, ut diximus. Sic cum Soar. Cardin. de Lug. docent Arriag. *de pœnit. d.* 42. *n.* 7. Lezan. *in qq. Regul. tom.* 3. *Verb. Bulla Cruciatæ num.* 20.

82. Dices: Episcopus concedendo modo solito jurisdictionem cum limitatione, ad personas, loca, & tempus, potest sine eâ limitatione approbationem concedere: ergo si eam limitationem in jurisdictione ita concessa non exprimat in approbatione; dicendum est, approbationem sine limitatione concedere. Antecedens patet; consequentia ostenditur; quia semel approbatus non potest amplius reprobari: ut ex jure, & Doctoribus habetur apud Barbos. *de axiom. juris axiom.* 31. *num.* 3. & in præsenti, eadem consequentia stabilitur, *ex cap. cum Vintonensis, de elect.* ibi: *Nos igitur attendentes quòd electi post primam electionem admiserant illos.* Ubi Gloss. verb. *Admiserant* notat ex eo textu, & aliis, quos refert, nullum posse reprobare, quod semel approbavit: ergo, cùm semel sacerdos sæcularis sit approbatus, licèt jurisdictio maneat limitata, quia tantùm conceditur ad certas personas, ad certa loca, vel ad certum tempus; approbatio autem non debet limitari; quia semel approbatus non potest reprobari.

83. Respondeo: quanvis Episcopus possit juris-

jurisdictionem limitare, & non approbationem; dum tamen id non exprimit; eo modo, quo limitat jurisdictionem, limitat etiam approbationem. Unde finitâ, vel limitatâ jurisdictione, finitur etiam, & limitatur approbatio. Ad probationem consequentiæ, & ad jura, & Doctores, quæ adducuntur; Respondeo, alium habere sensum; nam in præsenti non reprobatur, qui semel fuit approbatus; nam si sacerdos approbatur tantùm ad certas personas, oppida, vel ad tempus, hæc limitata approbatio, ut illi conceditur, non aufertur; & si aliquando ab illo auferatur, est cum causâ rationabili: ut ipsum jus concedit. Ex quo patet, ea jura, & Doctores nihil probare contra supradictam resolutionem.

SECTIO VIII.

An approbatus pro uno loco, vel determinato tempore possit virtute Bullæ in totâ Diœcesi, vel transacto tempore, eligi?

84. EX dictis facilis est responsio ad has quæstiunculas; nam fundamenta pro utràque parte sunt eadem cum hactenus adductis. Et quoad primam de approbato pro uno loco, quòd virtute Bullæ, vel jubilei possit eligi in totâ Diœcesi, sustinuerunt ante prædictam Clementis Constit. Henriq. Medin. Moure. Fagund. & aliqui Juniores, quos refert Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 11. *q.* 69. ubi ait, hanc sententiam esse æquè probabilem, ac contrariam; & in illam inclinat. Eandem tenet à Cost. *q.* 39. *in princ.* & tutam, & probabilem ob authoritatem Doctorum dicit Mend. *disp.* 22. *num.* 81. non tamen Sanch. ut de illo asserit Fagund. 2. *Eccles. præcept. lib.* 7. *cap.* 2. quia Sanch. solùm dicit probabilem sententiam illam, quæ limitatur quoad personas.

85. Alii hanc sequuti fuerunt sententiam cum distinctione, nempe; quando sacerdos non ex defectu scientiæ in eo oppido fuit approbatus; tunc posse in totâ Diœcesi eligi asserebant; non ita tamen, quando ex defectu scientiæ ad solum idem oppidum fuit approbatus. Sic cum Rodrig. Petr. Fay. Dian. 1. *part. tract.* 11. *resol.* 10. sic etiam Ludovic. à Cruce Merol. apud Bard. *part.* 2. *tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 84. *in fine*, & cum Delbene, Escobar, Trullench. & aliis Fr. Anton. à Spiritu S. *in direct. confess. tract.* 5. *n.* 907. & 908.

86. Hæc tamen sententia, etiam cum eâ distinctione, non est probabilis, nec tuta post Constit. Clementis X. quia approbatio conceditur limitata eo modo, quo limitata conceditur jurisdictio: sed jurisdictio ab Episcopo conceditur sic: *Pode confessar em tal freguezia por hum anno, ou em quanto selhe nam mandar o contrario*: ergo etiam approbatio limitata conceditur: eo enim modo, quo procedit jurisdictio, approbatio procedit. Sic post prædictam Constitutionem Fr. Anselm. Gom. ubi *supradicto cap.* 10. §. 1. *fol.* 25. *Vers. Ni el approbado*; & ante illam Nunus, Alfons. de Leon. quos refert, & sequitur Cardin. de Lug. *de pœnit. disput.* 21. *num.* 23. & Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 6. *num.* 300. Lezan. *in q.* 3. *Regul. tom.* 3. *Verb. Bull. Cruciat. n.* 20. Arriag. Bard. & Mend. *locis citat.* & alii.

87. Quoad secundam in titulo, propositam quæstiunculam, non defuerunt Authores, qui asserent, approbatum pro limitato tempore, v. g. pro uno anno, posse, illo transacto, eligi, per Bullam, & Jubileum. Ita à Cost. *q.* 39. *Vers. Quod si confessor*. Fr. Anton. à Spiritu S. *proxime cit. n.* 909. cum Dian. & Delbene, & alii. At Leand. *cit. q.* 71. cum Fay utitur distinctione: ait enim, si talis sacerdos solo ductu voluntatis ordinarii, & absque causâ fuit pro limitato tempore expositus, posse virtute Bullæ eligi; secus dicendum, si cum causâ ita fuit expositus. Et cum hâc distinctione eandem existimavit probabilem Ledesm. apud eundem Leand.

88. At hæc sententia, etiam cum eâ distinctione, post prædictam Constit. nec est probabilis, nec tuta, propter rationem sæpius repetitam; & sic etiam probari potest: Quia in concessione jurisdictionis, & approbationis ad tempus virtualiter, & implicitè includitur, finito eo tempore, revocatio illarum: sed positâ revocatione justâ, & rationabili approbationis, non potest amplius confessarius confessiones audire virtute Bullæ, aut jubilei, quia jam non est approbatus, ut dictum est, & statim dicemus: ergo etiam non potest, quando jurisdictio, & approbatio fuit concessa pro limitato tempore, illo transacto. Hanc sententiam communiter defendunt Authores: Bard. *part.* 2. *tractat.* 5. *cap.* 1. *num.* 87. Mend. *disput.* 22. *num.* 90. Tamb. *in Bull. cap.* 11. §. 1. *num.* 17. Soar. Lusit. *citat. num.* 302. Barbos. *in collect. ad Trid. sess.* 23. *de reform. cap.* 15. *num.* 42. Lezan. citat. cum Ludovic. à Cruce.

SECTIO IX.

An sacerdos approbatus, si ejus approbatio revocetur, sit per Bullam eligibilis?

89. HÆc quæstio procedit tantùm de sacerdotibus sæcularibus, de Regularibus *infra* redibit sermo. Et in primis suppono, non posse Episcopum sine causâ negare sacerdoti approbationem, ut tenet Arriag. *de pœnit. disp.* 42. *num.* 29. & alii; & si sine causâ ei negetur, posse ad Metropolitanum appellare; quia ut ait Sanch. *lib.* 3. *de matrim. disp.* 10. *n.* 20. & *seqq.* & *disp.* 28. *num.* 3. & 4. quando Episcopus negligit suum facere officium, jurisdictio ad Archiepiscopum devôlvitur. Ad resolutionem quæstionis.

90. Inquires primò: An approbatio semel data, possit sine causâ ab Episcopo revocari? Respondeo, cum distinctione: si approbatio data fuit ad beneplacitum, potest valide revocari; non tamen licitè. Prima pars probatur; quia approbatio concessa pro tempore determinato, illo transacto, cessat; sed approbatio concessa ad arbitrium approbantis, concessa fuit pro tempore determinando à beneplacito approbantis: ergo, cessante eo beneplacito, cessat approbatio: Secunda pars ostenditur,

quòd sine causâ non possit licitè revocari approbatio semel collata; quia approbatio, ut *supra* diximus, non potest sine causâ negari: ergo à fortiori non potest revocari sine causâ, postquàm fuit collata. Sic docent Soar. & Fagund. quos refert & sequitur Bard. *part. 2. tractat. 5. cap. 1. num. 101.* Card. de Lug. *de pœnit. disp. 21. num. 63. & 64.* Arriag. *proxime num. 30. Vers. dicendum secundò*, & cum pluribus Leand. *tom. 1. tractat. 5. disputat. 11. quæst. 87.* Soar. Lusitan. *de pœnit. tract. 6. n. 253. Vers. Nihilominus.*

91. Ex hâc sententiâ sequitur, sacerdotem semel approbatum ad beneplacitum Episcopi, si vel cum causâ, vel sine causâ revocetur approbatio, non posse post revocationem virtute Bullæ eligi ad confessiones: quia per Bullam conceditur, ut possit eligi approbatus; sed ille, cui prædicto modo fuit revocata approbatio, jam non est approbatus: ergo per Bullam non potest eligi. Sic Bard. *citatus.*

92. Inquires secundò: An approbatio concessa absque limitatione, & absolutè possit validè ab Episcopo revocari? Respondeo, posse cum causâ; quia potest dari mutatio in scientiâ, & moribus; & qui hodie est idoneus, potest postea, corruptis moribus; & oblivione doctrinæ fieri ineptus. At si sine causâ reprobetur, seu revocetur approbatio, ipsa revocatio erit nulla; & probatur *ex cap. accipimus, de etat. & qualit. ordin.* Ubi dicitur, quòd idonei ad ordines promoveantur; & post promotionem non posse contra eos excipi; nisi forte indignos se reddiderint. Ex quo textu colligunt DD. à pari, quòd, si aliquis ad confessiones fuerit approbatus ut idoneus, non possit reprobari, nisi postea se reddiderit inidoneum. Ratione etiam ostenditur: quia sacerdos per examen, quod subiit, fuit legitimè approbatus: ergo dum nulla datur mutatio in eo circa mores, & scientiam, semper retinet idem jus; & si ab illo auferatur, invalidè aufertur. Sic Ludovic. à Cruce *disp. 1. cap. 2. dub. 13.* Joann. à Cruce *in direct. conscient. part. 2. tractat. de pœnitent. quæst. 5. dub. 8. conclus. 4.* Nunùs *in addit. ad 3. part. quæst. 8. art. 5. dub. 9. Vers. docet tamen* & alii, quos refert, & sequitur Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 11. quæst. 86.*

93. Et juxta hanc sententiam, videbatur, dici posse, hunc sacerdotem posse per Bullam eligi; quia cùm per reprobationem sine causâ adhuc maneat approbatus, habet quod à Bulla requiritur, nempe: esse approbatum. At cùm id nunquam constare possit, nisi Episcopus manifestè declaret se illius sacerdotis approbationem absque causâ revocasse; dicendum est, non posse eum sacerdotem per Bullam eligi; quia præsumptio stat pro Prælato; qui potest habere causas, quas nec convenit, nec tenetur propalare: ut *infra* videbimus, ex Constit. Clementis X. Et ita docent Joann. à Cruce *supra conclus. 4. post dub. 4.* Mend. *disput. 22. num. 94.* à Const. *in Bull. quæst. 40.* malè citat. à Leand. pro suâ sententiâ; quia clarè asserit; si constiterit de malevolentiâ, & injustâ revocatione: nam in dubio standum est pro Prælato.

94. Dices pro oppositâ sententiâ, quam tenet Leand. *tom. 1. tractat. 5. disp. 11. quæst. 72.* & apud illum probabilem judicat Joann. à Cruce *proximè citat.* Primò: ille sacerdos jam fuit semel approbatus: ergo bene potest eligi per Bullam, etiamsi actu approbatus non sit; quia Bulla non requirit, ut actu sit approbatus. Confirmatur; quia illa revocatio approbationis, cùm sit ablatio juris acquisiti, non solùm fuit injusta, sed etiam nulla: ergo virtute Bullæ potest eligi: Respondeo, negando antecedens, quia non sufficit fuisse illum sacerdotem approbatum, sed requiritur, quòd actu talis sit; quod etiam Trident. requirit, ut vidimus *num. 88.* Ad confirmationem dico, revocationem approbationis nunquam posse constare fuisse nullam; ac proinde non potest eligi. Cæterum si approbatio sacerdotibus concessa fuit ad beneplacitum, validè revocari poterat: ut *supra vidimus num. 91.*

95. Dices secundò: Episcopi aliquando revocant edicto publico approbationes factas: & tamen semper dantur sacerdotes approbati idonei: ergo cum hæ sine causâ aliquibus revocentur, adhuc per Bullam eligi poterunt. Respondet Bard. *num. 105.* hanc revocationem aliquando esse quoad jurisdictionem, & non quoad approbationem. Hoc tamen non existimo verum; nisi id Episcopus exprimat; quia cùm jurisdictio, ex praxi Episcoporum, semper sit cum approbatione annexa, quando revocant licentias concessas ad audiendas confessiones, revocant simul cum jurisdictione approbationem.

96. Ad argumentum ergo respondetur, Episcopos semper ad eam revocationem in generali habere justam causam; quia de multò pluribus cognoscunt, indigere illâ revocatione; vel propter scientiæ defectum, vel morum corruptionem; & facilè aquiescunt illis, de quibus hæc querela ad illorum aures non pervenit; dum coram illis præsentantur. Vel dicamus cum Bard. justam causam fundari in bonâ aliquorum, falsâ tamen existimatione; & ne infamentur, omnibus audiendi confessiones licentia revocatur.

SECTIO X.

An sacerdos manifestè idoneus, si injustè ab Episcopo non approbetur, sit per Bullam eligibilis?

97. UT hæc quæstio resolvatur, tractanda est alia, nempe: An maneat approbatus sacerdos ille, cui Episcopus injustè ex odio, vel malevolentiâ approbationem negat? Respondeo, aliquos, quos, suppresso nomine refert Fagund. *in 2. Eccles. præcept. lib. 7. cap. 2. num. 59.* existimare, manere approbatum; & probabile dicit Bossius *de jubil. sect. 3. cas. 2. num. 31.* & probari potest; quia sententia injusta non aufert jus, quod unusquisque habet ad rem suam. Sed sacerdos habet jus, ut approbetur: ergo in foro conscientiæ manet approbatus. Confirmatur ex jure, quia quando ad aliquod agendum requiritur alicujus consensus, qui illum tenetur exhibere; si injustè illum nolit exhibere, habetur pro exhibito, *cap. licèt, de Re-*

Regular. ubi negatâ licentiâ à Prælato, ut subditus transeat ad perfectiorem Religionem, licentia habetur pro concessa: ergo etiam negatâ approbatione injustè, habetur pro concessa.

98. Dicendum tamen est ut certum, non manere approbatum; quia juxta Trident. *sess.* 23. *de reform. cap.* 15. nemo manet approbatus, nisi ab Episcopo approbationem obtineat: ergo cùm dictio *nisi* importet actu approbationem, si hæc non obtineatur, non manet approbatus. Ita docent Fagund. & Bossius *locis citat.* Cardin. de Lug. *de pœnitent. disput.* 21. *num.* 50. Bard. *part.* 2. *tractat.* 5. *cap.* 1. *num.* 107. Mend. *in addit. ad Bull. disputat.* 2. *num.* 111. Granad. Floron. Ægid. Filliuc. Barbos. Tamborin. Valer. Torreblanc. Thom. Hurt. Quintanad. quos adducit, & sequitur Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *diff.* 11. *q.* 82. & Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 6. *num.* 224. Arriag. *de pœnit. disp.* 42. *num.* 28.

99. Nec ratio opposita id suadet; quia licèt sententia injusta non auferat jus, quod quis habet ad rem suam; ut in approbationis negatione haberet paritatem, necesse erat, quòd sacerdos antea haberet approbationem, quæ per sententiam injustam illi auferretur; at sacerdos nullam approbationem habuit, quam per ipsam negationem approbationis perderet. Ad confirmationem deductam ex textu *in cap. licet* ubi licentia negata habetur pro concessa, respondetur, eam dispositionem non habere locum in aliis injustè negatis; nam si confessarius, auditis alicujus peccatis, in ordine ad absolutionem, (quanvis jus acquisierit pœnitens ad absolutionem) injustè, & malitiosè nolit absolvere, pœnitens non manet absolutus; & sic in aliis: ergo etiam quanvis sacerdos jus habeat ad approbationem, si tamen ei approbatio injustè, & malitiosè ab Episcopo negetur, non manet approbatus.

100. Ex hâc verâ resolutione sequitur, quid sit respondendum ad titulum propositum: & dicendum est, non posse eum sacerdotem, cui injustè negata est approbatio, eligi per Bullam: quia ut sæpius est dictum, non potest eligi, nisi ab Episcopo approbatus: sed hic sacerdos non est approbatus: ergo per Bullam non potest eligi. Ita Bard. *supra n.* 107.

SECTIO XI.

An sacerdos approbatus ab Episcopo interius judicante, eum esse inidoneum, sit per Bullam eligibilis?

101. HÆc quæstio est magis controversa; quia pro parte negativâ videtur stare Trid. dum requirit duo in eo, qui auditurus est confessiones, & non est Parochus, nempe: ut judicetur interius ab Episcopo idoneus, & ab illo approbationem obtineat, ibi: *aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat*; cùm verò hæc duo videantur requiri, si unum detur sine alio, nempe approbatio absque judicio, de internâ idoneitate, non poterit sacerdos confessiones audire. Et ulterius ostenditur quia si sacerdos ab Episcopo judicetur idoneus, & ab illo approbationem non obtineat; non potest validè confessiones excipere: ut vidimus *sect. precedente*: Ergo etiam, si approbationem obtineat, & non judicetur idoneus, validè confessiones non excipiet.

102. Quare Bonac. *disputat.* 5. *de sacram. q.* 7. *punct.* 4. §. 1. *num.* 29. existimat, hunc sacerdotem invalidè absolvere; quam opinionem Soar. non improbat, licèt oppositam tueatur *tom.* 4. *in* 3. *part. disputat.* 28. *sect.* 5. *num.* 7. Attamen illam etiam defendunt Bossius *de jubil. sect.* 3. *cas.* 2. §. 1. *num.* 3. Barbos. *de potest. Episcop. part.* 2. *alleg.* 25. *num.* 19. & *in collect. ad Trident. sess.* 23. *de reform. cap.* 15. *num.* 35. ubi etiam pro hâc sententiâ citat Soar. *loco proximè citato* sed non rectè; quia Soar. illam non sequitur. Citat etiam pro eâdem Reginald. *lib.* 1. *num.* 197. sed nec bene citat Reginald. quia eo loco tantùm refert, quod sentit Soar.; potest tamen pro illâ citari Andr. Mend. *disputat.* 22. *num.* 105. (adverte quòd hic num. repetitur in eâdem disput.) dum ait, si manifestè sit inidoneus, & de ejus constet ineptitudine; & citat Trullench. *lib.* 1. §. 7. *cap.* 1. *dub.* 3. *num.* 8. & Ledesm. *de pœnit. cap.* 13. *conclus.* 1. *dub.* 15. Hæc sententia est probabilis.

103. Sed probabilior est opposita; quam defendunt Soar. & Reginald. *locis citatis*, licèt contrariam nec rejiciant, nec improbent; Sanch. *lib.* 3. *de matrimon. disput.* 22. *num.* 64. Basil. Legion. *lib.* 5. *de matrimon. cap.* 19. *num.* 14. qui asserunt, valere confessionem factam sacerdoti, cui Episcopus fictè licentiam concessit audiendi confessiones; & etiam in casu, quo Episcopus videat sacerdotem non approbatum, audire confessiones, & tacens, nec eum approbat, nec dat licentiam. Tenet eandem sententiam Cardin. de Lug. *de pœnit. disp.* 21. *num.* 25. Bard. 2. *part. tractat.* 5. *cap.* 1. *à num.* 113. Mend. *disp.* 22. *num.* 12. & 13. Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 11. *q.* 74. Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 6. *n.* 203. Arriag. *de pœnit. disp.* 42. *n.* 11. Et ostenditur ratione mox adducendâ *num. sequenti.*

104. Ad fundamentum contrariæ sententiæ respondent hi Authores, cum Soar. licèt talis licentia, & approbatio sit illicita, & injusta, non esse tamen nullam: quia illud judicium, quod Concil. Tridentin. requirit in approbando de idoneitate, non intelligi debet de interno, sed de externo; quod in ipsâ externâ approbatione includitur: aliàs enim occasio daretur innumeris scrupulis; an. sacerdos fuerit, aut non fuerit interius ab Episcopo judicatus idoneus.

105. Cum verò hæc sententia sit probabilior, & communior; dicendum est, bene posse dictum sacerdotem ab Episcopo approbatum, quanvis ab ipso Episcopo judicatum inidoneum, eligi virtute Bullæ; quia est approbatus; quod ad electionem per Bullam requiritur. Ita Bard. & Mend. *locis citatis.* Quanvis Mend. *loco supra citato* dicat, non posse eligi, etiamsi sit approbatus; si manifestè sit inidoneus; quia se habet, ac si in amentiam incidisset; secus tamen esset dicendum, si de idoneitate dubitetur; quia tunc potest per Bullam eligi; quia præsumptio stat pro Episcopo, qui illum approbavit, & pro illius fama. Et hæc mihi videntur certa.

SECTIO XII.

An approbatus ab Episcopo per ratihabitionem fit virtute Bullæ eligibilis?

106. IN hâc quæstione supponendum est, non sufficere approbationem, & jurisdictionem per ratihabitionem de futuro; ut quis validè possit absolvere; quia approbatio, vel jurisdictio per ratihabitionem de futuro est, quæ non datur, quando confessio auditur, sed dabitur postea, quando Episcopus postea illam ratam habebit. Et non sufficere hanc ratihabitionem de futuro ad validitatem absolutionis, ostenditur; quia ratihabitio approbationis, vel jurisdictionis de futuro, non est de præsenti, sed erit de futuro; sed valor sacramenti non potest dependere à consensu alterius de futuro; quia potest non habere ratum, quod factum est de præterito; nec etiam potest manere suspensus: quia à præsenti, & actuali approbatione dependet: ut vult Trident. *sess.* 23. *de reform. cap.* 25. Ergo nisi detur actu approbatio, & jurisdictio, non erit valida absolutio, per ratihabitionem de futuro. Sic docent, ut certum, Doctores: cum pluribus Sanch. *lib.* 3. *de matrim. disp.* 35. *num.* 17. Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 26. *sect.* 1. *num.* 14. Bard. *part.* 2. *tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 117. Henriq. Navarr. Ægid. Basil. Dian. Coriolan. Hurt. Laym. quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 11. *q.* 97. Contra Raymund. Hostiens. Henricum Jacob. de Cochis, apud Sanch. *cit. num.* 15. & alios, qui hanc probabilem dicunt sententiam apud Leand. *loco cit.*

107. Quæstio igitur procedit de ratihabitione de præsenti, quæ consistit in approbatione tacitâ ab Episcopo, qui videns sacerdotem non approbatum confessiones audientem, ei non contradicit, cum facilè possit. Et in hoc sensu nullam dari ratihabitionem de præsenti, ad approbationem sufficientem, existimat Soar. *cit. dict. disp.* 26. *sect.* 1. *num.* 16. & denique hanc sententiam tenet *num.* 17. ubi asserit, nullam dari ratihabitionem actu de præsenti, nisi signo aliquo externo manifestetur. Quod etiam docet *lib.* 1. *de leg. cap.* 13. *num.* 18. & 22. Menoch. *lib.* 2. *de præsumpt.* 20. *num.* 32. & 33. Sayr. *de cens. lib.* 7. *cap.* 14. *num.* 16. & alii, quos citat Meroll. *disp.* 4. *de legib. cap.* 6. *dub.* 6. *num.* 167. Et hanc sententiam tenent etiam Laym. *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 10. *n.* 16. Ludovic. à Cruce *in Bull. disp.* 1. *cap.* 2. *dub.* 20. *num.* 24. Pharaonius *de pœnit. tract.* 1. *sect.* 17. *cas.* 21. Quintanad. *de jubil. duplicis* Hebdomad. *cap.* 21. *n.* 11. Tabien. Nunûs, Gabr. & alii, apud Leand. *cit. q.* 94. & Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 6. *num.* 82. cum pluribus.

108. Hæc sententia probari potest: quia approbatio, ut jurisdictio non censetur concessa, nisi aliquo signo externo manifestetur; sed in prædicto consensu tacito, nulla externa datur manifestatio approbationis: ergo non potest talis sacerdos ex eo tacito consensu confessiones audire.

109. Affirmant tamen plures, & graves Doctores: ut Sylvest. *Verb. confess.* 1. *q.* 6. Ledesm. Navarr. Nunûs, Sot. Henriq. Becan. Villal. Homobon. Card. Tolet. Adrian. Barbos. Floron. Basil. Hurt. quos adducunt, & sequuntur Sanch. *lib.* 3. *de matrim. disp.* 35. *num.* 20. & 21. Dian. 3. *part. tract.* 4. *resol.* 68. Fagund. *in* 2. *Eccles. præcept. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 71. Vazq. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 93. *act.* 2. *dub.* 2. Joann. Sanch. *in select. disp.* 44. *num.* 3. Boss. de Jubil. *sect.* 3. *cas.* 2. §. 4. *num.* 135. Bard. 2. *part. tractat.* 5. *cap.* 1. *num.* 120. Mend. *disput.* 22. *num.* 115. Leand. *dict. quæst.* 94.

110. Probatur; quia si Episcopus videt sacerdotem non approbatum confessionem excipientem, & ei non contradicit, cum possit; eâ taciturnitate illum approbat, & concedit jurisdictionem ad eam audiendam confessionem, & alias; si alii sint præsentes, ut ei consiteantur; nam qui tacet in eis, quæ ad illum pertinent, & in quibus tenetur contradicere, consentire videtur, vixta regul. *qui tacet.* 43. *de reg. jur. in* 6.

111. Hæc sententia, si debito modo explicetur, est probabilior: absolutè tamen prolata poterit esse occasio infinitorum scrupulorum; & tunc probabilior videtur contraria; quia approbatio ad audiendas confessiones à Conc. Trident. requisita *dictâ sess.* 23. *de reform. cap.* 15. est vel per examen, vel per idoneitatem, aliâs ab Episcopo judicatam: Sed qui se exponit ad audiendas confessiones, vidente, & tacente Episcopo; nec per examen fuit approbatus, nec aliàs ab eo fuit judicatus idoneus: ergo per eam tantùm Episcopi taciturnitatem non videtur sufficienter approbatus ad eas audiendas confessiones; quia, *ut supra* vidimus cùm Soar. Card. de Lug. & aliis, non obstat approbationis judicium Episcopi internum de idoneitate: ergo etiam non proderit, nec sufficiet judicium internum de idoneitate non manifestatum externè in aliquâ approbatione.

112. Quare existimo, ut hæc ultima, & affirmativa sententia probabilior evadat, debere occurrere hanc circunstantiam. Quòd Episcopus duo advertat, primum: plures adesse confessiones audiendas; secundum, adesse sacerdotem non approbatum, qui ipsi Episcopo ait, se ire confessiones audire. Et si Episcopus taceat, non ex metu, timens aliquod sibi, vel aliis damnum futurum, si contradicat; sed taceat ex animo sibi grato, quòd sacerdos ille confessiones in eo confessariorum defectu velit audire; tunc vera datur ratihabitio approbationis, & jurisdictionis de præsenti sufficiens ad validitatem sacramenti. In hoc casu per taciturnitatem approbat factum; quod si nollet; illud impediret; & cùm non impediat, approbationem, & jurisdictionem concedit pro illâ tantùm vice; quæ approbatio, & jurisdictio dicitur tantùm secundùm quid: ut cum Fagund. ait Bard. *citat. num.* 125. & cum Bonac. & Card. Tolet. Mend. *n.* 116.

113. Extra hunc casum, cùm moraliter non possit intelligi consensus, aut dissensus Episcopi, nec si ille meminit de approbatione, vel de non approbatione concessâ, judico præter consensum internum Episcopi requiri signum aliquod externum, per quod ille manifestetur: ut sententia *n.* 107. apposita intendebat.

114. Ex his collige; in dictâ ratihabitione de præsenti per Bullam posse eligi talem confessorem; ut pœnitentem juxta Bullam à reservatis absolvat, vota commutet &c. In aliis vero dubiis ratihabitionis de præsenti non licere; quia cum juris-

jurisdictione, vel approbatione dubiâ non potest quis confessiones audire.

115. Ex dictis sequitur primò, confessarium, qui sine ratihabitione de præsenti modo explicato incepit audire confessionem, peccasse graviter; quia non erat approbatus; & cùm ea peccata non fuissent legitimo confessario manifesta; & post veram de præsenti ratihabitionem, iterum debent manifestari, si erant mortalia, dicendo breviter: iterum confiteor ea peccata, quæ ante approbationem confessus sum. Ità cum Ægid. Coninch. Bard. *n.* 126. & cum Boss. Card. Tolet. Sanch. Bonac. Mend. Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 11. *quæst.* 96.

116. Sequitur secundò, confessarium, qui cum tacitâ approbatione incipit audire confessiones, teneri id aperire pœnitentibus, antequam confessiones incipiant; quia cùm dentur diversæ opiniones circa approbationem, & jurisdictionem; poterunt pœnitentes illi nolle confiteri; quia non habent moralem certitudinem de suâ jurisdictione, seu approbatione; sicut nec ipse confessarius. Sic Bard. *n.* 128.

SECTIO XIII.

A quo Prælato facienda sit præsentatio, ut ab Episcopo approbetur Regularis.

117. HActenus vidimus, quæ ad Parochos, & sacerdotes sæculares requirebantur, ut virtute Bullæ possint eligi; restat dicendum de Regularibus, in quibus non pauca occurrunt dicenda, circa eorum approbationes, maximè post Const. Clementis X. *supra*, & sæpius in his approbationibus citatam. Et incipio à quæstione in titulo propositâ, non ex eo, quòd ab authoribus modernioribus de eâ soleat tractari; sed quia de eâ fui interrogatus, incidente ad eam occasione opportunâ. Ut tamen plenius explicetur, altius petam principium.

118. Supponendo, Bonifacium VIII. *in extrav. super cathedram, de sepult.*, concessisse Regularibus facultatem audiendi confessiones omnium subditorum Episcopi: eâ tamen conditione, ut Magistri, Priores, Provinciales, seu Generales tenerentur prius facultatem petere ab Episcopo ad eligendos confessores; deinde electos præsentare ipsi Episcopo; ut eos admitteret; quod si id facere nollet, illa præsentatio sufficiebat; & Pontifex ex tunc illos admittebat. Deinde Benedictus XI. *in Extrav. inter cunctas, de privileg.* Confirmavit ea privilegia, & abstulit necessitatem illius solemnitatis, seu præsentationis, sed solùm voluit, ut dicti superiores verbo, vel scripto significarent Episcopis, se designasse Religiosos aliquos ad confessiones audiendas, non explicando eorum numerum, neque nomina, nec expectato consensu Episcoporum. Denique Clemens V. cum Concil. Viennensi *in Clem. Dudum, de sepult.* revocavit hanc Extravag. Benedicti XI. & reduxit rem ad statum, in quo per Bonifacium erat constituta; & in eo duravit usque ad Concil. Tridentinum. Hoc supposito.

119. Quæres primò: An dicta *Clem. Dudum* sit revocata per Conc. Trident. *sess.* 23. *de reform. cap.* 15. Et prius advertendum, duo fuisse à Bonifacio requisita: primum est petitio licentiæ ab Episcopo, ad eligendos confessores. Secundum, præsentatio eorum eidem Episcopo; quæ in rigore significat personalem præsentiam. His animadversis. Respondeo, Sylvest. *Verb. confess.* 2. *quæst.* 1. asserere, primum requisitum non fuisse necessariò requisitum, sed tantùm ex urbanitate: secundum verò esse simpliciter necessarium. Et si ab eo inquiratur, à quo Prælato Regulari facienda est hæc præsentatio? Respondet *q.* 3. quòd est usitatum, fieri per Priores, vel Guardianos, vel per se ipsos, vel per alios: in ordine tamen Prædicatorum hanc præsentationem fieri per Priores Conventuales ex facultate, quam habent à Provincialibus; & sic fieri secundum formam dictæ Clem. quando aliam solemnitatem non requirunt Prælati. Et addit, non esse necessariam præsentiam personalem, nisi id exigant Prælati.

120. Alii verò, ut Rodrig. *in addit. ad* §. 9. *Bullæ num.* 11. & *tom.* 1. *qq. regul. quæst.* 59. *art.* 2. Fr. Ludovic. de Mirand. *quæst.* 45. *art.* 6. Hieron. Rodrig. *resol.* 32. *num.* 3. Barbos. de potest. Episcop. *alleg.* 25. *num.* 47. *in fine* Navarr. *in sum. cap.* 27. *à num.* 262. omnes apud ipsum Barbos. *in Collect. ad Trident. sess.* 23. *de reform. cap.* 25. *num.* 7. asserunt, quoad formam præsentandi Prædicatores, & Minores confessarios, seu sacerdotes ad confessiones excipiendas, non esse revocatam per ipsum Trid. Clem. Dudum. §. statuimus, de sepultur. Et illos etiam citat. Peyrin. *tom.* 1. *quæst.* 1. *cap.* 21. §. 2. *Vers. circa autem*, & majori cum amplitudine; nempe: si ab Episcopo sine causâ sint rejecti, manere approbatos à Papa de plenitudine potestatis; & citat etiam Navarr. cum aliis *supra* pro eodem.

121. Addit Rodrig. *cit. in dicto* §. 9. *addit. ad Bull. num.* 11. Si Regularis approbatus sit ab Ordinario sine superioris licentiâ, non servatâ formâ *dict. Clem. Dudum*, non gaudere in confessionibus sæcularium audiendis privilegiis Apostolicis Religioni concessis. Quare non poterit absolvere à reservatis, commutare vota, sicut alii Religiosi; quia non per appræsentationem suorum superiorum fuit ab Episcopo approbatus: existimat enim approbationem sine præsentatione fuisse validam; quia *Clem. Dudum* non continet decretum irritans. Idem videtur sentire Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 6. *num.* 211.

122. Dicendum tamen est, Clem. Dudum etiam, quoad illam præsentandi solemnitatem esse per Concil. Trident. *sess.* 23. *de reform. cap.* 15. revocatam. Sic Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disput.* 28. *sect.* 5. *num.* 15. Reginald. *in praxi l.* 1. *num.* 19. Tamborinus *de jure Abbat. tom.* 2. *disp.* 6. *q.* 12. *num.* 4. Joann. Sanch. *in select. disp.* 48. *num.* 16. Et probatur; quia si Trident. non revocavit ea omnia privilegia, quæ *in dict. Clem. Dudum*, superioribus concedebantur; sequuntur multa, quæ sunt absurdissima: ut ait Soar. *num.* 14. *in fine:* Cùm ergo unum ex privilegiis esset, quòd ipsi repræsentarent suos sacerdotes subditos Episcopo, ad excipiendas confessiones; etiam hoc præsentandi privilegium revocavit. Antecedens probatur; quia in eâ Clem. decernitur forma, quâ Regulares debebant manere idonei, ut confessiones audirent, nempe: petitio licentiæ ab Episcopo ad eligendos confessores, & præsentatio eorum ipsi Episcopo; Et si Episcopus illi,

Religiosis sic electis, & præsentatis licentiam audiendi confessiones exhibere recusasset; S. Pontifex eam licentiam concedebat: cùm verò Conc. Trident. aliam formam *loco citato* statuerit ad idoneos eligendos ad confessiones audiendas, dicendum est per illud revocatam esse formam dictæ Clement.; ac proinde ex illâ non potest argui, requiri præsentationem; & ex Tridentino constat, nullam in Regularibus requiri præsentationem, ut probat Tambor. *supra*. Vide *infra à num.* 141. hanc Clement. per aliam Clementinam esse revocatam.

123. Dices: forma illa præsentandi subditum à superiore Episcopo, non obstat Trident. quia Trident. solùm revocavit privilegia, & consuetudines, quæ obstabant ipsi Trident. decreto, ibi: *Privilegus, & consuetudine quacumque non obstantibus*: ergo illam non revocavit. Antecedens probatur; quia cum illa forma præsentandi subditum stat, quòd possit reputari idoneus per examen, vel alias ab Episcopo idoneus judicari. Respondeo, formam præsentandi requisitam in Clement. obstare; quia est valdè diversa ab eâ, quæ à Tridentino nunc postulatur; nam illa forma præsentandi a Clement. jam supponebat Religiosum idoneum fuisse inventum; at forma præsentandi, de quâ agit Trident., est in ordine ad testimonium idoneitatis obtinendum ab Episcopo, quod est quid valdè diversum. Hac suppositâ sententia.

124. Quæres secundò: An Regulares mortaliter peccent, exponendo se Episcopo ad audiendas confessiones sine præsentatione sui superioris? Respondeo, affirmativam sententiam docere Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 2. *num.* 13. Sot. Tambor. Henriq. quos refert, & sequitur Bossius *de jubil. sect.* 3. *cas.* 2. §. 5. *num.* 178. Angles, Graff. apud citandos; idem videtur sentire Fagund. *in* 2. *Eccles. præcept. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 32. dum asserit, peccare, & debere graviter à suo superiore puniri. Probant; quia in materiâ gravi eunt contra consensum sui superioris, cui ex voto debent obedire. Et idem sustinent omnes, qui docent, Episcopum non posse approbare Regulares, nisi à suis superioribus exponantur saltem interpretativè; quia eos approbando, præjudicatur superiori à quo pendet subditorum voluntas, ex voto obedientiæ. Sic Henriq. *lib.* 6. *de pœnit. l.* 3. *cap.* 6. *num.* 6. Fagund. *in* 2. *Eccles. præcept. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 33. Barbos. *in collect. ad Trident. sess.* 23. *de reform. cap.* 15. *num.* 7. & *de potest. Episcop. part.* 2. *alleg.* 25. *n.* 45. Portel. *in dub. Regular. verb. confessor. quoad approbationem*, Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 7. *cap.* 1. *dub.* 5. *n.* 4.

125. Sed probabilior est sententia negativa asserens, non peccare mortaliter, nisi constitutiones Religionis ad mortale obligent, vel detur prohibitio superioris obligantis in virtute S. obedientiæ, vel sub pœnâ excommunicationis, suspensionis &c. Et hujus ratio est; quia in materiâ obedientiæ, præcisè sumptæ, si non datur præceptum in virtute S. obedientiæ, aut sub censurâ, aut statutum obligans sub mortali, non datur in transgressione peccatum mortale: nam gravitas materiæ in hoc voto non desumitur ex gravitate rei, quæ imperatur, sicut in aliis votis; sed ex qualitate præcepti, aut prohibitionis; cùm verò hæc non detur in eâ simplici prohibitione, seu mandato; peccatum mortale non committitur. Ita docent cum Molfes. Megal. Dian. 1. *part. tract.* 11. *resol.* 13. cum Navarr. & Can. Joann. Sanch. *disp.* 48. Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 11. *quæst.* 76. Bard. 2. *part. tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 46. Mend. *disp.* 22. *à num.* 107. & idem videtur sentire Tamborin. *de jure Abbat. tom.* 2. *disp.* 6. *q.* 12. *num.* 4. dum asserit in Regularibus non requiri præsentationem, sicut non requiritur à Tridentino in sæcularibus sacerdotibus. Et ex hoc patet solutio ad fundamentum contrarium.

126. Quæres tertiò: An Regulares validè possint excipere confessiones sæcularium virtute Bullæ per solam approbationem Episcopi, si à suis superioribus Episcopò non præsententur? Respondeo, sententiam negantem tenere Angel. & aliquos Neotericos apud Dian. 1. *part. tract.* 11. *resol.* 12. Navarr. Sylvest. Lop. Conrad. Henriq. Fagund. & alios quos refert, & sequitur Bossius de Jubil. *sect.* 3. *cas.* 2. §. 5. *n.* 192. Accedit Bordon. *tom.* 1. *resol.* 36. *n.* 42. & Soar. Lusit. *supra n.* 217. Idem tenet Stratius *in instructione pro Carmelitis cap.* 6. *num.* 3. existimans præsentationem, & approbationem esse necessariam ut Regularis per Bullam sit eligibilis; ut videre est apud Lezan. *tom.* 3. *Verb. Bull. Cruciatæ n.* 20. & alii, quos citant.

127. Alii utuntur distinctione; & dicunt, non posse validè Regulares eâ approbatione absolvere ab illis casibus, à quibus absolvere poterant virtute suorum privilegiorum, quanvis possint ab aliis. Sic Laym. *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 10. *n.* 19. Lezan. *in sum. qq. Reg. cap.* 19. *num.* 12. Trullench. Graff. Mirand. & alii, quos refert Leand. *supra q.* 75. Accedit Mend. *disp.* 22. *num.* 104. & 105. & Rodrig. *in Bull.* §. 9. *dub.* 7. *num.* 10. & *in quæstionib. Regul. tom.* 1. *quæst.* 60. *art.* 3. asserens, has confessiones esse nullas; si fiant Prædicatoribus, ex quâdam Constit. Julii III. receptâ à Capitulo Generali Salmantino, in quo annullantur ipsæ confessiones. Et addit, annullari etiam posse ab aliis Religionibus, quæ in privilegiis communicant cum fratribus Prædicatoribus, cui subscribit Lezan. *proximè*.

128. Sententia tamen affirmativa est probabilior, si in eorum religione recepta non sit Constit. Julii III. facta ad instantiam Generalis Ordinis Prædicatorum, in quâ ejusmodi confessiones declarantur irritæ: ut videre est apud Mirand. *tom.* 1. *quæst.* 45. *art.* 12. Et ita docent ipse Mirand. *cit.* Zerol. Homobon. Bariola apud Bordon. ubi *supra num.* 42. Trullench. *lib.* 1. §. 7. *cap.* 1. *dub.* 5. *n.* 4. Leand. cum pluribus *loco citato*. Bard. *part.* 2. *tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 47. & pènes ipsum Nunùs, Ludovic. & Joann. à Cruce, Villal. & Joann. Sanch. & alii, quos refert, & sequitur Dian. *part.* 1. *tr.* 11. *resol.* 13. & 14. Accedunt Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 13. & Lezan. *supra*. Probatur; quia talis Religiosus habet omnia requisita: habet enim potestatem ordinis, & jurisdictionis: jurisdictio autem vel ab Episcopo conceditur ad audiendas confessiones suarum ovium, vel si tantùm eum approbet, per Bullam illi conceditur jurisdictio.

129. Quæres quartò: An Constit. Julii III. sit recepta in Religionibus? Respondet Castr. Pal. *tom.* 4. *tract.* 23. *disp. unic. punct.* 14. *num.* 24. non constare in aliis Religionibus esse receptam; nec virtute illius esse nullas confessiones, sinè superiorum licentiâ factas; & dum non constat de annullatione, dicendum est, validas fore; ut docuerunt Rodrig. Mirand. Laym. sic Palao, & Pel-

Pellizar. *citat. num.* 15. asserit, sibi videri in societate JESU non esse dictam Constitutionem acceptatam.

130. Quæres quintò: A quo superiore facienda est præsentatio subditi, ut Episcopus eum approbet? Respondeo, præscindendo à regulâ, seu statuto alicujus Religionis, esse faciendam à superiore locali, nempe à Priore, Rectore, aut Præposito alicujus conventus, collegii, aut domus Religiosæ. Ratio est, quia ut *supra* vidimus *n.* 122. appræsentatio *Clem. Dudum.* §. *statuimus* est revocata à Concil. Trident. & Doctores asserunt, præsentationem faciendam esse à Prælatis suis, ut Fagund. *in* 2. *Eccles. præcept. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 33. Henriq. *lib.* 5. *de pœnit. cap.* 6. *num.* 6. Portel. *in dub. Regul. Verb. confessor, quoad appræsentationem.* Barbos. *in collect. ad Concil. Trident. sess.* 23. *de reform. cap.* 15. *num.* 7. *& de potest. Episcop. part.* 2. *alleg.* 25. *num.* 45. Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 7. *cap.* 1. *dub.* 5. *num.* 4. & alii communiter. Accedunt Const. Synodal. hujus Diœcesis Ulyssiponensis *lib.* 1. *tit.* 10. §. 2. ibi: *E assim se poderam tambem confessar, sem pedirem a dita licença, aos Religiosos das Religioens Mendicantes, e a outros, sendo confessores approvados por nos, e expostos, e a prezentados por seus Prelados a nos, ou ao nosso Provizor &c.* sed dictiones *à Prælatis suis* intelliguntur de Prælatis immediatis, quales sunt Priores, Guardiani, Rectores, Præpositi &c. ex textu *in cap.* 2. *ne clerici, vel Monach. in* 6. & cum aliis juribus, & Doctoribus, Barbos. *de appellat. verbor. appell.* 215. *num.* 4. ergo sufficit, quòd appræsentatio fiat à Prælatis, seu superioribus immediatis, scilicet à Prioribus, Rectoribus &c.

131. Dixi, *præscindendo à regulâ, seu statuto alicujus Religionis*: nam in tertio Ordine S. Francisci hæc expositio, seu præsentatio spectat ad superiores majores ex *cap.* 22. *regulæ*, nempe, ad Ministrum Generalem, aut ejus Commissarium, vel ad Provincialem. Sic Bordon. *tom.* 1. *resol.* 36. *num.* 89. ubi addit, hos superiores non debere licentiare subditos sinè conscientiâ superioris localis, qui aliis melius scit, quinam sint apti ad confessiones excipiendas.

132. Et quanvis *Clement. Dudum* non sit revocata; quoad præsentationem Episcopo faciendam per Generales, Provinciales, aut eorum Vicarios, & Custodes in ordine Prædicatorum, & Minorum; ut volunt aliqui Authores, quos *supra* attulimus; asserit tamen Bordon. *proximè num.* 90. nunc nihil utilitatis conferre. Et Sylvest. quem *supra* adduximus, asserens, non esse revocatam dictam *Clement.* quoad expositionem, & præsentationem faciendam à superioribus, ait, *Verb. Confess.* 2. *quæst.* 3. *Esse usitatum, quod fiat per Priores, & Guardianos per se ipsos, vel per alios; & in ordine Prædicatorum, hanc præsentationem fieri per Priores conventuales ex facultate, quam habent à Provincialibus; & sic fieri juxta formam dictæ Clementinæ.*

133. In nostrâ Societate JESU, ex Bull. Gregorii XIII. quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem, fol. mihi* 146. sufficit, quòd Episcopo præsententur subditi à suis superioribus, ut eos approbent, ibi: *Omnibus, & singulis ipsius Societatis Prædicatoribus, & confessariis ab aliquo Ordinario semel approbatis, & a suis superioribus ad ejusmodi munera deputatis &c.* Cùm verò, ut *supra* ostendimus, appellatione *superiorum* veniant etiam superiores locales; si ab his tantùm Ordinariis præsententur; acquiescere debent Domini Episcopi; quia sic disponit Gregorius XIII. & ab omnibus Provinciarum superioribus localibus observatur, vel quia id habent à S. Pontifice, vel quia à Generali, & Provincialibus eam jam habent commissionem; & sic etiam in casu, quòd dicta *Clem. Dudum* non sit à Concil. Trident. revocata, quoad præsentationem, & expositionem subditorum: quia sic etiam operantur juxta formam dictæ Clementinæ: ut cum Sylvest. ostensum fuit. Nec adest aliud jus, aut Author, quem sciam, qui hoc reprobet, vel aliam majorem solemnitatem præsentationis requirat. Hoc ipsum confirmatur hoc exemplo: Requirebatur ad approbationem Religiosorum S. Hieronymi in hoc Regno degentium, quod præsentatio fieri debebat à suo Vicario Generali, qui loco Provincialis illos gubernat: Restiterunt dicendo: quòd à Prioribus, & superioribus localibus hæc præsentatio fieri solebat; & tandem pro illis fuit judicatum. Sic accepi à personis fide dignis.

SECTIO IV.

An Regulares à suo Prælato præsentati Episcopo, & ab illo injustè repulsi, maneant ipso jure approbati; ita ut possint confessiones audire?

134. HÆc quæstio celebris erat ante Const. Clementis X. & damnationem propositionis 13. factam ab Alexandro VII. inter Authores tum antiquos, tum recentiores, & in duas dividebantur opiniones. Primam & affirmativam defendebant ante Const. Clementis X. & propositionem damnatam, Navarr. *in sum. cap.* 27. *num.* 264. Rodrig. *tom.* 1. *qq. Regul. quæst.* 59. *art.* 2. cum suo compendio *resol.* 32. *num.* 3. Portel. *verb. confessor. num.* 3. Cochier. Laym. Finell. Villal. Peyrin. Mirand. Henriq. Joann. de la Crus, Sot. Graff. Angel. Vega. Cened. quos refert, & videtur sequi Dian. 3. *part. tract.* 2. *resol.* 24. citant etiam eosdem, & sequuntur Fagund. *in* 2. *Eccles. præcept. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 15. Bauny *de pœnit. quæst.* 11. Et alios quamplures adducit, & sequitur Boss. *de Jubil. sect.* 3. *cas.* 2. *n.* 17. & alios Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 11. *q.* 83. ubi hanc sententiam æquè probabilem vocat, ac oppositam; eandem tenent Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 23. *d. sp. unic. punct.* 19. §. 3. *num.* 9. Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 6. *num.* 227. & illustriss. Fr. Anton. à Spiritu S. Episcopus Angol. *in direct. confess. tract.* 5. *n.* 870. cum pluribus.

135. Moventur hi Authores ad asserendum manere approbatos Religiosos idoneos Episcopo præsentatos, & ab eo injustè repulsos, ex *Extravag. super cathedram, & Clement. Dudum de sepult.* ubi *in* §. *statuimus* hæc apponuntur verba: *Si verò eidem Prælati* (intellige Episcopos) *præfatis fratribus ad confessiones (ut præmittitur) audiendas electis hujusmodi exhibere licentiam recusaverint: nos ex nunc ipsis, ut confessiones sib. confiteri volentium liberè, licitèque audire valeant... gratiosè concedimus.* Cùm verò hoc privilegium non sit à Concil. Trident. *sess.* 23. *de reform. cap.* 15.

15. revocatum, illo poterunt uti prædicti Religiosi ab Episcopo injuste non approbati.

136. Quòd dictum privilegium non sit revocatum à Concil. Trident. per illa verba: *Privilegiis, & consuetudine quàcunque non obstantibus:* Ostendunt primò; quia dictum privilegium non est merè privilegium, sed lex juris communis: sed privilegium in corpore juris insertum non comprehenditur in generali revocatione privilegiorum, nisi de eo fiat expressa mentio: ut tenent præter citatos Sanch. *in opuscul. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 19. num. 20.* Basil. Pont. *lib. 8. de matrim. cap. 19. num. 16.* Castr. Pal. *tom. 1. tract. 3. disp. 4. punct. 21. §. 4. num. 5.* Soar. *de legib. lib. 8. cap. 38. num. 1.* Salas *disput. 17. sect. 14. num. 37.* Portel. *in dub. Regul. Verb. privilegium n. 7. & 67.* & alii plures, quos refert, & sequitur Dian. *3. part. tract. 2. resol. 1. & part. 5. tractat. 13. resol. 93. & part. 6. tractat. 2. resol. 8. in fine:* Ergo cùm in Concil. Trident. non fiat mentio hujus privilegii *Clement. Dudum*, per illud non censetur revocatum.

137. Secundò ostendunt: Quia dictum privilegium fuit receptum in Concil. œcumenico Viennensi, & habet etiam vim legis Conciliaris; sed Conciliis œcumenicis non censetur derogari, nisi de illis expressa fiat mentio: ut docent Sanch. *lib. 3. de matrim. disp. 26. num. 7.* Lavor. *tit. 4. de elect. cap. 19. num. 18. & 19.* & alii communiter: ergo non censetur per Trident. dictum privilegium revocatum.

138. Si autem ab his Authoribus quæras; Unde constare possit de injustitiâ Episcopi erga ipsos Religiosos? Respondent, posse ex multis capitibus. Primò, si contra illos jaciat convitia. Secundò, si Religionis institutum vituperet. Tertiò, si de ipsis Religiosis secretò, aut publicè detrahat. Quartò, si sacerdotes sæculares, aut alios Religiosos approbet, non verò hos. Sic Fagund. *cit. num. 16.* & alii. Hæc tamen sententia est improbabilis post Const. Clementis X. ut *statim* videbimus.

139. Secunda tamen, & negativa sententia est tenenda: illam tutati sunt ante Constit. Clementis X. & propositionem 13. ab Alexandro VII. damnatam, Soar. *tom. 4. in 3. part. disp. 28. sect. 5. num. 13.* Vazq. *etiam tom. 4. in 3. part. quæst. 93. art. 3. dub. 3. num. 2.* Ægid. *disput. 8. de sacram. dub. 7. num. 58.* Reginald. *tom. 1. lib. 1. cap. 16. num. 192.* Card. de Lug. *de pœnit. disp. 21. n. 52.* Barbos. *in collect. tom. 1. part. 2. lib. 3. Clement. tit. 7. Clement. Dudum num. 8.* Sylvius *in addit. ad 3. part. quæst. 8. art. 5. quæst. 4.* Pitigian. *dist. 17. quæst. unic. art. 4. dub. 4.* Joann. Sanch. *in select. disp. 48. num. 16.* Moure *3. part. cap. 19. §. 8. num. 2.* Trullench. *in Bull. lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 8. num. 3.* Fernand. *in exam. Theolog. moral. part. 3. cap. 9. §. 8. num. 2.* Bard. *2. part. tract. 5. cap. 2. num. 29.* Bordon. *tom. 1. resol. 36. num. 4.* Pellizar. *tom. 2. tract. 8. cap. 3. num. 26.* Mend. *in Bull. disp. 22. num. 25.* Tamborin. *de jur. Abbat. tom. 2. disput. 6. quæst. 12. num. 6.* Decastill. *tom. 2. tract. 8. disput. 10. num. 268.* & post damnationem ab Alexandro factam, Moya *tom. 1. 99. select. tract. 3. disp. 7. quæst. 2. n. 25.*

140. Probatur primò, destruendo oppositæ sententiæ fundamentum; quia Trident. *loco citato* revocat privilegium dictæ *Clement. Dudum*: quod ostendo; nam vel Trident. eo loco disponit aliquid circa Regulares, vel non; hoc secundum non est dicendum; quia etiam expressè loquitur de Regularibus, ibi: *nullum etiam Regularem posse confessiones sæcularium etiam sacerdotum, audire:* ergo dicendum est, primum, nempe; quòd disponit, nullum etiam Regularem censeri idoneum, nisi per beneficium parochiale, aut per approbationem ab Episcopo obtinendam, ibi: *nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicatur, & approbationem obtineat:* ergo si Regularis non habeat vel Beneficium Parochiale, vel approbationem, juxta dispositionem Trident. confessiones sæcularium audire non potest. Antecedens patet. Consequentia probatur; quia in illâ *Clement. Dudum*, concedebatur Regularibus confessiones audire sine actuali approbatione; sed satis erat, quòd per suos superiores, præsentarentur Episcopis, servatis aliquibus conditionibus; etsi ab illis repellerentur; absque illorum approbatione, à S. Pontifice remanebant approbati: Sed hæc dispositio contrariatur ex opposito Tridentino; quod disponit, quòd ab Episcopis approbentur, & aliàs non censeantur approbati: ergo hâc non positâ conditione, confessiones non possunt excipere.

141. Probatur secundò, destruendo idem fundamentum, & illius probationes; quia si Authores primæ sententiæ affirmativæ asserunt, per verba Trident. *privilegiis & consuetudine quàcunque, etiam immemorabili non obstantibus*, non esse revocatum privilegium dictæ *Clement. & Extravagantis, super Cathedram:* quia privilegia recepta à Concil. œcumenicis, & inserta in corpore juris non censentur revocata, nisi de illis mentio fiat expressa; Clemens X. suâ Constit. quæ incipit: *superna magni patris curatâ in principio sect. 2. hujus disput.* expressè illa privilegia revocat, aut declarat per Trident. esse revocata; requirit enim in Regularibus approbationem illius Episcopi, in cujus Diœcesi confessiones excipiuntur, ibi: *Ad hæc, Religiosos ab Episcopo ad confessiones sæcularium in suâ Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire: &c.* Et statim revocat privilegia, etiam in copore juris inserta, ibi: *Non obstantibus quibuscunque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis.... indultis, & privilegiis, etiam in corpore juris clausis, aut ex causa, & titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Mari Magno, seu Bullâ aureâ &c.* Ex quibus verbis manifestò liquet, requiri in Regularibus approbationem illius Episcopi, in cujus Diœcesi confessiones sunt audiendæ; & quanvis injustè ex odio, vel malevolentiâ illam neget, licèt in eo mortaliter peccet; Regulares tamen non manent ipso jure *Clement. Dudum*, approbati; quia si per Trident. aliqui asserebant non esse revocatum: altera Constitutio Clementina omne tulit dubium, expressè illud revocando privilegium. Accedit, quod Alexander VII. in suâ Constit. incipiente: *Sanctissimus Dominus*, edita 24. Septemb. anni 1665. ut minimum tanquam scandosam, hanc damnavit propositionem, inter alias 13. *satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato sed ab eo injustè reprobato.* Ex quâ damnatione satis colligitur, non posse Regulares absque actuali Episcopi approbatione sæcularium confessiones excipere.

142. Ad fundamenta oppositæ, & affirmativæ sen-

sententiæ jam patet solutio ; quia jam privilegia *Clem. Dudum & Extravag. super Cathedram*, expressè per Const. Clementis X. sunt revocata. Et ante illam revocata jam erant per Conc. Trident. quia ad illorum revocationem non erat necessarium, fieri de illis expressam mentionem quia, quando privilegium est insertum in jure communi, illi derogatur per Constitutionem posteriorem, quando hæc illi opponitur ; licèt hæc posterior idem non exprimat : ut patet *ex Cap. 1. de Constit. in 6.* Et rationem præmittit ; quia, quæ sunt in corpore juris inserta, non præsumuntur ignorari à Principe. Sic Soar. apud Card. de Lug. deposuit *disp. 21. n.* 53. Alio modo respondet Vasq. & quidem faciliori, ut invenies apud eundem Card. *Loco cit.* ergo si Princeps Legem Universalem condidit contrariam privilegiis in corpore juris insertis ; illis derogari censetur : sed *n.* 140. ostendimus, decretum Concil. Trident. esse oppositum, & contrarium dictæ *Clem. Dudum*, & *Extravag. super cathedram* : ergo per illud jam erant sufficienter derogata. Vide quæ diximus *super à n.* 122.

SECTIO XV.

An regulares generaliter idonei possint cum Limitatione ab Episcopo approbari ?

143. LImitatio approbationis circa tria versari potest. Primò circa personas, iig. viros, & non circa fœminas. Secundò circa Locum ; quia iig. datur approbatio ad unum oppidum, vel parochiam, & non pro totâ Diœcesi. Tertiò, circa tempus ; quia Limitatè datur approbatio ad unum annum, vel ad beneplacitum, & non simpliciter sine temporis differentiâ. His positis.

144. Procedit quæstio : An Regulares, qui generaliter sunt idonei, possint ab Episcopis aliquo modo ex supradictis Limitatè approbari ? Respondeo : videri posse, saltem in hoc Ulyssiponensi Archiepiscopatu, in quo per Const. Synodales *Lib. 1. tit. 10. decret. 4. in princip.* ita decernitur, per hæc verba : *E Religiosos de qualquerdas Religioens, usquaes nam poderam confessar neste Arcebispado, ainda que Sciam expostos por seus Prelados para isto, semprimeiroterem approvacane, Licença nossa, que lhe poderemos dar, ou absoluta, ou Com Limitaçande tempo, Como nos parecer.* Et statim, *in* §. 1. ejusdem 4. *Decreti* subtitulo. *Como seram approvados para confessores os sacerdotes seculares, e Regulares*, Verba hæc habentur : *Epparecendo tudo isto, eachados idoneos, sethes passar à Licença, que nam Valerá por mais tempo, que hum anno, contado do dia dadata della ; ainda que se passa sem Limitaçande, &c.*

145. Sed, his non obstantibus, dicendum est, non solùm ab omnibus aliis Episcopis, sed etiam ab Archiepiscopo Ulyssiponensi approbationes esse dandas sine aliquâ Limitatione temporis, Locorum, aut generis personarum, omnibus Regularibus generaliter idoneis, post Const. Clementis X. quæ incipit : *Superna magni patris* edita anno Domini 1670. 2. die Augusti, quæ est inter alias hujus Pontificis 7. apud Angelum à Santusca, & 170. ann. Paulum tom. 5. Bullarii in qua præcipitur Episcopis ; ut Regulares approbent sine eis Limitationibus, dummodo generaliter reperti sint idonei, per hæc verba : *Illos autem Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque, & indistincte absque aliâ Limitatione temporis, certorumque Locorum, aut generis personarum in Diœcesi propriâ admittendos.* Et ita docet post dictam Const. frei Anselm. Gomes *in perfect. exam. Confess. cap. 10. §. 1. fol. 25. Vers. Niel approbado in fine.* Vide dicenda *infra à n.* 235.

146. Et ante hanc Const. hoc assertum, inter Authores ut res sine Controversiâ, docebatur, *ex declarat. S. Congreg.* 20. Novembris anni Domini 1615. quam referunt & amplectuntur Mirand. *part. 1. q. 45. art. 10.* Lezan. *tom. 1. cap. 19. n. 8.* Bellizar. *tom. 2. tract. 8. cap. 3. n. 28.* Licèt aliqui Domini Episcopi, post declarationem S. Congreg. approbationes aliquas Regularium Limitassent ; post citatam Const. Clementis, illas non possunt Limitare, nec restringere ; quia Limitatio, sive sit ad certa Loca, determinatas personas, sive ad tempus, à S. Pontifice prohibetur, sub præcepto : ut videre est in fine dictæ Const. per hæc verba : *Nulli ergo omnino hominum Liceat hanc paginam nostrorum decreti declarationis, derogationis ; mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit ; indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.*

147. Ex quibus patet Episcopos, qui hæc observare voluerint ; per illa verba : *Indignationem omnipotentis Dei*, &c. Peccare mortaliter ; non tamen incurrere excommunicationem, quæ per illa verba non fertur : ut docent Sayr. *Lib. 1. de cens. cap. 11. n. 16.* Peyrinis *de privileg. Minim. tom. 1. in Const. Sixti IV. §. 11. n. 19.*

148. Et quamvis Domini Episcopi possint cum causâ approbationem Limitare : ut statim videbimus ; non tamen cum causâ eam Limitant, quando doctos, & minus doctos, Theologos, & simplices, & omnes Religiosos, vel omnes unius Religionis sacerdotes indifferenter cum restrictione personarum, locorum, aut temporis approbant : ut benè notant Veg. 1. *part. cap. 62. cas. 7. & 8.* Ledesm. 1. *part. sum. panit. cap. 13. dub 9.* Rodrig. *in Bull. §. 9. n. 33. quos* refert, & sequitur Peyrines *tom. 1. q. cap. 21. §. 2. Vers. Respondeo ad hoc cognoscendum fol. mihi 61.* Ratio est quia impossibile est credere, omnes Regulares esse ejusdem Limitatæ scientiæ ; & non esse inter illos aliquos, qui ita scientiâ polleant, ut digni, & idonei habeantur, ut simpliciter approbentur. Et rarò inveniuntur aliqui in hoc Regno, qui ab Episcopis simpliciter sint approbati ; sed ut plurimùm ad beneplacitum, & in hâc Diœcesi, per annum ; & hoc manifestè est contra prædictam Const. Clem. contra quam nullam vim habere potest. Const. Synodalis ; nam etiam ibi manet derogata, & revocata, ut videre est, in fine Const. Clementis *n.* 141. adductæ.

149. Dices : Episcopi non paucos Regulares absque examine approbant : ergo illos possunt pro Limitato tempore approbare. Respondeo, hoc argumentum nihil probare ; quare nego consequentiam. Ratio est, quia vel Episcopi, quando illos approbant absque examine, illos judicant idoneos, vel non : si primum, non possunt illos approbare cum Limitatione temporis ; quia Clemens X. *in Constit. citat.* inquit, non posse cum illâ Limita-

tione approbari, sed generaliter absque illâ, ibi: *cum reperti fuerint idonei*; & idonei reperi possunt absque examine, ut statuit Trident. *sess.* 23. *de reform. cap.* 15. ibi: *per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur*: Et si prædicti Regulares ab Episcopis absque examine idonei judicantur, tenentur Episcopi illos absque limitatione temporis approbare. Et tantùm possunt, dum illos sine examine approbant; illos, cùm libuerit, ad examen vocare: ut colligitur ex dictâ Const. si verò Episcopi illos Regulares non idoneos judicant; illos approbare non valent, ut colligitur ex Prident. *Loco cit.* & videantur ea, quæ diximus *supra sect.* 11. Unde nulla apparet ratio limitandi approbationes Regularibus, ex eo, quòd absque examine, ab Episcopis approbentur. Et quòd Episcopi sine examine possunt concedere licentiam audiendi confessiones, docent Riccius Reginald. Agid. Coninch. Fagund. quos refert; & sequitur Barbos. *in cit. locum Prident. n.* 32. Soar. Lusit. *supra n.* 197.

150. Adverte tamen, Religiosos semel simpliciter, & absolutè approbatos, posse in Diœcesi approbantis quovis anni tempore, etiam paschali, confessiones absque Episcopi & parochi licentia excipere: tenentur verò illico certiorem facere parochum de confessionibus infirmorum, quas audierunt; saltem per scripturam apud infirmum relictam; &, si hoc facere negligant, potest hoc illis ab Episcopo sub pœnâ suspensionis à facultate audiendi confessiones præcipi. Sic habetur in dictâ Const. Clementis X. per hæc verba: *Semel autem simpliciter approbatos posse in Diœcesi Episcopi approbantis quovis anni tempore, etiam paschali; & quorumcunque, etiam infirmorum confessiones audire, absque ullâ parochorum, vel ipsius Episcopi licentiâ; de qua tamen confessione, teneri dictos Religiosos, eorundem infirmorum parochum illico certiorem reddere. Et hoc posse illis, ab Episcopo sub pœnâ suspensionis à facultate audiendi confessiones præcipi: sufficere tamen, ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam.*

151. Circa hæc verba nota primò, Regularem semel simpliciter, & absolutè approbatum, si mutet ad aliam Diœcesim habitationem, & iterum redeat ad illam, in quâ fuit simpliciter approbatus, non indigere aliâ novâ approbatione.

152. Secundò nota, verba: *De quâ tamen confessione teneri dictos Religiosos eorundem infirmorum parochum illico certiorem facere*, importare præceptum; quia S. Pontifex utitur dictione *teneri*, quæ præceptum importat: ut docent Sanch. *lib. 6. decalog. cap. 4. n.* 38. Sayr. *in Clav. reg. lib. 3. cap. 7. n.* 27. & alii communiter apud ipsum Sanch. & Barbos. *de dict. dictione* 405.

153. Tertiò nota: hoc præceptum non obligare approbatos cum limitatione; nam S. Pontifex solùm loquitur de simpliciter approbatis; & quamvis in utrisque eadem sit ratio; cùm dispositio sit pœnalis, non debet extendi ad non expressos.

154. Quartò nota, non teneri Religiosos per se ipsos certiores facere parochos de confessione infirmi ab ipsis exceptâ, sed sufficit, quòd per alium id faciant. Sic enim æquè benè satisfaciunt præcepto. Sic tenet Bordon. *tom.* 1. *resol.* 36. *n.* 83. ex declarat. S. Congregationis, in quâ idem dabatur præceptum. Circa quam declarat. plura alia videri possunt, quæ expositioni Const. Clementis X. prodesse poterunt, apud Pallizar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 3. *n.* 58. & 59. & Lezan. *tom.* 1. *cap.* 19. *n.* 31. Peyrin. *tom.* 1. *de privileg. in Constit. Leone X. n.* 14.

§. Unicus.

Progreditur eadem materia.

155. NEc etiam post prædictam Const. Clementis X. potest habere locum praxis aliquorum Episcoporum, qui indistinctè, & indifferenter approbare nolebant sacerdotes Regulares ad audiendas fœminarum confessiones, ante quadragesimum ætatis annum: quia in citatâ Const. illis id prohibetur, ut patet ex verbis *n.* 145. *relatis.* Et ratio convincit; quia si sacerdos secularis, ut primùm in parochum eligitur, sine limitatione vigesimo quinto ætatis anno pro totâ vitâ ad confessiones virorum, & fœminarum, approbatur; quare etiam ex omnibus Regularibus approbari non possunt omnes idonei, licèt quadragesimum annum non habeant. Certè ad id habentius; & contra justitiam, & conscientiam agit, qui illos absolutè non approbat.

156. Et ante Const. Clem. citatam hoc docuerunt Authores communiter Villal. *in sum. tom.* 1. *tract.* 9. *diffic.* 93. *n.* Veg. *in sum. tom.* 1. *cap.* 63. *cas.* 7. Portel *in dub. Regul. Verbo confessor.* 3. Lenard. *in direct. Theol. part.* 2. *de sacram. pœnit. cap.* 24. *fol.* 296. omnes apud Dian. 3. *part. tract.* 2. *resol.* 25. Rodrig. Lezan. quos refert, & sequitur Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 3. *n.* 28. Card. de Lug. *de pœnit. disp.* 21. *n.* 60. & alii plures. Et licèt aliqui Authores oppositum sustinuerint ante Const. Clementis; post illam, jam illorum opinio nullam habet probabilitatem; sicut nec ipsa praxis Episcoporum; si aliqua fortè detur contra dictam Const.

157. Inquires: An si Episcopi absque justâ causâ Regulares generaliter idoneos cum limitatione ad annum v. g. vel ad hanc parochiam, & non ad aliam, vel ad viros, & non ad fœminas approbaverint; maneant, ipso jure sine iis limitationibus approbati? Respondeo, ante Const. Clementis X. duas extitisse opiniones. Prima asserebat, manere absolutè, & simpliciter absque ullâ limitatione approbatos. Probabant, quia eadem ratio datur de toto ad totum, ac de parte ad partem; sed (ut vidimus sect. præcedente in principio, cum multis D. D.) si Episcopi in justè negent Regularibus approbationem ad audiendas confessiones manent approbati per privilegia ipsis Regularibus concessa, in *Extravag. super Cathedram de sepult. & Clem. Dudum* §. *statuimus* de sepult: ergo etiam, si injustè negent approbationem absolutè, & simpliciter, & illam tantùm concedant cum limitatione ad tempus, personas, vel locum. Sic Bossius *de jubil. sect.* 3. *cas.* 2. §. 1. *n.* 12. Rodrig. Villal. Dian. & alii, quos dictâ sect. citavimus, & *n.* 146. & refert, & sequitur Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 11. *q.* 84. Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 6. *n.* 234. cum pluribus, quos ibi refert; & probabilissimam dicit Lezan. *tom.* 1. *cap.* 19. *n.* 8. citatis Henriq. & Miranda. At hæc sententia non videtur probabilis, ut *citato loco* ostendimus, cum allatâ Const. Clementis X.

158. Quare tenenda est secunda, & oppositasen-

sententia docens, non manere approbatos Regulares, ad audiendas confessiones, finito anno; nec ad confessiones fœminarum, nec ad totam Diœcesim; quando ab Episcopis cum limitatione, & absque causâ fuerunt approbati ad annum, ad vicos, vel ad unum tantùm oppidum. Probatur eâdem ratione; quia si absque justâ causâ illis ad audiendas confessiones negetur approbatio; non manent approbati, nec confessiones excipere possunt: ut *cit. sect.* vidimus: ergo etiam si absque justâ causâ ipsis approbatio concedatur cum limitatione: nam licèt Episcopi, in eâ tantùm concedendâ limitatione absque causâ moraliter peccent; Regulares tamen simpliciter, & absolutè non manent approbati. Sic Cardin. de Lug. *disp.* 21. *de pœnit. n.* 57. Mend. in Bull. *disp.* 22. *cap.* 3. *n.* 54. & 55. Prullench. Porreblanc. & alii apud Leand. & alii jam citat. qui ante Const. Clementis X. scripserunt; & post illam hoc assertum manet sine controversiâ; vide *cit. sect.*

159. Ex dictis & supra dictâ Constit. Clementis sequitur, Episcopos non posse cum aliquâ limitatione approbare Regulares generaliter idoneos, sed solùm absolutè, & simpliciter. Et ideo approbatio non est expedienda hoc modo: *ad nostrum beneplacitum*, aut *donec voluero*, *donec revocaverò*, *quandiu placuerit*, *aut quandiu placuerit sedi nostræ*; quia omnes, & similes formulæ sunt limitatæ, & restrictæ, & contra Const. Clementis. Qui statuit, esse expediendas simpliciter, & absolutè; quidquid in oppositum aliqui senserint Doctores, quorum opiniones habere non possunt locum post dictam Const.

SECTIO XVI.

An si adsit justa causa, possit Episcopus cum limitatione Regulares non adeo idoneos approbare?

160. REsolutio affirmativa post Const. Clementis X. citatam est certa; nam in illâ statuit S. Pontifex, posse Episcopos, justâ interveniente causâ, Regulares non ita idoneos cum limitatâ facultate approbare, per hæc verba: *Quoad cæteros verò, qui non adeo idonei reperientur, si petierint, se admitti; arbitrio ordinariorum relinqui ipsos cum limitatâ facultate, prout eisdem ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere.* Ex quibus constat, posse Episcopos eos Regulares non adeo idoneos pro suo arbitrio approbare cum limitatione, aut non admittere ad confessiones excipiendas.

161. Hanc resolutionem ante hanc Constit. tenuerunt communiter Doctores juxta decretum S. Congregationis apud Barbos. *de offic. & potest. Episcop. part.* 2. *alleg.* 25. *n.* 32. & *in Trid. sess.* 23. *cap.* 15. *n.* 48. & alios, ut jam *supra* notavimus: illam tuentur Card. de Lug. *disp.* 21. *de pœnit. n.* 56. Barbos. *cit.* Lezan. Portel, & alii, quos adducunt, & sequuntur Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 3. *n.* 28. Dian. *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 25. & *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 200. Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 11. *q.* 85. Aliqua tamen nobis restant exponenda circa verba prædicta.

162. Primum sit: Quid importent verba illa: *arbitrio Ordinariorum relinqui*? Respondeo, non importare liberam ordinariorum voluntatem; ita ut Ordinarius posito libito possit limitare approbationem Regularium non adeo idoneorum; sed importare arbitrium boni viri. Et hujus ratio est; quia quando aliquid committitur alicujus liberæ voluntati, potest commissarius facere pro suo libito quod voluerit. At quando aliquid committitur arbitrio boni viri, debet commissarius facere in re commissâ id, quod vellet faciendum esse in rebus suis. Ita Barthol. *in l.* 1. *col.* 2. *F. de solut.* & alii, quos refert, & sequitur Barbos. *de clausul. clausf.* 11. *n.* 1. vel quod postulat justa, & rationabilis causa: ut tenet Sanch. *tom.* 2. *Consil. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 55. *n.* 5. Sed verba: *arbitrio Ordinariorum*, important arbitrium boni viri: ut tenet cum pluribus D. D. Barbos. *loco cit.* Sanch. *n.* 8. Vide *supra disp.* 12. *n.* 56. alia, quæ hoc probant.

163. Secundum: Defectus idoneitatis in Regularibus ad limitatam approbationem non adest, quando solùm intervenit defectus ætatis; quia S. Pontifex ante verba allata in principio hujus section. decernit, absque aliquâ limitatione, & restrictione repertos generaliter idoneos; generaliter quoque, & indistinctè absque aliâ limitatione generis personarum esse admittendos: ergo si ibi nomine idoneitatis non venit ætas, etiam hoc loco non venit.

164. Additur, quòd examen Regularium ex Concil. Lateranensi, & Leone X. apud Dicastill. *de Sacrament. tom.* 2. *tract.* 8. *disp.* 10. *dub.* 6. *n.* 289. quem citat, & sequitur Dian. *part.* 11. *tract.* 8. *resol.* 27. restrictum est, ut sit duntaxat super litteraturâ; & quod ad mores pertinet, non ad Episcopum, sed ad Prælatos Religiosi approbandi attinet.

165. Ratione ostenditur; quia ex dictâ Const. Clementis X. Religiosus habet jus ad petendam approbationem simpliciter, & absolutam, prævio examine, cui se offert. Ergo supposità plenâ notitiâ, quæ de ipso habetur, non potest Episcopus pro suo libito negare approbationem simpliciter; & illam solùm concedere cum limitatione, ratione ætatis, ad viros scilicet, & non ad fœminas. Et confirmatur; quia, etiam si requiratur examen morum ab Episcopo faciendum, semper Religiosus præsumitur bonus, quandiu non probatur malus; & ita præter Doctores citatos *sect. præcedente* ante dictam Clementis Const. hanc tenuerunt sententiam Angelus, Rossius *de Jubil. sect.* 3. *cas.* 2. §. 4. *n.* 80. & 81. Pasqualig. Lezan. Miranda, & doctissimi Salmanticenses, & alii quos referunt, & sequuntur Dian. *supra cit.* & *tract.* 2. *resol.* 19. Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 11. *q.* 85. licèt oppositum, cum pluribus defendat Barbos. *in remiss. ad Concil. Trid. sess.* 23. *cap.* 15. *n.* 48. Vide dicta *sect. præcedente.*

166. Tertium: Religiosis non adeo idoneis repertis quoad Litteraturam, & scientiam possunt Episcopi approbationem Limitare, ad tempus; nempe ad annum, vel ad unum oppidum, vel parochiam, in quâ non sunt casus difficiles; vel ad certum genus personarum, videlicet ad pueros, & rusticos, & non ad mercatores, judices, & advocatos, qui casus difficiliores habent. Sic Colligitur ex prædictis verbis Const. Clementis X. quidquid in oppositum tenuerit ante eam Const. Pasqual. *decis.* 500. *n.* 3. *usque ad* 10. apud Leand. *loco citato.*

SECTIO XVII.

An Regulares semel examinati possint iterum ab Episcopo, vel successore examinari?

167. SUppono, ut certum, posse Dominos Episcopos omnes Regulares, etiam manifestè idoneos Magistros, & in Academiis Laureatos examinare: Addo, licèt possint, non debere omnes indifferenter examinare; si alioqui constat de scientiâ: quia ad substantiam approbationis, id examen necessarium non est, ut manifestè constat ex Prident. *sess.* 23. *de reform. cap.* 15. *Per examen, si illis videbitur necessarium, aut aliàs idoneus ab Episcopis judicetur:* Sic Fagund. *in* 2. *Eccles. præcept. Lib.* 7. *cap.* 2. *n.* 70. Barbos. *de potest. Episcop. alleg.* 25. *n.* 2. Soar. fusit. de pœnit. *tract.* 6. *n.* 198. cum Mirand. & jam citatis. Hoc supposito.

168. In triplici sensu potest quæstio procedere. Primò, quando Episcopus, prævio examine, Regulares approbavit. Secundò, quando non ab Episcopo, sed ab ejus antecessore, aut Vicario, prævio examine, fuerunt approbati. Tertiò, quando nullum præcessit examen.

169. Dico primò: Regulares prævio examine, ab Episcopo simpliciter, & absque ullâ temporis præfinitione approbati non possunt ab eodem Episcopo iterum examinari. Sic ex Const. Clementis mox adducenda.

170. Dico secundò: Regulares, qui ab Episcopi Vicario, vel ab Episcopi antecessoribus, fuerunt simpliciter, & absque ullâ temporis præfinitione, prævio examine, approbati; possunt ab actuali Episcopo iterum examinari: sic dicta Const. statim afferenda.

171. Dico tertiò: si Regulares fuerunt simpliciter, & absque ullâ temporis præfinitione sine examine ab Episcopo approbati, possunt ab eodem Episcopo examinari.

172. Primæ duæ conclusiones expresè constant ex Const. Clementis X. tertia verò supponitur ab eâdem Const., quia sic asserit: *prævio examine approbatos non posse iterum examinari:* ergo benè sequitur, approbatos absque prævio examine posse ab Episcopo examinari, & confirmatur ex dicendis *n.* 175. *in fine.* Verba dictæ Const. quæ has conclusiones statuunt, sic habent. *Regulares verò ad ejusmodi confessiones audiendas, prævio examine, simpliciter, & absque ullâ temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo; secus autem, si ab ejus Vicario, aut ab antecessoribus Episcopis, approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari.*

173. Prædictæ Conclusiones sunt tenendæ post Const. Clementis X. citatam. Et ex illâ colligitur, Regulares, qui justâ de causâ fuerunt cum Limitatione ab Episcopo approbati, juxta ea quæ dixi *sect. præcedente*, licèt cum eâ Limitatione, prævio examine, ab Episcopo fuissent approbati, posse iterum ab eodem Episcopo examinari, quia Constitutio solùm eximit ab examine iterato illos, qui simpliciter, absque Limitatione, prævio examine, fuerunt ab Episcopo approbati.

174. Ante hanc Const. Communiter D. D. primò asserebant; Regulares ab Episcopo, prævio examine, approbatos non potuisse ab eodem Episcopo examinari. Ita Fagund. *in* 2. *Eccles. præcept. lib.* 7. *cap.* 2. *n.* 26. *& seqq.* Henriq. *lib.* 3. *de panit. cap.* 6. *n.* 6. Zerol. *in praxi Episcop. part.* 1. *Verb. Confessores n.* 2. Ludovic. à Cruce *in exposit. Bull. disp.* 1. *cap.* 2. *dub.* 9. *n.* 2. Prullench. *in Bull. lib.* 1. §. 7. *cap.* 1. *dub.* 7. *à n.* 8. quos refert, & sequitur Bard. *part.* 2. *tract.* 5. *cap.* 2. *n.* 35. Eandem docuerant Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 28. *sect.* 8. *n.* 4. *&* 5. Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 3. *n.* 42. Castr. Pala. *tom.* 4. *tract.* 23. *disp. unic. punct.* 18. *n.* 13.

175. Hoc probabant primò ex Const. B. Pii V. quæ incipit: *Romani Pontificis providentia*, & habetur apud Cherub. tom. 2. & est inter alias hujus Pontificis 133. in quâ hæc reperiuntur. *Volumus tamen eos, qui semel ab Episcopo in civitate, & Diœcesibus suis, prævio examine, approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari.* Probabant secundò ex quâdam declaratione S. Congreg. quam referunt Fagund. *cit. n.* 26. Pellizar. *proximè*, & Hezan. inq. Regul. *tom.* 1. *cap.* 19. *n.* 7. in quâ dantur eadem verba, quæ in Const. B. Pii V. Et notabant aliqui ex citat. Authoribus: ut Soar. Pellizar. & Bard. hoc indulto, solùm gaudere illos Regulares, qui, prævio examine fuerunt approbati, & non illos, qui sine illo approbati sunt.

176. Hæc erant juxta Const. B. Pii V. & declarat. S. Congreg. quæ tamen ut verum habeant post Const. Clementis X. aliquid est addendum, nempe: ut tales Regulares sint simpliciter, & absque Limitatione ab Episcopo, prævio examine, approbati; nam si non simpliciter, sed cum Limitatione sint approbati, etiam prævio examine, possunt iterum ab eodem Episcopo examinari; juxta ea, quæ remanent dicta in *hoc n.* 173. *& præcedente sect.*

177. Secundò: ante dictam Clementis X. Const. dissidium fuit, inter D D. An novus Episcopus posset Regulares examinare; si ab antecessore jam, prævio examine, erant approbati, & hoc etiam, nullâ interveniente causâ? Prima sententia tuebatur, posse Episcopum successorem examinare Regulares, qui à suo antecessore, prævio examine, fuerunt approbati. Sic Fagund. *supra n.* 26. Ludovic. à Cruce Prullench. *Locis citatis* Joann. Sanch. *in select. disp.* 48. *n.* 16. Soar. ubi *supra dicta sect.* 8. Bard. *super cit. n.* 38. Petr. Ledesm. Hurt. Dian. 3. *part. tract.* 2. *resol.* 27. *& part. tract.* 4. *resol.* 200. Mirand. Riccius, Zanard. Lezan. Aldan. & alii, quos referunt, & sequuntur Bauny *in Theol. moral. tract.* 4. *de panit. quæst.* 10. Thom. Hurt. *tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 1. §. 2. *dub.* 3. *n.* 2139. Mend. *disp.* 22. *n.* 58. Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 3. *n.* 42.

178. Probabant ex Const. B. Pii V. & declarat. S. Congreg. *supra citatis*, & ex Const. Urbani VIII. die 30. Januaris anni 1629. quam refert Barbos. *de jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 43. *n.* 210. *& seqq.* in quibus dicitur, Regulares posse ab Episcopo successore examinari; quamvis ab Episcopo prædecessore fuissent examinati, & approbati.

179. Secunda sententia defendebat; Religiosos non posse à successore examinari; quando ab antecessore fuerunt, prævio examine, approbati: ita Vinald. 1. *part. de absolutione fol.* 122. Navarr. *in sum. cap.* 27. *n.* 26. Veg. *cap.* 60. *cas.* 8. Henriq. *lib.* 9. *cap.* 7. Lopes 2. *part. instruct. confess. cap.* 4.

de

de Bull. fol. 805. Joann. à Cruce *in epit. lib.* 2. *dub.* 4. & alii apud Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 11. *q.* 91. Zerol. & Barbos. apud Bard. *supra n.* 38. & cum aliis Illustriss. D. D. Fr. Ant. à Spiritu S. Episcopus Angol. *in director. Confess. tract.* 5. *n.* 891.

180. Probabant hanc suam sententiam ex aliâ declarat. S. Cong. anno 1587. quam se vidisse testatur Vinald. *supra*, & refertur à Rodrig. *in expos. Bull.* §. 9. *n.* 32. & *in q. q. regul. tom.* 1. *q.* 59. *art.* 4. & à Barbos. *depotest. Episcop. alleg.* 25. *n.* 28. & aliis; in quâ dicitur, fratres Mendicantes semel examinatos, & idoneos repertos non debere ab eodem Episcopo, nec à successore iterum examinari.

181. Ad Const. B. Pii V. respondebat Rodrig. *dicto. art.* 4. esse revocatam à Gregorio XIII. per aliam Const. quæ incipit: *In tantâ rerum, & negotiorum mole.* & refertur *in* 2. *tom. Cherub.* & est 9. inter alias hujus S. Pontificis; qui reduxit ea, quæ erant in Const. B. Pii V. ad terminos juris communis, & Concil. Prid. At jus commune in *Clem. Dudum* non est revocatum per Pridentinum; & ideo fratres Prædicatores, & Minores semel approbati, & reperti idonei non debent iterum examinari, & approbari, nec reprobari à successoribus. Addit Rodrig. aliam doctrinam dicens; alios Mendicantes comprehendi in revocatione B. Pii V. quia Const. B. Pii V. revocavit omnia privilegia contraria Conc. Trid., & respectu aliorum Mendicantium, quæ non continentur *in Clem. Dudum*, sunt purum privilegium, non tamen respectu fratrum Minorum, & Prædicatorum; quia sunt juxta jus commune in ejus corpore clausum.

182. Sed hæc nullam habent vim, maximè post Const. Clem. X. quia in illa revocavit omnia Regularium privilegia, etiam clausa in corpore juris: ut *supra* vidimus: cum verò hæc à Rodrig. allata sint contraria ipsi constitutioni, manent revocata; & post illam, sicut & ista secunda opinio, non est probabilis; ut manifestè constat ex verbis ejusdem Constit. relatis. Addo Const. B. Pii V. non esse revocatam à Gregorio XIII. ut cum Soar. Fagund. Barbos. & aliis tenet Castr. Pal. *tract.* 23. *disp. unic. punct.* 18. *n.* 13. & Hezan. *supra n.* 6.

183. Tertia sententia, mediâ viâ incedendo, asserebat, posse Regulares, interveniente justâ causâ, à successore iterum examinari; secus, ait, si justa causa non detur, eaque ad confessiones pertinens. Sic Leand. *supra cit.* & apud illum Vasq. *q.* 93. *art.* 3. *dub.* 7. *n.* 3. & 4. Sed in hoc loco nihil habet ad rem: *in dub. tamen* 5. *ejusdem art. n.* 3. & 4. etiam hoc, quod illi imponit Leand. non asserit; sed tantùm *n.* 3. referens Const. B. Pii V. ait, esse revocatam à Gregorio XIII. ut asserit Rodrig. *supra.* Et *n.* 4. asserit, ex Bullâ Regulares semel approbatos posse illius virtute eligi. Sed de hoc *infra sect.* 24. Apud eundem Leand. sunt pro eâdem opinione Villal. Alfonsus de Carranza, & Thom. Hurtadus; & quidquid dixerint hi Authores.

184. Tenendum est, post Const. Clementis X. hanc opinionem non esse probabilem; in eo, quod asserit, successorem in Episcopatu non posse sine justa causa, câque pertinente ad Confessiones, Regulares prævio examine à prædecessore approbatos, iterum examinare; quia sine alia causa; sed tantùm ut sciat, quos habeat confessores idoneos, in suo Episcopatu, illos potest examinare. Ita clarè colligitur ex citata Const. in verbis relatis. Quare ex his tribus sententiis ab illarum Authoribus assertis sequitur, solam primam, post hanc Constitutionem, esse sustinendam. Supereſt dicendum: An Capitulum, sede Vacante, possit examinare Regulares à mortuo Episcopo prævio examine approbatos. Sed de hoc commodiùs *sect.* 20.

SECTIO XVIII.

An approbatio Regularibus absolutè concessa possit ab Episcopo sine causa revocari, aut suspendi?

185. PLura sub hoc titulo veniunt exponenda. Quæres primò: An post Const. Clementis X. sæpius in hâc disput. citatam, possint Episcopi, omnes simul confessarios Regulares unius conventus ab audiendis confessionibus privare? Respondeo, non posse, inconsultâ sede Apostolicâ. Sic constat ex dicta Const. ibi: *Attamen Confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus Regularibus Confessoribus, adimi ab Episcopo, inconsultâ sede Apostolicâ nullatenus posse.*

186. Et ante hanc Const. hoc idem, ex declaratione S. Congregat. facta 20. Novembris 1615. relatâ à Gavant. in *Enchirid. Episcop. Verb. Confessarius n.* 23. & 24. ab Alfonso Leon. *in fine* 2. *part. de jubil. pag.* 114. & à Peirin. *de privil. tom.* 1. *Const.* 2. *Sixti IV. n.* 45. docuerunt iidem Authores, & cum Aldan. Barbos. *in Collect. ad Conc. Prid. sess.* 23. *de reform. cap.* 15. *n.* 47. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 19. *n.* 9. Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 3. *n.* 46. Soar. Husit. *le pœnit. tract.* 6. *disp.* 2. *n.* 250. Ratio est quia id in ea declaratione disponitur, & inviolabiliter observari jubetur. Ex qua inferunt Peirin. & Lezan. citati, si illâ non obstante, absque causa ad Sacramentum pœnitentiæ pertinente, aliqui Episcopi Regulares omnes simul unius conventus suspendant, illos non teneri obedire; sed posse, sine scrupulo, pergere in confessionibus audiendis, juxta facultatem sibi traditam in prima approbatione; quia Episcopi excedunt fines suæ potestatis; & quia semper majori est parendum.

187. Et à fortiori, hoc ipsum assererent, si Constit. Clementis X. vidissent; nam præter quam, quòd hæc sit à S. Pontifice Lata, in ea utitur dictione, *Nullatenus*, ibi: *inconsultâ sede Apostolicâ, nullatenus posse*; quâ non utitur Declaratio S. Congregationis; & dictio *nullatenus* importat ipso jure actûs nullitatem; ut ex non paucis textibus, & Doctoribus ostendit Barbos. *de dict.* 226. Et procedit idem importare, ac si diceretur, nullius sit roboris, ac efficaciæ, cum Cevall. Gonzal. Sanch. & aliis pluribus. Et habere virtutem decreti irritantis, & vim latæ sententiæ. Sic *n.* 2. 4. 5. & 6. ergo si Regulares omnes unius conventus simul ab Episcopo, contra dictam Const. suspendantur; suspensio non solùm erit illicita, sed etiam invalida.

188. Unde sequitur, si dicti Regulares per Bullam eligantur; cum primò sint ab Ordinario approbati; & suspensio fuerit invalida; posse virtute illius absolvere reservata, & vota commutare, juxta ea, quæ in Bulla conceduntur.

189. Quæres secundò: An possit Episcopus sus-

pendere, vel revocare approbationes, absque justa causa, Regularibus prævio examine ab ipso Episcopo approbatis? Respondeo, non posse. Sic expresse Clemens X. in Const. cit. per hæc verba: *Regulares vero, ad eiusmodi confessiones audiendas, prævio examine, simpliciter, & absque ulla temporis præfinitione, ab ipsomet Episcopo, secus autem, si ab eius Vicario, aut ab antecessoribus Episcopo approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari; aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi; seu licentias illis concessas revocari, nisi novâ supervenient causâ, quæ ipsas confessiones concernat.*

190. Hanc resolutionem, ante hanc Const. tenuerunt Dian. cum pluribus *part. 3. tract. 2. resol. 22. & part. 4. tract. 4. resol. 200.* Pellizar. *tom. 2. tract. 8. cap. 3. n. 42.* Lezan. *tom. 1. cap. 19. n. 9.* Card. de Lug. *de pœnit. disp. 21. n. 64. & 65.* Peirin. *de privil. tom. 1. Const. 2. Sixti IV. §. 11. n. 45.* Barbos. *in Collect. ad Prudent. sess. 23. de reform. cap. 15. n. 45.* Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 11. q. 88.* Soar. Lusit. *de pœnit. tract. 6. n. 242.* Et id probabant ex declaratione S. Congreg *supra n. 186.* citata, & ex Bulla B. Vii V. quam approbavit Urbanus VIII. in Brevi edito, 1629. die 30. Januarii, quod incipit: *Alias à nobis*, de quo mentionem faciunt Barb. & Leand. *Locis citatis*; in quibus eadem datur dispositio, quæ in decreto *supra*.

191. Et ex illo sequitur, non esse probabilem sententiam Galp. Hurt. *disp. 10. de pœnit. difficult. 19.* Joann. Sanch. *in select. disp. 48. n. 23.* & aliorum asserentium, posse Episcopum, nullâ interveniente causâ, prædictas approbationes revocare. Si autem dubitetur, & non manifestè appareat, revocationem fuisse absque causa; præsumendum est, pro Episcopo; quia non præsumitur delictum, maximè in Prælatis, *l. meritò F. pro socio.*

192. Quæres tertiò: An possit Episcopus revocare licentias, & approbationes simpliciter, & absque ulla temporis præfinitione Regularibus concessas quidem, sed absque prævio examine? Respondeo, posse illos vocare ad examen, & reprobare, si non inveniantur idonei. Idem dicendum, si prævio examine approbati sint ab Episcopi Vicario, vel ab ejus prædecessoribus: quia sic approbati possunt iterum in examen vocari; & si idonei reperti non fuerint, ab ipso Episcopo possunt reprobari. Idem etiam dicendum de successore Episcopi, qui potest Regulares omnes approbatos ab antecessoribus, prævio examine, pro majori conscientiæ suæ quiete, vocare ad examen; & reprobare, si illos dignos non inveniat. Hæc juxta dictam Clementis X. Const.

193. At existimo, non posse ab Episcopo à confessionibus audiendis suspendi; nec licentias illis concessas revocare; nisi novâ interveniente causâ ad ipsas confessiones pertinente; quia hæc dispositio in prædicta Const. apposita immediatè cadit, tam respectu Episcopi, à quo, prævio examine, Regulares fuerunt approbati, quàm respectu ejusdem quando sine examine approbati fuerunt, & respectu successoris: Ergo licèt ad examen vocari possint, & reprobari, si digni non reperiantur; non tamen possunt suspendi, nec eorum licentias revocari, nulla interveniente causa ad confessiones concernente. Sic Castr. Pal. *tom. 4. tract. 23. disp. unic. 18. §. 4. n. 14.* Barbos. *de potest. Episcopi alleg. 25. n. 32.* & cum pluribus Franciscus Soar. Lusit. *de pœnit. tract. 6. disp. 2. n. 249.* attentâ declaratione, de qua *supra*: ergo à fortiori, idem dicendum, attentâ Const. Clementis X. ex qua expressiùs idem colligitur.

194. Ante hanc Const. docuerunt communiter Doctores, posse Regulares simpliciter, & absolutè approbatos, absque prævio examine; vocari in examen ab ipsis Episcopis, qui illos simpliciter approbarunt. Et idem posse successorem, etiam si ipsi Regulares simpliciter, approbati ab antecessore fuissent examinati; quia hoc pro majori suæ conscientiæ quiete facere poterant; & si tam prædecessor, quàm successor illos idoneos non reperirent, illos reprobare poterant. Et ad hoc asserendum, fundabantur in Brevi B. Pii V. & declaratione S. Congreg. *supra citatis*, in quibus hæc dantur verba: *Congregatio Concilii censuit, Regulares ad audiendas in civitate, aut Diœcesi sæcularium confessiones, semel ab Episcopo prævio examine approbatos, iterum ab eodem Episcopo non esse examinandos. Caterum à successore posse utique examinari, juxta Const. Pii V. quæ à Gregorio XIII. non est revocata, &c.* Quæ in sua Const. comprehendi voluit Clemens X. ut ex verbis relatis constat; & ante illam tenuerunt Soar. *tom. 4. in 3. part. disp. 28. sect. 8. n. 5.* Fagund. *in 2. Eccles. præcept. lib. 7. cap. 2. n. 27.* Bossius *de jubil. sect. 3. cas. 2. n. 41.* Pellizar. *tom. 2. tract. 8. cap. 3. n. 42.* Palaq *tom. 4. tract. 23. disp. unic. punct. 18. §. 4. n. 12. & 13.* & alii.

195. Unde probabilitatem non habet opinio Rodrig. asserentis *tom. 1. in q. q. Regul. q. 49. art. 4.* Religiosos S. S. Dominici, & Francisci semel ab uno Episcopo approbatos non posse à successore subjici examini; quia in *Clement. Dudum de sepultur.* illis conceditur, uno examine solùm indigere. Hoc tamen præter quam, quòd non concedatur in dict. Clem. ut legenti patebit; tametsi concederetur, revocata manet dicta Clementina per Const. Clementis X. ut jam *n. 181.* ostendimus.

SECTIO XIX.

An approbatio Regularibus, cum limitatione concessa, possit ab Episcopis revocari?

196. HActenus de approbatione generaliter, & absolutè concessa. In præsenti dicendum est, quando approbatio cum limitatione fuit concessa. Et inquires primò: An possit Episcopus revocare approbationes Regularibus concessas ad beneplacitum, & ad tempus v. g. ad annum, illo non finito? Respondeo ut *supra* posse concurrente ad id justâ causâ, non verò eâ non concurrente. Prima pars est communis inter Doctores: Illam sequuntur de approbatione concessa, Soar. & Fagund. *locis supra citat.* Lezan. *in summ. tom. 1. cap. 19. n. 8.* Dian. *4. part. tract. 4. resol. 200.* & alii, quos referunt, & sequuntur Barbos. *de potest. Episcop. part. 2. alleg. 25. n. 41.* Tambor. *de jur. Abb. tom. 2. disp. 6. quæst. 12. n. 9.* Soar. Lusit. *de pœnit. tract. 6. disp. 2. n. 245.* Et id probant ex Bulla Urbani VIII. & declar. S. Congreg. *supra citatis*; & Soar. Lusitan. ex *infra* citanda Bulla Urbani VIII.

197. Cæte-

197. Cæterum cùm in Const. Clementis X. non agatur de revocatione approbationum ad tempus, sed de simpliciter absque ulla præfinitione temporis concessarum; aliunde igitur hanc primam partem probamus, nempe ex quadam Bulla Urbani VIII. edita die 19. Februarii anni 1630. missa ad Archiepiscopum Eborensem D. D. Josephum de Mello contendentem cum P. P. Collegii nostri Eborensis; & intentantem revocare eorum licentias ad prædicandum, & absolvendum. Et cum recurreret ad sedem Apostolicam pro Valore, & firmitate suæ revocationis; eam Urbanus VIII. firmare, & roborare non est dignatus: imo Bullâ suâ ipsi Josepho directâ, quæ incipit *Exponi nobis* eam invalidam significavit. Hanc Bullam refert, de Verbo ad Verbum, Doctissimus P. Franciscus Soar. Lusitanus *de pœnit. tract. 6. disp. 2. n.* 243. ubi testatur, se eam vidisse, & in illa hæc apponi verba: *Tibi ut licentias, & approbationes, per antecessores tuos Ecclesiæ Eborensis præsules, ac etiam per te ipsum ad tempus, seu ad beneplacitum tuum, non autem simpliciter, & absque præfinitione temporis, concessas, ad id concurrente legitimâ causâ, revocare possis, &c.* Ergo si causa legitima concurrat potest Episcopus revocare approbationes Regularibus concessas, sive sint ad tempus, illo durante, sive ad beneplacitum.

198. Ex hac Bulla, & dictis verbis, patet etiam evidenter probatio secundæ partis supra dictæ resolutionis, nimirum; non posse Episcopum, causâ justâ non concurrente, approbationes Regularibus concessas revocare, nec suspendere; quod licèt sit contra Hurt. & Joann. Sanch. quos *supra* rejecimus; illam tamen sequuntur Soar. Pag. Barbos. Soar. Lusit. *citat. n.* 245. & alii *proximè* allati, Peirines & alii, quos adducit Dian. *part. 3. tract. 2. resol. 26.* Card. de Lug. *de pœnit. disp. 21. n. 63.* malè citatus à Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 11. q.* 90. nam ibi non asserit Cardinalis, licentiam ad beneplacitum posse pro libito Episcopi revocari, sed tantùm posse cum causa licitè revocari, & validè sine causa.

199. Inquires secundò: An prædicta revocatio approbationis ad tempus, nullâ intercedente causâ, non solùm sit illicita, sed etiam invalida? Respondeo, non solùm esse illicitam sed etiam invalidam. Probatur, quia approbatio est quædam veluti sententia declarativa de sufficientia, & idoneitate Regularis, quæ mutari non potest, stante eâdem sufficientia, & idoneitate. Et quamvis S. Pontifex Clemens in sua Constit. asserat, approbationes concessas simpliciter non posse sine causa revocari; & id non disponat de approbationibus ad tempus ad certas personas, & loca determinata concessis; idem tamen, in his approbationibus, in quibus datur eadem ratio, videtur dicendum; quia ante hanc Const. id communiter docebant D. D. Fagund. *in 2. Eccles. præcept. lib. 7. cap. 2. n.* 62. Castr. Palas *tom. 4. tract. 23. disp. unic. punct. 18. §. 4. n. 6.* Soar. *tom. 4. in 3. part. disp. 28. sect. 7. n. 7.* Soar. Lusit. *supra n.* 246. & idem videtur tenere Card. de Lug. *de pœnit. disp. 21. n. 63. & 64.* & omnes, qui docent, revocationem sine causa, approbationis simpliciter concessæ, non solùm esse illicitam, sed etiam invalidam; quia eadem ratio, quâ probant, hanc esse invalidam, datur etiam in revocatione absque causa approbationis ad tempus, ad certas personas, & determinata loca concessæ, dum tempus durat: ut videre est apud Soar. Fagund. Cardin. de Lug. Peyrinum, Portel, Dian. Torreblanc. quod refert, & sequitur Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 11. q.* 89. Vide dicta *sect. præcedente à n.* 185.

200. Majus dubium est, de revocatione sine causa approbationis ad beneplacitum, seu arbitrium Episcopi concessâ? Et esse Validam, & licitam revocationem hujus approbationis, asserit Fagund. *supradicto cap. 2. n.* 63. Alii verò existimant, non solum esse illicitam sed etiam invalidam sic cum pluribus Bossius *de jubil. sect. 3. cap. 2. n.* 42. & cum Pasqual. Thom. Hurt. & aliis. Idem videtur sentire Leand. *proxime q.* 90. & Castr. Pal. *proximè.*

201. Probabilius tamen existimo, eam revocationem esse illicitam, non verò invalidam; quia beneplacitum, seu arbitrium importat ut *supra disp. 12. n. 6.* diximus, arbitrium boni viri, quod dicitur, quod est justum, & rationabile; & de hoc est intelligendum, quando in concessione licentiæ, seu approbationis apponitur; & non de injusto & irrationabili; quia tamen cessante arbitrio, seu beneplacito cessat approbatio, videtur dicendum, revocationem sine causa esse illicitam, non verò invalidam. Et hanc sententiam docent Card. de Lug. *de pœnit. disp. 21. n.* 63. Tambor. de jure Abbat. ubi *supra* Sellius apud Barbos. in Collect. ad Prident. sess. 23. de reform. cap. 15. n. 4. quod ipse Barbos. non reprobat Dian. *part. 4. tract. 4. resol.* 200. Soar. Lusit. *cit. n.* 247.

SECTIO XX.

An Capitulum, sede Vacante, valeat revocare approbationes ab Episcopo emortuo Regularibus concessas?

202. IN hac quæstione inquirimus: An sicut novus Episcopus potest vocare Regulares ad novum examen; ita etiam possit Capitulum, sede Vacante, & eorum revocare approbationes? Respondeo, non posse; quia licèt id de jure sibi concessum fuisset in *Cap. si Episcop. 3. cap. Ecclesia 4. de supplend. neglig. Prælat.* spectatis tamen privilegiis Regularibus concessis non potest. Ratio est, quia à Clemente IV. anno 1265. Religiosis S. S. Dominici, & Francisci concessum est, ne capitulum, sede Vacante, approbationes ab Episcopo emortuo concessas possit revocare; de qua concessione, mentionem faciunt Authores statim citandi, & compendium privilegiorum nostræ Societatis JESU, verb. *Sede Vacante.* Et ex hoc privilegio alii communicant Regulares. Et quamvis in Const. Clementis X. id concedatur Episcopo successori, non conceditur capitulo, sede Vacante, qui non venit nomine *Episcopi successoris.* Additur, quòd reexaminare, est quid odiosum, & pertinens ad potestatem delegatam à sede Apostolica respectu Regularium, qui sunt exempti; & capitulum non succedit Episcopo in iis, quæ illi competunt de viro delegato; ut ex Federic. de Sen. Abbat. & aliis probat Bordon. *tom. 1. resol. 36. n.* 24.

203. Unde, quando capitulum, sede Vacante, revocat licentias, & approbationes ad audiendas confessiones ab Episcopo emortuo concessas; non est intelligendum de licentiis, & approbationibus Mendicantibus, & cum eis in privilegiis communicantibus

nicantibus concessis ; etiamsi de illis expressa, & specialis mentio fieret ; quia ea revocatio est pro nulla habenda. Sic Fagund. *supra citatus dict. cap. 2. n. 28. & 29.* cum Sylvest. Rodrig. & aliis, quos citant, & sequuntur Bossius *de jubil. sect. 3. cas. 2. n. 47.* Barbos. *de potest. Episcop. part. 2. alleg. 25. n. 49.* Dian. *part. 3. tract. 2. resol. 27. & part. 8. tract. 7. resol. 94.* Castr. Pal. *tom. 1. tract. 23. disp. unic. punct. 18. §. 4. n. 10.* Bordon. proximè cit. Pellizar. *tom. 2. tract. 8. cap. 3. n. 44.* Soar. Lusit. *ut supra n. 251.*

204. Adverte Philibert. March. tract. de tempore pestilentiæ *part. 3. cap. 4. n. 15.* existimare, prædictum privilegium esse abrogatum per Trident. *supra cit.* per illam clausulam generalem *Privilegiis non obstantibus.* Sed non benè, quia Trident. *loco citato* solùm inhabilitat confessarios ad audiendas confessiones sæcularium, absque approbatione Episcopi, & derogat privilegiis contrariis : ut *supra* aliquoties diximus : at privilegium *supra* non est ad audiendas confessiones, absque approbatione Episcopi, sed solùm, ne à Capitulo revocetur approbatio, quæ ab Episcopo est concessa.

SECTIO XXI.

Ob quam causam possint approbationes Regularium ab Episcopo revocari?

205. DIximus approbationes ad audiendas sæcularium confessiones concessas Regularibus non posse sine legitima causa ab Episcopis revocari ; nunc inquirimus primò, quænam debeat esse ista causa? Respondeo, debere esse novam, & quæ ipsas confessiones concernat. Sic Const. Clementis X. sæpius citata, his verbis : *Nisi nova superveniente causâ, quæ ipsas confessiones concernat.* Quod tam à S. Congreg. 30. Augusti 1630. decisum fuerat, apud Aldan. *in compendio canon. resol. lib. 1. tit. 13. n. 4.* Barbos. *in collect. ad Trident. sess. 23. de reformat. cap. 15. n. 46.* & ante dictam Const. Clement. ex hac & aliis declarationibus ; id communiter docebant D. D. Barbos. *cit.* Bordon. *tom. 1. resol. 36. n. 83.* Pellizar. *tom. 2. tract. 8. cap. 3. n. 47.* & alii, quos *præcedente sect.* citavimus.

206. Causæ confessiones concernentes sunt primò, si *Regulares cum scandalo, aut aliàs inhoneste vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi judicio, videantur à confessionibus suspendi, in quo ipsius conscientiam oneratam esse volumus ; cum præcipua ministri sacramenti pœnitentiæ qualitas sit vitæ integritas, ac morum honestas. Utique eam causam ad confessionis ministerium pertinere, ac proinde nihil obstare, quominus ob eam possit Episcopus, Regulares à semetipso approbatos, suspendere, aut repellere à confessionibus audiendis.* Per hæc verba, habetur ex prædict. Clementis X. Const. in quibus verbis, nota Clausulam : *In quo, ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse volumus*, operari arbitrium boni viri, *cap. non solùm, de regul. jur. in 6.* & Doctores apud Barbos. *de clausul. clausul. 24. n. 1.* ubi in aliis n. n. alia inveniuntur, quæ ad illius expositionem inservire possunt. Quid verò importet boni viri arbitrium, vidimus *disp. 12. n. 6. & 56.* & hæc prælenti *n. 162.* Hæc causa ad suspendendas Regularium approbationes etiam in declarat. cit. continebatur : & juxta illam, eandem doctrinam tradunt Barbos. & Bardon. *Locis cit.* P. Castr. Pal. *tom. 4. tract. 23. disp. unic. punct. 18. §. 4. n. 7.*

207. Secunda causa : si confessarius Regularis redditus sit mutus, aut mentecaptus, sive inidoneus, ob defectum scientiæ, aut pecuniam accepit, vel confessionem revelavit, & alia, quæ confessiones concernunt : Vide Bordon. & Castr. Pal. *allatis locis.*

208. Tertia causa, quæ à prædict. & ab aliis Authoribus assertur, est ; si interdictum ab ipso Episcopo, vel ab Ordinaris positum non servetur : ut in prædicta declaratione S. Congreg. dicitur, apud Peyrin. *tom. 1. de privileg. Const. 2. Sexti IV. n. 45.* Sed cùm Clemens X. definitiones, & declarationes ab aliis S. S. Pontificibus in unum omnes suâ Const. Colligat, (ut ait) & in illa nullam faciat mentionem de hac tertia causa, sed tantùm de illis, quæ confessiones concernunt, videtur illam noluisse comprehendere.

209. Inquires secundò : An Episcopus possit aliâ pœnâ punire Regularem delinquentem, in ministrandis confessionibus, supra illam, quæ apponitur in dicta Const. Clementis X. quæ est suspensio, aut repulsa à confessionibus audiendis? Respondeo, non posse ; quia in dicta Const. non fit de alia pœna mentio : & pœnæ cùm sint odiosæ, non sunt extendendæ, sed potius restringendæ : ut ex jure, & D. D. probat Barbos. *de Axiom. 166. n. 1. & seqq.* Confirmatur, quia Regulares præsertim, quoad pœnalia, sunt exempti à judicio Episcopi : ut omnes docent cum Rodrig. Mirand. Bariol. & aliis, quos refert, & sequitur Bordon. *proximè n. 84.* qui hanc etiam tenet resolutionem, juxta declarationem S. Congreg. in qua eadem imponitur pœna Regulari in ministerio confessionum delinquenti.

210. Inquires tertiò : An necessarium sit, quòd de causa revocationis approbationis constet in actis? Respondeo, non esse necessarium, ita enim decidit à Clemente X. in sua Const. ibi. *De qua tamen* (intellige causam) *haud necessarium esse, ut in actis constet ; nec eam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare ; sed sedi Apostolicæ duntaxat ; ubi eam sibi aperiri postulaverit.* Ex quibus verbis constat, Episcopum causam revocationis approbationis, non solùm non teneri, Regulari à confessionibus audiendis suspenso, & repulso, manifestare ; sed nec etiam ipsi S. Pontifici, nisi quando ab eo fuerit expostulata. Nec hæc decisio fuit primò inventa à Clemente X. nam 30. Januarii anno 1629. idem decrevit, Urbanus VIII. per suas litteras, in forma Brevis ad futuram rei memoriam missas ad Eminent. Cardin. de Sandoval Ecclesiæ Gienensis Præsulem ; ut videre est apud Barbos. *in Collect. ad cit. locum Trident. n. 45.*

211. Adverto tamen, aliquos Authores docuisse, hanc causam debere esse probatam juridicè : ut videre est apud Castr. Pal. *cit. dicto tract. 23. disp. unic. punct. 18. §. 4. n. 14. in fine*, Trullench. *in Bull. lib. 1. §. 7. dub. 7. n. 14.* Mend. *disp. 22. n. 58.* Attamen hoc post dict. Const. non est admittendum : cùm enim S. Pontifex hanc probationem delicti commissi à Regulari judicio rationabili Episcopi committat, in quo conscientiam ipsius oneratam esse vult ; alia juridica probatio non requiritur. Regulandum tamen videtur hoc judicium, non secundùm privatam conscientiam, sed com-

communem, & publicam: ut cum pluribus Barbos. *proximè n.* 9. *&* 10.

SECTIO XXII.

An Regulares ab Episcopo non approbati possint aliquorum Confessiones validè excipere?

212. IN primis certum est, Regulares de licentiâ sui Prælati posse Confiteri cuilibet simplici sacerdoti, etiam sæculari; qui nec beneficium habeat parochiale, nec ab Episcopo sit approbatus; quia Concil. Trident. *sess.* 23. *de reformat. cap.* 15. nihil circa confessiones Regularium innovavit. Ita D. D. Communiter Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 28. *sect.* 4. *n.* 4. Card. de Lug. *de pœnit. disp.* 21. *n.* 2. & alii plures apud Barb. *de potest. Episcop. alleg.* 25. *n.* 64. Et Joan Sanch. *in select. disp.* 49. *n.* 2. Bard. *part.* 2. *tract.* 5. *cap.* 2. *n.* 22. Mend. *disp.* 22. *n.* 24. Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 6. *n.* 129. Et de hoc extat expressa Concessio Clementis VIII. quam refert Gaillant. *in summ. Bullarii verb. Confessor.* unde manifestò deceptus fuit Joann. Maria Novarius Juris consultus *tract. de elect. fori cap.* 69. *n.* 21. qui apud Dian. *in addit. part.* 2. *resol.* 4. contrarium docuit.

213. An verò equites S. Joannis, Christi, S. Jacobi, Calatravæ, Alcantaræ &c. possint etiam confiteri cuilibet simplici sacerdoti, de licentia Prælati sui ordinis? Affirmant Joann. Sanch. *cit. n.* 10. Bordon. *tom.* 1. *resol.* 36. *n.* 70. & alii apud Dian. *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 20; idem tenet Barbos. *de potest. Episcop. alleg.* 25. *n.* 65. de illis, qui vivunt in Communi, & clausurâ.

214. Dicendum tamen est, prædictam opinionem habere posse locum, quoad Equites D. Joannis, qui verè, & strictè sunt Religiosi, si consuetudo, & praxis Ecclesiæ in contrarium non sit; quam esse in contrarium tenet cum Amico Dian. *part.* 8. *tract.* 2. *resol.* 86. *in fine.* De aliis verò, cùm verè, & strictè Religiosi non sint, & praxis, ac consuetudo stet in contrarium, ab ordinario approbatis confiteri debent. Sic Bard. *proximè n.* 26. Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 2. *n.* 26. Soar. Lusit. *supra cit. n.* 130. *in fine.*

215. Quæres tamen: An Prælati Regulares, & Regularium Confessores possint, sine Episcopi approbatione, audire confessiones illorum sæcularium, qui sunt verè de familiâ & continui commensales? Respondeo, resolutionem affirmativam esse sine controversiâ, post Const. Clementis X. citatam, in quâ id decernitur, his verbis: *Cæterum in Monasteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta Regularia instituta vivitur, posse tam Prælatos Regulares, quàm Confessores Regularium eorundem Monasteriorum, seu Collegiorum, audire confessiones illorum sæcularium, qui intùs sunt verè de familiâ, & continui commensales, non autem illorum, qui tantùm ipsis deserviunt.*

216. Sub inquires: Quinam dicantur sæculares, *qui sunt verè de familiâ & continui commensales?* Respondeo primò, per eos, qui sunt verè de familiâ, intelligi omnes de familiâ servili, in servitio existentes, & veniunt nomine *familiarium*, continuò viventes, & morantes cum Regularibus, quibus inserviunt; & in eorum Monasteriis comedunt, bibunt, & dormiunt; unde dicuntur continuò commensales. Sic ex jure, & D. D. colligitur apud Barbos. *de appellat.* 95. *&* 96. sub quo nomine non veniunt, qui tantùm Monasteriis inserviunt, nec in illis morantur nec dormiunt.

217. Respondeo secundò, illos verè esse de familiâ, & continuò commensales, qui ordinariè vivunt in Monasteriis, seu collegiis, comedunt, bibunt, & dormiunt; sive habitum imperfectum Regularem deferant, sive sæcularem, sive Ecclesiasticum. Per illos verò, qui tantùm ipsis Monasteriis, seu collegiis deserviunt, (qui non gaudent hoc privilegio) intelliguntur illi artifices, qui Monasteriis, & collegiis inserviunt; sed nec in illis morantur, nec dormiunt. Sic Rodrig. *tom.* 2. *q. q. regul. q.* 67. *art.* 1. *Vers. qui autem dicantur*, Sorbus *verb. interdictum* 3. §. 5. *vers. Et notandum pag.* 388. quos refert, & sequitur Peyrinus *tom.* 1. *privileg. Const.* 1. *Julii* 11. §. 15. *n.* 12. Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 6. *disp.* 2. *n.* 144.

218. Respondeo tertiò, *juxta Trid. sess.* 24. *cap.* 11. *de reformat.* nomine *familiarium* intelligi illos, qui actu serviunt religiosis, & intra eorum septa, ac domos resident, subque eorum obedientiâ vivunt. Quare ad hoc, ut aliquis censeri possit familiaris Religiosorum, requiritur, ut habitet intra eorum domos, & quòd actu serviat, vivatque sub obedientiâ ipsorum Regularium: non quidem, quod promiserit obedientiam Religiosam, (sic enim esset conversus, & non familiaris,) sed quòd, ratione muneris serviendi, obediat.

219. Ante Clementis X. Const. hanc resolutionem tenuerunt Armendar. *in addit. ad recopil. Leg. Navarræ lib.* 4. *tit.* 28. §. 1. *de Confitendo semel in anno n.* 10. Barbos. *de potest. Episcop. alleg.* 25. *n.* 65. & *de jur. Eccles. cap.* 43. *n.* 204. Cesped. *tract. de exempt. cap.* 6. *dub.* 125. *n.* 4. Petrin. *tom.* 1. *privileg. Const.* 1. *Julii* 11. §. 15. *n.* 12. Joann. à Cruce *lib.* 2. *de stat. relig. cap.* 6. *dub.* 1. *conclus.* 1. Bordon. *tom.* 1. *resol.* 38. *n.* 5. Soar. Lusit. *proximè* & alii. Et non videri improbabilem, docuit Lezan. *tom.* 2. *cap.* 16. *n.* 16. Et probabant ex privilegio Leonis X. Minimis concesso, in quo expressè conceditur, quòd famulis in habitu sæculari in domibus suis deservientibus possint Eucharistiæ, etiam in die Paschatis, & articulo mortis, & extremæ unctionis Sacramenta ministrare, & eorum Confessiones audire, & in Ecclesiis suis sepelire. Et ex quadam S. Congreg. declarat. anno 1568. die 14 Augusti, in hæc verba: *Prælati Regulares, seu alii religiosi confessores non possunt audire confessiones sæcularium, qui sunt de familiâ, & deserviunt eorum Monasteriis absque approbatione, & licentiâ Episcopi? secus tamen, si illi sæculares sunt verè de familiâ, & continui commensales*, quæ verba cohærent cum illis in Clementis X. Const. appositis.

220. Oppositum asseruerunt non pauci cum Soar. *tom.* 4. *de relig. lib.* 9. *tract.* 3. *cap.* 4. *n.* 18. Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 3. *n.* 55. Et ad privilegium Leonis X. & declarat. S. Congreg. respondebant, esse sublata per Const. Urbani VIII. citatam, apud Pellizar. *proximè*. At Const. Clementis X. sustulit omne dubium, & juxta illam, tenendum est, sufficere approbationem, seu Licentiam Prælati, ut prædicti, qui verè sunt de familiâ, & continui commensales, possint confiteri Religiosis, qui aliorum Religiosorum ejusdem Monasterii seu collegii sunt confessores.

221. Et cùm Clementis X. Const. non com-

prehendat alioquos cum Regularibus in eorum Monasteriis degentes, dicendum est, non posse Confessarios monasterii, eorum excipere Confessiones; nisi sint ab Episcopo illius loci approbati; licèt oppositum ante dictam Const. defenderent Bordon. *Loco cit.* & Cetped. *supra n.* 11. sed non rectè, maximè post Const. Clementis X.

222. Quamvis *in hac sect.* dictum sit, plures posse Confiteri Confessariis Regularibus ab Episcopo non approbatis: hoc tamen est Limitandum, quando prædicti, virtute Jubilæi, aut Bullæ Cruciatæ, (in illos in quibus ea suffragatur) volunt eligere Confessarium: nam hic debet ab Episcopo esse approbatus; sic enim in Jubilæo, & Bullâ exprimitur, & necessario requiritur; Quidquid in oppositum videatur docere Tamborin. *de jure Abbat. tom.* 2. *disp.* 6. *q.* 17. *n.* 2. dum asserit, sufficere approbationem Prælati Regularis, ut Abbas vel quilibet Regularis possit eligere, virtute Bullæ, vel Jubilæi, Regularem ab eo Prælato approbatum.

SECTIO XXIII.

An Moniales habentes Licentiam a suis Prælatis, ad Bullam suscipiendam, possint, virtute Bullæ, eligere approbatum utcunque ab Ordinario?

223. AD hujus quæstionis explicationem, Supponendum primò, quòd licèt Conc. Trid. *sess.* 23. *de reform. cap.* 15. nihil innovasset circa confessiones pœnitentium Regularium, tam virorum, quàm Monialium, ut tenent communiter D.D. Card. de Lug. *de pœnit. disp.* 21. *n.* 2. Bordon *tom.* 1. *resol.* 36. *n.* 71. attentâ tamen Const. Gregorii XV. quæ incipit *inscrutabili*: sub data 5. Februarii, anni 1622. apud Cherub. *tom.* 3. *& est* 18. *inter alias hujus Pontificis.* Relata à Bordon. *proximè*, non posse hodie Moniales, sive sint exemptæ, sive non, confiteri aliis confessariis, nisi sint approbati ad earum confessiones in particulari. Et non possunt eorum Prælati, illis designare alios generaliter ad confessiones sæcularium approbatos. Sic ex prædictâ Const. Gregorii constat, & super hanc Const. aliquas edidit declarationes S. Congreg. approbante Urbano VIII. quas referunt Cherubin. *loco cit.* post dictam Constit. Aloisius Riccius *in decis. Curiæ Archiep. Neapol. part.* 4. *decis.* 24. *post. n.* 12. & Bordon. *loco citat. & seqq. num.*

224. Et cùm hæc doctrina sit inter Authores Communis, & in praxi recepta: ut supponunt jam citati, & Portel *in respons. moralib. part.* 6. *cas.* 13. *n.* 4. Pellejar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 2. *n.* 29. & alii, quos citant; non sunt audiendi Thom. Hurt. *tom.* 2. *tract.* 11. *cap.* 1. *resol.* 34. §. 2. *n.* 20 23. & Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 11. *q.* 46. asserentes Const. Gregorianam in Hispaniâ non esse receptam, & ita posse Provincialem Regularem designare sacerdotem idoneum, qui non sit ab Episcopo approbatus, ad confessiones Monialium audiendas. At oppositum *infra sect.* 25. ostendemus. Ex alio capite poterat habere locum sententia horum Authorum, primò: nam in Clementis X. Const. solùm fit mentio; de approbatione specialiter ab Episcopo requisitâ, ad Monialium confessiones audiendas; quando non Regularibus sed ipsi Episcopo fuerint subjectæ: ut ex allatis mox verbis constat; Secundò, quia praxis, quoad confessiones Monialium exemptas, est; quòd specialis approbatio ab Episcopo non exigitur, sed Provinciales ex suis approbatis pro sæcularibus, designant illos, quos volunt, ad suarum Monialium Confessiones excipiendas. Cùm tamen à Gregorio XV. contrarium sit dispositum & tales confessiones à S. Cardi. Consproj. confessiones declarentur irritæ, approbante ipso Gregorio, & ejus successore Urbano VIII. Et opposita sententia sit communis, ab illa recedere non audeo.

225. Secundò supponendum; Clementem X. in suâ Const. sæpius citatâ, sic decidisse, circa approbationes pro Monialium confessionibus: *Generaliter approbatos ab Episcopo, ad personarum sæcularium confessiones audiendas, nequaquam extensi approbatos, ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum; sed egère quoad hoc speciali Episcopi approbatione; atque approbatos pro audiendis Confessionibus Monialium unius Monasterii, minimè posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterii. Itidemque Confessores extraordinarios semel deputatos atque approbatos ab Episcopo ad Monialium Confessiones pro unâ vice audiendas, haud posse, expletâ deputatione, in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire. Sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.*

226. Multa circa declarat. S. Congreg. *n.* 223. *citatam* resolvuntur apud Barbos. *in cit. loco Tridentt. sess.* 25. *cap.* 10. *de reform. Regul. & Monialium à n.* 16. *usque ad finem capit.* Ego verò noto, Confessarios ordinarios, ad determinatum tempus ab Episcopo approbatos, v. g. ad triennium, non posse eo elapso, audire Moniallium confessiones, absque novâ approbatione, sic enim colligitur ex iis, quæ diximus de approbatione, pro limitato tempore. His suppositis.

227. Ad quæstionem in titulo propositam, respondetur non posse Moniales Episcopis subjectas, virtute Bullæ, eligere Confessarium, utcumque ab Episcopis approbatum, sed tantùm illos, qui ab Episcopo sunt approbati ad audiendas ipsarum Monialium Confessiones. Ratio est clara ex Const. Clementis X. quia, virtute Bullæ, solùm potest eligi approbatus ab Ordinario, ut ex ipsa constat; sed alii Confessarii ad audiendas confessiones in Diœcesi approbati, non sunt approbati ad audiendas confessiones Monialium, ut ex ipsa Const. liquet, ibi: *Generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum Sæcularium Confessiones audiendas, nequaquam extensi approbatos, ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum, sed egère, quoad hoc speciali Episcopi approbatione*: ergo ab illis non possunt eligi.

228. Nec etiam ipsæ Moniales possunt eligere illos, qui semel, vel pro aliquâ vice, fuerunt pro illis approbati; quia cùm ea approbatio jam finita sit; actu jam non sunt approbati: sed *ut supra n.* 88. dicimus, approbatio debet esse actualis: ergo nec hos possunt, virtute Bullæ, eligere. Et idem dicendum, virtute Jubilæi; quia ad illum etiam requiritur, quòd detur approbatio ab Ordinario actualis in Confessario eligendo: cùm ergo ap-

5. Dico primò: Pueri ante annos pubertatis, licèt probabiliter eximantur ab incursione censurarum, ut cum Vasq. Soar. Cordub. Ahor Dian. & aliis, tenet Leand. *part.* 4. *tract.* 1. *disp.* 2. *q.* 12. & cohærent huic opinioni, Const. Synodal. Ulyliponenses *lib.* 1. *tit.* 10. *decret.* 1. §. 4. dum asserunt, suæ intentionis non esse, comprehendere dictos pueros, in excommunicatione latâ, adversus illos, qui non confitentur à die cineris, usque ad Dominicam in Albis, subjiciuntur tamen probabilius casibus reservatis. Ratio est, quia reservatio non est pœna, sed restrictio jurisdictionis ob bonum publicum. Unde ligat omnes pueros, ante annos pubertatis. Et etiam illam ignorantes. Ita cum Homobon. Lazar. Horon. Card. de Lug. Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 12. *q.* 5. Mend. *disp.* 22. *n.* 16. Tambor. ubi *supra n.* 2. Moya *tract.* 3. *disp.* 8. *q.* 2. *n.* 5. Arriag. *de pœnit. disp.* 40. *n.* 4. *Vers. Dubita.* Quidquid in oppositum, tenent Quintanad. *tract.* 3. *singul.* 11. *n.* 1. Januarius *de casib. reservat. resol.* 1. apud Dian. *part.* 10. *tract.* 14. *resol.* 65. Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 7. *disp.* 1. *n.* 68. & 81. & apud Leand. & Moyam *locis cit.*

6. Si tamen reservatio primariò imponatur, in odium alicujus peccati, ejusque pœnam: ut quando lex specialiter persequitur aliquod delictum, & ejus absolutionem reservat; qualis est illa Sixti V. contra malè promotos ad sacros ordines, & Gregorii XIII. de datis, & promissis pro Gratia, vel justitia obtinenda, apud sedem Apostolicam; tunc reservatio ignorantes non ligat. Dum tamen reservatio fit simpliciter, datur jurisdictionis restrictio. Sic Sanch. *lib.* 9. *de matrim. disp.* 32. *n.* 18. Card. de Lug. *de pœnit. disp.* 20. *n.* 11. Tamborin. proximè *n.* 3. & 4. Bard. *part.* 2. *tract.* 6. *cap.* 1. *n.* 42. & 43. Moya proximè *dict. q.* 2. *n.* 1. Soar. Lusit. *supra n.* 68. S. Arriag. *loco cit.*

7. Dico secundò: Peccata venialia, & mortalia ritè, & jam semel confessa, quamvis à S. Pontifice possint reservari (quod negat Vasq. & alii) non expedit tamen ea reservari, quia similiter reservarentur; nullus enim tenetur, ea confiteri. Ita Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 29. *sect.* 3. Card. de Lug. *disp.* 20. *n.* 12. Agid. Hurt. Filliuc. Villal. Granad. Candid. Fagund. Henriq. Laym. & alii, quos referunt, & sequuntur Leand. *proximè q.* 6. Dian. *part.* 8. *tract.* 1. *resol.* 52. Mend. *disp.* 23. *n.* 16. Tambor. *tit. cap.* 4. *n.* 5. Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 7. *disp.* 1. *n.* 9. Arriag. *supra n.* 5.

8. Dico tertiò: Peccata merè interna, licèt possint reservari (quod negant Bordon *tom.* 1. *resol.* 37. *n.* 9. Tambor. *de jure Abbat. tom.* 2. *disp.* 13. *q.* 1. & alii) non expedit tamen ea reservari. Prima pars probatur, quia sicut superior, seu Prælatus potest concedere jurisdictionem, ad hujusmodi peccata absolvenda, ita etiam potest illam limitatam concedere. Secunda ostenditur, quia peccata merè interna non sunt infectiva communitatis, cujus saluti superior, seu Prælatus consulere debet. Ita Soar. *dict. sect.* 3. *n.* 3. Mend. *supra n.* 17. Agid. *de Sacram. disp.* 8. *dub.* 11. Moya *in q. q. select tract.* 3. *disp.* 8. *q.* 1. *n.* 1. Soar. Lusitan. *proxime num.* 11. & 12. Arriag. *proximè.*

9. Dico quartò: de facto nulla peccata merè interna sunt reservata; ostenditur, quia jure communi nullum datur reservatum; nec S. Pontifex, aut Episcopi ea solent reservare. Ita Fagund. Card. de Lug. Vasq. Dian. Henriq. & alii, quos citat, & sequitur Leand. *cit. q.* 8. Tamborin. ubi *supra cap.* 4. *n.* 13. Mend. *super cit. dict. n.* 17. ubi ait, non esse audiendos affirmantes hæresim internam esse reservatam. In Diœcesi tamen Conimbricensi hæresis mentalis de facto reservatur. Vide *disp.* 18. *n.* 374.

10. Dico Quintò: Peccatum dubium mortale, sive dubium sit, an sit commissum, sive an sit mortale, aut an sit confessum? Potest reservari; quia certum est, esse obligationem confitendi peccata dubia: ut cum communi Doctorum tenet Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 5. *q.* 26. ergo sicut superior potest jurisdictionem ad illa absolvenda concedere, ita etiam potest, eam concedere cum limitatione. Sic Bossius *de jubil. sect.* 4. *cas.* 13. *n.* 2. Gaspar Hurt. *de pœnit. disp.* 11. *disp.* 6. Card. de Lug. *de pœnit. disp.* 20. *n.* 16. & alii, quos referunt, & sequuntur Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 12. *q.* 10. Mend. ubi *supra*. Soar. Lusit. *ubi supra n.* 17.

11. Si tamen, expressis verbis, non reservetur peccatum dubium, non censetur reservatum; quando enim reservatur aliquod peccatum, intelligenda est reservatio, de eo quod est certum; quia reservatio, cùm sit odiosa, de peccatis simpliciter, & non de dubiis, est intelligenda. Sic D. D. *super citat.* & Tambor. *dict. cap.* 4. *n.* 6.

12. Dico sextò: si peccatum dubium reservatum, sit à confessario inferiore absolutum; & postea ipsi pœnitenti Constet certò, fuisse reservatum, vel incursam excommunicationem, non tenetur, juxta probabilem opinionem, pro absolutione, recurrere ad superiorem. Ita Card. de Lug. *proximè n.* 20. Leand. *q.* 12. Mend. *dict. n.* 17. Tambor. *n.* 11. Moya *cit. q.* 3. *n.* 4. & *seqq.* Ratio est, quia quamvis probabilius sit, pœnitentem teneri iterum confiteri peccatum, ut certum, quod confessus fuerat, ut dubium: non teneri tamen, probabile est: Quamvis id probabilius judicet. Soar. Lusit. *dict. tract.* 7. *n.* 22.

13. Dico septimò: Quando S. Pontifex, vel Episcopus aliquod peccatum cum censura reservat, non solùm censura, sed etiam ipsum peccatum manet reservatum; ratio est, quia utrumque potest reservare, ut utrunque in reservatione exprimit: ergo utrunque censetur reservatum, dum ex verbis non constat, solam censuram reservari. Sic Sanch. *lib. decal. cap.* 8. *n.* 5. Card. de Lug. *disp.* 20. *n.* 26. Soar. *dict. cap.* 29. *sect.* 2. *n.* 8. Vasq. Henriq. Fagund. & alii, quos sequitur Leand. *proximè q.* 14. Mend. *disp.* 23. *n.* 18. Tambor. *cit. cap.* 5. *n.* 3. Arriag. *de pœnit. disp.* 40. *n.* 12.

14. Adverte tamen cum Soar. *dict. sect.* 2. Mend. *loco cit.* Tambor. *n.* 1. de facto nullum esse peccatum reservatum S. Pontifici absque censura, nam licèt in nonnullis decretis unum, vel alterum peccatum, sine censura, S. Pontifici reservatum reperiatur; attamen id sufficienter, partim interpretatur. Castr. Palao *tract.* 23. *de pœnit. disp. unic. punct.* 15. §. 2. *n.* 2. & partim Bossius *de jubil. sect.* 1. *cas.* 2. Horon. *de casib. reservat. part.* 1. *cas.* 2. *n.* 7. & alii passim. Concessâ tamen licentiâ, ad absolvendum à censura, censetur etiam concessa ad absolvendum à peccato, vel è contra. Ita cum pluribus Fagund. *in* 2. *Eccles. præcept. lib.* 8. *cap.* 1. apud Mend. *n.* 13.

15. Dico octavo: quando quis ignoravit, censuram esse annexam huic peccato; non manet peccatum reservatum, si peccatum cum censura erat S. Pontifici reservatum ignorantia censuræ excusat ab illa incurrenda; & peccatum non est S. Pontifici reservatum, nisi cum censura annexum. Ita

Soar. dicit. *disp.* 29. *sect.* 2. Sanch. etiam *citat.* cum pluribus Leand. *q.* 16. Mend. *proximè* Tambor. *n.* 4. Soar. Lusit. *cit. n.* 48. *& 71.* Si autem peccatum cum censura Episcopo reservetur. Vide *infra disp.* 18. *n.* 309. An verò peccata, ut sint reservata, debeant intelligi, juxta tenorem Constit. completa? Vide *infra disp.* 16. *n.* 67.

SECTIO II.

Aliqua de censuris præmittuntur?

16. CUm *præcedente sect. n.* 14. diximus, nullum de facto esse peccatum S. Pontifici reservatum, quod annexam non habeat censuram; & in hac, & sequenti disputatione, tractandum sit, quid virtute Bullæ, possit electus confessarius? Necessarium duxi non solùm in principio hujus disputationis, præhibare aliqua de reservatione casuum, ut *sect. antecedente* egimus, sed etiam aliquam de censuris; ut luculentiùs hoc privilegium explanetur. Et omissis, quæ de nominis etymologia à tractantibus de censuris afferuntur.

17. Dico primò: Censura Ecclesiastica, sic definitur: *Est pœna spiritualis, per quam homini baptisato delinquenti, ac contumaci, aufertur, per Ecclesiasticam potestatem, usus quorundam bonorum Spiritualium.* Sic communiter D. D. Soares *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 1. *sect.* 1. *n.* 5. Bonacin. *de censur. disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 1. Candid. *disquis.* 22. *art.* 1. Leand. *tom.* 4. *tract.* 1. *disp.* 1. *q.* 1.

18. Dico secundò: Ad censuram incurrendam: requiritur contumacia: ut fatentur omnes Doctores apud Leand. *tom.* 4. *tract.* 1. *disp.* 5. *q.* 1. Quare jam ferri non potest, ob peccatum præteritum. Sic cum Sot. & communi Mend. *disp.* 25. *n.* 3. Ignorantia Censuræ ab illa excusat; & si ab Episcopo sit imposita; ex ipso jure constat, *in cap. animarum, de Const. in* 6. Et si à S. Pontifice, etiam patet: quia se habet ad instar aliorum Ordinariorum, pro suo duntaxat Episcopatu. Si verò censura sit lata à S. Pontifice, ut Pontifex est, etiam ignorantia ab illa excusat; quia ad incurrendam censuram, requiritur contumacia: ut vidimus *n. præcedente*, & ubi datur ignorantia censuræ, non datur inobedientia, quæ contumaciam generet. Sic Sanch. Bonac. Castr. Pal. & alii, quos citatos refert, non tamen in hoc ultimo casu de contumaciâ. Leand. *tom.* 4. *tract.* 1. *disp.* 9. *q.* 2. 3. *&* 4.

19. Dico tertiò: Censura dividitur in tres tantùm species, nempe: excommunicationem, suspensionem, & interdictum, ex text. *in Cap. quærente de Verb. signif.* & tenent Hostiens. Panormit. Armill. Navarr. Imol. Roman. Cardinal. Acost. Villal. Soar. Sanch. Ajul. Dian. Laym. Trullench. quos refert, & sequitur Mend. *disp.* 25. *n.* 7. Sylvest. Tabien. D. Antonin. Ledesm. Cajet. Joann. Lignanus, Valenc. Agid. Alterius Præpos. Sylvius Hurt. Luysius. Bauny, Candid. Bassæus, Jodoc. Rastellius Villal. Lamas. Filliuc. Bonacin. Vihald. Castr. Pal. quos præter *supra* citatos adducit, & sectatur Leand. *tom.* 4. *tract.* 1. *q.* 3. Non defuerunt, qui docerent, esse septem, alij qui dicerent, esse quinque; & alii quatuor. Sed quod à nobis est dictum; verius, est tenendum. De interdicto, aliqua attigimus, *disp.* 11. *sect.* 1. & de cessatione à divinis. *sect.* 24. *ejusdem disp.* nunc aliqua de excommunicatione, & suspensione, præhibabimus.

20. Dico quartò: Excommunicatio dividitur primò, in majorem, & minorem. Major definitur: *Censura Ecclesiastica privans hominem baptizatum omnibus bonis communibus Ecclesiæ*, nempe; suffragiis, participatione sacramentorum, tam activâ, quàm passivâ, & externis bonis communibus, quæ hoc versu continentur: *Os, orare, vale, communio, mensa negatur.* Sic Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 8. *& sequentibus.*

21. Hæ privationes olim, jure antiquo, procedebant in quolibet excommunicato majori excommunicatione, *ex can. cum non ab homine, de sent. excommunic.* At nunc, jure novo Concil. Constantiensis, solùmmodò procedunt in illis, qui expresè, specialiter, & nominatim sunt declarati, & denunciati; & in illis, qui notoriè clericorum percussores fuerint. Sic Bonac. *disp.* 2. *q.* 2. *punct.* 1. Vasq. *de excomm. dub.* 3. *à n.* 5. *& seqq.* alios plures refert, & sequitur Leand. *tom.* 4. *tract.* 2. *disp.* 2. *q.* 5. *&* 6.

22. Dantur tamen aliqui casus, in quibus communicatio cum excommunicatis, excusat ab incurrenda excommunicatione minore, (quæ tantùm incurritur, per hanc communicationem) qui continentur, hoc versu: *Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.* Laym. *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 2. *de excomm. à n.* 16. & plures apud Leand. *tom.* 4. *tract.* 2. *disp.* 15. *q.* 1.

23. Dico quintò: Qui communicat cum excommunicato vitando, in crimine criminoso, peccat mortaliter, & in eandem incurrit excommunicationem; constat ex *cap. nuper. & cap. Concubinæ, de sent. excomm.* Communicare, in crimine criminoso, est confirmare excommunicatum in sua contumacia, v. g. est quis excommunicatus, quia debitum non vult solvere. Ille verò, qui illi consilium, favorem aut auxilium præstat, ne solvat; dicitur communicare cum excommunicato, in crimine criminoso. Vide Soar. *disp.* 17. *sect.* 2. Villal. *tract.* 27. *diff.* 13. Leand. *dict. tract.* 2. *disp.* 14. *q.* 5. *&* 8. ubi alios citat.

24. Communicare in divinis, cum excommunicato vitando, regulariter est peccatum mortale. Avil. 2. *part. cap.* 6. *disp.* 8. *dub.* 3. Navarr. *in sum. cap.* 27. *n.* 93. Agid. *disp.* 14. *de cens. dub.* 14 *n.* 146. Leand. *proximè q.* 10. *& seqq.* Communicare verò, in humanis, seu Civilibus, est peccatum veniale; nisi adsit contemptus, vel sequatur scandalum. Sayr. *lib.* 2. *cap.* 12. *n.* 4. Regin. *lib.* 32. *n.* 92. Leand. *nuper cit. q.* 1. 2. *&* 3.

25. Dico sextò: excommunicatio minor privat solâ participatione passiva sacramentorum, *ex cap. à nobis, de exception.* & ab electione passiva beneficii, ex *cap. si celebrat, de cleric. excomm. ministrante.* Incurritur per solam communicationem cum excommunicato vitando, ex textu *in cap. nuper, de sent. excommunic. cap. statuimus eodem. in* 6. & in *cap. quotidiana de elect. in.* 6. ubi vocatur simplex excommunicatio. Gasp. Hurt. *disp.* 16. *de excomm. n.* 1. Soar. *cit. disp.* 24. *sect.* 3. *n.* 2.

26. Qui cum excommunicatione minori suscipit sacramenta, vel recipit, aut eligitur ad beneficium; si electioni consentiat, peccat mortaliter. Sayr. *lib.* 2. *de excom. cap.* 22. *n.* 21. Bonacin. *disp.* 2. *q.* 3. *n.* 3. Laym. *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 3. *n.* 4. Sacramenta tamen, & collatio beneficii, non sunt irrita. Bonac. *dict. q.* 3. *n.* 3. *&* 7. Quamvis,

esse

approbati utcumque, non sint approbati ad Monialium Episcopo subjectarum confessiones audiendas, ab illis eligi non possunt. Et ante Const. Clementis X. sic fuisse decisum, refert Garcia *de benefic. part. 2. cap. 5. n. 64.* quem citat, & sequitur Barbos. *supra n.* 24. Idem docuerunt Faustus, Molfesius, Leo, & Francisc. Joann. Soar. quos videtur sequi Dian. 3. *part. tract. 4. resol.* 154. Loquentes de jubilæo, in quo idem datur privilegium. Vide Bejam in respons. casuum *p. 3. cas. 6. pag. 326. Vers. Et Reverendissimo.*

229. Quare judico, post prædictam Const. Clementis X. improbabilem esse opinionem asserentium absolutè, Moniales tam exemptas, quàm non exemptas, tempore Jubilæi, posse eligere quoscunque confessarios ab Ordinario approbatos: ut docuerunt Bonac. Peyrin. Bossius Mend. Quintanad, quos referunt, & sequuntur Dian. *part. 5. tract. 12. resol. 12.* Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 14. q. 86.* Soar. Lusit. *de pœnit. tract. 6. disp. 3. n. 328.* Quia eodem modo requiritur approbatio in eligendo confessario, virtute Bullæ, ac in eligendo, virtute Jubilæi; sed, quicumque confessarii ab Ordinario approbati non sunt ad Moniales non exemptas approbati: ut constat ex citata Const. ergo sicut, virtute Bullæ, etiam si à suis Prælatis facultatem habeant ad illam sumendam, non possunt eligi quicumque approbati; sic etiam, nec virtute Jubilæi. Et idem videtur, dicendum de illis, qui non sunt approbati ab Ordinario Diœcesano, ad confessiones exemptarum audiendas, juxta Const. Gregorii XV. ut jam supra dictum est *n.* 224. *in fine.*

SECTIO XXIV.

An Regularis semel ab Episcopo approbatus, possit, virtute Bullæ, eligi?

230. HÆc quæstio, quæ primo aspectu nullam videtur habere difficultatem, illâ non caret, quia in Bulla Latina, & summario, ita expressè proditur, ut etiam litterarum ignari eam fateantur callere: sic enim habet Bulla Latina, seu plumbea: *Ut idem omnes, dicto anno durante, quemcumque presbyterum sæcularem, vel cujusvis etiam Mendicantium Ordinum Regularem ex his, qui ab Ordinario, & quoad Regulares, semel tantùm approbati fuerunt, in confessorem eligere,* &c. In summario, sic transcribitur; *que durande o dito anno, possam eleger confessor secular, ou Regular de qualquer ordem, approvado pello ordinario, e quanto aos regulares, basta que huma so ves seiam approvados.*

231. Ex his verbis, quæ, inter approbationes sacerdotum sæcularium, & Regularium, distinctionem apponunt, non levis oritur difficultas. Ratio difficultatis in eo consistit; quia si ad Regulares una tantùm approbatio sufficit, & requiritur; hæc etiam requiritur, & sufficit ad sacerdotes sæculares, si ab Episcopo non revocetur; & si ab illis revocetur, etiam à Regularibus, justâ intercedente causâ, potest revocari; & sicut sacerdotes sæculares, revocatâ approbatione, non possunt confessiones excipere; ita etiam nec, virtute Bullæ, possunt Regulares: ut benè docet Mend. *disp. 22. n. 98.* Trullench. *in Bull. lib. 1. §. 7. dub. 7. n 18.* ergo distinctio inter approbationes sacerdotum sæcularium, & Regularium apposita in Bulla, nullum videtur continere privilegium. Ut tamen hæc difficultas elucidetur.

232. Suppono, juxta Const. Clementis X. ut *supra* vidimus, duobus modis, posse Episcopum Regulares approbare. Primò, generaliter, absque ulla limitatione temporis, loci, & personarum; si generaliter idonei reperti fuerint. Secundò, limitatè; si adeo idonei reperti non inveniantur. Hoc supposito.

233. Dico primò: si Regulares secundo modo ab Episcopo approbentur, elapso tempore, pro quo fuerunt approbati, sine alia nova approbatione, virtute Bullæ, non possunt eligi: quia verè non sunt approbati; & de hac approbatione, quamvis semel ab Episcopo, Regulari fuisset collata, non loquitur Bulla, dum asserit: *Quoad Regulares; semel tantum approbati fuerint:* quia si de his Bulla intelligeretur, etiam intelligeretur de illis, qui, justâ superveniente causâ, fuerunt reprobati; at hoc non est dicendum, ut *supra* dictum, &c. ergo etiam idem dicendum de illis, qui ad tempus fuerunt approbati, finito tempore approbationis: non enim apparet disparatio.

234. Quare si de his ad tempus approbatis, elapso tempore approbationis, possit Bulla intelligi, & non de aliis, qui justâ superveniente causâ, fuerunt reprobati, esset expressè contra Bullam, quia utrique fuerunt semel ab Episcopo approbati: cùm ergo de his ultimis non intelligatur; ita etiam de primis non intelligitur. Et ita, ante dictam Constit. de approbatis cum limitatione, elapso tempore, pro quo fuerunt approbati, docuerunt Trullench. *in Bull. lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 7. n. 17.* ubi asserit, hoc etiam debere, sentire omnes illos, qui docuerunt, Episcopos posse cum limitatione, ad tempus Regulares approbare, & Mend. *proxime n.* 101. Dixi *elapso tempore*, nam intra illud, cùm sint approbati, virtute Bullæ, possunt eligi.

235. Dico secundò: si verò Regulares fuerunt primo modo approbati, cùm semel juxta dictam Const. Clementis X. debeant approbari, de illis intelligitur Bulla: hæc enim approbatio est, juxta jus commune, quod unam tantùm in Regularibus idoneis requirit approbationem, in quacumque Diœcesi; & secundùm hanc Const. & jus commune, debet intelligi privilegium Bullæ Cruciatæ, in prædictis verbis, in quibus existimandum est, noluisse S. Pontificem novum inducere in Bullâ privilegium, circa Regularium approbationem; sed quod jure communi licitum erat, aut statutum, circa Regularium approbationem, illud, in privilegio Bullæ, expressit observandum.

236. Et ratio est, quia cùm Episcopus reperit Religiosum idoneum generaliter, & illum semel approbaverit, jam jure censetur idoneus, & ipsi ab Episcopo jurisdictio impediri non potest; unde nec revocari approbatio validè; sicut sacerdotibus sæcularibus, etiam sine causa validè, quamvis non licitè revocari potest. Et ita docet Valq. *de pœnit. q. 93. dub. 5. n. 4.* quoad explicationem Bullæ Cruciatæ; & quoad revocationem approbationis sæcularium sacerdotum Bard. *part. 2. tract. 5. cap. 2. n. 44.* & alii plures, quos refert, & sequitur Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 11. q. 87.* & est inter Authores sententia communis. Et ex dicta explicatione,

esse irritum Sacramentum pœnitentiæ, teneat cum aliis Hurt. *dict. disp. 16. diff. 1. n. 3.* Et Electionem, & Collationem similiter irritam. *Navarr. in Summ. cap. 27. n. 24.* & alii.

27. Et per administrationem Sacramentorum, cum excommunicatione minori, irregularitas non incurritur. Soto Convarr. Soar. & alii, quos refert, & sequitur Castr. Pal. *part. 6. de Cons. disp. 2. punct. 21. n. 11.*

28. Porro, ab hac minori excommunicatione, potest absolvere quilibet Confessarius Agid. Coninch. *disp. 14. dub. 19. n. 265.* Sayr. *lib. 2. de excomm. cap. 23. n. 10.* Potest etiam parochus, etiam si sacerdos non sit, quia hæc absolutio non est actus ordinis, sed jurisdictionis, sic Filliuc. *tract. 13. cap. 7. q. 6. n. 140.* Castr. Pal. *cit. n. 21.* An verò etiam possit simplex sacerdos? Plures affirmant, quos sequitur Gasp. Hurt. ut *supra diff. 2. in fine.* Probabiliùs tamen negandum, cum Soar. *tom. 8. in 3. part. disp. 7. sect. 4. n. 17.* Henriq. *lib. 13. cap. 18. n. 8.* Castr. Pal. *super cit. n. 23.* & alii.

29. Dico Septimò: Suspensio est Censura Ecclesiastica, quâ minister Ecclesiæ formaliter impeditur, ne functiones Ecclesiasticas exerceat, aliquâve potestate utatur. Sic Soar. *tom. 5. in 3. part. dub. 25. sect. 1. n. 2.* Laym. *lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 1.* Et alii communiter. Multipliciter dividitur: ut videre est, apud Authores citandos. Si Lata sit absolutè, Comprehendit Suspensionem ab officio, & beneficio; si cum Limitatione v. g. ab officio; cum hac Limitatione tantùm intelligitur. Sic Avil. *3. part. disp. 2. dub. 1. Conclus. 2.* Soar. *citat sect. 2. n. 9.* Et alii, apud Leand. *tom. 4. tract. 4. disp. 3. q. 4.* Si verò Lata sit, ne delictum Committatur, vel ut à contumaciâ recedatur, est censura; quia est medicina, & per illam intenditur emendatio; si autem constet, ferri tantùm pro delicto jam commisso, non est censura, sed mera pœna. Ita Soar. *proximè sect. 1. n. 15.* At Si dubium sit, an sit censura, aut merè pœna? judicandum est, esse censuram; quia in odiosis, benignior interpretatio est adhibenda; at benignior est, esse censuram; quæ est medicina ad salutem; quàm esse pœnam, quæ est vindicta delicti: Ita Tambor. *lib. 10. de censur. tract. 2. de Suspensione cap. 1. n. 7.* Hæc de censuris attigisse sufficiat, ad nostram Bullæ expositionem. Alia videri possunt, apud Summistas, & apud Bonacin. Soar. Gasp. Hurt. Leand. *Locis citatis.*

SECTIO III.

Qui casus sint, in jure Canonico, S. Pontifici reservati?

30. UT Confessarius, virtute Bullæ electus, conscius sit casuum S. Pontifici reservatorum; semper annexam habent excommunicationem, ut *supra n. 14.* diximus, A quibus (nonnullis exceptis) semel in vitâ, & in mortis articulo, confessarii, virtute Bullæ, possunt absolvere; scire oportet, quinam sint hi casus? In præsenti, recensebimus casus, seu excommunicationes, in jure Communi, S. Pontifici reservatas; in sequenti sectione, quæ extra jus Commune, illi reservantur; remittentes illas, quæ ad Bullæ extræ attinent; ad disput. sequentem, in qua de illis erit explicatio.

31. Primus casus, seu excommunicatio reservata S. Pontifici, habetur in *cap. si quis suadente diabolo. 17. q. 4.* Contra eos, qui manus violentas in Clericum, vel Monachum injiciunt. Nomine *Clerici* intelligitur, qui habet primam tonsuram, vel alium quemque ordinem superiorem, ut Constat ex *cap. Cùm contingat, de etat. & qualit. ordin.* Et cap. *ex parte, de Cleric. Conjugat.* Sayr. *lip. 3. thesauri, cap. 16. n. 8. & 9.* Degradatus verò realiter hoc privilegio non gaudet, *cap. degradatio, de pœn. in 6.* Nomine *Monachi*; veniunt Religiosi utriusque sexus, veram professionem, aut vota simplicia, in vera Religione, emittentes, nec non novitii, & qui vocantur Conversi; licèt in aliquibus Religionibus, veram non emittant professionem. Sic colligitur ex *Cap. ex tenore, Cap. de Monialibus Cap. Religiosi, Cap. non dubium verb. Conversos, de sent. excommunic.*

32. An verò Comprehendantur Equites militares? Certissimum est, Comprehendi Equites Melitenses; sunt enim veri Religiosi. De aliis, dissidium est; affirmant Garc. *de benef. part. 1. cap. 4. n. 15.* Bonacin. *tom. 1. disp. 2. de excomm. q. 4. punct. 3. n. 9.* & *tom. 3. disp. 2. q. 3. punct. 6. sect. 3. n. 9.* Consuetudini tamen, & illorum privilegiis, standum est. Asserit tamen Molin. *tract. 3. disp. 50. n. 5.* In Castellâ, & Lusitaniâ, nullo privilegio hos Equites gaudere; & cum illo consentit Castr. Pal. *tom. 6. disp. 3. punct. 23. §. 1. n. 16.* Vide Mend. *de ordin. milit. disquisit 3. n. 66.*

33. Hac excommunicatione innodantur omnes baptisati, qui suadente diabolo, manus violentas in Clericum, vel Monachum, injiciunt; cujuscunque qualitatis, aut conditionis sint. Actiones, per quas hæc incurritur excommunicatio, sunt occisio, mutilatio, percussio, vulneratio pede, ense, fuste, imò & veneno oculè propinato. Item si detineatur Clericus, vel Monachus, ne ab aliquo loco egrediatur; vel ita insequatur, ut ab aliquo loco præcipitetur. Denique si Clericus, vel Monachus ab alio Conspuatur, arundine percutiatur, pulvere Conspergatur, vestes, ipsi adhærentes dilacerentur, & equus, quo vehitur, violenter detineatur; nam licèt aliquæ, ex his actionibus, graviter corpus non lædant; honorem tamen non leviter offendunt. Ita DD. communiter Molini. *tract. 3. dup. 51. n. 1.* Avil. *2. part. cap. 5. disp. 3. dub. 12.* Bonac. *tom. 1. disp. de excomm. q. 4. punct. 1. §. 1. per totum.* Laym. Sylvest. Navarr. & alii, quos referunt, & sequuntur Castr. Pal. *tom. 6. disp. 3. punct. 23. §. 2. n. 2.* Dian. *part. 9. tract. 4. resol. 27.*

34. Ut hæc excommunicatio incurratur, debet actio externa, esse ita gravis, ut arbitrio prudentis sufficiat ad peccatum mortale. Ita Soar. *disp. 22. sect. 1. n. 27. & alii citati.* Extenditur ad eum, qui titulo justitiæ tenebatur, illam actionem injuriosam, seu violentam impedire; & non impedivit. Ita Navarr. *in Sum. cap. 27. n. 78.* Henriq. *lib. 14. cap. 12. n. 7. Litt.* H. Molin. *cit. disp. 52. n. 6.* & alii plures; qui etiam illam extendunt ad eum, qui illam ratam habuit, aliquo signo externo; si suo nomine, vel in sui gratiam, fuit facta. Extenditur etiam ad consulentes ex eodem *cap. Si quis*, & ad mandantes, effectu secuto, *ex cap. mulier. §. illo verò, de sent. excomm. cap. Cùm quis, eodem, in 6.*

35. In ordine ad absolutionem, virtute Bullæ,

læ, adverte, percussionem, vel esse gravem, vel mediocrem, Levem. Dico *Levem*, non ratione culpæ, quia excommunicatio culpam mortalem requirit; sed *Levem* respectu aliarum percussionum, quæ sunt graves, vel mediocres. Percussio dicitur gravis, tum ratione personæ offensæ, & offendentis, & aliis circunstantiis, tum ratione corporis læsionis, sanguinis effusionis; dummodo non sit è naribus; nam ab his, levi percussione, copiosus effunditur. De his vide Molin. *disp.* 57. *n.* 3. Castr. Pal. ubi *supra punct.* 23. §. 4. *n.* 2. & alios, quos citat. Si verò percussio, modo dicto, sit Levis; potest, virtute Bullæ, toties quoties absolvi; quia est casus Episcopalis, & ad Episcopum pertinens: ut ex *Cap. pervenit, de sent. excomm.* colligunt D.D. Sin autem fuerit percussio gravis, vel mediocris, cùm sit casus Pontificius, seu Papalis; potest, virtute Bullæ, absolvi, semel in vitâ, & in mortis articulo. An verò solùm pro foro interno, videbimus *infra disp.* 17. *sect.* 4. circa hanc excommunicationem, vide dicenda *infra disp.* 18. *sect.* 8. §. 2. Hæc de hoc primo casu, seu excommunicatione, quæ tantùm in Decreto Gratiani habetur.

36. Secunda excommunicatio habetur *in Cap. quærenti, de offic. delegat.* ubi excommunicatus à Delegato Principis, si per annum in excommunicatione perseveraverit, S. Pontifici reservatur. Soar. *disp.* 22. *sect.* 1. *n.* 1. Bonacin. *tom.* 3. *decens. disp.* 2. *q.* 3. *punct.* 22.

37. Tertia fertur *in Cap. dura de crimin. falsi.* in quo præcipitur Ordinario, excommunicationem promulgare, contra eos, qui Litteras Apostolicas falsas habent; si intra viginti dies, eas non destruant, vel tradant. Et hæc excommunicatio S. Pontifici reservatur. De hac videri potest Filliuc. *tract.* 15. *cap.* 2. *q.* 4. Bonacin. *tom.* 3. *disp.* 2. *q.* 3. *puncto* 4.

38. Quarta, lata est *Cap. significavit, de sentent. excommunic.* Contra clericos, qui scienter, & sponte admittunt ad divina officia, & communicant in illis, cum excommunicatis à S. Pontifice. Ad hanc incurrendam excommunicationem plures requirunt D. D. conditiones. Prima, ut excommunicatus non sit utcunque, sed judicialiter, & nominatim. Secunda, ut qui participat, sit clericus, quo nomine non veniunt Religiosi. Tertia, ut participet, & admittat excommunicatum ad prædicta divina officia. Ubi dictio & cum sit conjunctiva; utrunque, ad hanc excommunicationem, requiritur. Quarta, ut admissio sponte, & scienter fiat: id est, cum scientiâ excommunicationes Pontificiæ, & aliosque metu. Ita Bonac. *dictâ disp.* 2. *q.* 5. *punct.* 3. Barbos. *de potest. Episcop. alleg.* 50. *n.* 88. & alii, quos citant.

39. Quinta, in *Cap. tua nos, de sentent. excommunic.* in quo incendiarii excommunicantur, & post denuntiationem, absolutio reservatur, ad sedem Apostolicam. Vide tamen Navarr. *cap.* 27. *n.* 94. Sayr. *lib.* 3. *Thesaur. cap.* 29. *n.* 8. Castr. Pal. *tom.* 6. *de cens. disp.* 3. *punct.* 24. *à n.* 5. & nos *infra* de casibus Episcopo reservatis *disp.* 18. *sect.* 7.

40. Sexta in *Cap. Conquesti* 22. *de sent. excommunic.* Contra effractores, & spoliatores Ecclesiarum; & post denuntiationem, à S. Pontifice obtineri debet absolutio. Ut tamen hæc incurratur excommunicatio, requiritur simul utrunque, effringere Ecclesiam, & illam spoliare. Quid veniat nomine *Ecclesiæ*, & alia, quæ ad hujus excommunicationis explicationem desiderantur; invenientur, apud Barbos. *de potest Episcop. alleg.* 50. *n.* 90. *in* 3. *part.* Bonac. 3. *tom. disp.* 2. *q.* 3. *punct.* 12. Castr. Pal. *proximè dict. punct.* 24. *à n.* 9. *usque ad finem punct.* Hæ sunt, quæ continentur in Decretalibus.

41. Septima excommunicatio, est prima ex iis, quæ in sexto Decretalium continentur, est in *cap. Fundamenta de electione, & elect. potest.* Adversus omnes cujuscunque gradus sint, aut dignitatis; qui, absque sedis Apostolicæ licentiâ, consentiunt, vel se intromittunt, per se vel per alios, electioni aut designationi alicujus, in Senatorem, Patricium, Ducem, aut Rectorem urbis Romæ. De illa tractant Sayr. *lib.* 3. *thesaur. cap.* 29. *n.* 20. & 29. Barbos. *dict. alleg.* 50. *n.* 91. Castr. Pal. *cit. punct.* 25. *n.* 1.

42. Octava excommunicatio habetur in *cap. Felicis de pan. in* 6. adversus eos, qui Cardinalem S. Roman. Eccles. hostiliter insequuntur, consulunt, mandant, ratumque habent hujusmodi delictum; quæ excommunicatio, partim continebatur, in *cap. si quis suadente* & hic ampliatur, quoad Cardinales. Vide D. D. à Barbos *in Collect. ad dictum cap. citatos.* Castr. Pal. *proximè à n.* 3.

43. Nona excommunicatio continetur in *Cap. Quicunque, de sentent. excommun. in* 6. contra eos, qui oblatam censuram, actione injuriosâ offendent latorem censuræ, vel ejus bona, vel illos, qui sunt sub ejus potestate, vel consanguineos, in suis bonis. Et ibi comprehenduntur mandantes, si re integrâ, non revocent mandatum; & alia, quæ ibi videri possunt. De illa tractant Castr. Pal. *cit. à n.* 6. Bonac. *tom.* 3. *disp.* 2. *q.* 3. *punct.* 15. Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 22. *sect. à n.* 2.

44. Decima, in *Cap. eos qui, de sent. excomm. in* 6. contra eum, qui fuit absolutus ab excommunicatione, S. Pontifici reservatâ, sub conditione; cessante impedimento se sistendi Papæ, vel satisfaciendi. Et non implet, cum commodè possit. Barbos. *de potest. Episcop. part.* 2. *alleg.* 25. *n.* 80. & *in Collect. ad dicit. cap.* Bonacin. *proximè q.* 3. *n.* 23.

45. Undecima fertur in *Cap. Clericis de immunit. Eccles. in* 6. contra eos, qui tributa imponunt Ecclesiasticis personis; & contra ipsas Ecclesiasticas personas, sine licentiâ Papæ, illa solventes; & quoad istam partem, sublata est excommunicatio, *in Clem. quoniam* 1. *de immunit. Ecclesiar.* & quoad aliam partem, non solùm non est sublata, sed innovata *in Bullâ Cœnæ casu* 18. De illâ agunt Barbos. *de potest. Episcop. alleg.* 50. *n.* 92. *in* 3. *part.* Castr. Pal. *ubi supra n.* 2. & alii apud Barb. *in collect. ad dictum cap.* Hæ excommunicationes reperiuntur in 6. Decretalium.

46. Duodecima, *in Clem. multorum. §. verum de hæretic.* contra Inquisitores fidei, & eorum vices gerentes, qui odio, amore, vel Luero, contra innocentes procedunt, vel omittunt procedere contra aliquem nocentem. Ad hanc incurendam excommunicationem, tria requiruntur; primum, ut graviter delinquant in suo officio; secundum, ut delinquant scienter, tertium, ut delinquant odii, gratiæ, amoris, lucri; vel commodi temporalis obtentu. Ita Barbos. *de potest. Episcop. part* 3. *alleg.* 50. *n.* 93. Bonac. *tom.* 3. *disp.* 2. *q.* 7. *punct.* 5. Castr. Pal. *tom.* 6. *disp.* 3. *punct.* 26. *n.* 1. & alii.

47. Decimatertia, *in Clem. Religiosi, de privileg.* adversus Religiosos præsumentes, laicis, vel

vel clericis, sine licentia parochi, aut privilegio sedis Apostolicæ Eucharistiæ Sacramentum, & extremæ unctionis ministrare, vel matrimonium solemnizare. Item contra presumentes, absque privilegio, absolvere ab excommunicatione majori edita, in Const. Pontificis. Vel editâ à Provincialibus, & synodalibus statutis Ac denique, contrà præsumentes absolvere à pœna, & culpa, nempe concedentes indulgentias, quæ à pœna liberant. De his videri possunt Barbos. *In Collect. ad dictam Clem. & de potest. Episcop. dict. alleg.* 50. *n.* 88. Castr. Pal. *supra à n.* 3. Gondon. *in univers. Theolog. moral. lib.* 7. *q.* 13. *cap.* 4. *n.* 64. & alii, apud ipsos.

48. Decima quarta, *in Clement. signis suadente de panis*, adversus eum, qui percusserit, ceperit, seu banniverit, aut hæc mandaverit fieri, aut facta ab aliis, rata habuerit, in Episcopum. At cum hæc excommunicatio sit innovata, in Bulla cœnæ, ibi de hac erit mentio. Interim adverto, hanc esse positam in Canone 11. qui est unus ex exceptis, in Bulla Lusitana. Unde nec semel in vita nec in mortis articulo, virtute illius, potest absolvi.

49. Decima quinta fertur in *Clem. Cupientes. §. sanè de panis*, adversus Religiosos, & clericos sæculares, qui ad vovendum, jurandum, vel promitendum, inducunt aliquem, ut in eorum Ecclesiis eligant sepulturam, vel electam non mutent; pœnâ contentâ *in cap.* 2. *de sepult.* In suo robore, perdurante. De hac Gambar. *de casib. reservat. cap.* 7. *n.* 4. Lavor. *de indulg. part.* 2. *cap.* 21. *n.* 25. Filliuc. *tract.* 15. 170. Barb. *de potest. Episcop. dict. alleg.* 50. *n.* 100. Castr. Pal. *cit. dict. disp.* 3. *punct.* 26. *à n.* 21.

50. Decimasexta continetur *in Clem. Gravis, de sentent. excomm.* Contra Dominos temporales præsumentes, quomodolibet in terris suis, legere, celebrare divina officia, in locis interdictis; vel facientes, voce præconis, ad illa audienda, populum vocari; vel prohibentes, ne publici excommunicati, & interdicti, per illos qui missas celebrant, moniti, ab Ecclesia exeant. De hac consuli possunt Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 22. *sect.* 4. *n.* 27. Bonac. *tom.* 3. *de Censur. extra Bull. disp.* 2. *q.* 3. *punct.* 20. Barbos. *de potest Episcop. dict. alleg.* 50. *n.* 101. Castr. Pal. *proxime à n.* 23. *usque ad finem punct.*

51. Decimaseptima excommunicatio habetur *in Extravag. Salvator, de Prabend.* Adversus rebelles Constitutionibus à se factis, circa Ecclesiam, & Episcopum Tolosanum. At cùm hæc non sit omnibus communis, silentio ab aliquibus Authoribus præteritur. Castr. Pal. *mox citandus n.* 1.

52. Decimaoctava invenitur in *Extravag. detestanda, de sepult.* Adversus eos, qui corpus defuncti exenterant, aut illud membratim, vel in frusta confidunt, vel aquis coquunt; ut ossa carnibus denudata, ad alias partes mittant tumulanda. De hac tractant Bonacin. *cit. dict. q.* 3. *punct.* 45. Castr. Pal. *tom.* 6. *disp.* 3. *punct.* 27. *à n.* 2. Barbos. *part.* 3. *alleg.* 50. *n.* 103. & alii, quos referunt.

53. Decimanona, *in Extravag. Viam ambitiosæ. de Regul.* Contra Religiosos mendicantes, qui sine licentia sedis Apostolicæ, virtute alicujus indulti, transeunt ad Religionem non mendicantium, exceptâ Carthusiana; & contra illos recipientes: Vide Castr. Pal. *proxime à n.* 6. Gordon. *in Theol. moral. lib.* 7. *q.* 13. *cap.* 5. §. 1. & multos refert Barbos. *in Collect. ad citatum textum.*

54. Vigesima, *in Extravag. sanè, de Simonia.* Adversus eos, qui, ob ingressum Religionis, aliquid accipiunt, vel dederint per modum pacti. Moniales verò non afficiuntur hac excommunicatione, ob consuetudinem legitimo tempore receptam; & quia ea quantitas, quæ dos dicitur, datur ut in monasteriis alantur. Vida Barbos. *in Collect. ad dictam* Extravag. & Gordon. *supra cap* 4. *n.* 68. & 69. Castr. Pal. *cit. à n.* 13.

55. Vigesima prima, *in extravag. Cum detestabile, de Simon.* in qua renovantur omnes pœnæ, in antiquioribus Canonibus latæ contra Simoniacos, etiam si sint Cardinales, Simoniam realem committentes in ordine, aut beneficio: quæ etiam extenditur ad mediatores; non extenditur tamen ad Simoniam conventionalem, aut mentalem, nec ad commissam in officiis Ecclesiasticis, aut pensionibus, quæ non sunt beneficia. Etenim cùm sit lex pœnalis, de actu perfecto intelligi debet. Less. *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 27. *n.* 148. Mend. *in stat. dissert.* 1. *n* 300. Vide super hanc excommunicationem Castr. Pal. *ubi supra à n.* 15. Barbos. *in Collect ad eandem.*

56. Vigesima secunda, *in Extravag. Excommunicavimus. de sent. excomm.* in qua excommunicantur omnes utriusque sexus, qui promittunt aliquid, vel promissionem recipiunt, aut pactum interponunt, pro gratia, aut justitia obtinenda, in Romana Curia. Videri possunt Castr. Pal. *cit. à n.* 17. Barbos. *in Collect. ad dict. Extravag. & alii, quos citant.*

57. Vigesima tertia, in extravag. *Grave nimis de relig. & venet. sanct.* Contra præsumentes moraliter peccare, vel esse hæreticos, qui defendunt, Deiparam Virginem, absque labe peccati originalis, fuisse conceptam, vel è contra, adversus illos, qui id ipsum affirmant, de asserentibus contrariam opinionem, eo quòd id non fuerit à S. Pontifice decisum.

58. Sed post hanc Extravag. prodiit Decretum Gregorii XV. præcipientis, ne quis in privatis colloquiis, vel in scriptis, asserat, Virginem Deiparam in peccato originali fuisse conceptam. Et insuper prohibentis, ne in missa, & officio usurpetur nomen Sanctificationis, pro conceptione.

59. Et post hoc decretum, prodiit anno 1661. Const. Alexandri VII. quæ incipit: *sollicitudo omnium Ecclesiarum* quæ habetur apud Lentucam, & Paulum tom. 5. & est inter alias hujus Pontificis 107. ubi innovat Constitutiones, & Decreta prædecessorum, præcipuè Sixti IV. Paul. V. & Gregorii XV. in favorem Sententiæ asserentis animam B. Mariæ Virginis, in sui creatione, & in corpus infusione Spiritus Sancti gratiâ donatam, & à peccato originali præservatam fuisse: *nec non* (sunt verba istius constit.) *& in favorem festi, & cultus conceptionis ejusdem Virginis Deiparæ, secundum istam piam sententiam, ut præfertur, exhibiti innovamus, & sub censuris, & pœnis in eisdem constitutionibus contentis, observari mandamus.* sic S. Pontifex. Et §. 5. addit hæc verba. *Insuper omnes, & singulos, qui præfatas Constitutiones, seu decreta, ita pergent interpretari; ut favores per illas dictæ sententiæ & festo, seu cultui secundum illam exhibita substrentur, vel qui hanc eandem sententiam, festum, seu cultum, in disputationem revocare*

aut contra ea ex quoque modo, directè, vel indirectè, aut quovis prætextu, etiam definibilitatis ejus examinandæ, sive sacram scripturam, aut S. S. Patres, sive D. D. glossandi, vel interpretandi, denique alios quovis prætextu, seu occasione, scripto, seu voce loqui, concionari, tractare, disputare; contra ea, quidquam determinando, aut asserendo, & insoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo differendo, ausi fuerint; panas, & censuras, in Constitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illas subjacere volumus; & per præsentes subjicimus, etiam concionandi &c. De hac ultima Alexandri Constit. aliqua videri possunt, apud Carden. in *disp. select. tract.* 1. *disp.* 9. *cap.* 18. *art.* 1. *per totam*: Moyam *in q. q. Select. tract.* 1. *q.* 4. *n.* 5. De aliis Castr. Pal. *cit. tl. n.* 11.

60. Vigesimaquarta in *Extravag. & si Dominici de pœnit. & remiss.* contra eos, qui prætextu facultatum à S. Pontifice concessarum, vel concedendarum, sive litteris, sive verbo, tentaverint à casibus reservatis ibi, & in Bullâ Cœnæ absolvere, & commutare vota quinque reservata. Hæc tamen excommunicatio hodie contrahi non valet, cùm non inveniatur, cui facultas à Sixto IV. concessa sit; quod necessarium erat requisitum. Sic Castr. Pal. ubi *supra n.* 16. Hos tamen casus in unum redactos, quos hîc reservat S. Pontifex; vide apud Barb. *de potest. Episcop. part.* 3. *allg.* 50.

61. Alii dantur casus Pontificii in Extravagantibus; sed jam non sunt in usu. Et aliæ excommunicationes non reservatæ, in jure Canonico, Const. Apostolicis, ac Bullis; quia reservatæ non sunt; & ab illis potest quilibet, sacerdos absolvere, quin ad id Bullæ privilegium necessarium sit, de illis mentionem non facio: ut jam notavit Mend. *disp.* 25. *n.* 82. ab illis verò, quæ in jure sunt Episcopis reservatæ, potest quilibet confessarius, virtute Bullæ, totics quoties absolvere.

SECTIO IV.

Recensentur alii casus S. Pontifici reservati extra jus canonicum.

62. PLures excommunicationes extra jus canonicum sedi Apostolicæ reservatas refert Castr. Pal. *tom.* 6. *disp.* 3. *punct.* 28. adversus Cardinales, Episcopos, Prælatos, & Officiales Ecclesiasticos. Et punct. 29. adversus Clericos, & Religiosos. Et punct. 30. alias omnibus personis communes; quia tamen Mend. *proxime cit. à n.* 84. illas breviter annumerat, illius vestigiis incedendo, illas ab eo relatas brevissimè attingam.

63. Prima à Paulo III. quæ incipit *sicut accepimus*, lata contra Ministros Cameræ Apostolicæ, administrationis rationem omnibus fideliter reddentes. Secunda à Paulo IV. in Const. quæ incipit *Cum Secundum*, contra eos, qui ambientes S. Pontificatum, simoniam committunt. Tertia à Gregorio XIV. linguâ Italicâ, quæ incipit *Li Malnagi* contra stipulationes, aut pacta, de vitâ, aut morte, aut futurâ creatione Papæ. Quarta à Pio IV. in Const. quæ incipit: *ea quæ*, & à Clemente VIII. in Const. quæ incipit: *Illius vices* contra committentes duellum, aut concedentes locum ad illud. Quinta, ab eodem Pio IV. in Const. quæ incipit *Inter multiplices curas* contra eos, qui sunt inferiores Episcopis; & habent Ecclesias Parochiales quarum provisio ad Papam spectat, & non adimplent fideijussoria juramenta: Sexta ab eodem lata in Const. quæ incipit *Romanum Pontificem* & à B. Pio V. in Const. *intolerabilis* contra eos, qui per confidentiam accipiunt, vel retinent beneficia.

64. Septima à B. Pio V. in Const. *si de protegendis* adversus eos, qui vexant Inquisitores, aut ejus ministros. Octava ab eodem, in Const. *In omnibus rebus*, in Officiales pœnitentiariæ, qui expediunt ea, quæ ipsis sunt interdicta. Nona ab eodem B. Pio in Const. *Decori*, contra Moniales extra claustra exeuntes, absque licentiâ. Decima, ab eodem, in Const. *Regularium* & à Gregorio XIII. in Const. *ubi gratia*, contra fœminas ingredientes Claustra Monialium, vel Monachorum. Undecima, ab eodem B. Pio V. in Const. *duram nimis*, in inferiores Episcopis, accipientes prætextu privilegii, aut consuetudinis, aliquid ex fructibus, primi, vel ulterioris anni beneficii vacantis. Duodecima, ab eodem in Const. *quàm plenum* in inferiores Episcopis, proponentes populo judicem casuum, & indulgentiarum, ut datâ pecuniâ, fiat ei potestas eligendi confessarium. Decimatertia, ab eodem B. Pio V. in Const. *licet omnibus*, contra eos, qui capiunt, & vexant Christianos in terrâ Turcarum habitantes. Decimaquarta à Gregorio XIII. in Const. *inter Apostolicas*, contra inferiores Episcopis, facientes jurare illicita, aut contraria libertati Ecclesiasticæ, aut Decretis Concilii Tridentini. Decimaquinta, à Clemente V. *in Const. illius vices*, contra pugnantes in duello. Decimasexta, *in Concil. Trident. sess.* 2. *cap.* 11. *de reform.* contra occupantes bona, aut jurisdictiones Montium pietatis, aut similium locorum.

65. Præter has excommunicationes, aliæ reperiuntur S. Pontifici reservatæ in Bullis recentiùs editis. Ut in Const. 62. quæ incipit *Sanctissimus Dominus* Ab Alexandro VII. contra eos, qui propositiones, ab eo damnatas, conjunctim, aut divisim, defenderint, docuerint, ediderint, aut de eis, etiam disputativè, publicè, aut privatim, tractaverint, nisi forte impugnando.

66. Et in Const. 63. *Sanctissimus D. N.* ab eodem contra eos, qui alias propositiones 45. numerum implentes, conjunctim, aut divisim, defenderint, docuerint, ediderint; aut de eis etiam disputativè, publicè, aut privatim tractaverint, nisi forte impugnando.

67. Const. 7. quæ incipit *Sanctissimus D. N.* ab Innocentio XI. adversus quoscunque cujusvis conditionis, status, & Dignitatis, 65. propositiones ab eo damnatas, vel illarum aliquam, conjunctim, vel divisim defenderint, vel de eis disputativè, publicè, aut privatim tractaverint aut prædicaverint, nisi forsan impugnando.

68. Et in favorem Religionum aliæ sunt concessæ: ut contra recedentes ab ordine Minorum, si intra octo dies, de mandato cujusvis superioris, ad ordinem non redierint; habetur *in supplem. Minor. fol.* 50. *concess.* 147. & per Communicationem gaudent aliæ Religiones. Et alia habetur in nostro *privileg. compend. verb. Apostata. §.* 1. lata à B. Pio V. contra nostros Religiosos, qui post votum biennii, ad sæculum recesserint; etiam prætextu cujuscunque indulti concessi, aut concedendi, absque expressâ sui superioris licentiâ. Alios casus Pon-

tifici

tifici reservatos, pro Italiâ refert Josephus Augustinus *in summ. pag.* 480. apud Mend. *cit. n.* 89. sed quia etiam extra Italiam sunt S. Pontifici reservati, & jam supra manent relati, illis desistimus.

SECTIO V.

De suspensionibus, & interdictis S. Pontifici reservatis.

69. DIximus de casibus S. Pontifici reservatis, qui habent annexam excommunicationem; in præsenti præstringemus illos, qui habent annexam suspensionem ipsi sedi Apostolicæ reservatam; de aliis eidem non reservatis, mentionem non facimus, quia ab illis, virtute Bullæ, potest confessarius toties quoties absolvere.

70. Prima suspensio sedi Apostolicæ reservata, habetur *in cap.* 1. *de Ordin. ab Episcop. qui renuntiavit Episcopatui* contra eum, qui scienter fuit ordinatus, in aliquo sacro ordine, ab Episcopo, qui renuntiavit loco, & dignitati. Vide Bonacin. *tom.* 3. *disp.* 3. *q.* 1. *punct.* 9. Castr. Pal. *tom.* 6. *disp.* 4. *punct.* 10. *n.* 1. Leand. *tom.* 4. *tract.* 4. *disp.* 4. §. 1. *q.* 2.

71. Secunda fertur in *Trident. sess.* 23. *cap.* 14. *de reformat. Et in cap. unico, de cleric. per saltum promot.* Contra ordinatum per saltum: hoc est, recipiens ordinem superiorem prætermisso inferiori. Plures asserunt hanc suspensionem non esse Pontifici reservatam; sed posse Episcopum ab illâ absolvere, quos referunt, & sequuntur Dian. *part.* 5. *tract.* 10. *resol.* 27. Leand. *proximè q.* 4. Vide illum, & Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 31. *sect.* 1. *n.* 15.

72. Tertia reperitur in *Extravag. Antiqua de voto.* Contra eum, qui post matrimonium contractum, etiam non consummatum, sacros ordines suscepit, qui etiam post matrimonium solutum, manet suspensus; si tamen matrimonium ratum solvatur, per professionem validè emissam, tunc poterit ab ea absolvere Episcopus. Vide Castr. Pal. *cit. n.* 10. Leand. *q.* 12. ubi plura dubia, circa hanc suspensionem, invenies soluta.

73. Quarta habetur in *cap. finali de apostasiâ* contra Apostatas, dum in apostasiâ remanent, suscipientes ordines; quia ab illis sic susceptis, & suscipiendis, suspensi remanent, donec à Pontifice absolvantur. Vide Soar. *cit. dicta disp.* 31. *sect.* 6. *n.* 1. Bonacin. *dicta disp.* 3. *q.* 7. *punct.* 5. §. 4. *n.* 4. quos refert Leand. *cit.* §. 3. *q.* 24. *n.* 4.

74. Omnes suspensiones in Episcopos latæ, quas referunt Soar. *dict. disp.* 31. *sect.* 5. Castr. Pal. *tom.* 6. *disp.* 4. *punct.* 10. §. 4. Leand. *ubi supra* §. 2. *q.* 23. Bonacin. *tom.* 3. *disp.* 3. *q.* 5. *& 6. in diversis punct.* & alii, videntur reservatæ S. Pontifici. Ratio est, quia quando suspensio à S. Pontifice lata, non reservatur; censetur concessa inferiori, nempe Episcopo, vel illi, qui habet quasi jurisdictionem Episcopalem; ut cum Soar. Avil Laym. & communi Doctorum tenent Castr. Pal. *dict. disp* 4. *punct.* 9. *n.* 4. Leand. *tom.* 4. *tract.* 4. *disp.* 4. *q.* 4. Sed in Episcopum, nullus habet jurisdictionem, præter S. Pontificem, aut illius Nuntium; ergo hi solùm possunt illos absolvere.

75. Confirmatur, quia si Episcopus posset eligere quemcunque confessarium, qui, præciso privilegio, eum à suspensionibus absolvat, hæc pœna esset inanis, & vacua: quia illa ab eo Contracta, statim potest facere, ut ab aliquo confessario tollatur: Ponamus enim Episcopum Contraxisse suspensionem à celebratione per annum: quia solemniter pœnitentem, aut bigamum ordinavit: ut in Episcopum hoc delictum commitentem, fertur, *in cap. nullus dist.* 55. vel esse suspensum à collatione omnium ordinum, per annum; eo quòd ordinavit alienum, sine dimissoriis sui ordinarii: ut fertur in *Conc. Trident. sess.* 6. *cap.* 5. *de reform. & sess.* 23. *cap.* 8. *de reformat.* & aliis in juribus: si ergo Episcopus statim, ac contrahit has suspensiones, potest eligere confessarium, qui eum ab illis absolvat, inanes, & vacuæ essent hæ pœnæ; ergo dicendum est; quòd S. Pontifici sint reservatæ. Ita Mend. *disp.* 26. *n.* 94.

76. Idem dicendum existimo, de suspensionibus, quæ non sunt censuræ, sed merè pœnæ, si non exprimatur in jure, statuto, seu sententiâ, reservatio; quia censentur reservatæ Authori juris statuti, seu sententiæ. Unde si à S. Pontifice, in jure, vel aliquo statuto, in pœnam alicujus delicti commissi, imponatur suspensio pœnalis, & non medicinalis, quin designet, à quo debeat absolvi: ad ipsum S. Pontificem spectat absolutio. Sic cùm Panormit. Sylvest. & aliis pluribus Mend. *proximè n.* 95. Ratio est ut supra *n.* 74.

77. Hactenus retulimus casus Pontifici reservatos, vel habentes annexam excommunicationem, vel suspensionem; quia tamen in jure hucusque, nullum interdictum est S. Pontifici reservatum: ut cum Sot. docet Avil. *part.* 5. *disp.* 6. *dub.* 1. *concl.* 4. 6. *&* 8. *dub.* 4. *conclus.* 3. apud Leand. *tom.* 4. *tract.* 5. *disp.* 10. *q.* 9. de illis catalogum non agimus. Videri tamen possunt apud Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 37. *sect.* 1. Castr. Pal. *tom.* 6. *disp.* 5. *punct.* 8. *per totum.* Hurt. *de interdict. diffic.* 17. Leand. *tom.* 4. *tract.* 5. *disp.* 9. *per totum*, & alii quos *citat q.* 1. *in fine.*

SECTIO VI.

Qui casus Pontificii, virtute Bullæ, possint absolvi.

78. QUamvis casus sedi Apostolicæ reservati, annexam habeant censuram, in hac disputatione non agemus de censuris, nec etiam de casibus in Bullâ Cenæ contentis, sed tantùm de illis, quæ ipsis casibus, & censuris sunt communia. Et cùm in superioribus sectionibus; casus Pontificii sint recensiti; in præsenti asserimus, virtute Bullæ, posse absolvi semel in vita, & in mortis articulo, cum omnibus aliis in Bullâ Cenæ contentis; dummodo excipiantur hæresis, conspiratio in personam, & statum Romani Pontificis, falsificatio litterarum Apostolicarum, & supplicationum, & omnes alii casus, qui continentur in Canone 11. 12. 13. & 14. Bullæ Cenæ. Cùm verò, in casibus Pontificiis *supra* relatis, aliqui ex primo Canone, undecimo, & decimo quarto, contineantur & conspiratio in personam, & statum Romani Pontificis, *in Extravaganti. Et si Dominici*, qui casus in Bullâ Lusitanâ excipiuntur; inde est, quòd virtute illius, nec semel in

vitâ, & in mortis articulo, possunt absolvi.

79. Nec etiam ab aliis Pontificiis casibus, qui non excipiuntur, possunt confessarii, eodem durante anno Bullæ, absolvere in vitâ, & in mortis articulo, cum secunda Bullâ; quia ut diximus *disp. 4. sect. 7.* non conceditur Portugaliæ Principi, ut degentes, in his regnis, possint secunda Bullâ gaudere; id enim est speciale privilegium in Bullâ Hispanâ concessum, ut *citato loco* ostendimus. Adverto tamen existentem (eodem Bullæ anno durante) in secundo mortis articulo, posse, virtute Bullæ, absolvi à Pontifice reservatis non exceptis; si eodem anno in vitâ non fuit absolutus. Ratio est, quia ille, qui à dictis casibus, vel ab aliquo, in eo secundo mortis articulo, absolvitur; quamvis in eo articulo sit, verè in vitâ absolvitur. Ita cum Navarr. & aliis Benedictus Remigius *in praxticâ curat. & confess. tract. 7. & ultim. cap. 1. §. 6. vers. Muchos defienden.*

SECTIO VII.

An virtute Bullæ, possit quis absolvi semel ab unoquoque casu Pontificio, donec ab omnibus absolvatur?

80. Hæc quæstio procedit, eodem durante anno; an virtute Bullæ, possit quis semel à casibus Pontificiis non exceptis, absolvi hoc modo: In hac hebdomadâ incidit in unum peccatum Pontifici reservatum; & vult statim absolvi, & in sequenti hebdomadâ, incidit in aliud diversum; & vult etiam mox ab hoc absolvi, & sic de aliis omnibus Pontifici reservatis; dummodo, ab unoquoque tantum in specie semel absolvatur: Potest ne, virtute Bullæ, has facere confessiones, & sigillatim, ab unoquoque reservato, in specie diverso, absolvi? Esse probabile posse, defendit Leand. *tom. 4. tract. 2. disp. 17. q. 82.* & consentit Tambor. *in Bull. cap. 11. §. 2. n. 2.* & aliqui, quos, tacito nomine, refert Ludovic. à Cruce *in Bull. expos. disp. 1. cap. 3 dub. 13.*

81. Probat Leand. primò: quia hoc privilegium, absolvendi à casibus reservatis, cùm sit favor Principis, sine alicujus præjudicio, latè est interpretandum, & ad casus similes expressos exponendum: ut contra Sanch. *lib. 8. de matrim. disp. 2. n. 7.* æstimant Henrig. *lib. 6. cap. 16. n. 3.* Soar. *tom. 2. de Relig. lib. 6. cap. 16. n. 3.* & *cap. 30. n. 4.* Raphael de la Torre *in 2. 2. tom. 2. q. 88. art. 12. disp. ult. n. 2.* Villal *tract. 27. in tit. n. 7.* Trullench. *in proæm. Bull. dub. 8. n. 4.* Dian. *1. part. tract. 11. resol. 98.* Quintanad. *tom. 1. tract. 8. singul. 5. n. 11.* Bard. *in Bull. tract. 1. cap. 1. n. 8.* & alii Communiter: sed verba Bullæ, dum concedunt absolutionem, à casibus sedi Apostolicæ reservatis, dicendo: *semel in vita & in mortis articulo*, sic possunt intelligi; cum semel à quocunque peccato reservato detur absolutio: ergo.

82. Probat secundò: quia pœnitens, omnibus peccatis sedi Apostolicæ reservatis, quæ non excipiuntur, irretitus, potest per unam absolutionem ab omnibus absolvi: ut concedunt D. D. vel tenentur concedere, virtute Bullæ: ergo etiam per iteratas absolutiones, poterit semel ab unoquoque peccato reservato specie diverso absolvi; in Bullâ enim non dicitur, quòd fiat per unam, vel per plures absolutiones.

83. Probat tertiò: quia si hæc explicatio non est vera, sequeretur, quòd majori privilegio frueretur ille, qui in plura peccata Pontifici reservata incideret, quàm alius, qui in pauciora. Sequela ostenditur, quia si quis committeret omnia peccata S. Pontifici reservata; à quibus, virtute Bullæ, potest absolvi; & pœnitentiâ ductus ab omnibus absolveretur; majori privilegio frueretur, quàm alius, qui unum tantùm commisit, & ab illo statim absolvitur.

84. Probat quartò ex damno, quod sæpius eveniret, ex oppositâ Sententiâ; quia si quis sciret, quòd absolutus ab uno peccato Pontifici reservato non posset iterum ab alio peccato diversæ speciei absolvi, vi Bullæ; minimè vellet statim de eo peccato confiteri; sed consultò expectaret, ut si fortè, ob carnis fragilitatem in alia reservata incideret, ab omnibus simul, per unicum Sacramentum absolveretur. Et hoc est maximum inconveniens, utpote redundans, in præjudicium animarum, eas ad salutem spiritualem retardans: ergo piè credendum est, hanc esse mentem Pontificis. Sic Leand. & alii innominati.

85. His tamen non obstantibus, tenendum est, unam tantùm in Bullâ concedi absolutionem à reservatis Papæ, sive unum tantùm, sive plura, sive ejusdem, sive diversæ speciei peccata habeat pœnitens; & non singulas, pro singulis peccatis, S. Pontifici reservatis. Ita communiter Doctores, *in Bull. §. 9. dub. unic. n. 35.* Petr. de Ledesm. *in sum. tom. 1. tract. de pœnit. cap. 11. concl. 2. dub. 1.* Moure *in examin. theolog. moral. part. 3. cap. 9. §. 9. n. 1.* Dian. *part. 1. tract. 11. resol. 28.* quamvis non verbis expressis, Trullench. *in Bull. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 3. n. 2.* asserens, hoc ita esse verum, ut contrarium, nullo modo, defendi possit. Ludovic. à cruce *in Bull. disp. 1. cap. 3. dub. 13.* Bard. *part. 2. tract. 6. cap. 1. à n. 6.* Machad. *lib. 1. part. 3. tract. 1. docum. 5. & tract. 8. docum. 4.* Escobar. *in Theol. moral. tom. 1 l. 7. n. 186.*

86. Hanc sententiam probat Bard. hoc modo: quia nullum habet Authorem, qui oppositam sententiam defendat; & ex aliâ parte, verba Bullæ potius videntur recipere genus, quàm speciem, nempe casum reservatum, dum limitat, pœnitentem semel in vitâ fore absolvendum.

87. Hæc tamen ratio non placet, quia ex unâ parte, jam habet Authorem, nempe Leand. qui illam defendit; & tamen illius fundamenta non ostendunt; ut ex illorum solutione patebit, illam esse probabilem. Nec ex aliâ parte, verba Bullæ, non genus, nec speciem peccatorum, S. Pontifici reservatorum, respiciunt, sed unicam tantùm Confessionem. Quod ostendo, ex verbis Bullæ Hispanæ, contra aliquos, ex prædictis Authoribus, illam exponentes, ibi: *Semel in vitâ, & semel in mortis articulo, aliorum verò sedi Apostolicæ non reservatorum, ac reservatorum quoties Confitebuntur:* Ubi notanda est dictio *Confitebuntur* ad quam dicunt ordinem dictiones *semel* quoad peccata, S. Pontifici reservata, & *toties quoties*, quoad alia, quæ S. Pontifici non reservantur. Et hæc, quoties Confitebuntur, possunt absolvi; at S. Pontifici reservata, semel tantùm Confiteri debent, ut ab illis semel pœnitens absolvatur. Unde dictio Bullæ *semel* non ad peccata in genere, ut volebat Bard. nec ad peccata, in specie, ut voluit

luit Leand. respiciunt, sed unam Confessionem, qui unâ tantum constat absolutione, ut tenet Trulench. *citatus.*

88. Probatur ergo vera sententia, ex verbis Bullæ Lusitanæ, quibus coincidunt verba Bullæ Hispanæ: *Semel, in vitâ & in mortis articulo; alios verò eidem sedi, non reservatis casibus, quoties Confitebuntur, absolvere &c.* Ex quibus colligitur, dictionem *semel* dicere eundem respectum, quoad absolutionem à casibus S. Pontifici reservatis, quem dicit dictio *quoties* quoad absolutionem à casibus sedi Apostolicæ, non reservatis; sed hæc dictio *quoties* dicit respectum, ad Confessionem, & absolutionem, ut patet ex verbis: *quoties Confitebuntur absolvere.* Ergo sicut pœnitens potest, toties quoties peccata non reservata S. Pontifici Confiteri, & absolvi; sic etiam potest, tantùm semel Confiteri, & absolvi à S. Pontifici reservatis. Unde in prædictis verbis, S. Pontifex nec Limitavit genus, nempe peccata in genere, nec ea verba ampliavit, quoad speciem peccati, ad absolutionem à casibus Pontificiis: sed ea restrinxit, quoad unam Confessionem, & absolutionem sacramentalem.

89. Ex his patet solutio ad fundamenta à Leand. adducta *à n.* 81. Ad primum enim respondetur, privilegium Principis esse Latè interpretandum, si verba privilegii id permittant; at interpretatio Leand. adducta, illis repugnat; quia dictio *semel* ad unam tantùm Confessionem Sacramentalem respicit, ut dictum manet.

90. Ad secundum respondetur, negando Consequentiam: quia in Bullâ Conceditur, quòd per unam Confessionem Sacramentalem, possint absolvi ea omnia peccata Pontifici reservata, non verò per plures Confessiones Sacramentales, ut Concedit; quando peccata aliis inferioribus sunt reservata.

91. Ad tertium dicendum, nihil probare; nam ille, qui nulla habet peccata, quamvis illo privilegio non gaudeat; quia illo ei opus non est, non dicitur, habere minus privilegium, quàm habet ille qui plura habet reservata; quia privilegium omnibus est æquale, quòd verò usus ullius sit magis necessarius majori peccatori, non arguit majori privilegio gaudere.

92. Ad quartum dicendum idem damnum sequi in opinione Leandri in eo, qui ab eodem peccata in specie reservato Pontifici absolvitur, si iterum in eo reincidat; quia jam non potest ab illo absolvi; & sic retardaret remedium suæ animæ spirituale, ut ab omnibus simul per unicam Confessionem absolveretur. Cùm ergo reservatio sit medicina, & remedium, ne pœnitens in peccatis reincidat, una tantùm, in gravioribus peccatis, nempe in reservatis Pontifici, conceditur absolutio Sacramentalis; & in aliquibus nec una conceditur, ut *infra* videbimus, juxta Bullam Lusitanam.

SECTIO VIII.

An qui Bullis præteritorum annorum non est usus ad absolutionem à reservatis Pontifici, possit nunc ad eundem effectum, illis uti?

93. AD hujus tituli intelligentiam supponamus Petrum v. g. accepisse Bullam tribus annis præteritis, quibus non fuit usus ad absolutionem à reservatis Pontifici, quia illa non commisit; hoc tamen præsenti anno, etiam Bullam accepit, & in illo, in peccata Pontifici reservata incidit; & ab illis virtute Bullæ, hujus præsentis anni semel fuit absolutus; quia tamen hoc durante anno, in eodem, vel similia Pontifici reservata Lapsus fuit; & non potest secundam sumere Bullam, ut possunt Hispani, juxta suam Bullam. Quærimus: an possit virtute Bullæ anni præteriti, quâ non fuit usus, absolvi ab istis reservatis Pontifici; & si tertiò, durante anno præsenti, in eadem reservata incidat, possit absolvi virtute Bullæ anni ante præteriti sumptæ; quâ etiam non fuit usus; & sic de aliis.

94. Affirmant aliqui, quos tacito nomine refert Rodrig. §. 12. *n.* 1. *vers. Odestra*, & Remig. *in pract. Curat. & Confess. tract. 7. & ultim. cap.* 1. §. 6. *vers. Muchos defienden*, qui etiam id videtur sentire, & tenet Navarr. *in Consil. lib.* 5. *de privileg. Consil.* 17. *per totum*, & ut probabile, & tutum, in praxi, defendit Leand. *tom.* 4. *tract.* 2. *disp.* 17. *q.* 86. Licèt probabilius existimet oppositum, & apud illum idem videtur insinuare Muchad. *lib.* 1. *part.* 3. *tract.* 8. *docum.* 4. *n.* 2. & Trullenc. *in Bull. lib.* 1. §. 9. *dub.* 2. *n.* 2. dum vocat oppositam sententiam veriorem, & *lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 3. *n.* 3. illam consulit illis, qui jam semel, & iterum eodem durante anno per primam, & secundam Bullam Hispanam fuerunt absoluti.

95. Probat Navarr., quia sumens Bullam hoc præsenti anno, potest in illo gaudere gratiis, & indulgentiis in præterito Concessis, quibus in illo non fuit usus; quia gratia semel facta durat donec revocetur, vel suspendatur, *cap. si super gratia de offic. deleg. in* 6. & si suspendatur, sublatâ suspensione, manet ut antea, *cap. pastoralis, de cons. & propriet:* at per Bullam hoc anno acceptatam, tollitur suspensio Bullarum præteritarum sic; Navarr. satis, superque laudatus à Leand.

96. Nihilominus hæc opinio non est probabilis, nec tuta in praxi; est enim expressè contra ipsam Bullam, in qua conceditur, ipso anno durante, posse, qui illam accepit, eligere confessarium, qui eum absolvat à casibus Pontifici reservatis, aliquibus exceptis, per hæc verba: *ut eisdem omnibus, dicto anno durante, quemcunque presbyterum secularem, vel cujusvis etiam Mendicantium ordinum Regularem.... Confessorem eligere &c.*? Et idem habet Summarium: *Cuerde sua santidade atodos os sobreditos, que durande dito anno possam eleger confessor secular, en Regular &c.* Ergo transacto eo anno publicationis Bullæ, Bulla cum ipsius privilegiis manet extincta.

97. Confirmatur: quia privilegia pro limitato tem-

tempore concessa, finito eo tempore, finiuntur; ut colligitur *ex l. 2. & 4. Cod. de precib. imperat. offerend:* & *cap. de causis de offic. delegat*; & D. D. Castr. Pal. *tom. 1. tract. 3. disp. 4. punct. 14. n. 2.* & aliis: Sed Bullæ privilegia sunt concessa pro uno tantùm anno, ut patet ex prædictis verbis: ergo illo finito extinguuntur. Hanc sententiam tuentur Rodrig. §. 12. *n. 1. vers. 6 dextra.* Trullench. *ubi supra dict.* §. 8. *dub. 2. à n. 2.* Ludovic. à Crucè *in Bull. disp. 1. cap. 8. dub. 3. n. 2.* Bard. *part. 2. tract. 6. cap. 1. à n. 11.* Mend. *in Bull. disp. 29. n. 16.* Tambor. *lib. 7. de panis tract. de casib. reserv. cap. 12. §. f. n. f.*

98. Nec fundamentum oppositum probat intentum; quia gratia semel facta durat pro limitato tempore, pro quo conceditur, quamvis non revocetur, vel suspendatur: at Bullæ privilegia pro uno tantùm anno fuerunt concessa: ergo illo finito expirant.

99. Alia addunt Expositores Bullæ Hispanæ, nempe: ex eo quod Commissario Hispano Concedatur licentia suspendendi aliquas gratias, seu indulgentias alterius similis Bullæ Cruciatæ, si adhuc duret; & cùm antiquitus Bullæ Cruciatæ durassent non per unum, sed per multos annos, sicut etiam in Regnis Portugaliæ, quæ fuerunt concessæ Regibus Alphonso, Emmanueli, & Sebastiano: hac de causa in Hispania suspenduntur Bullæ illæ antiquæ, ut existimarunt Rodrig. & Trullench. *Citati*, quamvis Bard. aliam reddat causam illius suspensionis. Hæc tamen his temporibus non habent locum, nec in nostra Bulla, nec in Hispana; quia Bulla tantùm per annum durat; & eorum privilegia, illo elapso, expirant; sicut etiam antiquæ concessæ expirarunt, quæ pro determinato tempore huic Regno fuerunt concessæ.

SECTIO IX.

An Confessarius virtute Bullæ possit absolvere toties quoties à casibus Pontifici reservatis, si sint occulti.

100 Pro intelligentia hujus quæstionis præmittendum est primò, quid sit occultum? Respondeo: tribus modis aliquid dici occultum. Primò quod per se, & naturâ suâ non est probabile; quo pacto se habent actus merè interni. Secundò, quod per se, & naturâ suâ est probabile, per accidens tamen probabile non est; quia in foro externo probari non potest: quia desunt testes; tempore enim, quo actio exercebatur, vel nullus, vel unus tantùm aderat. Tertiò, dicitur occultum illud quod licèt probari queat, quia est notum duobus, tribus, vel quatuor, non tamen est notum notoreitate juris, vel facti. Illud dicitur notorium notorietate juris, de quo constat per sententiam judicis, aut confessionem ipsius rei. Illud verò dicitur notorium notoreitate facti; quod est notum in majori parte viciniæ, Collegii, Monasterii, vel parochiæ dum modò in ipsa vicinia, Collegio, Monasterio, aut parochiâ inveniantur saltem decem personæ. Sic docent Bossius *de subul. Sect. 1. cas. 10. n. 147.* Sayr. *de cencur. lib. 2. cap. 12. n. 19.* Sancti. *lib. 2. decal. cap. 11. n. 18.* Trullench. *tom. 1. decal. libr. 1. cap. 3. dub. 4. n. 4.* Bard. *part. 2. tract. 6. cap. 1. 75. & 76.* Leand. *tom. 4. tract. 2. disp. 17. q. 47.*

101. Secundò præmittendum. *Concil. Trid. sess. 24. de reform. cap. 6.* Committere Episcopis absolutionem quorumcunque casuum occultorum sedi Apostolicæ reservatorum, per hæc verba: *Liceat Episcopis &c. in quibuscunque Casibus occultis, etiam sedi Apostolicæ reservatis delinquentes, quoscunque sibi subditos in Diœcesi sua per se ipsos, aut vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, impositâ pœnitentiâ Salutari. Idem, & in hæresis crimine in eodem foro Conscientiæ eis tantùm, non eorum Vicariis, sit permissum.* Ex quibus ait Henriq. *lib. 6. de panit. cap. 14. art. uls. ad finem* apud Mend. *disp. 23. n. 62.* hæc: *Restituit Episcopis sublatam olim jurisdictionem, quam habebant, iure communi, aut divino.* Unde hæc potestas (inquit Mend. citatus) Convenit Episcopis jure communi, & ordinario, & non ex privilegio; nam privilegium non censetur jurisdictionis restitutio.

102. Tertiò præmittendum, Concil. Trid. *loco cit.* excipere casus deductos ad forum contentiosum. Et tunc ad hæc forum sunt deducti, quando delictum judici est delatum, & parti intimatum: ut docent Sair. *in thesaur. lib. 4. cap. 17. n. 21.* Henriq. *lib. 14. de irregularit. cap. 20. n. 4.* apud Mend. *dict. disp. 23. n. 57.* Imò apud eundem, Barbos. *De potest. Episcop. alleg. 38.* requirit, ut lisit contestata, ad hoc, ut dicatur delictum ad forum contentiosum deductum; quod non reprobat Castr. Pal. *de Leg. tract. 2. disp. 6. punct. 15. §. 1. n. 1.*

103. Quartò præmittendum, nonnullos opinari Episcopis *citato loco Trid.* solùm committi facultatem absolvendi à casibus occultis, primo, & secundo modo, prout occultum opponitur probabili, & noto duobus, vel tribus; quia juxta terminos juris occultum dicitur, quod probari non potest; nam quod potest probari notum est. Ita Guttien; Angles; Rodrig; Graff. Garcia, Armendariz. Anton. de Sousa, apud Dian. *7. part. tract. 2. resol. 15.*

104. Dicendum tamen est, cum communi D. D. occultum *in citato loco Trident.* debere accipi prout opponitur publico, & notorio tertio modo explicato *n. 100.* Ratio est, quia occultum in jure non semper sumitur pro eo quod est improbabile, sed prout opponitur publico, notorio, & famoso; & constat ex Abbat. *in cap. fin. de tempor. ordin. & in cap. quæsitum, de pœnit. & remiss.* & colligitur expressè *ex cap. vestra de cohabit. cleric.* & gloss. ibi, & *ex cap. manifesta 2. q. 1. cap. 15.* nam in primo loco textus, inquit, occultum esse, quod ab Ecclesia torleratur, & quamvis sit probabile, occultum dicitur. Deinde gloss. asserit esse occultum, quod à quinque scitur. Accedit, quod jurisdictio ablata fuit Episcopis, quam jure communi habebant; & sic gratia illis restituta latè est accipienda. Ita Dalvin. *de potest Episcop. cap. 26. n. 23.* Navar. Sanch; Fagund; Soar; Azor; Lessius; Marchiv; Truchellench; Machad: & alii plures, quos referunt, & sequuntur Dian. *cit.* Barbos. *in Collect. ad locum cit. Trident. Verb. ex delicto occulto.* Bard. *part. 2. tract. 6. cap. 1. n. 78.* Mend. *disp. 23. n. 68.* His præmissis.

105. Difficultas in titulo sectionis proposita, inquirit: an casus S. Pontifici reservati, si sint occulti modo explicato, censeantur Episcopales, ita ut possit Confessarius virtute Bullæ toties quoties ab illis pœnitentem absolvere? Prima sententia affirmat,

mat, illam sequutus fuit Dian. *part. 1. tract. 11. resol. 28. & part. 3. tract. 2. resol. 13. vers. nota quartò, & ibidem in addit. resol. 17.* ubi ait, hanc sententiam esse probabilissimam, & tutam in praxi, & apud illum, Sanch. *lib. 4. decal. cap. 54. n. 27.* Illam etiam, ut probabiliorem sequitur Trullench. *in Bullam lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 6. n. 5.* Ut saltem æquè probabilem, ac oppositam, defendit Leand. *tom. 4. tract. 2. disp. 17. q. 84.* Ut æquè probabilem tuetur Jambor. *in Bull. cap. 11. §. 5. à n. 1.* & probabilem dicunt, apud Leand. Crouserf. *ad cap. 7. regul. S. Francisci sect. 28. fol. 771. & 772.* Marull. *tom. 1. disp. 1. cap. 2. diff. 11. n. 154.* Bassæus. *verb. casus reservatus n. 39.* Illam sequuntur Oliverius Maruchell. *tract. de casib. reservat. disp. 1. q. 4. diff. 6. n. 13.* Joann. de Soria *in epilogo Summarum part. 2. tract. 1. sect. 2. dub. 9. §. circa electionem*, omnes apud Leand. Accedit Mend. *in Bull. disp. 23. à n. 61.* ubi pro eadem citat Fragos. *tom. 2. lib. 2. disp. 7. n. 8.* Quintanad. *tom. 2 singul. tract. 4. singul. 2. n. 3.* Escobar *in theolog. moral. tom. 2. lib. 7. problem. 36. n. 5. 72.* Illustriss. Fr. Anton. à Spiritu Sanct. Episcopus Anol. *indirect. confess. nat. 12. n. 216.* Eandem videtur sequi Fr. Joseph. Mend. *in theolog. moral. de Bull. Cruciat. sect. 1. n. 109. fol. 50.* & alii *infra citandi.*

106. Probant, quia Confessarius virtute Bullæ potest absolvere ab omnibus casibus reservatis, toties quoties, à quibus potest Episcopus jure ordinario: sed Episcopus jure ordinario potest absolvere ab omnibus occultis: ergo virtute Bullæ ab illis potest absolvere Confessarius. Major patet, quia casus reservati, à quibus Episcopus potest absolvere, sunt Episcopales; quia cùm sint occulti, jam non sunt S. Pontifici reservati: ergo sunt Episcopales, Minor ostenditur quia casus occulti reservati non competunt Episcopis jure speciali; sunt enim annexi dignitati Episcopali, ut constat ex Trident. *loco cit.* & possunt ab Episcopo delegari: ergo jure ordinario ab illis possunt absolvere.

107. Confirmatur, quia si Episcopus per suam Synodum, committeret perpetuò parochis peccata sibi reservata occulta, jam non essent Episcopales, sed parochiales: sed S. Pontifex per Conc. Trident. commisit Episcopis facultatem absolvendi à casibus reservatis, dum sunt occulti: ergo manent Episcopales.

108. Secunda sententia negat posse virtute Bullæ Confessarium absolvere, toties quoties, à casibus Pontifici reservatis, etiamsi sint occulti. Ita Rodrig. *in Bullâ §. 9. n. 118.* alias 135. Bannès *in 2. q. 64. art. ult. in fine*, Vega *in summ. verb. absolutio, casu 39.* Riccius *in addit. ad §. 9. Bullæ n. 36. Ludovic. à cruce disp. 1. in Bull. cap. 3. dub. 13. n. 3.* Bard. *part. 2. tract. 6. cap. 1. n. 87.* Machad. *lib. 1. part. 3. tract. 8. docum. 4. n. 3.* Hozan. *in q. q. Regul. tom. 3. tract.* Bullæ Cruciatæ *n. 26.* Probant: quia S. Pontifex in reservatione casuum non utitur aliquâ limitatione: sed certum est posse reservare casus, dum sunt occulti, adhuc illi sunt reservati: Minor est indubitata. Major probatur ex verbis Bullæ: *aliis verò eidem sedi non reservatis casibus, quoties confitebuntur:* sed casus occulti non ex eo, quòd committantur Episcopis, desinunt esse Pontificii; quia Episcopis committuntur cum limitatione, nempe ad suos subditos, in Diœcesi Episcopi absolventis, & per Vicarium ad id deputatum: ergo casus occulti adhuc manent Pontificii, & non possunt virtute Bullæ toties quoties absolvi.

109. Quare respondent ad confirmationem primæ sententiæ, & amplius explicant privilegium de concessione absolutionis casuum occultorum in Tridentino, hoc modo: si Episcopi absque limitatione, perpetuò parochis concederent per suam Synodum absolutionem à casibus sibi reservatis, ii casus jam desinerent esse Episcopales, & fierent parochiales: at si ea concessio sit cum limitatione, semper manerent Episcopales: sic Concessio facta in Tridentino Episcopis, cùm sit facta cum limitatione, semper casus occulti Pontifici reservati manent Pontificii, & non fiunt Episcopales; ac proinde virtute Bullæ non possunt toties quoties absolvi. Ita se habent hæ duæ sententiæ: quid autem de utraque sentiendum, dico sub sequenti titulo.

§. Unicus.

Proponitur veræ quæstionis resolutio ex decreto Alexandri VII.

110. Dico primò: Prima Sententia relata à *n.* 105. post decretum Alexandri VII. anno 1665. die 24. Septembris edictum, dum comprehendit in casibus occultis S. Pontifici reservatis, casus occultos Bullæ Cœnæ, non est probabilis; nec jam sustineri potest, quia ex eo decreto constat, Ecclesiam non tolerare expositionem prædictorum Authorum ad verba citata Concil. Trident. circa casus Bullæ Cœnæ: ut patet ex damnatione hujus propositionis, quam, ut minimum, tanquam scandalosam, damnat & prohibet idem S. Pontifex. Et in ordine damnatarum tertia, sic habet: *sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Julii, in Consistorio sacræ Congregationis Emin. Cardinalium, visa & tolerata est.* Et quamvis censura directè feratur in testimonium asserentis, visam, & toleratam fuisse à sacra Congregatione, expositionem illam Bullæ Cœnæ pro delictis publicis; indirectè tamen, & expressè prohibet absolutionem à casibus occultis Bullæ Cœnæ, derogando ei facultati Tridentinæ Synodi, Episcopis concessæ.

111. Ex damnatione dictæ propositionis sequitur, non posse Episcopos per se, nec per Vicarium à se deputatum, absolvere à casibus occultis, qui in Bulla Cœnæ reservantur; quia ex damnatione prædictæ propositionis constat, per annuam Bullæ Cœnæ publicationem derogari *Concil. Tridentino sess. 24. cap. 6.* quo loco sermo est de occultis criminibus ibi: *Liceat Episcopis &c. in quibuscunque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque, sibi subditos, in Diœcesi sua, per seipsos, aut vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentiâ salutari. Idem & in hæresis crimine, in eodem foro conscientiæ, eis tantùm, non eorum Vicariis, sit permissum.* Ita prædictum Alexandri VII. decretum tenet expressè Fr. Anselm. Gomes *in perfect. exam. Confessarum cap. 66. Catalogo solas propositiones impracticables fol. 124. propos. 42.* per hæc verba: *Puedem los Obispos aunque sea en Hespanha, absolver toties quoties dalos viene Casos occultos que reserva la Bulla, in Cœna Domini: improbable; por aver derogado la dicha Bulla el Consilio; en*

quam

Quanto a esse punto, y esta és la tercera, que convengo en las quarenta y cinco, el señor Alexandro VII. que por estar confusa la clausula de la Bulla, y por consequiente los Authores que la tresladaron, la explico mas y pongo neste lugar; pero notese, que han declarado los santissimos, que no es su intencion revocar las dos absoluciones de vida, y muerte, que Conceden en la Bulla de la crusada, seanse los delictos publicos ò occultos como no obsten al foro contensioso. Idem Carden. *in diffl. select. tract.* 1. *disp.* 9. *cap.* 20. *art.* 5. *n.* 345. Cum inquit: à plurimis putatum fuisse probabile, *Bullam Cœnæ Domini non prohibere absolutionem à casibus occultis, nec derogare facultatem Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est: Dum ergo eam opinionem damnat Alexander VII. in eo decreto expresiè declarat, Bullam Cœnæ Domini prohibere absolutionem à casibus occultis, derogando ei facultati Synodi Tridentinæ.* Idem etiam tenet Moya *tom.* 1. *in q. q. select. tract.* 3. *disp.* 8. *q.* 5. *n.* 5. *in fine*, quamvis non verbis tam expresè tamen colligitur ex illis, quæ ibi dixit.

112. Et ante prædictum Alexandri VII. decretum Episcopi nequibant, ex vi decreti Concil. Trident. absolvere à casibus occultis in Bulla Cœnæ contentis: quia per Bullam Cœnæ revocatum erat ipsum decretum Concil. Trident. per verba ipsius Bullæ Cœnæ asserentis, à casibus in ea contentis nullam personam, etiam Episcopali dignitate fulgentem, posse absolvere prætextu cujuscunque facultatis, etiam per cujusvis Concilii decreta in genere, vel specie concessa. Ex quibus verbis apertè constabat S. Pontificem derogasse facultati, Episcopis in Tridentino concessæ; & id declararunt B. Pius V. Gregorius XIII. & Clemens VIII. & S. Cardinalium Congregatio, & Consistorium Sanctæ generalis Inquisitionis in prætorio Romano: ut asserunt D. D. qui hanc sententiam defendebant: hi sunt Navarr. *in sum. cap.* 27. *n.* 275. *vers* 14. Penâ *in direct. Inquisit.* 3. *part. q.* 92. *Comment.* 141. *vers. penult.* Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 30. *sect.* 2. *& tom.* 5. *disp.* 21. *sect.* 4. Majolus, Tolet. Guttierr. Feccian, Paulus Fuscus, Barthol. & Angel. Antonut. Azor. Vivald. Paramus, Molin. Ugolin. Philiarchus, quos citat, & sequitur Sanch. *lib.* 2. *decalog. cap.* 11. *n.* 27. Bonacin. Valerius, Farinac. Hurt. Lezan. & alii ultra 50. quos refert, & sequitur Barbos. *in Collect. ad dictum Trident. locum n.* 52. *& de potest. Episcop. alleg.* 40. *n.* 25. Graff. Ricius, Sayr. Duard, Alterius Pollach, Ricciol, Costa, Gavant, & alii apud Bossium *de jubil. sect.* 1. *cas.* 10. *n.* 9. Trullench. Marchin. Caspens. quos ultra citatos, refert, & sectatur Dian. *part.* 1. *tract.* 5. *resol.* 2. *& part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 230. *& part.* 7. *tract.* 2. *resol.* 23. Gracian. Bellochius, Sanctarell. Novarius Horon. Torreblanco, Aloysius Scortia, & alii, quos adducit Leand. *tom.* 4. *tract.* 2. *disp.* 17. *q.* 45. Hanc etiam partem sequutus fuit Bard. *part.* 2. *tract.* 6. *cap.* 2. *n.* 5. Fragos. 2. *part. disp.* 3. §. 21. *per totum ubi. n.* 348. asserit esse, tenendum per Bullam Cœnæ, dicto Concil. Trident. decreto, esse derogatum.

113. Non defuerunt tamen D. D. qui ante prædictum decretum Alexandri VII. existimarunt, casus Bullæ Cœnæ occultos esse Episcopales: quia censebant, facultatem Episcopis, in Concilio Tridentino, concessam, non esse revocatam per Bullam Cœnæ quos supra triginta referunt Leand. & Dian. *locus citatus*; & Thom. Hurtard. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 14. *resol.* 17. §. 2. Barbos. Fragos & Bossius *supra* alios plures; at eorum opinio post damnationem prædictæ propositionis, defendi non possint absolvere à casibus Bullæ Cœnæ occultis, cessat fundamentum, quo nitebatur prima sententia *à n.* 105. relata, quoad casus Bullæ Cœnæ occultos.

114. Dico secundò: quoad alios occultos, extra Bullam Cœnæ, existimo posse absolvi toties quoties virtute Bullæ, & in hoc sensu probabilior mihi videtur prima sententia, à *dicta. n.* 105. allata, licèt secunda *n.* 108. stabilita, sit satis probabilis. Et hujus ratio est quia jurisdictio perpetuò annexa, non personæ, sed dignitati, est ordinaria: cum Barth. Bald. & aliis tenet Sanch. *lib.* 2. *de matrim. disp.* 40. *n.* 14. Sed virtute Bullæ possunt absolvi omnes casus, à quibus jure ordinario potest Episcopus: ergo.

115. Nec contra hoc facit; quòd concessio, quæ Episcopis fit, sit cum limitationibus; nam hæ non tollunt, quòd jurisdictio circa casus occultos, non sit ordinaria. Et hanc sententiam, ultra eos ibi citatos, docent Thom. Hurt. *tom.* 1. *resol. moral. tract.* 5. *cap.* 4. *resol.* 16. Marcus Vidal. *in Arca vitali de casibus reservat. inquisit.* 1. *à n.* 121. Illustriss. Acatius de Vellacc. *tom.* 1. *resol. moral. verbo absolution resol.* 5. *n.* 11.

SECTIO X.

An virtute Bullæ possint absolvi toties quoties, peccata publica S. Pontifici reservata, in loco ubi non sunt publica?

116. PRocedit quæstio de peccatis S. Pontifici reservatis extra Bullam Cœnæ (nam à reservatis in Bulla Cœnæ, etiam si sint occulti in aliquo distanti loco, cùm semper sint Pontificii, ab illis confessarius virtute Bullæ solùm potest absolvere semel in vitâ, & in mortis articulo: dummodo non sint de exceptis in nostra Bulla: ut præcedente sectione manet dictum.) Et in hoc sensu prima sententia tenet, posse virtute Bullæ absolvi toties quoties delictum, seu peccatum est occultum in uno loco, quamvis in alio sit publicum; dummodo non sit spes quòd ab hoc loco facilè perveniat notitia ad eum, in quo petitur absolutio. Ita Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 6. *n.* 2. Cum Sanch. & Avil. idem docet Mend. *disp.* 23. *n.* 59. & 69. Et idem tenentur asserere omnes, qui docent posse Episcopum ab illo delicto vigore Trident. absolvere. Hi sunt ultra Sanch. Avil. Fagund. Duard. Machad. quos refert, & sequitur Dian. *part.* 7. *tract.* 2. *resol.* 16. Barbos. *in collect. ad Trident. sess.* 24. *cap.* 6. *de reform. n.* 31. Leand. *tom.* 4. *tract.* 2. *disp.* 17. *q.* 57. & apud illum viri doctissimi Theologi, & Juristæ Salmanticenses, hac de re ab Episcopo consulti.

117. Probant, quia peccatum verè est occultum in loco, in quo petitur absolutio, (ut supponimus:) ergo ab illo, sicut potest absolvere Episcopus jure ordinario; sic etiam poterit Confessarius virtute Bullæ: Confirmatur, quia ex eo quòd excommunicatus sit vitandus in uno loco, non est vitandus in alio, ubi denuntiatio est occulta;

culta: ut tenet Durand. *in 4 distinct. 18. q. 5. fine*, Palud. *ibi q. 6. art. 1. n. 5.* Sanch. *l. 2. decal. cap. 11. n. 20.* Leand. proximè, Castr. Palao *tom. 6. de cens. d. 2. punct. 4. n. 9.* Dian. *part. 5. tract. 9. resol. 134.* Tambor. *l. 10. de cens. tract. 1. c. 3. §. 2 n. 22.* & apud illum præter aliquos jam citatos, Alphons. de Leone *de cens. resolut. 3. n. 184.* & probabilem dicit. Præpositus *in 3. part. q. 2. de excomm. d. 16. n. 114.* & quoad publicum percussorem Clerici, idem tenet Avil. *2. part. c. 7. d. 1. dub. 11.* ergò etiam, ex eo quòd peccatum est publicum in uno loco, potest esse occultum in alio; & in illo virtute Bullæ absolvi. Hæc sententia est probabilis.

118. Probabilior tamen mihi videtur secunda, & opposita sententia asserens, non posse peccata publica in uno loco, S. Pontifici reseruata absolvi in alio virtute Bullæ, toties quoties; etiam si ibi sint occulta. Ita Soar. *tom. 4. in 3. part. disp. 3. sect. 2. n. 2.* Bonacin. *tom. 1. disp. 1. de cens. q. 3. punct. 2. n. 3.* Nav. *Conc. 43. de temp. ord.* Sanct. *de bar. c. 5. d. 6. n. 26.* Castr. Pal. *tom. 1. tract. 4 d. punct. 3. §. 1. n. 14.* Ratio est, quia ut delictum dicatur publicum ita ut non possit virtute Bullæ absolvi; sufficit, quòd in aliquo loco sit publicum. Ut ostendo: quia ut non possit virtute Bullæ absolvi; sufficit, quòd in aliquo loco sit deductum ad forum contentiosum; ergo etiam sufficiet, quòd in aliquo loco sit publicum, ut in alio, quamvis distanti, non possit absolvi.

119. Respondent adversarii, dando diversam rationem; quia absolvendo confessarius virtute Bullæ, in loco, ubi delictum est occultum, & nunquam illius fama est perventura nullum offenditur tribunal; at offenderetur, si delictum ad illud deductum, in alio loco, quamvis distanti absolveretur.

120. Hæc tamen responsio non satisfit; quia tribunal, ad quod delictum est deductum non offenditur per absolutionem in foro conscientiæ præditam, in loco maximè distanti, ad quem difficilè est pervenire notitiam, de delicto deducto ad illud tribunal. Ratio ergo est: quia eodem modo prohibetur absolvi delictum publicum, ac deductum ad forum contentiosum; & sicut ad hoc forum deductum, in alio loco distanti, & ad quem difficilè perventura est fama non potest absolvi, quia absolutè, & simpliciter illud delictum dicitur deductum ad forum contentiosum; ita etiam delictum, in aliquo loco publicum non potest in alio loco distanti, ubi non est publicum, absolvi; quia in uno loco absolutè, & simpliciter dicitur publicum.

121. Confirmatur: quia ideo non peccat mortaliter, nec contra justitiam, nec contra charitatem, qui in quocunque loco manifestat Crimina, seu delicta alicujus in aliquo loco publico, sive notoreitate juris, nempe per sententiam judicis, sive notoreitate facti: hoc est, per famam publicam: quia undecunque proveniat notoreitas, sive publicum; ipse delinquens amisit jus suæ formæ: ut defendunt Fagund. *in dec. prac. 8. l. 8. c. 4. n. 11.* & apud ipsum, Cajet. Nav. & Mayor. P. Fellive. P. Azot. Sam. Lublior. Sā, Ferra *in 22. tom. 2. q. 73. art. 2.* Machad. *tom. 1. disp. 2. part. 3. tract. 14.* Quos refert, & sequitur Dian. *3. part. tract. 5. resol. 17. & part. 4 tract. 4. resol. 128. & p. 10. tract. 12. resol. 5.* Card. de Lug. *de just. d 14 n. 87.* in fine. Tamb. *l. 9. dec. c. 3. §. 2. n. 12.* Et hujus ratio esse debet; quia publicum in uno loco, simpliciter, & absolutè est publicum: ergo idem dicendum de præsenti dubitatione: Cùm enim peccatum publicum in uno loco, simpliciter dicatur publicum in omni loco; non potest virtute Bullæ in alio loco, quamvis distanti, & ubi fama illius difficilè perveniet, à confessario absolvi.

122. Nec fundamentum primæ sententiæ *n. 117.* allatum, oppositum suadet: quia ei respondetur, negando antecedens; nam peccatum eo loco, non est verè, & absolutè multum, ut ostendimus *n. 120. & 121.* Nec illius confirmatio, ita est certa, ut oppositum plures non habeat Patronos qui hoc probabiliter doceant: Bonacin. enim *d. 2. de censur. q. 2. punct. 6. §. 2. n. 48.* Cum Comitol. *l. 1. Resp. mora. q. 36. & de excomm. dub. 8. n. 2.* Filliucius *tract. 13. cap. 3. q. 49.* & ut probabile Castr. Palao *ubi supra.* Leand. *tom. 4. tract. 2. disp. 15. q. 56.* existimant denuntiatum, & publicum clerici percussorem in uno loco, esse vitandum in omni alio loco, tàm publicè, si publica sit denuntiatio, vel percussio clerici, in eo loco distanti, quàm occultè, si occultè sciatur. Et illorum ratio est: quia Concilium Constantiense præcipit vitare excommunicatum vitandum, & manifestum Clerici percussorem; & non restringit præceptum ad locum, ubi excommunicatio, aut percussio est publica. Deinde excommunicatio jure, vel facto publica in vero loco, absolutè publica est: Ergo idem dicendum de absolutione peccati publici in uno loco, præstitâ in loco, ubi non est publica.

124. Scio alios D. D. cum distinctione procedere docentes: teneri fideles vitare publicè in loco distanti, excommunicatum publicum, si ibi delictum in Clericum percussum commissum, & denuntiatio sit publica; si verò id delictum, & denuntiatio sint occulta, occultè. Sic Sylvestr. *verb. excommunicatio §. n. 26.* Covarr. *in cap. Alma mater. part. 1. §. 2. n. 3. & 6. & §. 3. n. 2.* Palac. Durand. D. Antonin. Pabien. & alii, quos referunt Henriq. *l. 13. cap. 6. n. 3. in gloss.* Lett. B. apud Leand. *proximè*, quibus addo Zaym. *l. 1. tract. 5. part. 2. cap. 4. n. 3.*

124. Ex quibus sententiis, & probatione pro nostra sententia, collige, primam sententiam esse probabilem, ut diximus, secundam verò probabiliorem; quia nititur meliori fundamento. Dixi, *& ex probatione nostra sententia*; quia illius confirmatio, etiam in oppositum, habet sententias probabiles. Probabilis enim est, & in praxi consulenda opinio dicens esse peccatum mortale contra charitatem, manifestare delictum in loco ubi ignoratur, & ad quem facilè ejus fama non erat perventura; sive illud delictum sit, in alio loco notorium notoreitate juris, sive notoreitate facti; quia læditur fama proximi, in re magni momenti. Quod meritò ægerrimè ferrem mihi fieri; & lex naturalis dictat ne alteri faciam, quod mihi fieri nolo. Et ita docent communiter doctores, Lessius *l. 2. cap. 11. dub. 13. n. 78.* Sotus *de just. l. 5. q. 10. art. 2.* Villal. *in summ. tom. 2. tract. 11. diff. 36. n. 13.* Tambor. *de restit. in. 4. distinct. 15. q. 3. disp. 53. c. 4. n. 53. §. 30.* Salon. *22. q. 62. art. 2. contr. 18.* Navarr. *l. cap. 4. n. 288.* Sayr. *in clavi reg. l. 11. c. 6. n. 25. & 26.* Malder. *2. 2. tract. 7. cap. 1. dub. 6.* Dicastill. *l. 2. de justit. tract. 2. disp. 12. q. 3. dub. 14. & alii*: apud quos videri possunt resolutiones aliorum casuum ad hanc materiam spectantes.

SECTIO XI.

An virtute Bullæ possint absolvi peccata reservata, Commissa non solùm sed etiam post Bullæ acceptionem.

125. REsolutio affirmativa est sine controversia certa inter D. D. illam expressè fatentur

Rodrig. 5, 9. n. 95. Cordub. *de in dub. q.* 34. *Angles. in summ. q. de confess. art.* 5. *diff.* 3. Villalob. *part.* 1. *tract.* 27. *claus.* 9. §. 2. *n.* 6. Gom. *in explicat. Bullæ claus.* 11. *n.* 6. Castr. Palas *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 4 *punct.* 11. *n.* 8. Dian. *p.* 1. *tract.* 11. *resol.* 17. Trullench. *in Bullam l.* 1. §. 7. *cap.* 2. *d.* 3. *n.* 11. *vers. suppono* 4. Bard. *part.* 2. *tract.* 6. *c.* 1. *n.* 46. & alii. Probatur, quia Bulla nullam apponit limitationem, quoad casus præteritos; & quoad futuros asserit, durante anno publicationis posse Bullam accipientem eligere confessarium; qui eum absolvat à reservatis S. Pontifici, semel in vita, & in mortis articulo; & ab aliis reservatis, quoties confitebitur: ergo potest Bullam accipiens absolvi à reservatis commissis ante Bullam sumptam; & post sumptam à futuris commissis, durante anno publicationis; dummodo ante finitum illius annum, ab illis confiteatur; vel illorum confessionem incipiat, juxta ea, quæ diximus *supra disp.* 4. *sect.* 5.

126. Dices: si aliquis obtineat licentiam à Prælato absolvendi aliquem subditum à reservatis; si post obtentam licentiam subditus in alio de novo labatur, non potest ab illis, ex vi talis licentiæ, absolvi; quia post licentiam fuerunt commissa; ut cum aliis tenet Floron. *de casibus reservatis part.* 1. *c.* 4. §. 3. *n.* 29. ergo etiam, qui per Bullam habet facultatem, ut absolvatur semel in vita à S. Pontifici reservatis, non potest ab aliis de novo commissis, post Bullam sumptam, absolvi. Respondeo, antecedens esse verum si licentia obtineatur ad absolutionem à determinatis peccatis, vel à peccatis commissis ab ipso subdito. Secus dicendum, si obtenta sit, ut absolvatur à quibuslibet peccatis reservatis, aut pro hac vice: at facultas absolvendi à peccatis reservatis in Bulla concessa, non ad determinata numero peccata, nec ad certum diem, sed ad totum annum, nempe durante anno Bullæ, conceditur: ergo extenditur ad commissa post Bullæ acceptationem; sicut etiam extenderetur post licentiam obtentam à subdito, si Prælatus confessario facultatem concederet, ut durante mense, cum à reserv. absolvat; ut tenet Bud. *prox. n.* 49.

127. Dixime *secus dicendum, si licentia sit obtenta, ut subditus absolvatur à quibuslibet peccatis reservatis, vel pro vice*; quia sic obtenta, posse absolvi à peccatis reservatis post dictam licentiam commissis, asserunt Card. de Lug. *de panit. d.* 20. *n.* 121. & apud ipsum Bonac. & Præpositus; & Bossius *de jubil. sect.* 1. *casu* 14. *n.* 6. quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 1. *tract.* 2. *d.* 12. *q.* 47. Et hanc doctrinam sequitur Tambor. *l.* 5. *de panit. c.* 9. §. 3. *n.* 6. licèt in fine addat, illius praxim semper sibi visam fuisse scrupulosam; dissolvit tamen duo absurda, quæ ex obtenta licentia, prædicto modo concessa, sequuntur; quæ in unum collecta arguunt ex ea licentiæ confessione præberi subdito ansam liberius, faciliusque peccandi. Qua de causa, Ugolin. Floron. Barbas. & Azor. apud Leand. *proxime*, existimarunt dictum subditum ex ea facultate non posse absolvi à peccatis commissis, post dictam concessionem. Sed ea ratio non convincit; quia ea concessio facultatis de se, & activè non præbet ansam, seu occasionem liberius, & facilius peccandi: erit tamen ex iniquitate subditi, & passivâ.

128. Quod dictum est de facultate Bullæ ad solvenda peccata reservata commissa post sumptionem Bullæ; dicendum etiam est, de facultate jubilæi, cujus virtute possunt absolvi reservata commissa post illius publicationem; ut docent Navarr. *de jubil. notab.* 34. *n.* 4. *vers. sed contra facit* Cor. *dub. l.* 5. *de indulg. q.* 37. *prop.* 2. Henriq. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 6. *litt.* I. Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 52. *sect.* 3. *n.* 7. Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 53. *n.* 27. *& cap.* 14. *n.* 9. Barbos. *de potest Episc. part.* 3. *alleg.* 52. *n.* 9. Basil. Pont. *l.* 8. *de matr. c.* 10. *n.* 8. & alii plurimi. Ratio est, quia jubilæus non utitur restrictione, nec limitatione.

SECTIO XII.

An virtute Bullæ possint absolvi peccata reservata, illius Confidentia Commissa.

129. *Disp.* 8. *Sect.* 5. *à n.* 47. dicimus confidentiam duplici modo posse considerari. Primò, positivè, prout est causa peccati; quia v. g. si Petrus Bullam non haberet, virtute cujus posset absolvi, peccatum reservatum non committeret; & hæc confidentia dicitur antecedens, seu peccare ex confidentia. Secundò, negativè, quatenus non est causa, ut peccatum committatur, facilitat tamen ad illud: v. g. Petrus ex fragilitate, vel passione, committit peccatum reservatum, & quidem facilius; quia habet Bullam, virtute cujus, absolvatur; & hæc confidentia dicitur concomitans, seu peccare cum confidentia. Quæstio non procedit, hoc secundo modo; quia omnes conveniunt peccantem cum confidentia Bullæ, posse virtute illius absolvi; procedit ergo juxta primum modum.

130. In hoc sensu, negant posse absolvi reservata ex fiducia, seu spe Bullæ, commissa D. Antonin. 1. *part. tit.* 10. *c.* 3. §. 5. Felin. *sermone de indulg. v.* 3. *Card.* §. *in Lev. n.* 83. Covarr. *l.* 2. *resolutionum v.* 2. *v.* 26. Cordub. *de casib. reserv. q.* 22. Lopes *in instruct. de Bull. c.* 8. Gomez. *ad* 11. *claus. Bullæ, n.* 5. & loquentes de jubileo, in quo similis datur difficultas, negant Joan. Lupin. *in c. per vestras. de donat. inter virum, & uxorem n.* 14. Covarr. *l.* 2. *Variar. c.* 20. *n.* 15. & alii apud Henr. *l.* 7. *c.* 9. *n.* 4. *litt. & c.*

131. Probant primò *ex cap. illud; de cleric. excomm. ministr.* ubi indignus censetur absolutionis excommunicationis ille, qui spe absolutionis communioni fidelium se immiscet. Secundò, *ex cap. quando, de consecrat. distinct.* 4. ubi dicitur, non suscipere baptismum illum, qui peccat ex confidentia suscipiendi illud pro articulo mortis. Tertiò, quia privilegium meretur amittere ille, qui spe immunitatis peccat prope Ecclesiam, ut peccato patrato ad illam confugiat; ut latè probat Covarr. *loco cit.* Quartò, quia, qui elegit indignum, eo ipso privatur eâ vice: potestate eligendi, *cap.* 2. *de postulat. Prælat. cap. cum in cunctis decis.* & D. D. Barbos. *de potest Episcop. part.* 3. *alleg.* 72. *n.* 105. *& in collect. ad dictum cap.* ergo etiam qui malè utitur privilegio Bullæ, illo privabitur; malè actum privilegio Bullæ utitur, qui ex confidentia illius reservata committit.

132. Dicendum tamen est cum communi Doctorum, posse absolvi virtute Bullæ, peccata reservata commissa spe, vel confidentiâ illius; sive confidentia accipiatur primo, sive secundo modo explicato *n.* 129. Ita Navarr. *de jubil. notab.* 3. *q.* 3. *& notab.* 35. *n.* 6. Sylv. *verbo. indulgentia q.* 10. *dist.* 5. A Costa *in Bull. q.* 43. *vers. Ego tamen.* Soar. *tom.* 2. *de relig. l.* 6. *c.* 13. *n.* 6. Sanch. *l.* 4. *decal. c.* 54. *n.* 18. Rod. *in Bull.* §. 9. *n.* 99. Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 1. *d.* 9. *n.* 5. Ludov. à cruce *in Bull: disp.* 1. *c.* 1. *d.* 6. Bard. *part.* 2. *tract.* 6. *c.* 1. *n.* 51. Tambor. *in Bull. c.* 11. §. 9. *n.* 1. Bonac. *de legib. disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 6. §. 3. *n.* 12. Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 16. Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 12. *q.* 48. Hozan. *in summ. tom.* 3.

verb.

verb. Bull Cruciatæ n. 9. & verb. Jubilæum n. 27. Et idem docent plures de jubilæo, qui videri possunt apud Bossium de *jubil. sect. 1. casu 13. n. 3.*

133. Probatur primò: quia Bulla concedit posse absolvi reservata sine aliqua limitatione, seu distinctione; quando autem jus non limitat, nec distinguit, nec nos limitare, nec distinguere debemus *l. de pretis ff. de publica in rem act:* & maximè, quia Bullæ privilegia non strictè, sed latè sunt interpretanda, juxta ea, quæ diximus *disp. 1. a n. 71.*

134. Probatur secundò; quia si Pontifex concedens absolutionem à reservatis voluisset apponere hanc limitationem, illam apponeret; ut appositi in illis, qui confidentiâ Bullæ fuerunt negligentes in annua Confessione, de quibus diximus *disp. 2. sect. 4 n. 39. & disp. 8. sect. 5. à n. 45.* ergo cùm Pontifex illam limitationem hic non apposuerit, illam non intendit. Confirmatur, quia olim in Bullis, ea opponebatur limitatio, ut tenet A Costa *dict. q. 43.* & ideo D. D. antiquiores pro oppositâ sententia adducti, illam tuebantur: cùm ergo modò non apponatur, illam non intendit S. Pontifex.

135. Ad primum fundamentum contrarium *n. 131.* allatum, & desumptum *ex cap. illud:* Respondetur, in eo solùm decidi; non mereri absolutionem ab excommunicatione illum, qui ut eam obtineret, gravius peccavit: at si facti pœniteat, illam obtinebit.

136. Ad secundum deductum *ex cap. quando, & ibidem* adductum: Respondetur, in eo solùm esse sermonem de aliquibus, qui differebant Baptismum usque ad finem vitæ, ut liberiùs, & licentiùs peccarent, sub spe obtinendi, ab omnibus peccatis veniam per Baptismum; & de his, inquit textus, aliquando Baptismum non suscipere, Deo permittente, in tantorum peccatorum pœnam.

137. Ad tertium: Respondetur, illum, qui spe immunitatis prope Ecclesiam peccat, mereri privilegium amittere; sed illud non amittit, nisi detur textus, qui id exprimat; at non datur; quia iste casus est ex septem à Gregorio exceptis.

138. Ad quartum: Respondetur, ita esse expressum in ipsis textibus; at in Bulla non exprimitur, quod illo privilegio non gaudeat ille, qui illius, spe & confidentiâ peccata reservata commisit.

SECTIO XIII.

An qui virtute Bullæ confessus est, nullam mentionem faciens reservatorum, liber maneat à reservatione oblitorum.

139. POnamus casum communiter occurrentem: Accessit pœnitens, habens Bullam, ad confessionem: & confessus est omnia peccata, quæ memoriæ occurrerunt; oblitus tamen fuit reservatorum; potest ne hæc oblita reservata, quæ tenetur confiteri, eo quòd directè non fuerunt absoluta à confessario, cuicunque confessario, communem habenti jurisdictionem, confiteri, tamquam non habentia jam reservationem? Prima opinio negat, cum Soar. *tom. 4. in 3. part. disp. 31. sect. 4. n. 18.* Bonacin. *de Sacram. disp. 5. q. 7. punct. 5. §. 5. à n. 3.* Trullench. *in Bull. l. 1. §. 7. cap. 2. dub. 2. n. 6.* Bard. *in Bull. part. 2. tract. 6. cap. 1 n 103.* & alii, qui idem asserunt de absolutione à Prælato obtenta, nullâ factâ mentione reservatorum; & idem etiam quando virtute jubilæi fuit absolutus.

140. Fundantur: quia confessarius intentionem non habet, nec explicitam, nec implicitam tollendi reservationem illorum peccatorum, quæ illi nec implicitè, nec explicitè fuerunt manifestata. Si illis opponat; confessarium habere intentionem, saltem implicitam, absolvendi quantum potest; atque etiam tollendi reservationem. Respondent, nullum reperiri actum, nec in confessario, nec in pœnitente unde Colligatur, involvi illam implicitam virtualem, & interpretativam intentionem; quæ tamen erat necessaria ad tollendam reservationem ab oblitis, & ignoratis.

141. Hæc sententia, si procedat secundùm praxim aliquorum pœnitentium, qui tantùm dicunt ea peccata, quæ memoriæ occurrunt, non addendo, quæ communiter ab aliquibus addi solent, nempe: confiteor etiam ea omnia peccata, quibus Deum offendi, vel quorum oblivio, alicui videbitur probabilior, quàm opposita; quia sic nulla sit mentio aliorum peccatorum oblitorum, tam reservatorum, quàm non reservatorum, ad quam se extendat intentio confessarii, virtute Bullæ, vel jubilæi, absolventis.

142. At contra est: quia ad ea peccata sic oblita, & nec implicitè confessa, extenditur dolor, quem peccator habet de peccatis recordatis necessariò, & ex natura sua; ut docet Fagund. *in 2. Eccl. præcept. l. 2. c. 7. n. 8. in medio. vers. secundò*, & in eadem confessione includuntur; ut asserit Conc. Trident. *sess. 14. cap. 5.* per hæc verba: *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti, non occurrunt, in universum, in eadem confessione inclusa esse intelliguntur.* Et cùm inclusa intelligantur in eadem confessione, confessarius absolvens directè ab aliis, quæ memoriæ occurrerunt, indirectè ab oblitis, etiam absolvit; & cùm absolvat in quantùm potest; & potest tollere reservationem, illam tollit.

143. Quare secunda opinio est probabilior asserens sublatam esse omnem reservationem, & ea peccata posse absolvi à quolibet confessario, ac si jam non sint reservata. Et ita docent Gabriel. Navarr. Sylvest. Covarr. Sa Henriq. Ægid. Coninch. quos refert, & sequitur Castr. Pal. *tract. 23. de panit. q. unic. punct. 15. §. 6. n. 3.* Accedunt Card. de Lug. *de panit. disp. 20. n. 85. & seqq.* & cum pluribus Avers. de *panit. q. 17. sect. 8. Bos. de jubil sect. 1. casu 29.* Dian. *part. 1. tract. 11. resolv. 19.* Tambor. *l. 5. de panit. tract. de casib. reserv. cap. 9. §. 4. n. 4.* Leand. *de panit. tom. 1. tract. 5. disp. 12. q. 34. & 35.* Hozan. *in summ. tom. 3. verb. casus reservatus n. 28. & verb. jubilæum n. 17.* Pro ea sententia etiam citari potest. Vasq. *de panit. ad q. 91. art. 3. dub. 5.* nàm lis licèt id neget, quando confessio facta fuit cum Prælato, nulla facta mentione de reservatis, id concedit, quando fuit facta virtute Bullæ, vel jubilæi.

144. Probatur destruendo fundamentum primæ sententiæ, quia confessarius semper intendit absolvere pœnitentem, in quantùm potest: inquit enim in absolutione, *in quantùm ego possum:* sed potest omnem amovere reservationem virtute Bullæ, vel jubilæi, vel ipse Prælatus si absolvat: ergo illam amovit. Confirmatur: quia pœnitens illum virtute Bullæ elegit, ut omnem gratiam illi impertiret, quam impetriri potest: sed poterat virtute Bullæ tollere reservationem; ergo illam substulit.

155. Idem dicendum de censuris oblitis; quæ per absolutionem, quæ præmittitur ad absolutionem sacramentalem, tolluntur virtute Bullæ, vel jubilæi, vel ab habente potestatem. Quod tamen intellige,

si ad illarum, vel alicujus absolutionem, non prærequiratur partis satisfactio; quia licèt confessarius intentionem habeat absolvendi in quantùm potest; ea intentio non præsumitur extendi ad absolutionem censurarum, quam licitè præstare non potest: at licitè absolutionem censuræ præstare non potest, nisi satisfactâ parte; ut *infra* videbimus. Sic Avila *part.* 2. *cap.* 7. *disp.* 3. *dub.* 9. *Conclus.* 2. *vers. ex conclusione secunda*, Castr. Palao *supra dict. n.* 3. Bard. *cit. n.* 107. & alii, quos refert, & sequitur Tambor. *loco citato.*

SECTIO XIV.

An maneat liber à reservatione, qui habens Bullam invalidè Confitetur?

146. PRima sententia negat, manere liberum à reservatione. Illam defendunt Acosta *in Bullam q.* 45. *vers. quidquid sit.* Ledesma in summ. *tom.* 1. *tract. de panit. cap.* 13. *conclus.* 2. *dub.* 7. Villal. *tom.* 1. *tract.* 27. *claus.* 9. §. 2. *n.* 6. Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 31. *sect.* 4. *n.* 22. Card. de Lug. *de panit.* 20. *n.* 106. Tambor. *l.* 5. *de panit. tract. de Casib. reserv. cap.* 9. §. 5. *n.* 1. Hosan. *in summ. vers. casus reservatus n.* 28. *& vers. jubilæum n.* 17. *cum Portel.* & aliis. Quæ sententia procedit in casu, quo Confessio fuisset nulla, & irrita ex taciturnitate alicujus reservati, vel Mortalis, non reservati.

147. Secunda sententia affirmat, manere liberum virtute Bullæ, à reservatione censurarum, & peccatorum, quæ fassus fuit; & etiam si confessio invalida facta sit apud Prælatum, & apud ejus delegatum. Ita Castr. Palao *part.* 4. *tract.* 23. *panit. disp. unic. punct.* 15. §. 6. *n.* 2. & apud illum Sylvestr. *verb. confessio* 1. *q.* 19. Cajetan. *verb. casus*; Henrig. 1. 6. *cap.* 16. *n.* 5. Soar. *supra n.* 9. Ægid. Coninch. *disp.* 8. *dub.* 12. *conclus.* 3. *n.* 91. Accedunt Rodrig. *in Bull.* §. 9. *dub.* 4. *n.* 47. Trullench. *de Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 3. *n.* 9. Ludovic. à Cruce *in Bullam disp.* 1. *cap.* 3. *dub.* 12. *n.* 4. & alii apud Dian. 1. *part. tract.* 11. *resolut.* 18. *& part.* 3. *in addit. resolut.* 16. Bos. *de jubilæo sect. cas.* 34. *à n.* 7.

148. Tertia sententia asserit, si confessio fuit nulla ex defectu doloris, examinis, aut propositi apud potentem absolvere à reservatis; quia vel erat Prælatus, vel ejus delegatus, vel virtute Bullæ, vel jubilæi, absolvebat, probabile esse, manere pœnitentem liberum à reservatione peccatorum. Ita Valq. *q.* 91. *art.* 3. *dub.* 5. *à n.* 33. Card. de Lug. *disp.* 20. *n.* 196: Sylvester, Navarr. Soar. Ægid. Coninch; Henrig. Comitel. Philipp. à Cruce, Palat. Covarr. & alii plures, quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 1. *de panit. tract.* 5. *disp.* 12. *q.* 42. Tambur. *supra cit. n.* 2. Addunt tamen pœnitentem debere observare pœnitentias, & alia, quæ in ipsa Confessione, quamvis invalida, imposita fuêre; quia sub eo onere, reservatio fuit ablata. Hanc tertiam sententiam etiam probabilem judicat, licèt oppositam probabiliorem; Mend. *in Bull. disp.* 23. *n.* 27.

149. Quarta demum sententia est circa tempus jubilæi, quæ hic potest habere locum, propter paritatem, quæ datur inter illum, & Bullam cruciatæ. Inquit enim hæc sententia, non manere liberum pœnitentem à reservatione, qui virtute jubilæi invalidè fuit confessus, defectu doloris, vel integritatis à peccatis immediatè, & per se reservatis: manere tamen liberum à reservatione censurarum, & peccatorum, quæ ob conexionem cum illis, & dependenter ab ipsis censuris, sunt reservata. Sic Bonac. *disp.* 5. *de Sacram. panit. q.* 7. *punct.* 5. 50. *n.* 9. cum Rodrig. Idem etiam docent Burtho à S. Faust. *l.* 4. *de indulg. & jubil. q.* 40. Bossius *de jubil. sect.* 1. *cas.* 34. apud Bard. *part.* 2. *tract.* 6. *cap.* 1. *n.* 111. multos alios D. D. pro sententia absolutè negativa, & affirmativa affert Leand. *cit. q.* 43. Fundamenta harum opinionum adducemus in sequentibus resolutionibus, vel illa approbando, vel illa rejiciendo. Et quid sit tenendum, in tanta opinionum varietate, jam depromo.

850. Dico primò: juxta Bullam Lusitanam existimo certum non manere liberum à reservatione censurarum, & per consequens, nec à reservatione peccatorum, quæ dependenter à censuris reservationem habent, illum, qui habens Bullam, Confessionem nullam fecit, tacendo aliquod, vel aliqua peccati, quibus connexa erat censura, vel aliquod aliud peccatum non reservatum. Probabilius tamen est oppositum juxta Bullam Hispanam, non tamen juxta nostram. Hæc resolutio quoad primam partem, est partim contra authores secundæ sententiæ, & contra Bard. proximè *n.* 113. & D. D. quartæ sententiæ: defenditur tamen ab authoribus primæ. Probatur ex Bullâ, in qua S. Pontifex in ordine ad acquirendas indulgentias, concedit habenti Bullam, ut possit eligere confessarium, qui cùm absolvat à casibus sibi reservatis, semel in vitâ, & in mortis articulo, *ut purius preces Deo fundere, & efficacius divinum auxilium imperare, possit*: sed hic finis deficit in illo, qui tacendo peccatum, fecit confessionem nullam: ergo si confessio est nulla, etiam nulla fuit absolutio; ergo censuræ, & peccata remanebunt, sicut antea reservata.

151. Secunda pars ostenditur: quia probabile est (ut *infra disp.* 17. *n.* 82. videbimus) virtute Bullæ Hispanæ posse absolvi censuras, extra confessionem Sacramentalem: ergo; ablatâ censurâ per absolutionem in Casibus Pontificiis, peccata, quæ ratione illius censuræ erant reservata, possunt absolvi à quolibet Communi Confessario. Vide locum *proximè citatum.*

152. Dico secundò: Non manere liberum à reservatione peccatorum, quæ independenter à censura sunt reservata illum, qui habens Bullam fecit confessionem nullam, tacendo aliquod peccatum, vel reservatum, vel mortale non reservatum. Probatur, ut *supra* ex Bullâ, quæ asserit absolutionem à reservatis esse impertiendam à confessario per ipsam electo: ergo si absolutio à peccatis est nulla, manent peccata reservata, ut antea. Secùs dicendum, si confessio invalida, facta fuit cum Prælato, vel delegato: tunc enim subditus liber manet à reservatione eorum reservatorum; quæ illi in ea Confessione fuerunt manifestata. Ratio est, quia hic subditus satisfecit fini reservationis; quia superiori, vel ejus vices habenti se præsentavit, animo medicinam, & pœnitentiam ab eo recipiendi. Hæc resolutio est contra authores primæ sententiæ, & tuetur à citatis pro secunda.

153. Dices primò: sufficit, ut subditus liber remaneat à reservatione suorum peccatorum, si illa confiteatur superiori, vel ejus vices habenti, quamvis

vis invalidè : ergo etiam sufficiet, ut quis maneat liber à reservatione censurarum, vel ab aliis reservatis, si illa confiteatur, vices gerenti Pontificis habent, quanvis invalidè ; quia illi se præsentat, sicut subditus suo Prælato. Respondeo, negando consequentiam, diversa Ratio est; quia ut subditus à reservatione sit liber, satis est, quod suum peccatum manifestet superiori, vel illius vices habenti, & ab illo obtineat facultatem, ut alii confiteri possit, & medicinam ab illo impositam, recipiat; quod datur in illa confessione invalida factâ superiori, vel illius vices habenti: at in delegato S. Pontificis, per Bullam cruciatæ, id non datur; quia non potest tollere reservationem, nisi per absolutionem Sacramentalem, qualis non est, quæ fuit nulla & irrita. Quod ostendo ulterius; quia hic delegatus, virtute Bullæ, non potest tollere reservationem per meram pœnitentis præsentationem, vel per facultatem ab eo præstitam, ut à reservatis absolvatur; quod potest facere superior, vel illius vices habens: liber ergo manet à reservatione eorum peccatorum subditus, quæ superiori in confessione invalida manifestavit, & non manet liber ille, qui habens Bullam, confessionem invalidam fecit, quanvis peccata reservata in ea confessione manifestasset.

154. Dices secundò: si superior subdito facultatem concedat, ut Bullam accipiat ad eligendum confessarium approbatum, qui eum à reservatis absolvat, subditus manifestando sua reservata ei confessario in confessione nulla, liber manet à reservatione, sicut maneret, si ea fateretur suo superiori, à quo facultatem habet, ut per Bullam à reservatis absolvatur: ergo etiam alius habens Bullam fatendo reservata in confessione nulla, manebit liber à reservatione eorum reservatorum. Respondeo, negando antecedens; quia superior eam facultatem concessit, mediante confessione Sacramentali, habitâ, virtute Bullæ: cùm verò ea confessio non fuerit Sacramentalis, utpote nulla, nec superior eum liberabit à reservatione nisi validè Mediante; ac proinde à reservatione eorum peccatorum liber non remanet.

155. Dico tertiò: si confessio fuit invalida ex defectu doloris, examinis, aut propositi, existimo, non manere liberum à reservatione eorum peccatorum, quæ habens Bullam, in ea confessione manifestavit. Hæc est contra D. D. tertiæ sententiæ, defenditur tamen à Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 15. *n.* 21. *l.* 4. *decal. cap.* 14. *n.* 5. Candid. *disquis.* 24. *art.* 69. *dubio* 43. 44. *&* 47. & aliis apud Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 12. *q.* 42. Probatur, ut *supra*; quia delegatus per Bullam non potest solvere reservationem, nisi per absolutionem Sacramentalem, qualis non fuit nulla, & irrita. Et ex dictis patet solutio ad rationem, quæ pro oppositâ sententia adduci solet: sufficit enim, ut quis à reservatione absolvatur, si confessio fiat cum superiore, vel ejus delegato, non verò tum delegato per Bullam electo.

SECTIO XV.

An metus gravis tollat reservationem à Casibus Pontificiis?

156. DIximus, *Sectione primâ n.* 15. ignorantiam invincibilem, sicut excusat ab incurrenda censura reservata S. Pontifici, sic etiam excusare à reservatione ipsius peccati cum D. D. ibi citatis, & videri etiam potest Moja *tom.* 1. *in fine select. tract.* 3. *q.* 2. *à n.* 6. Et idem extendunt D. D. ad naturalem oblivionem, & inadvertentiam, seu inconsiderationem invincibilem; ut ex Sanch. *l.* 4 *decal. cap.* 22. *n.* 18. docet Dian. 3. *part. tract.* 5. *resol.* 4. i. Moja *cit. n.* 8. (quia, ut oblivio, inadvertentia, & ignorantia æquiparantur, in ordine à excusandum à culpa; ut cum Soar. Azor. & aliis communiter, asserit Sanch. *l.* 1. *decal. cap.* 16. *n.* 8. Ita etiam ad excusandum à pœna, & censura: Ita defendunt. Soar. *disp.* 4. *de cens. sect.* 8. *n.* 11. Ægid. Conich. *disp.* 13. *de cens. dub.* 11. *n.* 93. Duard. *in Bullam cœnæ l.* 1. *cap.* 2. *q.* 5. *n.* 15. Bonac. Banni, Candid. Navarr. & alii, quos refert, & sequitur, Leand. *tom.* 4. *tract.* 1. *disp.* 9. *q.* 24.

157. In præsenti inquirimus de metu gravi: an etiam excuset à censura, & per consequens à peccati reservatione, quod propter censuram annexam est reservatum. Et non procedit quæstio, de metu gravi mortis, infamiæ, ex illis &c. qui excusat operantem ab omni culpâ, ob transgressionem præcepti Ecclesiastici; quod non obligat cum tanti mali periculo; ut cum pluribus relatis, tenet Leandr. *proxime q.* 25. Tambor. *l.* 10. *de cens. tract.* 1. *de excomm. cap.* 2. *§.* 1. *n.* 2. cùm ergo deficiat peccatum, & censura, deficit etiam reservatio; quæ imponitur propter censuram incursam, & peccatum commissum.

158. Procedit ergo quæstio de metu gravi, qui non excusat à Culpa, quæ est contra legem naturalem, vel divinam positivam. Et si hic metus gravis excuset ab incurrendâ censura reservatâ, fulminatâ contra transgressorem talis legis naturalis, vel divinæ; peccatum manebit reservatum; quia ut *supra n.* 15. diximus peccatum solùm erat reservatum ob censuram annexam: at si ille metus non excuset transgressorem, ab incurrendâ censurâ reservatâ, contra eum impositâ, manebit reservata, cum ipso peccato: & transgressor, si fuit delicti occulti, extra Bullam cœnæ, reservati S. Pontifici, poterit, virtute Bullæ, toties quoties absolvi juxta ea quæ diximus *supra sect.* 9. *n.* 144. Si vero fuerit contentum in Bullâ Cœnæ, & in Cruciatâ non exceptum, semel in vitâ, & in mortis articulo, potest absolvi.

159. Prima igitur sententia tenet, Committentem, ex metu gravi, delictum, quod præcisâ excommunicatione, erat prohibitum jure naturali, vel divino; & Ecclesia illud etiam prohibuit, sub pœnâ excommunicationis, peccare mortaliter, & excommunicationem incurrere. Ita docent Sanch. *l.* 9. *de matrim. disp.* 31. *n.* 4. *&* 6. Alterius *tom.* 2. *de cens. disp.* 10. *de suspens. cap.* 6. *vers. pro solutione* Casp. Hurt. *de cens. diffic.* 21. *n.* 100. *vers. ad quando*, Castr. Palao. *tom* 6. *disp.* 1. *punct.* 8. *n.* 11. Probant primò: quia metus, quantumvis gravis, non excusat à culpa mortali: ergo nec etiam excusabit à censurâ. Secundò, *ex cap. sacris, de his, quæ vi, metusve causâ fiunt.* Ubi definitur, communicationem cum excommunicato, si fiat per vim, excusari à peccato, non verò si fiat per metum.

160. Secunda tamen, & probabilior sententia asserit, prædictum metum gravem, licèt non excuset à peccato mortali, excusare ab excommunicatione, & ab aliâ censurâ, & irregularitate ex delicto impositâ, adversus committentem delictum,

ex jure naturali, vel divino prohibitum. Ita Navarr. *in summ. cap.* 27. *n.* 63. Soar. *de cens. disp.* 4. *sect.* 3. *n.* 14. Bonac. *disp.* 1. *de cens. q.* 2. *punct.* 3. *n.* 5. Cornejo *disp. ult. de censur. in gener dub.* 3. *vers. sed quæres.* Machad. *l.* 1. *part.* 3. *tract.* 2. *document.* 11. *in fine.* Villal. *tract.* 16. *diffic.* 11. *n.* 2. Candid. *disquisit.* 21. *art.* 41. *dub.* 4. *dict.* 7. Leand. *tom.* 4. *tract.* 1. *disp.* 9. *q.* 26. Bard. *in Bull. part.* 2. *tract.* 6. *cap.* 1. *n.* 37. Tamborin. *l.* 10. *de cens. tract.* 1. *de excomm. cap.* 2. §. 1. *n.* 6.

161. Probatur: quia licèt metus non tollat obligationem præcepti naturalis, vel divini, tollit tamen obligationem præcepti Ecclesiastici; nam Ecclesia, absolutè, & universaliter, non intendit suis legibus fideles, gravi periculo imminente, obligare: si ergo cessat præceptum Ecclesiæ, cessat etiam ipsa censura, quæ non habet vim, cessante præcepto Ecclesiastico.

162. Si autem metus gravis sit incussus in contemptum fidei, aut Religionis, aut potestatis Ecclesiæ, non excusabit à peccato, nec à censurâ ab Ecclesia impositâ, quia in hoc casu, Ecclesia vult obligare suo præcepto, imminente gravis damni periculo. Sic D. D. communiter, cum Soar. *de cens. disp.* 6 *sect.* 3. *n.* 6. dicente, hanc responsionem esse, per se notam; Filliuc. & alii plures, quos adducit, & sequitur Leand. *proximè q.* 27.

163. Quamvis oppositum, nempe: excusare eum metum à censurâ licèt non excuset à peccato, docent Salas. *de legibus disp.* 11. *sect.* 1. *n.* 5. *vers. ex hac Conclusione.* Candid. *supra citatus* apud Leand. *dict. p.* 27. Ubi illius verba refert; Sanch. sibi contrarius *in sum. l.* 2. *cap.* 10. *n.* 49. Ubi hæc verba refert, de lectione librorum prohibitorum, qui ab hæreticis sunt editi: *quia præcepta Ecclesiastica, quale est, hoc, non legendi libros hos, non cum tanto detrimento obligare probabit præcedente cap.* 18. *n.* 4. *Imo, & si peccaret mortaliter, legendo, quando in fidei contemptum, metu gravi, compelleretur; non incurrerent hanc excommunicationem; quia hic non delinquit in præceptum Ecclesiæ, hanc lectionem interdicentis, cujus transgressioni statuta est pœna: sed in præceptum divinum tuendæ fidei, & Religionis; ut dixi eodem cap.* 18. *n.* 4. Hæc Sanch.

164. Ex dictis sequitur, committentem aliquod peccatum ex metu gravi, quando excusatur à censura, tunc etiam excusari à reservatione; etiam si illud peccatum sit ex reservatis S. Pontifici. Et ita asserunt *Graff. de casib. reservat. l.* 1. *cap.* 13. *n.* 33. Floron. *cas.* 4. §. 1. *n.* 16. Averl. *de panis. q.* 17. *sect.* 1. Bordon. *de excomm. l.* 1. *cap.* 7. Quos refert, & sequitur Tambor. *l.* 5. *de panit. tract. de casib. reserv. cap.* 3. *n.* 2. Qui id etiam extendunt, ad omnem reservationem, etiam si peccatum reservatum annexam non habeat excommunicationem. Et quando excommunicatio, ex metu gravi non fuit contracta; id etiam asserit Bard. ubi *supra n.* 38. & tenentur dicere D. D. qui defendunt, reservationem, quam habent peccata Pontifici reservata, provenire à censura, & ablatâ censurâ, tolli reservationem, quos citavimus *in fine sect. prima.*

165. Ad primum fundamentum primæ sententiæ *n.* 159. ablatum, respondetur, metum gravem non excusare à culpâ, quando transgressio est contra jus naturale, vel divinum; & excusare ab eâ, quæ est contra jus Ecclesiasticum; & per consequens ab excommunicatione, quæ consequitur culpam, contra jus Ecclesiæ: cùm ergo culpam, ex præcepto Ecclesiastico, non contrahat; nec etiam excommunicationem contrahit, quæ est annexa præcepto Ecclesiastico.

166. Ad secundum desumptum *ex cap. sacris, eodem n.* respondetur cum Soar. quem refert, & sequitur Sanch. *l.* 1. *de cal. cap.* 18. *n.* 4. *in fine*, Pontificem, in eo textu, solùm voluisse illamere discrimen inter vim, & metum; nempe, ut vis semper excuset à culpâ, & consequenter ab excommunicatione ob participationem cum excommunicato: Metus verò non semper excusat à Culpâ, ac proinde nec ab excommunicatione: quia metus gravis incussus in contemptum Ecclesiæ, non excusat à culpâ, nec ab excommunicatione; ut *supra* diximus cum probabiliori opinione. Vide Gasp. Hurt. *de cens. diffic.* 28. Aliter respondet Bard. *n.* 39. dicens, Pontificem loqui de metu, qui non est sufficiens, ad excusandum hominem à culpâ contra præceptum Ecclesiæ.

SECTIO XVI.

An reservato aliquo delicto, comprehendantur actiones leves externæ, ex affectu mortali procedentes.

167. Figuremus casum: Intendit Petrus graviter percutere clericum, in quâ intentione peccatum mortale committit, externa tamen percussio fuit levis, & venialis; vel intendit surripere quantitatem notabilem, ex bonis Christiani naufragantis, ex quâ intentione, peccat Mortaliter; furtum tamen externum fuit valoris unius, vel alterius argenti, hoc est. *de dous, on quatro vintens*, quod est peccatum veniale, vel non sufficiens, ad incurrendam excommunicationem, in Bullâ Cenæ latam, contra surripientes bona naufragantium, juxta Sayr. *de cens. l.* 1. *cap.* 9. *n.* 33. Quaranta. *verb. Bona naufragantium*, quos refert, & sequitur Bonac. *de cens. Bulla Cena disp.* 1. *q.* 5. *punct.* 4. *n.* 3. requirentes, ad hanc incurrendam excommunicationem, valorem duorum aureorum. Inquirimus ergo, an sit reservatum delictum externum percussionis clerici, & furtum bonorum naufragantium? & datâ eâ actione levi percussionis, & furti imperatâ ab actu interno gravi, & mortali, maneant ea percussio, & furtum reservata, ita ut non possint absolvi, nisi virtute Bullæ, semel in vitâ, & in mortis articulo, & sic de aliis reservatis?

168. Affirmat Turrian. *in selectis part.* 2. *disp.* 31. *dub.* 52. *&* 61. quia superior potuit reservare, & de facto reservavit. Et non est fundamentum, ad limitandam reservationem, seu potius intentionem; & addit oppositam sententiam, neque esse tutam, nec probabilem.

169. At negari non potest, esse probabilem, & Communem inter D. D. illam docent Granad. 2. 2. *controv.* 1. *tract.* 15. *disp.* 13. *n.* 14. *& tract. de panit. disp.* 6. *n.* 7. Soar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *l.* 2. *cap.* 18. *n.* 12. Sanch. *l.* 2. *de cal. cap.* 8. *n.* 7. ubi asserit, nec hæresim reservari, nisi quando actus externus est de se mortalis, non per solam relationem ad actum internum; sed etiam secundùm

operis

operis quantitatem. De hoc tamen dicendum *disp. sequente.* Accedunt Card. de Lug. *disp.* 20. *n.* 15. Dian. *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 163. *& part.* 5. *tract.* 5. *resol.* 49. Bonac. *disp.* 5. *de panit. q.* 7. *punct.* 5. *n.* 4. Navarr. Homobon. Graff. Mirand. & alii, quos refert, & sectatur Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 12. *q.* 9. Mend. *in Bull. disp.* 22. *n.* 17. Tambor. *l.* 5. *de panit. tract.* 1. *de casib. reserv. cap.* 4. *n.* 14. *&* 15. Soar. Lusit. *de panit. tract.* 7. *n.* 14.

170. Probatur; quia tam reservatio, quàm excommunicatio non imponuntur, nisi ob peccatum mortale externum: ergo actus externus non est mortalis, præciso interno, non reservatur. Confirmatur: quia voluntas mala interna non reservatur, nisi in actum externum prodeat: ergo si actus externus non sit mortalis, nec dabitur reservatio, nec excommunicatio; quæ solùm, propter actum externum feruntur.

DISPUTATIO XVI.

De electione confessarii, virtute Bullæ, ad absolvendum à reservatis, in Bullâ Cœnæ Domini.

1. IN Bullâ Lusitanâ plures excipiuntur casus, à quibus confessarii, nec semel in vitâ, & in mortis articulo, virtute Bullæ, possunt absolvere; ab aliis verò, qui in Bullâ Cœnæ continentur, & non excipiuntur sive sint publici, sive occulti, non possunt absolvere, nisi semel in vitâ, & in mortis articulo, juxta ea, quæ diximus *disput. præcedente sect.* 9. & per unicam Bullam; secunda enim, juxta nostram Bullam, non potest sumi. Ut hæc tamen plenius intelligantur, casus in Bullâ Cœnæ contentos breviter recensebimus.

SECTIO I.

Recensentur casus S. Pontifici reservati in Bulla Cœnæ.

2. DISputatione proximè elapsâ retulimus casus S. Pontifici, extra Bullam Cœnæ, reservatos: reservando ad hanc, qui in ipsâ Bullâ Cœnæ continentur; & sunt 1. Hæretici cujuscunque sectæ, eorum fautores, libros hæreticos legentes, tenentes, aut imprimentes, & schismatici. 2. Appellantes à Pontifice ad futurum Concilium, eorumque fautores. 3. Piratæ, atque eorum receptatores, & fautores. 4. Naufragorum Christianorum, cujuscunque generis bona, etiam in littoribus inventa, surripientes. 5. Imponentes nova pedagia, & gabellas, vel eas augentes. 6. Falsificantes litteras Apostolicas, aut falsò fabricantes. 7. Deferentes arma, & alia usui bellico idonea ad Turcas, vel alios Christiani nominis inimicos; & ad Reipublicæ Christianæ statum pertinentia, iisdem in damnum Christianorum, nuntiantes. 8. Impedientes eos, qui victualia, & alia necessaria, Romam convehunt. 9. Ad sedem Apostolicam venientes, vel ab eâ recedentes, sub, aut aliorum operâ lædentes; & sine jurisdictione vexantes in Curiâ commorantes. 10. Romipetas, aut peregrinos, etiam in urbe morantes, vel abeuntes lædentes.

3. 11. Offendentes S. R. E. Cardinales, & alios Prælatos. 12. Ad Romanam Curiam pro negotiis suis recurrentes per se, vel per alios, lædentes. 13. Appellantes à gravamine, vel futurâ executione litterarum Apostolicarum, ad laicam potestatem. 14. Executionem litterarum Apostolicarum, aut aliarum expeditionum, impedientes; & prohibentes, ad gratias impetrandas accedentes. 15. Judices sæculares, qui Ecclesiasticas personas trahunt, ad sua tribunalia; quique Ecclesiasticam libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant. 16. Impedientes Prælatos, ne suâ jurisdictione utantur, quique illorum, legatorum judicia eludentes, ad curiam sæcularem recurrunt, aut contra illos decernunt, præstantesque auxilium. 17. Usurpantes sedis Apostolicæ, & quarumcunque Ecclesiarum jurisdictiones, vel etiam fructus sequestrantes. 18. Imponentes decimas, & alia onera personis Ecclesiasticis, Monasteriis, aut eorum fructibus. 19. Judices sæculares, qui se interponunt, in causis Criminalibus, contra Ecclesiasticas personas. 20. Occupantes bona, aut terras Ecclesiæ Romanæ, & illius jurisdictionem usurpantes.

4. Hi sunt casus Bullæ Cœnæ Pontifici reservati; à quibus possunt absolvere, virtute Bullæ, confessarii, modo supra dicto, dummodo septem excipiantur, nempe hæresis, conspiratio in personam, & statum Romani Pontificis, Falsificantes litteras Apostolicas, & supplicationes; Offendentes S. R. E. Cardinales, & alios Prælatos; Ad Romanam Curiam, pro negotiis suis, recurrentes, per se, vel per alios, lædentes. Appellantes à gravamine, vel futurâ executione litterarum Apostolicarum, ad laicam potestatem. Executionem litterarum Apostolicarum, aut aliarum expeditionum, impedientes; & prohibentes, ad gratias impetrandas accedentes. Hi sex casus excepti, in nostrâ Bullâ Cruciatæ continentur in primo, 6. 11. 12. 13. & 14. Capitulis, seu articulis dictæ Bullæ Cœnæ. Excipitur etiam alius, nempe: conspiratio in personam, & statum Romani Pontificis; qui licèt non contineatur in Bullâ Cœnæ, habetur tamen *in Extravag. Et si Dominici, de panit. & remiss. cap.* 3. ubi referuntur alii casus Pontificii, & in ordine exceptorum hic est in secundo loco. Hi excipiuntur, in nostrâ Bullâ; at in Hispanâ solùm excipitur hæresis.

5. Hos igitur casus exceptos explicabo, ne confessarii periculum subeant, illos virtute Bullæ absolvendi; aliis verò supersedeo, quia hujus loci non est illorum expositio; qui velit illos explicatos videre, consulat Soar. *de cens. disp.* 21. Sayr. *l.* 13. Bonac. *tom.* 3. *de cens. in partic. disp.* 1. *per totam*, Fragos. *tom.* 2. *l.* 1. *disp.* 3. Caltr. Palao *tom.* 6. *disp.* 3. *de censuris.* Leand. *tom.* 4. *tract.* 3. & alios, quos referunt.

6. Nota primò, omnes confessarios obligari, apud se habere transcriptum Bullæ Cœnæ, sub peccato mortali: sufficit tamen, ut sæculares illud habeant, vel domi suæ, vel in Ecclesiâ; & Regulares, in aliquo loco publico Monasterii. Imo etiam sufficiet, habere librum, in quo continentur, vel explicantur casus Bullæ Cœnæ; sic enim præcepto satisfit. Ut notant D. D. vide Bonac. *cit. dictâ disp.* 1. *q.* 22. *punct.* 2. Mend. *in Bull. disp.* 25. *n.* 46.

7. Nota

7. Nota secundò, in eâdem Bullâ omnibus confessariis imponi excommunicationem, ipso facto, qui, absque legitimâ facultate, censuras ibi contentas absolverint; & insuper ejus absolutio declaratur nulla. Hæc autem reservata non est. Ita Soar. *cit. dictâ disp.* 21. *sect.* 3. *n.* 6. Sayr. Filljuc. Anton. de Sousa, Bonac. & alii quos refert, & sequitur Cast. Palao *tom.* 6. *de censur. disp.* 3. *punct.* 22. *n.* 5.

SECTIO II.

An virtute Bullæ, vel Regularium privilegiis, possit quis absolvi hæresi occulta externa, & aliis, Pontifici reservatis?

8. HÆresis est primus casus exceptus in nostrâ Bullâ, qui etiam unicè excipitur in Bullâ Hispanâ; & cum sit ex contentis in Bulla Cænæ quamvis sit occultus virtute Bullæ non potest absolvi, quia disput. præcedente *sect.* 6. *à n.* 100. ostendimus, post decretum Alexandri VII. in quo, ut propositionem: *sententia asserens, Bullam Cænæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogari facultati Tridentini, in quâ de occultis criminibus sermo est, anno* 1629. *die* 18. *Julii, in consistorio S. Congreg. Eminentissimorum Cardin. visa, & tolerata est*; ex quâ damnatione sequitur, jam non esse probabilem, nec sustineri posse opinionem aliquorum, qui asserebant, posse confessarios, virtute Bullæ, absolvere casus in Bullâ Cænæ contentos, toties, quoties; dum erant occulti, ut *citato loco* vidimus.

9. In præsenti addimus, ex damnatione dictæ propositionis, nec etiam esse probabilem opinionem eorum, qui docuerunt, virtute Bullæ Cruciatæ, posse absolvi hæreticum occultum, pœnitentem, & emendatum, in locis ubi non est tribunal S. Inquisitionis, quos refert, & secutus fuit Leand. *tom.* 4. *tract.* 2. *disp.* 17. *q.* 85. *&* 86. Probatur: quia illa opinio est improbabilis, quæ certò est falsa: sed asserere, virtute Bullæ, posse absolvi hæreticum occultum, est apertè falsum; quia supponitur, hæresim occultam, & alios casus, in Bullâ Cænæ, contentos, dum sunt occulti, esse Episcopo reservatos; quod est falsum ex damnatione prædictæ propositionis, ex quâ evidenter colligitur, Bullam Cænæ derogare Conc. Tridentin. facultati, in quâ de occultis criminibus sermo est. Et si crimen hæresis occultum, est S. Pontifici reservatum, (ut est) virtute Bullæ, non potest semel absolvi, quia in ipsâ Bullâ, etiam quoad unicam absolutionem, excipitur. Vide, quæ diximus *loco supra citato*.

10. Inquires primò: An Prælati Regulares, virtute suorum privilegiorum, suos subditos absolvere valeant ab hæresi occultâ, post decretum Urbani VIII. editum 17. Novembris anni 1628. Quod referunt Bassæus *in summ. verb. Casus reservatus n.* 38. *vers. exquibus*, Ludovic. à Cruce *in Bull. disp.* 1. *cap.* 4. Quintanaduenas *tom.* 1. *tract.* 3. *singul.* 15. Leand. à Sacram. *tom.* 4. *tract.* 2. *disp.* 17. *q.* 77.

11. Partem affirmativam tenuit Peregrinus, *in compendio privilegiorum Clericorum Regularium*, *part.* 2. *tit. absolutio, quoad fratres*, §. 2. apud Dian. *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 122. ex privilegio Gregorii XIII. nostræ societati JESU concesso, de quo fit mentio, *in compendio nostrorum privil. verbo absolutio* §. 7. At cùm ex eodem compendio constet, hoc privilegium fuisse concessum; vivæ vocis oraculo; & hæc sint revocata à Gregorio XV. & Urbano VIII. iam prædictum privilegium non subsistit; nec ex illo hæc sententia stabilire potest.

12. Eandem sententiam probabilem fatetur Leand. *tom.* 4. *tract.* 2. *disp.* 17. *q.* 74. *&* 75. (dato quòd Regularium privilegia non sint reservata) & alii, quos citat. Privilegia autem, quæ hanc facultatem Prælatis Regularibus concedebant, erant privilegium B. Pii V. apud *Bullarium Rodrig. fol.* 920. de quo mentionem faciunt Portel. Sanch. Soar. apud Dianam 1. *part. tract.* 5. *resol.* 6. privilegium Alexandri IV. Minoritis concessum, & refert Villal. apud Leand. *cit. dict. q.* 75. & privilegium Gregorii XIII. iam *supra cit.* nostræ Societati concessum: Cum verò hæc privilegia sint revocata, (inquit Leand. *q.* 78.) per aliquod aliud privilegium S. Inquisitioni Hispaniæ à S. sede Apostolicâ donatum, non possunt prælati Regulares, virtute prædictorum privilegiorum, suos subditos, intra Hispaniam, ab hæresi occultâ absolvere. Addit verò *q.* 76. *&* 77. esse probabile, non esse revocata dicta privilegia, per Bullam Cænæ, nec per decretum Urbani VIIII. latum 17. Novembris, anno 1628. nec per Conc. Trident.

13. Procedit Leander. *dicta q.* 75. Urbanum IV. concessisse P. P. Prædicatoribus, quod omnes ejusdem ordinis confessores expositi possint absolvere omnes Christi fideles, ad illos concurrentes, ab omnibus peccatis, & censuris, nisi talia essent, propter quæ, consulenda meritò esset sedes Apostolica: sed pro absolutione ab hæresi occultâ, necessario sedes Apostolica non est consulenda; ut explicat Sixtus IV. declarando quasdam litteras Clementis IV. ut habetur *in monumentis ordinis Minorum fol.* 143. alias 59. *conclus* 345. quia casus, pro quibus sedes Catholica est consulenda, sunt quatuor tantum, nempe: si hæretici sint relapsi, si schismatici, si litteras Apostolicas falsificassent, & denique, si ad infideles prohibita detulissent: at ex his constat, sedem Apostolicam necessariò non esse consulendam pro hæresi occultâ: ergo privilegium ad illius absolutionem est extendendum.

14. Accedit; quia probabile est, decretum Urbani VIII. non revocasse Prælatis Regularibus privilegium absolvendi suos subditos ab omnibus casibus occultis, Papæ reservatis, *in Trident. sess.* 24. *cap.* 6. Concessum; ut plures docuerunt D. D. quos citavimus *dicta disp. precedenti sect.* 9. *n.* 105.

15. Demum, inquit Leand. *dict. disp.* 77. *vers. quarto.* si fides Bas sæo adhibeatur, hanc suam responsionem approbasse, & tolerasse S. Congreg. Cardinalium, etiam post præfatum Urbani VIII. decretum, ergo etiam à seipso tolerari debet. Et adducit verba Bassæi, in quibus prædictam opinionem probabilem censuit *verb. Hæresis n.* 18. & sunt sequentia: *Imo ipsemet. Dian.* (inquit. Bassæus) *part.* 4 *tract.* 4. *resol.* 239. *volens, conciliare facultatem Tridentini, Episcopis concessam, cum Bullâ Cænæ, postea promulgatâ, sic docet: Rectè dici potest, Bullam Cænæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & ideo non derogare facultati Tridentini,*

in

in quâ de occultis criminibus sermo est. Hæc ille, nempe Dian. & continuat Basæus. *Unde prædicta sententia, anno* 1629. 18. *Julii in Consistorio S. Congreg. Illustrissimorum Cardinalium visa, tolerata est. Et tanquam probabilis à multis hujus Academiæ Duacensis sacræ Theologiæ D D. admissa.* Hucusque Basæus, & Leand progreditur: *Qui bene, & omnia à nobis in superioribus quæstionibus tradita in summam, verbis relatis redegit.*

16. Hæc, & alia plura, in confirmationem suæ opinionis, congerit Doctissimus Leand. & pro illâ, post latum Urbani decretum, citat Bauny *tract. 4. de pœnit. q. 32. & tom. 2. de censur. tract. 2. disp. 3. q. 26.* Croulers *in Regul. S. Francisci ad cap. 7. sect. 12. & sect. 28. fol.* 171. Candid. Magist. sacri Palatii *tom. 1. disquis. 22. art. 47. in fine, & art. 49. & 50.* quibus adde Sousa *in Bull. cap. 25. disp. 100. conclus. 7. n. 13.* Peyrin. *de privileg. tom. 1. const. 4. Sixti IV.* Hinojosa *in director. decis. regul. verb. confirmatio gratia*, Leand. à Murcia *cap. 21. n. 7. in regul. S. Francisci.*

5. Unicus.

Proponitur vera sententia, & alia declarantur.

17. NEgativa tamen pars est tenenda, & ut certum asserendum, non solùm non posse, Prælatos Regulares suos subditos absolvere ab hæresi occulta, virtute suorum privilegiorum, aut decreti Tridentini cit. sed nec virtute eorundum privilegiorum sæculares, nec confessarios Regulares ad confessiones audiendas deputatos, post decretum Urbani VIII. allatum. Ratio est, quia in prædicto Urbani VIII. decreto, declaratur; per Bullam Cœnæ revocari quorumvis Regularium privilegia, si quæ habebant, ad absolvendum à casibus occultis Bullæ Cœnæ, tam superiores suos subditos, quam ipsi, & confessarii, sæculares, ibi: *Quemadmodum, nèc (revixisse) indulta absolvendi a casibus contentis in Bullâ, quæ in die Cœnæ Domini legi consuevit, utpote sublata per annuam ipsius Bullæ publicationem:* ergo nec superiores, nec Regulares confessarii, virtute prædictorum privilegiorum, possunt absolvere ab hæresi occultâ illi, suos subditos; nec etiam virtute Concil. Trident. ex facultate concessâ in dictâ *sess. 24. cap. 6.* nec Regulares confessarii, virtute dictorum privilegiorum.

18. Nec expositio adducta à Basæo, Diana, & Leand. *locis citatis*, & aliis, quos sequitur Texeda *tom. 1. l. 2. tract. 1. cons. 18. n. 14.* asserentibus, clausulam Bullæ Cœnæ posse explicari de revocatione facultatis concessæ absolvendi à casibus reservatis publicis, & notoriis, & non de occultis contrarium suadet. Nec hæc sententia, aut expositio fuit visa, & tolerata à consistorio S. Congreg. Card. ut aperte constat ex damnatione dictæ expositionis; nam Alexander VII. in sua const. quæ incipit: *Sanctissimus Dominus. 24. Septemb. anno* 1665. Illam damnavit in primâ propositione ex damnatis, per hæc verba: *Sententia asserens Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in quâ de occultis criminibus sermo est, anno* 1629. 18. *Julii, in consistorio S. congreg. Eminenti J. Cardin. visa, & tolerata fuit.*

19. Nec etiam Prælati Regulares, ex aliquo privilegio, possunt sæculares ab hæresi occultâ absolvere; quia præterquam quòd opposita sententia sit contra decretum Urbani, idem Alexander VII. in eâdem const. hanc propositionem damnavit: *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscunque sæculares ab hæresi occultâ, & ab excommunicatione propter eam incursâ*; quæ ex damnatis, est tertia. Et post damnationem dictarum propositionum, hanc negativam sententiam, ut certum docent Moya *tom. 1. in q q select. tract. 3. disp. 8. 9. 5. n. 5. & seqq.* Carden. *in disp. select. tract. 1. disp. 9. cap. 20. art. 5. n. 345.* Et ante eam damnationem, sed post decretum Urbani VIII. docuerunt, privilegia præfata esse per idem decretum revocata, Dian. *part 1. tract. 5. resol. 9. & part. 3 tract. 2. resol. 122.* Barbos. *in summ. Apostol. decis. verb. hæresis, & latius, verb. absolutio*, Collect. *9. n. 7.* Lezan. *in sum in q. q. Regul. tom. 1. cap. 19. n. 17.* Joann. Maria Navarr. *in lucern. Regul. verb. absolutio n. 1.* Machad. *tom. 2. l. 1. part. 3. tract. 2. docum. 5 n 1.* & ex parte Leand. de Murcia *in 7. cap. regul. P. Francisci, cap. 20. n. 12.* Idem etiam tenent Ludov. à Cruce *in Bull. disp. 1. cap. 3. dub. 4. & 5.* Trullench. *ibidem l. 1. §. 9. dub. 3.* omnes apud Leand. de Sacram. *tom. 4. tract. 2. disp. 17. q. 77.*

20. Non possunt etiam Regulares, virtute suorum privilegiorum, absolvere à casibus Pontifici reservatis, extra Bullam Cœnæ; quia à S Congregat. de speciali mandato Clementis VIII. excipiuntur, in secundo decreto, ab ipso Pontifice moderato, die 26. Novemb. anno 1602. quod refert Quarant. *in Bull. verb. casus reservatus*; & de illo mentionem faciunt Pellisar. *in Manuel. Regul. tom. 1. tract. 6. 2. n. 5.* Lezan. *tom. 1. cap. 19. n. 15. & 16. & tom. tom. 3. verb. confessor Regularis n. 5.* Dian. *part. 9. tract. 4. resol. 65.* Vide tamen limitationem hujus decreti, *n. 22.*

21. In illo verò decreto casus, qui excipiuntur, sunt quinque: Primus est: violatio immunitatis Ecclesiasticæ, juxta Const. Gregorii XIV. II. Violatio clausuræ Monialium ad malum finem. III. Duellum in terminis Concil. Tridentini & Const. Gregorii XIII. IV. Injectio violenta manuum in clericos juxta Canonem; *si quis suadente diabolo.* V. Simonia realis scienter contracta, atque etiam confidentia beneficialis ex Bull. Pii IV. quæ incipit: *Romanum*, & B. Pii V. *Intolerabilis.* Et tunc committitur, quando personæ resignantes aliquod beneficium, vel illud acceptantes, vel collatores, aut electores, vel præsentatores, resignant, acceptant, conferunt, eligunt, & præsentant eâ intentione, seu certâ confidentiâ, quod beneficium, seu ejus pars, aliquo tempore, reversura sit, in favorem, sivè ipsius resignantis, sive alterius cujuscunque.

22. Adverte tamen, hoc decretum Clementis VIII. esse solùm editum, pro confessariis, tam sæcularibus, quàm regularibus, degentibus in Italiâ, & extra urbem; ut ex illius verbis constant; & notarunt Lezan. *tom. 1. cap. 19. n. 16. & tom. 3. verb. Duellum n. 13. in fine* cum Nald. & Peyrines, quos ibi citat. Quibus addo Soar. Lusit. *de pœnit. tract. 7. disp. 2. n. 105.* qui omnes docent, posse Regulares confessarios, extra Italiam, & in urbe, Lusitaniâ, Hispaniâ, Galliâ, Germaniâ, & reliquis totius Orbis partibus, virtute suorum privilegiorum, ab illis quinque casibus absolvere. Vide etiam Pellizar. *tom. 2. tract. 8. cap. 3. n. 82.*

23. Possunt tamen omnes Regulares ubique absolvere sæculares ab omnibus aliis casibus Pontificiis, qui nec continentur in Bullâ Cœnæ Domini, nec reservantur in citato decreto Clementis VIII. Quia ex privilegio Pauli III. concesso Societ. JESU, & per communicationem, aliis aliorum ordinum religiosis, poterant regulares absolvere sæculares à qui-

buscunque casibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, exceptis iis, qui continentur in Bullæ Cœnæ Domini: ut habetur *in compendio primi l. societ. verb. absolutio* §. 1. *& explicatur a* Soar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *l.* 9. *cap.* 2. *per totum.* At postea ablata est ipsis regularibus, intra Italiam, facultas absolvendi à prædictis quinque casibus, per decretum Clementis VIII. citatum: ergo cum alia non excipiantur, ab omnibus aliis Pontificiis possunt absolvere.

24. Confirmatur ex decreto Urbani VIII. *ubi supra*, in quo statuit; Regulares, ex vi privilegiorum, aut confirmationum, non posse, quemquam absolvere à casibus Bullæ Cœnæ, aut ordinariis loci reservatis; & addit hæc verba: *Ab aliis verò casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reservatis, si quidem Regulares habeant a Sede Apostolicâ absolvendi facultatem, illam extra Italiam minime sublatam fuisse, iisdem Sacræ Congreg. decretis, hâc de re editis, iussu S. Memoriæ Clementis VIII. &c.* Cum ergo S. Pontifex dicat, non esse sublatam Regularibus facultatem absolvendi ab aliis casibus, qui non continentur, in Bullâ Cœnæ, nec in prædicto decreto ipsius Clementis VIII. dicendum est, Regulares ex dicto privilegio Pauli III. posse ab ilis absolvere intra Italiam, & extra Italiam, ab omnibus aliis in Bullâ Cœnæ, nec in dicto Clementis decreto contentis; & ita cum Peregrin. tenet Pellizar *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 3. *à n.* 80. & Bord. *tom.* 1. *resp.* 6. *n.* 10.

25. Inquires secundò: An Regulares intra Italiam possint absolvere à prædictis quinque casibus, qui a Clement. VIII. sunt excepti, quando fuerint occulti? Affirmat Fagund. 2. *Eccles. præcepto l.* 8. *cap.* 8. *n.* 29. de absolutione ab excommunicatione, *si quis suadente*, etiam si læsio sit enormis, & gravis: dummodo sit occulta. Et ut consequenter Philosophetur, idem debet asserere, de aliis quatuor casibus. Pellizar. *citat. n.* 78. asserit, id aliquibus non videri improbabile, & illorum proponit, & non dissolvit rationes. Addit tamen hæc verba, in fine: *Ita dicti Recentiores, quam probabiliter, ipsi viderint, aliique judicent: at cap.* 6. *n.* 189. sine trepidatione, docuit sententiam Fagund. Dian. verò *p.* 9. *tract.* 4. *resol.* 65. oppositum tenet, & Lezana *super*, *n.* 9. & recte quidem; quia hæc videtur intentio SS. Pontificum in prædictis decretis.

SECTIO III.

Quid sit hæresis, quæ, virtute Bullæ, non potest absolvi?

26. Hæresis difinitur: *Error pertinax hominis Christiani contra aliquem fidei articulum.* Ita Sanch. *l.* 2. *decal. cap.* 7. *n.* 1. & alii: si verò error sit contra omnes fidei articulos, erit Apostasia. Pertinacia consistit in scientiâ, quòd ille error sit contra aliquem fidei articulum. Unde qui errat in aliquo ex ignorantiâ, etiam Crassâ; quia nescit id, quod scire tenebatur, non est hæreticus formaliter, sed materialiter; & eltò peccet, hoc peccatum hæresis non est reservatum; nec excipitur in Bullâ, dum excipitur hæresis: nam excipitur hæresis formalis, quæ propriè est hæresis; non materialis, quæ est impropria.

27. Ad hæresim materialem reducitur hæresis mere externa, sine errore in intellectu; ut quando quis nutibus, aut verbis, ob aliquem metum, aut pravum affectum, profert hæresim, retentâ in mente fide, qua firmiter credit omnia, quæ ab Ecclesiâ præcipiuntur. In foro tamen externo reputatur vetus hæreticus. Ita Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 3. *punct.* 2. *n.* 16. Si tamen hæreticus materialis tantùm, & externus sit idololatra, excommunicationem incurrit, latam *in Extrav. Joannis XXII.* quæ incipit: *super specula* quam refert directorium Inquisit *part.* 2. *q.* 43. *post. n.* 9. Quia tamen non est reservata; ut patet ex eâdem Extrav. potest à quolibet confessario, habente communem jurisdictionem, absolvi. Si tamen ex metu, vel ex alio pravo affectu, idolum reverearur, existimat Sanch. *supra cit. n.* 10. *in fine*, non incurrere excommunicationem.

28. Hæresis formalis, quæ simul est interna, & externa, quamvis occultissima sit; quia nullus fuit, qui illam viderit, vel audierit, non potest, virtute Bullæ, absolvi; quia in illâ incipitur hæresis formalis externa, si verò hæresis sit purè mentalis, quæ, in actum externum, non prodiit; nec est reservata, nec subiacet excommunicationi; nec alii pœnæ Ecclesiasticæ; & potest à quolibet communi confessario absolvi. Hæc sunt, quæ ab authoribus communiter admittuntur; ut videre est apud Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 7. *n.* 4. Mendo *disp.* 29. *cap.* 9. Tambor. *l.* 2. *decal. cap.* 1. §. 4. *à n.* 2. Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 4. *punct.* 2. *n.* 16. *& punct.* 3. *n.* 1. Lezan. in q. q. Regul. *tom.* 3. *verb. Hæresis n.* 2.

29. Inquires autem; (quæ requirantur, ad hæresim externam constituendam, ut censeatur excepta in Bullâ. Respondeo duas requiri conditiones. Prima est, ut vox, vel factum ex se vel ex circumstantiis, sit satis expressivum interioris hæresis. Secunda ut signa quibus hæresis manifestatur, sint in materiâ hæresis peccatum grave, quia hoc solùm est, quod excommunicatione punitur. Ita Soar. *disp.* 21. *de fide sect.* 2. *à n.* 9. Sanch. *l.* 2. *decal. cap.* 8. *à n.* 7. Castr. Palao *proximè dict. punct.* 3. *a n.* 2. Tambor. *supra n.* 6. Lesana proximè.

30. Ex dictis conditionibus sequitur primò: non dari hæreticum externum, nec incurri excommunicationem, quando verba, vel facta, ita sunt de se indifferentia, ut ex illis hæresis externa Colligi, non possit, v. g. si aliquis credens non esse Sacramenta, dicat tantùm: *non sunt*; nam hæc verba non indicant, illam hæresim esse externam. Ita Sanch. Castr. Tambor. *locis citatis*; Bard. *part.* 2. *tract.* 5. *cap.* 2 *n.* 14. & apud ipsum Vasq. (a. Henriq. accedit cum aliis, Dian. *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 104. Idem dicendum, de illo, qui mente non credit aliquem fidei articulum, & movet caput, ex affectu hæretico; vel dicit tantùm: *non est*; aut de illo, qui credens, non esse peccatum jurare falsum propter amicum; vel fornicationem simplicem, non esse peccatum; & de facto jurat, & fornicatur: nam nec illud signum, nec hæc facta, sufficienter declarant hæresim internam; cum sæpe ex malitiâ, & voluptate fiant. Sic Sanch. Castr. Pal. Tambor. *locis citatis.*

31. Sequitur secundò cum Soar. *cit. n.* 10. *in fine* Sanch. *n.* 26. Bonacin. *disp.* 2. *de cens. q.* 5. *punct.* 2. *n.* 6. esse hæreticum illum, qui verbis ambiguis, & æquivocis, hæresim internam pronuntiaret, quia inquiunt hæreticum his uti verbis ad simulandum delictum, & pœnam subterfugiendam. Sed distinguendum existimant Castr. Pal. *cit.* & Bard. *n.* 18. Hoc modo: si verba non sint merè ambigua, sed communiter in malam partem accipi soleant, aut ex circumstantiis ita debeant accipi; tunc ea verba hæresim manifestarent internam: at si ea verba ex qualitate proferentis, aut aliis circumstantiis ad malum sensum determinari non possunt; tunc non constituunt hæreticum externum; maximè quia ex D. D. receptâ sententiâ, verba, quæ habent,

vel

ve possunt habere duplicem sensum, nempe Catholicum, & hæreticum, in sensu Catholico sunt accipienda: ut aliis relatis, docent Rojas *in tract. de hæres. part.* 1. *n.* 200. Tarinac *q.* 187. *n.* 11. *& seqq.*

32. Ego verò, juxta nostrum intentum, aliter distinguendum opinor: si proferens ea verba ambigua, æquivoca, per illa velit, suam manifestare hæresim internam, verè manet hæreticus externus; ac proinde non potest, per Bullam absolvi, quia excipitur hæresis externa; & hæc verè est hæresis externa, ex proferentis intentione: at si illam non intendit manifestare, nec id volebat, per ea verba; tunc à communi confessario potest absolvi: quia ex proferentis intentione, non est hæreticus externus. In hâc enim materiâ, in quâ procedimus, non attenditur ad verba, quando illa de se satis explicant internam mentem; licèt audientes ex illis aliud inferant, sed ad intentionem verba proferentis, quæ illum constituunt, vel non constituunt hæreticum externum.

33. Tertiò sequitur, non esse hæreticum externum illum, qui credens, Christum non esse in Eucharistiâ, suam hæresim internam manifestat confessori, ut absolutionem accipiat, vel amico, causâ petendi consilium; vel illam hæresim, quam mente retinet, scribit, disputat, vel legit, non ut suam, sed ut aliorum hæresim pronuntiat; quia ea hæresis manifestatio, non est ex affectu suæ hæresis manifestandæ. Sic Doctores *locis citatis*, & Barbos. *de potest. Episc. part.* 3. *alleg.* 40. *n.* 18. Idem etiam dicendum de eo, qui in somno, vel ebrietate suam interiorem hæresim manifestavit; quia illa manifestatio, non est voluntaria hæresis professio. Ita cum Soar. & Sanch. ac Pegnâ Castr. Pal. *supra*.

34. Quartò sequitur, non esse absolutè hæreticum externum illum, qui ex hæresi internâ motus, aliquod externum commisit peccatum veniale; quia, v. g. comedit die vetito parum carnis, animo sequendi hæreticorum sectam; quia per eam levem actionem externam, errorem internum completè non expressit. Ita Sanch. *cit. n.* 7. *&* 17. Alia plurima exempla videri possunt, apud Sanch. Castr. Pal. & Pegna, *in direct. part.* 2. *q.* 44. *com.* 69. Tarinac. *de hæres. q.* 175. §. 6. *n.* 138.

SECTIO IV.

An virtute Bullæ, possint absolvi omnia alia delicta, quæ continentur, in primo Canone Bullæ Cœnæ, excepta hæresi.

35. CAsus, qui in primo Bullæ Cœnæ canone continentur, exceptâ hæresi, sunt Apostatæ à fide, Fautores, Receptores hæreticorum, eisque credentes, legentes, imprimentes, retinentes, aut defendentes libros hæreticorum, hæresim continentes, vel de Religione tractantes, schismatici, & pertinaciter se subtrahentes ab obedientiâ sedis Apostolicæ. Et in primis certum est, Apostatas à fide, cùm negent omnes fidei articulos, ut notavimus *n.* 26. esse hæreticos, ac proinde non posse, virtute Bullæ, absolvi, secundò etiam certum est, ab aliis delictis recensitis, non posse absolvi pœnitentes, nec etiam semel in vitâ, & in mortis articulo, virtute Bullæ, si patrentur cum errore pertinaci, in intellectu, fidei contrario. Ratio est manifesta; quia virtute Bullæ, nec etiam semel potest absolvi hæresis formalis: ergo si prædicta delicta involvant hæresim formalem, absolvi non possunt sic omnes.

36. Quæstio ergo petit: An possit delinquens, virtute Bullæ, absolvi, quando non est formaliter hæreticus. Prima opinio asserit, non posse, virtute Bullæ, absolvi ab iis delictis. Ita Rodrig. *in exposit. Bull.* §. *n.* 70. *vers. Excepto la hæresia*; & in addit. ad eundem §. 9. *n.* 66. & 67. Petr. de Ledesm. *in summ. tom.* 1. *tract.* 1. *cap.* 6. *in fine*, Azor. *tom.* 1. *l.* 8. *cap.* 19. *q.* 2. Luysius Turrecremata 2. *tom.* 1. *disp.* 56. *dub.* 2. *vers. Deinde sciendum est.* Alterius *tom.* 1. *l.* 5. *disp.* 2. *cap.* 9. *in fine.* fr. Joseph. Mendos *in Bullâ sect.* 1. *n.* 108. *fol.* 50. eo quòd sit tutior in praxi, & magis faveat tribunali S. Inquisitionis, & alii apud Dian. *Citandum.* Probant, quia omnes casus, qui in primo canone Bullæ Cœnæ reperiuntur, ex praxi, & stylo Ecclesiæ, pari passu, cum hæresi procedunt: sed hæresis, in Bullâ cruciatæ excipitur: ergo etiam excipiuntur hæc delicta.

37. Secunda tamen opinio est communior, & probabilior asserens, quando non involvitur error in intellectu in prædictis criminibus, contra fidem, ab illis omnibus posse pœnitentes, virtute Bullæ Cruciatæ, absolvi, semel in vitâ & in mortis articulo. Probatur: quia in Bullâ Cruciatæ, excipitur hæresis, & non alia delicta: ergo de hæresi formali intelligenda est, maximè in odiosis. Nec hi casus connectuntur, adeo stricto vinculo cum hæresi, ut expressâ hæresi, illi etiam expressi censeantur; nam id verum est, quando exprimitur, ut in Bullâ Cœnæ exprimitur; non verò in Bullâ cruciatæ quâ ea delicta non exprimuntur. Deinde possunt semel in vitâ, & in mortis articulo absolvi: quia non sunt de exceptis in nostrâ Bullâ. Ita sentiunt Henriq. *l.* 6. *cap.* 16. *n.* 2. *& in Gloss. litt. f.* Tarinac. *de hæres. q.* 180. *n.* 8. Sanch. *l.* 2. *decal. cap.* 12. *n.* 12. Soar. *de fide disp.* 24. *sect.* 1. Portel. *in addit ad dub. regul. verb. libri prohibiti n.* 14. Riccius *in addit. ad Bull. Cruc.* Trullench. ibidem *l.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 7. *n.* 13. *& in decal. l.* 1. *cap.* 3. *dub.* 6. *n.* 4. Ludov. à Cruce *in Bull. cap.* 3. *dub.* 8. *n.* 2. Gasp. Hurt. *de fide disp.* 11. *diffic.* 14. Bard. *part* 2. *tract.* 6. *cap.* 2. *n.* 38. & alii quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 4. *tract.* 2. *disp.* 17. *q.* 87. & in eandem opinionem, videtur inclinare Dian. *part.* 1. *tract.* 5. *resol.* 7. eandem tenent Tragos. *tom.* 2. *de regim. resp. Christian. l.* 2. *disp.* 7. *de Bull. Cruciat. n.* 18. Mend. *disp.* 23. *de Bull. n.* 99. Tambor. *l.* 5. *de pœnit. tract. de casibus reservat. cap.* 12. §. 5. *n.* 9. A costa *in Bull. q.* 63. Bossius *de jubil. sect.* 1. *cap.* 8. *n.* 4. Escobar *in theol. moral. tom.* 1. *lib.* 7. *n.* 578. Lesan. *in q. q.* Bevul. *tom.* 3. *verb.* Bulla Cruciatæ *n.* 33.

SECTIO V.

An virtute Bullæ, possint absolvi toties quoties casus S. Inquisitioni reservati, si simul S. Pontifici reservati non sint.

38. CAsus, qui sanctæ Inquisitioni reservantur, extra hæresim, & alios *Sectione præcedente*, recensitos, qui primo Canone Bullæ Cœnæ continentur; sunt sortilegium, maleficium, superstitio, Magia, adoratio Dæmonum, blasfemia hæreticalis, solicitatio in confessione, & alia omnia, quæ continentur in edictis publicari solitis. Et certum est, non posse virtute Bullæ, absolvi; quando involvunt hæresim

formalem; quia nec semel ab illâ potest confessarius, virtute Bullæ, absolvere, ut sæpius dictum manet.

39. Procedit autem quæstio de prædictis casibus extra Bullam Cœnæ, quando non includunt hæresim formalem, & sunt S. Inquisitioni reservati. Negant posse absolvi toties quoties virtute Bullæ, apud Dian. 1. *part. tract.* 5. *resolu.* 7. Fernand. *in exam. Theol. moral. part.* 3. *cap.* 9. §. 16. *sect.* 1. Turrian. *tom.* 1. *in* 2. 2. *disp.* 56. *dub.* 2. Alterius *de cens. tom.* 1. *l.* 5. *disp.* 2. *cap.* 9. *in fine*, Azor. *tom.* 1. 8. *cap.* 19. *q.* 9. Ledesm. *in summ. tom.* 2. *tract.* 1. *cap.* 6. *in fine.* At si fides diligentissimo Leand. de Sacramento *citando* habenda est. Et authores (ait) citati à Dian. non hanc sententiam, sed oppositam tenent. Potest tamen probari, quia sub nomine *hæresis* continentur ea, quæ in edictis D. D. Inquisitorum publicantur.

40. Dicendum tamen est à casibus, qui D. D. Inquisitoribus reservantur, posse confessarium virtute Bullæ toties quoties absolvere. Probatur; quia casus, quos sibi reservant, non sunt sedi Apostolicæ reservati: sed omnes casus, qui non sunt sedi Apostolicæ reservati, nec in Bullâ exceptis; possunt toties, quotics, virtute Bullæ, absolvi: ergo. Minor patet ex Bullâ; consequentia concludit. Major ostenditur; quia præter illos casus, qui in primo Bullæ Cœnæ canone, reperiuntur, nullus alius reperitur casus communiter Dominis Inquisitoribus simul, & S. Pontifici reservatus, ut probat Bard. *part.* 2. *tract.* 6. *cap.* 2. *n.* 47. ergo ab omnibus aliis, qui sedi Apostolicæ non sunt reservati potest confessarius virtute Bullæ, absolvere. Ita docent Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 21. *sect.* 2. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 16. *cap.* 3. *n.* 49. Leand. *tom.* 4. *tract.* 2. *disp.* 17. *q.* 88. Bard. & Dian. *locis citatis*, Mend. *disp.* 23. *n.* 99. & plures apud Dian. *citat.*

41. Inferunt ex his, Portel *in dub. Regul. verb. solicitare faminas n.* 24. Freyt. *tract. de confess. solicit.* A Cunâ *q.* 21. *n.* 31. quos refert Dian. *part.* 1. *tract.* 5. *resol.* 8. Accedit Mend. *disp.* 23. *n.* 99. posse Regulares absolvere à casibus contentis in Edicto Dominorum Inquisitorum virtute suorum priviligiorum. Probant ex privilegio Pauli III. Societ. JESU concesso, in Bullâ, quæ incipit: *cum inter cunctas* de quo Rodrig. *in q. q. regul. q.* 61. *art.* 5. qui cui licet plus, licet, quod est minus; sed Regularibus concessum est, absolvere à casibus Pontifici reservatis extra Bullam Cœnæ; & ab illis, qui non excipiuntur, in decreto Clementis VIII. juxta dicta *supra sect.* 2. *à n.* 22. ergo Regulares possunt absolvere à prædictis delictis S. Inquisitioni reservatis.

42. Existimo tamen Regulares non posse absolvere ab illis casibus, quos sibi reservant Domini Inquisitores: reservant autem sibi excommunicationes, quas: ipso facto, ferunt contra non revelantes crimina in Edictis, ab illis publicari solitis, & contra eorum præcepta non observantes, & cùm hæc procedant à potestate delegatâ, quam à sede Apostolicâ obtinent, ab aliis inferioribus non possunt absolvi. Quare nec Regulares virtute suorum privilegiorum sæculares, nec Prælati suos subditos, post incursam excommunicationem, etiam si jam sæculares & subditi sum satisfeciissent obligationi, valent absolvere. Ita cum Bonac. Bordon. *tom.* 1. *resolut* 3. *n.* 5. *& resol* 6. *n.* 20. in quibus locis videri potest.

43. Nec ratio *n. precedente* oppositum suadet; quia ex eo, quòd concedatur à Paulo III. quod Regulares absolvant à casibus Pontifici reservatis extra Bullam Cœnæ; quod est majus, non conceditur, quòd absolvant à casibus Episcopis reservatis, quod est minus: ergo etiam non conceditur, quòd absolvant S. Inquisitioni reservatis. Et hujus ratio est, quia in prædictâ Bullâ solùm conceditur Religiosis nostræ Societatis, quòd absolvant à Pontifici reservatis, extra Bullam Cœnæ, & non à reservatis aliis Prælatis, seu delegatis S. Pontificis: ut satis colligitur ex damnatione factâ, per Alexand. VII. propositionis 12. de quâ *disp.* 19. *sect.* 2. & ex decretis Clementis VIII. & Urbani VIII. *supra citatis.*

SECTIO VI.

An virtute Bullæ, possit absolvi, qui culpabiliter omisit denuntiare delicta quæ sunt in edicto D. D. Inquisitorum, antequam denunciet?

44. IN edicto, quod de mandato Dominorum Inquisitorum, singulis annis publicari solet fulminatur, ipso facto, excommunicatio ipsis reservata, adversus non revelantes aliquod delictum ex illis, quæ in illo Edicto continentur, intra spatium triginta dierum, quod illis, pro termino peremptorio, designatur. Inquirimus ergo: An si aliquis omittens revelare aliquod crimen ex illis, quod scit ab alio fuisse patratum, & intra dictum terminum, in quo tenebatur illud revelare, & poterat, illud non revelavit; in quo mortaliter deliquit, & ipso facto, excommunicationem incurrit; si tamen postea resipiscat, & accedat ad confessarium, ut illum audiat, & absolvat, virtute Bullæ, promittens se statim denuntiaturum, an valeat absolvi, antequam denuntiet. Negat Avila *de cens. part.* 2. *cap.* 7. *disp.* 3. *dub.* 7. *in fine*, etiam si nondum excommunicationem incurrisset; & præcipuè, si pœnitens sit homo ordinarius; quia si absolutionem obtinuerit, denuntiationem facilè omittet. Docetque, in rebus gravibus, & in casibus ad Tribunal S. Inquisitionis pertinentibus, pœnitentem Inquisitoribus esse remittendum, ut denuntiet priusquam absolvatur; quia id ipsum confessariis, in Edicto Inquisitorum sub pœnâ excommunicationis præcipitur. Idem tenet Tambor. *lib.* 5. *de pœnit. tract. decasibus reserv. cap.* 12. §. *n.* 9.

45. Affirmant tamen Sanctarell. *tract. de hæres cap.* 6. *dub. unico n.* 16. Navarr. *l.* 5. *consil. de hæret. consil.* 3. qui licèt primò dicat, non esse absolvendum; addit tamen, ut vel saltem omnino proponat denuntiare. Idem etiam tenet Treitas *q.* 21. *n.* 25. Ortis *in summ. cap.* 24. *n.* 9. quos refert Leand. *part.* 4. *tract.* 2. *disp.* 17. *q.* 89. *& part.* 1. *tract.* 5. *disp.* 13. *q.* 48.

46. Inter has sententias assero non esse absolvendum pœnitentem, qui culpabiliter delictum denuntiare omisit, antequam denuntiet. Quod probo, non ex eo, quòd in Edicto Inquisitorum, imponatur confessariis præceptum de non absolvendo pœnitentem, nisi factâ denuntiatione: quia in Edicto, quod in Lusitaniæ Regnis, promulgari solet, & typis mandatum, & subscriptione stabilitum, 22. Februarii anni Domini 1670. nec imponitur

nitur id præceptum, nec ea, in confessarios lata est excommunicatio; sed quia pœnitens, qui jam denuntiare non curavit, cum possit: si semel absolutionem obtineat, facilè in re tanti momenti, revelationem negliget.

47. Et quod non possit, per se loquendo, confessarius absolvere dictum pœnitentem, nisi denuntiet, docuerunt Henriq. *l.* 5. *cap.* 10. *in comment. lit.* T. A. Cunâ *de confessariis solicitantibus q.* 21. *n.* 7. *&* 8. Trullench. *in Bull. l.* 1. *§.* 7. *cap.* 2. *dub.* 8. *n.* 7. Escobar *tom.* 1. *Theolog. Moral. l.* 7. *n.* 198. cum Navarr. & Rodrig. Et Bard. *part.* 2. *tract.* 6. *cap.* 2. *n.* 50. *&* 51. Laudat D. Didacum Garziam, de Transmiera in Regno Siciliæ Inquisitorem dignissimum, qui hanc sententiam docuit *in stimulo Fidei novissimè edito q.* 2. *cap.* 17. *n.* 17.

48. At si pœnitens eo tempore, quoad confessionem accedit, sit impotens, vel juxtam, & rationabilem habeat causam, differendi denuntiationem, tunc posse absolvi à peccato omissionis, si firmiter promittat, quamprimum poterit, revelare; sustinent idem Bard. *n.* 52. & apud illum Rodrig. *in summam tom.* 2. *cap.* 34. *n.* 5. Sanctarell. *vel supra* Peirivis *de privil. tom.* 1. *in const.* 4. *Gregorii* XV. §. 5. *n.* 24. & aliqui alii, apud Dian. *part.* 1. *tract.* 4. *resol.* 27. Trullench. *ubi supra.* Joannes Sanch. *in select. disp.* 11. *n.* 63. & Navarr. proximè, quos omnes, & citat & sequitur Leand. *locis citatis.* Et Escobar *proximè n.* 199.

49. Quæ autem causæ sufficientes existimantur? Trullench. à Bard. relatus, assignat sequentes: nempe, si urgeat necessitas communicandi, ad vitandum scandalum, vel infamiam, seu notam apud alios; vel utilitas extraordinaria ad Eucharistiam suscipiendam; quia expirat tempus Jubilæi duarum hebdomadum, & amplius à confessario prorogari, non possit. Et hanc esse primam Dominorum Inquisitorum intentionem existimant ipse Bard. Leand. & Tambor. *locis citatis.*

50. Has causas etiam extendit Bard. *cit. n.* 54. ad illam, in quâ jam obligatio denuntiandi extincta est, v. g. si crimen revelandum sit solicitatio ad actus inhonestos in Confessione Sacramentali; & Confessarius, qui solicitavit, tam è vita decesserit, vel jam sit emendatus, tunc enim mulier solicitata, licèt de præterito graviter deliquerit, erit absolvenda, si pœniteat; etiam si non dentur causæ prædictæ *n. precedente.* Hæc ex Bard.

51. Ulterius addit, & in hoc verò, impotentia, nec urgeat necessitas absolvendi, neque occurrat magna utilitas, non sufficere propositum, aut promissionem denuntiandi, ut confessarius licitè valeat pœnitentem absolvere. Et probat ex præcepto, quod in edicto confessariis imponitur. Sed melius juxta edictum, ubi id præceptum non reperitur, ostenditur; quia si statim absolvatur antequam revelet, manebit periculo exposita, non revelandi: ergo antequam absolvatur, cùm possit, revelet.

SECTIO VII.

An conspiratio in personam, & statum Romani Pontificis, præcisè sumpta, excipiatur?

52. Post hæresim, in nostra Bullâ, excipitur *conspiratio, in personam, & statum Romani Pontificis*; & sicut virtute Bullæ non potest absolvi hæresis externa; sic etiam nec semel in vitâ, & in mortis articulo, conspiratio externa in personam, & statum Romani Pontificis potest, virtute Bullæ absolvi. Ratio hujus, & aliorum casuum exceptionis, deducta fuit, *ex Extrav. Et si Dominici gregis; cap.* 3. *&* 5. *depœnit. & remiss.* in quâ dicitur, Paulum II. per regulam, in cancellariâ Apostolicâ, publicatam, statuisse, & ordinasse; quòd in quibuscunque concessionibus, & facultatibus absolvendi; certi casus, (qui in eâdem Extrav. designantur) tanquam speciales sedi Apostolicæ reservati, semper intelligerentur excepti; quam regulam per hanc Extrav. *Et si Dominici*, Sixtus IV. roboravit. Gregorius igitur XIV. in Bullæ concessione, quam alii Pontificis Successores innovant, & extendunt, hujus S. Pontificis Extrav. vestigiis inhærens hujus & aliorum casuum apposuit exceptiones. Et cùm non reperiatur hic casus, in Bullâ Hispanâ exceptus, ab ipsius expositoribus tractatus, & decisus non fuit. Ut tamen plenius declaretur.

53. Inquires primò: Quid sit conspiratio? Respondeo, *esse conspirare simul, vel in idem spirare*; sicut conjuratio, *est conjurare simul, vel in unum jurare.* Sic Gloss. *in cap. constitutionem de verbor. signif. in* 6. *verb. Canonicas.* Sylvestr. *in summ. verb. Confraternitas, n.* 1. Unde conspiratio importat aliquorum unionem, ad rebellandum, contra Prælatum, vel impugnandum aliquid, quod ab illo præcipitur; & sic est illicita, & fraudulenta consideratio, in præjudicium alicujus personæ, vel dignitatis facta, *ex cap. si quis Laicus* 12. *q.* 5. In uno tantùm distinguitur à conjuratione, quòd hæc, cum juramento inter confœderantes datur; at conspiratio, sine illo: in cæteris autem conveniunt. Quare non solùm conspirantes in personam, & statum Romani Pontificis, non possunt, nec etiam semel in vitâ, & in mortis articulo virtute Bullæ absolvi; sed nec etiam conjurantes. Et hujus ratio est: quia omnis conjuratio est conspiratio, non tamen è contra; & cùm in nostrâ Bullâ excipiatur conspiratio, etiam conjuratio censetur excepta.

54. Confirmatur *ex dict. cap. constitutionem*, in quo Canonici cujusdam Ecclesiæ, qui juramento intra se statuerunt non recipere in Canonicum aliquem, mandante S. Pontifice; declarantur non solùm ut conjuratores; quia id statutum juramento firmarunt, sed etiam, ut conspiratores; quia conspiratio in conjuratione includitur, ibi: *decernimus, & eosdem tanquam conjuratores, ac conspiratores*, secundùm Sanctiones Canonicas, esse puniendos: ergo non solùm excipiuntur in Bullâ conspiratores, sed etiam conjuratores.

55. Inquires secundò: An hic casus censeatur comprehensus, in 11. Canone Bullæ Cœnæ? Affirmat A Costa *q.* 65. ubi inquit, loquendo de

comprehensis, in undecimo Bullæ Cœnæ Canone, hæc verba: *Hæc censura, suo quasi jure, primò fecit omnes conspirantes in personam, & statum Romani Pontificis, qui est supremus Episcopus.* Affirmat etiam Filliuc. *tract.* 15. *cap.* 4. *n.* 81. cum distinctione: asserit enim, primam partem exceptionis præsentis, nempe: conspirationem in personam comprehendi in dicto Canone 11. ibi: *Et quidem prior actio conspirandi in personam, comprehenditur etiam à fortiori in excommunicatione undecimâ Bullæ Cœnæ, ideoque differimus ad eundem locum ejus explicationem:* At secunda, id est, conspiratio in statum Romani Pontificis, inquit, non videri expressam in Bullâ Cœnæ; nisi per conspirationem sumatur firmus assensus contra aliquam propositionem, quam Papa de fide statuisset. Quod tamen non est probabile, comprehensum esse sub tali formâ verborum. Quare dicendum est, vel esse excommunicationem distinctam, vel quando aliquod statutum Pontificis conaretur infringere, vel de medio tollere, vel jam esse, usu contrario, abrogatam; quia de illâ in recensendis aliis excommunicationibus non meminerint. Sic Filliuc.

56. Ego tamen existimo, hunc casum exceptum; non comprehendi; in 11. Canone Bullæ. Primò, quia in nostrâ Bullâ excipitur conspiratio in personam, & statum Romani Pontificis; & quæ in 11. Canone Bullæ comprehenduntur; ut inter se distincta: ut ex ipsâ Bullâ Cruciatæ apertè constat: ergo quod continetur, in uno casu excepto, non continetur in alio. Quod ostendo, quia superfluitas in lege, decreto, & rescriptis, semper vitanda est, *cap. si Papa de privileg. in 6.* ibi: *cùm verba aliquid operari debeant.* Sanch. *l.* 3. *de matr. disp.* 26. *n.* 6. Bonac. *tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 10. *punct. l. n.* 9. Sed si exceptio hujus casus, nempe conspirationis in personam, & statum Romani Pontificis, comprehenderetur in 11. Canone Bullæ Cœnæ, superfluum esset, illum in Bullâ apponere per se, & specialiter: ergo in illo Canone 11. non continetur conspiratio.

57. Secundò probatur: quia juxta Gloss. *in cap. constitutionem, de verbor. significatione in 6. supra citatam in principio*, dum explicat hujus textus casum, ait: conjuratio est, quando plures simul conveniunt de standō contra aliquem, & suam conventionem firmant juramento: & conspiratio est, quando plures faciunt monopolium, & conveniunt de standō contra aliquem, sed conveniunt sine juramento: at hoc non invenitur in 11. Canone Bullæ Cœnæ. Et ostenditur, quia in hoc Canone excommunicantur omnes interficientes, mutilantes, &c. S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos &c. quæ actiones, nempe interficere, mutilare, vulnerare, &c. nec sunt conspirationes, nec conjurationes, quæ in hoc secundo casu excipiuntur, ut per se patet: ergo in Canone 11. hic secundus casus, in nostrâ Bullâ exceptus, non includitur.

58. Nec oppositum suadet dicere: In Canone 11. prohibentur eæ actiones contra Episcopos, & S. Pontifex est supremus Ecclesiæ Pater, & Romæ Episcopus; quia in iis actionibus, non reperitur conspiratio; quæ est quid diversum, & distinctum ab interfectione, mutilatione, vulneratione &c. Deinde, nomine Episcoporum, in odiosis, qualis est exceptio, & reservatio, non venit S. Pontifex; quia non veniunt Patriarchæ, nec Archiepiscopi; ut videre est, apud Barbos. *de Appell. verbor. Appell.* 89. *n.* 2. Et dato, quòd veniat *nomine Episcopi*; quia verè est Episcopus Romæ, in eo Canone, nulla de conspiratione in Episcopos fit mentio. Et ex his constat, quid sit respondendum, ad ea quæ D. D. *n.* 55. annumabant.

59. Inquires tertiò: quænam actiones censeantur exceptæ, per exceptionem hujus casus? Respondeo, censeri exceptas quascunque conspirationes contra vitam, salutem, obedientiam, & authoritatem S. Pontificis; necnon concernentes illius statum spiritualem, temporalem, & politicum. Ita colligitur ex verbis Bullæ, ibi: *conspirationis in personam, & statum Romani Pontificis.* Unde conspirantes, si rebellent obedientiæ, illi debitæ, virtute Bullæ, nec etiam semel in vitâ, & in mortis articulo, possunt absolvi.

60. Inquires quartò: Quæ sit conspirantium in personam, & statum Romani Pontificis, pœna? Respondeo: Barbos. *in collect. ad Extrav. & si Dominici, cap.* 5. *n.* 3. *in fine*, asserit, esse pœnam excommunicationis, ipso facto, ipsi S. Pontifici reservatæ, in ipso textu latæ, & apud ipsum, idem docent Gambar. *de casibus reservat. cap.* 7. *n.* 6. Filliuc. *tract.* 15. *n.* 72. *vers.* Quinta Lanor. *de inhib. & indulg. part.* 2. *cap.* 21. *n.* 78. Alias pœnas habent, quæ videri possunt, apud Sylvestr. *in summ. verb. Confraternitas, n.* 4. *in fine* & dicta Gloss. *in cap. constitutionem, de verborum significatione, in* 6. *verb Canonicas.*

SECTIO VIII.

Exponuntur aliqua circa conspirationem?

91. IN præsenti certum est; non comprehendi in hâc exceptione, conspirationes in Reges, Principes, S. R. E. Cardinales, Archiepiscopos, & Episcopos: licèt enim sint peccata gravia, Bulla loquitur tantùm, de conspiratione in personam, & statum Romani Pontificis; & non est extendenda ad casus in eâ, non comprehensos.

62. Adverte tamen primò, latam esse excommunicationem à B. Pio V. in Bullâ, quæ incipit: *Infelicis sæculi*, editâ anno 1559. 14. Kal. Januarii, adversus non revelantes conspirationem factam in personam alicujus Cardinalis. Quæ excommunicatio, an sit usu recepta, videri possunt Bonac. *tom.* 3. *de cens. in partic. disp.* 1. *q.* 12. *punct.* 3. *n.* 15. Filliuc. *tract.* 14. *n.* 97. *vers.* 8. qui arbitrantur, non obligare. Vide tamen Castr. Palao *tom.* 6. *cens. disp.* 3. *punct.* 12. *n.* 2. idem asserentem.

63. Adverte secundò, laicum conspirantem in personam Episcopi, debere excommunicari, secundùm Gloss. *in cap. fin. de hostib. cogendis*, & secundùm Joann. Andr. & Hostiens. quos refert, & sequitur Sylvestr. *supra*, & aliis pœnis puniri. His præmissis.

64. Primum Dubium sit: An si aliquis Prælatus sciat Capitulum, aut aliquod aliud tribunal conspirare in obedientiam S. Pontifici debitam, & ei conspirationi suam authoritatem interponat, dicatur conspirator, ita ut per Bullam non possit absolvi? Pro parte negativâ facit; quia conspiratio est quando plures faciunt monopolium, & conveniunt, de standō contra aliquem: sed hic Prælatus monopolium cum aliis de capitulo, vel tribunali,

non

non fecit, nec cum illis convenit, sed tantùm suam authoritatem interposuit: ergo de illo, ut conspiratore, intelligenda non est exceptio facta, in Bullâ, contra conspiratores, in personam, vel statum S. Pontificis.

65. Dicendum tamen existimo, esse conspiratorem, & non posse per Bullam absolvi; quia interponendo suam authoritatem, suam fecit conspirationem, ab aliis factam, & conventam, ut constat *ex l. 1. post medium C. de veteri jure enucleand.* ibi: *omnia enim merito nostra facimus, quia ex nobis omnis eis impertietur authoritas.* Idem habetur *in cap. si cum, & cap. si Apostolica, de prabendis in 6.* ergo ut conspirator habendus est. Ita Gloss. *loco proximè citato.* Et ex his patet solutio ad rationem oppositam.

66. Secundum Dubium: An virtute Bullæ, possint absolvi duo vel tres, qui tantùm conspiraverunt in personam, & statum Romani, Pontificis etiamsi resipuerant; quando illius delictum est occultum; Respondeo, esse affirmandum; quia hic casus exceptus in nostrâ Bullâ, non continetur in Bullâ Cœnæ Domini, à quibus, si sint occulti, & excepti in Bullâ Cruciatæ, non potest confessarius virtute Bullæ absolvere: quia quamvis occulti, non sunt Episcopales, juxta ea, quæ diximus *disp. 15. sect. 9. in principio*: at ab aliis casibus S. Pontifici reservatis potest absolvere toties quoties, si sint occulti, ut cum probabiliori sententiâ diximus *citato loco in fine illius sectionis*; quia sunt Episcopales; à quibus conceditur in Bullâ, toties quoties absolutio: ergo etiam ab hoc occulto, in Bullâ Cœnæ non contento.

67. Tertium Dubium de illo, qui attentavit conspirationem, sed illam non complevit: quia socii in attenta ab illo conspiratione, noluerunt convenire! Respondeo, non commisisse conspirationem in personam, & statum Romani Pontificis, licèt illam attentaverit; & inchoaverit, & non suo, sed aliorum defectu, illam non perfecerit. Ratio est, quia reservata intelligi debent reservata, intra tenorem constitutionis, completa, & perfecta, in suo esse, ut docent Sylvestr. *verb. casus q. 5. Graff 1. part. decis. l. 1. cap. 13. n. 71.* Henriq. *l. 6. cap. 14. n. 5.* Tamborin. *de jur. Abbat. tom. 2. disp. 13. q. 2. n. 9.* cum Joann. Andrea, & Gemin. Soar. Lusit. *de panit. tract. 7. disp. 1. n. 42.* ubi plures citat. Castr. Pal. *tract. 23. de panit. disp. unic. punct. 15. §. 2. n. 3.* Tamborin. *l. 5. de panit. tract. de casibus reserv. cap. 4. n. 16.* Lesan. *in summ. tom. 3. verb. casus reservat; n. 12.* & alii: sed conspiratio attentata, & inchoata, non fuit completa, nec in suo esse perfecta; quia ut *supra diximus n. 53.* conspiratio, non unius, sed plurium est conventio, quod ibi non datur: ergo nec hic casus est reservatus nec comprehenditur, in excepto conspirationis in personam, & statum Romani Pontificis.

SECTIO IX.

Quidnam sit tertius casus in Bullâ Cruciatæ exceptus, & quomodo intelligatur?

68. Tertius casus in Bullâ Lusitanâ exceptus, à quo, virtute Bullæ, nec semel in vitâ nec in mortis articulo, potest confessarius absolvere, est falsificatio litterarum Apostolicarum, & supplicationum. Sic Bulla latina, *Exceptis hæresi Falsificationis litterarum Apostolicarum, & supplicationum.* Qui casus comprehenditur in sexto; qui inter alios habetur in Bullâ Cœnæ Domini. Ut hic casus exceptus innotescat, sciendum est, quid sit falsificatio litterarum Apostolicarum, & quid litteræ supplicationum; hæc tantùm in casu excepto continentur, & quæ ad nos attinent.

69. Dico primò: Falsificare litteras Apostolicas, vel supplicationes est, illis aliquid addere, vel tollere, ex quo sensus illarum mutetur. Unde, qui unam tantùm literam, vel punctum, in litteris Apostolicis, aut supplicationum, corrigeret, vel mutaret, aut adderet, ex quâ correctione, mutatione, aut additione, alius in eis litteris daretur sensus, falsarius dicetur. Ita Soar. *tom. 5. in 3. part. disp. 21. sect. 2. n. 46.* Alterius *l. 5. disp. 7. cap. 2. vers. prima propositio.* Filliuc. *tract. 16. cap. 8. quæst. 5.* Castr. Palao *tom. 6. de cens. disp. 3. punct. 7. n. 3.* Leand. *tom. 4. tract. 3. disp. 6. q. 5.* & alii, quos citant.

70. Sin autem correctâ, mutatâ, vel additâ litterâ, sensus à Pontifice intentus non mutetur; adhuc esse falsarium corrigentem existimant Hostiens. Felin. Abbas Alexand. Sylvestr. Rebuff. Panormit. quos refert, & sequitur Alter. *l. 5. cap. 2.* Probant *ex cap. licèt, de crimine falsi*, ubi imponuntur novem modi, falsandi litteras Apostolicas, & quintus est: *cùm litteris Bullatis, ac redditis in eis aliquid, per* rasuram tenuem, immutatur. Ubi Gloss. *Verb. Tenuem*, sine aliquâ distinctione, inquit, radentem esse falsarium.

71. Sed probabilius dicendum, nec esse falsificantem litteras Apostolicas, & supplicationes, nec incidere in casum exceptum in Bullâ Cruciatæ: quia quando sensus Pontificis non variatur, non datur peccatum mortale; nec corrigens dicitur falsificans; ut apertè constat, *ex cap. ex conscientiâ de crimine falsi*, ubi dicitur, rasuram aliquam in loco non suspecto, falsam Scripturam non inducere. Et ita docent Soar. *cit. disp. 21. sect. 2. n. 46.* Navarr. *cap. 27. n. 62.* Vinald. *in exposit. Bullæ Cœnæ* Sayr. *l. 3. cap. 10. n. 11.* Tolet. *in exposit. 6. Casus Bull. Cœnæ dub. 3.* Castr. Palao *ubi supra dict. n. 3.* Duard. Reginald. Gambarupt. Villal. & alii, quos citat, & defendit Leand. *nuper adduct. q. 6.* Affertur etiam pro hâc sententiâ, Bonac. *dictâ q. 7. punct. 1. n. 4.* ut ibi expresè pro illâ non videtur stare; at *punct. 2. n. 3.* eam expresè defendit.

72. Dico secundò: *Nomine Litterarum Apostolicarum* veniunt Bullæ, & Brevia, quæ nomine S. Pontificis expediuntur, & semper decorantur sigillo plumbeo, si sint Bullæ; si verò Brevia, sigillo cereo; quod annulum Piscatoris vocant. Ita Bonac. *dictâ q. 7. punct. 1. n. 4.* Leand. *dict. disp. 6. q. 3.* & alii.

73. Dico tertiò: Supplicationes sunt illæ petitiones, quæ in scriptis S. Pontifici, aut ejus delegato, seu Vice-Cancellario, aut alteri vicem ejus gerenti, exhibentur, & à S. Pontifice subscribuntur, vel ab illis designatis, nomine, vel demandato ipsius S. Pontificis; carent tamen sigillo, continentque partis supplicationem; & S. Pontificis concessionem per verbum: *fiat ut petitur.* Unde patet discrimen inter litteras Apostolicas

stolicas, & litteras supplicationum; Ita D. D. proximè citati. Qui verò has, vel illas falsaret, dicetur falsificans; & per Bullam Cruciatæ, nec etiam semel in vitâ, & in mortis articulo, potest absolvi, quia est casus exceptus.

74. Dico quartò: Adversus falsificantes litteras Apostolicas, triplex reperitur in jure excommunicatio. Prima habetur *in cap. ad falsariorum, de crimine falsi*, & lata est contra eos, qui vitium falsitatis exercent per se, vel per alios; & extenditur ad eorum factores, & defensores; nulli tamen est reservata, de hâc videri potest Castr. Palao *cit. n.* 1. & 2. Bonac. *punct.* 3. *n.* 7. & 8. Secunda reperitur in *cap. dura* §. *Adjicientes de crimine falsi* contra eos, qui falsas litteras, apud se habere cognoscentes, illas, intra viginti dies, non destruant, aut resignent. Hæc non fertur ab ipso Pontifice, sed ferri inbetur, & promulgari, per singulas parochias; postquam tamen lata fuerit, & incurratur, ejus absolutio reservatur S. Pontifici. Potest tamen virtute Bullæ absolvi semel in vitâ, & in mortis articulo; quia ille, qui non destruit, aut resignat, non dicitur, falsans litteras Apostolicas. Tertia fulminatur, *in Bullâ Cœnæ Domini art.* 6. contra omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in formâ Brevis, ac supplicationum, gratiam, vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarium, seu gerentes vices illorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatorum.

SECTIO X.

Quinam falsarii censeantur incidere in casum in Bulla Cruciatæ, exceptum?

75. IN hâc quæstione quædam sunt certa, alia inter Doctores controversa. Et certum est primò, non incidere in hunc casum exceptum, falsantes litteras Nuntii Apostolici, legati à latere, summi Pœnitentiarii, aut Episcopi; quia illorum litteræ non dicuntur Apostolicæ; non enim expediuntur nomine Romani Pontificis, aut sedis Apostolicæ, in Curiâ Romanâ, & Cancellariâ, nec supplicationes sunt S. Pontifici, aut Vice-Cancellario factæ; & de harum falsificatione intelligitur Bulla, dum excipit delictum falsificationis litterarum Apostolicarum, & supplicationum; & non de aliis ab aliis Prælatis. Et ita sentiunt tractantes de 6. Canone Bullæ Cœnæ, in quo excommunicantur falsantes litteras Apostolicas, & supplicationem non incurrunt, si prædictorum fallent litteras. Sic Navarr. *cap.* 27. *n.* 62. Alterius *l.* 5. *disp.* 7. *cap.* 1. *vers. Hinc sequitur*, Soar. *disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 49. Tolet. *l.* 1. *cap.* 22. *n.* 2. Filliu. *tract.* 16. *cap.* 8. *q.* 1. *n.* 184. Castr. Palao *de censur. disp.* 3. *punct.* 7. *n.* 6. Leand. *tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 6. *q.* 2. A Costa *q.* 64. *in fine*, Soar. Lusit. *in Bullâ Cœnæ manuscriptâ disp. unic. sect.* 6. *n.* 3. & 4.

76. Secundò certum est, non incidere in hunc casum exceptum illos, qui litteris Apostolicis per alios falsificatis utuntur; quia solùm excipitur, qui litteras falsificat, & non qui illis utitur: Et hunc utentem non incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ, ex eâdem ratione, nempe; quòd non sit falsificans, docent Bonac. *tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 7. *punct.* 3. *n.* 7. Filliuc. *proximè n.* 185. Leand *cit. q.* 20. Bagos. 2. *part. disp. in* 6. *Canone n.* 142. & cum aliis Soar. Lusit. *ubi supra n.* 25.

77. Tertiò certum est, non excipi à Bullæ privilegio, per hunc casum exceptum, mandantem, consulentem, aut approbantem falsitatem litterarum Apostolicarum, aut supplicationum; quia non sunt falsificantes; & pœnæ non sunt extendendæ ultra casus expressos. Ex quâ ratione etiam non incurrunt Bullæ Cœnæ excommunicationem; ut asserunt Soar. Lusit. *cit. n.* 26. Castr. Palao *cit. n.* 7. Leand. *q.* 23 *& plurimi apud ipsum*, & alii, quos *infra* citabimus *disp.* 18. *n.* 42. Hæc sunt certa.

78. Dubium tamen sit primum: An fabricantes litteras Apostolicas, & supplicationes, possint virtute Bullæ absolvi semel in vitâ, & in mortis articulo? Et negare videtur A Costa dum asserit *q.* 64. *Bullam*, hunc casum exceptum in nostrâ Bullâ Cruciatæ, esse eundem, qui ordine Bullæ Cœnæ est Sextus; quem secuti fuerunt aliqui viri docti; in manuscriptis, & tenet in simili casu Tambor. *l.* 5. *de panis. tract. de casibus reservatis. cap.* 6. §. 7. *n.* 38. Sed in sexto Canone Bullæ Cœnæ continentur fabricantes litteras Apostolicas: ergo cùm canon sit in Bullâ Lusitanâ exceptus, virtute illius, non potest absolvi.

79. Dicendum tamen est, virtute Bullæ Lusitanæ, posse dictos fabricantes absolvi semel in vitâ, & in articulo mortis; sive hoc delictum sit publicum, sive occultum. Ratio est, quia in Bullâ Lusitanâ, non excipitur sextus casus Bullæ Cœnæ, ut excipitur undecimus, & tres sequentes, sed tantùm excipitur hic: falsificantes litteras Apostolicas, & supplicationes, per hæc verba: *Exceptis hæresis, conspirationis ... falsificationis litterarum Apostolicarum, & supplicationum &c.* sed in hâc tertiâ exceptione, non continentur fabricantes: ergo, virtute Bullæ, possunt absolvi.

80. Major est certa: quia ex eo quòd excipiatur hæresis, quæ continetur in primo Bullæ Cœnæ articulo, non censentur excepti cæteri casus in eo articulo comprehensi: ut diximus in hâc eâdem *disp. sect.* 4. *n.* 36. ergo etiam ex eo quòd excipiatur falsificatio litterarum Apostolicarum, & supplicationum, quæ continetur in sexto Bullæ Cœnæ articulo, non censentur excepta alia omnia delicta, quæ in eo sexto articulo continentur.

81. Minor probatur, quia in hâc tertiâ Bullæ Cruciatæ exceptione, excipitur duntaxat falsificatio: sed falsificatio non est fabricatio, tum quia ut distincta prohibetur in sexto articulo Bullæ Cœnæ, ut videre est apud Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 45. *in principio*, Ugolin. *expressè in* 6. *Bulla Cœna Canonem, vers. Necnon, falsò fabricantes n.* 1. Soar. Lusit. *in Bullâ Cœna manuscriptâ disp. unic.* 6. *n.* 5. non enim Bulla Cœnæ iteraret fabricantes, si in falsantibus comprehenderentur, juxta ea, quæ diximus *supra sect.* 7. *n.* 56. tum quia falsificare litteras Apostolicas, est aliquid addere, mutare, vel detrahere à dictis litteris, vel supplicationibus, ut cum Castr. Palao Bonac. Leand. & aliis pluribus diximus *supra n.* 69. sed fabricare litteras Apostolicas, aut supplicationes, non est addere, mutare, vel detrahere aliquid à litteris Apostolicis, ut per se patet, & tenent Ugolin. & Soar. Lusit. *locis cit.* ergo in hâc exceptione, fabricantes non comprehenduntur. At cùm fabricantes litteras Apostolicas, & supplicationes comprehendantur in sexto articulo Bullæ Cœnæ,

&

& hic sextus casus non sit de exceptis in nostrâ Bullâ Cruciatæ, sed tantùm falsificantes litteras Apostolicas, & supplicationes, virtute illius, poterunt semel in vitâ, & in mortis articulo absolvi. Et per falsificationem manus, aut sigilli non intelligi quamcunque manus aut sigilli fabricationem docet cum Soar. & Bordon Lezan. *in summ. tom.* 3. *verb. Falsarius n.* 3. *post medium.*

82. Dices: Gravius peccatum est fabricare de novo litteras Apostolicas, & supplicationes, quam semel factas, illas falsificare; nam in illarum fabricatione semper datur peccatum mortale: ut inquit Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 12. *sect.* 2. *n.* 48. non tamen datur semper in falsificatione, ut vidimus *supra n.* 71. sed in Bullâ Cruciatæ excipiuntur falsificantes: ergo etiam fabricantes. Deinde fabricantes sunt falsarii, & pœnis falsificantium sunt puniendi: ergo etiam in Bullâ Cruciatæ, *nomine falsificationis* veniunt excipiendi. Respondeo, non concludere argumentum, quia non à majori culpâ, metienda est Bullæ cruciatæ exceptio, sed à verbis exceptionis; cùm verò hæc solùm importent falsificationem, & non fabricationem, ut ostensum est; de falsificantibus, & non de fabricantibus intelligenda sunt. Et quamvis fabricantes sint falsarii, & pœnas falsariorum incurrant, & juxta illas, sint puniendi; in exceptione Bullæ, non comprehenduntur: quia ut asserit Castr. Palao *de legibus disp.* 4. *punct.* 11. *n.* 7. cum Soar. Bonac. & aliis, facultatem Bullæ cruciatæ ad absolvendum, esse latè interpretandam, & nos diximus *disp.* 1. *à n.* 72. ergo etiam, ad fabricantes Bullas Apostolicas, & supplicationes extendenda est; ex dictis.

83. Instabis: fabricantes litteras Apostolicas, & supplicationes sunt falsificantes; quia sunt falsarii: sed falsificantes littera, Apostolicas, & supplicationes, excipiuntur in nostrâ Bullâ, per verbum *falsificationis*: ergo virtutæ Bullæ, fabricantes non possunt absolvi. Respondeo, negando majorem: quia fabricantes litteras Apostolicas, non sunt falsificantes, licet sint falsarii. Et hujus ratio est, quia falsificare, importat idem, atque characteres alterius manu factos, vel alienum sigillum effingere; at falsarius latius patet, quia extenditur ad fabricantes, ut ex Soar. cit. *à n.* 44. usque ad 48. colligitur, & *infra citandis*, ubi has duas actiones *sub nomine falsarii*, distinguit, nempe falsificationem, & fabricationem: cum verò distinguantur, & simus in materiâ odiosâ, & restringendâ, verba casus excepti in nostrâ Bullâ, in proprio significato, sunt accipienda, & non in alio, qui impropriè sumitur.

84. Secundum dubium: An dicatur exceptus, in hâc tertiâ exceptione, ille, qui litteras Apostolicas, aut supplicationes, juxta mentem S. Pontificis, falsificavit; v. g supplicatio facta fuit S. Pontifici, ad dispensandum cum Petro Ulyssiponensi, & id à Pontifice concessum fuit, notarius autem posuit Petro Conimbricensi, pro Ulyssiponensi. Item supplicatio facta fuit, pro dispensatione in consanguinitate; & Notarius apposuit, loco consanguinitatis, affinitatem. Item facta fuit, pro tertio gradu, & scriptor, loco tertii gradus, posuit quartum: hos enim errores corrigens, dicitur ne litteras Apostolicas falsificans; ita ut, per Bullam Cruciatæ, absolvi nequeat?

85. Prima sententia tenet, hunc corrigentem dici falsificantem, & incurrisse excommunicationem latam in articulo sexto Bullæ Cœnæ: illam ut probabiliorem, defendunt Soar. *in* 3. *part. tom.* 5. *disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 47. Alterius *l.* 5. *disp.* 7. *cap.* 2. *propos* 2. Probant, quia hic verè mutavit sensum litterarum Apostolicarum; & licèt ad mentem Pontificis illas reduceret, mens Pontificis non est, ut litteræ corrigantur, per alium, qui non sit officialis deputatus: aliàs etiam illi liceret alias de novo fabricare, sicut factas potuit emendare. Juxta hanc sententiam, quæ est probabilis, dicendum est, non posse, dictum corrigentem, virtute Bullæ, absolvi; quia verè fuit falsificator litterarum Apostolicarum.

86. Secunda tamen, & probabilior sententia asserit, non incurrisse Bullæ Cœnæ excommunicationem. Illam sectantur Sayr. *l.* 3. *& thesaur. cap.* 30. *in fine n.* 12. Ugolin. *in sext. Bulla Cœna artic.* §. 2. Reginald. *l.* 9. *n.* 288. Duard Gambarupt. & alii, quos refert, & sequitur Bonac. *in tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 7. *punct.* 2. *n.* 7. *in fine*; accedit Castr. Palao *tom.* 6. *de censur. disp.* 3. *punct.* 7. *n.* 5. Leand. *tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 7. *q.* 9. Soar. Lusitan. *supra cit. n.* 16. alios citans. Probant, quia dictus corrigens litteras Apostolicas non falsificavit, sed falsitatem sustulit, & illas veras reddit juxta mentem, & Pontificis Concessionem; cùm ergo falsificator non sit, excommunicationem Bullæ Cœnæ non contraxit. At si illas de novo fabricasset, illam incurreret censuram; quia hæ litteræ, utpote à Pontifice non expeditæ, sunt falsæ. Hæc prædicti DD. & juxta illos, quorum sententia, videtur etiam probabilis, dicendum est, hunc corrigentem, non incidisse in tertium casum in Bullâ Cruciatæ, exceptum.

87. Tertium dubium: An excipiatur à privilegio Bullæ, per præsentem casum exceptum ille, qui falsificavit epistolam, quam S. Pontifex ut privata persona, ad aliquem scribebat, ut eum inviseret? Respondeo, non excipi à privilegio Bullæ; quia hæ litteræ, seu Epistolæ proprie non dicuntur Litteræ Apostolicæ: ergo illas falsificantes, non privantur Bullæ privilegio, per tertium casum exceptum. Secus dicendum, si eæ Litteræ, seu Epistolæ sint à S. Pontifice scriptæ, tanquam à personâ publicâ, & Ecclesiæ S. Pontifice; quia illas falsificantes, verè dicerentur falsantes Litteras Apostolicas. Et ita docent, juxta Bullam Cœnæ, & excommunicationem, in sexto articulo; fulminatam, contra falsificantes Litteras Apostolicas, Ugolin. *in sextum Bull. Cœna art.* §. 2. *n.* 5. Duard. *in Bullam Cœna q.* 10. *n.* 15. Bonac. *supra punct.* 3. *n.* 10. Leand. *cit. q.* 22.

SECTIO XI.

Proponitur, & explicatur, quæ confessariis, per Bullam, electis, prohibeantur in quarto casu in illa excepto.

88. QUartum: casus S. Pontifici reservatus, in Bullâ Cruciatæ exceptus, à quo confessarius electus, nec etiam semel in vitâ, & in mortis articulo, potest absolvere, est undecimus, in ordine Bullæ Cœnæ; ad illamque recurrere debemus, ut ille explicetur. In hoc undecimo Bullæ Cœnæ articulo, excommunicat S. Pontifex omnes interficientes,

ficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuntios; aut eos à suis Diœcesibus, territoriis, terris, seu dominiis, ejicientes: necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes eis auxilium, consilium, vel favorem.

89. Hujus articuli undecimi excommunicatio fertur in omnes personas, cujuscunque conditionis status, gradus, aut præeminentiæ extiterint, offendentes dictos Prælatos, per aliquam, ex novem actionibus principaliter, & primariò in illo prohibitis, nempe, interficere, mutilare, vulnerare, percutere, capere, carcerare, detinere, hostiliter insequi, & ejicere à suis Diœcesibus, territoriis, seu dominiis, aut per aliquam, ex minus principalibus, seu accessoriis, & secundariis; quales sunt mandare, ratum habere, auxiliari, consulere, & favere, aliquam ex prædictis novem actionibus principalibus, & primariis.

90. Cæterum cùm è quâlibet, ex dictis actionibus, excommunicatio contrahatur, operæ pretium erit, explicare, quid qualibet illarum significet; ut confessarius electus intelligat, à quibus, virtute Bullæ, absolvere non possit.

91. Dico igitur primò: Prima actio, quæ est *interficere*, idem est, ac privare aliquem vitâ, sive id ab aliquo fiat gladio, igne, baculo, saxis, veneno, aut alio quocunque modo. *Mutilatio* verò significat alicujus membri principalis abscisionem, habentis officium, ab aliis partibus distinctum, ut oculus, manus, pes, auris &c. Ita cum communi Bonacin. *tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 10. *punct.* 1. *n.* 15. secus dicendum de abscisione membri minus principalis, quod ex se non habet proprium officium, distinctum ab aliis corporis partibus; ut digitus, ungues, dentes, barba, capilli, vestes, & similia; etiam si cum copia sanguinis sit. Ita Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part.* 44. *sect.* 2. Leand. *tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 9. *q.* 10. & alii.

92. Dico secundò: *Vulnerare*, est ferire, aut vulnus infligere, & tunc datur, quando aliqua pars corporis ictu scinditur, seu aperitur, ex quo sanguis copiosus effluit, *juxta l. si servus §. inquit lex H. ad l. Aquil.* Castr. Palao *tom.* 6. *disp.* 3. *punct.* 11. *n.* 4. *Percutere* autem est, cum dolore cædere, seu verberare, aut pulsare manu, pugno, virgâ, baculo, saxo, flagello, aut alio instrumento. *L. Lex Cornelia H. de in jur.* Sic Ugolin. *cap.* 10. *verb. vulnerantes*, Bonacin. *cit. q.* 12. *punct.* 1. *n.* 2. Leand. *disp.* 11. *q.* 2. Soar. Lusit. *in Bullam Cœnæ scriptâ*, *sect.* 11. *n.* 35. & alii.

93. Dico tertiò: *Capere* idem est, ac aliquem manu, vinculo, aut aliâ ratione comprehendere. Gloss. *in Extrav. unica, verb. Capere.* Castr. Palao *ubi supra punct.* 11. *n.* 4. Bonac. *proximè*, *n.* 4. Soar. Lusit. *cit. sect.* 9. *q.* 2. *Carcerare* verò est, aliquem in loco tuto custodire, ne ex eo exire possit. *l.* 1. *H. de cust. reor. & cap. quamvis, de panis in* 6. Ita cum Alter. Ugol. Duard. Bonac. *cit.* Leand. *dict. q.* 2. & Soar. Lusit. *supra dictâ sect.* 6. *n.* 36. Et detinere, nihil aliud est, quàm aliquem de facto tenere; etiam si ab alio fuisset captus. Potest enim accidere, ut quis aliquem capiat, & alter detineat, & alius tradat. Ob id, S. Pontifex has tres actiones, ut distinctas punit; quia licèt quispiam eas omnes, in Cardinalem, Patriarcham &c. possit exercere; à distinctis tamen personis exerceri valent. Ita Filliuc. *tract.* 16. *cap.* 9. *quæst.* 3. *n.* 236. & cum Duard. Ugolin. Bonac. *proximè.*

94. Dico quartò: *Hostiliter insequi*, idem est, ac aliquem tanquam hostem capitalem, seu publicè, seu manifestè prosequi, animo nocendi ipsum advertentem, sibique cavendum, seu fugientem. Sic A Costa *in Bull. q.* 65. *vers. sunt autem*, Bonac. *cit. n.* 6. Castr. Palao *punct.* 12. *n.* 4. Soar. Lusit. *in dict. Bull. manuscriptam sect* 11. *n.* 38. & alii, quos citant. Demum *ejicere*, est aliquem ante receptum, expellere, vel post receptum, ejicere, ex suâ Diœcesi, territorio, terrâ, aut dominio. Sic Castr. Palao *cit.* & cum pluribus Bonac. *n.* 7.

95. Adverte ad hujus casus excepti explanationem, latam esse, pluribus in locis excommunicationem contra offendentes Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos &c. Primò *in cap. si quis suadente* 17. *q.* 4. ubi fertur excommunicatio contra offendentes clericum, & *nomine clericorum* veniunt prædicti Cardinales &c. secundò *in Clem. si quis suadente, de panis*, in quâ fertur excommunicatio, contra percutientes, capientes, & bannientes Episcopos, & contra mandantes hujusmodi actiones. Tertiò, *in cap. Felicis, de panis, in* 6. contra eos, qui Cardinalem hostiliter insequuntur, percutiunt, capiunt, & contra eos, qui hæc facientes, vel fieri mandantes, socii sunt, vel ratum habent, vel consulunt, aut favent, vel postea recipiunt, aut scienter defendunt. Sic Bonac. *cit. punct.* 4. *n.* 1. Castr. Palao *disp.* 3. *punct.* 2. *n.* 2. Lesan. in summ. tom. 3. verb. Bulla Cœnæ, n. 32.

96. Hinc oritur primum dubium: An exercens aliquam ex prædictis actionibus in hoc Bullæ Cœnæ articulo prohibitam, & in jure antiquo, contra aliquem Prælatum ex præfatis, unam tantùm, vel tot, quot sunt leges, excommunicationes incurrat? Respondent, unam tantùm incurrere, Alterius *l.* 5. *disp.* 12. *cap.* 1. *col.* 6. *sub finem* Sayr. *l. de censur. cap.* 10. *n.* 11. Duard. *in can.* 12. *q.* 4. *n.* 3. & alii, quos refert, & sequitur Bonac. *proximè n.* 2. & *tom.* 1. *disp.* 1. *de censur. q* 1. *punct.* 5. *n.* 11. cum pluribus. Probatur, quia quando leges sunt ejusdem superioris; & prohibent eandem actionem, ex eâdem causâ, & motivo, unum tantùm peccatum committit transgressor; ut patet, in violante jejonium vigiliæ alicujus Sancti incidentis in quadragesimâ, vel die ex quatuor Temporibus, sed in præsenti casu, leges latæ sub censurâ sunt ab eodem superiore, nempe à S. Pontifice, & sub eodem motivo, & causâ: ergo sicut unum committitur peccatum, sic una duntaxat incurritur excommunicatio. Addunt tamen Bonac. *loco cit.* Julio Clar. *in prax.* §. *finalis q.* 48. *n.* 4. *vers. alius est casus.* Fragos. *tom.* 2. *l.* 1. *disp.* 3. *de censur. Bull.* §. 10. *n.* 220. *vers. sed quid* majori pœnâ esse puniendum delinquentem, qui excommunicationem, ex variis juribus inflictam, contraxit, quàm si ex uno tantùm contraxisset.

97. Probabilius tamen existimo, exercentem aliquam actionem, ex prædictis, contra Episcopum, aut aliquem, ex præfatis Prælatis, duplex committere sacrilegium, & duplici innodari excommunicatione; quia motivum & duplex, nempe unum contra reverentiam debitam statui clericali; *ex cap. si quis suadente*, 17. *q.* 4. & alterum contra reverentiam dignitati Ecclesiasticæ debitam. Ut docent Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 5. *sect.* 3. *n.* 15. *in fine* Bonac. *de censur. disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 5. *n.* 8. Candid. *disquis.* 22. *art.* 3. *dubit* 2. Villal. *tract.* 16. *difficult* 15. *n.* 4. *in fine*, Dian. *part.* 5. *tract.* 9. *resol.* 60. *vers. secundò*, & alii, quos citat. & sequitur Leand. *tom.* 4. *tract.* 1. *disp.* 4. *q.* 48. de percutiente Clericum, qui simul est Monachus; qui duplex

duplex peccatum committit, unum contra reverentiam debitam statui clericali, & alterum contra reverentiam statui religioso debitam: quæ duo Motiva in eodem *cap. si quis suadente*, ut distincta comprehenduntur, ibi: *qui Clericum, vel Monachum*: ergo idem dicendum de offendente, per eandem actionem, Episcopum, vel alium Prælatum, quando ea actio *in cap. suadente*, & in Bullâ Cœnæ prohibetur. Et hoc probabile dicit Castro Palao *de censur. disp. 3. punct. 12. n. 3. in fine*; & in hæc sententiâ confessarium virtute Bullæ, ab excommunicatione extra Bullam Cœnæ latâ, semel in vitâ, & in mortis articulo, absolvere potest.

98. Secundum dubium: An Episcopus, vel alius Prælatus aliquâ, ex illis actionibus, offensus, declarare possit, offendentem excommunicationem incurrisse. Respondeo, posse, si delictum est ita notorium, ut nullâ tergiversatione celari possit; quia sic non procedit ut judex in causâ propriâ, sed ut juris executor; quod non est dicere jus in suâ causâ. Si tamen delictum non est notorium, vel de ejus notoreitate dubitatur, non potest offendentem declarare excommunicatum; quia in causâ propriâ nemo est judex, nec jus in illâ dicere potest: ut habetur *l. 1. C. nequis in suâ causâ judic. l. penult. H. de arbitr. & l. qui jurisdictionem H. de jurisdictione omn. judic.* & D. D. quos refert, & sequitur Bonac. *cit. n. 3.*

99. Et quid dicendum de vicario generali Episcopi, potest ne offendentem Episcopum, in aliquâ ex prædictis actionibus, declarare, quando Episcopus non potest. Respondeo, non posse, quia unum tribunal, & auditorium constituunt; & si contingat Episcopum esse excommunicatum, suspensum, aut denuntiatum; Vicarius generalis est suspensus, à jurisdictione; ut tenent Soar. *tom. 3. in 3. part. disp. 13. sect. 2. n. 15.* & disp. 14. sect. 1. n. 1. Sanch *l. 3. de matr. disp. 30. n. 5. & seqq.* Molin. *tract. 5. disp. 10. n. 2.* Guttier. *q. q. Canon l. 1. cap. 2. n. 83.* Gonzal. *ad reg. 8. Gloss. 5. disp. 10. n. 2.* Rebuff. *in prax. benef. tit. de formâ vicariatus n. 217.* Abros. *l. de vicario Episcop. q. 17. n. 4.* Anton. Cruch. *l. 1. just. major. tit. 8. n. 134.* Fragos. *tom. 2. disp. 19. de Episcop. §. 4. n. 23. fol. 683.* ergo idem dicendum, quando Episcopus excommunicatum non potest declarare, ex eo quòd sit in causâ propriâ.

SECTIO XII.

An in hoc quarto casu excepto comprehendantur sequentes casus?

100. PRimus sit: An comprehendatur in hoc casu excepto, ita ut per Bullam, non possit absolvi ille, qui interficit, mutilat, vulnerat clericum, vel Religiosum, de familia Cardinalis, Episcopi, Nuntii &c. Prima sententia asserit, incidere in excommunicationem latam, in hoc Canone II. Bullæ Cœnæ; & juxta illam, dicendum est, non posse absolvi virtute Bullæ. Illius ratio est, quia ille, qui sic offendit Cardinalis, Episcopi, &c. familiarem, clericum, vel Religiosum, offendit ipsum Cardinalem, Episcopum, Nuntium &c. Ita Sayrus *l. 13. cap. 13.* Vinald. *in casum II. Bull. Cœnæ, n. 86.* & alii apud Leand. *statim citandum.*

101. Secunda tamen sententia est probabilior docens, non incurrere censuram Bullæ Cœnæ in hoc Canone I I. latam, etiam si interficiat, mutilet, vulneret &c. Coram ipso Cardinali, Nuntio, Episcopo, &c. quia licèt eâ actione Cardinalem, Nuntium, Episcopum deboneslet; hæc tamen injuria, contra illos facta in occisione, mutilatione &c. suorum familiarium, non exprimitur in Bullâ Cœnæ, & ideo ad hunc casum, non extenditur hic Canon II. Sic A Costa *in Bullam. q. vers. hæc in re.* Alterius *l. 5. disp. 12. cap. 3. dub. 7.* Sousa *in Bull. Cœnæ. cap. 12. disp 66. n. 3.* Durand. *l. 2. can. 11.* Barbos. *in collect. tom. 3. in 6. Decret. l. 5. tit. 9. cap. 5. n. 35.* Castr. Palao *tom. 6. de censur. disp. 3. punct. 12. n. 5. vers. Alia persona*, Leand. *tom. 4. tract. 3. disp. 11. q. 14.* Lezan. *in summ. tom. 3. verb. Bulla Cœnæ.* Dian. *part. 5. tract. 2. resolut. 83.* in qua utranque refert sententiam, nulli tamen annuit.

102. Ex hac sententia, quæ sanè est probabilior, sequitur, dictum interficientem, mutilantem, &c. posse virtute Bullæ semel in vita, & in mortis articulo absolvi; quia cùm non inciderit in excommunicationem hoc 11. articulo latam; hic casus non manet exceptus. Ita A Costa *citatus.*

103. Secundus casus est: An si aliquis non admittat Cardinalem, Nuntium, Episcopum &c. ad possessionem suarum Ecclesiarum, Provinciarum aut Diœcesum, ad quas mittuntur, incurrat excommunicationem hujus Canonis? Respondeo non incurrere; quia non admittere, non est ejicere; & hoc feritur excommunicatione hujus Canonis, & non illud. Sic Filliuc. *tract. 16. cap. 9. n. 239.* Bonac. *cit. dist. q. 12. punct. 3. n. 7.* Alterius *l. 5. disp. 12. cap. 5. qua sit. 3.* Cardin. de Tolet. *l. 1. cap. 25. vers. undecima* Leand. *supra cit. q. 5.*

104. Addunt tamen, licèt non admittentes Legatos, aut Nuntios Apostolicos, in Provincias, seu Regna sibi commissa, non incurrant excommunicationem hujus Canonis, incurrere tamen latam *in Extrav. super gentes à Joanne XXII. de convent. inter communes.* At hæc non est reservata; afficit tamen impedientes, non verò mandantes, consulentes, & faventes. Hinc constat hunc casum non censeri exceptum in Bulla Cruciatæ: quia non comprehenditur in articulo I I. Bullæ Cœnæ.

105. Tertius casus: An fulminetur excommunicatio hujus Canonis I I. adversus illum, qui ejicit Prælatum ab uno loco Diœcesis, ad alium ejusdem Diœcesis locum? Respondeo negare Castr. Palao *dict. punct. 12. n. 4.* quia non ejicitur ex Diœcesi. Sed contra, quia ejicitur à loco, in quo habet dominium, & jurisdictionem spiritualem. Quod verò ejiciatur ad locum sibi non subjectum, non tollit, quòd non ejiciatur à loco sibi subjecto; quod videtur in eo Canone excommunicatione puniri. Unde hic casus probabiliter non videtur exceptus in nostra Bullâ Lusitana juxta sententiam Castr. Palai asserentis in eo non incurri excommunicationem; licèt probabilius videatur exceptus.

106. Quartus casus: Quid dicendum, si Episcopus, vel alius ex præfatis Prælatis; ejiciatur à loco, ubi fuit natus, vel habet domicilium; vel ab oppidis, aut Castris, quæ sunt bona sui patrimonii? Respondeo, primam sententiam docere, incurrere excommunicationem hujus Canonis. Ratio est, quia excommunicatio hujus Canonis ferit eos, qui ejiciunt dictos Prælatos à terris suis: at locus, in quo

aliquis est natus, propriè dicitur terra sua, & idem cum proprietate dicitur de eo oppido, vel castro, ubi quis habet dominium, dicitur enim terra sua: ergo si ab iis ejicitur, ejiciens incurret excommunicationem hujus Canonis. Sic Alterius *supra allegat. cap. 4. col. 11.* Bonacin. *cit. punct. 1. n. 17.* Leand *supra dict. disp. 11. q. 8.* Dian. *5. part. tract. 2. resol. 82. & alii.*

107. Secunda sententia negat dictum ejicientem incurrere excommunicationem. Fundatur, quia hæc excommunicatio lata est, in gratiam dignitatis eorum Prælatorum: ergo, ut ejiciens illam incurrat, debet illos ejicere à loco, in quo ratione dignitatis spiritualem, vel temporalem jurisdictionem habeant; & non ab eo, in quo solùm habent proprietatem, ratione nativitatis, domicilii, vel patrimonii. Ita Navarr. *cap. 27. n. 67.* Ugolin. *in explicatione hujus articuli 11. §. 2. n. 4.* Duard. *q. 4. n. 6. & q 9. n. 6. & seqq.* Castr. Palao *dict. punct. 12. n. 4.* Soar. Lusit. *in Bullam Cœna manuscriptam sect. 11. n. 57.*

108. Cum hæc secunda sententia sit probabilior, ejiciens aliquem ex præfatis Prælatis à dictis locis, non comprehenditur in hoc casu excepto; proinde Bulla Cruciatæ illi prodesse potest, ut absolvatur.

109. Quintus Casus: An qui interficeret, caperet, & ejiceret à suis terris, seu Diœcesibus, Cardinalem non habentem Capellum, & Episcopum electum, aut confirmatum, non tamen consecratum, incurrat censuram hujus 11. Canonis? Respondeo in primis, hoc privilegio non gaudere Cardinales S. Jacobi Compostellani, quia non sunt Cardinales S. R. E. de quibus loquitur Canon. Sic cum Filliuc. Bonac. Leand. *cit. q. 11.* At si Cardinalis sit S. R. E. nominatus, & assensum præbuerit, licèt Capellum adhuc non habeat, protectione hujus Canonis gaudet; quia est verè Cardinalis, ut notat Paludan. *in 4. dist. 18. q. 3. art. 2. casu 16.* nec Capellum est quid essentiale, & pertinens ad constitutionem, & creationem hujus dignitatis. Ita *Sous. in Bullam Cœna cap. 12. disp. 60. n. 1. & 2.* Fragos. *part. disp. 3. de Bullâ Cœnæ §. 12. n. 237.*

110. Respondeo secundò, Episcopum confirmatum, & non Consecratum, nec in possessionem missum, non gaudere privilegio hujus Canonis; quia simpliciter non est Episcopus; nam licèt actus jurisdictionis exercere valeat, juxta textum *in cap. ut si clerici §. de adulteris, de judicio*, & possit interesse Concilio, & de necessitate ad illud vocari debeat, ut resolvit Prosper. de August. *in addit. ad Quarant. verb. Conc. Provinciale, q. 6.* ea pertinent ad jurisdictionem; at protectio Canonis ob consecrationem concessa est. Sic Cajet. *Verb. excommunicatio cap. 12.* Soar. *tom. 5. in 3. part. disp. 21. sect. 2. n. 69.* Castro Palao *dict. punct. 12. n. 5.* Bonac. *q. 12. Citatâ punct. 2. n. 7.* Rigin. Ugolin. Vinald. quos refert, & sequitur Leand. *q. 12.* Accedit Fragos *tom. 2. disp. 3. de censur. Bullæ Cœnæ §. 12. n. 237.* Lezan *dicto n. 33. in principio.*

111. Quia tamen interficiens, mutilans, vulnerans, &c. obstrictus remanet excommunicatione latâ, *in cap. si quis suadente cap. 17. q. 4.* S. Pontifici reservatâ virtute Bullæ potest absolvi, semel in vitâ, & in mortis articulo: quia hic casus non comprehenditur in Canone 11. excepto.

112. Sextus casus: An mandantes exequi actiones prohibitas, si non sequatur effectus, incidant in excommunicationem hujus Canonis? Partem affirmativam tenet cum Gabriel. *verb. excommunicatio 7. n. 24.* A Costa *in Bull. q. 65. in fine.* Et sine aliquâ distinctione, asserit Leand. *dict. disp. 13. q. 19.* mandantes incurrere hanc excommunicationem; & quamvis intelligi debeat, quando effectus sequitur, id non exprimit. Probatur ab A Costa; quia proximus mandati effectus, est ipsa intecutio, in quam incidit mandans.

113. Probabilius tamen dicendum, non secuto effectu, non incurri hanc excommunicationem. Ita Graft. *l. 4. decis. cap. 18. n. 117.* Vinald. *in expositione Bullæ Cœnæ, n. 89.* alias 9. Sayr. *de Censur. l. 3. cap. 15. n. 9. ex gloss. in Clement. Si quis suadente, verbo. Mandaverit* Joannes Andr. D. Anton. Pabien. quos refert, & sequitur Fragos. *supra n. 241. vers. 5. accedunt* Bonac. *disp. 1. q. 12. cit. punct. 3. n. 10.* Castr. Palao *dict. punct. 12. n. 5. vers. extenditur* Soar. Lusit. *in Bullam Cœnæ manuscriptam disp. unic. sect. 11. n. 70.* Probatur, quia non secuto effectu, mandatum non reputatur causa offensionis, ita ut ex illo, ea incurratur excommunicatio. Et ostenditur, quia S. Pontifex, in hoc Canone, prohibet actualem interfectionem, mutilationem, vulnerationem, &c. Ergo cùm postea prohibet, mandatum est cum actuali occisione &c. Quare hic casus non est in Cruciatâ exceptus.

114. Dices: *In cap. pro humani de homicidis in 6.* Ligatur excommunicatione ille, qui mandavit fieri homicidium Christiani per assassinos, etiam si effectus non sit secutus: ergo etiam in præsenti casu: Respondeo, negando consequentiam: diversa ratio est, quia id non exprimitur in hoc Canone: at exprimitur in eo textu: paræ autem non sunt extendendæ ab exemplo; imò potius, ubi non exprimuntur, sunt restringendæ, *juxta regulam in cap. Odia de regulis juris in 6.* Addo etiam, licet mandans homicidium hominis Christiani per assassinos, non secuto effectu, excommunicationem incurrat; non tamen incurrere irregularitatem ipsum mandantem, nisi sequatur homicidium, aut mutilatio; quia in eo textu, illa non exprimitur; & si etiam ibi exprimeretur, non incurretur irregularitas, lata *in cap. is qui de homicidio, in 6.* verba enim indefinitè prolata, cum effectu sunt accipienda. Quæ diximus de mandante, etiam sunt intelligenda de consulente, & favente offensoribus dictorum Prælatorum, & ad ratam habentes offensionem.

115. Adverte tamen, ut ratam habentes aliquam ex prædictis actionibus, hanc excommunicationem incurrant, necesse esse, patratam fuisse nomine, & in gratiam ipsorum; nam si nomine, aut gratiâ ipsorum, facta non sit, propriè, & strictè non dicuntur ratam habentes, arg. *cap. ratum, de regulis juris in 6. & cap. cùm quis de sentent. excommun.* Ita cum aliis Bonac. *dict. 12. punct. 1. n. 23.* Fragos. *cit. n. 242.* Castr. Palao *loco cit.* Soar. *tom. 5. in 3. part. disp. 21. sect. 2. n. 69.* Soar. Lusit. ubi *supra à n. 77.* Lezan. *in summa, tom. 3. Verb. Bulla Cœna n. 33.* Ex dictis sequitur contra A Costa, prædictos mandantes, non secuto effectu, non comprehendi in hoc Casu in Bullâ Cruciatæ excepto. Et idem dicendum, de consulentibus, & favent ibus, quando effectus non est secutus.

SEC.

SECTIO XIII.

Proponitur, & explicatur duodecimus Canon Bullæ Cœnæ in Bullâ Cruciatæ exceptus.

116. QUintus casus exceptus; in nostrâ Bullâ Cruciatæ, est duodecimus articulus Bullæ Cœnæ. In quo fertur excommunicatio, contra omnes illos, qui per se, vel per alias personas Ecclesiasticas quascunque, vel sæculares, ad Romanam curiam, super eorum causis & negotiis recurrentes, ac illa in eâdem curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumque gestores, advocatos, procuratores, & agentes: seu etiam auditores, vel judices, super dictis causis, vel negotiis deputatos, occasione causarum, vel negotiorum hujusmodi, occidunt, seu quoquomodo percutiunt, bonis spoliant, seu qui per se, vel per alios, directè, vel indirectè delicta hujusmodi committere, exequi, vel procurare, aut eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare, non verentur, cujuscunque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

117. Hic canon præ oculis habendus, quia partim coincidit cum 9. Canone, qui non excipitur, in nostrâ Bullâ; hic autem excipitur. In illo enim Canone 9. qui in Bullâ Cruciatæ non excipitur, excommunicantur offendentes eos, qui accedunt ad curiam Romanam, vel ab eâ recedunt; & eos, qui in eâ commorantes, sine speciali jurisdictione, judicant, & puniunt pœnis temporalibus. At in hoc Canone 12. In Bullâ excepto, excommunicantur offendentes eos, qui recurrunt ad Romanam Curiam, super eorum causis, & negotiis, sive recurrant ipsi in personâ, sive non: sive sint in Curiâ, sive alibi. Et præterea offendentes advocatos, procuratores, agentes, & gestores ipsorum. Et denique excommunicantur, qui ad hæc facienda directè, vel indirectè cooperantur, aut auxilium, consilium, aut favorem præstare præsumunt.

118. Hujus Canonis censura fulminatur contra omnes personas cujuscunque conditionis, gradus, præeminentiæ, & dignitatis, existant; quæ offenderint aliquam personam, ex his novem, scilicet. Recurrentem ad Curiam Romanam, pro suis causis, & negociis; prosequentem eadem causas, & negotia; gestorem negotiorum, advocatum, procuratorem, agentem ipsius recurrentis, aut deputatos, judices, vel auditores, super eis causis, vel negotiis; per aliquam ex septem actionibus, nempe occidere, percutere, spoliare, seu committere, exequi, procurare per sè, vel per alios, directè vel indirectè ejusmodi delicta; & tandem in eisdem præstare auxilium, consilium, aut favorem.

119. *Sectione* 11. *n.* 91. *& seqq.* exposuimus aliquas ex his actionibus: in præsentiarum venit explicandum, quid sit *spoliare*; quæ est una ex septem actionibus, quæ in hoc Canone prohibentur: spoliare, est invitum ex bonis fortunæ mobilibus, aut immobilibus exuere: ut vestibus, pecuniis, armis, equis, agris, domibus, vineis *Cap. transmissa, Cap. sæpe de restit. spoliator.* Et quamvis verbum *spoliare* aliquando totum extendatur, ad mobilia, *S. Bonafides vers. Latro spolia, quæ mihi abstulit, ff. depositi. & l.* 1. *ff. de donat. inter virum, & uxorem.* In hoc tamen Canone, Verbum: *bonis spoliant*, cadit tam super bona mobilia, quàm immobilia, jura; & servitutes. Ratio est, quia Canon loquitur absolutè, de spoliatione bonorum: ergo absolutè intelligendus est, de omnibus bonis, *l. de pretio, ff. de public. in rem actione.* Deinde ideo prohibita est spoliatio bonorum, ut liber pateat aditus recurrenti ad curiam Romanam: Sed illi non pateret aditus liber, si protectione hujus Canonis non manerent tuta, etiam immobilia, & mobilia, domi relicta: ergo Dicendum est, Canonem, ad omnia bona, tam mobilia, quàm immobilia, jura, & servitutes se extendere.

120. Dices: qui bonis immobilibus spoliaret venientem ad sedem Apostolicam, non incurreret excommunicationem latam, in nono Bullæ Cœnæ Canone adversus eos, qui spoliant venientes ad eam curiam: ergo etiam, qui spoliaret bonis immobilibus recurrentem ad eandem Curiam, non incidet in excommunicationem latam, in hoc duodecimo Canone, contra eos, qui bonis dictos recurrentes spoliant. Respondeo, negando consequentiam: dispar ratio est; quia venientes ad Curiam Romanam, secum deferre non possunt, nisi bona mobilia quæ ab illis tantùm possunt subtrahi: ideoque excommunicatio ligat subtrahentes bona mobilia, lata Canone nono: at cùm recurrentes, ad sedem Apostolicam, possint per se, vel per alios, recurrere ad illam, ipsi domi remanentes, æquum est, ut protegantur, tam in bonis, quæ secum deferunt, quam in illis, quæ domi relinquunt. Accedit, quòd S. Pontifex, in illo Canone 9. Solùm utitur verbo, *spoliant*: at in hoc duodecimo, absolutè dicit: *bonis spoliant.* Ex quibus verbis major extentio concipitur. Ita docent Alterius *l.* 5. *disp.* 13. *cap.* 1. *col.* 5. *pag.* 645. Ugelin. *in expositione hujus canonis, verbo bonis spoliant. n.* 1. Duard. *ibidem q.* 7. *n.* 1. *& seqq.* quos refert, & sequitur Bonac. *tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 13. *punct.* 1. *n.* 4. *prope finem.* Fragos. *tom.* 2. *disp.* 3. §. 12. *n.* 252. Quantum ad hunc Canonem, nam quoad 9. id non disputat.

121. Venit etiam hoc loco explicandum; quid significent verba illa, in hoc canone opposita: *directe vel indirecte?* Respondeo, illum dici actiones in hoc Canone prohibitas exercere *indirectè*; qui illas exercet per se, ad eum finem, ut recurrentes non recurrant ad Romanam Curiam pro suis causis, & negotiis, vel per alios: ut si jubeat, consulat, auxilietur eam actionem, ex quâ prædicta delicta sequuntur. Item qui recurrentem ad Curiam Romanam, injustè de aliquo Crimine accusat, aut falsis testibus, de aliquo crimine convincit; ex qua accusatione, illi sequitur mors, percussio, aut bonorum spoliatio. Item qui suadet recurrenti, ad curiam Romanam, ut non per viam rectam iter faciat, sed per loca, quæ scit infesta esse latronibus, & assassinis, qui viatores deprædantur, percutiunt, vel occidunt; tunc si hæc sequantur, excommunicatio hujus Canonis incurritur. Ille autem directè, per alios concurrit, qui jubet, consulit, aut auxiliatur alicui aliquam ex prædictis actionibus prohibitis; & secuto effectu, in excommunicationem hujus Canonis incidit. Ita docent cum pluribus aliis exemplis relatis, Bonac. *q.* 13. *punct.* 3. *n.* 6. Castr. Palao *tom.* 6. *disp.* 3. *punct.* 13. *n.* 8. Fragos. *part.* 2. *disp.* 3. *de Censur. Bull. Cœnæ* §. 12. *n.* 253.

122. Excommunicatio in hoc Canone duodeci-

cimo lata, in jure, etiam promulgata reperitur: nam *in extrav: divina*, *de* privilegiis, excommunicationi, suspensioni, & interdicto, nec non privationi officii, & beneficii subduntur Ordinarii, aliive superiores ferentes sententiam, adversus officiales, pro tempore, existentes in obsequiis S. Pontificis, vel sedis Apostolicæ; vel contra venientes, ad sedem Apostolicam pro suis, vel eorum causis prosequendis; & contra in eâ morantes; dum durat prosecutio causarum, & contra ab eâdem sede recedentes; omniaque sic facta, irrita, & inania decernuntur.

123. Et in *Concil. Constantiensi sess.* 15. *in cap.* quod incipit: *Sacrosancta Synodus*, & *in Concil. Basilien si sess.* 1. *in cap. Sacrosancta*, *& generalis Synodus*, extenditur excommunicatio ad invasores, seu spoliatores accedentium ad Concilium generale, vel ab eo recedentium à dictis aliis pœnis contra terras, sic impedientium, modò non ultra unam Diœcesim contineant. Quæ pœnæ, & illarum extentiones videri possunt, apud Alterium *l.* 5. *disp.* 13. *cap.* 3. *ad finem* Bonac. *supra cit. punct.* 4. *n.* 1.

124. Nec dicas, Consil. Basiliense non fuisse legitimum neque à Pontifice approbatum. Non, inquam, hoc dicas; quia quoad censuras, irregularitatem, & causas beneficiales, fuit à Nicolao V. Confirmatum; ut constat ex Bullâ confirmationis hujus Pontificis, ibi *col.* 2. & tenent Azor. Coriolan. quos adducit, & sequitur Bonac. *cit.*

SECTIO XIV.

Dissolvuntur aliqua dubia, Circa hunc articulum duodecimum exceptum, in Bullæ Cruciatæ.

125. PRimum dubium: An illi, qui occidunt, percutiunt, spoliantve recurrentes ad curiam Romanam super eorum causis, aut negotiis, aliis motivis, & non occasione causarum, vel negotiorum, incurrant hujus canonis duodecimi censuram? Respondeo, non incurrere, quia id constat, ex ipso textu ibi: *Occasione causarum, vel negotiorum hujusmodi occidunt, percutiunt, vel spoliant*: Ergo si intuitu causarum, vel negotiorum, non occidant, percutiant, vel spolient, hanc censuram non incurrent. Ita Alterius *l.* 5. *disp.* 13. *cap.* 2. *vers. ex dictis patet.* Soar. *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 73. Filliuc. *tract.* 16. *cap.* 7. *quæst.* 10. *n.* 173. Ugol. Graff. Vinald. Reginald. Anton. de Sous. quos citat, & sequitur Bonacin. *tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 13. *punct.* 1. *n.* 7. Castr. Palao *tom.* 6. *disp.* 3. *punct.* 13. *n.* 3. *vers. Præterea.* Fragos. *tom.* 2. *disp.* 3. §. 12. *n.* 252. Leand. *tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 12. *q.* 3. A Costa *in Bull. q.* 66. *vers. Illud autem.*

126. Hinc sequitur primò, latrones, & fures, qui spoliant recurrentem ad curiam, non incurrere in hanc censuram; quia id agunt, animo furandi, & deprædandi, & non occasione causarum, & negotiorum. Ita D. D. *citati.* Idem dicendum de eo, qui occidit, percutit, spoliat recurrentem, ad curiam, ob inimicitiam, ludum, & alias lites, & similia; quia hoc alio agit motivo, & non occasione causarum, negotiorum. Sic D. D. *locis citatis.* Quare hic casus non venit, in Bullâ Cruciatæ exceptus: ut *n.* 128. dicitur.

127. Secundò sequitur, non incidere in excommunicationem hujus Canonis illum, qui recurrentem ad curiam expoliat, ad compensationem sibi faciendam debiti, quod aliâ viâ recuperare, non potest; quia recurrens est potens, & non audet illum ad judicium vocare; & suum debitum est liquidum; quia hæc spoliatio non fit occasione causarum. Ita Fragos. *cit. vers. Ex dictis constat*, & apud illum Sot. *l.* 4. *de just. art.* 4. Medin. *q.* 3. *de rebus restituendis*, *caus.* 12. Rebell. *de just. l.* 1. *q.* 18. Sylvestr. *verb. furtum* §. 16. *& verb. Bellum* §. 10. Ugolin. *de censur. versic. verbis spoliant n.* 2. *vers. Quare fures.* His accedunt A Costa *in Bull. q.* 66. *vers. secundò fol.* 136. & Bonac. *dicto punct.* 1. *n.* 6. cum Duard. Vinald. Anton. de Sous. & aliis, qui addunt, etiam si id agat occasione causarum, aliàs non facturus; quia pravus animus non reddit spoliationem injustam. Omnes tamen conveniunt, quòd si accipiat ultra debitum quantitatem ad mortale sufficientem incurrere hujus Canonis censuram. Hoc tamen regulandum existimo juxta dicta *disp.* 18. *n.* 167.

128. Adverte, illos, qui excusantur à censura hujus Canonis duodecimi, de quibus *n.* 118. non excusari ab excommunicatione Canonis 9. quæ fertur contra eos, qui interficiunt, mutilant, & spoliant venientes ad sedem Apostolicam, & ab eâ recedentes, suâ, vel aliorum operâ; & cùm in eo Canone, non apponantur verba: *occasione causarum*, *vel negotiorum hujusmodi*, ut opponuntur, in hoc Canone duodecimo; dicendum est prædictos eo *n.* 126. *profatos*, *& precedente*, incurrere illius Canonis noni excommunicationem: ut notavit Leand. *dicta q.* 3. At cum Canon nonus, in Bullâ Cruciatæ, non sit exceptus, confessarius, virtute illius, electus, poterit ab eâ excommunicatione, semel in vitâ, & mortis articulo, absolvere.

129. Secundum dubium: An recurrens ad curiam: pro suis negotiis, privilegio hujus Canonis gaudeat, si finitis negotiis, in Curiâ commoretur, vel in domum redeat? Ut probabilius affirmat Fragos. *part.* 2. *disp.* 3. §. 12. *n.* 125. *Difficultas tamen est.* Probat, quia privilegium, quod alicui conceditur ad veniendum, censetur concessum ad recedendum, *cap. final. de treug. & pac.* & ibi, Abbas Felin. & alii. Item quia hoc privilegium datum est recurrentibus, in gratiam Curiæ Romanæ, ne retardarentur negotia, apud illam, & sine dubio retardarentur à recursu ejusdem Curiæ, si certò scirent, non habere privilegium securitatis usque ad absolutum reditum in domos suos. Alii verò docent gaudere tantùm, donec domum redeat, non tamen, dum finitis negotiis, in Curiâ Commoratur. Ita Anton. de Souf. *disp.* 68. *n.* 3. Duard. *in hoc Canone q.* 8. Ugolin. *ibidem* vers. *ac illa pag.* 343. Alterius *cap.* 3. *col.* 4. Probant ut *supra.*

130. Probabilius tamen dicendum, recurrentes ad curiam Romanam, super suis negotiis, illis finitis, non comprehendi sub hoc privilegio. Probatur, quia privilegium hujus Canonis conceditur ad curiam recurrentibus pro suis negotiis: & causis: ergo si negotia, & causæ jam sint finita, cessat privilegium; maximè in materiâ censurarum, in qua stricta interpretatio facienda est, si enim esset duntaxat privilegium ad recurrendum: non est dubium, quod extenderetur ad reducendum;

dum: at ratione materiæ, non debet extendi. Et ex hoc patet solutio ad oppositum fundamentum. Ita defendunt Bonac. *tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 13. *punct.* 2. *n.* 5. Castr. Palao *tom.* 6. *disp.* 3. *punct.* 13. *n.* 7. Leand. *tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 12. *q.* 4.

131. Quamvis privilegium hujus Canonis non extendatur, ad recedentes à Curia, finitis negotiis; & ideo non incurrit illius excommunicationem, qui occidit, percutit, aut spoliat, finitis negotiis: excommunicationem tamen incurrit in nono Canone Latam; in quo conceditur privilegium securitatis venientibus ad Sedem Apostolicam, & recedentibus ab eâ, & in eâdem Curiâ morantibus; quia in eo Canone nono, ita exprimitur, ibi: *qui ad sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eâdem suâ, vel aliorum operâ interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, & detinent*, & D.D. Alterius *l.* 5. *disp.* 10. *cap.* 2. *dub.* 1. Duard. *q.* 2. *n.* 5. Ugolin. §. 2. Bonacin. *dictâ disp.* 3. *q.* 10. *punct. n.* 6. quos refert, & sequitur Leand. *disp.* 9. *q.* 5. Accedunt Cajet. in *summ. verb. excommunicatio, cap.* 14. *vers. sed sunt* Card. Tolet. in *summ. cap.* 25. *dub.* 1. Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 65. Sous. *in Bull. Cœnæ disp.* 57. *à n.* 1. *usque ad* 4. quos citat, & defendit Fragos. *dictâ disp.* 3. *n.* 251. *in fine.*

132. Ex prædictis sententiis colligitur, juxta Canonem duodecimum in Bullâ Cruciatæ exceptum, non incurrisse excommunicationem hujus Canonis illos, qui recurrentes ad curiam Romanam, finitis negotiis, interficiunt, percutiunt, aut spoliant; quia tamen juxta Canonem nonum, illam incurrunt, & hic Canon nonus in Bullâ Cruciatæ, non sit exceptus, ab illâ, potest confessarius electus, virtute Bullæ, absolvere semel in vitâ, & in mortis articulo.

133. Tertium dubium: An innodetur excommunicatione hujus Canonis duodecimi, qui recurrentem ad Curiam Romanam, verbis contumelioſis afficeret, spoliando illum honore, & fama? In partem affirmantem magis inclinat Fragos. *tom.* 2. *disp.* 3. §. 12. *n.* 254. *in fine*; quia ille dicitur spoliatus fama, & honore, qui bonum nomen possidebat: ergo spolians illum innodatur excommunicatione imposita contra spoliantem. Antecedens colligitur, ex responso Ulpiani, *in l.* 1. §. *ait. ff. de vi, & vi armatâ*, & habetur *in cap. finali, verb. non enim probatur* 3. *q.* Bald. Surd. & alii plures apud Barbos. *de axiom.* 189. *n.* 2. Sed recurrens ad Curiam, bonum nomen possidebat: ergo illo spolians, in excommunicationem hujus Canonis incidit.

134. Dicendum tamen probabilius non innodari excommunicatione; quia hoc verbum *spolians* non ad bona famæ, & honoris significanda, ex communi praxi, & modo loquendi, adhibetur; sed ad bona fortunæ accommodatur: ut constat ex Ambros. Calepino *verb. spoliatio*; & cùm versemur in materia pœnali, & odiosa censurarum, verba non sunt extendenda ad sensus non proprios, sed ad usitatos. Ita A Costa *in Bull. q.* 66. *vers. illud autem.* Vinald. *in hunc Canon n.* 91. aliàs *n.* 4. Duard. *ibidem q.* 5. *n.* 53. Alterius *disp.* 13. *cap.* 1. *sub finem* Bonac. *tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 13. *punct.* 1. *n.* 6. Castr. Palao *dict. punct.* 13. *n.* 3. *in fine.* Ugolin. *in* 12. *Can. Bull. verb. seu quoque modo percutiunt.* Soar. Lusit. *in Bull. Cœnæ manu Script. disp. unic. sect.* 12. *n.* 17. Et juxta hanc sententiam hic casus non manet exceptus, in Bullâ, quia non comprehenditur in hoc Canone.

135. Quartum dubium: An ligetur excommunicatione hujus Canonis, qui ratas habet actiones in illo prohibitas, quia fuerunt suo nomine patratas? Affirmat Alterius *l.* 5. *disp.* 13. *cap.* 2. *vers. Quæres aliquis.* Probatur, quia rati habitio mandato comparatur reg. rati habitionem, *de reg. jur. in* 6. Deinde ratum habens delictum, indirectè videtur cooperari delicto; & cooperatio indirecta hoc canone prohibita.

136. Probabilius tamen negandum; quia in hoc Canone nulla fit mentio de ratihabitione, & cum versemur in materia pœnali, & odiosa potius est restringenda, quam amplianda. Deinde ratihabitio est posterior delicto: ergo cùm non potuerit esse illius causa, non est censurâ punienda. Ita cum Alterio Duard; Filliuc. & Ugolin. Bonac. *supra punct.* 3. *n.* 7. Castr. Palao *cit. n.* 10. Leand. *tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 12. *q.* 8. Soar. Lusit. *proximè n.* 23.

137. Quintum Dubium: An vinculo excommunicationis innodetur, qui non impedit præfatas actiones prohibitas in hoc Canone, cùm possit? Affirmant Duard. *con.* 11. *q.* 9. *n.* 7. Alterius *disp.* 13. *cap.* 2. *dub.* 3. Filliuc. *tract.* 16. *cap.* 7. *n.* 182. in casu, quo persona sit publica, & non impediat ex intentione impediendi recursum ad curiam; quia non impediendo, indirectè favet interficienti, percutienti, aut spolianti, quod prohibetur hoc Canone.

138. Sed probabilius existimo, non innodata Vinculo excommunicationis; quia licèt contra officii obligationem, non impediendo, peccet contra justitiam; ut docent Monach. Illustr. *cap.* 16. *n.* 6. *& cap.* 41. *n.* 22. Bonac. *de Censur. disp.* 7. *q.* 4. *punct.* 8. *n.* 37. & consequenter teneatur. ad restitutionem damnorum, ut tenet Fragos. *tom.* 2. *disp.* 3. §. 12. *n.* 251. *vers. quæ defensio* post medium; non tamen ex se possit aliquem actum positivum, aut physicum; at Canon Bullæ Cœnæ loquitur de actu physico, & positivo, id enim designant illius verba: *per se, vel per alios directè, delicta hujusmodi committere, exequi, vel procurare, &c. non verentur*: Ergo cùm negativè se habeat, non ligatur excommunicatione hujus Canonis.

139. Dices: si præfatus judex non impediat, cùm possit, ne clericus recurrens ad curiam, interficiatur, aut percutiatur incurrit excommunicationem latam, *in cap. si quis suadente* 17. *q.* 4. ut cum pluribus docent Avil. *de Censur. part.* 2. *cap.* 3. *disp.* 3. *dub.* 8. Bauny. *in Theol. moral. tom.* 2. *disp.* 5. *tract.* 4. *q.* 1. Egid. Coninch. *de Sacram. disp.* 14. *dub.* 15. *n.* 147. Laym. *l.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 5. *n.* 6. Molin. *tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 52. *n.* 6. quos refert, & sequitur Dian. *part. tract.* 4. *resol.* 3. & alii communiter. Et si occidatur, vel ex percussione mors sequatur, irregularitatem incurrit: ut tenent Navarr. *in summ. cap.* 27. *n.* 232. & cum aliis Soar. *tom.* 5. *in* 3. *partem disp.* 45. *sect.* 4. *n.* 5. Henriq. *l.* 14. *cap.* 12. Sayr. *de censur. l.* 7. *cap.* 4. *n.* 3. Ægid. Coninch. *tit. disp.* 18. *dub.* 8. *n.* 81. Filliuc. *tract.* 1. *cap.* 4. *quæst.* 9. *&* 10. Regin. *l.* 30. *n.* 145. 168. *& seqq.* Cardin. Tolet. *l.* 1. *cap.* 83. *n.* 4. quos citat, & sequitur Bonac. *tom.* 1. *disp.* 7. *de irregul. q.* 4. *punct.* 8. *n.* 37. Menoch. *de arbitrar. cas.* 335. *n.* 3. Less. *l.* 2. *de just. cap.* 9. *n.* 94. Molin. *tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 18. *n.* 4. Tragos. *tom.* 2. *disp.* 3. §. 12. *n.* 251. *vers. quæ defensio, prope finem*: ergo etiam incurret excommunicationem latam in præsenti Canone.

140. Re-

140. Respondeo, negando consequentiam: diversa ratio est, quia ad incurrendam excommunicationem latam *in cap. si quis suadente*, & irregularitatem ex homicidio, sufficit, quòd influat moraliter in percussionem, vel occisionem, ut tenent citati D. D. & non impediens, cùm teneatur & possit impedire; non impediendo, influit moraliter, in percussionem, & occisionem: at ut incurrat excommunicationem Latam, in hoc Canone, non sufficit influxus moralis, sed requiritur physicus, & realis, ut verbis ipsius Canonis constat: ut *supra n.* 128. Notavimus.

SECTIO XV.

Proponitur, & explicatur decimus tertius articulus Bullæ Cænæ in Bulla Cruciatæ exceptus.

141. SExto loco excipitur in Bullâ Cruciatæ decimus tertius Canon Bullæ Cænæ, quo S. Pontifex excommunicat omnes, tam Ecclesiasticos, quàm sæculares cujuscunque dignitatis, qui prætexentes frivolam quandam appellationem à gravamine, vel futura executione Litterarum Apostolicarum, etiam in forma brevis, tam gratiam, quàm justitiam concernentium, ibi: *Nec non citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum, executorialium, & aliorum decretorum à nobis; & à S. Sede Apostolicâ, seu Legatis, Nuntiis, Præsidentibus, Palatii nostri, & Camerara Apostolicæ Auditoribus, Commissariis, aliisque judicibus, & delegatis Apostolicis, emanatorum; & quæ pro tempore emanaverint; aut aliàs ad curias sæculares, & laicam potestatem recurrunt, & abeâ, instante etiam fisci procuratore, vel advocato, appellationes hujusmodi admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia prædicta capi, & retineri faciunt. Qui ne illa simpliciter, sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine, executioni demandari, aut ne tabelliones, & notarii, super hujusmodi litterarum, & processuum executione, instrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cujus interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent; ac etiam partes, seu eorum agentes, consanguineos, affines, familiares, notarios, executores, & subexecutores litterarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum, capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent; ex civitatibus, locis, & regnis ejiciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per se, vel alium, seu alios publicè, vel occultè: Quive aliis quibuscunque personis in genere, vel specie, ne pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, seu gratiis, vel litteris impetrandis, ad Romanam curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas, vel litteras à dictâ sede impetrent, seu impetratis utantur directè, vel indirectè prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud se, vel notarios, seu tabelliones, vel alias quomodolibet retinere præsumunt.* Sic Canon.

142. Hic Canon in tres partes à D. D. solet dividi. In prima agitur de illis, qui prætextu frivolæ appellationis à gravamine, seu executione litterarum Apostolicarum, ad curias sæculares recurrunt, & ab illis hujusmodi appellationes admitti procurant, litterasque capi, & retineri faciunt. In secundâ tractatur de Magistratibus prohibentibus prædictas litteras executioni mandari, sive simpliciter, sive sine eorum beneplacito; & de impedientibus, seu prohibentibus acta confici, seu instrumenta, & alia hujusmodi, super executione præfatarum litterarum. In tertiâ, de iis, qui accedentes ad curiam Romanam, pro suis negotiis prosequendis, aut litteris, seu gratiis impetrandis, prohibent directè, vel indirectè, ne accedant, & ne impetratis utantur; & de iis, qui prædictas litteras, apud se, vel alios detinere, præsumunt.

143. Post personas, quæ hac excommunicatione feriuntur, dicendum venit de actionibus, quæ principaliter prohibentur. Prima est recurrere ad curias sæculares prætextu frivolæ appellationis à gravamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum. Secunda, impedire eadem, ne simpliciter, aut sine eorum judicum sæcularium beneplacito, vel examine, executione mandentur. Tertia, litteras Apostolicas capi, & detineri facere. Quarta, prohibere ne tabelliones, & notarii super hujusmodi litterarum, & processuum executione, instrumenta, vel acta conficiant, aut confecta, ne parti cujus interest, tradant. Quinta, impedire, & prohibere dictarum litterarum executionem. Sexta, capere, percutere, vulnerare, carcerare, detinere aliquam ex numeratis personis, in hoc Canone recensitis. Item ejicere ex civitatibus, locis, & regnis, bonis spoliare, timorem incutere, comminari, perterrefacere per se, per alium, vel alios publicè, vel occultè partes eorum agentes, notarios, executores, vel subexecutores litterarum, citationum, monitoriorum, & aliorum decretorum. Septima, directè, vel indirectè prohibere, statuere, vel mandare quibuscunque personis, ne recurrant ad curiam, pro quibuscunque eorum negotiis, prosequendis; & ne accedant ad impetrandum aliquid à Sede Apostolicâ; & ne impetrato utantur.

144. Inquires primò: Quid veniat *nomine appellationis frivolæ*? Respondeo, venire illam, in quâ nulla exprimitur Causa, vel exprimitur minus legitima. *cap. cum appellationibus frivolis, de appellation. in 6.* idcirco dicitur invalida, inanis, vana, & nullius momenti. Ita Bonac. *tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 14. *punct.* 1. *n.* 3. Fragos. *tom.* 2. *disp.* 3. §. 13. *n.* 259.

145. Inquires secundò: An excommunicatio hujus Canonis reperiatur in jure. Respondeo, reperiri *in cap. quoniam, de immunit. Eccles.* quæ pluribus verbis proponitur, & ampliatur non est tamen reservata; de illâ agit Bonac. *tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 17. *n.* 3.

SECTIO XVI.

Proponuntur aliquæ resolutiones, circa articulum decimum tertium Bullæ Cænæ, in Bulla Cruciatæ exceptum.

146. QUæres primò: An excusetur à censurâ hujus Canonis ille, qui ex ignorantiâ, etiam culpabili, vel ex inadvertentiâ vel ex simplicitate, aliquam ex prædictis actionibus fuerit

executus? Respondeo, excusari, quia ad incurrendam hanc excommunicationem, requiritur, ut detur præsumptio in agentibus, prohibentibus, statuentibus, vel mandantibus: debent enim præsumptuose facere, vel præsumptuosè prohibere, vel statuere, vel detinere; cum hic Canon in omnibus, & singulis, ex numeratis, præsumptionem exigat; ut constat ex verbo *præsumunt* in fine Canonis posito. Et ita docent Graff. *in expositione hujus Canonis cap.* 18. *n.* 121. *vers. ad incurrendum.* Sayr. *ibidem cap.* 17. *l.* 3. *n.* 8. quos citat, & sequitur. Fragos. *tom.* 2. *disp* 3. *n.* 256. *vers. In secunda parte.* Accedunt asserentes, quando lex imponit pœnam, præsumenti aliquid facere, non ligari eos, qui aliquid facerent, ex ignorantiâ culpabili, & crassâ ut defendunt Basilius Pontius *de matr. l.* 10. *cap.* 6. *n.* 10. Sanch *l.* 9. *de matr. disp.* 32. *n.* 31. Curies *part.* 2. *q.* 76. *art.* 4. *dub.* 4. Henriq. *l.* 13. *cap.* 23. *n.* 3. Avil. *de cens. p.* 2. *cap.* 6. *disp.* 10. *dub.* 6. Molin. *tract.* 5. *disp.* 7. *n.* 13. Et Bonac. *de cens. disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 1. *n.* 11. id extendit ad ignorantiam, non solùm crassam, sed etiam affectatam; quos omnes refert, & sequitur Diana *part.* 3. *tract.* 5. *resolut.* 13. *vers. Notandum est etiam.*

147. Quæres secundò: An hujus Canonis excommunicatione innodetur, qui appellat ab Episcopis, vel eorum vicariis ad judices sæculares. Respondeo negativè; quia hic Canon de his non loquitur, sed de appellantibus à S. Pontifice, seu Legatis, Nuntiis, Præsidentibus Palati Romani Pontificis, & Cameræ Apostolicæ: ergo ad alios non est extendendus; maximè in materiâ censuræ, quæ est restringenda, & non amplianda. Ita Fragos. *cit. n.* 258. *vers. secundo excusatur.*

148. Quæres tertiò: An incidat in censuram hujus Canonis ille, qui appellavit ad Sedem Apostolicam, vel ejus Legatum, vel Nuntium; & judex executor illam admittere renuit; & nullâ aliâ viâ suppetit impediendi gravamen, nisi recurrendo ad judicem sæcularem, nempe; judicem Coronæ Regiæ, ut cogat appellationem justè interpositam admitti. Respondeo non incidere; quia non recurrit ad judicem sæcularem pro appellatione frivolâ admittendâ; quod in hoc Canone prohibetur, sed pro impediendâ violentiâ, & injustitiâ denegatæ appellationis. Ita Castr. Palao *tom.* 6. *disp.* 3. *punct.* 14. *n.* 8. *vers. Notanter dixi in medio.*

149. Quæres quartò: An in casu violentiæ, & manifestæ injuriæ, dum damnum, quod sequitur, est irreparabile, vel difficilè reparari potest, & aditus ad S. Pontificem est difficilis; & non adest alius Magistratus Ecclesiasticus, qui possit, aut velit tantam injuriam arcere; possit quis ob suam necessariam defensionem ad curiam sæcularem recurrere, quin incidat in censuram hujus Canonis. Respondeo, posse, quia in hoc Canone, excommunicantur prætexentes frivolam appellationem; at hic pro sua naturali defensione, recurrit ad laicam potestatem; neque vero simile est, S. Pontificem velle suis armis protegere, & se defendentem punire. Ita Sayr. *l.* 3. *thesauri casuum conscientiæ cap.* 17. *n.* 3. Fragos. *dictâ disp.* 3. 5. 13. *n.* 258. *vers. Ex quo sequitur.* Castr. Pal. *dicto punct.* 14. *n.* 8. *vers. Notantur dixi.* Soar. Lusit. *in Bull. Cœna manuscriptam, disp. unicâ sect.* 23. *n.* 14. *& seqq.*

150. Quæres quintò: An incidat in hunc Canonem ille magistratus, qui probabiliter credens, litteras Apostolicas esse subreptitias, eas detinet, illarum executionem impedit, aut illas examinat, an veræ sint, aut subreptitiæ? Respondeo, esse dissidium inter D. D. nam sententiam affirmantem, posse magistratus civiles, illas examinare, docent Covarr. *practic. cap.* 32. *n.* 1. Vinald. *in expos. Bull. Cœnæ n.* 102. Zanal. *tom.* 4. *part. quæst.* 897. 1 *n.* 292. *&* 329. & ante illos Dried. *lib.* 2. *de libert. Christian. cap.* 3. asserentes, id esse licitum ex usu, & consuetudine, in multis Catholicorum Principum tribunalibus, observatâ; Probant *ex cap. si quando, de rescript.* ubi dicitur: quando superioris præceptum est injustum, durum, aut asperum, nullo modo esse tradendum executioni; & teneri impedientem illud, secundam expectare jussionem. Padil. Valdez. Graff. & Covarr. apud Fragos. *tom.* 2. *disp.* 3. §. 13. *n.* 261. *vers. Pars autem.*

151. Alii docent, gratiam Apostolicam non esse cum scandalo exequendam; quia ita decernitur *in cap. ad aures, de rescriptis & in cap. cum teneamur, de præbend.* Ita Azevel. *l.* 14. *n.* 29. *tit.* 3. *l.* 1. *nova recapitulationis.* Graff. *decis. part.* 2. 3. *cap.* 25 *n.* 8.

152. Ex his, & aliis infert Fragos. *cit. vers. quare dicendum*, cum Cajet. *tom.* 1. *opuscul. tract.* 1. *cap.* 27. §. *ad secundum rationem.* Victor. *in relect. de authoritate Papæ, & Concil. propos.* 22. non esse negandum integrum esse discutere interdum, cum debitâ reverentia, & humilitate litteras Apostolicas, quando ex earum executione damna aliqua sequi possunt, & sic ad S. Pontificem ante earum executionem recurrendum est, de his damnis instruendum, cum debitâ obedientiâ, ut de inconvenientibus fiat certior.

153. Dicendum tamen existimo, nulli licitum esse litteras Apostolicas examinare, & de earum valore judicare, nec illas detinere; quia nullus est superior S. Pontifice. Si tamen Princeps sæcularis illas præcisè detineat, ut veritas illarum à Pontifice investigetur; probabile est, non incurrere censuram hujus Canonis; quia credendum est Pontificem in illo loqui de litteris validis, & non de invalidis, quarum executionem ipso jure prohibet. Ita colligit ex Card. Tolet. Sayrus, & docent Graff. Reginald. & Bonacin. quos sequitur Castr. Palao *tom.* 5. *disp.* 3. *punct.* 14. *num.* 13.

154. Quæres Sextò: An Princeps incidat in hujus Canonis excommunicationem, si velit examinare litteras Nuntii, aut Legati, ad se missi; an veræ sint, aut subreptitiæ? Respondeo, posse; quia non tenetur ei fidem adhibere, nisi prius litteras patentes suæ legationis videat. Exhibitis tamen litteris, & nullâ falsitatis suspicione suborta, non potest illarum executionem impedire, nec detinere. Ita cum Mascard. *de probat. conclus.* 491. Castr. Palao *proximè n.* 14. Ubi secus dicendum existimat cum Gambar. & Alterio, de Cardinali, cui credendum est asserenti, vivæ vocis oraculo, se legatum esse, & litteras legationis amisisse.

SECTIO XVII.

Proponitur, & explicatur decimus quartus articulus Bullæ Cœnæ in Bulla Cruciatæ exceptus.

155. SEptimus, & ultimus casus, ordine exceptus in Bulla Cruciatæ est Canon decimus quartus Bullæ Cœnæ, in quo excommunicantur omnes, & singuli; *qui per se, vel per alios authoritate propria, ac de facto quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & Litterarum Apostolicarum prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas ab Auditoribus, & Commissarios nostros, aliisque judicibus Ecclesiasticis, avocant, illorumque cursum, & audientiam, ac personas, capitula, conventus, collegia, causas ipsas prosequi volentes, impediunt, ac se de illarum cognitione, tanquam judices interponunt. Quive partes actrices, quæ illas* (scilicet causas) *committi fecerunt, & faciunt, ad revocandum, & revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas, & ad faciendum, & consentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris, & pœnis, in eis contentis, absolvi, per statutum, vel alias compellunt vel executionem Litterarum Apostolicarum, seu executorialium processuum, & decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel suum, ad id, favorem, Consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætentionum, seu etiam donec ipsi ad nos infirmandos, ut dicunt, supplicaverint, aut supplicari fecerint; nisi supplicationes hujusmodi, coram nobis, & Sede Apostolicâ, legitimè prosequantur; etiamsi talia committentes, fuerint præsides Cancellariarum, Consiliorum, Parlamentorum, Cancellarii, Vice-Cancellarii, Consiliarii, ordinarii, vel extraordinarii quorumcunque Principum sæcularium, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel aliâ quacunque præfulgeant dignitate; aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendarii, seu Vicarii fuerint.*

156. Hæc censura non dissimilis est præcedenti; ut inquit Soar. *de censur. disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 75. quia utraque fertur contra prohibentes, impedientes, & retardantes litterarum Apostolicarum executionem. Differunt tamen ob diversos fines; quia hic Canon propriè, & per se, commendat protectionem, & defensionem causarum beneficialium, & decimarum, & aliarum spiritualium, vel spiritualibus annexarum, ut judex incompetens de illis nullo modo præsumat cognoscere; nec in illis se intromittat.

157. Hic Canon comprehendit omnes, & singulares: ut patet ex illius verbis. Actiones principales prohibitæ sunt sex. Prima est, compellere partes actrices, quæ committi fecerunt eadem causas ad revocandum citationes inhibitiones, vel alias litteras in eis decretas: Secunda impedire cursum earundem, vel personas, capitula, conventus, Collegia, illas prosequi volentes. Tertia: compellere easdem partes actrices ad faciendum, eos absolvere à censuris, contra quos inhibitiones emanarunt. Quarta: avocare causas spirituales, vel spiritualibus annexas ab Auditoribus, & judicibus Ecclesiasticis authoritate propria. Quinta: interponere se tanquam judices in illarum cognitione. Sexta: impedire executionem Litterarum Apostolicarum, seu processuum executorialium, & decretorum prædictorum, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel alia intentione, donec supplicaverint ad S. Pontificem, aut supplicare fecerint ad illum informandum; nisi tales supplicationes legitimè prosequantur apud Sedem Apostolicam. Actiones verò accessoriæ sunt tres, nempe: præstare favorem, consilium, aut assensum. Hæc patent ex ipso Canone.

158. Hæ actiones prohibentur, propter has causas, videlicet: beneficiales, decimales, spirituales, aut spiritualibus annexas. Quare non incidunt in excommunicationem hujus Canonis illi, qui avocant ab Auditoribus, Commissariis, Sedis Apostolicæ, aut aliis judicibus Ecclesiasticis, causas temporales; nam prædictæ, aut sunt spirituales, aut spiritualibus annexæ. Ita Castr. Palao *tom.* 6. *disp.* 3. *punct.* 15. *n.* 9. Leand. *tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 14. *q.* 3. Quæ autem dicantur causæ spirituales, vel spiritualibus annexæ, vide Fragos. *tom.* 2. *disp.* 3. §. 14. *vers. Porro causa, & sequentibus.*

159. Inquires: An hæc censura etiam in jure antiquo reperiatur? Respondeo, ex parte, reperiri, primò *in cap. quoniam, de immunit. Eccles. in* 6. contra eos, qui in causis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, impediunt directè, vel indirectè, per se, vel per alios, ne litteræ à Sede Apostolicâ impetrentur ne litigetur coram judice Ecclesiastico ordinario, vel delegato; afficitque consulentes, auxiliantes, & faventes. A quâ non possunt absolvi, nisi prius Judici Ecclesiastico, & parti læsæ satisfactionem præstiterint. Sic Bonac. *tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 15. *punct.* 3. *n.* 1. cum aliis, quos citat.

160. Secundò reperitur *in cap. Quicunque, de sentent. excommunic. in eodem.* 6. adversus eos, qui offendunt, vel licentiam offendi concedunt in eos, qui sententiam excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, tulerunt, vel quorum occasione, hæ censuræ latæ sunt, sive offendant in personis, sive in bonis.

161. Tertiò reperitur, *in cap. unico de his, quæ vi, metusve causâ fiunt*, contra eos, qui absolutionem excommunicationis, suspensionis, aut interdicti à judicibus Ecclesiasticis extorquent. Hæc habenter apud Castr. Palao *ubi supra n.* 2.

SECTIO XVIII.

Deciduntur aliqua dubia ad decimum quartum articulum spectantia in Bulla Cruciatæ exceptum?

162. PRimum dubium: An incidatur in censuram hujus Canonis, non solùm quando avocatio causarum spiritualium fit à potestate secu-

Iæculari; sed etiam si fiat à potestate Ecclesiasticâ, v. g. ab Archiepiscopo, vel Episcopo? Partem affirmantem defendunt Reginald. *l.* 9. *cap.* 22. *n.* 335. Filliuc. *tract.* 16. *cap.* 10. *n.* 243. & probabile dicit Sayr. *l.* 3. *cap.* 18. *n.* 5. Moventur, quia hæc censura lata est, in defensionem authoritatis Apostolicæ: ergo à quocunque avocentur causæ, sive sæculari, sive Ecclesiastico ad suum tribunal, in hanc incidunt excommunicationem. Accedit, quia Canon loquitur generaliter de omnibus avocantibus causas spirituales ad suum tribunal: ergo sive advocans sit sæcularis, sive Ecclesiasticus, excommunicationem incurret.

163. Partem tamen negantem existimo probabiliorem, cum Navarr. *cap.* 27. *n.* 70. Sebastian. Le Medic. *in summ. tit.* 9. *q.* 76. *n.* 18. Sayr. *proximè citato*, Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 76. Alterio *l.* 6. *disp.* 25. *cap.* 1. Duard. *lib.* 2. *Canon.* 14. *q.* 44. *n.* 1. *conclus.* 1. Bonac. *disp.* 1. *de censur. in partic. q.* 15. *punct.* 1. *n.* 6. quos refert, & sequitur Castr. Palao *dictâ disp.* 3. *punct.* 15. *n.* 6. Accedunt Fragos. *tom.* 2. *disp.* 3. §. 14. *n.* 268. *vers. Non incidunt.* Leand. *tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 14. *q.* 6. Soar. Lusit. *in Bullam Cœnæ manuscriptam sect.* 14. *n.* 14.

164. Probatur, quia per avocationem, impeditionem, vel compulsionem factam à judice Ecclesiastico, ex potestate Ecclesiasticâ, licet aliquo modo offendatur Sedes Apostolica; non offenditur tamen libertas Ecclesiastica: at hic Canon hanc videtur defendere, ut patet ex illius verbis: *authoritate propriâ, ac prætextu quarumcunque gratiarum, exemptionum, ac litterarum Apostolicarum*: ergo judices Ecclesiastici hoc Canone non comprehenduntur.

165. Secus dicendum, si dicti Ecclesiastici sint constituti judices à Principe sæculari, cum jurisdictione laicâ, & causas Ecclesiasticas ad se advocent, vel impediant; quia tunc hanc excommunicationem incurrent: quia sic non ut Ecclesiastici, sed ut sæculares judices ad se avocant causas Ecclesiasticas. Ita Soar. Castr. Paloa, & alii *locis citatis*. Excipe Navarr. *citatus dicto cap.* 27. qui *n.* 71. §. *Declaratio* 1. hanc excommunicationem extendit tantùm, ad judices sæculares, qui propriâ authoritate judiciali, & laicâ, prædictas exercent actiones prohibitas.

166. Sed minus bene; quia hic Canon sine distinctione loquitur de omnibus, qui avocant causas Ecclesiasticas, ad judicium sæculare, ut constat ex verbis ultimò prolatis ab hoc Canone. *Aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, commendatarii, seu vicarii fuerint.*

167. Secundum dubium: An prædictæ actiones, non solùm præstandæ sint à potestate laicâ; sed etiam prætextu exemptionum, gratiarum, aliorumque privilegiorum Sedis Apostolicæ, ad hoc, ut hæc incurratur excommunicatio? sententiam negativam, nempe: non esse opus, ut hæ actiones præstentur prætextu exemptionum, vel aliarum gratiarum Sedis Apostolicæ, tuentur Castr. Palao *proximè dict. punct.* 15. *n.* 7. (malè citatus à Leand. mox citando pro oppositâ) Alterius *lib.* 5. *disp.* 15. *cap.* 1. *vers. quarumcunque exemptionum.* Duard. *lib.* 2. *Can.* 14. *q.* 3. *n.* 2. quos refert idem Castr. Palao, qui id probat; quia Canon eximit ab hâc excommunicatione illum tantùm, qui prædictas actiones operatur, animo supplicandi Sedem Apostolicam, & supplicationem coram ipsâ prosequendo: ergo quocunque alio titulo, & fine, fiant prædictæ actiones, ab hâc censura non excusant. Item hâc censurâ ligatur, qui prætextu violentiæ prohibendæ, prædictas actiones præstat. Idem tenet Fragos. *cit. n.* 66. *vers. Ex quo sequitur.*

168. Sententia tamen affirmativa est probabilis, illam defendunt Soar. *dicta disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 75. & alii quos citat. Leand. *proximè*, *q.* 4. Soar. Lusit. *ut supra n.* 17. Et ut probabilem sustineri posse, asserit Bonac. *dict. q.* 15. *punct.* 1. *n.* 6. & pro eâdem citat. Filliuc. *tract.* 16. *cap.* 10. *quæst.* 2. *n.* 244. Probatur, quia prædictæ actiones, eâdem continuatâ oratione habentur, ibi: *Authoritate propriâ, & de facto, quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & litterarum Apostolicarum prætextu*: cum verò utrumque sub dictione copulativâ proponatur, & versemur in materia censurarum pœnali, dicendum utrunque simul requiri.

169. Ex his sententiis negativa videtur probabilior, quia reverâ, id demonstrant verba pro affirmativâ sententiâ, allata; *Authoritate propriâ, & de facto*; & licèt S. Pontifex addiderit alia verba: *quarumcunque exemptionum, privilegiorum, aut aliarum gratiarum &c.* causam exprimere voluit, quæ ut plurimùm, ab avocantibus causas ad suum delictum tegendum afferri solet; ut sit notum eas exemptiones, gratias, aut privilegia, esse falsa, & minimè fuisse concessa. Et confirmatur, quia si ut hæc incurratur excommunicatio, necesse est, ut causæ avocentur authoritate propriâ & de facto, & simul prætextu exemptionum, gratiarum &c. sequitur, melioris esse conditionis eum, qui sine prætextu avocat ad se causas spirituales, quàm illum, qui eo prætextu illas avocat; cùm hic, hoc prætextu, se tuetur & non ille. Et si prætextus, quo se tuetur, nihil est; cùm sit falsa ea causa, quâ se tuetur; incidimus in idem, quòd intendimus; quòd non dato eo prætextu, excommunicatio incurritur.

170. Nota tamen verba: *etiam ex prætextu*, includere dictionem *etiam*, quæ est dictio implicativa, & exprimit casum magis dubitabilem; nempe prætextum; & implicat minus dubitabilem nempe, prædictas actiones: ut videre est apud Barbos. *tract. de dictionib. usu frequent. dict.* 112. & ea, quæ diximus de hac dictione *etiam supra disp.* 11. *n.* 19. ergo quocunque dato, excommunicatio incurritur. Quia tamen sententia affirmativa est probabilis, confessarius hunc casum rectè judicabit non esse in Bullâ exceptum.

171. Tertium dubium: An privata persona, per vim, & metum compellens partes actrices ad revocandum citationes, & inhibitiones, vel ad consentiendum, ut absolvatur adversarius, incidat in excommunicationem hujus Canonis? Incidere existimant Filliuc. *tract.* 16. *cap.* 11. *quæst.* 4. *n.* 263. Ugolin. *in Can.* 14. *vers. Quive partes actrices.* Duard. ibidem *q.* 13. *n.* 8. Leand. *tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 14. *q.* 9. Probant, quia S. Pontifex absolutè prohibet has actiones, & non declarat, à quâ authoritate, publicâ ne, an privata, fieri debeant. Imò id videntur exprimere verba illa: *per statutum aut aliàs compellunt*; nam dictio *statutum* designat personam publicam; & *aut aliàs*, personam privatam.

172. Probabilius tamen dicendum, personas

privatas non incidere in hanc excommunicationem. Ita communiter Doctores Sayr. *l. 3. thesaur. cap. 18. n. 5. ad finem*, Soar. *tom. 5. in 3. part. disp. 21. sect. 2. n. 75.* Regin. *l. 9. cap. 22. n. 335.* Duard. *l. 2. can. 14. q. 3. n. 1.* Bonac. *tom. 3. disp. 1. q. 15. punct. 1. n. 4. & 19.* Alterius *cap. 2. col. 2. vers. quarto actio.* Castr. Palao. *tom. 6. disp. 3. punct. 15. n. 5.* Fragos. *tom. 2. disp. 3. §. 14. n. 271.* Probatur, quia licèt id non exprimatur, rectè colligitur ex actionibus prohibitis: nam avocatio causarum, & prætextus exemptionum, privilegiorum, &c. Non ad privatas, sed ad publicas personas videtur dicere ordinem: nam publicis, & non privatis personis privilegia, exemptiones, &c. Conceduntur; & sic de aliis. Et quamvis persona privata possit compellere partes actrices, ad faciendum, vel consentiendum absolutioni eorum, contra quos inhibitiones emanarunt: hoc tamen ex hoc Canone non colligitur.

173. Non enim colligitur ex verbis *per statutum, vel aliàs compellunt*; ut volunt adversarii; quia per dictionem *statutum*, ut ipsi existimant, *& nos*; intelliguntur personæ publicæ; per aliam verò *aliàs* non fit extentio ad personas privatas: Dictio enim *aliàs* varias habet significationes; quarum una est, ut significet alium casum, ut *in l. qui testamentum. § Mulier Testimonium ff. de Testament.* Aliquando ponitur *pro aliter*, vel *alio modo*, ut *in l. denique §. Utrum ff. de pecul.* & aliis: ut videre est apud Barbos. de dictione *dict. 16. n. 4. & 8.* Quare dictio *aliàs*, in hâc oratione: *per statutum, aut aliàs compellunt*, facit hunc sensum: compellentes per statutum, quod sit publicâ, & judiciariâ authoritate, vel per alios similes modos compellendi, eâdem authoritate judiciali, nempe: per decretum, vel præceptum, aut alios similes modos.

174. Quartum dubium: An hujus Canonis censurâ innodetur ille, qui non partes, sed ipsum judicem Ecclesiasticum qui pœnas tulit, compellit; ut illas revocet, & absolutionem impendat? Respondeo, non innodari; quia Canon loquitur de compellentibus partes, & non de compellente judicem: ergo non debet extendi ad illum; *cap. nonne, de præsumpt. & l. cùm prætor, in principio, ff. de injuriis* & ibi, Petr. Barbos. *n. 37. & n. 53.* Peres *in l. 1. gloss. 5. tit. 15. l. 8. ordinamenti*, & alii. Et ita non incurri à compellente judicem, censuram hujus Canonis, docent Bonac. *cit. dict. punct. 1. n. 21.* cum Ugol. Alter. & Duard. quibus addo Fragos. ubi *supra dicto n. 271. vers. sed quid de non.* Leand. *nuper cit. q. 12.*

175. Advertunt tamen hi Doctores, licèt compellentes judicem, non incurrant censuram hujus Canonis, incurrere tamen illam, quæ lata est *in cap. unico de his, quæ, metus ve causâ fiunt. in 6.* Contra illos, qui per vim, vel metum, à judice extorquent absolutionem excommunicationis, suspensionis, aut interdicti: Absolutio tamen excommunicationis in eo *capit. Unico*, latæ non est reservata; ut inquiunt Memoriale clericorum *cap. 9. Excomm. 46.* Barbos. *de offic. & potest. Episcop. alleg. 50. n. 171. vers. sexta*, Soar. *de cens. disp. 23. sect. 4. n. 11. & 12.* Fragos. *tom. 2. disp. 3. §. 14. n. 271. vers. Extat tamen.*

176. Quintum dubium: An Magistratus, seu Conciliarii incidant, in excommunicationem hujus Canonis, si detineant Bullas Apostolicas, aut cognoscant causas Ecclesiasticas, aut avocent eas à judicibus Ecclesiasticis; si id faciant prætextu impediendæ violentiæ, & perturbationis in republicâ vitandæ.

177. Sententiam affirmantem defendunt Alterius *l. 5. disp. 15. cap. 3.* Azor. *1. part. l. 5. cap. 14. quæsit. 6.* Duard. *in Canon. 14 q. 10* Regin. *l. 9. cap. 22. n. 338.* Filliuc, *tract. 16. cap. 10. quæsit. 4.* Bonac. *tom. 3. disp. 1. q. 15. punct. 4. §. 4. per totum*, & apud illum; Soar. Card. Bellarm. Farinac. & Salas.

178. Sententiam negantem tuentur Vinald. *in can. 14. casu 14. à n. 101. usque ad 110.* Et apud ipsum, ex juristis Rebuff. Perez Covarr. Montalus Guillelm: Benedict. Duenâs, Gregor. Lop. Palacius, & Avendam. Ex Theologis Tocobarus, Furrecrem facet. Victoria, Sylvestr. Cordub. Paludanus, & alii plures, ut videre est apud Leand. *tom. 4. tract. 3. disp. 14. q. 14.* Inter has duas sententias, quid tenendum sit, dico breviter, referendo, quæ videntur esse certa, & probabiliora apud D. D.

179. Dico primò. Magistratus & Consiliarii in censuram hujus Canonis incurrunt, si detineant Bullas Apostolicas, etiam circa beneficia, & citationes, aut cognoscant causas Ecclesiasticas, aut illas avocent à judicibus Ecclesiasticis, prætextu impediendæ violentiæ. Probatur, quia hic modus defensionis tollitur in hoc Canone, ibi: *Etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum*; qui non excusat ab hâc excommunicatione; quia alia datur via defensionis, nempe, per supplicationem. Ita Sayr. *de censur. l. 3. cap. 18. n. 6.* Fragos. *tom. 2. disp. 3. §. 14. n. 269.* & D. D. pro primâ, & affirmativâ sententiâ *citat. in. 178.*

180. Dico secundò: Magistratus, seu consiliarii in hunc Canonem incidunt, si ad se advocent causas Ecclesiasticas; quia illis non est integrum, de illis tractare; nec principaliter, nec incidenter: id enim pertinet ad judicem Ecclesiasticum, nempe; cognoscere de omnibus, quæ verè sunt spiritualia, & Ecclesiastica; & de illis quæ sunt annexa, seu conjuncta antecedenter, & consequenter; insuper de sacris observationibus, beneficiis, jure patronatus, decimis, & similibus; nec non de causis temporalibus Ecclesiarum, & clericorum, & de eorum criminibus, *cap. 2. de foro competenti. cap. decernimus. cap. ac si clerici, de judiciis.* Covarr. *in practicis cap. 31. n. 2.* Unde si prædicti etiam prætextu prohibendæ violentiæ detineant litteras Apostolicas, cognoscant causas Ecclesiasticas, aut eas avocent à judicibus Ecclesiasticis, hâc censurâ innodantur.

181. Dico tertiò: si violentia, quam infert judex ecclesiasticus, est manifesta, & notoria, & injuria irreparabilis; quæ difficilè reparari potest, & S. Pontifex longè abest, & est periculum in morâ, excusabitur judex secularis à censurâ hujus Canonis, si cursum causæ impediat, apud judicem Ecclesiasticum; quousque Pontifex informetur. Hoc est contra D. D. affirmativæ sententiæ, traditur tamen ab illis, qui pro negativâ citantur *n. 178.* & à Fragos. ubi *supra dict. n. 269. vers. quod si urget.* Castr. Palao *tom. 6. disp. 3. punct. 15. n. 10.* Et ab aliis, quos referunt. Probatur ex *Clementin. Pastoralis, de sententiâ, & re judicatâ, circa finem.* & deducitur *ex cap. cùm contingat*, & ibi Abb. *n. 27. de foro compet.* ubi licita est defensio. Sequitur Sous. *disp. 75. in Bull. Cœnæ n. 5. & seqq. & disp. 78. n. 3. & 5.* Ubi cum aliis asserit, quando judex Ecclesiasticus Regis supplicationem audire voluerit, nec violentiam auferre; licitum

licitum esse per bonorum temporalium ablationem illum compellere.

182. Ratione probatur; quia judex sæcularis, posità eâ violentiâ, impediendo cursum causæ, id non agit, ob jurisdictionem, quam habeat in judicem Ecclesiasticum: quia certum est nullam habere, sed ob jurisdictionem sibi à naturâ concessam, ad defendendum innocentem; quæ potestas, sicut datur personis privatis, à fortiori publicis conceditur. Confirmatur quia S. Pontifex prohibet prædictas actiones factas, etiam prætextu violentiæ prohibendæ; sed dictio *prætextu* importat fictionem, & non veritatem; ut asserit Castr. Palao *cit.* ergo si detur vera violentia, & manifesta; à censura hujus Canonis excusabitur judex sæcularis; si illam impediat.

183. Hactenus dictum est de casibus, qui in Bullâ Cruciatæ excipiuntur; & ex illorum explicatione constat, quos comprehendat; & à quibus confessarius electus non potest absolvere. Alii videri poterunt apud D. D. citatos; nam plures tractari solent; quos, brevitati consulens, omisi.

DISPUTATIO XVII.

De absolutione à censuris, virtute Bullæ Cruciatæ.

1. FAcultas absolvendi à censuris separatim à prædictis casibus S. Pontific reservatis, apponitur in Bullâ. Quia tamen omnes casus S. Pontifici reservati annexam sibi habent excommunicationem, ut *supra disp. 15. n. 14.* notavimus cum communi Doctorum; & de his adhuc non egimus, sed tantùm de casibus Pontificiis præcisè sumptis; operæ pretium erit, ut in hâc disputatione, tam de his excommunicationibus; quàm de aliis censuris conjunctim, sit expositio, ut confessarius, virtute Bullæ electus, intelligat, quâ potestate pollet, in earum absolutione. Verba autem Bullæ latinæ, in quibus S. Pontifex declarat, quomodo, & à quibus censuris præstanda sit absolutio, sic habent: *Declarantes absolutiones, vigore præsentium, satisfactâ, parte, faciendas ab excommunicationibus, & aliis censuris Ecclesiasticis ab homine latis, ferendis, nemini omnino, sive Ecclesiastico, sive laico, in foro judiciali prodesse; sed eum tantùm excommunicatum ubique, & ab omnibus, nihilominus reputari; nec sit sacerdos, presbyter, aut alius in sacris ordinibus constitutus fuerit, nullibi missam celebrare, aut aliis se sacris immiscere posse, donec is à suo judice, absolutionis beneficium ab hujusmodi censuris meruerit obtinere.* Commissarius verò sic vertit: *Item declaron S. santidade, que as absolviendas, que por por virtude das presentes letras, de pois de satisfeita aparte, se ficarem de excommunhoens, e censuras Ecclesiasticas, ab homine latis, & ferendis, nam valham a nenhuma pessoa Ecclesiastica, ou secular, no foro judicial; mas aff. ex commungado seja por tal avido de todos, em toda a parte; e se for sacerdote, ou constituido em ordens sacras, em nenhuma parte, possa dizer missa; nem de qualquer outra maneira inferiose nos officios divinos; ate que alcanse do seu suis absolvicam das censuras, emque assi encorreo.* Ita summarium.

2. Hæc S. Pontificis declaratio non reperitur in Bulla Hispana; nec privilegium ad censuras absolvendas, tam amplum, ut *infra* videbimus. Ad hujus verò disputationis intelligentiam, recole ea, quæ summariè de censuris in genere, & in specie, prælibavimus *disput. 15. sect. 2.* quæ ad hujus explanationem, ibi fuerunt dicta; & hîc poterunt inservire.

SECTIO I.

An absolutio ab excommunicatione collata virtute Bullæ Cruciatæ non satisfactâ parte, sit invalida?

3. DEclarat S. Pontifex, absolutiones ab excommunicationibus virtutè Bullæ, satisfactâ parte, esse faciendas. Inquirimus ergo in præsenti. An si parti læsæ non sit satisfactum, absolutio ab excommunicatione, sit invalida? Et non procedit quæstio, quando nulla pars fuit læsa, v. g. quando quis, virtute Bullæ, absolvitur ab excommunicatione occultâ, contractâ ob ingressum in Monialium monasterium; quia cùm ibi nulla pars fuerit læsa, absolutio hujus excommunicationis est validâ, parte non satisfactâ: nam ibi nulla pars datur, cui satisfactio debeatur. Procedit ergo de absolutione illicitâ; in iis eventibus, in quibus datur pars, cui est satisfaciendum; v. g. quando clericus, suadente diabolo, fuit percussus; quia certum est, peccare mortaliter confessarium per Bullam electum absolventem percussorem, non præmissâ satisfactione; nisi ignorantia, aut alia rationabilis causa eum excuset; quia in re gravi non servat juris formam, ad quam observationem tenetur. Ita Doctores *infra citandi n. 10.*

4. Circa quæstionem inquam, titulo propositam, triplicem invenio opinionem. Prima absolutè docet, absolutionem ab excommunicatione, parte non satisfactâ, esse invalidam, sive pars sit potens, sive impotens ad satisfaciendum. Et idem asserit, de quocunque alio privilegio, quod concedit facultatem ad aliquem absolvendum, *satisfactâ parte.* Ita Sot. *in 4. diff. 22. q. 2. n. 3.* Guttier. *q. q. canon. l. 1. cap. 5. n. 29.* Cordrib. *de indulg. q. 43. dub. 3.* Ledelm. *in summ. tom. 1. tract. de excommun. cap. 8. dub. 3.* Valerius *in differ. utriusque fori verb. absolutio differ. 5. n. 3.* licèt *dissererit, eâdem n. 6. vers. sed certè falsa,* oppositam videatur sentire. Eandem docent Navarr. *in manual. cap. 27. n. 48. & consil. 75. de regul. dub. 11. n. 36. & 37.* & alii apud Soar. Lusitan. *de panit. tract. 7. disp. 2. n. 312.* & citatis Soar. Sayr. & Henriq. illam tuetur Escob. *in Theolog. moral. tom. 1. l. 7. n. 599.*

5. Probant, quia ea absolutio ab excommunicatione, est collata à non habente potestatem; quia potestas in Bullâ concessa ad absolvendum ab excommunicatione, & aliis censuris, conceditur sub formâ, ut parti satisfiat: sed quando aliqua lex, seu privilegium præscribit aliquem modum, seu conditionem ad aliquid faciendum, censetur talis modus, seu conditio, inducta ut forma substantialis;

ut constat ex *cap. dilecti, de rescriptis cap. venerabilis, juxtà gloss. de offic. de legat.* ergo si deficiat partis satisfactio, sive à potente, vel impotente satisfacere, cùm deficiat forma, sub quâ privilegium absolvendi ab excommunicatione, & censuris, fuit concessum, absolutio erit invalida. Vide quæ diximus *disp. 11. sect. 6.* ubi alia invenies, quæ hanc sententiam confirmant.

6. Si his Doctoribus objicias, satisfactionem à Bullâ requisitam, non esse conditionem, seu modum, formam inducentem, sed tantùm monitionem, quam confessarius, ipso jure, servare debet. Et idem dicendum, quando in aliquâ delegatione exprimitur aliquis modus, seu conditio, quæ ab ipso jure expostulatur; nam si ab ipso jure, non expostulatur ut forma substantialis; nec ab ipsâ delegatione, ut forma substantialis, exigitur: sed *in cap. ex parte, de verborum significationibus* satisfactio partis non expostulatur, ut forma substantialis, in absolutione à censuris, nec absolutionem irritat, parte non satisfactâ: ergo etiam, idem dicendum de absolutione ab excommunicatione, & censuris, virtute Bullæ, factâ. Et ita sentit Rodrig. *tom. 1. summ. cap. 83. n. 4.* & probabilissimum dicit Sanch. *l. 3. de matr. disp. 33. n. 3. prope finem.*

7. Respondent, dando diversam rationem: quia satisfactio partis, non solùm in delegatione confessarii, exigitur, ut absolvat à censuris; sed etiam, in ipso pœnitente, ut electionem Confessarii faciat, ut cum absolvat, satisfactâ parte: at in jure non invenitur, quòd electio Confessarii concedat absolutionem, parte satisfactâ: ergo formam, & non monitionem importat clausula, *satisfactâ parte.*

8. Secunda opinio mediâ incedit viâ: Asserit enim absolutionem esse invalidam, quando pœnitens, antequam absolvatur, potest satisfactionem præstare, & non præstat; at si impotens sit ad satisfaciendum, valida erit absolutio; dummodo præmittat cautionem à jure requisitam, de satisfaciendo, cùm poterit. Sic Rodrig. *in Bullam* §. 9. *n.* 52. Vasq. *tom. 4. de excommu. dub.* 20. Soar. *tom. 5. in 3. part. disp. 7. sect. 5. n. 42.* Henriq. *l. 7. cap. 13. n. 2. litt. R. & l. 13. cap. 28. n. 1.* & apud ipsum, Sot. Ledesm. Cajet. Fabien. Armil. Cordub. Sylvestr. Navarr. Can. & alii. Præpositi. *in 3. part. de cens. in communi q. 1. dub. 15. n. 114.* Filliuc. *tom. 1. tract. 11. n. 295.* Ægid. *de Sacrament. disp. 14. dub. 16. n. 211.* Trullench. *in Bullam l. 1. §. 7. cap. 2. dub. 12. n. 11.* citans Sayrum *l. 2. Thesaur. cap. 18. n. 11.* Sanch. *l. 8. de matr. disp. 16. n. 11.* Valerum *verb. absolutio differ. 5. n. 6. vers. sed certè.* Vinald. *tom. 1. tract. 16. diffic. 20. n. 9.* Bossius *de jubil. sect. 1. cas. 21. n. 78.* Graff. *l. 4. decis. aurear. cap. 5. n. 6.* in eandem videtur inclinare Machad *tom. 1. l. 1. part. 3. tract. 8. docum. 6. n. 5.*

9. Probant, quia in Bullâ non conceditur facultas, ad absolvendum ab excommunicatione, & aliis censuris, nisi sub conditione, præstandi parti satisfactionem: ergo si satisfactio non præstetur; absolutio erit invalida. At si pœnitens ob impotentiam, illam præstare non possit, validè absolvetur; quia ex jure communi, *in cap. cit. ex parte, de verb. signific. & cap. solet, de excommunic. in 6.* ubi idem admonetur, dicitur: quòd si pœnitens, impotens sit, ad satisfaciendum; quòd det cautionem à jure præscriptam: ergo idem dici potest de facultate per Bullam, concessâ, quando pœnitens, partu satisfacere non valet.

10. Tertia opinio, cui ut probabiliori adhæreo, tenet, absolutionem ab excommunicatione, & censuris, parte læsâ non satisfactâ, esse validam, quamvis sit illicita. Ita Sanch. *l. 3. de matr. disp. 33. n. 3.* dum illam probabilissimam vocat, Avil. *de cens. part. 2. cap. 7. disp. 3. n. 9. conclus. 2.* Lesan. *tom. 3. q. 9. Regul. verb. Bull. Cruciatæ, n. 32. in fine* Bonac. *de censur. disp. 1. q. 3. punct. 9. n. 3.* Laym. *l. 1. tract. 5. part. 2. cap. 6. n. 7. vers. quòd si verò* Barbos. *in collect. tom. 2. tit. 40. cap. 23. n. 3.* Bauny. *disp. 3. de absolvente ab excommunicatione tract. 2. q. 44. vers. Quares quid juris*, Bassæus *verb. absolutio n. 26.* Dian. *part. 1. tract. 11. ref. 22. & part. 5. tract. 9. resol. 11. & 12.* Valer *in differ. utriusque fori, verb. absolutio, different. 5. n. 6.* Bard. *in Bull. part. 2. tract. 6. cap. 2. n. 64.* Castr. Palao *tom. 4. tract. 25. de Bell. punct. 8. §. 5. n. 3.* Mendo *in Bull. disp. 25. n. 139.* Soar. Lusit. *de pœnitent. tract. 7. disp. 2. n. 313. & 320.* Leand. *tom. 4. tract. 2. disp. 17. q. 19.* & illam, ac præcedentem dicunt probabiles, Ludovic. à Cruce, *in Bull. disp. 1. cap. 4 dub. 6.* & Tambor. *tract. de Bullâ cap. 11. §. 7. à n. 11.*

11. Ratio est, quia quando in delegationibus ad absolvendum exprimitur aliquid à jure requisitum, si id in jure, non inducit formam, sed tantùm monitionem, monitionem etiam in delegationibus, & non formam inducet; dummodo in eâ delegatione aliud non addatur, quod irritationem designet: ut tenent communiter D. D. cum Sanch. *cit.* Sed in delegatione confessarii per Bullam Cruciatæ, exprimitur id; nempe, satisfactio partis, quæ aliunde à jure requiritur, ut monitio; ut constat *ex cap. solet de sentent. excom. in 6. & cap. ex parte de verbor. signific.* ut tenent D. D. & non additur aliquid, quod irritationem designet: ergo satisfactio partis in Bullâ requisita, non erit inductio novæ formæ, sed erit juris monitio, cujusque obligationis, ut in ipso jure habetur.

12. Ex prædictâ ratione patet solutio ad fundamentum, tam primæ, quàm secundæ sententiæ: Dicendum enim est, facultatem confessario concedi absolvendi ab excommunicatione, & cæteris censuris, sub illâ conditione sumptâ, non per modum formæ, sed per modum admonitionis; ut in simili habetur in jure.

13. Pœnitens verò, qui non valet parti læsæ satisfacere, licitè, & validè potest absolvi ab excommunicatione, & aliis censuris, quin satisfaciat: quod licèt sit contra D. D. primæ sententiæ; traditur tamen à citatis pro secunda, & tertia, & ab aliis pluribus; quos citat, & sequitur Leand. *super. citat. q. 92.* Ratione probatur, quia non est verisimile S. Pontificem postulare conditionem impossibilem, sed tantùm moraliter possibilem; & sic declarasse B. Pium V. die 10. Octobris anno 1568. refert Rodrig. *in Bullam §. 9. n. 55.*

14. Confirmatur ex motu Clementis VIII. in quo munerum Largitio Religiosis interdicitur, ibi: *Restitutione ipsâ realiter non factâ, neque etiam in foro conscientiæ, absolvi possit.* Et tamen ut notat Sanch. *l. 2. decal. cap. 20. n. 19.* cum Soto, hanc clausulam solùm intelligi, quando restitutio est possibilis. Item ex motu proprio Gregorii XIII. de datis, & acceptis pro justitia, ibi: *Ne quisquam admittatur ad absolutionis gratiam, nisi prius erogatum esset pauperibus, quantùm do ille dedisset, vel recepisset.* Et tamen cum Navarr. docet Sanch. *cit.* id esse intelligendum, quando

quando erogatio est possibilis. Tandem *ex Trident. sess. 25. de reform. cap. 12.* ibi: *Detrahentes decimas excommunicentur, neque ab hoc crimine, nisi plenâ restitutione sequutâ, absolvantur.* Et tamen, ut cum Navarr. Molin. Henriq. & aliis, asserit idem Sanch. *ibidem* Trident. intelligi, quando restitutio est possibilis. Idem etiam probari potest, *ex Clement. Multorum, & ex Clement. Nolentes, de haret:* ut videre est apud eundem Sanch. *citas.*

15. Qualis autem debeat esse impotentia, quæ excuset à reali satisfactione, quæ debetur parti læsæ? Respondeo cum Bardi *cit. n.* 68. non oportere esse simpliciter impotentiam; sed sufficere, ut pensatis omnibus circunstantiis, pœnitens, prudentis arbitrio, sit excusandus à restitutione, vel recompensatione, vel ex toto, vel ex parte; ut authores ratiocinantur in materia restitutionis; in qua ad excusandum debitorem, non requirunt impotentiam simpliciter, sed illam, per quam prudenter restitutio differtur, videatur etiam Lezan. *tom. 3. verb. Bulla Cruciata n.* 32. dicens sufficere impotentiam physicam, vel moralem. An verò requiratur ab impotente ad satisfaciendum, cautio juris? sectione sequenti dicendum.

SECTIO II.

Solvuntur aliqua dubia circa satisfactionem, parti à pœnitente præstandam.

16. PRimum dubium: Quid veniat hoc loco nomine *satisfactionis?* Respondeo, venire restitutionem pecuniæ, vel famæ, vel honoris, quæ parti læsæ debetur. Ita Soar. *in 3. part. tom. 5. disp. 7. sect. 5. n.* 47. Lesan. *in q. q. Bequl. tom. 3. verb. Bulla Cruciata n.* 32. *in fine.* Et ostenditur, quia satisfactio respicit hæc tria, nempe; honorem læsum, & restitutionem famæ, bonorumque externorum: ergo pœnitens, vel debet compensare injuriam, vel restituere famam, vel reddere ablatam pecuniam, &c. vel à parte remissionem obtinere.

17. Secundum dubium: An confessarius, ut suo muneri satisfaciat, debeat à pœnitente impotente ad satisfaciendum parti læsæ requirere cautionem à jure statutam, priusquam absolvatur, nempe: cautionem pignoratitiam, vel fidejussoriam, vel juratoriam? Respondeo varia esse authorum placita; nam aliqui existimant, confessarium debere eo ordine illas cautiones requirere, nempe: primò cautionem pignoratitiam; & secundò, si pœnitens, ad illam sit impotens, debet expostulare fidejussoriam; & tertiò, si ad hanc etiam impotens inveniatur, sufficit juratoria. Ita docent Cajetan. *in summ. verb. excommunicatio cap.* 77. Navarr. *in summ. cap. 26. n. 7. &* 8. Henriq. *l. 13. cap. 28. n.* 1. & Clarius Avila *de censur. part. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 5. conclus. 2. vers. secundo nota, & sequenti*, quos refert, & sequitur Bard. *in Bull. part. 2. tract. 6. cap. 2. n.* 77. Et Lesan. dicto *tom. 3. verb. absolutio n. 9.* Soar. Lusit. *de panit. tract. 7. disp. 2. n.* 314. cum Vald. Bossio, & aliis, loquentes tantùm de absolutione pro foro externo. Hanc etiam defendit Trullench. *in Bull. l. 1. §. 7. cap. 2. dub. 12. n. 2.* addens hunc ordinem esse servandum saltem in foro externo; & tandem concludit, hoc esse relinquendum prudenti confessario; ut ipse eligat, quod securius fuerit pro loci, temporis, & personæ commoditate.

18. Probant, quia confessarius per Bullam electus tenetur illam exposcere cautionem, per quam pars læsa tuta reddatur de satisfactione: sed fidejussiones, non ita sunt tutæ; & cautio juratoria minus tuta æstimanda est: ergo ordo omnino servandus est, eligendo eam cautionem, quâ pars læsa reddatur secura de satisfactione.

19. Alii verò, ut Ludovic. à Cruce *in Bullam disp. 1. cap. 4. dub. 2. n.* 15. quem citat, & sequi videtur Dian. *part. 5. tract. 9. resol.* 39. dicunt, quòd licèt pœnitens possit dare; vel cautionem pignoratitiam, vel fidejussoriam, sufficere, quòd alteram, ex illis det: non tamen satisfacere, dando juratoriam; quia hæc vergit in damnum partis læsæ. Hanc sententiam admittit. Bard. *cit.* in casu, quo fidejussio sit in pecuniis solvendis, & fidejussor sit valdè dives, & probatæ vitæ, &c. At Lezan. *tom. 3. verb. absolutio n. 9.* Soar. Lusit. *de panit. tract. 7. disp. 2. n.* 314. nullâ additâ distinctione, inter absolutionem à censuris in Bullâ Cœnæ contentis, & aliis in jure latis, asserunt pro foro conscientiæ sufficere, quòd pœnitens satisfactionem facere proponat, cùm primum potuerit. Creditur enim (inquiunt) pœnitenti in hoc foro; citantque, pro eodem asserto Naldum, Bossium & alios. Ita se habent placita horum D. D.

20. Ego tamen ad prædictum dubium respondeo, debere pœnitentem, qui virtute Bullæ absolvitur ab excommunicatione in Bullâ Cœnæ lata pro foro conscientiæ, & Sacramentali; vel ab eadem, & aliis extra Bullam Cœnæ, pro foro externo, si debitum est pecuniarum; præstare cautionem pignoratitiam; quia pignus est, loco solutionis; & si pignus dare non potest, præstet cautionem fidejussoriam; & si illi est difficilis; quia non invenit fidejussorem, vel timet suum delictum publicari, præstare debet cautionem juratoriam: at si debitum non sit pecuniarium, sed honoris, vel famæ, vel aliud; tunc non tenetur pœnitens cautionem pignoratitiam exhibere, sed sufficit jurare, se restituturum famam, vel honorem, vel aliud simile, cùm primum potuerit: At si absolutio sit ab aliis censuris extra Bullam Cœnæ, pro foro conscientiæ, sufficit fieri promissio; quia cautiones pignoratitiæ, fidejussoriæ, & juratoriæ pro foro externo videntur à sacris canonibus appositæ. Ita docent Soar. *tom. 5. in 3. part. disp. 21. sect. 3. n. 1. & segq.* Bonac. *de censur. disp. 1. q. 3. punct. 3. n.* 11. Castr. Palao *tom. 1. tract. 4. disp. 4. punct. 3. §. 5. n.* 15. Pellizar. *tom. 2. tract. 7. cap. 1. n.* 11. Pasqual. *de jubil. q.* 225. Trullench. *in Bullam l. 1. §. 7. cap. 2. dub.* 18. alios citans; & hos refert, & sequitur Tambor. *l. 5. de panit. cap. 22. §. 4. n. 16.* videri etiam potest. Dian. *part. 2. tract. 16. resol. 42. & part. 5. tract. 9. resol. 23.* Aliqui tamen ex prædictis authoribus, eas requirunt cautiones, etiam in censuris extra Bullam Cœnæ, maximè in enormibus; ut percussione Clerici &c.

21. Probatur, quòd dictæ cautiones præstari debeant, in censuris Bullæ Cœnæ, non solùm pro foro externo, sed etiam pro foro conscientiæ; quia id constat ex ipsa Bulla, ibi: *Caterum à præfatis sententiis, nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando mandatis*

Ec-

Ecclesiæ, & satisfaciendo, cautione præstitâ, absolvi possit; etiam prætextu quarumvis facultatum; In quibus per hæc, *nisi in mortis articulo, & etiam prætextu quarumvis facultatum*, satis declarat S. Pontifex, se loqui non solùm pro foro externo, sed etiam pro foro conscientiæ, & Sacramentali; nam extra hoc forum non solent hæ facultates concedi: Deinde *prætextu facultatum*, includit Bullam Cruciatæ: ergo qui virtute illius absolvitur ab excommunicationibus in Bullâ Cœnæ contentis, eas præstare debet cautiones ordine designato.

22. Quòd verò in aliis censuris, extra Bullam Cœnæ, Canones non requirant pro foro conscientiæ, dictas cautiones, ostenditur: quia Canones id expresè non requirunt; cùm verò obligatio illarum cautionum sit odiosa, reddens magis difficilem confessionem; dicendum est pro eo foro conscientiæ non obligari. Ita Bossius *de jubil. sect.* 1. *cap.* 31. *n.* 19. Filliuc. *tract.* 11. *cap.* 10. *n.* 332. Pasqual. *de jubil. q.* 262. Et alii, quos refert; & sequitur Tambor. *l.* 5. *de panit. cap.* 12. § 4. *n.* 10. & loco ubi *supra cit.* Vide etiam, si placet. Leand. *part.* 4. *tract.* 2. *disp.* 17. *q.* 118. in quâ refert casus enormes extra Bullam Cœnæ, in quibus requiritur cautio juratoria juxta ea, quæ sunt insinuata *supra n.* 2. *in fine.*

23. Tertium dubium, quid intelligatur nomine partis læsæ, cui facienda est satisfactio; quando pœnitens virtute Bullæ, vel Alterius privilegii ab excommunicatione absolvitur? Respondeo primò non intelligi Prælatum, qui censuram imposuit, & pœnitens transgressus fuit illius præceptum, patrando delictum; quia licèt Prælatus, aliquo modo, offensus fuerit, S. Pontifex, de hâc satisfactione non intelligitur; quia ea offensio in omni censuræ transgressione imbibitur. Ita Soar. *tom.* 5. *de cens. disp.* 7. *sect.* 5. Candid. *tom.* 2. *disquis.* 3. *art.* 3. *dub.* 10. Bard. *part* 2. *tract.* 6. *cap. n.* 79. Leand. *tom.* 5. *tract.* 2. *disp.* 17. *q.* 93. & alii, quos refert.

24. Respondeo secundò: Nomine *partis læsæ*, etiam non intelligitur fiscus, nec Ecclesia, nec etiam notarius si ipso jure vel ex sententiâ, aliqua pars pecuniarum illis sit applicanda. Quia non sunt pars læsa, sed illa tantùm persona, cui immediatè injuria facta est in delicto. Sic Henriq. *l.* 13. *cap.* 28. *n.* 1. Leand. *proximè* Tambor. *l.* 5. *de panit. tract. de casib. reserv. cap.* 12. § 4. *n.* 13. & *tract. de Bull. cap.* 11. §. 7 *n.* 2. Lezan. *tom.* 3. *verb. Bulla Cruciatæ n.* 32. *in fine.*

25. Majus dubium est: An si pars læsa sit aliquis religiosus, aut clericus sæcularis, satisfactio præstanda sit tantùm ipsi religioso, seu clerico, sæculari; an etiam ipsius Ecclesiæ, ratione illius clerici percussi, & ratione religiosi, ipsius monasterio, vel ejus superiori? Respondeo: satisfactionem esse impertiendam etiam Monasterio ratione religiosi, & Ecclesiæ ratione clerici opinantur Bonac. *disp.* 2. *de cens. q.* 4. *punct.* 5. *n.* 5. Riccius *in. decis Curiæ Archiepisc. Neapol. part.* 1. *decis.* 86. *n.* 4. *& part.* 3. *decis.* 34. *n.* 3. Ubi asserit, sic fuisse decisum contra quemdam percussorem cujusdam conversi; qui satisfecit, & Abbati; & converso percusso. Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 12. *vers. obiter nota.*

26. Probari potest; quia injuria clerici, vel monachi, etiam censetur facta ipsi Ecclesiæ, & Monasterio *ex l. in personam ff. de factis*, ut ubi, id notant Gomes *l.* 3. *variar. cap* 6. *n.* 5. & alii: ergo etiam ad hæc debet extendi satisfactio. Unde reliquunt prædicti authores; eum, qui, cùm possit, non satisfacit Monasterio, vel Ecclesiæ; sed soli Monacho, vel clerico, non posse virtute Bullæ, ab excommunicatione absolvi. Hæc autem satisfactio, hoc modo, exhibenda est à pœnitente (ait Bonac. *cit.*) subjiciendo se humiliter confessario absolventi, & dicendo; separatum esse ad acceptandam pœnitentiam, cum juramento obediendi Ecclesiæ, & nunquam in futuram clericum percutiendi.

27. Alii dicunt satis esse satisfacere tantùm Monacho, vel Clerico, percusso: Ita Avil. *de censur. p.* 2. *cap.* 7. *disp.* 3. *dub.* 11. *conclus.* 2. Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 23. Bossius. *de jubil. sect.* 1. *cas.* 21. *n.* 4. Bard. *part.* 2. *tract.* 6. *cap.* 2. *n.* 80. Leand. *tom.* 4. *tract.* 2. *disp.* 17. 9. 94. Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 7. *disp.* 2. *n.* 317. Elcobar. *in theol. morali, tom.* 1. *l.* 7. *n.* 631. Tambor. *l.* 5. *de panit. tract. de casib. reserv. cap.* 12. §. 4. *n.* 14. & apud ipsum Verricell. *tract.* 8. *q.* 20. *n.* 8. Probatur; quia licèt in percussione Monachi, vel Clerici, etiam fiat injuria Monasterio, vel Ecclesiæ; sit tamen minus principaliter: & quando injuria fit alicui privato principalius; bono verò communi, minus principaliter; si privato satisfiat, vel ipse condonet; censetur etiam bono communi satisfactum; ut tenet Navarr. *in man. cap.* 18. *n.* 46. & probatur ab aliquibus, *ex cap. Quamvis pactum de pact in* 6. *adiunctâ Glos. ibidem.* Et hujus ratio est, quia sicut læsio refunditur in bonum commune, quando fit alicui particulari; ita etiam satisfactio facta privato, censetur, & refunditur in bonum commune.

28. Ad fundamentum contrarium respondent in juriam factam clerico, vel Monacho, etiam censeri factam ipsi Ecclesiæ, vel Monasterio minus principaliter; principalius verò censeri factam ipsi clerico, vel Monacho. Unde sicut injuria ex clerico, vel ex Monacho, redundat in Ecclesiam & Monasterium; ita etiam satisfactio.

29. Quamvis hæc sententia sit satis probabilis, existimo esse conciliandam cum relatâ *n.* 25. hoc modo: si satisfactio facienda sit in honore, & pecuniis monachi læsi; Monasterio autem ratione pecuniæ. Quia Monasterium & non Monachus eam acquirit pecuniam satisfactionis. Et in hoc sensu existimo intelligendos esse Bissium, dum asserit in Curiâ Archiepiscopatus Neapolitani, decisum fuisse, satisfactionem esse faciendam Monasterio, & converso percusso: Monasterio, inquam, ratione satisfactionis pecuniæ, Monacho verò ratione injuriæ, nempe honoris læsi; & Navarr. *in man. cap.* 14. *n.* 25. asserentem, non posse uxorem, & filiumfamilias, nondum emancipatum, & religiosum, remittere injurias, invito marito, patre, & superiore; quia hoc debet intelligi, de injuriis, quæ pecuniis satisfiunt, in quibus uxor administrationem, & filiusfamilias non emancipatus, & religiosus dominium non habent; & cùm remissio pecuniæ sit in damnum mariti, parentis, & monasterii ab his læsis fieri non potest. Possunt tamen remittere injuriam ratione honoris, & famæ; nam in his primò, & principaliter dominium habent. Et hoc intelligo non solùm in foro conscientiæ, ut admittunt. Avila & Bard. sed etiam in foro externo, ut probat dicta ratio; & negant hi authores si verò satisfactio, in pecuniis; non sit facienda; tunc probabiliorem existimo sententiam Avilæ, & aliorum *n.* 27. *adductam.*

SECTIO

SECTIO III.

An absolutio ab excommunicatione virtute Bullæ Hispanæ præstita, parte satisfactâ, prosit pro foro externo.

30. Hanc quæstionem propono, juxta textum Bullæ Hispanæ, de quâ communiter tractant Authores, in sequenti sermone erit de Bullâ Lusitanâ, quæ cum Hispanâ in textu non convenit. Et juxta Bullam Hispanam, prodesse absolutionem ab excommunicatione, pro utroque foro, parte realiter satisfacta, docuerunt plures D. D. Rodrig. *in Bull.* §. 9. *n.* 56. Medin. *in instruct. confessariorum l.* 1. §. 7. *& l.* 2. *in fine*, Joan. à Cruce *in direct. confesient. part.* 2. *tract. de excomm. dub.* 5. *conclus.* 3. Ugolin. *de censur. tab.* 1. *cap.* 10. §. 4. *n.* 5. Bobadill. *in suâ politicâ l.* 2. *cap.* 19. *n.* 46. Vega. *in summ.* 1. *part. cap.* 6. *cas* 52. Garcia. *de Benef.* 2. *cap. cap. n.* 55. omnes apud Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *de Bull. Cruciatæ punct.* 9. §. 5. *n.* 8. Trullench. *in expos. Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 9. *n.* 4. Bonac. *tom.* 1. *tract. de cens. disp.* 1. *q.* 3. *punct.* 10. *n.* 2. Soar. *de Censur. disp.* 7. *sect.* 5. *n.* 21. Condit. *tom.* 1. *disquis.* 22. *art.* 54. *n.* 2. Idem ut probabile defendit Leand. *tom.* 4. *tract.* 2. *disp.* 17. *q.* 97. & ultra citatos refert pro eodem asserto Navarr. Henriq. Ægidium Filliuc. & Basilæum. Huic etiam assentiunt Mend. *in Bullam disp.* 25. *cap.* 14. *n.* 152. *expresse &* 154. Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 3. *singul.* 20. *& tom.* 2. *tract.* 3. *singul.* 1. *n.* 5. *&* Escobar *in suâ Theolog. moral.* 2. 7. *problemat.* 41. licet ipse Mend. in tract. appendic. *disp.* 5. *cap.* 9. *n.* 109. asserat se *in cit. cap.* 14. oppositum asseruisse; sed tantùm addidisse se assentire opinioni D. D. ibi ab eo citatorum.

31 Probat Leand. ex aliis hanc resolutionem primò, quia Bulla sine restrictione fori concedit facultatem absolvendi à censuris & cum hoc privilegium sit favorabile, est ampliandum. Secundò à jubileo per B. Pium V. concessa, anno domini 1568. & aliis per Gregorium XIV. in quibus expresserunt absolutionem à censuris non prodesse in foro teriori, nisi parti satisfecerint, aut cum eâ concordaverint. Tertiò, quia Const. diœcesis Salmanticensis explicat, quòd Bullæ absolutio valet, etiam pro foro externo. Quartò, quia absolutio virtute Bullæ Regno Portugaliæ concessæ, valet pro foro externo, à censura lata à jure; ergo virtute Bullæ Hispaniæ concessæ valebit pro utroque; quia in ea non apponitur limitatio.

32. Alia media via incedit Ludovic. à Cruce *in Bull. disp.* 1. *cap.* 4 *dub.* 3. *n.* 9. de cens. si absolutio detur in foro conscientiæ ab excommunicatione occulta; & postea deducatur ad forum contentiosum; in eo foro externo proderit; si de illa absolutione constet; & sic liberabit reum ab aliis pœnis.

33. Communiter tamen docent D. D. tam juristæ, quam Thologi, absolutionem virtute Bullæ Cruciatæ non prodesse pro foro externo, & judiciali. Ita Covarr. *l.* 2. *variar. resol. cap.* 10. *n.* 5. *& 6. & cap. alma mater part.* 1. §. 11. *n.* 26. Molin. *tom.* 4. *de just. disp.* 64. *n.* 10. Sanch. *l.* 6. *decal. cap.* 17. *n.* 43. Sayr. *de cens. lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 31. Lezan. *tom.* 3. *verb. Bulla Cruciatæ n.* 27. Gasp. Hurt. *de excomm. disp.* 15. *difficult.* 4. Henriq *lib.* 7. *cap.* 13. *n.* 2. *in fine*, Avil. *part.* 2. *cap.* 7. *disp.* 3. *dub.* 12. Gutierr. *q. q. Canon cap.* 2. Ledesm. *part.* 4. *q.* 26. *articul.* 1. *dub. ult.* Sot. Cordub. Mexica Villal. Lopes, Machado, quos citat. Leand. *ubi supra*, quibus adde Dian. 1. *part. tract.* 11. *resolut.* 26. *& part.* 5. *tract.* 9. *resolut.* 13. *& part.* 11. *tract.* 2. *resolut.* 62. Escobar. *tom.* 1. *lib.* 7. *n.* 203. Bard. *in Bull. part.* 2. *tract.* 6. *cap.* 5. *n.* 8. Castr. Palao *supra* Tambor. *lib.* 5. *de panit. tract. de casib. reservatis cap.* 12. §. 5. *n.* 35. Gibalin. & alios, quos citat.

34. Hæc assertio variis à D. D. stabilitur fundamentis. Ego breviter illam probo primò ratione; quia intentio S. Pontificis concedentis in Bulla absolutionem à censuris, est, ut fideles pura conscientia possint recipere Sacram Eucharistiam, & consequi indulgentiam: sed ad hoc sufficit absolutio pro foro interno: ergo hæc tantùm facultas illis conceditur.

35. Secundò probatur; quia sic definitum est ab Urbano VIII. in constit. 105. alias 48. edita anno Domini 1630. die 19 Junii, quæ habetur apud Cherub. *tom.* 4. *fol.* 63. & incipit. *In speculâ militantis Ecclesiæ*, in qua declarat S. Pontifex, absolutionem datam, etiam à reservatis in Cœna Domini, non suffragari, nisi in foro conscientiæ, non autem in foro externo: ergo omnis alia opinio, nequit practicari.

36. Ad hanc probationem, respondet Leand. *supra cit.* ore pleno primò, negando, sententiam hanc esse definitam ab Urbano VIII. quia solùm definivit, quòd à Clemente VIII. fuerat definitum, nempe: non posse Regulares, sine licentia proprii Prælati, uti Bulla Cruciatæ, ad eligendum confessarium, qui eos à reservatis possit absolvere. Et hunc fuisse finem totalem, & intentum à S. Pontifice, & non oppositum suæ sententiæ; licèt incidenter hæc verba intexuisset: *Concessionem S. Cruciatæ, (quæ respectu facultatis hujusmodi, etiam laicis, & clericis secularibus, cujuscunque status, gradus, & qualitatis, & conditionis, etiam speciali notâ digna, quoad casus reservatos, etiam in Bullâ Cœnæ Domini, hæresi exceptâ, contentos; non nisi in foro conscientiæ, non autem in foro externo, suffragatur) aliorumque indultorum hujusmodi.* Per hæc autem verba non definit S. Pontifex, ut verum, quòd absolutio à censuris virtute Bullæ Cruciatæ, non suffragari potuisse, nec posse pro foro externo, ut constat; sed asserit, quòd non suffragatur; loquendo primò in opinione probabili authorum, qui id affirmant. Secundò loquendo in casu, quo pars læsa satisfacta non sit, quo sensu loquuti sunt Pontifices *supra* relati.

37. Secundò respondet Leand. hanc constit. non fuisse saltem in Hispania, receptam; eo quòd de illa fuerit supplicatum eidem S. Pontifici, per commissarium Generalem S. Cruciatæ demandato Regis Philippi IV. ut dixerat *1. part. tract.* 5. *disp.* 12. *q.* 58. *& 61.* Unde standum est declarationi B. Pii V. & aliorum SS. Pontificum.

38. Hæ tamen rationes Leandri non convincunt; non prima, quia licèt ea verba declaratoria absolutionis, etiam à reservatis, non suffragari, nisi in foro conscientiæ fuissent incidenter, per transennam, & parenthesim à S. Pontifice dicta, non tollunt obligationem, quam inducunt; & sic debebant esse in textu, quando alia erat intentio Pontificis; quia hoc modo, & per transennam occurrit opinioni, quæ in oppositum versabatur.

39. Nec etiam secunda oppositum suadet: Quia de illâ supplicatione non constat authenticè; & illâ admissâ propter authoritatem tanti viri, non suffragatur probabilitati prædictæ opinionis; quia fuit supplicatio facta post decretum Urbani publicatum; quo tempore jam obligabat, & non obtinuit illius revocationem; quia si illam obtinuisset commissarius illam propalaret.

40. Quare, post prædictum decretum existimo non esse probabile, absolutionem à censuris virtute Bullæ Hispaniæ concessæ, prodesse fidelibus pro foro externo, & judiciali: Sive Censuræ sint à jure, sive ab homine; sive pars sit satisfacta sive non. Et ita præter D. D. *supra n. 33. citatos* tenent Fr. Joan. Martinos de Prado *tom. 1. Theol. moral. cap. 6. q. 7. §. 4. n. 18. & 19.* apud Mendo in appendice *proximè citatum* Galleg. *in Bull. cap. 9. dub. 114.* quem refert, & sequitur Dian. *part. 11. tract. 2. resolu. 62.*

41. Nec fundamenta allata *n. 31.* aliud suadent; non primum quia S. Pontifex concessit absolutionem à censuris, ut fideles possint recipere Eucharistiam, & lucrari indulgentiam, ad quod sufficit absolutio pro foro conscientiæ. Ad secundum dico, quidquid sit de illis jubilæis, ab ipsis S. S. Pontificibus concessis: Nam ex eâ concessione fit ad argumentum in oppositum virtute Bullæ; in quâ id non exprimitur; imo declaratur ab Urbano VIII. Non suffragari absolutionem pro foro externo. Ad const. Diœcesis Salmanticensis respondetur; non habuisse illos P. P. Notitiam decreti Urbani: Quia Henriq. *l. 7. cap. 19. n. 2. litt. V.* Ubi de illâ mentionem facit ante hoc decretum scripsit. Ad quartum dico, non valere argumentum à Bulla, quæ Lusitaniæ conceditur; nam hæ Bullæ Lusitaniæ, & Hispaniæ, in privilegiis non semper conveniunt; ut ex decursu hujus operis apertè constat. Et de hoc constabit *sect. sequenti.*

SECTIO IV.

An absolutio à censuris, virtute Bullæ Cruciatæ Lusitaniæ concessæ, prosit pro foro externo.

42. Sectione præcedente hanc quæstionem tractavimus juxta Bullam Hispanam, de qua agunt illius expositores: & licèt ex ils, aliqui de Lusitaniâ mentionem fecerint; id non sine aliqua deceptione egerunt; quia Sebastianum à Costa de Andrade attentè non legerunt; (qui tantùm hanc nostram Bullam exposuit.) Et quamvis illum citent, & testentur illum legisse; ea quæ de illo referunt, ostendunt, id inadvertenter fuisse; ut ex dicendis patebit.

43. Inquirimus ergo: An virtute Bullæ Cruciatæ Portugaliæ concessæ valeat absolutio à Censuris pro foro externo? Respondeo, cum distinctione: Valere, si absolutio sit præstita à Censuris à jure latis; secus dicendum, si sint ab homine latæ. Ita Sebastianus à Costa *q. 50. vers. mihi verò fol. 103.* malè cit. à Soar. Lulit. *de panit. tract. 7. disp. 2. n. 309.* Dum absolutè, & sine distinctione asserit, hunc Doctorem docere absolutionem à censuris, virtute Bullæ solùm valere pro foro conscientiæ, quam sententiam ipse Soar. Lulit. sequitur; non considerans discrimen à Bulla Hispana, quod datur in Bulla Lusitana; quod notarunt ipsimet Expositores Hispani. Idem nostrum assertum tenet. Abrev. *de Paroch. l. 10. n. 540. in fine.*

44. Probatur ex ipsa Bulla Latina, concessa à Gregorio XIV. anno 1591. Die sexta Aprilis, & à successoribus, usque ad præsens tempus extensa, & prorogata; in qua post eadem verba, quæ in substantia dantur in Bulla Hispana hæc dantur: *In casibus tamen, in quibus satisfactio necessaria fuerit, ea vel per seipsos, vel eis impedito, per heredes, aut alios fieri debeat.* Hispana autem sic habet: *Modò in casibus, in quibus necessaria erit, per ipsos, vel dato impedimento, per heredes, aut alios satisfactio fiat.* En coherentia utriusque Bullæ. At disconveniunt statim; quia Bullæ Hispanæ non additur expositio; additur verò Bullæ Lusitanæ, hoc modo: *Declarantes, absolutiones vigere præsentium, satisfactâ parte, faciendas ab excommunicationibus, & aliis censuris Ecclesiasticis ab homine latis, & ferendis, nemini omnino, sive Ecclesiastico, sive laico, in foro judiciali prodesse; sed eum tandiu excommunicatum ubique, ab omnibus nihilominus reputari. Nec si Sacerdos, presbyter, aut aliàs in sacris ordinibus constitutus fuerit, nullibi missam celebrare, aut aliàs se sacris immiscere posse donec is à suo judice, absolutionis beneficium ab huiusmodi censuris meruerit obtinere:* Cùm ergo S. Pontifex declaret, absolutionem ab excommunicationibus, & aliis censuris ab homine latis, & ferendis, non prodesse in foro judiciali; consequenter declarat, absolutionem ab excommunicationibus, & aliis censuris à jure latis, & ferendis, prodesse pro foro judiciali.

45. Quod ostendo primò; quia si consequenter non declararet, valere absolutionem à censuris à jure, pro foro externo; facilè etiam, in eâ declaratione, includeret censuras à jure, sicut declaravit de censuris ab homine: Sed censuras à jure, in ea declaratione, non includit: Ergo ab illa eas excludit.

46. Secundò, quia exceptio circa censuras ab homine firmat pro absolutione à censuris, quæ sunt à jure, in ordine ad hoc, ut prosint absolutiones in foro externo, aliter non debuisset S. Pontifex de illis, quæ sunt ab homine, tantùm sermonem facere.

47. Hanc resolutionem probat etiam A Costa, ex declaratione facta à B. Pio V. circa illum jubilæum, de quo mentionem fecimus *sect. præcedente n. 31.* Sed illi supersedeo, quia illam declarationem, non reputo efficacem; quia est ad casum diversum; & sufficiunt verba nostræ Bullæ Latinæ, quæ satis manifestant facultatem absolvendi à censuris à jure pro foro exteriori prodesse.

48. Dices: per const. Urbani VIII. *sectione præcedente* citatam declaratur; absolutionem virtute Bullæ à reservatis, etiam in Bullâ Cœnæ contentis, non nisi in foro conscientiæ, non autem in foro externo suffragari: Ergo si per Bullam Cruciatæ Portugaliæ concessam absolutio à censuris à jure suffragabatur pro foro externo, post const. Urbani VIII. jam non suffragatur. Respondeo primò, declarationem Urbani VIII. non extendi ad Bullam Portugaliæ concessam; sed

sed loqui de Bullâ Hispanâ; quia in ea declaratione posita in parenteli, ponuntur hæc verba: *Etiam in Bullâ Cœnæ, hæresi excepta.* quæ sunt Bullæ Hispanæ; in quâ excipitur hæresis tantùm: At in Bulla Lusitana non solùm hæresis, sed etiam alii Bullæ Cœnæ casus excipiuntur, ut vidimus, *disputatione præcedente*, in ultimis decem, vel octo sectionibus.

49. Respondeo secundò; quia non præsumitur Urbanum declarare in Bulla Lusitana, quod à prædecessore Gregorio XIV. et successoribus usque ad ipsum Urbanum VIII. fuerat declaratum in ipsâ Bullâ plumbea; & etiam ab eodem Urbano VIII. cùm illam Portugaliæ concessit: Cùm verò ea declaratio deficiat, in Bulla Hispana, & non in Lusitana, de illa, & non de ista, intelligenda est ea nova Urbani declaratio.

50. Respondeo tertiò; quamvis enim demus, quod dicta Urbani declaratio extenderetur ad Bullam Lusitanam, jam non haberet vim: quia mortuo Urbano à successoribus, & à sanctissimo Innocentio XI. nunc regnante, in extensione, & prorogatione ab eodem concessâ, eadem extenditur, ac prorogatur declaratio, quam Gregorius XIV. primò posuerat, cum eâdem amplitudine, & derogatoriis, quæ in ipsâ Bullâ continentur; & sic censetur illa Urbani declaratio, per successores derogata, per alteram declarationem, in Bullâ Lusitanâ appositam: ut in simili docent Henriq. *l. 6. cap. 10. in Comment. litt. K.* Ludovic. à Cruce *in Bull. disp. 1. cap. 4. dub. 6. n. 7. & seqq.* Trullench. *ibidem l. 1. §. 7. cap. 2. dub. 8. n. 5.* Rodrig. *in addit. ad §. 9. n. 57.* Quos refert Bard. *part. 2. tract. 6. cap. 1. n. 129. & 130.* & sequitur *n. 131. & seqq.*

51. Nota tamen, Bard. *cit. dicto tract. 6. cap. 5. n. 5.* Asserere, Sebastianus à Costa nostram probare resolutionem, ex Bulla concessâ à B. Pio V. anno 1571. die 6. Aprilis pro Regno Portugaliæ. Quod asserum non est verum, quia A-Costa, illam probat, ex verbis Bullæ Gregorii XIV. Portugaliæ concessæ; & ex declaratione, pro quodam jubilæo, dato 15. Kalendas Novembris. anno Domini 1468. à B. Pio V. De quo *supra n. 31.* Facta est mentio. Verba autem ipsius Sebastiani à Costa sic habent, *dicta q. 50. vers. Prima sit.: Quod, virtute Bullæ, absolutio facta à Censuris à jure latis, valet etiam in foro exteriori; quod probari potest, ultra allatas rationes, & declarationem Pii V.* (*Quam* in principio quæstionis retulerat) *ex verbis etiam nostri Romani Pontificis, ibi ab homine latis*, nempe: à Gregorio XIV. Et non à Bulla concessa per B. Pium V. Huic Portugalliæ Regno; nam illi nullam Cruciatam concessit; quæ à successoribus prorogatur, aut extendatur. Undè miror, virum diligentissimum, & doctissimum sic citasse hunc authorem. Addit tamen *n. 13.* Se non curare, respondere ad assertum Sebastiani à Costa, quia solùm loquitur de Bullâ, quæ de facto Hispanis conceditur; in quâ non sunt prædicta verba, quæ in Bulla Lusitaniæ concessâ reperiuntur.

SECTIO V.

Quomodo probare debeat absolutus à censuris à jure fuisse absolutum.

52. Cæterum ad plenam expositionem declarationis appositæ à S. Pontifice in Bullâ Lusitanâ; juxta quam dictum est, absolutionem à censuris à jure latis valere pro foro exteriori, & judiciali. Quæres primò: Quomodo probabitur, pœnitentem fuisse absolutum virtute Bullæ à censurâ à jure latâ; ut judex pro foro exteriori credere teneatur? Respondeo, dissidium esse inter authores.

53. Prima sententia tenet sufficienter probari, si pœnitens, satisfactâ parte, & virtute Bullæ, absolutus, accipiat à confessario schedulam, in quâ ipse confessarius testetur, se illum pœnitentem virtute Bullæ, absolvisse, satisfactâ parte. Ita Medina *in instruct. confess. cap. 12. in fine.* Rodrig. §. 9. *n. 55.* Illustriss. Fr. Anton. à Spiritu S. *In direct. confess. tract. 12. n. 235.* A Costa *dict. q. 50. in quâ vers. prima sit*, asserit hoc Consilio se liberasse duos præsbyteros; qui in se ad invicem manus violentas injecerunt; & cùm post aliquos menses, promotor Ecclesiasticus illos accusaret; & pœnas excommunicatorum exigeret; ostensâ schedulâ, & censuram latam, & absolutam fuisse à jure: officialis Diœcesanus sententiam protulit, illos fuisse legitimè absolutos; nec irregularitatem incurrisse, missam celebrantes.

54. Secunda sententia asserit, non sufficere dictam schedulam: quia testimonium confessarii in judicio forensi non admittitur, cùm sit judex, pro foro conscientiæ constitutus, & non pro exteriori. Ita Ledesm. 1. *part. 4. q. 26. art. 1. col. penult.* Guttier. *q. q. canon. l. 1. cap. 2. n. 17.* Quare Rodrig. mutans sententiam *in addit. ad §. 9. 51.* Idem asserit; additque adducendos esse duos testes, qui absolutioni interfint, ut de illâ testificari possint.

55. Tertia sententia sit Navarr. *l. 5. consil. tit. de sent. excommun. consil. 26.* Docentis, non sufficere dictam schedulam; nec etiam esse tutum, adducere testes, qui absolutioni excommunicationis, interfint, quæ frequenter datur in Sacramento confessionis: asseritque, Confessarium post absolutam confessionem debere tradere schedulam pœnitenti coram notario, & testibus; in quâ dicat, se absolvisse virtute Bullæ, satisfactâ parte, illum pœnitentem, v. g. Petrum à tali censurâ; & notarius in fine schedulæ testari debet, eum pœnitentem, v. g. Petrum, à tali confessario fuisse absolutum tali tempore, die, & loco; & ad illius absolutionis fidem, illam fuisse datam schedulam. Hanc sententiam approbat Soar. *tom. 5. de cens. disp. 7. sect. 5. n. 26.* Mascard. *de probat. tom. conclus. 12.* Mend. *disp. 25. n. 155.*

56. Quarta demum sententia autumat, sufficere fidem, seu testimonium confessarii; ut judex teneatur credere, & si absolutio data fuerit, intra sacramentum pœnitentiæ; facultatem ab ipso pœnitente obtinere debet ipse confessarius; ut testimonium ferre possit. Ratio est, quia confessarius, hâc habitâ facultate, non est incapax testificandi in favorem pœnitentis in foro externo. Ita Soar. *proximè dicto n. 26. & 28.* Henriq.

l. 7. cap. 13. n. 2. apud Trullench. *in Bull. l. 1. §. 7. cap. 2. dub. 9. n. 3.* Castr. Palaus *tom. 4. tract. 25. punct. 9. §. 5. 12.* quam etiam refert Dian. *part. 11. tract. 2. resol. 62.* non approbans, nec reprobans. Eandem tenent Ludovic. à Cruce *disp. 1. cap. 4 dub. 3. n. 10.* Bard. *part 6. tract. 6. cap. 5 n. 21.* addit tamen non esse usu receptum: loquitur verò juxta Bullam Hispanam, quam explicat.

57. Omnes hæ sententiæ sunt utiles ad utendum privilegio Bullæ Lusitanæ. Prima est facilior. Secunda, dum asserit adducendos esse duos testes, qui absolutioni interfint, juxta nostram Bullam, non est admittenda; quia hæc absolutio non confertur, extra Sacramentum; ut *infra* videbimus. Quarta est sufficiens; tertia verò sufficientissima. Attamen non sufficit testimonium ipsius pœnitentis, etiam si fide sit dignus, nisi attentâ qualitate, & conditione, ut existimetur verum dicere. Quod non improbabile reputat Ludovic. à Cruce *proximè*; licet Bardi, *ubi supra*, dicat, non esse usu receptum; & non obstante proprio testimonio, judicem contra illum procedere posse. Sed jam notavi hunc authorem loqui juxta Bullam Hispanam, quam, ut asseris, suscepit declarandam, & non Lusitanam.

57. Quæres adhuc: An judex teneatur hujusmodi absolutionem acceptare; & liberum reputare pœnitentem; qui testimonio confessarii, vel juxta prædictas sententias, credit esse absolutum, virtute Bullæ, & satisfactâ parte? Respondent communiter D. D. juxta verba Bullæ Hispanæ, in quâ dantur eadem verba, quæ in Bullâ Lusitanâ, (ut in principio hujus sectionis notavimus) posse licitè judicem, eam absolutionem acceptare, non tamen ad id teneri. Prima pars est communis inter authores, etiam illos, qui sustinent non valere pro foro externo. Et probatur, quia parte realiter satisfactâ, nullum sequitur damnum tertiæ personæ; & sunt Doctores, qui docent prodesse pro foro externo, & contentioso: ergo licitum est judici, eam absolutionem pro foro externo acceptare. Sic docent Henriq. *l. 7. cap. 13. n. 2. lit V.* Medin. Rodrig. A Cost. *supra cit.* favent Decius Paul. Paris. Bartol Ferrar. Simancas Felin. Ægid. Avil. Layman, Trullench. quos refert, & sequitur Leand. *tom. 4. tract. 2. disp. 17. q. 99.* secunda pars ostenditur; quia Doctores communiter docent, non prodesse absolutionem, satisfactâ parte, pro foro externo, & contentioso: ergo judex potest se illi conformare, & non acceptare illam absolutionem. Sic Bard. *part. 2. tract. 6. cap. 5. n. 14.* Leand. *cit.* Dian. *part. 5. tract. 9. resolut. 13.* Mend. *disp. 25. n. 157.* Hæc juxta Bullam Hispanam.

56. At juxta Bullam Lusitanam, respondeo cum distinctione: Si absolutio fuit à censuris à jure latis, satisfactâ parte, teneri judicem, absolutionem, pro foro externo acceptare; quia ut vidimus *supra* ea absolutio virtute Bullæ pro eo foro valet; ergo si judex non tenetur absolutionem hanc acceptare, nihil proderit declaratio factâ à S. Pontifice. Ita A Cost. *cit.* magis hoc supponens; quam in dubium revocans. Et tenent juxta Bullam Hispanam Valer. *verb. absolutio differ. 2. n. 4.* Trullench. *in Bull. l. 1. §. 7. cap. 2. dub. 10. n. 10.* loquentes de absolutione, virtute Bullæ Cruciatæ Hispaniæ, sive sit à censuris à jure, sive ab homine latis. At si absolutio sit à censuris ab homine latis, & satisfactâ parte non prodest absolutio, pro foro externo; quia S. Pontifex, in prædictâ declaratione, expressè asserit non valere, ibi: *nemini omnino, sive Ecclesiastico, sive laico, in foro judiciali, prodesse*: recurrendum ergo est ad judicem, ut pro foro externo absolutionem à censuris ab homine præstet. Ita A Cost. *dict. q. vers. ultima resolutio.*

60. Cæterum hic Doctor post hanc ultimam resolutionem, duas ponit limitationes, circa absolutiones à censuris ab homine latis, dandas virtute Bullæ. Prima est quando excommunicatus est distans à judice: nam tunc valebit absolutio pro foro externo: ita ut possit celebrare: dummodo publicè significet, se virtute Bullæ fuisse absolutum. Secunda, quando duo judices delegati, se ad invicem excommunicarunt; nec habent superiorem, nisi distantem, à quo absolvantur: possunt enim, inquit, virtute Bullæ absolvi. Et ut scandalum vitetur, significare populo, se virtute Bullæ fuisse absolutos: licèt addat, illos interim debere à S. Pontifice procurare absolutionem; & securius, & laudabile, si ad cautelam se ad invicem absolvant.

61. Hæc tamen, quoad absolutionem virtute Bullæ pro foro externo, non admitto; quia sunt expressè contra declarationem à S. Pontifice in Bulla factam; nam licèt id à Doctoribus concedatur pro foro conscientiæ; ut *infra* videbitur; pro foro externo, id negant; quia excommunicatus facultatem non habet, ut contra verba Pontificis declaret absolutiones, virtute Bullæ, à censuris ab homine latis, pro foro externo, valere.

SECTIO VI.

Quam utilitatem conferat absolutio ab excommunicatione virtute Bullæ in foro Conscientiæ?

62. EX sectione præcedente constat, absolutionem à censuris, à jure latis, prodesse posse pro foro externo; non tamen à censuris latis ab homine. Imo ex ipsâ S. Pontificis declaratione, in ipsâ Bullâ insertâ patet, ligatum excommunicatione ab homine, absolutum virtute Bullæ ab omnibus debere reputari excommunicatum; ita ut si sacerdos fuerit, aut in sacris ordinibus constitutus, nullibi missam celebrare, aut aliàs sacris se possit immiscere; donec à suo judice absolutionis beneficium mereat obtinere. Inquirit igitur præsens quæstio: An in aliquo prodesse possit hæc absolutio pro foro conscientiæ?

63. Ut tamen respondeam, advertendum est excommunicationem, vel esse occultam, & non deductam ad forum contentiosum, vel jam ad hoc forum deductam: vel esse publicam, non tamen positam in judicio; quia non datur accusator; & judex de eo non curat. Quæ autem excommunicatio dicatur occulta? Vide, quæ diximus *supra disp. 15 sect. 9. in principio.* Hoc supposito.

64. Dico primò: Si excommunicatio est occulta, & excommunicatus virtute Bullæ absolutus, ab illâ, pro foro tantùm conscientiæ, debet se gerere, in omnibus actibus, sive publicis, sive privatis, ac si non esset excommunicatus. Ita Soar. *tom. 5. de censur. disp. 7. sect. 5. n. 24.* Trullench. *l. 1. §. 7. cap. 2. dub. 11. n. 3.* Sà *verb. absolutio. §.*

17.

17. Tambor. *l. 5. de panit. tract. de casibus reserv. cap. 12. §. 5. n. 38. vers. qui igitur, & tract. de Bull. cap. 11. §. 8. n. 5.* Bard. *part. 2. tract. 6. cap. 5. n. 18.* & apud ipsum Navarr. *tom. 2. Concil. de sentent. excomm. Concil. 47. n. 3.* Henriq. *in sum. l. 8. cap. 6. n. 4.* Alterius *de cens. tom. 1. disp. 4. lib. 4. cap. 4. vers. Respondeo, hanc rationem,* Bonac. *de cens. disp. 1. q. 3. punct. 10. n. 4.* Zaym. *l. 5. tract. 5. part. 1. cap. 7. n. 7.* Præpositus *in 3. part. q. 1. de censur. dub. 14. n. 100.* Ludovic. à Cruce *in Bullam disp. 1. cap. 4. dub. 3 n. 9* Escobar. *tom. 1. theolog. moral. l. 7. n. 205.* ubi refert sex utilitates, quas habet absolutus virtute Bullæ, pro foro conscientiæ; & alii, qui generaliter loquuntur de absoluto pro foro conscientiæ, tam virtute Bullæ, quam jubilæi, aut alterius privilegii.

64. Ratio est, quia quando aliquis est occultè excommunicatus, apud Deum est duntaxat excommunicatus; & non apud homines: ergo cùm absolvitur virtute Bullæ apud Deum manet absolutus; & cùm non sit apud homines excommunicatus; cessat scandalum, & præjudicium jurisdictionis alterius; quæ darentur, si excommunicatio non esset occulta.

65. Dico secundò: Si tamen post dictam absolutionem, pro foro conscientiæ obtentam, manifestetur ipsa excommunicatio, & absolutus aliquos exercuisset actus excommunicatis prohibitos, v. g. se sacris immiscendo, vel celebrando missam; & judex velit illum punire; necesse est, ut absolutus probet duo: primum excommunicationem ab homine latam, fuisse occultam: secundum, se ipsum pro foro conscientiæ, fuisse absolutum; quod efficiet per schedulam, vel testimonium ipsius confessarii, modo *supra* explicato, *Sect. præcedente.* Et sic pœnas à judice vitabit. Sic docet Bard. *ubi supra n. 19.* At si ea excommunicatio occulta, à qua fuit pro foro conscientiæ absolutus, erat lata à jure, illi deservire poterit absolutio pro foro exteriori, juxta ea, quæ diximus juxta nostram Bullam *sect. 4. à n. 44.*

Dico tertiò: Si excommunicatio non erat occulta, nec lata à jure, sed ab homine, & ab illâ fuit absolutus, pro foro conscientiæ; non potest hic absolutus, cum aliis communicare, nec exercere actus excommunicatis interdictos; ac proinde in omnibus se gerere debet tanquam excommunicatum. Ita declaratio in Bulla posita, ibi: *sed cum tandiu excommunicatum ubique, & ab omnibus nihilominus reputari; & si presbyter sit, nullibi missam celebrare.*

68. Dico quartò: Quanvis absolutus virtute Bullæ ab excommunicatione publica ab homine, pro foro conscientiæ, sive laicus, sive sit Ecclesiasticus, videatur non posse se immiscere divinis, nec si presbyter sit, celebrare; nec etiam in loco secreto, & occulto; quia distinctiones *ubique & nullibi* in declaratione S. Pontificis *n. 44.* allatæ, id videntur prohibere; quia dictio *ubique* cùm sit universalis, comprehendit omnem locum, etiam occultum, & secretum: ut videre est apud Barbos. *tract. de dict. usu frequent. dict. 413. n. 2.* & dictio *Nullibi* cùm etiam sit universalis, & negativa, excludat omnem locum, etiam occultum, & secretum: Attamen existimo, illas dictiones non esse intelligendas, cum ea universalitate, ut etiam comprehendant prima, nempe, *ubique* locum occultum, & secunda *Nullibi*, eundem locum occultum, & secretum excludat; quia S. Pontifex loquitur de foro externo; ut judicant verba: *in foro judiciali*, & non de interno, & conscientiæ: ergo in hoc foro conscientiæ poterit dictus absolutus in loco secreto, & occulto assistere divinis; & si Presbyter sit, in eo loco celebrare.

69. Moveor primò; quia absolutus, pro foro conscientiæ virtute Bullæ, apud Deum verè est absolutus; & cùm assistat divinis, vel celebret occultè apud homines cessat scandalum. Secundò, quia per eos actus assistendi divinis, & celebrandi in occulto, non videtur contemnere præceptum, & obedientiam superioris, nec ejus jurisdictionem: ergo coram paucis, quibus innotescit absolutio à censura, poterit divinis assistere, & si Presbyter sit, missam celebrare. Hæc tamen patebunt ex dicendis *sect. sequenti.* Et ea docent Expositores Bullæ Hispanæ, in quâ, licèt non detur declaratio S. Pontificis, ut in Bullâ Lusitanâ invenitur; non datur tamen in eâ major ampliatio, circa hoc privilegium quàm in Bullâ Lusitana. Videantur Bard. *supra cit. n. 20. prope finem* Avila *part. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 10. conclus. 4. vers. Primus,* apud Trullench *in Bull. l. 1. §. 7. cap. 2. dub. 10. n. 6* Dian. 1. *part. tract. 11. resol. 26. vers. Sed hæ minimè,* qui nobiscum conveniunt.

70. Dico quintò Presbyter excommunicatus, & virtute Bullæ, in foro conscientiæ absolutus, si publicè, & cum scandalo celebret (in quo peccat mortaliter) non tamen erit irregularis apud Deum; quia apud Deum, non erat excommunicatus; nec etiam re ipsa irregularitatem contraxit: in foro tamen exteriori, & ex rigore juris, pro irregulari reputabitur. Ex æquitate tamen judicis poterit dissimulari; vel, si velit, illum punire. Sic A Costa *dictâ q. 50. vers. secunda resolutio,* Rodrig. *tom. 1. q. q. Regul. q. 61. art. 10. vers. quantùm ad secundum.* Trullench. *in expos. Bull. l. 1. §. 7. cap. 2. dub. 11. n. 5.* & apud ipsum Valer. *verb. absolutio differ. 2. n. 3. vers. quartus,* & alii. Vide etiam Mend. *disp. 25. n. 156.* asserentem, posse judicem, si pars læsa non est, se benignum ostendere; & etiam absolutionem in foro externo admittere, & accusatorem repellere; & plures ibi *citatos* pro hoc asserto.

SECTIO VII.

An virtute Bullæ Cruciatæ possint absolvi nominatim excommunicati, vel publici clerici percussores, aut alius cujus excommunicatio deducta est ad forum contentiosum, lite pendente?

71. PRimo loco propono ea, quæ tractant D. D. agentes de Bulla Hispana; deinceps, quid sit dicendum, juxta Bullam Lusitanam, de qua D. D. non meminerunt. Et circa præsentem quæstionem tres circunferuntur sententiæ.

72. Prima negat, posse nominatim excommunicatum, sive censura fuisset à jure, sive ab homine, validè absolvi, vigore Bullæ pro foro conscientiæ. Illam defendunt Vasq. *tom. 4. in 3. part. dubio 20. n. 8.* Gasp. Hurt. *disp. 14. de excomm. diffic. 5. n. 24.* Turrian. *de censur. l. 2. disp. 24. dub. ult. in fine,* Escobar *in Theolog. moral. tom. 1. l. 7. n. 550.*

73. Secunda sententia tenet posse validè, non tamen licitè absolvi. Ita Ægidius *disp.* 14. *de Sacrament. dub.* 16. *n.* 207. Avila *de censur. part.* 2. *disp.* 3. *dub.* 10. *conclus.* 1. & 2. Sylvestr. *verb. excommunicatio* 2. *dub.* 12. & *verb. Pœna.* §. 18. Rodrig. §. 9. *n.* 58. *in fine* Henriq. *l.* 7. *cap.* 13. *n.* 2. & *in Glos. litt. q.* Valer. *verb. absolutio differens.* 3. *n.* 2. Lopes *cap.* 8. *de Bull. pag.* 837. quos refert, & sequitur Trullench *in Bullam l.* 1. §. 7. *cap.* 2. *n.* 4. Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *punct.* 9. §. 5. *n.* 9. dicentes, pendente lite, esse illicitam absolutionem, nisi forte in loco distanti, ubi censura ignoratur. Quod etiam docet Tambor. *tract. de Bull. cap.* 11. §. 6. *n.* 2. & 3.

74. Probant primò, quia ea absolutio esset scandalosa, utpote quæ jurisdictionis alterius perturbativa. Confirmant, quia idcirco permissum fuit, *in Trid. sess.* 24. *cap.* 6. *de reform.* Episcopis, ut possint dispensare in omnibus irregularitatibus, & suspensionibus occultis; non tamen in deductis ad forum contentiosum. Secundò probant *ex sext. in Extrav. Et si Dominici* 2. *de pœnit. & remiss.* in quo à Sixto IV. decretum fuit, denunciatum, vel publicè diffamatum absolvi non posse; nec etiam virtute Cruciatæ, aut alterius privilegii.

75. Tertia sententia communior, & probabilior tuetur, posse prædictos excommunicatos, satisfactâ parte & validè, & licitè, virtute Bullæ, absolvi. Ita Sanch. *l.* 6. *decalogi. cap.* 17. *n.* 42. & 43. Henriq. *l.* 8. *cap.* 60. *n.* 4. & *l.* 7. *cap.* 13. *n.* 2. & *cap.* 11. *n.* 4. Lesan. *tom.* 2. *verb. Bullæ Cruciatæ n.* 25. *in fine* & alii plures, quos referunt, & sequuntur Dian. 1. *parte tract.* 11. *resol.* 26. Bard. *part.* 2. *tract.* 6. *cap.* 3. *n.* 6. Leand. *tom.* 4. *tract.* 2. *disp.* 17. *q.* 95. & 96. quibus addo Abreum *de Paroch. l.* 10. *n.* 540. Soar. Lusitan. *de pœnit. tract.* 7. *disp.* 2. *n.* 308. Illustriss. S. Anton. à Spiritu *in director. confess. tract.* 12. *n.* 231. cum pluribus, quos ibi allegant Fragos. *tom.* 2. *disp.* 7. *de Bull. Cruciata n.* 11. *vers. probabilius tamen est*, & apud illum Rodrig. mutatus *in addit. ad* §. 9. *Bull. n.* 49 Sot. Angelcs. Polan. & alii. Probatur, quia Bulla Cruciatæ concedit, facultatem absolvendi à censuris, sine aliqua limitatione; & hæc absolutio, cum sit pro foro conscientiæ, non perturbat forum externum; quia judex in illo potest procedere contra excommunicatum, vel suspensum tanquam, si non esset absolutus, pro foro conscientiæ, & interno.

76. Hæc dicta sunt juxta Bullam Hispanam; quæ possunt applicari ad Bullam Lusitanam; cum eâ amplitudine, quæ ponitur in declaratione circa absolutionem à censuris. Quare dicendum est, si censuræ prædictæ sint ab homine latæ satisfactâ parte, illarum absolutio virtute Bullæ, erit valida, & licita pro foro conscientiæ; ut probat tertia sententia: at si censuræ prædictæ sint à jure, illarum absolutio erit valida, & licita, pro utroque foro, ut colligitur ex declaratione facta à S. Pontifice pro Bullâ Lusitanâ, ut dictum remanet *supra sect.* 4.

77 Nec ex hac absolutione pro foro externo perturbatur jurisdictio: quia cùm prædictus excommunicatus, aut suspensus à jure, jam parti satisfecerit, judicii externi perturbatio inde non potest oriri. Et cùm ea declaratio à S. Pontifice non limitetur; nec nos eam limitare debemus; maximè in materiâ favorabili. Quomodo verò excommunicatus, vel suspensus à jure virtute Bullæ absolutus, probare debeat absolutionem collatam fuisse pro foro externo, vide *sect.* 4. *n.* 53.

78. Ad fundamenta, *n.* 74. adducta, quatenus videntur esse contra tertiam sententiam, & contra hanc nostram resolutionem, respondetur: Ad primum enim patet solutio ex probatione tertiæ sententiæ ad illius confirmationem, deductam *ex Concil. Trident.* dicendum est, S. Pontificem voluisse ibi expressè coarctare potestatem Episcoporum; quoad casus Papales publicos, & deductos ad forum contentiosum; & non quoad occultos: at in Bullâ non ponitur ea coarctatio, nec restrictio.

79. Ad secundum desumptum *ab Extravag.* respondeo cum Sanch. *supra cit.* primò; in ea solùm interdici absolutionem criminum deductorum ad forum contentiosum, vi facultatum ab eodem Sixto IV. concessarum; non tamen id disponit de facultatibus, ab aliis Pontificibus concedendis, juxta ea, quæ diximus *dict. sect.* 4. *n.* 50. Secundò respondeo, eam extravagantem cessasse, mortuo Sixto; quia fuit clausula, quasi Bullæ Cœnæ; quæ expirat, defuncto S. Pontifice, vel transacto anno promulgationis: nam Bulla Cœnæ non durat, nisi per annum, & singulis annis est nova.

SECTIO VIII.

An possit quis virtute Bullæ, validè, & licitè absolvi à censuris extra confessionem?

80. AD hanc decidendam quæstionem, asserunt Expositores Bullæ Hispanæ, Bullam à Gregorio XIII. eidem Hispaniæ concessam, in quâ erant hæc verba: *auditis eorum confessionibus &c.* sed cùm hæc Bulla, nec alia, cum similibus verbis, fuerit Portugalliæ concessa; nec quæ hodie Hispaniæ, & Portugalliæ conceditur, ea verba contineat; nulla se offert ratio, cur de illis mentionem faciamus. Quia tamen non parvum datur discrimen inter verba utriusque Bullæ, in concessione hujus privilegii; cuam idem dabitur in resolutione. Propono igitur, quæ dicunt D. D. oppositas sectantes sententias, juxta Bullam Hispanam.

81. Prima est negantium, absolutionem à censuris esse validam, extra confessionem. Illam sequuntur Rodrig. *in Bullam. §. 9. n.* 54. *dict. §.* Vasq. *tom.* 4. *in* 3. *part. tract. de excomm. dub.* 20. *n.* 9. Navarr. *in summ. cap.* 26. *n.* 31. Covarr. *in cap. Alma. mater. lib. part.* §. 11. *n.* 16. Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 7. *sect.* 5. *n.* 38. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 11. *cap.* 9. *n.* 294. Fernand. *in examine Theologiæ moral. part.* 3. *cap.* 9. §. 12. *n.* 4. Sanctarell. *tract.* 8. *de jubil. dub.* 8. & alii. Præcipuum hujus sententiæ fundamentum est; quia in Bullâ, quæ hodie Hispaniæ conceditur, hæc apponuntur: *ut possint eligere confessarium, qui eos absolvat ab omnibus peccatis, & censuris (etiam sedi &c.)* & statim, adduntur hæc verba: *aliorum verò Sedi Apostolicæ non reservatorum, ac reservatarum, toties &c.* ergo benè, & clarè colligitur, absolutionem à censuris, non extra, sed in confessione sacramentali, esse conferendam.

82. Secunda sententia affirmat, absolutionem à censuris esse validam, & licitam extra sacramentum confessionis. Ita Sanch. *lib.* 8. *de matr. disp.* 34. *n.* 3. Trullench. *lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 13. *n.* 5. Lezan. *tom.* 3. *in q. q. verb. Bulla Cruciatæ n.* 28.

Rodrig.

Rodrig. mutans suam sententiam *in addit. ad §. 9 n. 47.* Avila *de censuris part. 2, cap. 7. disp. 2. dub. 16.* & quamplurimi, quos referunt, & sequuntur Castr. Palao *tom. 4. tract. 25. punct. 9. n. 6.* Dian. *1. part. tract. 11. resol. 25. & part. 3. tract. 2. resolut. 20. & part. 4. tract. 4. resol. 8. & part. 5. tract. 9. resolut. 13.* Soar. *tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 16. n. 4. & tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 2. n. 27.* Escob. *in Theolog. moral. tom. 1. lib. 7. n. 602.* Bard. *part. 2. tract. 6. cap. 1. n. 67.* Mend. *d. 25. à n. 166.* Leand. *tom. 4. tract. 2. disp. 17. q. 100.* Soar. Lusit. *de pœnit. tract. 7. disp. 2. n. 311.* nullâ adductâ distinctione, inter Bullam Lusitanam, & Hispanam; & forsan existimantem, inter illas, nullam dari differentiam: ut adhuc non rectè autumant non pauci.

83. Probatur hâc ratione, quæ relictis aliis, videtur efficacior: quia nulla datur, ex natura rei, connexio, inter absolutionem à censuris, & absolutionem à peccatis: sed in prædictis verbis Bullæ, datur confessario electo facultas, absolvendi à censuris, distincta à facultate absolvendi à peccatis, ibi: *qui eos absolvat ab omnibus peccatis, & censuris etiam sedi &c.* Et quamvis dictio *&* inter absolutionem à peccatis, & inter absolutionem à censuris, sit suâ naturâ conjunctiva, & copulativa: ut ex jure, D. D. ostendit Barbosa *tract. de dict. dictione 110. n. 3. & sequentibus*, & videatur in præsenti, copulare in unâ absolutione, & peccata, & censuras; id tamen potest deficere, quando ponitur, in ea, quæ sunt ejusdem potestatis, vel effectus: nam tunc ponitur pro *vel*, & resolvitur in disjunctivam; ut tenent Oldrad. *Consil. 168. n. 8. & ibi addit.* Portel. *de consortibus cap. 1. à n. 20. 20.* Bursat. *Consil. 81. n. 20. vol. 1.* Thesaurus *decis. 189. n. 2.* adducit, & sequitur Barbos. *proxime n. 28.* sed in præsenti clausula dictio *&* ponitur inter peccata, & censuras, quæ sunt quidem potestatis: ergo poterit confessarius ex potestate hic concessâ, absolvere à censuris, quin absolvat à peccatis. Non tamen poterit absolvere à peccatis, & non à censuris; non ex vi dictionis *&*, quæ in similibus potestatibus ad utramque absolutionem se extendit; sed ex vi absolutionis sacramentalis; quæ ex suâ natura postulat; ut prius absolvatur pœnitens à censuris, quàm absolvatur à peccatis.

84. Inter has duas sententias, quæ sunt probabiles, existimo, secundam esse probabiliorem, loquendo juxta verba clausulæ Bullæ Hispanæ: at loquendo juxta verba clausulæ Bullæ Lusitanæ; primam esse tenendam. Prima pars hujus asserti probata manet ratione proximâ. Secunda verò ostenditur; quia in Bullâ Lusitanâ, dicitur, quòd virtute Bullæ potest eligi confessarius, ab ordinario approbatus; qui absolvat à casibus Sedi Apostolicæ reservatis, (aliquibus exceptis) semel in vitâ, & in mortis articulo; & ab aliis eidem sedi non reservatis, quoties confitebuntur, nulla facta mentione de censuris. Cùm verò in his terminis, ex natura hujus clausulæ, connexio detur, inter absolutionem à peccatis, & absolutionem à censuris; quia peccata non possunt absolvi, quin prius censuræ absolvantur; & peccata, seu casus non possunt absolvi, nisi in ipsâ Sacramentali confessione; sequitur etiam censuras in ipsâ Sacramentali confessione esse absolvendas, & non extra illam.

85. Hanc sententiam in expositione Bullæ Lusitanæ defendit Sebastian. à Costa *q. 50. in fine.* Et probat ex verbis Bullæ, ibi: *eorum confessione audità.* Sed non benè; quia ea verba non dantur, in Bullâ Lusitaniæ concessa; ut constat ex illius textu, quam initio expositionis transcripsit; nec ab aliis Pontificibus, qui eam extenderunt, fuerunt apposita. Et quamvis detur in Bullâ à Gregorio XVI. Hispaniæ concessa; præterquam quòd jam in Bullis à successoribus concessis, non inveniantur; etiam si darentur ad Lusitaniam non extenderentur; quia pro Lusitania non fuit concessa.

86. Probat etiam A Costa eandem conclusionem ex declaratione factâ à B. Pio V. pro jubileo, quem concessit, anno Domini 1568. in quo declaravit omnia illa indulta, quemadmodum similia, & dissimilia in futurum concedenda, esse pro foro conscientiæ, & pœnitentiali: forum autem pœnitentiale est in sacramento pœnitentiæ: ergo facultas quæ conceditur in Bullâ ad absolutionem à censuris, nequit exerceri, nisi in ipsâ confessione. Hæc tamen declaratio non probat intentum; quia, ut asserit Villal. *tom. 1. tract. 27. clausul. 9. §. 1. n. 23.* illa declaratio habuit locum pro illo jubileo, in quo concessa fuit illa facultas cum eo pacto, & conditione; & non rectè extenditur: ad Bullam, in quâ non apponitur ea declaratio.

87. Addo, nec etiam convincere intentum contra Bullam Hispaniæ concessam, juxta quam diximus posse licitè, & validè præstari absolutionem à censuris, virtute Bullæ, extra sacramentum confessionis; licèt enim Lezan *in q. q. Resol. tom. 3. verb. resolutio n. 6. in fine* & plures forum pœnitentiæ pro eodem sumant ac forum sacramenti pœnitentiæ; ut videre est apud Bard. *ubi supra n. 70.* Alii apud illum, utriusque forum confundunt, nempe pœnitentiæ cum foro conscientiæ; ut Navarr. & Soar. apud Lezan. *proximè tom. 1. cap. 18. num. 43.* At latius patet forum conscientiæ, quàm forum pœnitentiæ; quia hoc supponit culpam & punitionem, illud verò non semper involvit culpam; & si detur cum pœnitentiâ, dicetur forum pœnitentiæ, & pœnitentiale; quando pœnitentia secretò imponitur. Quando ergo B. Pius V. declaravit, illa indulta, & similia, aut dissimilia esse, pro foro conscientiæ, & pœnitentiali, excluſit forum contentiosum; non tamen excluſit forum conscientiæ, & pœnitentiale; quod non est forum sacramenti pœnitentiæ; quia pœnitentia Ecclesiastica non restringitur ad pœnitentiam sacramentalem; nam, ut inquit Soar. *lib. 8. de leg. cap. 6. n. 14.* Pœnitentia benè potest esse, & sacramentalis, & non sacramentalis. Unde quando S. Pontifex excludit forum contentiosum, & restringit indulta ad forum conscientiæ, & pœnitentiæ; sumit forum conscientiæ, & pœnitentiæ, vel pro foro pœnitentiæ, & conscientiæ non sacramentali, vel pro foro pœnitentiæ sacramentali: Sic Bard. *loco cit.*

88. Dices primò contra nostram resolutionem: Secunda sententia *n. 82.* allata, est probabilis, aut probabilior in terminis Bullæ Hispanæ: ergo etiam saltem erit probabilis juxta clausulam Bullæ Lusitanæ. Respondeo negando consequentiam: diversa ratio est, quia in Bullâ Hispanâ conceditur in eâ clausulâ absolutio à censuris distincta absolutione à peccatis; quæ habent censuram: ut vidimus *n. 83.* at in Bulla Lusitana, conceditur indistinctè absolutio à casibus, qui habent censuras; quin de censuris fiat expressa distinctio; ergo cùm absolvuntur in confessione ii casus, in eadem confessione, prius absolvi conceditur à censuris, iis annexis.

89. Dices Secundò: In Bulla Lusitana post eam clausulam declaratur absolutionem à censuris ab homine

mine non prodesse, pro foro judiciali; ex quâ declaratione colligimus prodesse absolutiones à censuris à jure pro eo foro; ut diximus *supra sect.* 4. ergo hæ absolutiones à censuris à jure debent esse extra Sacramentum confessionis; ut in eo foro prodesse possint. Respondeo, negando consequentiam; quia licèt absolutiones in foro Sacramentali, & confessionis præstentur; adhuc pro foro externo poterunt prodesse; juxta ea, quæ diximus eâdem *sect.* 4. *à n.* 53.

SECTIO IX.

An virtute Bullæ possit absens absolvi à censuris?

90. EX dictis *sectione præcedente* facilis est resolutio ad præsentem quæstionem: cùm enim ibi dixissemus non posse virtute Bullæ Lusitanæ, præstari absolutionem à censuris extra Sacramentum confessionis; & cùm Sacramentum confessionis non conferatur in absentiâ ut declaravit Clemen. VIII. anno Domini 1602. die 20. Junii, in motu proprio, qui incipit: *Sanctissimus*, & habetur *tom.* 8. *Bullarii* benè sequitur non posse absentem, virtute Bullæ, à censuris absolvi. Et ita sentiunt omnes, præcedente sectione, citati *n.* 81. asserentes absolutionem à censuris obtineri non posse, nisi intra confessionem; & specialiter illam docent, juxta eam opinionem, Bard. *part. tract.* 6. *cap.* 3. *n.* 12. Mend. *disp.* 25. *n.* 173. Leand. *tom.* 4. *tract.* 2. *disp.* 17. *q.* 101. Scobar. *tom.* 1. *Theol. moral. lib.* 7. *n.* 620. Si tamen oppositum docuit Illustriss. Fr. Antonius à Spiritu S. Lusitanus, & Episcopus Angollarius *in ds ordo. confess. tract.* 12. *n.* 237. at loquitur juxta Bullam Hispanam, nam de Lusitanâ, notitiam non videtur habuisse.

91. Si tamen loquamur juxta Bullam Hispanam virtute cujus potest impedi absolutio à censuris, extra Sacramentum confessionis, valida erit absolutio ab illis facta absenti. Et ita debent docere omnes illi, quos pro secundâ sententiâ citavimus *dicta sect. præcedente n.* 82. Ratio est, quia juxta eam Sententiam absolutio à censuris potest impertiri extra Sacramentum pœnitentiæ: ergo etiam in absentiâ: non enim implicat, quòd absolutio à censuris in absentiâ impertiatur. Sic Soar. *tom.* 5. *in* 3. *partem disp.* 7. *sect.* 7. *n.* 4. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 11. *cap.* 10. *n.* 324. & alii plures, quos citat, & sequitur Leand. *proximè dictâ q.* 101.

92. Dixi, validam esse absolutionem à censuris virtute Bullæ Hispanæ in absentiâ impertitam cum communi: Attamen assero, absque causa, non esse licitam; tum propter reverentiam, ipsi censuræ debitam; tum ob scandala, quæ inde oriri possunt; ut docent cum Filliuc. & Trullench. Bard. *cit. n.* 18. Mend. *n.* 176. Leand. *proximè*. Causa autem, quæ hanc posset, in absentiâ honestare absolutionem, videri potest apud Filliuc. *citatum*. cùm enim hæc, ad nostram Bullam non spectent, non est cur in illis immoremur.

SECTIO X.

An invitus, aut ignarus possit virtute Bullæ absolvi à censuris?

SUppono invitum posse absolvi à censuris per Prælatum, vel judicem, qui eas tulit; quia cùm censura non sit culpa, sicut potest ligari invitus, sic etiam ab invito auferri potest. Eâdem ratione potest absolvere ignarum absolutionis; quia absolutio à censuris, non dependet à scientiâ illius, qui absolvitur; sed à potestate illum absolventis. Dum tamen ignorat eam absolutionem; gerere se debet, ac si revera esset excommunicatus, aut censuratus: quia scit se fuisse excommunicatum; & ignorat se absolutum: at ubi primum certior fiat, de absolutione semel, & legitimè collatâ, non indiget alia absolutione; nec eam tenetur quærere. Sic D. D. communiter, quos citat de invito Leand. *tom.* 4. *tract.* 2. *disp.* 17. *q.* 103. & de ignaro *q.* 108. & de utroque Bard. *part.* 2. *tract.* 6. *cap.* 3. *n.* 19. & 24. Mend. *disp.* 25. *n.* 177. & alii, quos citant. Hoc supposito.

94. Inquires primò: An virtute Bullæ, possit invitus à censuris absolvi? Respondeo non posse: Primò, quia absolvi à censuris, est privilegium in Bullâ concessum: sed privilegii usus dependet à voluntate privilegiati: ergo illo nolente, seu invito, illi non potest applicari privilegium. Secundò, quia sine electione confessarii, non potest dari virtute Bullæ absolutio à censuris: non enim sufficit habere Bullam, ut à quo libet sacerdote, ab ordinario approbato, possit à censuris absolvi quin eligatur, & se illi subjiciat: sed invitus non vult eum eligere; nec se subjicere confessioni: ergo non potest etiam virtute Bullæ, vel cujuscunque alterius privilegii, vel jubilæi, absolvi. Accedit, quòd absolutio à censuris, juxta Bullam Lusitanam, non potest fieri, nisi in ipsa Sacramentali confessione, ut *n.* 84. diximus: ergo invitus à censuris non potest absolvi, qui confiteri non vult. Sic docent omnes principuè Henriq. *l.* 13. *de excomm. cap.* 29. *n.* 1. Trullench. *in Bull. l.* 1. *§.* 7. *cap.* 2. *dub.* 18. *n.* 9. *in fine* Soar. *tom.* 5. *de censur. disp.* 7. *sect.* 7. *n.* 1. & 5. Dian. *part.* 5. *tract.* 9. *resol. in fine*: Alterius *l.* 6. *disp.* 6. *cap.* 2. Bonac. *disp.* 1. *q.* 3. *punct.* 4. *n.* 3. *vers. dixi, spectemus.* & aliquos, & sequitur Leand. *supra q.* 104. Bard. *proximè n.* 23. Mend. *dict. disp.* 25. *n* 278. Fr. Josep. Mend. *in Bull. sect.* 1. *n.* 131. *fol.* 58. Escobar. *in Theol. morali tom.* 1. *l.* 7. *n.* 219. alios citans.

95. Inquires secundò: An virtute Bullæ possit ignarus absolvi à censuris? Respondeo negativè; quia potestas absolvendi, à Pontifice conceditur ei, qui liberâ voluntate, eâ velit uti: ergo qui illam ignorat, illâ non vult uti. Deinde, ut quis à censuris absolvatur debet virtute Bullæ eligere confessarium qui illum à censuris absolvat: si ergo ignorat posse absolvi, non eligit confessarium, qui eum absolvat. Sic Bard. *ut supra n.* 24. Mend. *proximè* Leand. *q.* 108.

96. Dices: si habens Bullam accedat ad confessarium, & illi dicat: ut eum absolvat virtute Bullæ in quantum potest; & ipse habens Bullam etiam

vult

vult absolvi eodem modo; nihil tamen cogitans de privilegio Bullæ: ergo ignorando efficaciam Bullæ, absolvetur à censuris, quibus innodatus existit. Respondeo concedendo totum: quia sic absolutus, non omnino ignorat efficaciam Bullæ, nam licèt illam ignoret explicitè, implicitè illam agnoscit; dum petit à confessario, ut illum absolvat, in quantum potest; & cùm confessarius eo modo eum absolvit; & potest virtute Bullæ: eum à censuris virtute Bullæ liberabit. Sic enim dicimus de confessario habente facultatem absolvendi à reservatis, quì absolvendo, in quantum potest, liberat pœnitentem à reservatione ab oblitis; quia intentionem habebat absolvendi, etiam ab iis, quæ pœnitens ignorabat; & quamvis, quoad peccata oblita, absolutio fuerit indirecta; ac proinde tenetur, quando in mentem redierint, illa confiteri; à reservatione verò, & à censuris liber remanebit. Et ita resolvimus *supra disp. 15. sect. 13. in fine* cum Avil. Castro Palao, vide citatum locum.

97. Ex dictis, pro primo quæsito collige; etiam si privilegium absolvendi à censuris sit concessum in gratiam ipsius confessarii, ut privatæ personæ, vel ut partis alicujus communitatis: ut sunt religiosi; & absolutio à censuris, non fiat dependenter à Sacramento confessionis, benè posse invitum à censuris absolvi, si parti sit satisfactum. Probatur *ut supra n. 91.* quia sicut invitus ligatur censuris, ita etiam invitus ab illis, potest absolvi. Ita Soar. *tom. 5. de censur. disp. 7. sect. 7. n. 11.* Bonac. *tom. 1. disp. 1. de censur. q. 3. punct. 4. n. 3.* Ludovic. à Cruce *disp. 1. cap. 4. dub. 7. n. 11.* & alii, quos refert, & sequitur Bard. *ubi supra. n. 20.*

98. Dixi, *si absolutio à censuris non fiat dependenter à Sacramento confessionis*; quia si ab illo sit dependens, non potest invitus à censuris absolvi; quia sine consensu pœnitentis, nequit confessio Sacramentalis fieri. Sic Bonac. & Bard. *locis citatis.* Adverte tamen, non posse confessarios nostræ societatis absolvere à censuris, ad quas habent à sede Apostolicâ privilegium; nisi dependenter à Sacramento confessionis; ut videre est *in compendio nostrorum privilegiorum post §. 11. in annotatione ultimâ. Verbo. Absolutio.* Et cùm Religiosi societatis JESU, nullo gaudere valeant privilegio, nisi dependenter à generali, ex Const. Gregorii XIII. anno Domini 1575. & Generalis disponat, ne confessarii nostri absolvant à censuris extra confessionem; sequitur illos non posse invitum absolvere.

SECTIO XI.

An licita, & valida sit absolutio à censuris data, virtute Bullæ, sub conditione?

99. SUpponendum est ex tractatu de censuris, & pœnitentiâ, absolutionem, vel esse absolutam, vel conditionatam: absoluta est illa, quæ datur absolutè, & simpliciter, nullâ appositâ conditione: conditionata est illa, quæ datur sub aliqua conditione, ex qua dependet absolutio, sive ea conditio, mente absolventis, retineatur, sive verbis manifestetur. Conditio triplex est præsens, vel præterita, aut de futuro, v. g. *si doles, ego te absolvo*, est de præsenti: *si parti læsæ satisfecisti; Ego te absolvo*, est de præterito; *si quamprimum parti læsæ satisfeceris*, est de futuro. Hoc supposito.

100. Inquires primò: An absolutio à censuris, data virtute Bullæ sub conditione de præsenti, vel præterito, sit valida? Respondeo affirmativè, si existat, vel impleta sit conditio. Ratio est, quia hæ conditiones, nec actum, nec effectum suspendunt, *l. cùm præsens, si certum pet.* sed statim absolutio, vel est valida, si conditio existit, aut impleta sit; & sic absolutio transit in absolutam; licèt absolvens id non cognoscat; si verò conditio non existat, aut non sit impleta nulla est absolutio; quia deficit conditio. Sic D. D. tractantes de absolutione à censuris Soar. *tom. 5. in 3. part. disp. 3. sect. 7. n. 3.* & Latius *disp. 7. sect. 8.* Alterius *l. 4. disp. 1. cap. 3.* Filliuc. *tom. 1. tract. 11. cap. 10. n. 309.* Bonac. *tom. 1. disp. 1. de censur. q. 3. punct. 7. n. 1.* Leand. *tom. 4. tract. 1. disp. 11. q. 10.* Lesan. *in q. q. Regul. tom. 3. verb. absolutio n. 11.* Ex quo collige, si spectatâ materiâ, & formâ absolutionis, dicta absolutio est valida; etiam erit, si detur virtute Bullæ Cruciatæ; cùm in illa inveniatur, quod oppositum suadeat. Ita Bard. *part. 2. tract. 6. cap. 4. n. 4.*

101. Inquires secundò: An dicta absolutio sit licita? Respondeo cum distinctione: esse licitam, quando non constat de censura, & absolutio impenditur ad cautelam, seu ad majorem securitatem; ut fieri solet in confessionibus Sacramentalibus, in impetratione beneficiorum à sede Apostolicâ; ne beneficium nulli ter conferatur; & in dispensationibus. At erit illicita ea absolutio, si nulla ex prædictis dictis, vel similibus cautis, se offerat, & addatur conditio impertinens. Sic Soar. *cit.* Filliuç. & Alter. *locis citatis* Bard. *allegatus n. 7.* Leand. *q. 11.*

102. Inquires tertiò: An absolutio à censuris virtute Bullæ, sub conditione de futuro, sit valida? Negant, esse validam D. Antonin. *part. 3. tit. 24. cap. 77. §. 1.* Sylvestr. *verb. Absolutio. 3. §. 1.* Angel. *verb. Absolutio 3. & excommunicatio 2. §. 4.* & ex parte Avil. *part. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 15.* Probant, quia absolutio Sacramentalis sub conditione de futuro, est nulla; ut communiter docent authores in materia de pœnitentia, ut videre est apud Soar. Lusit. *de panit. tract. 4. n. 49.* Lesan. *supra* ergo etiam nulla erit absolutio à censuris sub conditione de futuro.

103. Probabilius tamen existimo, validam esse eam absolutionem. Ita tuentur Navarr. *in summ. cap. 26. n. 12. & de panit. distinct. 6. cap. 1. in principio n. 64.* Covarr. *in cap. Alma mater 1. part. §. 11. n. 6.* Sayr. *de censur. l. 2. cap. 16. n. 7.* Soar. *tom. 5. in 3. part. disp. 7. sect. 8. n. 7.* Alter. *l. 4. disp. 1. cap. 3.* Filliuc. *tom. 1. tract. 11. cap. 10. n. 310.* Reginald. *l. 9. n. 52.* Bonac. *de cens. disp. 1. 9. 3. punct. 7. n. 1.* Valq. *de excomm. dub. 18.* Ægid. *disp. 14. dub. 2. n. 18.* Hurt. *disp. 14. diffic. 2.* Laym. *l. 1. tract. 5. part. 1. cap. 7. n. 2.* Castr. Palao *tom. 6. disp. 1. punct. 11. §. 2. à n. 2.* quos citat, & sequitur Leand. *tom. 4. tract. 1. disp. 11. q. 12.* quibus accedunt Bauny. *in Theolog. moral. part. 2. disp. 3. tract. 2. q. 34.* Bard. *part. 2. tract. 6. cap. 4. n. 5.* Soar. Lusit. *de panit. tract. 4. disp. 1. n. 48. & 54.* Lesan. *supra citatus* & alii. Probatur, quia censura potest ferri validè sub conditione de futuro: ut patet *ex cap. præterea 2. de appellat.* & *cap. solemnitate, dist. 63.* ergo etiam absolutio. Confirmatur, quia præceptum, & dispensatio ejusdem præcepti possunt dari de futuro: ergo etiam excommunicatio, & ejus absolutio poterunt dari de futuro.

104. Ad fundamentum oppositum *n.* 102. respondeo, negando consequentiam: dispar ratio est, quia absolutio Sacramentalis non potest manere suspensa, propter conditionem, ex intentione confessarii absolventis; quia ab illo non pendet, sed ex Christi institutione, & intentione: At absolutio à censuris est quidam actus judicialis meré humanus; qui potest pendere ab intentione humanâ; & ideo ejus effectus potest pendere ab absolutione, sub conditione futurâ, sicut alii dependent actus.

105. Inquires quartò: An dicta absolutio, sub conditione de futuro, non solùm sit valida, sed etiam licita? Respondeo, regulariter loquendo, esse illicitam? Ratio est, quia, vel absolvendus sub conditione de futuro est dignus absolutione, vel indignus; si primum, debet absolvi absolutè; si secundum, non est absolvendus, nec sub conditione: est enim hic modus absolvendi in Ecclesia usitatus, & non prædictus. Unde si necessitas, & utilitas non appareat considerabilis; absolutione de futuro non est absolvendus censuratus. Ita Soar. Filliuc. Alter. *locis citat.* Bard. ut *supra n.* 7. Leand. *q.* 13. Lezan. *cit.*

SECTIO XII.

An vi Bullæ possit aliquis absolvi à censuris ad cautelam.

106. AD hujus quæstionis explicationem, suppone primò, absolutionem tripliciter dividi: in absolutionem simplicem, ad cautelam, & ad reincidentiam; de hac ultima dicemus sect. sequenti. Absolutio simplex est illa: quæ datur simpliciter, & sine aliqua dubitatione; quia certò constat censuram à pœnitente fuisse contractam. Absolutio ad cautelam tunc datur, quando datur dubium de censuræ contractione; quod dubium ex triplice capite potest provenire; primò de excommunicatione, an fuerit lata: Secundò quando connotat fuisse latam, dubitatur tamen, an fuerit invalida? Tertiò, quando constat certò fuisse latam, & validam; dubium tamen est, an hic homo commiserit illud delictum, contra quod lata fuit censura? Absolutio, quæ in his dubiis censuræ præstatur, dicitur absolutio ad cautelam. De illa vide Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 7. *sect.* 8. *n.* 12. Covarr. *in cap. Alma mater* 1. *part.* § 7. *n.* 7. *&* § 12. *n.* 7. Sayr. *l.* 1. *de censur. cap.* 16. 7. Palao *tom.* 6. *disp.* 1. *punct.* 11. § 2. *n.* 4. & alios passim, agentes de censuris.

107. Suppono secundò, modum absolvendi ad cautelam, duplicem esse posse: unum proprium, & alterum improprium. Tunc erit proprius, quando datur dubium aliquod, ex prælictis tribus in contractione censuræ. Et erit improprius, quando nullum datur dubium, aut suspicio censuræ contractæ; & sic potius dicetur hic modus absolvendi, improprius, ad superabundantiam, quàm ad cautelam; sic videmus ante absolutionem Sacramentalem, præmitti absolutionem à censuris, licèt pœnitens in confessione nullum aperuisset peccatum, cui annexexa esset censura: Id enim fit, ob reverentiam Sacramenti; & ante collationem ordinum, etiam ab Episcopo, ad vitandum periculum irregularitatis: Et in Brevibus Apostolicis in beneficiorum impetrationibus, aut in aliis gratiis; ad tollendum aliquod impedimentum, si fortè adsit; quæ absolutiones, cùm non supponant dubium, non dicuntur dari ad cautelam, propriè loquendo. De his videri potest Soar. *cit. n.* 13. ubi advertit, optimum esse consilium, præmittendæ absolutionis à censuris ad cautelam illi infirmo, cui datur Sacramentum S. Unctionis, quando propter repentinum eventum, non potuit confiteri; & etiam videantur authores citati. His suppositis.

108. Quæstio petit: An per Bullam, possit dari absolutio à censuris ad cautelam propriè dictam; nam de impropria, quæ est ad superabundantiam, nulla est difficultas: nam hæc præmittitur à censuris, per confessarium electum, etiamsi à pœnitente nulla præcedat dubitatio censuræ incursæ. De absolutione ergo ad cautelam propriè dictam negant posse dari virtute Bullæ, Covarr. *in cap. Alma mater. part.* 1. §. 12. loquens generaliter de omni facultate delegata, ad absolvendum à censuris, & aliqui juristæ, quos citat Ludovic. à Cruce *in Bullam disp.* 1. *cap.* 4. *dub.* 7. *n.* 1. Hi tamen juristæ non loquuntur de delegato virtute Bullæ, nec etiam de omnibus judicibus delegatis, sed tantùm de delegatis, ad cognoscendas causas in Curia Romana: alii verò judices delegati ad cognoscendas causas extra Curiam possunt censuratos absolvere, ad cautelam; quia jam ex usu accepto, hac potestate gaudent: Ut docet Castro Palao *tom.* 6. *de censur. disp.* 1. *punct.* 11. §. 2. *n.* 6.

109. Quare hæc pars negativa, sic probari potest: Absolutio à censuris ad cautelam, est quædam gratia specialis à Pontifice concessa, ut constat ex *capite per tuas, de sentent. excomm.* ergo cùm in Bullâ non inveniatur expressè concessa, non censetur, S. Pontificem, per Bullam, illam concedere.

110. Dicendum tamen est, posse præstari absolutionem à censuris ad cautelam, virtute Bullæ. Sic Ludovic. à Cruce *proximè citat.* Trullench. *in Bullam l.* 1. §. 7. *cap. dub.* 8. *n.* 15. Bard. *part.* 2. *tract.* 6. *cap.* 4. *n.* 11. Soarez *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 7. *sect.* 8. *n.* 14. Escobar. *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 200. & quamvis Bard. *cit.* asserat, non benè citari Soar. ab authoribus; quia Soar. specialiter non loquitur, de absolutione danda per Bullam; sed de absolutione à censuris ad cautelam; ac proinde authoritatem Soar. non favere huic sententiæ.

111. Hoc tamen non rectè assertum; quia Soar. *locis citatis.* loquitur ibi generaliter de omni habente facultatem absolvendi à censuris, ibi: *talis absolutio conveniens, & necessaria in foro interiori vel exteriori, poteritque concedi ab eo, qui à tali censurâ posset absolvere, si esset certa, & non ab alio.* Sic Soar. Cùm ergo confessarius, virtute Bullæ, electus, possit absolutione tollere censuras non exceptas in Bullâ; potest etiam tollere dubiam, juxta Soar. Bene ergo citatur ab Authoribus pro hac opinione. Pro hac assertione, etiam citari potest Cast. Palao *supra* quatenus, eodem modo, quo Soar. id affirmat.

112. Probatur, nam qui potest absolvere à censura certa, potest etiam, absolvere à dubia: confessarius enim, qui potest absolvere à peccatis certis, etiam potest à dubiis: Sed confessarius, virtute Bullæ electus, potest absolvere à censuris, non exceptis in Bullâ, quando certò constat à pœnitente

tente fuisse commissas: ergo etiam poterit, quando dubitatur, an commissæ sint.

113. Confirmatur à fortiori; quia major requiritur potestas, ad absolvendas censuras certò commissas; quàm ad absolvendas in dubio commissas. Quod probo, quia si aliquod peccatum sit reservatum; confessarius, qui potest absolvere à mortalibus, potest ab eo absolvere, quando est dubium; non tamen si sit certò reservatum; ut diximus *disp.* 15. *n.* 11. cum Cardin. de Lug. Tambor. Leand. & aliis: cùm ergo major requiratur potestas, ad absolvendum peccatum certò reservatum, quàm ad absolvendum dubium; benè sequitur, majorem etiam requiri potestatem, ad absolvendas censuras certas, quàm dubias: ergo qui potest absolvere certas, à fortiori poterit dubias.

114. Dices: Ergò etiam sine Bulla poterit pœnitens per confessarium absolvi à censura reservata ad cautelam; quia absolutio propriè dicta ad cautelam est, quando datur dubium de contractione censuræ: sed quando datur dubium, de incursione censuræ, potest pœnitens ab illa absolvi, per confessarium ordinarium absque Bullâ, & alio privilegio, ut diximus *dicta disp.* 15. *n.* 12. ergo ad absolutionem à censurâ, ad cautelam non requiritur Bullâ; nec etiam solus, qui potest absolvere à censura certa, potest etiam à dubia ad cautelam.

115. Respondeo primò, negando illationem; cum Soar. *ubi supra*; quia absolutio à censura ad cautelam datur, ad tollendam omnem dubitationem, tam positivam, quàm negativam censuræ; & hæc solùm potest tolli ab eo, qui simpliciter, & absolutè potest à censuris absolvere: at confessarius ordinarius, qui absolvit à censura dubia, non tollit omnem dubitationem positivam: nam solùm probabile est, non teneri pœnitentem, ad iterum confitendam censuram reservatam; cùm recordatur de censura à se certò incursa: at probabilior sententia docet, teneri ad iterum illam certò commissam confitendam confessario, habenti facultatem, ad eam absolvendam; ut dictum est *citato loco*: ut ergo censuratus in dubio, maneat absolutus sine dubitatione, confiteri debet ad cautelam, cum habente facultatem certam.

116. Respondeo secundò cum eodem Soar. eam absolutionem à censura dubia, quæ ut talis, non est reservata, impertitam à confessario, qui tantùm habet jurisdictionem ordinariam delegatam, esse absolutionem ad cautelam; quia suppositâ ea opinione, quicunque confessarius potest absolvere à censuris dubiis reservatis.

117. Ad fundamentum n. 109. quod afferunt authores, ad probandam partem oppositam, deductum *ex cap. per tuas*, fateor, id ex eo non colligi; ut legenti illud patebit. Bard. illi respondet, debere intelligi pro foro externo, & contentioso, ad quod delegata est ipsa excommunicatio; & pro eodem foro non posse, eam excommunicationem, virtute Bullæ, absolvi. Quod verum existimo, juxta Bullam Lusitanam; si ea excommunicatio sit lata ab homine; vel si judex sit delegatus ad cognoscendas causas in curia: at secus existimo, dicendum, si excommunicatio sit lata à jure; nam per Bullam Lusitanam potest absolvi, pro foro externo; ut diximus hac eadem *disp. sect.* 4. vel si judex sit delegatus ad cognoscendas causas extra curiam; nam hic delegatus potest ad cautelam, à censuris absolvere: ut *n.* 108. dictum est, cum Castr. Palao, & aliis, quos *loco ibi citato*, refert. Et apud eundem invenies modum absolvendi à censuris ad cautelam, tam pro foro externo, quàm pro foro conscientiæ.

SECTIO XIII.

An virtute Bullæ, possit quis absolvi à censuris, ad reincidentiam?

118. Absolutio ad reincidentiam est illa, per quam tollitur censura, non in perpetuum, sed ita, ut regressura sit, vel eadem moraliter, ut vult Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part.* 7. *sect.* 8. *n.* 27. vel nova, aut similis, ut inquit Navarr. *in summ. cap.* 27. *n* 15. Hæc absolutio est duplex: una impropriè dicta, & altera propriè. Prima datur, quando quis absolvitur à censura, non in perpetuum, sed ad limitatum tempus, seu effectum, pro determinato tempore, duraturâ; quo transacto, qui fuit absolutus, manebit sicut prius, censuratus: ut quando quis absolvitur ab excommunicatione, ut possit testimonium ferre, *cap. veniens* 2. *in fine*, *de testibus*; vel ut possit beneficium Ecclesialticum obtinere, vel aliam gratiam à Pontifice concessam; ut colligitur *ex cap. Apostolica*, *de excomm.* & his pertectis, qui fuit absolutus, incidit in eandem, seu similem excommunicationem.

119. Secunda, & propriè dicta absolutio ad reincidentiam, est perpetua, & sine limitatione ad tempus, vel effectum; ex intentione enim absolventis, datur; ut sit perpetua; sub intentione tamen aliquid faciendi, intra certum tempus, v. g. satisfaciendi, vel comparandi; quòd si transacto tempore; non impleta sit conditio, incidit in eandem excommunicationem. Sic Castr. Palao *tom.* 6. *disp.* 1. *punct.* 11. §. 2. *n.* 7. & alii communiter. His præmissis.

120. Inquirimus: An virtute Bullæ, possit quis, aliquo ex prædictis modis, absolvi ad reincidentiam? Respondeo, non posse. Ita A Costa *in Bull. q.* 51. *vers. oppositæ sententiæ*, & apud ipsum Sot. *lib* 4. *dist.* 22. *q.* 2. *art.* 3. Gomez *clausul.* 9. *n.* 27. Guttierr. & alii jurisperiti. Idem tenet Trullench. *l.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 14. *n.* 2. & apud ipsum Rodrig. §. 9. *n.* 57. Navarr. *in summ. cap.* 27. *n.* 278. Avil. *part.* 2. *cap.* 7 *disp.* 3. *dub.* 14. *conclus.* 2. Cened. *q.* 23. *n.* 4. Henriq. *l.* 13. *cap. n.* 1. *litt. l. & M.* sed eo loco nihil habet, ad hoc intentum; sicut *nec cap.* 29, *in* quo citatur à Bard. mox adducendo. Id tamen docent Villal. *tract.* 27. *clausul.* 9. §. 2. *n.* 25. *& tract.* 26. *difficult.* 20. *&* 25. *n.* 2. Ludovic. à Cruce *disp.* 2. *cap.* 4. *dub.* 8. *n.* 3. *&* 4. Bard. *part.* 2. *tract.* 6. *cap.* 4. *n.* 15. Mend. *disp.* 25. *n.* 161. Escobar *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 605. Fr. Joseph. Mend. *in Bull. sect.* 1. *n.* 136. *fol.* 61. & apud Dian. *part.* 5. *tract.* 9. *resol.* 25. Moscosus *in summ. tract.* 16. *cap.* 7. *n.* 5. *&* 6. dicens, per Bullam non posse absolvi ad reincidentiam; at tempore jubilæi, posse absolvi ad reincidentiam, cum aliquibus conditionibus; quæ si ab absoluto non observentur, incidet in excommunicationem pro foro externo, non tamen pro interno.

121. Probatur nostra resolutio: quia in Bulla non

datur privilegium ad absolvendum à censuris ad reincidentiam : ergo ad id non est extendenda illius facultas. Antecedens ostenditur, quia solus potest absolvere ad reincidentiam; qui potest excommunicare, vel suspendere censuram : sed per Bullam solùm datur facultas ad absolvendum ab excommunicatione, & non ad excommunicandum, vel suspendendas censuras : ergo in Bullâ non datur privilegium, ad absolvendum ad reincidentiam.

122. Quòd verò qui solus potest excommunicare, vel suspendere censuras possit absolvere ad reincidentiam patet : nam qui absolvit ad reincidentiam, vel ad limitatum tempus, vel ad aliquem effectum, vel perpetuò, sub conditione, ut *supra* diximus; tunc eo tempore transacto, vel posito eo effectu, & non impletâ conditione, censetur ipse absolvens, iterum excommunicare, vel suspendere, pro eo tempore, eam excommunicationem; aut facere, quòd iterum redeat : quæ cùm sint actus jurisdictionis, non conceduntur per Bullam; & supponuntur necessariò in eo, qui ad reincidentiam absolvit : ergo virtute Bullæ non potest quis, ad reincidentiam absolvi.

123. Addo cum Mend. *cit. n.* 163. non solùm esse necessariam, in absolvente ad reincidentiam, jurisdictionem ad excommunicationem ferendum utcumque; sed esse necessariam ad ferendam eam excommunicationem, à quâ absolvit ad reincidentiam : quia cùm excommunicatio, quæ redit, sit eadem moraliter, vel similis ei, à quâ absolvit; qui eam ferre non potest; eam ad reincidentiam absolvere nequit. Unde si Episcopus velit, ab excommunicatione Pontifici reservatâ virtute Bullæ absolvere; non poterit eandem, ad reincidentiam absolvere; quia licèt jurisdictionem habeat, ad ferendas excommunicationes; non illam habet, ad eas ferendas S. Pontifici reservatas; qualis erit ea, in quam absolutus ab Episcopo virtute Bullæ, reincidit; si non observetur, v. g. conditio sub quâ, ad reincidentiam fuit absolutus.

124. Dices primò : cui licèt absolvere quod majus est, licèt etiam absolvere, quod est minus, juxta *reg. cui licèt, de regulis juris in 6.* sed virtute Bullæ potest quis absolvere, quod majus est; nempe absolvere simpliciter : ergo etiam poterit absolvere, quod est minus, nempe absolvere ad reincidentiam. Minor patet, quia absolvere simpliciter, est absolvere in totum; & absolvere ad reincidentiam, est absolvere cum limitatione. Respondeo, negando minorem, & illius probationem; quia majus est absolvere ad reincidentiam, quàm absolvere simpliciter. Et hujus ratio est, quia absolvere ad reincidentiam, supponit jurisdictionem; quam non supponit absolvere simpliciter, ut *supra* vidimus.

125. Dices secundò : cui competit facultas absolvendi à censuris, competit etiam facultas ferendi censuras : utraque enim facultas à jurisdictione dependet; ut constat *ex Gloss. in cap. cum dilectus de consuetudine :* sed confessarius virtute Bullæ electus, ex jurisdictione absolvit : ergo etiam ex jurisdictione censuras feret. Respondeo, negando majorem; quia confessarius per Bullam potest ab excommunicatione absolvere, non tamen potest, contra aliquem ferre excommunicationem. Gloss. verò loquitur de eo, qui habet facultatem ordinariam, & non de facultate habitâ ex privilegio. Et inde est, quòd qui habet jurisdictionem ordinariam; & absolvere, & ligare potest, *ex ipso jure communi*; at qui habet facultatem ex privilegio; solùm habet id, quod in privilegio conceditur : cùm verò in Bullâ solùm concedatur privilegium absolvendi à censuris, illo tantùm gaudere potest confessarius; & non potestate excommunicandi, quæ illi non conceditur.

126. Dices tertiò : Pars læsa potest convenire cum excommunicato, quòd virtute Bullæ absolvatur, cautione præstitâ, de satisfaciendo intra mensem : & si ita non satisfaciat, reincidat in eandem excommunicationem : sicut creditor, ad cujus instantiam fertur excommunicatio, potest per aliquos dies illam suspendere, ut non contrahatur, nisi post mensem, juxta ea, quæ asserit cum Soar. Villal. & alii; Leand. *tom. 4. tract. 1. disp. 9. q. 18.* ergo etiam ita poterit convenire debitor, ut post contractam excommunicationem, ab illâ per Bullam absolvatur ad reincidentiam; si post mensem non restituat. Respondeo, per Bullam, eam absolutionem ad reincidentiam, præstari non posse. Unde si cum eâ conditione à parte læsa absolvatur excommunicatus, manet simpliciter absolutus; quia per Bullam, ea absolutio, ad reincidentiam, non datur; & licèt creditor possit, terminum extendere ad censuram contrahendam, quæ lata fuit, ad illius instantiam; non potest tamen, post contractam convenire cum debitore, quòd per Bullam absolvatur ad reincidentiam; quia ea absolutio per Bullam non conceditur. Unde si absolvatur per illam, etiam si non satisfaciat culpabiliter post mensem, excommunicationem non incurrit. Sic Trullench. *ubi supra n.* 3. cum Sylvestr. Manarr. & aliis.

SECTIO XIV.

An in absolutione à censuris, quæ datur virtute Bullæ explicanda sit causa ipsius censuræ?

127. AD hujus tituli explicationem, supponendum est, ex materiâ de censuris, doceri communiter Authores, per se loquendo, non debere necessariò in absolutione à censuris, explicare causam, ob quam, quis censuram contraxit : per accidens tamen id potest esse necessarium; ut quando aliquis ab unâ absolvitur censurâ, cùm à pluribus sit ligatus : tunc enim causa censuræ, aliquo modo, est exprimenda, ut constet, de quâ censurâ procedat absolutio. Ita docent. Henriques *l. 13. de excomm. cap. 29. n. 1. & in Gloss., & in Gloss. litt. E.* & apud ipsum, Navarr. *cap. 26. n. 8.* Palud. *q. 5. col. penult.* Sot. *dist. 22. q. 2. art. 6.* Sylvestr. *verb. Absolutio 3. n. 11.* Covarr. *in cap. Alma mater 1. part. §. 11. n. 6.* quibus addo. Soar. *tom. 5. in 3. part. disp. 7. sect. 9. à n. 6.* Filliuc. *tract. 11. cap. 10. n. 329.* Bonac. *tom. 1. disp. 1. de censur. q. 3. punct. 5. n. 7.* Cornejo *tract. 5. de censur. in genere, disp. 11. dub. 3. q. 1.* Luisiul. *l. 2. disc. 24. dub. 3. vers. item disput.* Alterius *l. 4. disp. 7. cap. 1. vers. secundo quæri potest.* Rastillius *de censur. in genere q. 7. art. 3. n. 6.* Leand. *tom. 4. tract. 2. disp. 17. q. 114.* Dian. *part. 5. tract. 9. resol. 33. vers. Notandum est.* Trullench. *in Bull. l. 1. §. 7. cap. 2. dub. 18. n. 15.* Bard. *part. 2. tract. 6. cap. 4. n. 21.* & alii. Hoc supposito.

128. Quæres primò : an quando quis absolvitur à censuris, virtute Bullæ, debeat confessarius absol-

solvere, exprimendo causam, ob quam censura fuit inversa? Respondeo negativè, quia talis modus absolvendi à censuris, non præscribitur in Bullâ; sed quando alius modus non præscribitur in privilegio, regulandus est à jure communi; quod non statuit, causam esse exprimendam: ergo etiam in absolutione, per Bullam, non est necessarium, quòd causa exprimatur. Ita expressè de Bullâ Bard. *cit. n.* 22. Escobar *in Theol. Moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 220. tametsi dicat, expedire esse, causam exprimere. Trullench. *loco citato*, ubi addit, optimum esse consilium, ut habens Bullam, faciat se absolvere ab omnibus censuris, & peccatis: nam eâ generali absolutione, ab omnibus manet absolutus. Unde si postea recordetur de aliquo peccato, cui erat annexa excommunicatio, non tenetur à censurâ absolutionem impetrare, sed solùm peccatum confiteri; quia non fuit ab illo directè absolutus: quod jam *supra* diximus cum pluribus D. D. & tenent alii, quos refert Trullench. *citato loco*.

129. Quæres secundò: an saltem exprimenda sit causa, quando quis habens plures censuras, seu excommunicationes, & ab omnibus non absolvitur? Affirmat causam esse exprimendam Bardi *proximè n.* 23. *&* 24. licèt non ita expressè; quia seipsum refert, ad asserta Soar. in hoc puncto, loco à nobis *supra citato*, in quo docet, juxta jus commune, causam censuræ aliquando debere explicari, non tamen semper.

130. Utendum tamen est aliquâ distinctione: quando absolutio datur per Bullam Hispanam, causa necessariò est exprimenda; si verò detur per Bullam Lusitanam, exprimenda non est necessariò: nec absolutio est illicita, illâ non expressâ. Hoc ultimum ostendo: quia ut obtineatur absolutio per Bullam Lusitanam; debet esse in ipsâ sacramentali confessione, ut *supra diximus sect.* 1. at in confessione sacramentali, non potest pœnitens absolvi ab unâ excommunicatione, quin ab omnibus absolvatur: nam absolutio à peccatis, ante absolutionem excommunicationis, est prohibita; & qui illam dat, & recipit scienter, mortale sacrilegium committunt; ut tenent Sanch. *l.* 2. *decal. cap.* 8. *n.* 5. Cardin. de Lug. *de pœnit. disp.* 16. *n.* 614. & alii communiter, quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *de pœnit. disp.* 5. *q.* 77. cùm ergo confessarius, virtute Bullæ electus in foro tantùm sacramentali debeat absolvere à censuris, & non possit absolvere ab unâ in eo sacramento, quin ab omnibus absolvat; & quando ab omnibus absolvit, non sit necessarium causæ expressio, ut *supra* vidimus: constat ergo in absolutione plurium excommunicationum, virtute Bullæ Lusitanæ, causam nunquam necessariò esse exprimendam, ex eo quòd una, sine altâ non potest absolvi. Secus dicendum de aliis censuris, quæ sacramentalem absolutionem non impediunt; quando ad omnes non absolvendas statim datur justa causa. Vide *infra dicend. n.* 158.

131. Prima pars asserti ostenditur; quia ille, qui absolvit juxta Bullam Hispanam, vel absolvit juxta opinionem asserentem absolutionem à censuris, præstandam esse in ipsâ sacramentali confessione; & sic juxta *dicta n. præcedente*, non potest absolvere ab unâ excommunicatione, quin ab omnibus, quibus innodatur pœnitens, absolvat; & ita non tenetur exprimere causam, quæ non necessariò exprimenda est, quando absolutio ab omnibus censuris obtinetur: at si absolvat, juxta aliam opinionem asserentem, absolutionem à censuris, posse impertiri, extra sacramentum confessionis; tunc habebit locum assertum Bard. & in hoc sensu, existimo, illum locutum fuisse.

SECTIO XV.

An qui absolvit virtute Bullæ à censuris, necessariò debeat uti determinata forma?

132. AD hujus resolutionem, suppono primò; ex materiâ de censuris, non esse de essentiâ absolutionis censurarum, ut fiat per verba propriè dicta: nam absolutio hujusmodi, potest dari absenti & per scripturam à Prælato; ut docent omnes Doctores. Ita Soar. *tom.* 5. *de cens. disp.* 7. *sect.* 9. *n.* 12. Bonac. *disp.* 1. *de censur. q.* 3. *punct.* 5. & alii, quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 4. *tract.* 2. *disp.* 17. *q.* 109. Dixi *à Prælato*, quia per Bullam Lusitanam, nec absenti, nec per scripturam dari potest; juxta ea, quæ diximus *supra à n.* 84.

133. Suppono secundò, absolutionem à censuris non posse validè dari per nuntu, & signa ab aliis Prælatis, S. Pontifici inferioribus; quia nullus potest variare formam à jure præscriptam: at in jure præscribitur, absolutionem à censuris esse dandam, vel per verba, vel per scripturam, ut constat *ex cap. cùm desideres, & cap. si aliquando, de sentent. excomm.* Dixi, *ab aliis Prælatis S. Pontifici inferioribus*; quia S. Pontifex cùm sit supra jus commune, potest per nuntu, & signa, absolvere eos, qui censuris sunt innodati: ut patet *ex element. ult. Verb. velle, de sentent. excomm.* Ita docent Sanch. *l.* 8. *de matrim. disp.* 4. *n.* 24. Soar. *cit. n.* 13. *&* 14. Bonac. *proximè dict. punct.* 5. *n.* 5. & alii plures, quos citant, & sequuntur Leand. *super allat. q.* 110. Escobar *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 9. *n.* 107.

134. Suppono tertiò: ex naturâ rei, nullam requiri determinatam verborum formam, ad absolutionem censuræ, pro foro conscientiæ. Unde sufficiunt quæcumque verba, vel scripturæ, quæ ex se significent liberationem à censurâ. Existimo tamen, non esse sine causâ recedendum à communi formâ, quam præmittunt confessarii, ad absolutionem à peccatis.

135. Cæterum in constitutionibus hujus Diœcesis Ulyssiponensis *l.* 1. *tit.* 20. *decreto.* 8. §. 1. Hæc jubentur præmitti: *Dominus noster JESUS CHRISTUS te absolvat: Et ego authoritate ipsius, te absolvo, in primis ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti*: Villal. *tract.* 16. *difficult.* 24. *n.* 1. alias designat; & alii alias, quos refert Leand. *supra q.* 111. His suppositis.

136. Dico primò: Absolutio, quæ datur à censuris virtute Bullæ Cruciatæ; non requirit aliam formam dictinctam ab ea, qua communiter, absque Bullâ uti solemus. Et hoc constat, ex ipsâ Bullâ Latinâ, in qua conceditur facultas absolvendi à censuris, non exceptis; & nihil circa formam ab illis absolvendi, sancitur: ergo potest quis virtute Bullæ electus, forma consueta uti. Sic asserunt Bard. *part.* 2. *tract.* 6. *cap.* 4. *n.* 29. Leand. *tom.* 4. *tract.* 2. *disp.* 17. *q.* 112. Tambor. *tract. de Bull. cap.*

11. §. 9. *n.* 2. & apud ipsum Nunius, & Galleg. in *Bull. clausul.* 14. *dub.* 182.

137. Nec obstat, quòd in fine summarii Bullæ, apponatur quædam forma absolutionis, qua uti potest confessarius electus; sed non est necessaria, nec ut necessaria ibi apponitur, sed ex devotione; quatenus ibi exprimuntur varii effectus, qui per virtutem Bullæ causantur: ut explicita remissio censurarum, tum à jure, tum ab homine, remissio culparum, applicatio indulgentiæ plenariæ. Addo tamen, eam formam, ut patet, ex verborum contextu, fuisse appositam pro illa absolutione, quæ conceditur in Bullâ semel in vitâ, & in mortis articulo.

138. Dico secundò: Quamvis eadem numero formâ, *Absolvo te*, possit confessarius, virtute Bullæ electus, validè uti ad absolvendum à censuris, & peccatis; quia licèt absolutio à censuris præcedere debeat absolutionem à peccatis; & cùm absolutionis forma sit una tantùm realis, & se ipsa realiter, non potest esse prior, & posterior; potest tamen esse prior prioritate naturæ, seu rationis, prout terminatur ad censuras, & esse posterior, prout terminatur ad peccata; ut cum Henriq. Sotr. Navarr. Bonacin. Lezan. & aliis tenet, ut Probabilius Bard. *proximè n.* 30. *& seqq.* Escobar *supra n.* 108.

139. Probabilius tamen existimo, eam numero absolutionem à censuris simul, & à peccatis, quamvis sit valida; nisi sit in casu necessitatis, non esse licitam. Primò, quia ex natura rei absolutio à censuris debet præcedere absolutionem à peccatis: nam si sufficit, quòd præcedat prioritate rationis: convenientius est, quòd præcedat prioritate reali; secundò quia omittere modum consuetum ab Ecclesia, in absolvendis censuris, & peccatis, est aliqua inordinatio: sed Ecclesia consuevit absolvere prius, prioritate reali à censuris, quàm absolvere à peccatis, ergo ea numero absolutione utens pro censuris, & peccatis, nulla data necessitate, illicitè se geret. Ita docent expressè Granad. *tract.* 1. *de panit. disp.* 6. *sect.* 1. *n.* 2. Leand. *part.* 1. *tract.* 5. *disp.* 2. *q.* 39. *& tom.* 4. *tract.* 2. *disp.* 17. *q.* 116. Bossius. *de jubil. sect.* 1. *casu* 23. *n.* 18, 19. *&* 20. Addo Bonac. *citat.* pro oppositâ sententia *disp* 1. *de censur. q.* 3. *punct.* 5. *n.* 3. asserere, certiorem modum absolvendi esse; si confessarius dicat: *Ego te absolvo ab omnium censuris, & peccatis tuis &c.*

140. Existimo tamen cum Granad. & Leand. *locis cit.* absolventem à censuris, & à peccatis eadem numero forma: *Ego te absolvo*, non urgente necessitate, non peccare mortaliter, sed tantum venialiter; dummodo utens ea forma, intendat primò absolvere à censuris, & deinceps à peccatis. Ratio est, quia illa inordinatio, omittendi modum consuetum, absolvendi à censuris, non videtur sufficiens, ad constituendum peccatum mortale; quia adhuc absolutio à censuris est prior natura quàm absolutio à peccatis: sufficit tamen ad peccatum veniale; quia non servatur modus consuetus.

SECTIO XVI.

An absolutio à censuris per Bullam, si metu, vel dolo extorqueatur, sit invalida?

141. Dico primò: Absolutio excommunicationis, vel cujusvis alterius censuræ si per metum gravem cadentem in constantem virum, sit extorta, est nulla, & invalida: non ex natura rei; quia metus non tollit voluntarium simpliciter, sed tantùm secundum quid: sed ex ipso jure positivo; ita disponente *in cap. unico, de his, quæ vi, metusve &c.* in 6. ibi: *Absolutionis beneficium ac excommunicationis sententiâ, vel quamcunque revocationem ipsius, aut suspensionis, seu etiam interdicti, per vim, vel metum extorta: præsentis constitutionis authoritate, omnino viribus evacuamus.* Sic textus. Et ita docent Soar. *de censur. disp.* 7. *sect.* 6. *n.* 13. Navarr. *in summ. cap.* 27. *n.* 125. Ugolin. *de cens. tabul.* 1. *cap.* 20. §. 4 *n.* 2. Reginald. *in prax. l.* 9. *n.* 49. Ægid. *de Sacram. disp.* 13. *dub.* 5. *n.* 36. *& disp.* 14. *dub.* 16. *concluf.* 2. Sayr. *de cens. lib* 2. *cap.* 21. *n.* 30. Henriq. *lib.* 13. *n.* 1. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 11. *cap.* 10. *quæst.* 5. Bonac. *disp.* 1. *de cens. q.* 3. *punct.* 8. *n.* 4. *& seqq.* Dian. *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 118. *in fine, & part.* 5. *tract.* 9. *resol.* 69. *in fin.* Lezan. *in summ. tom.* 3. *verb. absolutio n.* 12. Bauny *in Theol. moral. part.* 2. *disp.* 3. *tract.* 2. *q.* 45. *dub.* 2. Leand. *tom.* 4. *tract.* 2. *disp.* 17. *q.* 11. Soar. *Lusit. de panit. tract.* 6. *disp.* 1. *n.* 62. Escobar in Theol. moral. *tom.* 1. *lib.* 7. *n.* 221.

142. Ex hâc sententiâ sequitur, si absolutio ab excommunicatione, vel ab aliâ censurâ, virtute Bullæ, extorqueatur, per metum gravem cadentem in constantem virum, esse irritam, & invalidam. Ita de absolutione data per Bullam tenent. Trullench. *lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 18. *n.* 16. Bard. *part* 2. *tract.* 6. *cap.* 4. *n.* 36.

143. Dico secundò: Si absolutio ab excommunicatione, vel ab aliâ aliquâ censurâ virtute Bullæ, obtineatur per metum levem, non erit invalida; quia in jure metus levis non est in consideratione, *l. nec timorem 7. ff. de eo, quod metus causa. & l. metus eodem tit. & regul. vani timoris ff. de regul. jur.* & in jure Canonico *Clem.* 1. *n.* 3. *de for. competent.* Gloss. *cap. unic. verb. subjacere, de his, quæ vi &c. in* 6. & D. D. Soar. *dict. disp.* 7. *sect.* 6. *n.* 14. Les. *lib.* 2. *de justit. cap.* 17. *n.* 16. Sanch. *lib.* 4. *de matr. disp* 9. *n.* 4. *& seqq.* Castro Palao *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 1. *punct.* 11. Bonac. *citat. punct.* 8. *n.* 4. *vers. dixi cadentem*, & alii, quos referunt, & sequuntur Bard. *pro vimè* Leand. *q.* 21.

144. Objicies: Censura lata ex metu cadente in constantem virum est valida; ut docent Soar. *disp.* 2. *de censur. sect.* 5. *à n.* 2. Filliuc. *tract.* 11. *cap.* 2. *n.* 44. Bonac. *tom.* 1. *disp.* 1. *de censur. q.* 1. *punct.* 12. *n.* 1. Ægid. *disp.* 13. *dub.* 5. *a num.* 36. Alterius *lib.* 3. *disp.* 9. *cap.* 1. Hurtad. *de cens. in comm. difficult.* 6. *vers. quod autem* Baunis *tract.* 1. *q.* 8. *pag.* 9. Candid. *disquis.* 22. *art.* 29. Turrian. *disp.* 2. *de censur. dub.* 2. Villal. *tract.* 16. *diffic.* 6. *n.* 7. Dian. *part.* 5. *tract.* 9. *resol.* 69. Leand. *tom.* 4. *tract.* 1. *disp.* 2. *q.* 47. & alii: ergo eam vali-

da

da erit absolutio, obtenta ex metu gravi, cadente in constantem virum. Respondeo, dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia invaliditas, & validitas censuræ desumitur à jure canonico; & in illo non reperitur, quòd censura lata, per metum gravem, sit invalida: at reperitur, quòd absolutio, eo metu, obtenta, est nulla & irrita; congruentiæ autem hujus dispositionis videri possunt, apud Soar. *disp. 2. de censur. sect. 5. n. 2.* & alios *supra* citatos.

145. Dixi, dato antecedente, quia illum negant Ugol. *de cens. tab. 1. cap. 2. §. 4. n. 2.* Sayr. *l. 2. cap. 16. n. 9.* Cornejo *tract. 5. de cens. in genere disp. 2. dub. 4.* & probabilem dicit Dian. *proxime citat.*

146. Dico tertiò: si absolutio fuit extorta, per dolum, fraudem, aut errorem versantem circa causam finalem, seu necessariò requisitam, est invalida. Unde si pœnitens dicat confessario, per Bullam electo, se jam parti læsæ satisfecisse, cùm non satisfecerit; vel se non posse satisfacere, cùm possit; absolutio à confessario collata, est nulla; quia non subsistit causâ finalis, quæ movit confessarium, ad absolvendum ab excommunicatione, vel aliâ quavis censurâ. Et loquentes de Bullâ, id tenent Bard. *part. 2. tract. 6. cap. 4. n. 37.* Escobar *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 220.* & secundum jus, Soar. *tom. 5. de cens. disp. 7. sect. 6. n. 12.* Sanch. *l. 2. decal. cap. 12. n. 8.* Bonac. Reginald. Filliuc. quos refert, & sequitur Leand. *tom. 4. tract. 2. disp. 17. q. 10.*

147. Dices: ex hoc sequitur, quòd si pœnitens, ex ignorantiâ invincibili, existimet se parti læsæ satisfecisse; cùm non satisfecerit, vel existimet non teneri ad satisfaciendum, cùm revera teneatur, & sic à confessario electo absolvatur ab excommunicatione, vel aliâ censurâ, invalidam esse absolutionem: quia non est impensa, juxta illius intentionem: hoc tamen non est dicendum, quia tam pœnitens, quàm confessarius existimant, se ritè absolvi, & absolvere. Respondeo, negando sequelam: illa enim absolutio est valida, quia jus positivum illam non irritat, sed illam, quæ datur per dolum, aut fraudem; & non quando datur à censuris, præcedente bonâ fide pœnitentis, & confessarii; cujus intentio conformatur, cum intentione universali Ecclesiæ: si tamen confessarius, positâ bonâ fide, ex parte pœnitentis, adhuc intentionem habeat non absolvendi, nisi re ipsâ pars sit satisfacta; non absolveret; malè tamen aget, habendo eam intentionem. Sic Bard. *cit. n. 39.*

SECTIO XVII.

Quid speciale indulgeat Bulla, dum concedit facultatem absolvendi à reservatis S. Pontifici, in articulo mortis?

148. CConceditur in Bullâ facultas absolvendi à censuris, & casibus S. Pontifici reservatis semel in vitâ, & in mortis articulo, quibusdam exceptis. Cùm tamen in præcedentibus, dictum sit, de absolutione semel in vitâ impertiendâ; supereſt, ut dicamus de absolutione in mortis articulo. Ut hæc clarius procedant, supponendum est, *ex Conc. Trident. sess. 14. cap. 7. de pœnitentiâ*, in articulo mortis, nullam esse reservationem; ac proinde quemlibet sacerdotem posse absolvere à quolibet peccato, vel censurâ, ibi: *Verum tamen pie admodum, ne hac ipsâ occasione, aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei, custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio, in articulo mortis; atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt.* Hæc Concilium.

149. Insurgit ergo dubium: si quilibet sacerdos, in articulo mortis, potest absolvere à quibusvis censuris, & peccatis; quid speciale indulget Bulla, dum concedit absolutionem à casibus Pontifici reservatis in mortis articulo? Respondeo, plura indulgere utilitatis, & emolumenti; ut tenent cum aliis, quos citant, Trullench. *in Bull. l. 1. §. 7. cap. 2. dub. 5. à n. 12.* Bard. *part. 2. tract. 6. cap. 6. n. 3.* Mend. *disp. 23. n. 100.* Rodrig. *§. 9. n. 36.* Tanchor. *l. 5. de pœnit. cap. 12. §. 5. n. 6.* Ludovic. *à Cruce in expos. Bullæ disp. 1. cap. 3. dub. 14. n. 2.*

150. Primum emolumentum sit: Quòd ille, qui in articulo mortis absolvitur virtute Bullæ à censuris reservatis, si tamen postea convalescat, non tenetur se præsentare superiori, cui reservata erat absolutio: si tamen in eo articulo, non virtute Bullæ, ab aliquo confessario, (qui non habet simile privilegium) aut sacerdote absolvatur ab iisdem censuris reservatis, tenetur post convalescentiam se præsentare superiori; & nisi se præsentet, aut absolutionem obtineat ab eo, qui potestatem habet absolvendi ab iis censuris, reincidet in eandem moralem, seu numero diversam censuram; ut constat *ex cap. eos qui de sentent. excomm. in 6.* & asserunt D. D. Sanch. *l. 2. decal. cap. 13. n. 31.* Cardin. de Lug. de pœnit. *disp. 20. n. 201.* Vasq. *q. 93. art. 11 dub. 6. n. 15.* Gaspar Hurtad. *disp. 11. difficult. 13.* Granad. *tract. 10. disp. 7. n. 14.* Escobar *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 194.* cum Henriq. Ludovic. à Cruce. Soar. Lusit. *de pœnit. tract. 7. disp. 2. n. 237.* cum pluribus, quos ibi affert. Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 12. q. 70.* ubi optimè advertit, cum Sanch. *cit.* & aliis, idem, quod dicimus, nempe: ab hoc onere se præsentandi, seu comparendi, liberum esse, qui à censurâ reservatâ absolvitur, virtute Bullæ crucіatæ concedentis in articulo mortis talem absolutionem, excepto casu hæresis, juxta Bullam Hispanam, in qua hæresis duntaxat excipitur. Quod idem nos advertimus, juxta Lusitanam, in quâ non solùm excipitur ipse casus hæresis, sed etiam conspiratio in personam, & statum Romani Pontificis, falsificatio litterarum Apostolicarum, & supplicationum, & undecimus, duodecimus, decimus tertius, & decimus quartus articulus Bullæ Cœnæ Domini; ut dictum, & explicatum vidimus *disp. 16. sect. 6. & seqq.* nam Bullæ privilegium ad hos casus, non extenditur. Unde qui ab aliis, non exceptis, in articulo mortis, virtute Bullæ, absolvitur; non tenetur post convalescentiam, se præsentare, seu comparere coram superiore, aut alio, illius facultatem habente. Et hoc est maximum emolumentum.

151. Dubitabis verò: An si non habens Bullam, vel illam habens, incidit tamen in aliquem casum ex exceptis; & ante absolutionem ignoravit onus se præsentandi, seu comparendi, & post absolutionem, de eo certior redditus, comparere teneatur? Non teneri existimant Vasq. *quæst. 93. art. 1. dub. 6.* Ægidius *disp. 8. dub. 15.* quos citat,

& sequitur Gasp. Hurt. *disp.* 11. *diffic.* 12. quatenus docent, non teneri se præsentare, vel comparere illum post absolutionem, qui ante illam, illud ignorabat; sed quamvis hoc videatur probabile.

152. Probabilius tamen, & tutius est, teneri ad comparendum; quia per ipsam confessionem, & absolutionis petitionem, contrahit quilibet pœnitens obligationem, se præsentandi, & comparendi, propter pactum implicitum, ibi contentum; sine quo non esset valida absolutio, & confessio. Ita aliqui, quos suppresso nomine refert Hurt. *proximè*; & expresse docet Card. de Lug. *disp.* 15. *à n.* 119. Mend. *dictâ disp.* 23. *n.* 102. Leand. *citat. q.* 68. vide dicenda *infra disp.* 20. *sect.* 3.

153. Secundum emolumentum Bullæ, pro articulo mortis est: Si quis in eo articulo constitutus; & excommunicatus excommunicatione reservata existat; & careat Bullâ, sitque præsens confessario, qui facultatem habet absolvendi ab ea excommunicatione; non poterit ab illa absolvere simplex Sacerdos, aut alius non proprius: nam licèt in opinione sit positum, an præsente proprio Sacerdote, seu approbato, possit simplex, absolvere validè à peccatis; aliis affirmantibus esse validam absolutionem: videlicet, Navarr. Sâ, Ledesm. Rodrig. Veg. Henriq. Barbos. Sayr. Reginald. & aliis, quos referunt Dian. 1. *part. tract.* 5. *resol.* 5. *&* 3. *part. tract.* 4. *resolut.* 57. *&* 4 *part. tract.* 4. *resol.* 161. Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 11. *q.* 18. quibus adde Castr. Palao Verricelli, quos refert, & sequitur Tamborin. *lib.* 5. *de pœnit. tract. de casibus reserv. cap.* 2. §. 1. *n.* 3. *& in opusc. method. confess. l.* 3. *cap.* 7. §. 1. *n.* 1. Aliis verò, & probabilius negantibus, quos citant, & sequuntur Leand. *proximè*, Card. de Lug. *de pœnit. disp.* 18. *n.* 24. Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 6. *disp.* 1. *n.* 26. Mend. *disp.* 22. *n.* 6. At in ordine ad censuram, pars negativa existimatur certa à mox citandis, nempe, non posse simplicem Sacerdotem, vel non proprium, præsente, qui facultatem habet, ad eam absolvendam censuram, ab illa absolvere; & sic manifestè colligi, *cap. eos, qui, de sentent. excommunicat. in* 6. asserit Bard. cit. *dictâ part.* 1. *tract.* 6. *cap.* 6. & absolutè illam docent Mend. *citatâ disp.* 22. *n.* 9. Escobar *supra n.* 195. & apud ipsum Rodrigues *in Bull.* §. 9. *n.* 36.

154. Dixi, *partem negativam existimari certam à citatis authoribus*; quia affirmativa, & opposita non ità est certa, ut non reputetur probabilis à Card. de Lug. de pœnit. *disp.* 18. *n.* 23. Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 4. *punct.* 3. §. 5. *n.* 8. Tambor. *cit. in Method. confess. dicto lib.* 3. *cap* 7. §. 1. *n.* 1. Attamen negari non potest, negativam esse communiorem, & probabiliorem; nam *ex cit. textu in cap. eos qui*, dare videtur colligi, non posse simplicem Sacerdotem, vel non proprium absolvere, præsente, qui habet facultatem absolvendi censuram, vel præsente reservatore. Verba enim textus sic habent: *Cùm ad illum à quo alias de jure fuerant absolvendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum, pro absolutionis beneficio, habere recursum.*

155. Erit ergo emolumentum, si hic censuratus habeat Bullam, & virtute illius eligat confessarium ab ordinario approbatum; & poterit ab eo absolvi, etiam si ad S. Pontificem, & ejus Pœnitentiarium pateat facilis aditus; vel alius adsit, qui facultatem habeat absolvendi ab ea censura. Ita cum Rodrigues §. 9. *n.* 36. Bard. Escobar, & Mend. *locis citatis*. Excipe tamen casus Pontificios, qui in nostrâ Bullâ Lusitanâ excipiuntur; nam si sit præsens, qui ex potestate, vel aliqua facultate, possit ab eis absolvere; non potest electus per Bullam, ab illis absolvere: ut notatum est cum probabiliori sententia.

156. Tertium Bullæ emolumentum pro constituto in articulo mortis est, posse absolvi ab omni censura, nempe excommunicatione, suspensione, & interdicto. At si hic non haberet Bullam: non possit absolvi ab omni censura, sed ab illis tantùm, quæ impediunt absolutionem, & Ecclesiasticam Sepulturam. Ut hæc tamen clarius evadant.

157. Enodemus hoc dubium: A quibus censuris possit quilibet Sacerdos in articulo mortis absolvere? Respondeo duplicem dari sententiam. Prima asserit posse ab omnibus, tam ab iis, quæ impediunt receptionem Sacramentorum; quales sunt excommunicatio, interdictum personale, suspensio à receptione Sacramentorum, & Ecclesiastica sepultura; quàm ab iis, quæ Sacramentorum receptionem non impediunt; ut sunt suspensio ab ordine vel beneficio, vel officio, vel ab irregularitate; in opinione eorum, qui dicunt esse censuram, ut *infra* examinabitur. Probat, quia Concil. Trident. *citat.* initio hujus Sectionis, non distinguit, sed absolutè concedit, posse confessarium absolvere à quibusvis peccatis, & censuris: ergo nec nos distinguere debemus. Sic docent Ugolin. *de censur. tab.* 1. *cap.* 4. §. 1. *num.* 2. Caspens. *in cursu Theol. tom.* 2. *tract.* 25. *disp.* 2. *sect.* 13. *num.* 139. quos refert Dian. 7. *part. tract.* 10. *resolut.* 11.

158. Secunda tamen, & tenenda sententia docet non posse quemlibet Sacerdotem absolvere constitutum in articulo mortis, nisi ab iis tantùm censuris, quæ impediunt sacramentorum receptionem, & Ecclesiasticam sepulturam. Ratio est, quia licèt Trident. non restringat ad has tantùm censuras; motivum, quod adducit, ad hoc statuendum est; *ne hâc ipsâ occasione aliquis pereat*; quibus verbis clarè demonstrat, solùm loqui de illis censuris, & peccatis, à quibus si non absolveretur, occasio daretur damnationis: ne igitur hæc detur occasio, tollit reservationem; & concedit omnibus sacerdotibus absolvere à peccatis, & censuris, quæ hanc impedire possunt. Ita Sanch. *lib.* 2. *decal. cap.* 13. *n.* 12. citans Zambrin. Navarr. & alios & Soares *tom.* 5. *de censur. disp.* 7. *sect.* 7. *n.* 6. Bard. *ubi infra n.* 4. Trullench. *nuper cit. n.* 13. Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 7. *disp.* 2. *n.* 241.

159. Cùm verò hæc sententia sit amplectenda, multùm utilitatis confert Bullæ privilegium, pro articulo mortis: nam in illo constitutus potest absolvi, non solùm ab iis censuris, quæ impediunt receptionem sacramentorum, sed etiam ab illis, quæ illam non impediunt.

160. Quartum Bullæ emolumentum pro constituto in articulo mortis, est; posse absolvi à reservatis, non habentibus censuram annexam, per confessarium à se electum, & ab ordinario approbatum, præsente legitimo confessore, in probabiliori opinione allata *supra n.* 153. non posse simplicem Sacerdotem absolvere validè à peccatis, præsente proprio Sacerdote: nam virtute Bullæ, præsente proprio, potest cum alio approbato confiteri reservata, & ab illis absolvi; quod poterat, non habens

bens Bullam: ut tenet Mend. *disp.* 23. *n.* 104. Imo addo in sententia Sanch. *l.* 2. *decal. cap* 13. *n.* 11. Card. de Lug. *de panit. disp.* 16. *num.* 33. Mend. *disp.* 23. *cap.* 1. *n.* 12. *in fine* Trullench. Navarr. Cordub. quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 12. *q.* 20. asserentium, non posse constitutum, in articulo mortis, habentem casus reservatos confiteri cuicunque confessario exposito, dum adest confessarius habens privilegium ab illis absolvendi: nam ea data opinione; si in articulo mortis constitutus, habeat Bullam, poterit eligere quemcunque confessarium expositum, relicto illo habente privilegium, ad absolvendum à reservatis.

161. Dixi, *eâ datâ opinione*, quia etiam probabilem judico asserentem, etiam præsente eo confessario, habente privilegium absolvendi à reservatis; posse constitutum in eo articulo, & carentem Bullâ, confiteri cuicunque exposito; ut docet Soar. *tom.* 4. *in* 3. *partem disp.* 30. *cap.* 3. *n.* 5. Henriq. *lib.* 6. *cap.* 10. *n.* 1. *in commento litt. d.* & apud Leand. *cit.* Coriolan. *de casib. reservatis part.* 1. *sect.* 2. *art.* 16. *n.* 17. & alii, ea ducti ratione, quòd in eo articulo, omnis reservatio cessat.

162. Adverto tamen primò, absolutum in articulo mortis, etiam absque virtute Bullæ, aut jubilæi à reservatis, non habentibus censuram annexam, non teneri postea comparere coram legitimo confessario, aut superiore; quod licèt sit contra Hurt. *de panit. disp.* 11. *diffic.* 13. docetur tamen à Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 30. *sect.* 3. *n.* 6. Ægid. *disp.* 8. *dub.* 2. Regin. *lib.* 1. *n.* 62. *& l.* 8. *n.* 14. Vasq. mutans sententiam, quam prius docuerat, hanc sequitur *q.* 93. *de panit. art.* 1. *dub.* 7. *n.* 15. & alii communiter, quos citant, & sequuntur Mend. *disp.* 23. *num.* 104. Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 12. *quæst.* 71. Soar. Lusit. *de panit. tract.* 7. *disp.* 2. *num.* 245.

163. Adverte Secundò, absolutionem à casibus Sedi Apostolicæ reservatis non exceptis, semel tantum obtineri posse in vitâ, & iterum in morte, per unicam Bullam; etsi alius superveniat, eo durante anno, articulus mortis; non posse sumi secundum Bullam. Id enim est speciale privilegium concessum, in Bullâ Hispanâ; & in Lusitanâ non conceditur: ut vidimus *disp.* 4. *sect.* 7. *n.* 48. *& seqq.* Unde secundò constitutus in eo articulo debet absolvi à casibus Pontifici reservatis, juxta ea, quæ in jure communi disponuntur, ut jam diximus *disp.* 6. *sect.* 7. *à n.* 42. Vel si adhuc in vita non fuit absolutus semel; poterit iterum in mortis articulo absolvi; nam sic absolutus verè in vitâ absolvitur; ut jam alibi cum Remigio notavimus.

SECTIO XVIII.

An facultas absolvendi per Bullam pro mortis articulo intelligatur de vero, aut de præsumpto, seu de ejus periculo?

164. Disputatione Octavâ Sect. 3. tractantes de indulgentiâ plenariâ pro mortis articulo concessâ; exposuimus, mortis articulum, vel esse verum; in quo quis verè moritur, vel esse præsumptum, quando præsumitur aliquis moriturus, verè tamen non moritur. Et diximus indulgentiam esse concessam, pro vero mortis articulo, juxta nostram Bullam; quamvis piè, & veritati sit consentaneum, quòd etiam concedatur pro mortis articulo præsumpto: *Sect. autem 4. sequente* ejusdem disp. vidimus, periculum, & articulum mortis, quamvis inter se metaphysicè differant; moraliter tamen, & quoad absolutionem à reservatis, pro eodem usurpari; & hæc resolutio ad hunc pertinet locum; alia *citatis locis*, videri possunt.

165. Inquirimus igitur in præsenti: An facultas, quæ conceditur in Bullâ, ad absolvendum à reservatis Pontifici, pro mortis articulo, intelligatur concessa, pro vero mortis articulo, an pro præsumpto? Respondeo intelligi, vel de vero, vel de præsumpto. Primò, quia Bulla indistinctè loquitur; & cùm non distinguat, nec nos distinguere debemus.

166. Secundo, quia sufficit, ut quis absolvatur, juxta dispositionem *Trident. sess.* 14. *cap.* 7. *de panit.* per quemlibet Sacerdotem ab omnibus peccatis, & censuris, quòd articulus mortis sit verus, aut præsumptus; ut omnes tenentur concedere: ergo etiam, ut quis absolvatur, virtute Bullæ, ab omnibus Pontifici reservatis, sufficiet mortis articulus verus, aut præsumptus. Confirmatur quia idem requiritur articulus mortis, ad absolvendum à Pontifici reservatis, qui requiritur, ad ministrandum Sacramentum S. Unctionis: sed ad hoc ministrandum, sufficit articulus mortis verus, aut præsumptus, ut experientiâ patet: ergo etiam ad absolvendum à Pontifici reservatis, sufficiet articulus mortis verus, aut præsumptus. Sic A Costa *q.* 71. *vers. His positis fol.* 146. & alii, quos citat. Rodrig. §. 9. *n.* 38. Mend. *dict. d.* 27. *n.* 3. Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 19. *n.* 8. alios citans.

167. Dices: *disp.* 8. *sect.* 3. *cit. n.* 24. diximus indulgentiam plenariam, in Bullâ concessam pro articulo mortis, intelligi concessam, pro vero mortis articulo: ergo etiam absolutio pro eo articulo intelligetur concessa, pro vero mortis articulo; & non etiam pro præsumpto. Respondeo, dato antecedente, negando consequentiam; disparatio est facilis: quia si absolutio in articulo mortis non impertiretur, nisi in vero mortis articulo; cùm confessarius, & homines illum ignorent, daretur moribundo occasio pereundi, quam Concil. tollere intendit, ne ergo detur ea occasio, absolutio à peccatis, & censuris præstari debet in vero mortis articulo, vel præsumpto: at hoc inconveniens non datur in eo, quòd indulgentia concedatur, pro vero mortis articulo, imo si una tantùm semel concedatur, pro eo articulo, maximè congruit, quòd pro vero concedatur, vide quæ diximus *loco citato*.

168. Inquires Secundò: An facultas concessa per Bullam absolvendi à reservatis S. Pontifici in mortis articulo intelligatur tam de articulo, quàm de periculo mortis? Solùm intelligi de articulo, & non de periculo mortis, arbitrantur Sotus, Covarr. Canus Valencia, apud Sanch. *l.* 2. *decal. cap.* 13. *n.* 1. quia sumunt articulum mortis strictè; & prout distinguitur à periculo, quoad absolvendum à reservatis; & consequenter docent, facultatem concessam in Bullâ ad absolvendum à reservatis, in mortis articulo, non extendi ad periculum. Fundamentum esse videtur, quia Concil. Trident. cùm dicit, quemlibet Sacerdotem posse absolvere ab omnibus peccatis, & censuris, loquitur de mortis articulo; ergo etiam cùm eodem modo loquatur Bulla dum concedit Sacerdotem, ab ordi-

nario approbatum posse absolvere in mortis articulo; eam facultatem non concedit in mortis periculo.

169. Communior tamen, & probabilior sententia tenet, in præsenti materia pro eodem accipi articulum, & periculum mortis. Sic Navarr. Sylvestr. Medin. Paludan. Adrian, quos affert, & sequitur Soar. *tom. 4. in 3. part. disp. 26. sect. 4. n. 3.* Idem tenent Sanch. *lib. 2. decal. cap. 13. num. 1.* D. Anton. Angel. Fabien. Annil. Alexand. Cordub. Ledelm. Gaper, Innocent. Joann. Andr. Panormitan. Hostiens, quos refert, & sequitur Henriq. *l. 3. de panit. cap. 11. n. 3. in gloss. litt. G.* Item Anton. Gomes *in Bull. cæns. 10. n. 13.* alios juristas citans. Ludov. à Cruce *in Bull. disp. 1. cap. 3. dub. 16.* Trullench. *ibidem l. 1. §. 7. cap. 2. dub. 4. n. 3.* Card. de Lug. *de panit. disp. 18. num. 21.* Mend. *disp. 21. n. 25.* Bard. *part. 2. tract. 6. cap. 6. n. 17.* Escobar *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. num. 192.* Soar. Lusit. *de panit. tract. 6. disp. 1. n. 24.* alios citans.

170. Probatur, quia etsi articulus, & periculum mortis, inter se metaphysicè distinguantur; in ordine ad absolutionem, pro articulo mortis, pro eodem reputantur; ut in ipso jure conspicitur; & diximus jam, *supra disp. 8. sect. 4. à n. 35.*

171. Ostenditur deinde ratione; quia si hoc privilegium pro articulo mortis, sit tantùm pro hoc articulo, & non pro mortis periculo, utplurimùm erit inane; quia ille, qui est reservatis, & censuris innodatus, confiteri tenetur, cùm adest mortis periculum; & expectare non potest articulum mortis: quia exponitur periculo non confitendi in eo, propter phrenesim, aut amissionem sensus, & similia; quæ possunt prævenire cum articulo. Deinde positus in periculo mortis, tenetur Eucharistiam suscipere; quam præcedere debet confessio: ergo si in periculo mortis non potest habens Bullam illa uti; ut plurimùm non poterit in articulo; ac proinde inane erit privilegium: Dicendum ergo est periculum, & articulum mortis, in hoc, & similibus privilegiis, pro eodem reputari.

172. Quod dictum est de privilegio Bullæ ad absolvendum in articulo, vel periculo mortis, dicendum etiam est de periculo diuturnæ, vel perpetuæ amentiæ, in quo tenetur periclitans confiteri, & per Bullam potest absolvi, ac si esset in articulo mortis. Ita Soar. *tom. 4. in 3. part. disp. 26. sect. 4.* Sanch. *l. 2. decal. cap. 13. n. 2.* Trullench. *in Bull. l. 1. §. 7. cap. 2. dub. 4. n. 2. in fine.* Mend. *disp. 27. num. 34.*

173. Averte tamen, cum Sanch. *cit. n. 3.* Ludovic. *in Bull. disp. 1. cap. 3. dub. 18. n. 3. & 4.* Trullench. *cit. dict. n. 2. vers. Duo tamen observanda sunt* Bard. *part. 2. tract. 6. cap. 6. n. 17.* Mend. Escobar *locis citatis*, & aliis ab eis laudatis, ut constitutus in periculo mortis valeat virtute Bullæ absolvi ab omnibus reservatis S. Pontifici, requiri primò; ut periculum non sit remotum, sed propinquum, & in fieri, quia in remoto cessat necessitas confitendi, & non in propinquo. Unde damnati ad triremes non sunt in hoc periculo; quidquid in oppositum teneat Sa *verb. absolutio num. 4.* Et licèt hoc periculum instet, Sacerdotes in triremibus ire solent ad confessiones audiendas. Idem dicendum de navigatione Indica, in qua plures Sacerdotes reperiuntur. Et idem dicendum, existimo de navigatione Brasilica. At si in his navibus Brasilicis, non navigent Sacerdotes; cùm navigatio sit longinqua, & periculosa, existimo navigantes teneri ad confessionem antequam è portu solvant. Et si tenentur ad confessionem, ut existimo, possunt prædicto uti privilegio. At cùm jam huic periculo occurratur, ferente qualibet navi suum Sacerdotem, cessat obligatio confessionis, & usus privilegii Bullæ; pro articulo mortis. Nec etiam omnes prægnantes ille possunt uti, etsi partus instet; secus de illis, quæ illos difficiles sunt experiri, vel ob circunstantias illos difficiles metuunt. Videatur Fagund. *in 2. præcept. Eccles. l. 1. cap. 1. n. 7.*

174. Secundò requiritur, ut in tali periculo homo sponte sua, & absque urgente necessitate non ponatur; quia hic non dicitur propriè loquendo, constitutus in periculo, cùm sponte sua in eo constituitur. Et hoc habet verum non solùm in eo, qui amat periculum voluntariè se illi immittendo, in quo actu peccat, ut qui ad duellum properat; sed etiam in eo qui temerariè se objicit periculo peccando in ipsâ temeritate; non verò in actu, quem intendit: ut qui furioso tauro se committit, ut grande præmium acquirat. Hi enim cùm sint indispositi absolutionem obtinere nequeunt. Si tamen jam in periculo sunt constituti, nec illud vitare possunt, si sint dispositi, possunt absolvi; & Bullæ privilegio gaudere. Sic D. D. citat; præsertim Mend. *supra n. 35.* & Escobar *n. 193. in fine.*

SECTIO XIX.

An quæcunque suspensio, sive sit censura, sive mera pœna possit, virtute Bullæ, absolvi?

175. AD hujus tituli intelligentiam, videnda sunt, quæ diximus *disp. 15. sect. 2. in fine*, ubi habetur, quid sit suspensio, quando sit censura, & quando mera pœna. Et quod attinet ad quæstionem propositam; aliqua nobis utendum est distinctione: nam si suspensio sit censura, absque dubio est, posse, per Bullam, absolvi, satisfacta parte; quia in illa conceditur, absque ulla limitatione, absolutio ab omni censura; & cùm suspensio etiam sit censura, ut patet *ex cap. quærenti, de verbor. signific.* ab illa, prout est censura, potest confessarius electus per Bullam, absolvere. Et si sit S. Pontifici reservata, etiam si sit publica, ab illa potest absolvere semel in vita, & in mortis articulo: at si Pontifici sit reservata, & sit occulta, vel illi non reservata, ab illa potest absolvere toties quoties in ipsâ Sacramentali confessione, juxta Bullam Lusitanam; & juxta Hispanam, etiam extra illam, secundum probabiliorem opinionem: In foro tamen conscientiæ, sive suspensio sit à jure, sive ab homine lata. Hæc constant ex dictis; & in illis conveniunt expositores Bullæ Hispanæ. Vide Mend. *disp. 25. n. 97.* Trullench. *in Bull. l. 1. §. 7. cap. 2. dub. 15. n. 1. & 2.* Escobar *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 212.*

176. Addo, juxta declarationem factam pro Bullâ Lusitanâ, de qua *supra sect. 4. à n. 42.* Si suspensio sit à jure lata, absolutionem prodesse tam pro foro interno, quam pro judiciali; secus dicendum, si sit ab homine lata; nam ejus absolutio, pro foro externo, & judiciali, non proderit. Ita cum A Costa, & Abreu, hoc asserum *citato loco* ostendimus.

177. At

177. At ſi ſuſpenſio non ſit cenſura; ac proinde non medicinalis, ſed merè pœna (v. g. illa, qua S. Pontifex, vel Epiſcopus in pœnam alicujus delicti commiſſi, Sacerdotem punit, ſuſpendendo illum, per annum, vel aliud tempus determinatum, ab exercicio ordinis) gravis eſt difficultas, an virtute Bullæ, poſſit remitti ſeu abſolvi?

178. Prima ſententia eſt illorum, qui abſolutè docent, virtute Bullæ, poſſe confeſſarium electum, ab omni ſuſpenſione abſolvere; quin diſtinguant ſuſpenſionem, quæ eſt cenſura, ab eâ, quæ eſt mera pœna. Hi ſunt plures, quos referunt, & ſequuntur Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 15. *n.* 3. Mend. *diſp.* 25. *n.* 97. *&* 98. Avil. *part.* 3. *cap.* 6. *dub.* 2. Fr. Joſeph. Mend. *in Bull. ſect.* 1. *n.* 137. *fol.* 61. expreſsè Machad. loquens de ſuſpenſione, quæ eſt pura pœna *tom.* 1. *lib.* 1. *part.* 3. *tract.* 10. *docum.* 8. *in fine*, idem etiam aſſerit Leand. *tom.* 4. *tract.* 4. *de ſuſpenſ. diſp.* 5. *q.* 5.

179. Probant aliqui primò, quia omnes ſuſpenſiones ſunt cenſuræ: ſed in Bullâ conceditur facultas abſolvendi ab omnibus cenſuris: ergo omnes, ſine limitatione, poſſunt abſolvi: Reſpondetur tamen, negando majorem; quia cenſura, cum ſit medicina, imponitur, ut quis à contumaciâ recedat: ſuſpenſio verò, quæ imponitur, in pœnam delicti commiſſi, non imponitur, ut medicina, & ut ſuſpenſus à delicto recedat; ſed tantùm in pœnam punitivam delicti jam commiſſi; ideoque cenſura non eſt. Sic D. D. communiter. Vide Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part. diſp.* 26. *ſect.* 1. *n.* 15. *&* 16. Gaſp. Hurtad. *de ſuſpenſ. diſp.* 3. *diff.* 11. Tambor. *lib.* 10. *de cenſur. & irreg. tract.* 2. *cap.* 1. *à n.* 1. Leand. *tom.* 4. *tract.* 4. *q.* 3. *vers. Quartò divi litur*; & apud illum plures Doctores, quos refert.

180. Probant ſecundò alii, quia in Bullâ datur facultas abſolvendi à quibuſvis ſuſpenſionibus; & cùm ſit favor, debet ampliari ad omnes ſuſpenſiones; etiamſi non ſint cenſuræ: *juxta reg. Odia, de reg. juris in* 6. ergo virtute Bullæ, omnes ſuſpenſiones, ſive ſint cenſuræ, ſive merè pœnæ, poſſunt abſolvi. Reſpondetur, antecedens eſſe falſum; nam nec in Bullâ Hiſpanâ, nec in Luſitanâ, datur facultas abſolvendi ab omnibus ſuſpenſionibus; ſed tantùm ab omnibus cenſuris, in ipſis Bullis, non exceptis. In Bullâ enim Hiſpanâ ſic habetur: *quorumcunque peccatorum, & cenſurarum.* in Luſitanâ verò, ſic invenies, in declaratione à Pontifice factâ: nam antea, nec poſtea de illis, non eſt facta mentio. *Declarantes abſolutiones vigore præſentium, ſatisfactâ parte, faciendas ab excommunicationibus, & aliis cenſuris Eccleſiaſticis &c.* Quare non rectè intentum probatur ex Bullâ, in quâ reperitur verbum *ſuſpenſio*, ſed tantùm cenſuræ; & cùm ſuſpenſio, prout eſt merè pœna, non ſit cenſura, probatio enervatur.

181. Quare tenenda eſt oppoſita ſententia; nempe, virtute Bullæ non poſſe abſolvi ſuſpenſiones, quæ ſunt merè pœnæ, & non habent rationem cenſuræ. Ita expreſsè docent Bard. *part.* 2. *tract.* 6. *cap.* 7. *n.* 11. *&* 12. Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 11. §. 6. *n.* 1. *& lib.* 5. *de panit. tract. de caſibus reſervat. cap.* 12. §. 5. *n.* 16. *& lib.* 10. *de cenſur. tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 9. Probatur primò; quia ſuſpenſio, prout eſt merè pœna, non venit nomine cenſuræ, ut tenent communiter D. D. quos citavimus *proximè num.* 179. in reſponſione ad primam probationem ſententiæ oppoſitæ: ſed in Bullâ non conceditur facultas abſolvendi, niſi peccata, & cenſuras: ergo virtute Bullæ, non poſſunt hæ abſolvi ſuſpenſiones. Probatur ſecundò: quia ſuſpenſio, quæ eſt purè pœna non tollitur per abſolutionem, ſed per diſpenſationem, aut per lapſum temporis præſcripti, v. g. fuit Sacerdos, ob delictum commiſſum, per annum ſuſpenſus; elapſo anno ſine aliâ abſolutione, aut diſpenſatione, poteſt celebrare; & alia à quibus fuit ſuſpenſus exercere: ut tenet Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part. diſp.* 26. *ſect.* 1. *num.* 14. ſed per Bullam Cruciatæ, non conceditur facultas ad diſpenſandum: ut de his, & ſimilibus pœnis, docet Sanch. *lib.* 6. *decal. cap.* 15. *num.* 78. ergo ſuſpenſio, per Bullam, tolli non poteſt.

182. Dices primò: ex formâ abſolutionis, in fine ſummarii, appoſita infertur virtute Bullæ poſſe ſuſpenſiones, prout ſunt pœnæ, & aliæ ſimiles, abſolvi; dicitur enim ibi. *E de todas as outras cenſuras, e penas, que pos qual quer cauſa ajas encorrido*; quæ verba ad has ſuſpenſiones extenduntur; & ibi non opponerentur, niſi ad effectum conſequendum haberent vim: ergo ne dicamus, ea verba eſſe ſupervacanea, ſuſpenſiones merè punitivæ, ſeu pœnales, per Bullam abſolvuntur. Reſpondeo primò, ſub nomine *panas* in eâ formâ abſolutionis adductarum, venire illas, quas Canones pœnitentiales aliquibus imponunt, arcendo illos à communione ut *infra num.* 225. latiùs dicetur. Reſpondeo ſecundò, eam dictionem *panas* in eâ formâ abſolutionis, eſſe poſitam, vel juxta opinionem eorum docentium per Bullam poſſe eas pœnas remitti; vel ad ornatum, & majorem explicationem; at cùm in Bullâ nulla detur poteſtas, ad eam dictarum pœnarum remiſſionem, nullum poſſunt habere effectum. Prima tamen reſponſio eſt tenenda, ut communior inter D. D. juxta dicenda *loco citato.*

183. Dices ſecundò: Sicut incurrit irregularitatem, qui celebrat ligatus cenſura ſuſpenſionis; ita etiam illam incurrit, qui celebrat cum ſuſpenſione, ut eſt mera pœna, ad tempus definitum; ut conſtat *ex cap.* 1. *de re judic. & de ſent. excommunic. in* 6. & ut certum docent Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part. diſp.* 26. *Sect.* 1. *num.* 4. *&* 5. Leand. *tom.* 5. *tract.* 2. *diſp.* 22. *q.* 4. & apud ipſum Alterius *de cenſ. tom.* 2. *diſp.* 6. *de ſuſpenſ. cap.* 2. *column.* 3. *vers. ex dictis ſequitur*, Sayr. *lib.* 4. *Theſaur. cap.* 16. *num.* 30. Navarr. *cap.* 25. *num.* 76. *&* 77. *& cap.* 27. *n.* 154. Tabien. *verbo ſuſpenſio num.* 10. *vers. Nono*, Covarr. *in Clement. ſi furioſus part.* 1. §. 1. *num.* 5. Majol. etiam *lib.* 5. *de irregul. cap* 37. *n.* 1. quibus accedit Tamborin. *l.* 10. *de cenſur. & irregul. tract.* 4. *cap.* 14. §. 3. *n.* 9. ergo ſicut per Bullam poteſt abſolvi ſuſpenſio, dum eſt cenſura; ſic etiam poterit abſolvi ſuſpenſio, dum eſt mera pœna: Si enim convenit in contrahenda pœna irregularitatis, per exercitium ordinis à quo eſt ſuſpenſus; quod eſt proprium cenſuræ, etiam conveniet, in facultate abſolvendi, per virtutem Bullæ: nam ſi pœnæ extenduntur, etiam & favores convenit ampliari. Reſpondeo primò, plures negare antecedens: illud negant apud Tamborin. *proximè* Alphonſus de Leon. *lib.* 6. *de cenſur. n.* 5 Villal. *tom.* 1. *tract.* 18. *diff.* 3. *num.* 57. & apud Leand. *loco citat:* Navarr. Hoſtienſ. Archidiac. Joann. Andr. & Sylveſtr. *verb. Clericus* 2. *quæſt.* 8. *vers. quæritur ſecundò*; quia in odioſis non debet dari ea extenſio.

184. Reſpondeo ſecundò, cum ſententia Soar.

supra, & aliorum tenenda, concedendo antecedens, & negando consequentiam: Dispar ratio est, quia ad incurrendam irregularitatem ab eo, qui est suspensus, suspensione purè pœnali, sufficit, quòd ita in textu exprimatur, & cùm hic clarè loquatur de hac irregularitate, illi standum est. Et ratione ostenditur; quia tam efficaciter privat sacro ministerio suspensio, quando est censura, ac privat, quando est merè pœna: Si ergo celebrando divina, censuratus suspensione, dum est censura ligatus, incurrit irregularitatem; sic etiam illam incurret, quando suspensio est merè pœna: At cùm suspensio dum est merè pœna, non tollatur, nisi per dispensationem, ut ostendimus; nec ut talis sit censura; ut ostendimus *n.* 181. & per Bullam, non concedatur facultas, nisi ad absolvendas censuras: benè sequitur, virtute illius, non, posse absolvi, nec dispensari suspensionem, quando est merè pœna.

185. Dices tertiò: Commissarius generalis potest dispensare in utroque foro cum eo, qui suspensione merè pœnali actum ordinis Sacri exercuit: ergo etiam confessarius per Bullam electus poterit ab ea suspensione absolvere licèt in regularitate contracta non possit dispensare: Sic enim potest absolvere à censuris; non tamen dispensare in irregularitatibus contractis ab illis, qui aliqua censura ligatis, irregularitatem exercendo aliquem actum ordinis sacri contraxerunt: nam id commissario, & non illi conceditur. Respondeo negando consequentiam, diversa ratio est, quia Commissario generali major conceditur potestas ad dispensandum in irregularitatibus, quam concedatur ad absolvendum confessario per Bullam electo: nam commissario conceditur, ut possit dispensare, super irregularitate contracta per eos, qui quibusvis Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis ligati, missas, & alia divina officia celebrarunt ut *infra disp.* 23. *sect.* 4. *in principio* ex ipsa Bullâ dicemus: Cùm verò dispensare possit in irregularitate contracta ab eo, qui erat pœnis, & sententiis Ecclesiasticis ligato; bene potest dispensare in irregularitate contracta ab eo, qui cum suspensione purè pœnali actum ordinis Sacri exercuit; quia nomine pœnæ, & sententiæ Ecclesiasticæ, venit suspensio merè pœnalis: At nomine censuræ, cujus absolutio solùm conceditur confessario, electo per Bullam, non venit suspensio, quæ non & censura.

SECTIO XX.

An vigore Bullæ possint absolvi suspensiones contractæ ob indebitam Sacrorum ordinum susceptionem.

186. NOn paucæ latæ sunt suspensiones in jure contra illos, qui indebitè sacros ordines suscipiunt; de quibus agunt authores, in materiâ de censuris. Indebitè enim ad ordines promovetur, qui absque licentiâ proprii ordinarii, vel per saltum, vel ante legitimam ætatem, vel sine patrimonio, aut beneficio, vel simoniacè; vel denique extra tempora. Contra hos exstant constitutiones Apostolicæ, per quas imponitur, ipso facto, suspensio. Ita Bulla Pii II. quæ incipit *cùm ex sacrorum*, de quâ agit Leand. *tom.* 4. *tract.* 4. *disp.* 4. *q.* 3. & alii, quos citat, contra promotos ante legitimam ætatem, vel extra tempora, vel ab alieno, sine licentia proprii. Extant etiam decreta Concil. Trid. contra malè promotos imponentis, ipso facto, censuram suspensionis; ut videre est *sess.* 6. *cap.* 5. *& sess.* 14. *cap.* 2. *& sess.* 23. *cap.* 8. *de reformat.*

187. Petit ergo quæstio: An virtute Bullæ, possit absolvi suspensio contracta ob indebitam Sacrorum ordinum susceptionem? Prima sententia negat, de suspensione contracta, ob susceptionem ordinum, ante legitimam ætatem. Probat primò: quia Sixtus V. in suâ const; quæ incipit: *sanctum, & salutare*, editâ anno 1588. Ita strictè sibi, & successoribus, istius suspensionis absolutionem reservavit; ut neque per jubilæum extraordinarium, nec per Bullam Cruciatæ, possit remitti.

188. Secundò, quia in Bullâ Hispanâ asseritur, commissarium non posse ab ista suspensione absolvere: Ergo etiam non poterit confessarius; major enim est potestas commissarii, quàm confessarii. Hanc sententiam defendunt Henriq. *l.* 7. *de indulg. cap.* 13. *n.* 3. citans Navarr. & alios: eandem tenet Rodrig. *in addit. ad* §. 9. *n.* 59. *& tom.* 2. *summ. cap.* 79. mutans sententiam, quam docuerat, in Bullâ, eodem §. 9. *n.* 62. Idem dici potest, de Bullâ Lusitanâ, in qua licèt non detur expresè ea restrictio in facultatibus Commissarii; non tamen ei conceditur expresè facultas absolvendi eam suspensionem: ergo si illi ea facultas non conceditur, nec etiam confessariis electis.

189. Cæterum communis sententia affirmat; posse confessarium, eam suspensionem sicut & alias, per indebitam ordinum susceptionen, contractas, virtute Bullæ, absolvere. Illam amplectuntur Medina *in summ. l.* 1. §. 8. Ludovic. à Cruce *in Bull. disp.* 1. *cap.* 4. *dub.* 9. *n.* 3. Trullench. *l.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 15. *n.* 3. Avil. *de cens. part.* 3. *cap.* 6. *dub.* 2. Bard. *part.* 2. *tract.* 6. *cap.* 7. *n.* 5. Mend. *disp* 25. *n.* 98. *& seqq.* Escobar. *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 608. Henriq. *l.* 7. *de indulg. cap.* 13. *n.* 3. *in Gloss. litt. T. & litt. C.* nam licèt in Text. contrariam doceat; hic hanc probabilem fatetur; & pro illa citat. Sylvestr. Can. Banez, D. D. complectentes; & alios. Eandem tenet fr. Joseph Mendes *in Bullâ sect.* 1. *n.* 137. *in fine &* 38. *fol.* 62. Ratio hujus sententiæ est; quia Bulla absolutè, & absque ulla limitatione, concedit facultatem absolvendi ab omni censura: Ergo cùm nulla detur ratio, ad illam restringendam, etiam quoad prædictam suspensionem, nec restringenda, nec limitanda est. Hanc sententiam cum prædictis authoribus, ut probabiliorem sequor, advertendo: Licèt confessarius possit absolvere à suspensione, ob receptionem ordinis ante Legitimam ætatem, contracta; non tamen posse tollere impedimentum ætatis; ita ut absolutus, ante Legitimam ætatem, ministret in ordine malè suscepto: Quia absolutio tollit impedimentum suspensionis, non tamen ætatis. Vide Garcia *de benef. part.* 2. *cap.* 5. *n.* 51.

190. Sed contra hanc sententiam (dum asserit, virtute Bullæ, posse absolvi omnes suspensiones, quando sunt censuræ) insurgit Tambor. *l.* 10. *de censur. tract.* 2. *de suspens. cap.* 1. *n.* 9. laudans, & impugnans Bard. hoc modo: Suspensio, quæ est pura pœna, remitti nequit virtute Bullæ ex Bard. (quod etiam amplexi sumus *supra n.* 181. sed suspensio, quæ oritur, ex promotione ad ordines, absque

absque licentia ordinarii, est pura pœna: Ergo virtute Bullæ, remitti nequit. Major defenditur à Bard. & à me ut dictum est. Minor probatur à Tambor. hac regula ducta, ex doctrina Soar. & Gasp. Hurt. Ille enim, *tom. 5. in 3. part. disp. 25. sect. 1. n. 3. initio*, ubi inquit; quòd suspensio, quæ est pœna, & non censura, imponitur ad certum tempus; quæ verò est censura, non potest habere terminum præfixum. Addit idem Soar. ibidem *disp. 26. sect. 1. n. 15. in fine*, si ex materiâ, & fine legis constet, suspensionem non ferri tantùm pro delicto commisso; sed ut à Contumaciâ recedatur, esse censuram; & si constet, ferri tantùm pro delicto commisso, meram esse pœnam. Idem asserit Hurt. *de suspens. diffic. 3. & difficult. 11.* ubi id distinctius habet: sed suspensio orta, ex promotione ad ordines, sine licentiâ Ordinarii, est imposita, ad certum tempus, nempe donec judex judicaverit; ut constat *ex Trident. sess. 23. cap. 6. de reformat.* ergo est pura pœna: ergo non omnis suspensio, ob indebitam ordinum susceptionem contracta, potest, per Bullam absolvi.

191. Hoc argumentum Tambor. quamvis ingeniosum, non conficit intentum, ut existimo: Quare ad illud respondeo, negando minorem; ad illius probationem, etiam nego Minorem; quia suspensio à Trid. imposita, contra illum, qui absque licentia promovetur, non est imposita, ad certum tempus; sed in perpetuum, ibi: *quandiu proprio ordinario videbitur expedire.* Inquit Trid. Dictio autem, *quandiu*, qua utitur Trid. denotat tempus perpetuum, ut patet *ex lege sufficit de condit. indeb.* & tradit Gloss. *in Clem. quandiu, de Appell.* & Barbos. *tract. de dict. usu frequent. dict. 306. n. 1.* cum verò juxta Soar. cit. hæc suspensio imponatur in perpetuum, non habens terminum præfixum, censura dicenda est, & non pura pœna.

292. Idem dicendum existimo, juxta doctrinam Hurt. quia etsi asserat: si suspensio feratur in perpetuum, vel aliis modis, independenter tamen à pœnitentia delinquentis, semper esse puram pœnam. Hoc tamen hîc non invenitur, quia prædicta suspensio, non est imposita independenter à pœnitentia ordinandi; immo illi imponitur, ut medicina, ut recedat à promotione ad ordines; & à contumacia, quam habet suscipiendi ordines ab alieno ordinario, sine licentiâ proprii; quod est proprium censuræ, & non puræ pœnæ.

193. Quòd verò suspensio prædicta, postquam est contracta, sit independens à pœnitentia delinquentis; hoc est proprium censuræ: nam excommunicatio, nunquam est pura pœna; & tamen postquam est incursa, est independens à pœnitentia delinquentis; nam excommunicatio non tollitur ex pœnitentia, sed absolutione. Et idem est de suspensione, quando est censura; non enim aufertur, nisi absolutione; etiam si suspensus sit pœnitens. Speciale tamen est in suspensione, quæ est pura pœna, & ob crimen jam commissum, lata à judice ad biennium vel triennium, quòd auferatur sine dispensatione; nam tunc elapso biennio, vel triennio, sine alia absolutione, aut dispensatione tollitur; ut jam supra diximus; & tenent communiter D. D. Ex his patet solutio, ad argumentum Tambor.

194. Ad alia duo, quæ ad probationem primæ sententiæ, ab adversariis afferebantur *n. 187. & n. 188.* ad primum respondeo, constitutionem Sixti V. fuisse moderatam, quoad pœnas in ea inflictas à Clemente VIII. ut dicunt Bard. *ubi supra n. 6.* & Leand. *tom. 4. tract. 4. disp. 4. q. 3.* Quapropter remanet privilegium Cruciatæ integrum, & virtute illius potest absolvi prædicta suspensio.

195. Ad secundum, in quo dicitur, limitatam esse hanc facultatem Commissario Hispano; & non esse concessam Commissario Lusitano. Respondeo, non valere illationem; quia facultates, quæ confessariis conceduntur, virtute Bullæ, non conceduntur, ut plurimùm Commissariis; licèt horum potestas sit ampliot. Confessariis enim, per declarationem S. Pontificis, in Bullâ Lusitanâ, conceditur, ut possint absolvere à censuris in jure latis; & ut eorum absolutio prodesse possit, in foro contentioso, seu judiciali; ut vidimus supra *à n. 42.* at Commissario, quâ Commissario id non conceditur. Dixi, *qua Commissario id non conceditur*; quia si ut confessarius, per Bullam electus, ab illis absolvat, etiam pro eo foro, proderit ejus absolutio.

SECTIO XXI.

Quænam interdicta virtute Bullæ à confessario possint absolvi?

196. Disp. 11. *sect. 1.* ostendimus, quid sit interdictum, & in quas dividatur species; & *disp. 15. sect. 5.* quæ dentur interdicta, in jure communi, S. Pontifici reservata. In præsenti solùm procedit quæstio de absolutione virtute Bullæ ab hac censura: nam si interdictum latum sit, ob culpam præteritam, & non sub ratione medicinæ, sed puræ pœnæ, cùm non sit censura, per Bullam absolvi non potest; juxta ea, quæ diximus de suspensione *à n. 181.* quæ interdicto, ut est meræ pœnæ, applicanda sunt. Quamvis interdictum, ut pura pœna, ob peccatum præteritum, ferri non soleat. An verò possit ab interdicto absolvi invitus, vel absens? A nobis est exagitatum, *supra sect. 8. & 9.* Sicut etiam *sect. 7.* de absolutione dandâ, intra, & non extra Sacramentum confessionis; quod enim ibi dictum fuit, agendo de absolutione præstandâ, virtute Bullæ, ab excommunicatione; cum proportione, sunt applicanda, ad absolutionem, quæ ab interdicto, & suspensione exhibetur. His notatis.

194. Dico primò: Omne interdictum personale, quod directè, & per se fertur, in aliquam personam singularem, virtute Bullæ, potest absolvi, dummodo parti læsæ sit satisfactum; aut saltem exigatur cautio, eo modo, quo à nobis *supra à n. 20.* stabilitum fuit, agendo de excommunicatione. Ita authores communiter. Villal. *tract. 27. clausul. 9. §. 2. n. 26.* Trullench. *in Bull. l. 1. §. 7. cap. 2. dub. 16. n. 1.* Bard. *part. 2. tract. 6. cap. 7. n. 14. & 15.* Mend. *disp. 25. n. 101.* Escobar *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 213.* Fr. Joseph. Mend. *sect. 1. n. 139. fol. 62.* Ratio est, quia Bulla concedit facultatem absolvendi ab omni censura; & interdictum est censura; ut fatentur omnes Doctores. Non proderit tamen hæc absolutio pro foro externo, & contentioso; quia est censura ab homine lata; & in nostrâ Bullâ declaratur, absolutiones à censuris ab homine latis, non prodesse pro foro judiciali, & contentioso.

198. Dico secundò: Interdictum generale personale non potest, virtute Bullæ, absolvi: Ratio est, quia interdictum generale personale latum ob contumaciam indivisibiliter in totam communita-

tem, nempe, in Rempublicam, Capitulum, Collegium, & similia: sed communitas, ut communitas est unum corpus, non accipit Bullam: ergo per Bullam non potest absolvi. Et si singuli ex illâ communitate per Bullam absolvantur, adhuc communitas, ut est unum corpus, non manet absoluta; Et licèt communitas non sit quid diversum à suis partibus collectivè sumptis, & singulæ partes, distributivè, per Bullam, absolvantur; adhuc collectivè communitas non manet absoluta: aliàs deluderetur interdictum generale. Sic Bard *proximè n.* 16. Mend. *n.* 106.

199. Oppositum docet Escobar *ubi supra* ex eâ ratione, quòd sit propriè censura, & in Bullâ conceditur facultas absolvendi ab omni censurâ. Sed hæc ratio id non suadet, ut constat ex dictis. Idem videtur sentire Fr. Josephus Mend. *citatus*. Sed id non probat, nec rationem sui asserti manifestat.

200. Dubium tamen est: An interdictum locale, sive sit generale, sive speciale, per Bullam auferri possit? Rodrig. *in addit ad* §. 9. *Bull. n.* 60. Ludovic à Cruce *disp.* 1. *cap.* 4. *dub.* 10. *n.* 4. dubitant, an hoc interdictum sit censura? Et si non est censura, dicunt, non posse tolli per Bullam. At si est censura, asserunt, per Bullam auferri posse.

201. Nihilominus dicendum esse censuram, & non posse tolli, per Bullam. Prima pars ostenditur, quia omnes authores conveniunt, esse censuram, dum censuram interdicti dividunt in interdictum personale, locale, & mixtum. Secunda fundatur; quia facultas concessa in Bullâ, ad absolvendum, est in ordine ad personas, & non ad loca; ut constat ex ipsâ Bullâ, ibi: *In confessorem eligere, qui eorum confessione audita, ipsos à quorumcunque Ecclesiæ mandatorum &c.* Ex quibus verbis constat, hoc privilegium, non ad loca, sed ad personas respicere. Ita Villal. *tract.* 27. *claus.* 9. §. 2. *n.* 26. Trullench. *in explos. Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 16. *n.* 2. Bard. *supra cit. n.* 18. Mend. *dict. disp.* 25. *n.* 103. Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 11. §. 6. *n.* 5. Escobar. *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 611. Idem videntur tenere Henriq. *l.* 7. *de indulg. cap.* 13. *n.* 3. *prope medium* Avil. *de cens. part.* 5. *disp.* 6. *dub.* 2. ut expressè Bordon. *in Theolog. moral. l.* 7. *q.* 46. *n.* 86.

202. Ex dictis collige; quamvis absolvatur, qui dedit causam interdicto, sive speciali sive generali; per eam absolutionem personæ, non tolli interdictum locale; quia si post personam interdictam, locus interdicitur; jam censura est duplex; & quamvis una auferatur, altera non auferetur sine absolutione speciali. Quare hæc interdicta localia relaxari possunt ab eo, qui illa tulit. Advertе, prohibitam esse absolutionem ad cautelam ab interdicto locali generali, in *cap. præsenti, de sentent. excomm. in* 6. ut videre est, apud Leand. *tom.* 4. *tract.* 5. *disp.* 11. *q.* 15. & alios, quos citat.

SECTIO XXII.

An virtute Bullæ, possit absolvi cessatio à divinis depositio, & degradatio?

203. Recolenda sunt, quæ *disp.* 11. *sect.* 24. diximus, de cessatione à divinis; nam ibi adducimus illius definitionem, & distinctionem, quam retinet ab interdicto. Depositio verò, quæ etiam dicitur degradatio verbalis, quæ propriè non est pœna, sed impedimentum, quo quis propter aliquod crimen, privatur tanquam inhabilis, usu ordinis sacri, vel officio, in perpetuum, absque spe restitutionis, retento utroque privilegio fori, videlicet: ut conveniri non possit depositus, in judicio sæculari, nec capi, nec puniri à laicis, & canonis, *si quis suadente* 17. *q.* 4. Degradatio autem realis, quæ est etiam depositio, & super illam, addit privationem utriusque privilegii clericalis, absque ullâ spe restitutionis, adhibitis quibusdam externis cæremoniis. Sic authores communiter, agentes de censuris. His præsuppositis.

204. Respondeo ad titulum propositum: Per Bullam non potest tolli cessatio à Divinis. Ita Ludovicus à Cruce *in Bull. disp.* 1. *cap.* 4. *dub.* 11. Villal. *tract.* 27. *claus.* 9. §. 2. *n.* 27. Lezan. *in q. q. Regul. tom.* 3. *verb. Bullæ Cruciatæ n.* 30. Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *de Bull. punct.* 8. §. 4. *n.* 2. Tambor. *tract. de Bull. cap.* 11. §. 6. *n.* 5. Escobar. *tom.* 1. *Theol. moral. l.* 7. *n.* 214. Idem sentiunt de tribus prædictis, nempe de cessatione à divinis, depositione, & degradatione, Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 16. *n.* 3. ubi dicit, hanc opinionem esse communem; Bard. *part.* 2. *tract.* 6. *cap.* 7. *n.* 256. Joseph. Mend. *in Bullam sect.* 1. *n.* 140. *fol.* 62. Probant illam Trullench. Escobar, & Mendes, quia hæ pœnæ non sunt censuræ; & in Bullâ non reperitur facultas, ad hac pœnas tollendas, sed ad solas censuras.

205. Hæc ratio non est efficax ad probandum intentum, quia plures existimant, esse censuras. Et de cessatione à divinis, id affirmant Sot. *in* 4. *dist.* 22. *q.* 3. *art.* 1. Covarr. *in cap. Alma mater part.* 2. §. 2. *n.* 1. Petr. Ledesm. *in summ. tract. de censur. cap.* 1. *conclus.* 3. Petr. Cornejo *tom.* 2. *in* 3. *part. tract.* 5. *dub.* 5. *n.* 2. dicens, id tenere plures modernos Thomistas. Et de depositione, & degradatione, idem docent Petr. Ledesm. & Cornejo *locis citatis*, & alii moderni, apud ipsos. Quapropter, etsi supponamus tanquam certum, non esse censuras; ut tamen vitemus hoc effugium, alia ratione, hoc assertum probandum est cum Bard. *proximè.*

206. Et incipiendo à Cessatione à divinis; ostenditur non posse tolli per Bullam; quia semper versatur circa locum, sive cessatio sit generalis, sive specialis; & non circa personas. Nisi cum ordine ad locum: Ergo sicut interdictum locale, per Bullam, auferri non potest, ut supra vidimus; quia afficit locum, & non personas: Ita etiam cessatio per Bullam, non auferetur; quia afficit immediatè locum licet dicat ordinem ad personas. Confirmatur hoc assertum ex aliis, quæ diximus de interdicto locali *sect. præcedente n.* 201.

207. Quoad alias pœnas, nempe, depositionem,

nem, & degradationem, quæ solùm personas afficiunt; etiam ostenditur, non posse per Bullam tolli: quia sunt pœnæ, & impedimenta, ex natura sua, perpetua; absque ulla spe restitutionis, ad pristinum statum: Ut patet ex ipsorum definitionibus: Ergo per nullum privilegium, aut potestatem tolli possunt; nisi à S. Pontifice, ut notavit Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 30. *sect.* 1. *n.* 10. Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 4. *de degradatione. punct. unico. n.* 4. & alii, quos citat., & sequitur Leand. *tom.* 5. *disp. Unicâ q.* 17. & constat *ex cap.* 1. *&* 2. *dist.* 50. *&* l. 1. *in fine ff. de quæstion.* Hæc tamen *ex sect. sequenti* dilucidè apparebunt.

SECTIO XXIII.

An vi Bullæ, possit aliqua irregularitas auferri.

208. IRregularitas est quædam inhabilitas, seu impedimentum Ecclesiasticum, jure Canonico, introductum; ex se directè, ac primariò impediens receptionem ordinum, & indirectè, & consequenter, eorum usum. Ita D. D. apud Leand. *part.* 5. *tract.* 1. *de irregularit. disp.* 1. *q.* 2. Tambor. etiam *de irregul. tract.* 4. *cap.* 1. *n.* 1. Addi potest, etiam privare à beneficiis, & Ecclesiasticâ jurisdictione. Dividitur in irregularitatem, quæ contrahitur ex defectu, & quæ contrahitur ex delicto. Hæc, quæ contrahitur ex delicto, etiam in duplicem dividi poterat. Prima, quæ contrahitur ex mero delicto, v. g. quæ contrahitur ab excommunicato, celebrante missam. Secunda, quæ contrahitur, non ex mero delicto, sed ex delicto simul, & indecentiâ; v. g. quæ contrahitur ab homicidâ; qui ex delicto simul, & indecentiâ est inhabilis, & irregularis. Vide Castr. Palao *tom.* 6. *de cens. disp.* 6. *punct.* 6. *n.* 3. His præsuppositis.

209. Primò, conveniunt authores, non posse, vigore Bullæ tolli eam irregularitatem, quæ est imposita ob indecentiam; qualis est, quæ oritur ex Bigamiâ, ex defectu natalium, ex homicidio, authorite publicâ, facto; & omnem aliam, quæ sine peccato contrahitur. Ratio est, quia hæ irregularitates, nec sunt censuræ nec pœnæ Ecclesiasticæ, sed quædam impedimenta ab Ecclesiâ statuta, in reverentiam, & cultum status Ecclesiastici, pro ordinibus suscipiendis, vel beneficiis obtinendis: Sed in Bullâ, datur facultas, ad absolvendum à censuris, & non ad dispensandum in his impedimentis: Ergo virtute Bullæ, non possunt tolli. Ita Trullench. *in Bullam l.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 17. *n.* 2. Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *de Bull punct.* 8. §. 4. *n.* 3. Bard. *part.* 2. *tract.* 6. *cap.* 7. *n.* 30. Tambor. *tract. de Bull. cap.* 11. §. 6. *n.* 6. item Cornejo *tract.* 5. *de censur. in genere disp.* 1. *dub.* 2. *diffic.* 2. Avil. *part.* 7. *disp.* 10. *dub.* 4. *in principio*, quos citat. & sequitur Leand. *part.* 5. *tract.* 2. *disp* 27. *q.* 35. Escobar. *in Theol. moral. tom.* 1. *lib.* 7. *n.* 215.

210. Secundò conveniunt, nec etiam virtute Bullæ, posse tolli illam irregularitatem, quæ simul est pœna, & indecentia; qualis est illa, quæ incurritur ex homicidio, sive voluntario, sive casuali, vel ex mutilatione; quia quamvis ea irregularitas imponatur, in pœnam delicti; etiam imponitur ob indecentiam, quam habet homicida cum statu Ecclesiastico: non enim mansuetudinem Christi repræsentare valet, qui ab alio vitam abstulit: Sed per Bullam, non tolluntur hæ indecentiæ, & impedimenta; quia non concedit facultatem ad dispensandum, ut hæ indecentiæ tollantur: ergo virtute Bullæ tolli non possunt: (Licèt in oppositum inclinet fr. Ludovic. à concept. 2. *part. exam. vetit. tract.* 2. *verb. Censura.* §. 2. *solutio*) sic Trullench. Castr. Palao, Bard. Escobar cum Salon. 2. 2. *Controversia* 4. *q.* 64. *art.* 8. *conclus.* 3. *&* 4. & Tambor. *locis citatis.*

211. Tota difficultas est, de illa irregularitate, quæ est pura pœna peccati; qualis est illa, quæ contrahitur ex malâ administratione Sacramentorum; quia v. g. excommunicatus missam celebrat: dum est suspensus vel alia censura ligatus, vel actum aliquem ordinis exercet, vel aliquem rebaptisat &c. Prima sententia affirmat cum pluribus, tum ex antiquis tum ex modernis, posse hanc irregularitatem, virtute Bullæ, absolvi. Ita sentiunt communiter Thomistæ apud Leand. *statim. cit.* Canus, & Orellan. Quos citat, & sequitur Vega *in specul. casus. tom.* 2. *cap.* 12. *n.* 323. *&* *in summ. tom.* 2. *cap.* 15. *cas.* 8. Aragon. *in* 2. 2. *f. Thom. q.* 64. *art.* 8. *vers. sed dubitabit, conclus* 2. *Salon. ibidem contr.* 4. *conclus.* 1. Bannes *ibidem part.* 4. *conclus.* 1. *&* *in solut. ad secundum argumentum contra eandem conclu.* Sot. *in* 4. *dist.* 22. *q.* 3. *art.* 1. *vers. Secundum discrimen* Medina *l.* 2. *q.* 98. *art.* 4. *&* *in summ. cap.* 11. §. 9. Nunus *in* 3. *part. tom.* 2. *tract. de Bull.* §. *ultim.* Petr. Ledesm. *in summ. tom.* 1. *tract. de censur. cap.* 1. *conclus.* 3. Cordub. *in summ. q.* 28. *&* 144. Fernand. *in exam. Theol. moral. part.* 3. *cap.* 9. §. 14. *n.* 1. Conrad. *in resp. casuum conscient. part.* 1. *q.* 355. Ludovic. Carbon. *de leg. l.* 8. *disp.* 5. Catill. *in 1 tener. Ordinand. sect.* 4. *cap.* 4. *n.* 8. Guttier. *in q. q. canon. cap.* 37. *n.* 6. Nald. *verb. Irregularitas n.* 25. Salas *de legib. disp.* 15. *sect.* 1. *conclus.* 2. *n.* 16. Cornejo. *in* 3. *part. disp.* 1. *de censur. in genere dub.* 2. *diffic.* 2. *vers. ad secundum dico*, Gibalin. *de irregul. cap.* 6. *q.* 5. *&* *ultim. per totam* Barnab. Galleg. *in exposit. Bullæ claus.* 9. *part* 2. *cap.* 9. *dub.* 139. & alii apud Escobar *tom.* 1. *Theol. moral. lib.* 7. *n.* 612.

212. Hanc sententiam probabilem dicunt Joann. à Cruce *in director. conscient. part.* 2. *tract. de irregul. dub.* 15. *conclus.* 1. & ante illum, Rodrig. *in Bull. ad* §. 9. *n.* 94. Sâ *in primâ impress. ante correctionem, verb. absolutio n.* 20. Avil. *de censur. part.* 7. *disp.* 10. *dub.* 4. Henriq. *l.* 7. *de indulg. cap.* 13. *n.* 6. Lezan. *tom.* 3. *verb. Bulla Cruciatæ n.* 30. Escobar *proximè*. Et hanc sententiam, urgente necessitate, amplectendam esse in praxi, cùm non datur facilis recursus ad Episcopum, vel vel Nuntium, fatentur, Henriq. Avil. Villal. quos refert, & sequitur Dian. 1. *part. tract.* 11. *resol.* 27. *&* *part.* 4. *tract.* 2. *resol.* 81. *&* *part.* 10. *tract.* 11. *resol.* 22. ubi affert irregularitates à quibus, virtute Bullæ, absolvi potest ex Cornejo.

213. Triplici nititur fundamento hæc sententia. Primum est; quia irregularitas, quæ provenit ex mero delicto, & quæ est pura pœna peccati; est vera censura: sed in Bullâ datur facultas absolvendi à censuris: ergo virtute Bullæ, potest absolvi. Secundum, quia dato, quòd non sit censura, est pœna Ecclesiastica: sed in aliquibus Bullis dicitur, quod possit absolvi à censuris, & pœnis Ecclesiasticis; ut dicebatur in Bulla Pii IV. anno 1561. Hispaniæ concessâ: ergo, qui habet Bullam potest absolvi ab omnibus irregularitatibus, ex delicto modò

ex-

explicato. Tertium ex Lezan. quia in fine summarii, tam Bullæ Lusitanæ, quàm Hispanæ, in formâ absolutionis, tribuendæ semel in vita & in mortis articulo, accipientibus Bullam, apponuntur per Commissarium, hæc verba: *Absolvo te, & ab omnibus censuris, & panis*: at verbum *panis* dictas irregularitates denotare videtur.

214. Secunda verò sententia, omnino tenenda, negat posse virtute Bullæ absolvi, vel dispensari aliquam irregularitatem, ex delicto provenientem; cum nulla irregularitas detur, quæ sit censura. Ita Martin. de Ledesm. Lopes, Mantius Petr. de Sot. Prima & alii, quos citat, & sequitur Moya *tom. 1. in q. q. solet. tract. 5. de censur. q. 5. à n. 2.* Illam etiam tuentur Navarr. *in summ. cap. 27. n. 194. & 254.* Gomes *in Bull. claus. 10. n 31.* Trullench. *ibidem l. 1. §. 7. cap. 2. dub. 17. à n. 4.* Bard. *part 2. tract. 6. cap. 7. n. 35.* Mend. *disp. 25. à n. 81.* Molin. *tom. 4. de just. disp. 80. à n. 6.* Soar. *tom. 5. in 3. part. disp. 1. sect. 2. n. 5. & 6. & disp. 40. sect. 3. n. 3.* Sanch. *l. 6. de cal. cap. 17. n. 43.* Filliuc. Regin. Mirand. Villal. Card. Toletus, Bassæus, Turrian. & alii, quos citat, & sequitur Leand. *tom. 5. de irregular. tract. 2. disp. 27. q. 36.* A Costa, Perizius, Zerol. Lamas, Beja, Sechius, quos adducit, & sequitur Dian. *part. 1. tract. 11. resol. 27. & part. 4. tract. 2. resol. 81. & part. 10. tract. 11. resol. 22.* Quibus addo Castr. Palao. *tom. 6. tract. 25. de Bull. punct. 8. §. 4. n. 5.* Tambor. *tract. de Bull. cap. 11. §. 6. n. 7.* Lesan. *supra* Escobar *allegatum n. 614.*

215. Probatur primò: quia in Bullâ, quæ hodie tam in Lusitaniâ, quàm Hispaniâ promulgatur, datur facultas duntaxat, ad absolvendum ab omnibus censuris, non exceptis, quin fiat mentio de pœnis: sed irregularitas non est censura, sed pœna: ergo virtute Bullæ non potest absolvi. Major constat ex ipsâ Bullâ, Minor ostenditur *ex cap. quærenti de verb. signif.* in quo, consultus Innocentius III. quid per censuram Ecclesiasticam, intelligi debeat; per hæc verba, respondit: *Respondemus, quòd per eam, non solùm interdicti; sed suspensionis, & excommunicationis sententia valet intelligi*: si verò irregularitas, ex mero delicto, esset censura, Pontifex interrogatus, illam non omitteret; aliàs insufficienter responderet, quod non est dicendum: ergo cum hæc responsio sit doctrinalis, & in illâ non includitur regularitatem, ex delicto provenientem, illam à censuris excluſit.

216. Probatur secundò: quia stylus Romanæ Curiæ facit jus: ut constat *ex cap. ex litteris, de constit. & cap. quàm gravi, de Crimen. fals.* Sed per illum, non censetur concedi facultas, dispensandi in irregularitate, nisi de eâ fiat expressa mentio; ut inquiunt Navarr. Henriq. Anton. Gomes, Trullench. & alii citati: ergo cùm de illâ, in Bullâ non fiat expressa mentio, per illam, non potest dispensari. Tertiò; quia in jubilæis amplissimis, ea non conceditur facultas, imo prohibetur: ergo nec etiam in Bullâ. Nec enim præsumendum est, voluisse S. Pontificem concedere per Bullam, quod expressè negat in iis jubilæis.

§. Unicus.

Ostenditur rationibus à Moya primam opinionem esse improbabilem?

217. His & aliis rationibus omissis, passim apud authores, repertis. Illam] probat Moya *citat. dict. tract. 5. q. 5. à n. 3.* hoc dilemmate: Aut non est probabilis prima opinio, aut probabile est, posse, virtute Bullæ, dispensari irregularitatem, ex homicidio provenientem. Hujus ratio est, quia irregularitas ex homicidio, est purè pœna peccati. Quod probat quia authores qui hoc negant, apud Galleg. *supra citatum* fundantur in eo, quòd duplex detur irregularitatis species in homicidio; alia quæ est pœna delicti; & altera, quæ est ex indecentia, seu ex defectu significationis, seu ex defectu lenitatis; ergo si irregularitas, quæ est ex defectu lenitatis (quæ aliis verbis dicitur ex indecentia, aut ex defectu significationis) non reperiatur in homicidio injusto, probabitur esse puram pœnam delicti; ac proindè posse absolvi, virtute Bullæ, ut censura, quod nullus admittit.

218. Probat primò hanc consequentiam, ex quâ pendet tota resolutio: quia irregularitas ex defectu lenitatis contrahitur absque culpa occisoris, ut docent omnes Theologi, apud Leand. *tom. 5. tract. 2. disp. 7. q. 1. ex cap. clerici, & cap. sententia sanguinis; de homic.* & aliis juribus: At irregularitas ex homicidio injusto, non contrahitur absque culpa, saltem veniali, imo & mortali ut asserunt omnes Theologi, apud Leand. *cit. tract. 1. disp. 1. q. 7.* cum Soar. Castr. Palao, & aliis, quos sequitur Dian. 2. *part. tract. 2. resol. 20.* ergo ex homicidio injusto, non contrahitur irregularitas ex defectu lenitatis.

219. Secundò, quia irregularitas, ex defectu lenitatis contrahitur ab ignorante, ut docent communiter Doctores, quos sequitur Sanch. *l. 9. de matr. disp. 32. n. 15.* sed nulla irregularitas, ex homicidio injusto, incurritur ab ignorante: Ut cum pluribus tenet Leand. *cit dict. tom. 5. tract. 1. disp. 4. q. 6.* ergo irregularitas, ex defectu lenitatis, non incurritur ab eo, qui privata authoritate, seu injustè homicidium commisit.

220. Tertiò: quia irregularitas ex defectu lenitatis, solùm incurritur à ministris justitiæ; qui, ut tales, ad mortem concurrunt; ut asserunt triginta Doctores, quos citatos refert, & sequitur Dian. *part. 11. tract. 2. resol. 63.* & alii, quos adduxerat *part. 3. tract. 5. resol. 79.* ergo, qui privata authoritate, aliquem occidit, non incurrit irregularitatem, ex defectu lenitatis, sed tantùm eam, quæ provenit ex delicto; ut expressè docet Less. *l. 2. de just. cap. 9. dub. 21. n. 73.*

221. Quartò: Quia irregularitas ex indecentia, seu ex defectu significationis, seu lenitatis, non tollitur per Baptismum: Ut docent plures, apud Verricelli *tom. 1. quæst. moral. tract. 1. q. 19.* & est commune, apud Henriq. *tom. 2. l. 13. de irregul. cap. 17. n. 2.* at ex homicidio, propria authoritate ab infideli commisso, nulla pullulat irregularitas, ut cum Armil. Sylvestr. & aliis Henriq. *proximè in gloss. litttera l.* Villal. *tom. 1. trac. 21. difficult. 7. n. 2.* & omnes illi, qui tenent, quando indecentia oritur, ex delicto; qui tollit unam, tollit & aliam ergo si irregularitas ex delicto esset dispensabilis, per Bullam; indecentia ab illo delicto proveniens, per illam auferretur.

222. Quin-

222. Quintò, quia Episcopus *ex Trident. sess. 24. cap. 6. de reform.* potest dispensare in irregularitate ex homicidio casuali occulto: Sed non potest, in irregularitate ex defectu lenitatis; ut docent communiter Theologi, apud Dian. 4. *part. tract. 2. resol. 69.* & Leand. *tom. 5. tract. 2. q. 134.* ergo ex homicidio casuali occulto, non provenit irregularitas ex defectu lenitatis.

223. Ex his infert Moya, contra primàm sententiam; irregularitatem, quæ est pœna delicti, vel esse probabiliter dispensabilem virtute Cruciatæ, ut suadent prædictæ rationes; vel esse improbabile, irregularitem, quæ est purè pœna, esse censuram, virtute Bullæ, dispensabilem. Ego tamen existimo, ut ostendi *n. 212. & 218.* eam irregularitatem, non esse censuram; & per consequens, non posse, per Bullam, absolvi, nec dispensari.

§. II.

Dissolvuntur fundamenta primæ sententiæ.

224. NEc fundamenta pro primâ sententiâ allata *n. 213.* oppositum suadent.; quia ad primum, patet solutio ex ratione, pro nostra sententia. Ad secundum, respondendum, Bullam Pii IV. non fuisse concessam, pro Regno Portugaliæ, & quamvis fuisset pro Hispaniâ; jam non habet vim, quia ea verba in Bullis modernis, non reperiuntur.

125. Ad tertium, ex Lezan. deductum ex forma absolutionis à commissario edita in fine summarii, in qua dicitur: *absolvo te à censuris, & pœnis* jam *supra n. 182.* diximus, non de his pœnis, quæ non sunt censuræ, verba illa esse intelligenda; sed de pœna, qua canones pœnitentiales arcent quosdam à sacra communione, intra certum tempus; aut de aliis, ut videre est apud Trullench. *l. 1. §. 7. cap. 2. dub. 17. n. 11.* Bard. *ubi supra n. 44.* & alios quos citant; non tamen de irregularitatibus, ex delicto provenientibus; nam ad has, non extenditur facultas, nisi expressa detur concessio, ut dictum est.

DISPUTATIO XVIII.

De casibus Episcopo reservatis, qui virtute Bullæ possunt absolvi.

1. QUoniam confessarius, virtute Bullæ, potest absolvere ab Episcopo reservatis, quoties fideles confitentur; operæ pretium duxi, agere in hac disputatione de casibus, qui in his Portugaliæ Regnis, Episcopis reservantur; non solùm, quia illa callere, & maximè intelligere, confessariis convenit; sed etiam, quia ad expositionem Cruciatæ, oportet ea recolere, super quæ, illius privilegia vim obtinent; & sine quibus expositio aliquomodo imperfecta reperiatur. Ad hujus intelligentiam revocanda sunt in memoriam, illa, quæ diximus de peccatis reservatis, *disp. 15. sect. 1.* ne illa iterum repetamus. Ex post hanc disputationem, aliam de absolutione ab his reservatis instituemus.

SECTIO I.

Qui casus possint, ab Episcopis reservari.

2. PRæmitto hanc quæstionem ad ea, quæ tractanda sunt, in hac disputatione; ut cognoscatur; quæ peccata Domini Episcopi, & licitè, & validè, possint sibi reservare; & ante illius resolutionem.

3. Suppono primò; nullum hodie dari de facto peccatum in jure reservatum Episcopis; ita docent, & probant Soar. *tom. 3. in 3. part. disputat. 29. sect. 3. a. n. 6.* Barbos. *de potestate Episc. alleg. 51. n. 3.* Quintanad. *tom. 1. tract. 3. singul. 1. n. 1.* Mend. *in Bull. disp. 23. n. 26.* Tambor. *l. 5. de pœnit. tract. de casibus reservat. cap. 6. §. 1. n. 1.* Trullench. *in Bull. l. 1. §. 7. cap. 2. dub. 2. n. 2.* Soar. Lusit. *de pœnit. tract. 7. disp. 1. n. 52.* Lezan. *in q. q. Regul. tom. 3. verb. casus reservati n. 2.* & alii quos citant. Videri etiam potest. Castr. Palao *tom. 4 tract. 23. de pœnit. disp. unicâ punct. 15. §. 2. n. 2.* Nam licèt olim plures fuisse reservatos, *in Extravagant. super cathedram. de sepult.* docent plures authores; hoc tamen non est verum, ut benè notarunt Mend. & Soar. Lusit. *supra cit.* nam in illa Extrav. nulli reservantur. Dicitur tamen in ea, Religiosis (de quibus erat sermo) non majorem habere potestatem in sacramento confessionis, quam in eo curatis, vel parochialibus sacerdotibus esse à jure concessam. Gloss. verò *Verb. A jure*, novem recenset casus, qui à jure reservabantur; quos omnes refert Mend. *cit. n. 34.* Quare etiamsi dicta Extrav. non fuisset revocata, eidem casus revocati non essent; quia in aliis juribus & non in ea Extravaganti reservati erant. Illos tamen omitto, quia jam per consuetudinem, ei reservationi est abrogatum: Ut cit. D. D. dicunt; & Episcopi reservant, quos judicant graviores, quorum aliqui in prædictis novem continentur. Excipe tamen à prædicta resolutione casum abortus, qui *ex const. Gregorii XIV.* Episcopo reservatur, & percussionis levis in clericum qui eidem reservatur *ex cap. pervenit de sentent. ex cap. pervenit de Sentent. excommun.*, ut *infra* de utroque dicetur.

4. Suppono Secundò, *ex Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. de reform.* concedi Episcopis, ut possint absolvi peccata S. Pontifici reservata, dummodo sint occulta, & non deducta ad forum contentiosum; quæ facultas non extenditur, ad casus in Bullâ Cœnæ Domini contentos; ut diximus *disp. 15. sect. 9.* Cùm verò casus Pontificis reservati, extra Bullam Cœnæ, dum sunt occulti, adhuc dicantur Pontifici: licèt per particularem delegationem, Episcopis concessi; ut docent Castr. Palao, & Henriq. apud Tambor. *proximè n. 3.* non sunt tamen ex illis, qui in jure, Episcopis concedebantur, & jam non sunt in usu. His suppositis.

5. Inquirimus primò: Qui casus possint ab Episcopis reservari? Respondeo, posse eos, quos prudenter, ad bonum suarum ovium, vel cum excommunicatione, vel sine illa, expediri judicaverint, nempe; cum moderatione, ne difficilior, quàm par est, Sacramenti pœnitentiæ usus reddatur; & de hac moderatione extant documenta Sacræ Congreg. apud Barbos. *de potest. Episcop.*

alleg. 50. *n.* 218. & apud Quarant. *verbo*, *casus reservatus*, *in fine*, & alios.

6. Tota difficultas est: An Episcopi possint reservare quodcunque peccatum mortale internum? Respondeo, spectatâ natura reservationis, posse; quia quodlibet peccatum mortale, etiam dubium, & internum, est capax reservationis; ut diximus *disp.* 15. *sect.* 1. Nam si Episcopus, ad hæc absolvenda, concedit jurisdictionem, bene potest etiam, illam limitam concedere. Ita Vasques *de panit. q.* 91. *art.* 5. *dub.* 2. Soar. *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 29. *sect.* 2. *n.* 13. Soar. Lusit. *de panit. tract.* 7. *disp.* 1. *n.* 3. & alii, quos referunt, & sequuntur Quintan. *tom.* 1. *tract.* 3. *singul.* 8. *n.* 1. & Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 12. *q.* 7. loquens de mortalibus internis.

7. Dixi, *spectatâ naturâ reservationis*; nam spectatâ S. Pontificis, Conc. Trid. & declar. S. Congregationis dispositione, non possunt Episcopi, quodcunque peccatum mortale reservare. An verò reservatio ab illis facta cujuscunque peccati mortalis, sit solùm illicita, an etiam invalida? Respondeo esse dissidium inter authores.

8. Esse non solùm illicitam, sed invalidam, in ordine ad Parochos, aut Regulares, & illicitam tantùm, quoad alios confessarios sæculares, docent Ricard. Sot; quos refert, & sequitur Valq. *cit. de panit. q.* 91. *art.* 3. *dub.* 4. *n.* 4. Lyssius etiam *de panit. disp.* 31. *dub.* 4. Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 12. *q.* 19. & apud illum Henriq. *l.* 6. *cap.* 14. *n.* 3. citans Ledesm. Major. Angel. Armil. & alios Recentiores, & ex part. Card. de Lug. *disp.* 20. *n.* 37. quatenus id asserit quando reservatio esset nimia. Idem tenet Ochagavia, apud Mend. *de* 23. *n.* 20. qui hanc sententiam dicit probabilem.

9. Probant, quia parochi, & Regulares non habent jurisdictionem ab Episcopis: Alii verò confessarii sæculares, maximè: Ergo illis non potest Episcopus sine Legitima, & rationabili causa limitare jurisdictionem. Possunt tamen confessariis sæcularibus; quia sicut illam eis possunt prohibito non concedere; ita etiam limitatam concedere possunt. Sic præcitati authores; qui hanc quæstionem tractant, quando tantùm de reservatione facta ab Episcopo, absque rationabili, & legitima causa; & non in terminis propositæ quæstionis, in qua inquirimus, an Episcopi possint reservare quodcunque peccatum mortale externum, non solùm licitè, sed etiam validè.

10. Et non posse, nec licitè, nec validè, hæ suadent rationes. Prima deducta *ex Conc Trid. sess.* 14. *cap.* 7. statuente, gravissima tantùm peccata, fore reservanda, ibi: *Magnopere verò sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam, & graviora crimina non à quibusvis, sed à summis duntaxat sacerdotibus absolverentur. Unde meritò Pontifices maximi pro suprema potestate, sibi in Ecclesiâ universâ tradita, causas aliquas criminum graviores, suo, poterunt, peculiari judicio reservare. Nec dubitandum est, quin hoc idem Episcopis omnibus, in sua cuique Diœcesi in ædificationem tamen, non in destructionem, liceat:* Sed non quæcunque mortalia peccata sunt crimina graviora: Ergo non quæcunque peccata mortalia sunt reservanda.

11. Secunda ratio deducitur *ex Sacr. Congreg. de mandato Clementis VIII. in decreto edito* 26. *Novemb. anno* 1602. Quod affertur à Barbos. *de potest. Episcop. alleg.* 50. *n.* 288. & à Quaranta *Verb. Casus reservatus. fol.* 163. & Lezan. *in q. q. Regul. tom.* 3. *Verbo casus reservati n.* 30. *&* 31. sic ordinarios admonens, ne in casuum reservatione modum excedant, sic ait: *Sed ne locorum ordinarii, ad quos casuum reservatio spectat, in ea re, modum excedant, eadem sacra Congregatio, illos rursum admonendos, censet; ut non passim, sed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantùm, & graviorum criminum, absolutionem sibi reservent; ne alioquin Sacramenti pœnitentiæ, ministrorum coarctata potestate, S. matris Ecclesiæ pii amenti contrarius effectus subsequatur.* Atqui non omnia peccata, quamvis mortalia, sunt atrociora: Ergo non quæcunque mortalia ab Episcopis possunt validè reservari.

12. Tertia ratio deducitur, *ex supra dicto decreto*, allato à Barbos. *dicta alleg.* 50. *n.* 288. Et sic habet admonitio, ad ordinarios, ibi: *Ne reservent illos casus, quia etsi mortale peccatum inducant res, tamen sunt parvi momenti, & quæ frequenter inter idiotas evenire solent, velut damni dati, & similium.* Ex qua bene colligitur, Episcopos non posse reservare quodcunque peccatum mortale sed tantùm quod est gravius, & atrocius. Alia plura ad hoc intentum videri possunt in *supra* dicto decreto. Admoneantur etiam Episcopi *in cit. decreto*, ut multitudinem reservatorum resecent; & ad paucissimos reducant. Eadem monitio habetur in alio decreto S. Cong. demandato ejusdem Clementis VIII. edito 9. Januarii anni 1601. apud Barbos. *de potest Episcop. alleg.* 50. *n.* 286.

13. Nihilominus exiltimo quamvis prædicta sententia *n.* 8. sit probabilis, probabiliorem mihi videri sententiam, quæ asserit, reservationem cujuscunque peccati mortalis externi licet sit illicita, esse tamen validam. Probo primam partem, nempe; Esse illicitam; quia hujusmodi reservatio, est potius in destructionem, quam in ædificationem, contra id, quod Trident. *loco citato*, & dictum decretum requirunt, in reservationibus, ab Episcopis faciendis. Secunda pars ostenditur, videlicet: Quod ea reservationis natura, Episcopi possint quodlibet peccatum mortale reservare, ut *supra n.* 6. vidimus. Et in supra dictis rationibus à Trident. & decreto, sub mandato Clementis VIII. allatis, non datur aliquod verbum, quod irritet, aut annullet reservationes, aliter factas. Ita docent Soar. *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 29. *sect.* 4. *n.* 4. *iunct. n.* 8. & apud illum Sylvestr. *verb. confessor.* 1. *q.* 3. Henriq. *quodlib.* 1. *q.* 27. Idem defendunt Bonac. *disp.* 5. *de panit. q.* 7. *punct.* 5. §. 2 *n.* 20. Villal. Ægid. & Hurt. apud Leand. *supra* Tambor. *l.* 5. *de panit. tract.* 5. *de casib. reserv. cap.* 6 §. 2. *n.* 4. Quintan. *tom.* 1. *tract* 3. *singul* 8. *à n.* 2. Bordon. *tom.* 1. *resol.* 37. *n.* 39. Pelliz. *tract.* 6. *cap.* 2. *n.* 53.

14. Ex dictis sequitur, ex dispositione Pontificis, Episcopos esse impeditos, ad reservandum quodcunque peccatum mortale, possunt tamen tantummodò reservare peccatum atrox, & grave. Unde Quintan. *cit. n.* 4. sic inquit. *si reservatum sit furtum, aut detentio decimarum, quando quis funeretur, vel retineret ex decimis duodecim, vel quatuordecim argenteos, neminem diturum, hunc atrox, & grave crimen commisisse,*

ſiſſe, eumque eſſe atrociſſimum latronem, & ſacrilegum graviſſimum. Et *n.* 5. ait: *Quantitas ergo duodecim argenteorum licèt ſufficiens ſit ad mortale, non tamen ad reſervationem, in diœceſibus prudenter faciendam, cùm ad hanc requiritur gravitas valdè conſiderabilis, & atrocitas.* Eadem refert Tambor. *lib. 5. de panit. tract. de caſibus reſerv. cap. 6. §. 2. n. 3.* Alia ad hoc interatum, videri poſſunt in Card. de Lug. *de pœnit. diſp. 20. num. 33.* & apud Bordon. *reſol. 37. num. 38.*

15. Inquires Secundò: Quænam peccata à Clemente VIII. & à S. Card. Congreg. in ſpecie, vel in genere, Epiſcopis prohibeantur reſervari? Reſpondeo, prohiberi ſequentia, in ſpecie: Primò, caſus in Bullâ Cœnæ Domini contentos. Secundò, caſus ſpecialiter Sedi Apoſtolicæ reſervatos. Tertiò, excommunicationem majorem à jure impoſitam, cujus abſolutio nemini reſervata ſit; niſi fortè propter frequentiam, ſcandalum, aut aliam neceſſariam cauſam, aliqui hujuſmodi caſus nominatim reſervandi, videantur. Quartò, caſus, in quibus abſolutio, niſi cum reſtitutione, vel executione eorum, ad quæ pœnitentes tenentur, non confertur. Quintò, caſus, qui etiamſi mortale peccatum inducant, circa res tamen parvi momenti verſantur, & frequenter, inter idiotas, evenire ſolent; uti damni dati, & ſimilium. Sextò, admonentur Epiſcopi, ut in peccatis carnalibus reſervandis, multa utantur circunſpectione, propter periculum ſcandalorum, in his maximè perſonis, in quas ob acceſſum, ad confeſſarios extraordinarios, vel frequentem reditum ad ordinarios, ſuſpicionis aliquid cadere. Hi caſus continentur expreſſi, in Bullâ Clementis VIII. & Sacr. Cardin. Congreg. declaratione, apud Barboſ. *cit. de poteſt. Epiſcop. alleg. 50. n. 286. & 288.* & alios jam citatos. Septimò etiam ex S. Card. Congreg. non poſſunt Epiſcopi reſervare incertorum reſtitutionem, nec peccata eorum, qui nocte per civitatem inhoneſta canunt, nec violatores factorum. Sic Gavaneus *in manuali Prælatorum verb. Caſus reſervati*, Barboſ. *in Collect. Bullar. verb. Caſus reſervati*, quos refert & ſequitur Lezan. *in q. q. Reg. tom. 3. verb. Caſus reſervati num. 31.* Quoad prohibitionem incertorum vide *infra num. 281.*

16. In genere autem, in eiſdem locis, prohibentur Epiſcopi, ne ſibi reſervent, niſi peccata atrociora, & graviora; ut etiam habetur *in Concil. Trident. ſupra cit. dict. ſeſſ. 14. cap. 7.* Et multitudinem caſuum reſervatorum, ſic reſecunt; ut ad pauciſſimos, eoſque maximè neceſſarios, redigantur. Qui autem cenſeantur pauciſſimi, prudenti Epiſcoporum judicio relinquendum; nam Barboſ. *cit. alleg. 51.* undecim recenſet; quos Epiſcopi, au atrociora, & graviora, reſervare ſolent. Additque *n. 2. in fine*, poſſe ſuo arbitrio juxta mores ſuorum diœceſanorum, plures, vel pauciores reſervare. Pellizar. *tom. 1. tract. 6. cap. 2. n. 54. in fine* aſſerit, exceſſum caſuum reſervatorum majoris penſari debere ea qualitate quam ex multitudine ipſorum.

SECTIO II.

Recenſentur caſus, qui hodie ſunt reſervati in Archiepiſcopatu Ulyſſiponenſi; & primum explicatur, ſcilicet: hæreſis.

17. IN conſtitutionibus hujus Diœceſis novioribus *l. 1. tit. 10. decret. 7. §. 2.* ſexdecim reſervantur caſus. Primus, eſt hæreſis, quæ non fuerit purè mentalis. Secundus, Blaſphemia publica; Tertius, Veneficia, nempe: Illa conficere, vel illis uti. Quartus, invovatio Dæmonis, vel aliquid facere, in quo ſit pactum tacitum, vel expreſſum, cum ipſo Dæmone. Quintus, homicidium voluntarium, executioni mandatum, extra bellum juſtum, vel extra propriam, vel proximi defenſionem. In quo etiam continentur illi, quorum culpâ, aut negligentia filii ſuffocati reperientur. Sextus, Incendium factum de propoſito, animo nocendi. Septimus, Sacrilegium; & illud ſpecialiter, feriendo, vel injiciendo manus violentas in clericum, vel religioſum, qui Canonis privilegio, gaudeat. Octavus, excommunicatio majorà jure, vel ab homine, alicui non reſervata. Nonus, juramentum falſum in judicio, vel actis judicialibus, aut coram judice competente. Decimus, decimæ non ſolutæ, quæ excedant valorem quinque argenteorum, nempe: *de duſentos reis.* Undecimus, retinere bona aliena, quorum dominus ignoratur; quæ excedant valorem quingentorum regalium Luſitatorum, hoc eſt: *de quinhentos reis.* Duodecimus, Matrimonia Clandeſtina. Decimustertius, Ordinari abſque patrimonio, penſione, vel beneficio; vel per ſaltum; aut ſine dimiſſoriis; aut furtivè. Decimusquartus, facere ſcripturam falſam, vel illa uti: aut aliqua uti falſificata. Decimusquintus, Revelatio ſigilli Sacramentalis à ſacerdote. Decimusſextus, ſollicitatio in confeſſione, aut illius occaſione. Sic indicto §. 2.

§. *Unicus.*

Quid reſervetur in primo caſu Synodali?

18. PRimus caſus, in hâc Ulyſſiponenſi Diœceſi, reſervatus, eſt hæreſis, quæ non fuerit purè mentalis; quid autem ſit hæreſis, & quæ requirantur, ut hæreſis ſit reſervata; vide *diſp. 16. ſect. 3. per totam*, ubi plura ad explicationem hujus caſus invenies. De illius abſolutione, vide *ſect. 2. ejuſdem diſp. per totam.*

19. Quæres quid in præſenti caſu reſervetur à *ſupra cit. conſt. Synodali?* Et ratio dubitandi eſt, quia caſus hæreſis, in primo Bullæ Cœnæ Canone; conſtinctus; & in ſecundâ declaratione S. Congreg. demandato Clementis VIII. editâ 26. Novembris, anni 1602. apud Barbos. *de poteſt. Epiſcop. part. 3. alleg. 50. n. 286.* & alios jam ſupra citatos, Epiſcopis prohibetur, ne reſervent caſus in Bullâ Cœnæ contentos, per hæc verba: *Prohibet etiam, ne ſibi ſuperſtuè reſervent caſus in Bullâ die Cœnæ Domini legi conſuetâ, contentos, neque alios ſedi Apoſtolicæ ſpecialiter reſervatos*; & tenent Bordon. *tom. 1. reſol. 37. n. 38.* Pellizar. *in man. Regul. tom. 1. tract. 6. cap. 2. n. 53.*

ergo superflua videtur posita, præsentis casus reservatio.

20. Aliqui autumant, in præsenti casu declarari, non posse confessarios absolvere ab hæresi occultâ per accidens, cujus absolutio committitur Episcopis, non tamen eorum vicariis, *in Trident. sess. 24. de reformat. cap. 6.* ut expressè loquuntur *Const. Eborens. tit. 13. de Sacram. Confession. cap. 6. in 11. casu ibi reservato*; & aliquarum Diœcesum constitutiones, juxta opinionem aliquorum D.D. qui adhuc, post publicationem Bullæ Cœnæ, quotannis factam, hanc facultatem tenere Episcopos, asserebant; qui videri possunt apud Barbos. *in collect. ad citatum locum Trid. n. 48.* & in nostrâ *disp. 15. supra n. 109.*

21. Dicendum tamen est ut probabilius in præsenti casu nihil reservari; vel tantùm reservari hæresim, quæ fuit commissa, ab ignorante censuram, quæ huic crimini est imposita. Prima pars probatur, quia in præsenti casu, dicitur reservari hæresis, quæ non fuerit mentalis: sed hæresis, quæ non est mentalis, est reservata S. Pontifici: ergo hîc non reservatur. Quare dicendum est, in præsenti; dum inter alios casus reservatos, hic recensetur, declarari, confessarios non posse absolvere ab hæresi, quæcunque illa sit, dummodo non sit mentalis. Prima tamen resolutio cohærentior videtur; & ostenditur, quia in non paucis Diœcesibus, ut *infra* videbimus inter reservatos casus numeratur *Commutatio votorum* & tamen per hunc casum, nihil reservatur, sed declaratur, confessarios non posse vota commutare. Vide dicenda *disp. sequenti n. 28. & 29.*

22. Secunda pars ostenditur, & defenditur à Abreu *de Parocb. l. 10. n. 315.* Quia quando quis ignorat censuram esse latam, in aliquod Crimen; si cum ea ignorantia, illud commisit, illam censuram non incurrit: ut tenet idem Abreus *loco cit.* & D.D. communiter: sed peccatum non est reservatum S. Pontifici, nisi cum censura annexum, ut vidimus *disp. 15. n. 15.* cum Soar. & aliis pluribus: ergo si hæresis sit commissa, ab ignorante censuram, erit Archiepiscopo reservata, quia in præsenti casu sibi reservat hæresim, quæ non est purè mentalis, & non reservata Pontifici; & commissa ab ignorante censuram, nec est reservata Pontifici, nec est purè mentalis.

23. Ad rationem dubitandi *n. 19.* allatam, respondeo, facultatem in Trident. concessam Episcopis, ad absolvendum ab hæresi occultâ, esse revocatam, per Bullam Cœnæ Domini; ut latè ostendimus *dicta disp. 15. à n. 106.* Et juxta damnationem, ab Alexandro VII. factam, propositionis tertiæ, in suâ Const. comprehensæ, colligitur apertè, sententiam, quæ oppositum tenuit esse improbabilem. Vide *cit. locum.*

SECTIO III.

Quid reservetur per Blasphemiam publicam?

24. Secundus casus in hâc Diœcesi reservatus, est Blasphemia publica: *Blasphemia autem est locutio contra Deum, per modum convitii.* Committitur, negando aliquid, quod in Deo inest, v. g. nsgando: Deum esse omnipotentem: aut affirmando, quod in eo non inest, v. g. affirmando, Deum esse crudelem. Sic Sanch. *l. 2. decal. cap. 32. n. 1.* & alii, quos adducunt, Leand. *tom. 7. tract. 1. disp. 5. n. 1.* Soar. Lusit. *de panit. tract. 7. n. 904.*

25. Dividitur in simplicem; & hæreticalem, Hæreticalis est illa, quæ continet aliquam hæresim, vel falsitatem contra fidem: ut *Deus est iniustus: ignarus.* Blasphemia simplex, seu non hæreticalis, illa dicitur; quæ nec affirmat, nec negat aliquid contra fidem. Et est quadruplex, Enunciativa, ut si quis dicat: *ad injuriam Dei, volo hoc efficere.* Detestativa; ut si proferat; *pereat Deus, maledictus sit Deus, displiceat Deo.* Irrisoria, ut hæc: *Vah! qui destruis templum Dei*; idem si irrisorie nominentur Christi Domini pudenda. Juratoria, quando quis cum blasphemiâ jurat, ut: *pereat Deus, si hoc ita non est, vel non erit.* Sic Tambor. *l. 2. decal. cap. 6. §. 4. n. 2.* Leand. *proximè q. 4.* Soar. Lusit *de panit tract. 7. n. 930. & 931.*

26. Dividitur etiam in eam, quæ est contra Deum, contra Sanctos, & contra creaturas, sive rationales, sive irrationales; dummodo, quæ jacitur in Sanctos, vel creaturas, redundet in Deum. Unde, si quis tempestati, vel ventis malum imprecetur, præscindendo ab eo, quòd referatur in Deum creatorem illorum; non Deo, sed ipsis creaturis faciet injuriam; & sic non erit blasphemia. Sic Tambor. *proximè n. 4.* Leand. *q. 10.* At convitium in Sanctos jactatum, semper est Blasphemia; quia semper in Deum redundat; quia Sancti semper apprehenduntur, ut aliquid Dei, v. g. ut amici, & ab illo glorificati. Sic Castr. Palao *tom. 3. tract. 17. disp. 2. punct. 2. §. 1. in fine* Fagund. *in 2. decal. præcept. l. 2. cap. 3. n. 1.* Tamborin. quos citat, & sequitur Leand. *supra q. 9.*

27. Blasphemia non solùm ore, sed etiam mente, & scripturâ committi potest; quia sicut his modis datur Dei honoratio; ita etiam iis modis, potest contingere contumeliosa loquutio; licèt propriè loquendo, solùm ore committatur. Ita Soar. *re relig. tom. 1. tract. 3. l. 1. cap. 4. n. 4.* Castr. Palao *ubi supra disp. 2. punct. 2. §. n. 1.* Leand. *cit. q. 5.* & alii. Unde communior sententia docet, blasphemiam, propriè loquendo, non committi signis, aut factis; quia blasphemia directè opponitur laudi divinæ; laus verò verbis exhibetur. Ita Soar. *proximè* Sanch. *l. 2. decal. cap. 32. n. 5.* Bonacin. Castr. Palao, & alii apud Leandrum *q. 6.* His præsuppositis.

28. Dico primò: Blasphemia hæreticalis non reservatur ab Episcopo, de se enim est reservata Dominis Inquisitoribus; & ejus cognitio, & punitio ad illos pertinet. Ratio est, quia propositio hæreticalis, est propositio hæretica formaliter, aut virtualiter: sed propositio hæretica solùm pertinet ad tribunal D.D. Inquisitorum: ergo, & propositio hæreticalis. Ita Sanch. *l. 2. decal. cap. 32. n. 37.* Alos *tom. 1. l. 9. cap. 28. q. 5.* Castr. Palao *supra disp. 2. punct. 2. §. 4. n. 5.* Leand. *dict. disp. 5. q. 57.* & alii, quos citant. Unde probabilis non est opinio illorum, qui apud Leand. *cit.* docent, propositionem hæreticalem privativè non spectare, ad Dominos Inquisitores.

29. Dico secundò: Blasphemia non hæreticalis, si sit interna, vel occulta, non reservatur, in hoc Archiepiscopatu; quia reservatur blasphemia publica; quæ est illa, quæ majori parti vicinæ innotuit; quæ autem sit occulta non reservata, vide *disp. 15. n. 106.* Non tamen reservatur *in cap. statuimus, de maledicis*; ut voluerunt aliqui Juristæ,

apud

apud Sylvestr. *Verb. Blasphemia n. 6. & 7.* quia in eo textu, non agitur de reservatione; sed de pœna in foro contentioso: ut cum Soar. tenet Sanch. *l. 2. decal. cap. 32. n. 4.* Quare si in hac Diœcesi, non reservaretur, non esset reservata.

30. Dico tertiò; In blasphemiis, quæ directè, seriò, & deliberatè jaciuntur in Deum, & in sanctos, ut Sancti sunt, non datur parvitas materiæ. Est contra Villalob. *tom. 2. tract. 1. diffic. 15. n. 5.* Defenditur tamen à D. Thom. 2. 2. *q. 13. art. 2. ad 3.* Banês, Aragon. Cajet. Valent. Soar. Petr. Ledesm. Lopes, quos citat, & sequitur Sanch. *l. 2. decal. cap. 32. n. 40.* Sylvius, Hurt. de Mendoc. Bonac. Castr. Palao, Trullench, Bassæus. Sayr. Gordon. quos referunt, & sequuntur Dian. *5. part. tract. 5. resol. 3.* Leander. *tom. 7. tract. 1. disp. 5. q. 13.* Soar. Lusit. *de panit. tract. 7. n. 919.* Ratio est quia Deo debetur summa reverentia: ergo omnis contumelia in eum, est injuria gravissima.

31. Dico quartò: In blasphemiis, quæ proferuntur in Sanctos circa res naturales, non tamen, ut Sancti sunt formaliter, sed materialiter, ut quidam homines sunt, datur parvitas materiæ. Est contra Lorcam 2. 2. *q. 13. art. 2. n. 9.* Sustinetur tamen ab Aragon. Banês, Lopes, quos refert, & sequitur Sanch. *proximè n. 42.* Duvalio, Sanctarell. Sayro, & Sylvio, apud Dian. *cit. vers. & notat.* Leand. *q. 15.* Soar. Lusit. *cit. n. 921.* Ratio est; quia hujusmodi blasphemiæ non proferuntur directè, contra sanctitatem, sed ejus materiale objectum, in ordine ad quos, sanctitas habet se per accidens. Undè dicunt citati authores, blasphemias, quibus per jocum dicitur de Sanctis Crispino, & Crispiniano, fuisse sutores; & de Sanctis Joanne, & Paulo Patribus, fuisse eunuchos, esse veniales. Secus dicendum, si blasphemia, etiam per jocum prolata in Sanctos, ut quidam homines sunt, sit circa mores; ut si quis diceret de Apostolis; ideo defecisse vinum in nuptiis Cana Galileæ, quia ibi erat Apostoli, qui erant piscatores, & hi amici sunt vini; nam hæc blasphemia, licèt sit materialis, & per jocum, est mortalis; ut asserunt Fagundus *in 2. decal. precept. l. 2. cap. 3. n. 21.* Leand. *proximè.*

32. Dico quintò: Blasphemia ex aliquâ indignatione repentinâ, indeliberatione, aut inadvertentiâ, in Deum prolata, est venialis; quia est sine intentione maledicendi Deum, & deficit deliberatio sufficiens, ad peccatum mortale. Ita Navarr. *in summ. cap. 12. n. 84.* Sanch. *dict. cap. 32. n. 40.* Lorca *supra*, Leand. *cit. q. 16.* & apud ipsum Banês, Ledesm. Regin. Bonacin. Trullench. Sayr. Quibus addo. Abreu *de Paroch. l. 10. n. 316.*

33. Dico sextò: Blasphemiæ expressâ consuetudine blasphemandi, inadvertenter quidem, & inconsideratè prolatæ, non sunt peccata mortalia. Hæc conclusio est contra Taner *tom. 3. disp. 1. q. 8. dub. 7. n. 141.* Azor. *1. part. l. 11. cap. 3. quæst. 3. Card.* Tolet. *l. 4. cap. 13. n. 7.* Lopes *1. part. instruct. cap. 282. vers. octavò, vide.* Sayr. *inclav. Reg. l. 5. cap. n. 10.* Ledesm. *in summ. tom. 2. tract. 11. cap. 5. dub. 4. & 5.* Raphael de la Torre *de Fide q. 98. art. 3. & alios.* Ex ea ratione; quia licèt tales blasphemiæ inadvertenter prolatæ, non sint volitæ in se, quia ad illas non advertitur; sunt tamen volitæ in causâ; nempe, in pravâ consuetudine, quæ debet extirpari, & non extirpatur. Undè consequenter dicunt prædicti authores; si quis retractet talem consuetudinem, ejusque pœniteat, tunc eas blasphemias, ex illâ subortas, non esse peccata mortalia; quia non sunt volitæ in se, neque in causâ.

34. Nostra tamen conclusio est probabilior; quia blasphemiæ indeliberatæ, quæ ortum habent, ex pravâ consuetudine non retractatâ, si hic, & nunc non advertitur ad illas, nec ad pravam consuetudinem, nec sunt volitæ in se, neque in causâ; ac proinde peccata mortalia non sunt, nec reservatæ. Ita Sanch. *l. 3. decal. cap. 5. n. 21.* Soar. *tom. 1. de relig. tract. 3. l. 2. cap. 6. n. 2.* Dian. *3. part. tract. 5. resol. 62.* Navarr. *in summ. cap. 12. n. 84.* Regin. *in praxi tom. 2. l. 18. cap. 6. sect. 3. n. 85.* Leand. *tom. 7. tract. 1. disp. 5. p. 18.* Soar. Lusit. *de pœnit. tract. 7. disp. 3. n. 924.* & alii penes ipsos. Quod dictum est de blasphemiis subortis ex pravâ consuetudine blasphemandi, dicendum etiam est, cum prædictis authoribus, de juramentis indeliberatis; quæ similiter ortum habent à pravâ consuetudine jurandi.

35. Dico septimò: si blasphemans ex pravâ consuetudine, advertat ad ipsam blasphemiam, tenetur illam retractare. Ita Layman *l. 1. tract. 4. cap. 3. n. 6. in fine*, Leand. *proximè q. 17. in principio.* Soar. Lusit. *proximè*, *n. 928.* Probatur exemplo ebrii, qui si prævideat mala, in ebrietate factura, & tamen illa non retractet, incurrit in ipsâ ebrietate, tanquam in causâ, omnes eas malitias, quas prævidit.

36. Dico octavò: Hæc verba continent certò blasphemiam: *Nego, vel renego Deum, vel crucem, vel sacramenta, vel chrisma quod fronte percepi: non credo in Deum, Nao grado tenha Deos*, id est, *Deo malum contingat.* Nec non jurare verum, vel falsum, per falsos Deos; & jurare per aliquam creaturam, sistendo in eâ, tanquam in infallibili veritate. Item jurare per pudenda Christi, aut sanctorum, vel Deum obscœnis verbis Laudare. Item hæc, *Non est potestas in Deo, Deum tædeat, vel displiceat, velit, nolit Deus. Pœniteat Deum, vel S. Petrum. Pereat Deus, sancti amittant vitam.* Item maledicta omnia in Deum, vel Sanctos; imo, & in creaturas, si ad Deum referantur, vel si maledicta in Deum redundent. Denique, dicere: *Damonem esse sanctum aut omnipotentem*, puellam amasiam *esse Deam.* Hæc sunt apertè blasphema.

37. Ut tamen ea verba, quæ dicuntur amasiæ sint blasphema, debet, qui illa profert, tribuere ei nomen propriè Deitatis; nam si per hyperbolem loquatur, licèt perperam loquatur, ex hoc capite, non esse mortale, probabile est. Ita sentiunt D. D. Sanches, Fagund. Soar. & apud alios, quos invenies citatos, apud Leand. *Proximè q. 23. & seqq.* & tenent Tamborin. *l. 2. decal. cap. 6. §. 4. n. 15.* Dian. *part. 3. tract. 13. resol. 20.* Soar. Lusit. *cit. n. 909.*

38. Dico nonò: Hæc verba certò, vel satis probabiliter, non sunt blasphema: maledicere tempestati, ventis, bestiis, pluviis, &c. Quia non maledicuntur, ut media, quibus Deus utitur ad nos puniendos. Sic Leand. *cit. q. 56. in principio.* Tamborin. *proximè n. 16.*

39. Item non est blasphemia: *Hoc verum est, sicut Evangelium, vel sicut Deus verus est*; quia non æquiparatur veritas creatâ cùm increatâ; sed solùm intenditur similitudo quædam, quoad conformitatem cum objecto: si autem intenderetur eo dicto, tantam in eo esse veritatem, quanta datur in eo fidei articulo, tunc blasphemia hæreticalis

committeretur. Ita cum pluribus Sanch. *l.* 2. *decal. cap.* 32. *n.* 1. Bonac. *disp.* 3. *q.* 8. *punct.* 3. *n.* 13. *infine.* Castro Palao, & alii, quos citat. Leand. *supra q.* 41. Tamborin. *vit.* Soar. Lusit. *supra n.* 915.

40. Item non sunt verba blasphema, dicere: *Natus sum in hoc fato; sic tandem futurum erat.* Ita Sanch. *cit. n.* 35. Tamborin. *cit.* Leand. *q.* 34. nam licèt sint propositiones malè sonantes, non sunt blasphemæ; quia non intelligitur per illas, esse verum eventum de necessitate absolutâ, tollente libertatem humanam, & rerum eventus contingentes; sed de necessitate consequentiæ; ex eo quòd sic à Deo jam erat prævisum.

41. Dico decimò: Omnes blasphemiæ, quæ non sunt hæreticales, sunt ejusdem speciei, sive sint contra Deum, sive in B. Virginem, sive in Sanctos. Unde satis est dicere in confessione, toties blasphemavi; quia omnes habent idem objectum, à quo specificantur, nempe à contumeliâ, quæ Deo infertur. Dixi: *quæ non sunt hæreticales*, nam hæ addunt infidelitatem, si detur error in intellectu, vel peccatum contra præceptum de externâ confessione fidei. Ita Cajet. Azor, Faustus, Cælestinus, quos refert, & sequitur Dian. *part.* 1. *tract.* 7. *resol.* 50. *& part.* 5. *tract.* 13. *resol.* 21. Aragon. Banês Valenc. Sanch. Laym. quos sequitur Bonacin. *tom.* 2. *disp.* 3. *q.* 8. *punct.* 4. *n.* 1. Trullench. Bassæus, & Tambor. apud Leand. *q.* 19. Quamvis oppositum doceat cum Card. de Lug. Sanch. Soar. Fagund. & aliis Leand. *loco citato.* De pœnis Blasphemorum, videri possunt Castr. Palao *tom.* 3. *tract.* 17. *disp.* 2. *punct.* 2. §. 4. Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 3. *a n.* 92. ubi aliis utitur distinctionibus.

SECTIO IV.

Quid reservetur per Veneficium?

42. Hic tertius casus in Const. *loco supra citato* reservatur, per hæc verba: *Feiticaria, fasendo feiticos, ou cusando delles.* Id est: Veneficium, nempe; illa conficiendo, aut illis utendo. *Veneficium* igitur *est quædam vana observatio, non quæcumque, sed talis, in quâ quis intendit ope Dæmonis, nocere proximo, in personâ, vel in rebus.* Et ita nocens, uti procurando, ut quis à Dæmone obsideatur, aut infirmetur, aut trahatur amore; similiter inducendo tempestates super agros, & similia mala faciendo, mediante Dæmonis auxilio, expressè, vel tacitè invocati, habet casum reservatum; ita cum Graff. Bordon. *tom.* 1. *resol.* 40. *n.* 13. Soar. Lusitana *de pœnis tract.* 7. *n.* 359.

43. Inquires primò: An per prædicta Const. verba censeantur etiam reservatæ omnes species superstitionis, incantationis, fortilegii, divinationis, ac maleficiorum, Magicæ, & astrologicæ artis, sicut in aliquibus Diœcesibus expressè reservatur, ut postea suis in locis videbitur? Affirmant Abreus. de Paroch. *l.* 10. *n.* 3. 17. & authores Brevis expositionis casuum reservatorum pro Diœcesibus Regni Portugaliæ *cap.* 1. §. *Doterseiro caso reservado n.* 2. *fol. mihi* 118. dum comprehendunt in hoc casu ea quinque genera maleficiorum, de quibus D. D. agunt. Et ante illos idem docuerant Graffis, Quarant. Coriolan; apud Bordon. *proxime n.* 1. Idem tenet Plinius *l.* 8. *cap.* 4. dum fortilegium pro Magicis artibus accipit.

44. Probant; quia quando agitur de peccato vitando, debet fieri extensio juris, etiam pœnalis; quia sic, potius dicitur inclusio similium peccatorum, quàm extensio; ut tenet Jason. *in Authent. Quas actiones, de sacra sanct. Eccles. n.* 25. sed constitutio reservando Veneficia, illa conficere, & illis uti, agit de peccato vitando: ergo omnia peccata, quæ ad Magiam spectant, reservantur. Confirmare etiam poterant, *ex cap. Episcopi de Sortileg.* ibi: *Episcopi eorumque ministri omnibus modis elaborare studeant, ut perniciosam, & à Diabolo inventam Magicam artem, ex parochiis suis penitus eradicent.* Si ergo in prædicto casu reservato, non comprehendantur omnes species ad Magicas artes spectantes; non elaborare studebunt à parochiis suis Magicam artem eradicare.

45. Probabilius tamen existimo, in præsenti casu reservari Veneficia, illa conficere, & illis uti, & non alias Magiæ, & maleficii species. Prima ratio est: quia verba legis, in potiori significatu sunt accipienda; & secundùm sensum gramaticalem *l.* 1. §. *qui in perpetuum ff. si ager vectigal. l.* 1. §. *Si is qui navem ff. de exercit. action.* & cum aliis juribus, & Doctoribus Barbos. *tract. de Axiomat. jur. Axiom.* 222. *n.* 25. Sed secundum sensum gramaticalem, apud Ambros. Callep. *Feiticana, & fazer feiticos* significatur, per verbum: *Veneficium, Veneficus, Venefica*, & non per Magiam, vel per maleficium, quod significat malum facere, ut etiam videre est, apud Nicoteum, *verb. Maleficium*: quæ latius patent, quàm Veneficium: Sed Venefici dicuntur duntaxat, qui committunt maleficium, sive ad tollendum morbum, sive ad illum inferendum, aut alia damna, sive in hominibus, sive in rebus ipsorum, cum pacto expresso, vel tacito cum Dæmone, ut *in principio* diximus: ergo hæc sola species maleficii in hoc casu reservato comprehenditur.

46. Secunda ratio, quia ut aliquis casus sit reservatus, debet intelligi constitutus, & perfectè completus juxta tenorem Constitutionum Synodalium, ut docuerunt Sylvest. *verb. casus q.* 5. Graff. 1. *part. decis. l.* 1. *cap.* 13. *n.* 17. Henriq. *l.* 6. *cap.* 14. *n.* 5. Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 23. *de pœnis. disp. unic. punct.* 15. §. 2. Tambor. *l.* 5. *de pœnit. tract. de casib. reserv. cap.* 4. *n.* 17. & aliis communiter; quia reservatio est odiosa, ac proinde in omni proprietate, verba casus reservati, accipi debent: Sed prædicta verba Const. citatæ, non acciperentur in omni proprietate, si alii casus à designatis, etiam reservati intelligerentur: ergo veneficia, & venefici in sua proprietate in præsenti casu sunt tantùm reservati, & non aliæ species Magiæ. Ita de hoc casu expressè tenent Bordon. *tom.* 1. *resolut.* 40. *n.* 13. Quintanadum *tom.* 1. *tract.* 3. *singul.* 4. *n.* 2. loquens de fortilegio reservato, per cujus reservationem aliæ species Magiæ non manent reservatæ.

47. Ex hâc sententiâ, sequitur non comprehendi in hoc præsenti casu species superstitionis, ut cultus indebitus tributus vero Deo, Idolatria, divinatio; nec etiam species illius, quæ sunt plures; nec etiam fortilegium, aut incantatio, eo quòd non sunt veneficia; quæ hic tantùm reservantur. Vide Bordon. *cit. at. dicta resol.* 40. *a n.* 1.

48. Ad fundamentum oppositum *n.* 44. respondetur ex verbis reservantis, satis constare, illum solùm voluisse reservare Veneficia, si enim alias spe-

species voluisset reservare, id expressisset, ut aliqui expresserunt; & Clemens VIII. pro casibus regularibus reservandis expressit, non solùm Veneficia, sed etiam sortilegia, & incantationes, ut *infra* constabit.

49 Quæres Secundò: Quinam committant hunc casum reservatum? Respondeo, illos illum committere, qui fecerint aliquod maleficium ad inferendum, vel tollendum morbum, vel alios damnificandum in personâ, vel in rebus. Et non solùm, qui hæc maleficia fecerint, hunc casum reservatum committunt, sed etiam illi, qui veneficiis utuntur factis à magistris hujus artis. Sic expressè habetur in præsenti casu; *aut illis utendo*.

50. Quæres Tertiò: An qui colligit herbas, ossa, & alia id generis, ad Veneficiorum massam attemperandam, committat casum reservatum? Respondeo, non committere; quia nec conficit veneficia, nec illis utitur jam factis, sed tantùm præparat, & inchoat materiam ad veneficia: quando autem reservatio imponitur alicui delicto, non incurritur, nisi ab illo, qui illud consummat, ac perficit, ut diximus cum pluribus Doctoribus *disp.* 16 *num.* 67. quibus addo Tambor. *tom.* 2. *de jur. Abbat. disp.* 13. *q.* 2. *n.* 12. Fagund. *in* 2. *Eccles. præcept. l.* 8. *cap.* 4. *n.* 9. Graff. *l.* 3. *casuum reserv. cap.* 1. *num.* 19. *& seqq.* Pellizar. *tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 1. *num.* 21. Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 7. *num.* 361.

51. Quæres Quartò: An qui consulunt, vel mandant veneficos, conficere Veneficia, vel alios, ut illis utantur à Veneficis jam factis, committant casum reservatum? Respondeo, non committere, quia illi solùm subjiciuntur casibus reservatis, qui exprimuntur sub verbis casus reservati propositis: Sed in præsenti casu non exprimuntur mandantes, & consulentes: ergo. Ita Navarr. *in summ. cap.* 27. *n.* 51. Reginald. *lib.* 9. *n.* 214. Bonac. *q.* 1. *de censur. punct.* 6. Bordon. *tom.* 1. *resol.* 38. *n.* 22. Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 7. *num.* 360. & omnes committere.

52. Quæres Quintò: Quomodò se gerere debeat confessarius, quando pœnitens ei confitetur peccatum Veneficii, vel aliud ad artes Magicas spectans? Respondeo, debere examinare primò, an præter Veneficium exercitum, inerit pactum expressum cum Dæmone; an ibi fuissent additæ aliæ peccatorum species, v. g. hæresis, idololatria externa, vel sacrilegium; necnon, an suo Veneficio intulerit damnum: Si deprehenderit, interveniisse hæresim, remittat eum ad Inquisitores; si verò non interveniisset, cùm sit casus reservatus, ab eo non potest absolvere sine licentiâ prælati: potest tamen, virtute Bullæ, vel jubilæi. Si vero damnum alicui sit illatum, juxta regulas restitutionis, omnia damna sunt resarcienda.

SECTIO V.

Quid reservetur, in hâc Diœcesi Ulyssiponensi, in his verbis: Invocatio Dœmonis, aut aliquid facere, in quo sit pactum tacitum, vel expressum cum ipso Dœmone?

53. Quartus casus reservatus per hæc verba: *Invocando, e Demonio ou fazer alguna cousa, emque entre pacto tacito, ou expresso com o Demonio.* Ut hic casus explicetur; supponendum est, invocationem Dæmonis esse duplicem, expressam, vel tacitam. Invocatio Dœmonis expressa duobus modis fieri potest. Primò, petendo ab illo, quòd dicat, vel doceat aliquam rem, absque ullo pacto. Secundò, ut eam dicat, vel doceat, aut aliquid aliud cum pacto expresso, ex parte petentis. Et hoc etiam fieri solet duobus modis. Primò, cum solemnitate ex parte Dœmonis, apparentis in formâ visibili, & in solio sedentis in similitudinem Monarchæ, magnâ Dœmonum comitante catervâ; coram quibus fit pactum expressum; homo quidem ex suâ parte promittendo, se Deum negaturum, omnia Sacramenta, & res sacras, & saltem, hoc peccatum se, in confessione Sacramentali, negaturum. Dæmon verò ex suâ parte promittit, se illi futura, & occulta revelaturum, & votis illius satisfacturum: vel hoc modo, *do ut des, faciam, ut facias*, id est: invocabis me, & facies mihi cultum, & reverentiam, & ego auxiliabor tibi, vel revelabo, aut indicabo tibi rem, quam desiras, &c.

54. Secundò sine solemnitate: Quod etiam fit duobus modis. Primò, quando homo cum solo Dæmone pactum iniit. Secundò quando eadem promittit pro tertiâ personâ, non audente coram Dæmone apparere. Et ex parte Dæmonis, potest esse responsio; vel sine pacto, vel cum illo, nempe, acceptando promissionem factam, & se obligando, stare promissis. Ita Trullench. *l.* 1. *decal. cap.* 10. *dub.* 3. *num.* 7. Leand. *tom.* 6. *tract.* 9. *disp.* 2. *q.* 27. Vide Fagund. 2. *Eccles. præcept. lib.* 8. *cap.* 4. *n.* 10.

55. Invocatio Dœmonis tacita, tunc datur, quando, quis utitur actionibus non à se, sed ab alio conventis cum Dæmone; & illis conventis utendo; censetur voluntati Dæmonis assentiri, factoque ipso Dæmonem invocare. Ut hoc pactum tacitum cognoscatur, accipe duas regulas. Prima, tunc datur tacita Dæmonis invocatio primò, quando adsunt verba non significativa. Secundò figuræ inutiles. Tertiò, si verba sint falsa, v. g. quod Christus habuit febrim, quòd B. Virgo habuit dolores in partu. Quartò, conditiones vanæ, ut si leves pondus, vel moveas cribrum, vel quid simile. Quintò, quando promittitur effectus infallibilis, ad quem producendum non datur virtus naturalis; nec constat ex Sacrâ Scripturâ, vel revelatione probatâ, habere virtutem supernaturalem. Ita Fagund. *proxime n.* 12. ubi alios modos invenies. Tambor. *lib.* 2. *decal. cap.* 6. §. 1. *num.* 25. Sanch. *lib.* 2. *decal. cap.* 40. *num.* 43.

56. Se-

56. Secunda regula: Quando ex aliquâ circunstantiâ, adhibentur ad effectum aliqua vana, & inutilia, tanquam necessaria; unde tacita præsumitur invocatio Dœmonis: ut si debeat fieri certis diebus, certis horis, & ad certum stellarum situm, sub certo numero crucium, candelarum, certâ corporis positurâ &c. Ita Sanch. *proximè*. Tambor. *citat. num.* 26. & alii communiter. His suppositis.

57. Dico primò: Invocatio Dœmonis, sive sit expressa, sive tacita, est peccatum mortale, & gravissimum; & si invocatio sit expressa est gravius invocatione tacitâ; & ideo confessori est aperiendum; quia est alterius speciei, quia addit commercium cum Dœmone, & illi promissionem factam; quæ non dantur in invocatione tacitâ. Quæ peccata sunt reservata; & si hæresim contineant, Inquisitoribus: si verò non contineant, Prælato, per hanc præsentem Constitutionem: Reservata tamen Prælato, virtute Bullæ, possunt absolvi.

58. Dico secundò: Aliquando possunt excusari à peccato mortali, & consequenter à reservatione, qui exercent actiones aliquas, in quibus datur invocatio tacita. Primò, propter ignorantiam; quia nesciunt, ibi esse invocationem tacitam; & quia credunt bonâ fide, dare operam rei licitæ. Secundò, si ex actiones non fiant animo invocandi Dœmonem, sed gratiâ jocandi, absque expectatione certi eventus. Tertiò, si cognitio rerum non quæratur à Dœmone, sed à causis naturalibus; ut acquirere notitiam pluviæ, tempestatis, aut serenitatis eventuræ, ex avium cantibus, & similibus. Dantur etiam aliqui effectus mirabiles, qui non procedunt ab invocatione tacitâ, sed à causâ naturali incognitâ. Ita docent Fagund. *cit. n.* 13. Tambor. *n.* 12. & alii, quos referunt.

59. Dico tertiò: Non potest fieri sine invocatione Dœmonis tacitâ, ut quis vulneratus, domi suæ jacens, recipiat sanitatem, si alter in aliquo loco distanti, medicamentis foveat gladium, quo ille quis fuit vulneratus; quia nihil naturale, nec divinum in eo effectu apparet. Ita Tambor. *ubi supra n.* 37. Bonac. *disp.* 3. *decal. q.* 5. *punct.* 4. *n.* 17. & 18. Trullench. *l.* 1. *decal. cap.* 10. *dub.* 10. *n.* 10. Sanch. *l.* 2. *decal. cap.* 40. *n.* 44. Delrius *l.* 3. *q.* 4. *sect.* 1. Leand. *tom.* 6. *tract.* 9. *disp.* 1. *q.* 18.

60. Dico quartò: Invocatio tacita reperitur in illo medio vano, quo quis utitur ad occultorum cognitionem inquirendam, infigens in vanno forcipem: quia nihil naturale reperitur in verbis prolatis, ut vannus moveatur. Si tamen sciens, hæc media ad eum effectum esse vana, & illa adhibeat joci causâ ad se oblectandum, & non ad occultorum cognitionem inquirendam, sed solùm ad videndum, quid casu accidat; non erit invocatio mortale peccatum, sed solùm veniale, actionis scilicet otiosæ. Ità Sanch. *cit. cap.* 38. *n.* 10. Del Rio *l.* 4. *cap.* 4. *q.* 4. & alii. Hæc sufficiant, pro explicatione hujus casus. Qui alia exempla invocationis tacitæ videre desiderat; consulat Tambor. *supra cit. à n.* 33. Sanch. *dict. cap.* 38. *& seqq.* Leand. *cit. dict. disp.* 1.

61. Cæterum adverto, in his invocationibus, sive expressis, sive tacitis, non dari parvitatem materiæ, quæ non sit mortalis. Ita Sanch. *l.* 2. *decal. cit. cap.* 38. *n.* 18. & apud illum Valent. & Leil. & tenent omnes.

SECTIO VI.

Quid reservetur, per hæc verba: Homicidium voluntarium executioni mandatum, extra bellum justum, vel extra defensionem propriam, aut proximi, in quo comprehenduntur illi, quorum culpa filii suffocati reperiuntur?

62. Quintus casus in hâc Ulyssiponensi Diœcesi reservatus, sic habet: *Homicidio voluntario posto por obra, fora de justa guerra, videfensam propria, ende proximo, emque entram aquelles, por cuia culpa, se achao os fillos affogados.* Hic casus plures continet partes, omnesque declaratione indigentes; quibus distinctè in hâc sect. satisfaciam. Prius tamen scire oportet, quid sit homicidium voluntarium, quod his reservatur? Respondeo, homicidium voluntarium, ad distinctionem homicidii casualis, illud dici; *Quod est volitum in se, vel in causâ, videlicet in veneno, vel in vulnere.* Homicidium casuale non est volitum in se, nec in causâ, sed fortuitò, & casu contingit. Ita Soar. *de cens. disp.* 44. *sect.* 1. *n.* 5. Barbos. *de potest. Episcop. part.* 3. *alleg.* 51. *n.* 3. Tambor. *l.* 6. *decal. cap.* 3. §. 1. *n.* 1. Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 7. *n.* 546.

63. Nota, quòd reservetur homicidium, extra bellum justum; quia si bellum fuerit injustum, & à militibus, ut tale cognitum, tenentur ab illo abstinere; & si in eo occidant, peccatum reservatum incurrunt. Quòd peccent mortaliter, tenent communiter D. D. apud Dian. *part.* 11. *tract.* 5. *resol.* 28. & quod sit reservatum, constat ex Constit. in verbis *supra* allatis. Dixi, *si bellum fuerit injustum*; quia si de illius injustitiâ non constet, debet à militibus justum reputari; quia ad illos non pertinet, ex professo causas belli discutere; & prudenter operantur, sequentes partem sui Principis. Unde, si in eo bello occidant, non habent casum reservatum. Sic Abreus *de Paroach. l.* 10. *n.* 337. & omnes, qui apud Dian. *cit.* asserunt, illos occidentes non committere peccatum mortale. Ad præsentem casum, vide dicenda *inferius n.* 395.

64. Excipitur à reservatione ille, qui occidit, ob propriam defensionem; & etiamsi occidat aggressorem, cum moderamine inculpatæ tutelæ, nam D. D. communiter docent, non esse homicidam voluntarium. Ratio est, quia sic occidens, censetur se defendere. Unde nec peccat, nec tenetur ad restitutionem, nec incurrit irregularitatem. sic D. Antonin. Angel. Panormitan. & alii, quos refert, & sequitur Buisfeld. *de injur. & damn. dat. cap.* 1. *q.* 5. *conclus.* 3. Mascard. Cened. Farinac. Julius Clar. Couvarr. Gom. Riccius, Cabal. Gambacurt. Cardos. quos adducit, & sequitur Barbos. *de potest. Episc. part.* 3. *alleg.* 51. *n.* 4. Quibus accedunt Trullench. *l.* 5. *decal. cap.* 4. *dub.* 4. Molin. *de just. tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 11. Rebell. *de just. part.* 1. *l.* 3. *q.* 12. Less. *l.* 2. *cap.* 9. *dub.* 8. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 2. *de restit. in partic. q. ult. sect.* 1. *punct.* 8. & alii, quos sequitur Tambor.

bor. *l.* 6. *decal. cap.* 1. *n.* 2. Soar. Lusit. *de panit. tract.* 7. *disp.* 3. *n.* 549. contra aliquos, apud Dian. 5. *part. tract.* 4. *resol.* 1.

65. Et hæc resolutio extenditur ad casum, quo injustus aggressor sit pater, Filius, Frater, Dominus, conjux, sacerdos, religiosus &c. sine periculo excommunicationis, ut asserunt Gasp. Hurt. *de just. & jur. disp.* 10. *diffic.* 6. Dicastill. *de just. l.* 2. *tract.* 1. *disp.* 10. *dub.* 2. *n.* 30. & plures juristæ, quos refert, & sequitur Dian. *part.* 8. *tract.* 7. *resol.* 41. contra alios, quoad occisionem patris. Accedunt Tambor. *proximè* Leand. *tom.* 5. *tract.* 2. *disp.* 12. *q.* 5.

66. Dubium tamen sit primum: An si injustus aggressor sit persona publica, ex cujus morte magnum detrimentum reipublicæ sequatur, liceat illum occidere, cum prædicta moderatione? Prima sententia affirmat, nullum peccatum committi, nec contra justitiam, nec contra charitatem; quia unusquisque jus habet, suam defendendi vitam: hoc enim ita insitum naturæ habemus, quam aliud aliquod bonum temporale, & communitatis, ut contrarium sit moraliter impossibile; quod non cadit sub præcepto. Ita Richard. *in* 4. *disp.* 15. *art.* 2. *q.* 5. Sylvest. *verb. eleemosyna n.* 2. Binsfeld. *proximè cap.* 1. *q.* 5. *conclus.* 6. Angel. D. Antonin. Zabarell. & P. Vasq. apud Dian. *part.* 5. *tract* 4. *de homic. resol.* 2.

67. Secunda sententia contendit, occidentem hujusmodi aggressorem, licèt non peccet contra justitiam, peccare contra charitatem, idque ob bonum commune, cuis particulare non debet, se præferre: videmus enim quodam instinctu naturæ, brachium se vulneri objectare, ut defendat caput, & elementa proprios motus oblivisci, ne detur vacuum in rerum natura. Ita cum D. Thom. Soto. *l.* 5. *de just. & jur. q.* 1. *art.* 8. Banès *de just. q.* 64. *art.* 7. *conclus.* 2. Molin. *proximè disp.* 14. *concl.* 2. Ægid Coninch *de char. disp.* 25. *dub.* 6. & 7. Less. *ubi supra l.* 2. *cap.* 9 *dub.* 8. *n.* 42.

68. Ita se habent hæ duæ opiniones, quæ sunt probabiles, & quantùm ad præsentem reservationem, clarum est, hanc non incurri in primâ opinione; siquidem nullum committitur peccatum; in secundâ autem, etiam non incurritur; quia in præsenti casu, excipitur ille, qui occidit ob defensionem propriæ vitæ, quod hic datur. Accedit, quia id homicidium licèt sit contra charitatem, non est contra justitiam: reservatio autem, cum sit odiosa, debet restringi ad homicidium, quatenus est contra justitiam. Sic Soar. Lusit. *supra n.* 553.

69. Secundum dubium: An committat reservatum, qui occidit absque moderamine inculpatæ tutelæ? Respondetur affirmativè; quia quamvis occiderit in defensionem propriæ vitæ, occidit voluntariè; in præsenti verò casu reservatur homicidium voluntarium; & licèt homicidium, in propriam defensionem excipiatur, intelligitur, excipi secundum jus, & Doctores: at secundum jus, & Doctores, qui occidit, non servato moderamine inculpatæ tutelæ, peccat mortaliter, incurrit irregularitatem, & voluntariè occidit, ut supponunt D. D. ergo etiam incurret reservationem. Oppositum tamen defendit Soar. Lusit. *proximè n.* 550. & aliqui ab eo citati, ex ratione, quia non censetur directè homicida voluntarius.

70. Tertium dubium: An in casu, quo aggressus fuerit in culpâ, ut ab alio invaderetur, si illum occidat, cum dicto moderamine, dicatur homicida voluntarius, aut sui defensor? Respondeo, adhuc dici sui defensorem; nam quamvis certum sit, commisisse peccatum mortale, in occasionem, quam fecit, ut ab alio impeteretur; non tamen peccavit peccato homicidii, defendendo se; quia habet jus se defendendi: sic communiter docent authores de adultero; qui aggressus à marito, potest pro suâ defensione, illum occidere. Ita Villal. *in summ. tom.* 2. *tract.* 12. *diffic.* 10. *n* 7. Molin. *tom.* 4 *tract.* 3. *disp.* 15. Dian. *part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 3. & alii plures, quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 5. *tract.* 2. *disp.* 12. *q.* 32. & Soar. Lusit. *citat. n.* 554.

§. I.

An liceat occidere pro defensione proprii honoris?

Sub hoc titulo intendo explicare eos casus, qui in propositionibus ab Alexandro VII, anno 1665. *& Innocentio XI. anno* 1679. *damnati sunt spectantes ad titulum præsentem, ut certa doctrina, ex oppositis propositionibus, teneatur.*

71. INquires primò: An liceat occidere contumeliosum, quando aliter ejus injuria arceri nequit? Plures authores affirmarunt, Petrus Navarr. *de restit. l.* 2. *cap.* 3. *n.* 376. Henriq. Stroserisdorf. *de just & jur. in* 2. 2. *q.* 64. *art.* 7. *conclus.* 5. Escob. 1. *part. de purit. & nobilit. probandâ q.* 1. *Gloss.* 4. *n.* 14. Bladesl. *in Theol. moral. l.* 3. *disp.* 24. *n.* 24. apud Dian. *part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 12. Bonac. *de restit. disp.* 2. *q. ult. sect.* 1. *punct.* 10. *n.* 7. Gom. *tom.* 3. *variar. cap.* 3. *n.* 51. Rodrig. *cap.* 136. *n.* 12. Lopes *primâ part. cap.* 62. *vers. Quando.* Julius Clar. *l.* 5. *sentent.* §. *Homicidium vers. idem, & multò magis*, quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 5. *tract. disp.* 14. *q.* 8. Soar. Lusit. *de panit. tract.* 7. *disp.* 3. *n.* 575. & alii apud Pesqualig. *in decis. moral. decis.* 441. *n.* 1. & apud Moyam *tom.* 1. *in q. q. selectis tract.* 3. *disp.* 3. *q.* 3. *cap.* 6. *n.* 55. & *tom.* 2. *tract.* 6. *disp.* 3. *q.* 2. *à n.* 1. & *n.* 4. licèt id dicat practicè improbabile, speculativè tamen fatetur probabile.

72. Probabant, quia licitum est, ponere ea media, quæ ratio naturalis dictat, esse necessaria, ad defendendum proprium honorem: sed, ut supponitur; nullum aliud medium datur ad defendendum honorem, per verba injuriosa amissum, nisi occidendo contumeliosum: ergo Confirmant: Ex eo, quòd majoris æstimationis est honor, quàm bona propria; & pro defensione horum, licita est occisio; ergo etiam pro defensione honoris.

73. Hæc tamen sententia non potest sustineri in praxi, nec in speculatione defendi, post decretum Sanctissimi Domini nostri Innocentii XI. Quod incipit. *Sanctissimus D. N.* editum quarto Martii, anni Domini 1679. in quo hanc propositionem *fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit*, ut minimum tanquam scandalosam damnavit, & in praxi tanquam perniciosam prohibuit; & inter damnatas ab

hoc Pontifice, est pars trigesimæ propositionis; ex quâ constat, dictam sententiam manere damnatam; quia est eadem, quam prædicti authores affirmabant esse licitam. Et sequitur hunc casum esse reservatum.

74. Oppositam autem; nempe, non esse licitum injuriantem occidere, quando aliter ignominia vitari nequit, ante prædictum decretum tuebantur Hurt. de Mendoc. *in* 2. 2. *disp.* 170. *sect.* 15. §. 124. citans Abulens. Sylvest. Cajet. Bannês Soar. Valent. & Azor, item Binsfeld. *de injur. & damno dato cap.* 1. *q.* 9. *conclus.* 4. Molfes. *in summ. tom.* 1. *tract.* 11. *cap.* 19. *n.* 74. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 29. *cap.* 3. *n.* 49. Dian. *part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 12. Lefl. *l.* 2. *cap.* 9. *dub.* 12. *n.* 78. Pasqualig. *in decis. moral. decis.* 441. Trullench. *l.* 5. *decal. dub.* 5. *n.* 3. Moya *proximè adductus*, & alii apud ipsum. Et post prædictum decretum illam tenet Fr. Raymund Lumbier *in notitiâ propositionum damnatarum ab Innocentio XI. advertent.* 9. *n.* 1868. *fol.* 1155. Ratio est primò, quia etiam inter viros honoratos, convitia aliis convitiis solent repelli; & si hoc modo non repelluntur, occisio nullam habet vim, ad illa repellenda, ut de se patet. Secundò, quia transgressio legis naturalis, & divinæ, *non occides*, non justificatur, nisi datâ urgente necessitate: at hæc non datur, quando ex verbis contumeliosis constat: nam sicut arma armis, sic verba verbis, & non armis repelluntur.

75. Ex damnatione prædictæ propositionis, sequitur etiam, esse improbabilem sententiam, quæ asserebat, licere viro honorato, occidere dicentem sibi: *Mentiris*, etiam si aliter à læso hæc injuria arceri non possit; quam in specie tenuerant Henrig. Soroversdorf. *in* 2. 2. *q.* 64. *art.* 7. *conclus.* 5. Leand. *tom.* 5. *tract.* 2. *disp.* 14. *q.* 7. & alii apud Moyam. *tom.* 2. *q. q. select. tract.* 6. *disp.* 3. *q.* 3. *n.* 3. quia coincidit cum propositione damnatâ. Unde oppositum sustinendum est; quod probat ratio proximè allata; & tenuerunt expressè Azor *tom.* 3. *l.* 2. *cap.* 1. *q.* 17. Dian. *part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 13. & alii plures, quos adducit, & sectatur Moya *citatus à n.* 10. usque *ad* 13. quamvis *n.* 14. oppositam teneat, stando jure naturæ, & præciso omni humano; quando injurians, verbo illo, graviter honorem læsit: & districto gladio, in eodem loco persistit, ad sustinendam injuriam ab eo illatam. Et post decretum, veram, & sustinendam esse sententiam, docet Lumbier *proximè* adductus.

76. Inquires Secundò: An sit homicida voluntarius, & incurrat præsentem casum reservatum ille, qui post impactam alapam, vel fustem, læsorem fugientem insequitur, ad recuperandum suum honorem, & illum apprehensum occidit? Non esse homicidam voluntarium, sed sui honoris defensorem, existimarunt Navarr. *in manual. cap.* 18. *n.* 3. *in fine.* Petrus Navarr. *de restit. l.* 2. *cap.* 3. *n.* 383. Henriq. *l.* 14. *cap.* 10. *n.* 3. *in gloss. litt. T. citans.* Victor. Mantuan, Penâm, Cordubam asserentes, posse virum nobilem dehonestatum, aut percussum, læsorem insequi, & impresso vulnere, honorem recuperare. Idem tenuerunt Anton. Gom. Armil. Plaza; Anton. Gabriel Covan. Abulens; Fernand. Marchant. Philipp. Faber, quos citat, & sequitur Dian. *part.* 2. *tract.* 1. *miscell. resol.* 15. *& part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 11. *& part.* 8. *tract.* 7. *resol.* 48. *& 51. in fine* Laym. Castill. Gibalin. Hurt. quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 5. *tract.* 2. *disp.* 14. *q.* 3. asserens oppositam sententiam juxta perfectionem Evangelicam esse amplectendam; at in rigore doctrinæ moralis, hanc sententiam esse satis probabilem. Eandem sententiam tenuit Caramuel apud Lumbier *proximè n.* 1872. & Soar. Lusit. *de panit. tract. disp.* 3. *n.* 578. ut probabilem, cum pluribus citatis sequutus fuit. Et alii non pauci apud Moyam *tom.* 2. *q. q. select.* 6. *disp.* 3. *q.* 1. *a.* 10. 11. *&* 12. inter quos illustrissimi Acatius de Velasc *tom.* 2. *resol. moral. verb. Homicidio resol.* 42. *n.* 3. & Caramuel, non tamen eodem loco à Lumbier citato.

77. Probabant primò, quia dum læsor fugit, & percussus fugientem insequitur, adhuc moraliter durat idem congressus: at dum durat idem congressus, censetur percussus, conari ad occisionem, pro sui honoris defensione. Secundò; quia si fugientem non persequeretur, semiperditum honorem omnino amitteret: censetur ergo hunc defendere, illo uno congressu, si non quiescat, sed continuet.

78. Hæc autem opinio, post decretum supra citatum, non est probabilis; quia est eadem, quam Sanctiss. D. N. Innocentius XI. in supra citato decreto damnavit, & continetur, in parte posteriori propositionis 30. damnatæ, & doceri prohibitæ; cujus prima pars sic habet: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hac ignominia vitari nequit.* Et posterior sic; (in quâ damnatur presens opinio) *Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel actum fustis, fugiat.*

79. Quare tenenda est vera, & communis sententia; quam admittit S. Pontifex, nempe: esse homicidam voluntarium, qui læsorem honoris insequitur fugientem, post impactam alapam, vel fustem; ut docuerunt ante dictum decretum, Sotus *l.* 5. *de just. q.* 1. *art.* 8. Carrerius *in pratic. §. homicidium* 6. *n.* 110. Molina *tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 17. *n.* 8. Vasq. *dub.* 9. *n.* 37. Rodrig. Turrian. Banês Malder; quos citat; & sequitur Card. de Lug. *tom.* 1. *de just. disp.* 10. *n.* 190. dicens cum Vasq. contrariam sententiam gentilitatem sapere; & à Christiana lege, alienam esse. Eandem tenuit Card. Tolet. *l.* 5. *cap.* 6. *n.* 16. Joann. de la Cruf. *part.* 1. *Summ. præcept.* 5. *dub.* 6. *conclus.* 1. Barbos. *in collect. ad cap. suscepimus de homic. n.* 3. Villal. *tom.* 2. *tract.* 12. *dif.* 12. *n.* 3. Moya *supra citat. n.* 13. ubi alios adducit. Pro hac etiam citari possunt docentes, oppositam sententiam, ad praxim, non esse deducendam; licet sit probabilis speculativè (at hanc speculativam probabilitatem, si illam habuit, post dictam damnationem, jam amisit) hi sunt Bonac. Less. Regin. Filliuc. apud Leand. *cit.* Accedit Tambor. *l.* 6. *decal. cap.* 5. 3. *n.* Ratio est, quia injuria jam est illata; unde ejus reparatio potius est vindicta, quàm defensio honoris: vindicta autem spectat ad judicem, & non ad personam privatam. Et ex hac ratione patet primò, oppositam sententiam esse speculativè improbabilem; quia nunquam vindicta licita esse potest. Secundò, patet etiam solutio ad fundamenta oppositæ sententiæ *n.* 77. adducta.

80. Si tamen prædictus læsor honoris non fugiat, postquam impegit alapam, vel fustem; sed in eodem loco persistat, aut ad continuandam in-

iujuriam, aut factum approbandum, si læsus eum occidat, dicetur ne homicida voluntarius? Respondeo, dici homicidam voluntarium; quia licèt in prædictâ propositione hic casus non comprehendatur, quia in eâ, non agitur, nisi de eo, qui post impactam alapam, vel hostem fugientem sequitur, & occidit, est tamen homicida voluntarius, quiæ potest sine occisione suum recuperare honorem; nam occisio non est medium unicum, & proportionatum ad honorem deperditum acquirendum. Et sic reservatum incurrit.

81. Inquires tertiò: An sit homicida voluntarius, aut potius sui honoris defensor religiosus, vel clericus, qui calumniatorem, gravia crimina de se, vel de suâ religione spargere minantem, occidit; quando alius modus defendendi, non suppetit? Respondeo, esse homicidam voluntarium, & non defensorem sui, nec suæ religionis; quia ut *supra n.* 74. dictum est: verbales injuriæ non sunt repellendæ, nisi verbis; & si hæc non sufficiant, medium non est inquirendum, ex quo gravissima inconvenientia pullulare possunt; nempe, occidere calumniatorem; quia licèt unusquisque teneatur defendere suum honorem, id debet fieri cum eo moderamine, quo quis potest se defendere; sed occidere calumniatorem, excedit moderamen requisitum: ut patet ex materiâ restitutionis, in quâ non restituuntur res superioris ordinis cum alterius ordinis rebus inferioribus; ut cum Sach. & aliis Tambor. *l.* 6. *decal. cap.* 4. §. 3. *n.* 21. contra alios: ergo etiam nec calumnias occisione rependere. Sic in præsenti casu cum Baronio, & aliis Moya *tom.* 2. *select. q. q. tract.* 6. *q.* 3. *n.* 25. *&* 26.

82. Hæc tamen resolutio est certa post decretum Alexandri. VII. Septembris anni 1665. editum; in quo hanc propositionem, inter alias, ut minimum tanquam scandalosam damnavit: *Est licitum religioso, vel clerico, calumniatorem, gravia crimina de se, vel de sua religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi, non suppetit; uti suppetere non videtur, ut si calumniator sit paratus, vel ipsi religioso, vel ejus religioni publicè, & coram præstantissimis juris prædicta impingere, nisi occidatur.* Ex quo sequitur, nullum posse eam propositionem docere, defendere, vel edere, sub pœnâ excommunicationis, ipso facto, incurrendæ, & S. Pontifici reservatæ.

83. Inquires quartò: An sit homicida voluntarius, & incurrat casum reservatum maritus, qui pro defensione sui honoris, occidit uxorem cum adultero inventam? Affirmarunt, non peccare mortaliter, illam, & adulterum occidendo, Castill. *in l.* 82. *Tauri n.* 6. *in fine.* Anton. Gomes *ibidem n.* 52. *&* *in l.* 76. *in fine.* Menchac. *in controvers. usu frequent. l.* 1. *cap.* 9. *n.* 2. *&* *seqq.* Julii Clar. *l.* 5. *receptar* §. *homicidium. vers. sed hæc quidem* Aleved. *l.* 8. *recopil. tit.* 20. *l.* 1. *n.* 21. & alii apud Dian. 3. *part. tract.* 4. *resol.* 223. & apud Sanch. *l.* 10. *de matr. disp.* 8. *n.* 27. idem etiam tenent Alberius de Rosate 4. *part. stat. q.* 19. Jason *in l. ubi peccatum n.* 16. Barbos. *in l. si ab hostibus* §. *fin. n.* 56. *fol.* 129. *col.* 2. citans Felin. *in cap. quæ in Ecclesiam n.* 13. *de constit.* Thom. Hurt. *tom.* 2. *resol. moral. tract. ult. res.* 5. §. 7. *n.* 204. Illustris Caramuel *in Theol. fundam. n.* 1397. & probabilem dicit Fr. Ludovic. à Concept. *tom.* 2. *Exam. verit. tract.* 2. §. 1. *casus* 2. *fol.* 478. & alii, quos citat Moya *tom.* 2. *q. q. select. tract.* 6. *disp.* 3. *de homicid. q.* 1. *n.* 1. *&* 2. & Less. *l.* 2. *cap.* 9. *dub.* 5. *n.* 16. licèt oppositam teneat, illam vocat non improbabilem; quod etiam dicit Fagund. *l.* 5. *in* 5. *decal præcept. aap.* 10. *n.* 19. & huic sententiæ subscripsisse plures Theologos Salmanticenses, quorum alios veram, alios probabilem, alios nullâ censura dignam judicasse, asserit Basil. Pontius *l.* 9. *de matr. cap.* 15. *n.* 4.

84. Probari poterat *ex nostris Ordination. l.* 5. *tit.* 38. *in principio*, ubi dicitur: *Achando homem casado sua mulher em adulterio, licitamente poderá matar aquelle, como ao adultero, salvo se o marido for peão, ou adultero fidalgo, ou nosso Desembargador, ou pessoa de maior qualidade*; ex aliis legibus, quæ utuntur verbis ad significandam hanc actionem, non solùm permissam, sed etiam esse licitam. Confirmatur: quia Princeps potest facultatem alicui concedere, occidendi aliquem malefactorem authoritate publicâ; & illam videtur concedere marito, & parti in prædicto casu.

85. Nihilominus dicendum est, maritum esse voluntarium homicidam, & incurrere casum reservatum, occidentem uxorem, in adulterio deprehensam; nec opinio contraria aliquam habet probabilitatem; imo ut minimum tanquam scandalosam, illam damnavit Alexander VII. in decreto *supra cit.* damnando hanc propositionem; quæ inter alias est 19. *Non peccat maritus occidens propriâ authoritate uxorem in adulterio deprehensam*; quæ est opposita veræ sententiæ; quæ asserit peccare mortaliter maritum. Et ante decretum Alexandri VII. illam tuebantur D. Thom. & alii, quos adducit, & sequitur Sanch. *l.* 10. *de matr. disp.* 8. *n.* 39. citans Septuaginta D. D. Idem tenent Basil. Pont. *l.* 9. *de matr. cap.* 15. Molin. *tom.* 4. *disp.* 7. *à n.* 2. Emmanuel Barbos. *in remiss. ad Ordin. supra cit. in principio n.* 3. August. Barbos. *in collect. tom.* 4. *part.* 2. *causa* 33. *q.* 2. *cap. inter hæc*, ubi refert octo supra quadraginta authores. Card. de Lug. *de just. tom.* 1. *disp.* 10. *à n.* 91. Moya *tom.* 2. *q. q. select. tract.* 6. *disp.* 3. *q.* 1. *à n.* 4.

86. Ratio est: Quia occisio, privata authoritate, est intrinsecè mala: at illa, authoritate privata, committitur. Quamvis enim in aliquo privato casu, possit Respub. aliquem reum, non servato juris ordine, & illo non audito, occidere; quia aliter capi non potest, & mala imminentia, & jam executioni mandata, eam occisionem exigunt; extra hanc necessitatem, id non est licitum; est enim contra legem naturalem; & in illam, nihil potest jus civile disponere. Accedit quòd leges, etiam concedunt impunitatem marito, si adulter sit persona sacris ordinibus initiata; & tamen leges civiles non possunt constituere maritum executorem pœnæ, contra ordines habentes sacros; quia in illos non habent jurisdictionem.

87. Nec fundamentum *n.* 84. *ordin. cit.* deductum habet vim; quia non potest ea lex reddere licitam eam occisionem: verba ergo *licitamente poderá matar*, debent intelligi, de licito, prout in præsenti non est contra legem, quæ permittit eam occisionem; non verò de licito pro foro conscientiæ, seu lege naturali, quia est peccatum mortale, ut vidimus *n. præcedente*. Unde ea occisio poterit esse impunis, pro

Leand. tractandum. Sunt alii dicentes, animari [illegible] die, alii trigesima quinta, alii quadragesimo, alii sexagesima, alii septuagesima; alii denique octogesima. Ita D. Francisc. Verd. apud Cred. *cit.* Aliam singularem, & falsam invenies opinionem post *n. sequentem.*

98. Communis tamen sententia tenet, fœtum animari regulariter, in masculis post quadragesimam diem, & in fœminis post octogesimam. Ita Azor 3. *lib* 2. *cap.* 4. Quarant. *in summ. Verb. Abortus.* 5. Barbos. *de offic. & potest. Episc. part.* 3. *alleg.* 51. *n.* 137. Lezan. *tom.* 3. *verb. Abortus n.* 10. ubi testatur, id esse receptum in Sacra pœnitentiaria, Tambor. *de jur. Abbat. tom.* 2. *disp.* 13. *q.* 2. *n.* 34. cum pluribus, Soar. Lusit. *de panit. tract.* 7. *n.* 464. & alii citantur à Leand. *tom* 5. *tract.* 2. *disp.* 11. *q.* 6. *& 7.*

99. Alia datur opinio, à quodam medico Joanne Marco, apud illustriss. Carramuel. *in Theol. fundam. n.* 1163. *alias* 1628. qui ausus est, asserere, fœtum tunc incipere animari anima rationali, quando parit fœmina; & in illius utero, ex rete anima rationali. Hæc oponio est improbabilis, & falsa; quia constat, S. Baptistam exultare, in utero matris, sexto mense conceptionis; & Jacob, ac Esau, in utero matris collidebari; Tares, & Zaran, ante puerperium, in utero matris, ostendere, se anima rationali esse donatos, & ex aliis experientijs quotidianis. Quare SS. D. N. Innocentius XI. suo decreto edito 4 die Martis anni 1679. damnavit, ut minimum, tanquam scandalosam, hanc propositionem: *Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere animâ rationali, & nunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac consequenter, dicendum erit, in nullo abortu, homicidium committi.* Atque ex damnatis 35.

100. Ex qua damnatione sequitur, in utero matris, fœtum animam rationalem habere, & posse dari abortum, qui sit verum, & rigorosum homicidium. Ubi ergo homicidium reservatur; ut in omnibus hujus Regni, & coronæ Diœcesibus reservatur, abortus fœtus animati est reservatus; non solùm ratione homicidii, sed etiam ratione excommunicationis, quæ incurritur; quam Gregorius XIV. Episcopis voluit, esse reservatam, ut jam videmus.

101. Inquires igitur primò: An præter id, quòd sit reservatus abortus fœtus animati, in illum incidens, incurrat pœnas Gregorii XIIII. Pro cujus declaratione sciendum est, quòd Sixtus V. in sua Const. *Effrænatam* apud Quarant. *Verb. Abortus.* Nald. *verb. eodem*, & Lezan. *eodem verb. n.* 2. sub excommunicatione Sedi Apostolicæ reservata, & aliis pœnis (ut videre est apud Bordon. *tom.* 1. *resol.* 45. *n.* 11.) casuum abortus interdixit, non solùm post, sed etiam ante animationem fœtus, idque pro omnibus Christi fidelibus. Postea Gregorius XIV. *Sedes Apostolica*, quæ habetur apud citatos, Sixti Bullam moderatus est, ita ut pœnas abstulerit, quoad abortum, ante animationem fœtus; post animationem verò eadem pœnas excommunicationis, & irregularitatis reliquit; reliquas verò, ad terminos juris communis, reduxit: voluit, tamen excommunicationem, non Sedi Apostolicæ sed ordinario loci reservare. Vide Soar. *de cens. disp.* 44. *sect.* 2. Gibal. *cap.* 4. *de irregul. q.* 1. *concl.* 2. Lezan. *supra n.* 9. Soar. Lusit. *proximè n.* 465. Nald. & alios, quos refert Bordon. *proximè.*

102. Inquires secundò: An liceat, procurare abortum fœtus inanimati, ad evitandum periculum vitæ, vel in famiæ puellæ prægnantis? Hoc quæsitum traditur à D. D. supponentibus opinionem communem, fœtum non animari nisi post quadragesimum diem; & illa data, non defuerunt, qui partem affirmantem, defenderint; pro illa citat. Dian. *part.* 6. *tract.* 8. *resol.* 37. Torreblanc. Leo, Tambell. & Bordon. *in Consil. Regul. tom.* 1. *resol.* 45. *q.* 4. *n.* 4. & tacito nomine doctissimum Theologum Societatis JESU. qui id consuluit. Sed cùm idem Dian. deceptus fuit, in allegando falsò Bordonum, qui *loco cit.* oppositum tenet, ita etiam fuit deceptus ab eo, à quo id accepit, de illo Theologo; ut rectè notavit Moya *tom.* 1. *in suis select. tract.* 6. *disp.* 3. *q.* 4. *n.* 1. *&* 2. Et hanc sententiam esse probabilem, tradunt Lezan. Trullench. D. Francisc. Verd. Fr. Leand. à Murcia, apud Moya *cit.*

103. Fundamentum hujus opinionis erat, quia licitum est procurare abortum fœtus inanimati, quando aliter mors fœminæ ægrotantis, vitari non potest: Sed media quæ sunt licita, ad vitandam mortem, quando ab intrinseco imminet, nempe ab infirmitate, sunt etiam licita, quando imminet ab extrinseco, nempe à tyranno: Ergo si ad vitam matris ægrotantis licet procurare abortum; etiam licebit illum procurare ne occidatur à fratre, vel marito, vel ne infametur; quia in jure, honor, & vita æquiparantur, & sæpius honori primus locus defertur: Ut plures referens, docet D. Hieronim. Alolin. & Gulman. in *opere Novarum veritatum Juris. Veritate* 27.

104. Hæc tamen sententia est falsa, & improbabilis, & sustineri non potest, nec ad praxim reduci; quia illam, ut minimum, tanquam scandalosam, damnavit S. S. D. N. Innocentius XI. suo decreto *supra*, & sæpius in hoc opere *cit.* & sic habet propositio damnata: *Licet procurare abortum, ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur. aut infametur;* & est inter damnatas 34. & eadem, quam ex prælatis authoribus aliqui defendebant, & alii probabilem dicebant.

105. Unde oppositam sententiam, ante decretum Innocentii XI. ut certum defendebant, dicentes damnatam esse improbabilem, Lanard. Azor. Sanch. Tanor. Sylvius, Finell. Belloch. Thesaur. Candid. quos refert, & sequitur Dian. *part.* 3. *tract.* 3. *resol.* 11. *& part.* 6. *tract.* 8. *resol.* 37. Sylvest. Capeovisl. Dicastill. Cardelug. Basil. Pont. Basæus, quos affert, & sequitur Leand. *tom.* 5. *tract.* 2. *disp.* 11. *q.* 1. His addo, primo loco, Bordon. *tom.* 1. *resol.* 45. *n.* 4. malè citatum à Dian. Leand. & aliis pluribus, pro parte oppositâ: nam *citat. loco*, sic ait: *An pro conservando honore, seu vitâ puellæ possit procurari abortus? Resp. neutrum licitè fieri potest, ex illo axiomate, in Rom.* 3. *Non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona.* Et secundo, Lezan. Trullench. D. Francisc. Verd. P. Leand. à Murcia, Aloya *supra citati.* Carden. *in suis select. tract.* 1. *disp.* 14. *cap.* 3. *per totum* Soar. Lusitanus *de pœnit. tract.* 7. *n.* 984. & post decretum Innocentii XI. Lumbier *in notitia propos. Innocenti XI. à n.* 1884.

106. Ratio hujus sententiæ est, quia sicut in nullo casu est licita procuratio pollutionis, quia est intrinsecè mala; ita etiam procuratio abortus; quia est etiam intrinsecè mala. Antecedens ostenditur, quia si in aliquo casu, pollutio esset licita, homines ea delectatione contenti, minus curarent de generan-

dâ prole, ad quam delectatio à natura est instituta; quæ ratio etiam militat in abortu, nam si in aliquo casu liceret, in prædictis; homines verò sublato metu futuræ conceptionis, procurarent delectationem copulæ, eo animo, & fiduciâ, ut per abortum, postea honori, & periculo fœminarum, consulerent: ergo sicut in nullo casu est licita procuratio pollutionis, sic etiam in nullo est licita procuratio abortus. Accedit, quòd semper est dubium de animatione fœtus, post illius conceptionem, ut vidimus *à n.* 94. ergo nunquam licet procuratio.

107. Dubitabis tamen. An in prædictâ propositione damnatâ comprehendatur monialis observantissimi conventus, quæ ne infamaret conventum, procuravit abortum? Respondeo primò; non comprehendi, in dictâ propositione damnatâ; quia cùm sit strictæ interpretationis, non est extendenda ad casum in eâ non expressum; in illa enim exprimitur pro causa abortus mors, & infamia ipsius fœminæ pregnantis; non verò alicujus communitatis infamia.

108. Respondeo secundò, quamvis in eâ propositione damnatâ, non comprehendatur hic casus, ex damnatione illius, satis clarè colligitur, non esse licitum abortum, ut conventus, aut alicujus infamia impediatur: quia si non est licitus, ad vitandam mortem, vel infamiam ipsius prægnantis, ad quæ tenetur strictiori vinculo; multò minus erit licitus, ad vitandam observantissimi conventus infamiam vel ipsius monialis. Et hujus ratio est tradita *supra*; quia abortus, etiam ante animationem fœtus, est intrinsecè malus: Quæ autem sunt intrinsecè mala, nec pro totius universi salute, licent; nec etiam pro aliis vitandis damnis infamiâ, honore, aut vita; & ita tenet Lumbier *in Notitiâ propos. damnat. ab Innocent. XI. n.* 1887. Adde semper dari dubium de animatione fœtus, ut *supra* dictum est.

109. Comprehenditur etiam in dicta propositione damnatâ, fœmina, per violentiam inevitabilem, facta prægnans. Quamvis enim, pro suo defendendo honore, & castitate, possit occidere aggressorem, cum moderamine requisito; ut *infra n.* 115. dicetur non potest ullo modo, procurare abortum fœtus inanimati; quia hic fœtus non est injustus aggressor; & hujus ratio est, quia licèt occisio hominis sit intrinsecè mala; talis non censetur, quando quis defendit suam vitam, aut castitatem; quam aliter defendere, non potest; at abortus fœtus inanimati, semper est intrinsecè malus, sicut pollutionis procuratio; & sicut nec pro evitandâ morte, vel alio damno pollutio procurari potest; sic nec procurari potest abortus.

110. Ad exemplum, quod in oppositum affert Lumbier *n.* 1888. de semine, quod est instrumentum aggressoris injusti; & sicut ipse aggressor potest occidi, ita etiam illius instrumentum. Et de moniali observantissimâ, quam Dæmon violenter cognovit, & prægnatam fecit: Docti consulti responderunt, illi licitum esse sumere poculum abortionis. Respondeo, illos D. D. consultos respondisse juxta doctrinam opinionis damnatæ: post damnationem autem, ea responsio non est admittenda. Et ratione ostenditur; quia ea procuratio adhuc est intrinsecè mala, quia ille fœtus, adhuc est humanus, ex semine hominis dormientis; & à Dæmone ad illum effectum adducto; & non est ex Dæmone, qui seminalem virtutem non habet, nec habere potest; ut docent D. D. D. Thom. Durandus, Merlin. quos citat, & sequitur Fagund. *in 6. decal. præcept. l. 6. cap. 9. n.* 26. ubi refert, aliquos homines sic progenitos fuisse: Et cum fœtus prædictus fuisset humanus, illius procuratio, semper est illicita.

111. Ad fundamentum, quod *supra n.* 103. affertur, pro sententiâ damnatâ, respondeo, illius majorem, de fœminâ ægrotante, cui licet procurare abortum fœtus inanimati, quando aliter mors vitari non potest, admisisse plures D. D. Navarr. Henriq. Sanch. Trullench. Homobon. quos refert, & sequitur Dian. *7. part. tract. 5. resol.* 34. Et quamvis hæc sententia non sit damnata, nec ex illa sequatur, licitum esse puellæ, procurare abortum fœtus inanimati, ad evitandum mortem ab extrinseco provenientem, vel infamiam; ut probat Moya *supra cit. n.* 25. *&* 16. illam tamen non admitto, sed oppositam asserentem, non licere fœminæ prægnanti, procurare sanitatem per remedia, quæ directè tendunt ad abortum; quia id est intrinsecè malum: At si remedium sit utile ad vitam matris, & consequenter causet abortum, qui non intenditur, sed prævidetur; quia expellendo alios humores noxios, etiam expellit fœtum inanimatum, tunc licitum erit; quia sic, ea procuratio fœtus, non est intrinsecè mala; quia est præter intentionem; & id directè non procuratur; sed tantùm humores alios vitæ nocivos, expellere. Hanc sententiam tenent Card. de Lug. quem refert, & sequitur Leand. *tom. 5. tract. 2. disp. 11. q. 3.* & illam absolutè docent Moya *cit. n.* 14. Basil. Pont. Masuchell. Bonacin. Petr. Navarr. & alii apud Dian. & Leand. *cit.* quibus adde Bordon. *tom. 1. resol. 45. n. 4.* Soar. Lusit. *ubi supra n. 999.* Lezan. *In q. q. Regul. tom. 3. verb. abortus n.* 12.

112. Inquires tertiò. An incidat in reservatum, qui procurat abortum in dubio fœtus animati? Pro parte affirmante facit, quòd ille, qui causavit abortum in dubio fœtus animati, incurrit irregularitatem; ut cum probabiliori sententia, tenent Sanch. *l. 1. decal. cap. 10. num. 43.* & apud illum plures, quibus accedunt Sayr. Lezan. *proximè n.* 13. Avil. & alii, quos refert, & sequitur Leand. *tom. 5. tract. 2. disp. 11. q. 10.* contra Emman. de Mour. Gomes Bajard. Præposit. Gibalin. Pellizar. apud Leand. *proximè*, quibus addo. Bard. *de conscient. disp. 6. cap. 7. §. 4. n. 2.* Moya *tom. 1. in select. tract. 3. q. 6. à n. 5.* Quintan. *tom. 1. tract. 3. singul. 11. n. 1.* & probabilem dicunt Dian. *part. 4. tract. 2. resol. 16.* Soar. Lusit. *supra n.* 473. quia jure *in cap. ad audientiam cap. significasti, & cap. penultimo de homicidio*, loquuntur: quando certum est homicidium, & dubitatur de illius authore: in præsenti autem, dubitatur de homicidio; nempe, an fœtus fuerit animatus: Si ergo in probabiliori opinione incurritur irregularitas, etiam incurretur reservatio ab illo, qui procuravit, vel causavit abortum, in dubio, an fœtus sit animatus.

113. Dicendum tamen est, dubio stante, an fœtus sit animatus, non incurri reservationem; (quidquid sit de irregularitate: nam prædictæ opiniones ambæ sunt probabiles, licèt, incurri irregularitatem, sit probabilior) Ratio est, quia quando aliquod delictum reservatur, intelligitur de certò commisso; sed in præsenti, reservatur homicidium; & est dubium, an fuerit commissum: ergo procuratio abortus fœtus, in dubio animati, non est casus reservatus. Ita cum Bonacin. & multis ab eo citatis, tenet Bordon. *tom. 1. resol. 38. n.* 106. & Moya *tom. 1. in select. tract. 3. disp. 8. q. 3. n. 2. & 3.* Alia plura hic erant dicenda de abortu, sed illi supersedeo, quia non sunt hujus loci, vi-

deri

deri tamen possunt D. D. quos in decursu hujus §. citavimus.

§. III.

An qui occidit pro defendendo proximo incurrat casum reservatum?

114. IN hâc quæstione quædam sunt supponenda, ex dictis in hâc sectione: Supponendum est, non licere occidere pro defendendo à contumeliâ illi illata; quia si non licet occidere contumeliosum, quando aliter ejus ignominia vitari non potest, ut diximus *supra n.* 73. nec etiam pro defendendo proximo à simili contumelia, seu ignominia, occidere licebit. Nec oppositum est probabile, post decretum S. D. N. Innocentii XI. Quare audiendi non sunt, quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 5. *tract.* 2. *disp.* 15. *q.* 15. Idem dicendum de omni alio homicidio, de quo supra *à num.* 69. diximus non licere, pro defensione propria; quia etiam non licet, pro defensione proximi. Illa verò, quæ licent, pro defensione propria, etiam pro defensione proximi, licent. Ratio est, quia sicut proximus innocens potest se defendere; ita fas est, cum illo operari, & eum adjuvare ad rem, quam ipse facere potest. Ita Card. de Lug. *de just. disp.* 10. *n.* 201. Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 7. *disp.* 3. *n.* 583. & alii, quos citat.

115. Quæres: An sit homicida voluntarius ille, qui occidit invasorem pudicitiæ proximi, quando aliter defendi non potest? Respondeo, non esse homicidam, sed defensorem proximi. Ratio est, quia quispiam, sive fœmina, sive adolescens, potest suam defendere pudicitiam, usque ad occisionem aggressoris; quando aliter non potest evadere eam oppressionem; ut docent Card. de Lug. *proxime n.* 195. Fagund. *lib.* 5. *in decal. cap.* 3. *n.* 24. Bonac. *disp.* 2. *de restit. q. ult. sect.* 1. *punct.* 10. *n.* 12. Less. Molin, & alii quos referunt, & sequuntur Dian. *part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 36. Leand. *tom.* 5. *tract.* 2. *disp.* 5. *q.* 12. Ergo etiam eodem modo poterit quis, defendere pudicitiam, & castitatem proximi. Ita Fagund. Petr. Navarr. Soar. D. Anton. Card. de Lug. & alii, quos sequitur Leand. proximè *q.* 13. & Soar. Lusit. *super adductus* 575. *in fine.*

§. IV.

Quale homicidium, pro defensione proprierum bonorum sit reservatum,

116. PLura dubia veniunt sub hoc titulo exponenda, scitu digna. Primum sit: An dicatur homicida voluntarius, & incidat in hunc casum reservatum, qui occidit pro necessaria suorum bonorum defensione? Affirmant Acurtius, Archidiac. Panormit. Tabien. Gerson. August. de Ancon. & Abulens. apud Dian. 5. *part. tract.* 4. *resol.* 17. quibus accidit Filiv. *in cap.* 2. *de homic. n.* 4. Probant, quia ordine, & lege charitatis, vita proximi præferenda est bonis externis.

117. Probabilius tamen dicendum, licitum esse laicis, ob defensionem bonorum temporalium, occidere invadentem; ne auferat, vel rapiat sua bona; dummodo sint magni momenti, & aliter ea servari, vel recupari non possint. Ratio est, quia ea bona sunt media necessaria, ad conservandam vitam: Sed qui occidit pro conservanda, & defendenda vita, non dicitur homicida voluntarius, sed sui defensor: ergo etiam, qui occidit, pro bonis suis defendendis. Ita docent ex juristis Navarr. Covarr. Menoch. Cened. Farinac. Cardoz. & ex Theol. Valenc. Card. Tolet. Beja, Sayr. Molin. Less. Villal. Trullench, Zechius, quos late citat, & sequitur Barbos. *de potest. Episcop. part.* 3. *alleg.* 51. *n.* 6. Taner. Filliuc. quos citat, & sequitur Dian. *part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 17. Soar. Fagund. Dicastill. Card. de Lug. Avill. & alii, quos congerit, & sequitur Leand. *tom.* 5. *tract.* 2. *disp.* 13. *q.* 1. Accedunt Tambor. *lib.* 6. *decal. cap.* 1. §. 2. *n.* 1. Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 7. *disp.* 3. *n.* 561. Lezan. *in q. q. Regul. tom.* 3. *verb. Homicidium n.* 9. Ex hâc sententiâ sequitur, talem occidentem, cum moderamine inculpatæ tutelæ, non incurrere reservatum. Nec obstat ratio adducta *n.* 116. Quòd vita proximi præferenda est bonis temporalibus: nam id habet locum, in extrema necessitate, in qua non est fur; & non quando, ut fur procedit ex malitiâ.

118. Hæc doctrina etiam extenditur ad clericos, quæ licèt sit contra aliquos, & Lezan *proximè*; traditur tamen à prædictis authoribus, ex quibus plures, quos refert, & sequitur Fagund. *præcept.* 5. *decal. l.* 5. *cap.* 3. *n.* 15. Dian. *proximè, & part.* 4. *tract.* 3. *resol.* 4. Leand. *cit. q.* 3. Tambor. *loco cit.* Probant, nam unicuique licitum est jure naturali res proprias defendere, usque ad occisionem, si aliter eas servare non potest, ut *ex cap. olim de restit. spoliat.* probat Molin. *tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 16. 1. 1.

119. Hæc resolutio etiam ad religiosos extenditur; & quamvis plures oppositum doceant; traditur tamen à Doctoribus communiter, à Tanero *tom.* 3. *disp.* 4. *q.* 8. *dub.* 4. *n.* 77. Maldor. *in* 2. 2. *tom.* 2. *q.* 7. *de homicid.* Sylvis, Lessio, quos sequitur Leand. *cit. q.* 4. Soar. Lusit. *cit. n.* 570. Tambor. *proximè*, & alii ex allata ratione. Unde in hoc, & præcedenti casu non datur reservatio; quia in iis homicidiis non datur peccatum mortale.

120. Secundum dubium: Quænam res dicatur magni momenti, pro cujus defensione, liceat cuipiam, interficere? Respondeo: Certum est, pro re minima, v. g. uno, vel altero aureo, non licere, occidere furem. Unde Innocentius XI. in decreto *supra citato*, hanc damnavit propositionem: *Regulariter occidere possum furem, pro conservatione unius aurei; quæ inter damnatas est.* 31.

121. Hanc propositionem tribuit Molin. & aliis, Doctissimus P. Fr. Raymund. Lumbier *in notitiâ* 68. *propositionum nouiter damnatarum, advertent.* 8. *n.* 1875. *vol.* 1158. At Molin. *tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 16. *n.* 6. asserit, non satis esse valorem trium, quatuor, aut quinque ducatorum, ut fur licitè occidatur. Addit tamen *n.* 7. hæc verba: *Quando verò esset magni valoris*, (id est furtum) *exiguaque esset spes, illam postea recuperandi; affirmat Sot. fas in eo eventu esse illum interficere. Neque id auderem condemnare, modo prius voce admoneretur, nisi rem relinquat, esse interficiendum. Semper tamen est consulendum, ne proximus in eo eventu, interficiatur. Quando autem quis injustè aggrederetur usurpare rem etiam valoris unius aurei, vel minoris adhuc valoris, resistente domino, aut custode illius, certè neque ad culpam, neque ad panam auderem condemnare, qui illum defendendo, interficeret, cum moderamine inculpatæ tutelæ, injustum aggressorem; quidquid in contrarium cum Cald. & Anod. dicat Carrerius in practica. §. Homicidium 6. n.* 73. sit Molin.

122. Pa-

122. Patrem Molin. sequutus fuit Bonac. *tom. 3. disp. 2. de rest. in partic. q. ultim. punct. 10. n. 1. vers. Hinc sequitur*, & apud ipsum Reginald. *tom. 2. l. 21. n. 66.* & alii. Quod approbavit Tambor. *l. 6. decal. cap. 1. §. 2. n. 4.* & ante illos, idem docuerat Less. *l. 2. cap. 8. dub. 11. n. 68. & 69.* etiamsi à judice recuperari poterat, per hæc verba: *Quod si fur non fugiat, sed se velit tueri, contra eum, qui nititur furtum impedire, poterit vicissim illa vis, vi repelli, quantum necesse est, ut res salva fiat.* Idem dixerat Sot. apud ipsum Lessium. Idem tenet Leand. *tom. 5. tract. 2. disp. 13. q. 5. in fine.* Idem tenet ipse Lumbier, ut, statim ostendam. Probant quia qui, præsente domino, vel custode, vult auferre rem valoris unius aurei, vel minoris, non solum est injustus, sed contumeliosus graviter, (ut supponitur) in ipsum dominum: ergo per vim repelli potest.

123. Quamvis hanc non admitto doctrinam; quia in hâc actione usurpationis unius aurei, duo concurrant; defensio honoris, ob contumeliam illatam; & defensio unius aurei, secundum se. Pro defensione honoris, ob contumeliam, etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ, non licet occidere invasorem injustum; quia pro contumeliâ non licèt occidere, ut diximus *n. 73.* nec etiam pro defensione unius aurei secundum se; ut ipsi omnes doctores citati asserunt: Et etiam ab Innocentio est damnatum: Ut *ex n. 120.* constat: Ergo etiam nec pro utroque simul, licet occidere; nam si non licet pro quolibet, non licet pro utroque simul.

124. Existimo tamen, conta Lumbier, propositionem damnatam, non esse Molin. & aliorum authorum. Primò, quia ipse Lumbier eandem Molinæ doctrinam admittit, & tamen non admittit propositionem damnatam. Sic enim ait *n. 1579. fine. supongo lo tercero, que una cosa es mirar el robo secundum se, y regularmente ablando. Y otra cosa es, si el robo del doblon, truxisse consigo grancontumelia, (la qual regularmente no lacrae) como se el quitasselo, fuesse aun soldado, que huviesse de padecer desoreditos de cobarde, aviendose dexelo robar*; Et *n. sequenti* asserit, propositionem damnatam procedere, de furto unius aurei secundum se; quæ doctrina desumpta est à Molin. & ab authoribus *cit.* ergo propositio damnata non est Molin. ut dixit Lumbier.

125. Secundò quia S. Pontifex hanc damnavit propositionem: *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.* Molin. verò & alii citati asserunt, non posse occidi furem, pro conservatione unius aurei, secundùm se, nec etiam pro conservatione trium, quatuor, vel quinque ducatorum, regulariter loquendo. Quod verò occidi possit cum moderamine inculpatæ tutelæ fur, qui, resistente domino, vel custode unius aurei, usurpare intendit illum aureum, non est quod propositio damnat; nam hic fur, qui hunc aufert, resistente domino, non solùm est injustus, sed etiam contumeliosus; & non propter furtum tantùm, sed etiam propter illam gravem contumeliam, non admittendam, occiditur, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Et hoc non condemnatur in eâ damnatâ propositione, sed tantùm occidere furem, pro conservatione unius aurei secundùm se; quod est quid diversum; & hoc diversum docebatur à Molin. & ab aliis citatis.

126. Quanti autem valoris debeat esse res, ut censeatur magni momenti; & sic excuset ab homicidio? Respondeo. Plures existimant, illam rem esse vilem, quæ non excedit duos, vel tres aureos, vel ducatos; secus si excedat quatuor, quel quinque. Ita apud Dian. *part. 5. tract. 4. resol. 18.* tenent Sot. Arag. Rinsfeld. & alii.

127. Ego tamen non tam parvi æstimandam puto vitam proximi, ut pro servanda re minima, putà quatuor, sex, vel octo aureis, seu ducatis, homo sit occidendus, extra casum extremæ necessitatis; nam in eo, injustè per alium, ea summa ab illo auferretur. Vide Castill. *de justit. tom. 1. lib. 2. tract. 1. disp. 10. dub. 5. n. 50. tom. 5. tract. 2. disp. 13. q. 5.* Tambor. *lib. 6. decal. cap. 1. §. 2. n. 2.* qui ex occurrentibus circunstantiis personarum, dictam summam, aut extendunt, aut coarctant. Et Soar. Lusit. *de pœnit. tract. 7. disp. 3. n. 573.* cum Less. & alii, hoc esse relinquendum arbitrio prudentis viri, existimat.

128. Tertium dubium: An sit homicida voluntarius, & incurrat præsentem casum reservatum, qui occidit euntem, ad testificandum falsum, contra illum, in materia honoris, vel bonorum, quando aliter hominem non potest divertere; nec alia suppetit via, ad honorem, & sua bona recuperanda? Non pauci negarunt authores, Taner. *tom. 2. disp. 4. q. 8. dub. 4. n. 83.* Stroversdorf. *22. q. 64. art. 7. concluf. 5.* Reginald. *tom. 2. l. 21. cap. 5. n. 57.* Banes *de just. & jur. q. 64. art. 7. dub. 4. concluf. 2.* Idem docet, de eo qui occidit illum, qui vadit ad testificandum falsum, in casu, in quo agitur de vita, Joann. Francisc. Soar. *in Enchir. cas. consc. lib. 7. verb. homicidium §. 13.* quos omnes citat Dian. *part. 5. tract. 4. resol. 7.* Serra, Paulus de Blanchis, quos refert Moya *tom. 1. in q. q. select. tract. 6. disp. 3. q. 1. à num. 1.* Idem tenet Leand. *tom. 5. tract. 2. disp. 13. q. 10.* citans Sanch. *l. 2. decal. cap. 39. n. 7.* & Card. de Lug. *de just. disp. 10. sect. 9. n. 184.*

129. Sed non rectè à Leand. citantur; quia tam Sanch, quàm Card. de Lug. *citatis locis* id expressè non docent; nam Sanch. in fine illius *numeri 7.* id ex alio refert; & Card. de Lug. *in fine n. 115.* post relatam utramque sententiam, hæc verba profert: *Ex his ergo patet, probabilem satis esse primam sententiam* (nempe illam, quam illi imponit Leand.) *licèt in praxi vix unquam ejus usus licitus esse possit; propter varias circunstantias, quæ requiruntur, & vix unquam possunt evenire.* Quare licèt illam probabilem dicat, ad praxim tamen, fatetur non posse deduci.

130. Probant verò præcitati D. D. servato moderamine inculpatæ tutelæ, potest quis injustum invasorem, pro tuenda vita, occidere: ergo etiam poterit, occidere illum, qui falsis calumniis, & falsis testibus mortem subire, aut bona amittere, compellit; quando alia non apparet via his malis evadendi.

131. Idem dicunt de eo, qui occidit falsum accusatorem, quem aliter non potest declinare; & ex ejus accusatione, timetur infamia, aut bonorum spoliatio, Banes *ubi supra.* Marchantius *in summ. resol. Pastoral. ad decalo. cap. 5. q. 2. cas. 4.* apud Dian. *proximè*, & alii apud Moyam *cit.* Leand. *dict. q. 10.*

132. Idem de prædictis, nempe: Falsis testibus accusatore falso accusante, & judice iniquo, existimat probabile Petr. Navarr. *l. 2. de restit. cap. 3. n. 352.* & probabilissimum, Joan. Caramuel. *in Theol. fundament. editâ Francofurt. anno 1652. fundam. 51. §. 11. n. 172. fol. 491.* Et hoc tenet Villal. *in summ. tom. 2. tract. 16. de reo cap. 19.* citans Banês, Penâ, & alios.

133. Idem

133. Idem dicunt apud Dian. *citat.* Banês, & Hurtad. de Mendonca, & Marcus Serra apud Moyam *proximè* de eo, qui vadit ad accusandum aliquem, de crimine vero, sed occulto; quia ab hoc licitè potest occidi.

134. Dicendum tamen est, omnia ea dictorum authorum placita *à num.* 128. *usque ad præsentem*, nullam habere probabilitatem; ac proinde occidentem accusatorem falsum, falsos testes, & judicem iniquum, esse homicidam voluntarium, & incurrere casum reservatum; quia sententiæ oppositæ continentur in propositione 18. damnata ab Alexandro VII. quæ sic habet: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, à quo iniqua certo imminet sententia; si aliâ viâ, non potest innocens damnum evitare.* Et ante hoc decretum, hanc veram sententiam docuerunt. Turrian. 2. 2. *tom.* 2. *disp.* 27. *dub.* 2. *num.* 10. Malder. 2. 2. *tract.* 3. *cap.* 1. *dub.* 7. Sot. Cordub. & Sylvius, quos citat, & sequitur Dian. *part.* 5. *tract.* 4. *resolut.* 7. & post decretum, Moya *tom.* 1. *in q. q. select.* 6. *disp.* 3. *de homicid. q.* 1. *à n.* 10.

135. Probatur primò; quia alia dantur media, ut innocens à calumniâ liberetur; & si nullum reperiatur, majora scandala orirentur ab eâ occisione: nam cùm plures facilè credant, se alia non habere media ad evadendum, vel se esse innocentes, cùm non sint; aditus aperiretur infinitis homicidiis. Secundò, quia nec speculativè, prædictæ sententiæ fuerunt, vel sunt probabiles; quia ut asserit Card. de Lug. *tom.* 1. *de justit. disp.* 10. *sect.* 10. *num.* 189. ad probabilitatem, etiam speculativam rei moralis requiritur quòd materia sit talis, ut ex circunstantiis humanis, non afferat inconvenientia: cùm verò ex prædictis sententiis, plura resultent inconvenientia, sunt, & fuerunt etiam speculativè improbabiles.

136. Quartum dubium: An sit homicida voluntarius, & incurrat casum reservatum ille, qui defensione occisivâ defendit ea, ad quæ tantùm jus habet inchoatum, vel quæ sperat possessurus? Respondeo affirmativè, quia ex opposito, sequuntur maxima inconvenientia; nam plures dantur existimantes, se habere jus, ad aliqua bona, vel hæreditatem; & sperant, se ea possessuros. Et si licitè possint occidere impedientes, occasio daretur ad plura homicidia; & nulla potest dari opinio probabilis, quæ illa reddat licita. Unde Sanctissimus D. Noster Innocentius XI. suo decreto, hanc meritò damnavit propositionem, quæ ex damnatis est. 32. & sic est: *Non solum licitum est, defendere defensione occisivâ, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ inchoatum jus habemus, & quæ nos possessuros speramus.* Autorem hujus propositionis non inveni; ex terminis tamen, & ex dictis dubio præcedente, apparet, esse perniciosam, improbabilem, & ut minimum scandalosam, ut à S. Pontifice damnatur.

137. Quintum dubium: An sint etiam homicidæ voluntarii, & habeant casum reservatum hæres, vel legatarius, aut habentes jus ad cathedram, vel præbendam, defendentes se defensione occisivâ, ab injusto impediente? Respondeo, esse homicidas voluntarios, & incidere in præsentem casum reservatum. Ratio est jam *suprà* assignata; quia dantur alia media, ad ea bona defendenda. Et quamvis aliquis, ex prædictis, præsumat, non superesse aliud medium; ex homicidio tamen maiora pullulant scandala, & inconvenientia adeo perniciosa, ut §. D. N. Innocentius XI. hanc propositionem, ut minimum tanquam scandalosam, damnarit, & ex damnatis, est 33. quæ sic asserit: *Licitum est, tam hæredi, quàm legatario contra injustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere* (id est, defensione occisiva, ut præcedente propositione dicebat) *sicut, & jus habenti in cathedram, vel prabendam, contra eorum possessionem injustè impedientem.* Et meritò damnatur; quia per illius doctrinam, aditus patebat ad infinita homicidia: nullus enim datur, qui ex dictis à suis procuratoribus, & à doctis hominibus, non existimet, se habere certum jus ad prædicta.

138. Certum tamen est, injustè impedientes aliquem à bono, quod ipsi debetur ex justitiâ commutativâ, & peccare, & teneri ad restitutionem, ut cum Molin. Less. & Dicastill. docet Tamborin. *lib.* 8. *decal. tract.* 3. *cap.* 4. §. 2. *num.* 2. Si verò ei debebatur ex justitiâ distributivâ, sine aliqua violatione alicujus juris, ad justitiam commutativam pertinentis, restitutio non debetur; ut cum Rebell. Bannês Molin. & aliis tenet Bonacin. *disp.* 1. *de restit. q.* 1. *punct.* 1. *num.* 9. contra Valq. & alios.

§. V.

Quando incurrant reservatum prolem suffocantes?

139. RESERVANTUR etiam in præsenti casu suffocantes prolem, per hæc verba: *aquelles per cuja culpa, seachao os filios affogados.* Cum enim sit homicidium, etiam hîc reservatur; & comprehendit homicidium primò, per abortum fœtus animati, nam si non sit animatus, non est homicidium, nec etiam venit nomine prolis suffocatæ. De abortu, & animatione fœtus diximus *à num.* 93. Secundò, per suffocationem; quando mater vel nutrix, in eodem lecto infantem collocant ad condormiendum, ab ipsisque opprimitur; periculum advertentibus, & non curantibus. Tertiò, per suffocationem infantis, de industriâ factam; ut evenit, quando uxor, vel fœmina, ut suum delictum occultet, prolem natam suffocant. Quartò, si infans vulnere, vel veneno, vel alio modo interficiatur, & non per suffocationem. Quintò, si pater, vel mater filium jam adolescentem suffocet, vel alio modo occidat. Omnes isti modi occidendi, in hoc quinto casu comprehenduntur, quia omnibus illis modis committitur homicidium voluntarium.

140. Persistendo tamen in verbis reservationis: *Aquelles per cuja culpa, se achamos filles affogades:* Dicendum est in iis Diœcesibus, in quibus homicidium non reservatur, sed tantùm *prolis suffocatio*, per dicta verba, solùm comprehendi secundum, & tertium modum, ex prædictis quinque; scilicet, quando ex eo, quòd infans in eodem lecto decumbat, ab aliquo ex parentibus, vel nutrice suffocatur; vel statim natus, ne appareat, per suffocationem occiditur. Ratio est quia verba reservationis, dum tantùm suffocationis meminerint, hos tantùm casus videntur comprehendere. Sic Tambor. *l.* 3. *decal. cap.* 6. §. 3. *n.* 141.

141. Dixi *n.* 139. in secundo modo homicidii: *periculum advertentibus, & non curantibus*; quia si adhibita fuit moralis diligentia, ne proles in lecto

opprimeretur, non datur peccatum in suffocatione: neque enim in se, neque in causâ fuit suffocatio voluntaria; at si defuit diligentia, & secuta fuit infantis oppressio, secundum negligentiam, erit peccatum, & si fuerit mortale, erit reservatum. Ita Abreus *de Parocb. l.* 10. *n.* 343.

142. Quæres: An mandantes, & consulentes homicidium, innodentur hujus quinti casus reservatione? Respondeo, non innodari; quia (*ut supra num.* 51. ostendimus cum pluribus Doctoribus) reservatio non extenditur ad mandantes, consulentes, & auxiliantes, nisi in eâ id exprimatur: est enim reservatio restrictiva jurisdictionis ordinariæ, & non extendenda, ultra id, quod verba sonant. Ita præter *cit.* Soar. *in* 3. *part. tom.* 3. *disp.* 4. *sect.* 3. *n.* 5. Bonac. *tom.* 1. *disp.* 1. *de cens. q.* 1. *punct.* 6. *n.* 1. Soar. Lusit. *de panit. tract.* 7. *disp.* 3. *num.* 598.

SECTIO VII.

Quid reservetur, per hæc verba; Incendium de proposito, ex intentione nocendi?

143. SExtus casus ordine reservatus, in Diœcesi Ulyssiponensi, sic habet: *incendio feito acinte por fazer damno.* Ex his verbis constat, non habere casum reservatum, nec peccasse mortaliter primò, qui absque advertentiâ, & animo nocendi, seu casu, incendium fecit; quia sine advertentiâ, peccatum non committitur: Secus dicendum, si negligentia præcedit mortaliter culpabilis. Secundò, excusari à reservatione, licèt non à peccato mortali, illum; qui animo nocendi, applicuit ignem, sed à supervenientibus hominibus, vel à pluviâ incendium fuit extinctum: quia ad reservationem, non sufficit actus inchoatus, sed debet esse in suo esse perfectus, & consumatus, ut diximus *supra n.* 50. & *disp.* 16. *n.* 67. Quia reservatio, cum sit odiosa, ut detur, eam consumationem requirit. Sic Soar. Lusit. *de panit. tract.* 7. *disp.* 3. *num.* 876. contra Gambacurt. Barbos. & Fragos. docentes, à reservatione non excusari.

144. Quæres tamen primò: An teneatur, ad restitutionem ille, qui incendio causam dedit? Respondeo, certum esse, teneri; si causatum fuit à culpâ mortali, & ad omnium damnorum, quæ inde secuta sunt, restitutionem. Ita Farinacius *in part.* 3. *q.* 130. *num.* 18. Fragos. 2. *part. lib.* 8. *disp.* 19. §. 2. *num.* 7. & cum aliis citatis Soar. Lusit. *proximè n.* 877. & alii communiter. Si autem negligentia, & culpa solùm fuit Venialis, solùm sub veniali tenetur ad restitutionem, ex illa generali doctrina, in materia restitutionis, in qua dicunt D. D. non oriri obligationem, sub peccato mortali, ex culpa veniali, sed tantùm sub Veniali: Ita Milder. 2. 2. *tract. de restit. dub.* 5. Molin. *de just. tract.* 3. *disp.* 698. *n.* 7. Rebell. *de restit.* 1. *part. lib.* 2. *q.* 10. *num.* 16. Barbos. *de potest. Episc. part.* 3. *alleg.* 51. *num.* 76. & in præsenti docent Fragos. *cit.* Soar. Lusit. *supra num.* 879. & alii quos citant; contra non paucos asserentes, teneri ad restitutionem, quando culpa venialis fuit commissionis, non tamen, quando fuit omissionis.

145. Quæres Secundò: An incurrat casum præsentem reservatum solus, qui incendium fecit, an etiam mandans, consulens, & auxilians, sequito effectu? Affirmat cum Graffis Fragos. *cit. disp.* 19. §. 3. *num.* 3. & probatur *ex cap. Pessimam* 23. *quæst.* 8. ibi: *Ignem apposuerit, vel apponi fecerit, aut appositoribus Consilium, aut auxilium scienter tribuerit.* Idem videtur tenere Soar. Lusit. *supra allegatus num.* 873. dum inquit, illum dici incendiarium, qui facto, mandato, Consilio, aut solo consensu incendium commisit, *ex cap. si quis membrorum*, ibi: *incendia fecerit, sive facere jusserit, aut facienti consenserit* 23. *quæst.* 8. *& cap. Pessimam citat.*

146. Existimo tamen, illum solùm hunc casum reservatum incurrere, qui causam dedit incendio, & non alios. Ratio est, quia in præsenti casu non exprimuntur mandantes, consulentes, & auxiliantes; licèt in eo textu exprimantur: nam reservatio cùm sit restrictiva jurisdictionis ordinariæ, non debet extendi, ultra id, quod verba sonant; *ut supra num.* 51. *&* 142. dictum fuit: at in præsenti casu, (ad cujus verba solùm attendendum est) solùm exprimitur, facere incendium, ibi: *Incendio feito*, & non incendiariis. Unde quamvis dicantur incendiarii, mandantes, consulentes, & auxiliantes; cum ex verbis reservationis, solùm colligatur, reservari peccatum facientis incendium; ad illum tantùm limitanda est reservatio, & non ad alios, in illis textibus comprehensos. Qui textus tantùm loquuntur de pœnis infligendis, & restitutione faciendâ, & non de reservatione.

147. Quæres Tertiò: An incendiarii sint ipso facto excommunicati: Prima sententia affirmat de incendiariis rerum Ecclesiasticarum, cum Farinac. *cit. n.* 15. Navarr. *in man. cap.* 27. *n.* 100. Salzed. ex Bernard. Dias *cap.* 128. *in nova edit.* Fragos. *tom.* 2. *lib.* 1. *disp.* 2. §. 4. *num.* 8. Bonacin. *tom.* 3. *de censur. disp.* 2. *q.* 3. *punct.* 43. *n.* 1. Soar. Lusit. *supra n.* 890. Hanc sententiam sequuntur Constit. hujus Diœcesis Ulyssiponensis *lib.* 5. *tit.* 19. *decret.* 2. §. 2. Quod probant ex *cap. tua nos*, 19. *de sentent. excommun.*

148. Secunda sententia negat cum limitatione. Sic Azor *part.* 1. *lib.* 9. *cap.* 17. *quæst.* 11. docet enim incendiarios rerum Ecclesiasticarum, non esse de jure excommunicatos, esse tamen de consuetudine receptâ; subscribit cum pluribus Barbas. *in dict. cap. tua nos num.* 4.

149. Tertia sententia absolutè negat; ita Cardin. Cajet. *in summ. cap.* 22. Cardin. Tolet *cap.* 35. *num.* 5. cum Navarr. in manual. *cap.* 27. *num.* 74. Soar. *de censur. disp.* 22. *sect.* 2. *num.* 15. Filliuc. Avil. Gambacurt. Sâ, Megal. Homob. Leon Barberius, quos omnes citat, & sequitur Dian. 9. *tract.* 8. *resolut.* 10. quibus addo Sayr. *de censur. lib.* 3. *cap.* 29. *num.* 8. *vers. Mihi tamen magis.* Castr. Palao *tom.* 6. *de censur. disp.* 3. *punct.* 24. *num.* 5. Probant, quia non apparet textus, in quo excommunicentur ipso facto, nam *cap. tua nos*, asserit, esse ab Episcopis excommunicandos; & si postea denuntientur, tunc eam excommunicationem esse S. Pontifici reservatam. Unde asserit Coninch. *de Sacrament. dub.* 13. *dub.* 5. *num.* 37. hunc esse casum, in quo quis potest ligare, & non solvere. Quamvis non desint plures D. D. teste Cardin.

Cardin. Tolet. *lib.* 1. *summ.* asserentes, incendiarios excommunicatos ab ordinario, & ab eodem publicatos, absolvi posse ab ordinario. Sed hoc est contra commune, si loquamur de incendiariis rerum Ecclesiasticarum.

150. Hæc tertia sententia est probabilior; & juxta illam insurgit dubium: An sufficiat, quòd denuntiatio fiat edicto generali; ut excommunicatio sit S. Pontifici reservata? Respondeo: Soar. *proximè num.* 18. Bonac. *num.* 6. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 15. *cap.* 2. *q.* 2. *n.* 54. docent, sufficere.

151. Sed melius, & probabilius dicendum, requiri, quòd denuntiatio fiat in speciali, & expresso nomine, & non sufficere generalis, & non expresso nomine. Ita Megal. *cit. n.* 10. Turrian. *de censur. l.* 3. *disp.* 30. *dub* 2. Thesaur. *in praxi, de panis part.* 2. *verb. incendiarii cap.* 1. quos citat, & sequitur Dian. *proximè*. Idem docet Castr. Palao *supra n.* 8. Ratio est, quia per generalem publicationem, nullus incendiarius notus est, sed æquè manet occultus, ac si nulla daretur publicatio: textus verò locutus est, de publicatione, quâ delinquentes publicentur, manifestentur, & noti fiant; argum. *Extrav. Ad evitanda scandala*: Ergo non de publicatione generali, sed speciali, & expresso nomine, textus est intelligendus.

152. Ante hujusmodi denuntiationem possunt incendiarii rerum Ecclesiasticarum, absolvi ab Episcopo, juxta Fragos. *cit. dicto lib.* 1. *disp.* 2. §. 4. *num.* 6. Sylvest. *verb. Excommunicatio* 6. *in* 8. *excommunicatione*. Dixi, *incendiarii rerum Ecclesiasticarum*; quia si res non fuerint Ecclesiasticæ, incendiarii non sunt excommunicati, nec de illis loquitur *cap. Tua nos*; sed tantùm de incendiariis Ecclesiæ. Licet Sayr. & Azor *supra cit.* etiam ad illos extendant excommunicationem; sed non ex vi juris, sed ex receptâ consuetudine.

153. Cæterum, si incendiarii rei profanæ, ab Episcopis declarentur excommunicati, ab ipsis Episcopis possunt absolvi; quia in hoc, distinguntur ab incendiariis rerum Ecclesiæ; quòd hi, post denuntiationem, non possunt absolvi, nisi à Papâ: Ut constat *ex dict. cap. tua nos*; at illi possunt; Quia non est textus, id interdicens. De pœnis, præter reservationem, quibus subjacent incendiarii, vide Farinac. *Ubi supra num.* 5.

SECTIO VIII.

Declaratur, quid sub nomine Sacrilegii *in Septimo casu hujus Diœcesis reservetur; & quod committitur feriendo, vel injiciendo manus in clericum, vel religiosum, privilegio Canonis gaudentes.*

154. IN Septimo casu Diœcesis Ulyssiponensis reservato, duo exprimuntur: Primum, sacrilegium; secundum, ferire, vel injicere manus violentas in clericum, vel religiosum, privilegio Canonis gaudentes. Verba Constit. sic habent: *Sacrilegio; e especialmente, aquelle comete ferindo, ou pondo maos violentas em Clerigo, ou religioso, quegoze do privilegio do Canone.* Utrumque speciali indiget explicatione; & incipiendo à primo.

155. Dico: Sacrilegium à D. Thom. 22. *q.* 99. *art.* 3. Soar. *tom.* 1. *de Relig. tract.* 3. *lib.* 3. & aliis, definitur: *Violatio rei Sacræ*. Tres continet species, prima versatur circa personas Sacras; Secunda circa loca Sacra; tertia, circa res Sacras. Persona Sacra illa dicitur, quæ Deo peculiariter est destinata, vel per vitæ statum, vel per votum, vel per ordinem sacrum. Loca sacra, illa dicuntur, quæ authoritate Episcopi, ad divinum cultum, sunt erectæ. Res verò sacræ illæ dici possunt; quæ, aliquo modo sunt sacræ, aut in Dei cultum ordinantur.

156. Circa primam speciem, supponendum est, personam sacram, quatuor modis, offendi posse: primò, per violentam manus injectionem: secundò, per usurpatam jurisdictionem, trahendo personas Ecclesiasticas, ad judicium sæculare, vel illis vectigalia imponendo: tertiò, per rapinam, & furtum; auferendo bona, census, emolumenta; & oblationes ad illarum sustentationem, deputata: quartò, per actiones venereas.

157. Circa secundam speciem supponendum, loca sacra quadruplici modo violari posse: primò, si quis violenter, vel per fraudem extrahatur à loco sacro; quem ad suum refugium invenit. Secundò, si in locis sacris mercatura, vel strepitus forensis exerceatur: tertiò, violantur loca sacra, per sanguinis, aut seminis effusionem peccaminosam: quartò, quando in eisdem locis committitur furtum, vel furtum rei sacræ.

158. Circa tertiam speciem, etiam supponendum est res sacras, cùm variæ sint, etiam variis modis violari posse: primò potest esse violatio, circa Sacramenta: secundò, circa vasa sacra, sanctas imagines, reliquiasque Sanctorum: tertiò, circa ornamenta Ecclesiæ, & ministrorum ejus: quartò, circa bona temporalia, in ministros Ecclesiæ deputata. His suppositis.

159. Quæres primò: An sub nomine *sacrilegii*, in dictâ reservatione oppositi, censeantur omnes tres sacrilegii species reservatæ? Et quoad primam, præscindendo à violentâ manus injectione, de quâ mox *à n.* 189. respondeo, nullum aliud sacrilegium, quo persona violetur, hîc censeri reservatum. Ita ex consuetudine receptâ, docent Fragos. *tom.* 2. *disp.* 19. §. 3. *n.* 3. Abreus *de Paroch. l.* 10. *n.* 322. & apud illum Navarr. *cap.* 28. *n.* 256. & Quintanand. *tom.* 1. *tract.* 3. *singul.* 3. Probatur discurrendo per illa quatuor, quibus violatur persona sacra *n.* 156. *addicta*.

160. Quia nomine *sacrilegii* non reservatur primum, nempe: violatio personæ sacræ per violentam manus injectionem: nam hoc, ut distinctum à sacrilegio, reservatur in hoc septimo casu; ut mox dicemus. Nec etiam reservatur secundum, scilicet violatio personæ sacræ per usurpatam jurisdictionem, trahendo personas Ecclesiasticas, ad judicium sæculare, vel illis vectigalia imponendo; hæc enim S. Pontifici reservantur in Bullâ Cœnæ Domini; & hîc non censentur reservata, juxta dicta *supra n.* 15. Nec reservatur tertium, scilicet violatio personæ sacræ per rapinam, aut furtum; auferendo bona, census: emolumenta, & oblationes; ad illius sustentationem deputata: non enim exprimitur in præsenti reservatione, & consue-

tudo obtinuit, quòd hîc non censeatur reservatum.

161. Nec etiam reservatur quartum, nempe: violatio personæ sacræ per actiones venereas; quia in decreto S. Congreg. edito de mandato Clementis VIII. de quo mentionem fecimus *in hâc disp. dicto n.* 15. dicitur: *In peccatis carnalibus reservandis multa utantur Ordinarii circumspectione, propter periculum scandalorum, vel frequentem reditum ad Ordinarios, in quo suspicioni aliquid cadere potest.* Juxta quod decretum, asserit Cardin. Bellarminus *in Trid. sess.* 14. *cap.* 7. restringi facultatem Ordinariorum, quoad reservationem Luxuriæ; ut refert Quintanad. *dict. tract.* 3. *singul.* 3. *n.* 2. ego cùm hæc sacrilegia, in præsenti casu, non exprimantur, dicendum est, non reservari.

162. Quod attinet ad secundam sacrilegii speciem. Respondeo, non omnia sacrilegia, in eâ contenta, & per quæ violatur locus sacer, hîc reservari. Quod probo, discurrendo per illos quatuor modos, in eâ comprehensos. Quia non reservatur primum, nempe: extractio violenta, vel per fraudem à loco sacro illius, qui eum locum invenit ad suum refugium. Ratio est, quia de hâc extractione, in præsenti casu, non fit mentio; & aliàs in jure reservatur ut videre est apud Lesan. *in q. q. Regul. tom.* 3. *verb. Immunitas n.* 21. contra aliquos. Accedit, quod in Const. Synodalibus hujus Diœcesis *l.* 4. *tit.* 13. *decret.* 3. §. 1. fertur major excommunicatio, contra immunitatis violatores; cùm ergo hæc extractio violenta, vel fraudulosa annexam habeat excommunicationem, non ad hunc septimum, sed ad octavum casum pertinet.

163. Cæterum, quia *disp.* 15. *n.* 13. cum communi DD. asseruimus; quando Episcopus aliquod peccatum cum censurâ reservat; & peccatum, & censuram reservare. Unde ignorans censuram, & illam non incurrens, adhuc peccatum manet reservatum, non obstante quòd plures D. D. id negent, ut *infra n.* 309. in fine dicetur. Et in hoc sensu aliqua veniunt exponenda, circa hunc primum modum, violandi locum.

164. Dico, sacrilegium reservatum committi à judice, vel à quolibet alio justitiæ officiali, per vim abstrahente ab Ecclesiâ delinquentem, in iis casibus, in quibus immunitate gaudet: quia per eam abstractionem, locus sacer offenditur. Ita *ex cap. sacrilegium* 17. *q.* 4. docent communiter D. D. cum D. Thom. 2. 2. *q.* 2. *art.* 2. & 3. In quibus autem casibus offenditur immunitas Ecclesiastica, videndi sunt apud Soar. *tom.* 1. *de relig. tract.* 2. *lib.* 3. Castr. Palao *tom.* 2. *tract.* 11. *per totum* Lezan. *tom.* 3 *verb. Immunitas Ecclesiarum*, Soar. Lusit. *de panit. tract.* 7. *à n.* 658. *usque ad n.* 871. & alii, quos citant, & nostræ Ordin. *l.* 2. *tit.* 5.

165. Dixi, *per vim*; quia si dolo, vel fraude ab Ecclesia auferatur; & extra illam, capiatur; nec erit sacrilegium, nec peccatum reservatum: quia non fit injuria loco sacro, sed delinquenti: & in præsenti non hæc, sed illa injuria reservatur. Sic Fragos. *tom.* 2. *l.* 8. *disp.* 19. §. 3. Abreus *de Paroch. l.* 10. *n.* 326. Soar. Filliuc. Fagund. & Navarr. quos refert, & sequitur Leand. *part.* 1. *tract.* 5. *disp.* 8. §. 4. *q.* 29. Accedit cum pluribus Soar. Lusit. *proxime n.* 849.

166. Attamen, si ideo extrahitur dolo, vel fraude, ut extra Ecclesiam capiatur, & de facto à judice capitur, reservatum committit ipse judex, quia Ecclesia offenditur, & violatur. Sic Fragos. *citat.* & apud illum Sylvest. *verb. immunitas* 2. *à n.* 3. Gambacurt. *de immunit. l.* 8. *cap.* 3. *per totum.* & Babadill. Villadieg. & alii, quos citat, & sequitur Dian. *part.* 1. *tract.* 1. *resol.* 16. & 26. & non improbabile judicat Soar. Lusit. *cit. n.* 850. Quamvis, non improbabiliter oppositum teneri, Leand. *cit.* cum aliis, quos refert; & juxta hanc sententiam, reum capientes, reservatum non incurrunt.

167. Nec etiam, in præsenti casu, videtur, reservari secundum, in secundâ specie contentum, nempe: mercatura, vel strepitum forensem in Ecclesiis exercentes. Ratio est primò, quia hæc sacrilegia à Const. non exprimuntur; nec D. D. qui de his tractant casibus, de illis agunt, ut reservatis: Secundò, quia mercatura in Ecclesiâ exercita, non semper est peccatum mortale, ac proinde, ut talis non est reservata. Et quamvis sit peccatum mortale, quando fit vociferatione, contractatione, & tumultu; quibus, illam mercaturam exercentes, turbant divina officia, & Ecclesiam Dei profanant, ut tenet Castr. Palao *tom.* 2. *tract.* 11. *disp.* 1. *punct.* 4. *n.* 3. *vers. Quarto prohibentur*; non videtur peccatum adeo atrox; & cùm raro contingat, in præsenti non censetur ab Episcopo reservari: nam juxta decretum relatum Clementis VIII. atrocia tantùm, & graviora peccata debent reservari, ibi: *Ut non passim, sed cùm videbitur communi bono expedire, atrocium tantùm, & gravium criminum absolutionem sibi reservent.*

168. Et idem dicendum primò, de vendentibus candelas, florum fasciculos, & similia in Ecclesiis: quia horum venditio non videtur esse peccatum mortale: nam vel venduntur per transitum, vel ut emptores suæ satisfaciant devotione; & sine strepitu, & perturbatione fiunt. Ita Cajet. D. Antonin. quos affert, & sequitur Navarr. *cap.* 5. *de Orat. n.* 36. & videtur assentire Castr. Palao *proximè*. Tametsi neget si mensa apposita, intra Ecclesiam, vendantur. Secus asserit, si extra Ecclesiam, ad illius portam, vel in cœmeterio vendantur. Quia cessat ratio prohibitionis, quæ est divinorum perturbatio, & loci Sacri profanatio. Quod etiam docent Navarr. *supra*, Soar. *tom.* 3. *in* 3. *part. de Euchar. disp.* 81. *sect.* 8. *vers. Secundo.* Fagund. 2. *Eccles præcept. l.* 4. *cap.* 4. *n.* 10.

169. Dicendum secundò, ex prædictis rationibus *n.* 167. colligi, non incurrere præsentem casum reservatum judices sæculares, strepitum forensem in Ecclesiis, vel cœmeterio exercentes: nàm licèt committant sacrilegium in locum sacrum; quia id illis prohibetur *in cap. decet, de immunit. Eccles. in* 6. ibi: *Omnis in Ecclesiis sæcularium judiciorum strepitus conquiescat, nulla inibi causa per laicos maximè criminalis agitetur, sint loca eadem à laicorum cognitionibus aliena*; & tenet Castr. Palao *cit. punct.* 3. cùm tamen in præsenti casu non exprimatur, nec de illo loquantur D. D. agentes de illis; quæ veniunt nomine *sacrilegii reservati* idcirco in hâc reservatione hoc sacrilegium non comprehendimus.

§. I.

Declaratur, an reliqua sacrilegia, in secundâ sacrilegii specie contenta, & quæ continentur in tertiâ, censeantur in hâc Diœcesi reservata.

170. HActenus diximus de sacrilegiis, in primâ sacrilegii specie, contentis; & de primo,

mo, & secundo modo, contentis, in secundâ specie; quibus locus sacer offenditur. Restat dicendum, de aliis duobus modis, quibus locus sacer offenditur, contentis etiam in secundâ sacrilegii specie & de aliis, quæ in tertiâ specie continentur; juxta ea, quæ notavimus in principio hujus Sect.

171. Tertius modus, quo violatur locus sacer, est per sanguinis, aut seminis effusionem peraminosam; & quartus modus, quo violatur, est per furtum rei sacræ, vel ex loco sacro. Et hos tantum duos modos, venire sub nomine *sacrilegii*, quando ab Episcopis sacrilegium reservatur, existimant Laym. *tract.* 6. *cap.* 12. *n.* 4. quem citat, & sequitur Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 3. *singul.* 3. *n.* 4. quibus accedunt Fragos. 2. *part. regim. relig. Christ. l.* 8. *disp.* 19. §. 3. *n.* 3. Abreus *de parœch. l.* 10. *n.* 323. quamvis non ita clarè, ut alia sacrilegia non comprehendat, ut *infra* videbimus. Quod ego sentio, dico per sequentes conclusiones.

172. Dico primò: Sacrilegium, quo offenditur locus sacer per occisionem, vel alicujus vulnerationem; in hoc septimo casu, non venit nomine *sacrilegii* reservati, in hâc Diœcesi. Ratio est, quia pertinet ad octavum, in quo reservatur excommunicatio major à jure, vel ab homine alicui non reservata; & in Constit. hujus Diœcesis *l.* 5. *tit.* 4. *decreto* 1. *in principio* his delictis imposita est excommunicatio, ipso facto, ibi: *Todos os que matarem, ou ferirem, ou por obra injuriarem aoutrem nas Igrejas, ou nos adros dellas, encorrem excommunham ipso facto, e seram condemnados, em outras penas pecuniarias &c.* Ergo cùm hoc sacrilegium, ratione excommunicationis annexæ, reservetur in casu octavo, in præsenti septimo, non reservatur.

173. Dico secundò: Si excommunicatio imposita dictis occisioni, & vulnerationi ignoretur, aut aliqua de causa non incurratur, adhuc in hâc Diœcesi, hoc sacrilegium erit reservatum, per hunc septimum casum. Ratio est, quia quando Episcopus aliquod peccatum cum censura reservat, tam peccatum, quam ipsa censura manent reservata; & si censura non incurratur, peccatum est reservatum, ut vidimus *disp.* 15. *n.* 13. cum communi D. D. ergo dicta delicta saltem ratione sacrilegii, in præsenti sunt reservata.

174. Dico tertiò: In omnibus aliis Diœcesibus, in quibus, dictis criminibus non est imposita excommunicatio, nec hæc specialiter reservatur, nomine *sacrilegii* reservati, censentur reservata dicta sacrilegia occisionis, & effusionis sanguinis, in loco sacro commissa, nisi aliud expressè declaretur, sic D. D. citati. Ratio est, quia ita obtinuit consuetudo, ubi sacrilegium reservetur. Ideoque circa hæc delicta reservata est.

175. Primum dubium: An incurrat præsentem reservationem, qui sine sanguinis effusione, aliquem in Ecclesiâ, vel cœmeterio occidit? Respondeo affirmativè, quia per eam occisionem violatur Ecclesia, vel cœmeterium; ut constat *ex cap. si motum de consecr. dist.* 1. *& cap. Posuisti, de consecr. Eccles.* & docent Henriq. Graff. Sylvest. Finell. Coninch. Soar. quos referunt, & sectantur Bonac. *tom.* 1. *tract. de matr. q.* 4. *punct.* 20. *in fine.* Barbos. *de potest. Episcop. alleg.* 28. *n.* 25. Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 3. *n.* 633.

176. Secus dicendum, de percussione gravi absque effusione sanguinis. Quia per hanc percussionem, non violatur Ecclesia, aut cœmeterium: jura enim loquuntur de percussione cum effusione sanguinis. Ita Bonacin. *proximè*, Leand. *tom* 1. *tract.* 5. *disp.* 8. §. 4. *q.* 6. Cardin. de Lug. *disp.* 16. *de pœnit. n.* 368. Tamborin. *in Method. confess. l.* 2. *cap.* 6. §. 1. *n* 4. Soar. Lusit. *cit. n.* 636. Quamvis oppositum doceat Fagund. *in* 2. *Eccles. præcept. l.* 4. *cap.* 4. *n.* 14. alios citans.

177. Secundum dubium: An quis innodetur reservatione, per quamcunque effusionem sanguinis ab eo in Ecclesiâ, vel cœmeterio factam? Respondeo negativè; quia non censetur crimen atrox, cùm Ecclesia non polluatur per duas, aut tres guttas sanguinis, sed per magnam effusionem. Nec etiam per magnam effusionem, si aliàs jocosè, & casu contingat, quia non datur peccatum mortale; & etiamsi sit mortaliter peccaminosa, si de naso effundatur: quia per hanc effusionem, cùm facilè ex eâ parte magna copia sanguinis effundatur, per illam, nec Ecclesia, nec cœmeterium violatur. Sic Fagund. *proximè*, Bonac. *supra* Leand. *cit. q.* 7. Dian. *part.* 11. *tract.* 2. *resol.* 58. & alii apud ipsum.

178. Tertium dubium: An habeat reservatum, qui intra Ecclesiam, aut cœmeterium vulneravit: effusio tamen sanguinis fuit extra Ecclesiam, aut cœmeterium? Respondeo affirmativè; quia intra Ecclesiam, aut cœmeterium data fuit causa naturalis illius effusionis, & sacrilegium. Ita Bonac. *supra* Azor. 2. *part. l.* 9. *cap.* 5. Dian. *part.* 12. *tract.* 2. *resol.* 58. & apud illum Hurtado, & tenet etiam Soar. Lusit. *supra n.* 635. Secus dicendum de eo, qui extra Ecclesiam, vel cœmeterium vulneravit: Sanguinis verò effusio, aut ipsa mors sequuta fuit intra Ecclesiam, vel cœmeterium. Quia non fuit sacrilegium; nec Ecclesia, aut cœmeterium violatum. Sic Azor, Bonac. & Soar. Lusit. *locis citatis.*

179. Quartum dubium: An qui occultè occidit, aut vulnerat in Ecclesiâ, committat sacrilegium reservatum? Negant committere sacrilegium, Vasq. 12. *q.* 72. *art.* 7. *disp.* 8. *cap.* 3. *n.* 6. Sot. *dist.* 32. *q.* Unic. *art.* 3. *post.* 3. *conclus.* Rodrig. *tom.* 1. *cap.* 243. *n.* 18. Basil. Pont. *de matr. l.* 10. *n.* 15. Hurtad. *ibidem disp.* 10. *difficult.* 4. *& alii* apud Dian. *mox citandum.* Idem videtur sentire Moya *tom.* 1. *q. q. select. tract.* 3. *disp.* 3. *q* 4. *n.* 9. 10. *&* 11. in quo asserit eas actiones esse sacrilegia si publicè fiant, vel in circum tantùs, quòd prudenter timeri possit, publicandas. Probant, quia in tantùm ex actiones sunt sacrilegia, in quantùm per illas violatur Ecclesia, aut cœmeterium: Sed dum sunt occultæ, non violatur Ecclesia, aut cœmeterium: Ergo nec sunt sacrilegia. Et per bonam consequentiam, sequitur, non esse reservatas.

180. Dicendum tamen probabilius, prædictas actiones esse sacrilegia, non tamen esse reservatas. Probatur prima pars, quia si postea publicentur, erunt sacrilegia: Ergo dum erant occultæ, erant sacrilegia: nam culpa, & peccatum non dependet à publicatione, aut eventu venturo. Sic Soar. Sanch. Card. de Lug. Fagund. Castr. Palao, Trullench. Candid. Bonac. & alii, quos citant, & sequuntur Dian. 3. *part. tract* 4. *resol.* 67. *& part.* 9. *tract.* 9. *resol.* 5. Leand. *part.* 1. *tract.* 5. *disp.* 8. §. 4. *q.* 9. Soar. Lusit. *ubi supra n.* 637. loquens de copulâ, & pollutione occultâ; & consequenter, idem diceret, de præsenti casu. Secunda pars ostenditur: quia in præsenti, non reservatur quodcunque sacrilegium, ut *supra* vidimus, sed illud, per quod violatur locus sacer: sed per prædictas actiones, locus sacer non violatur, dum sunt occultæ: ergo dum sunt occultæ, non sunt reservatæ; licèt sint sacrilegia.

181. Dico quartò: sub nomine *sacrilegii* in

hoc septimo casu Diœcesano reservatur effusio seminis humani peccaminosa. Sic D. D. *supra citati*, quia est sacrilegium, & per illud locus sacer violatur. Existimo tamen, cum Quintanad. *dict. tract. 3. singul. 3. n. 4.* in præsenti casu, non reservari fornicationem, aut pollutionem voluntariam, in loco sacro habitas; nam licèt sint sacrilegia, hic non reservatur quodcunque sacrilegium: Et cùm hæc hic non exprimatur, nec ita, quoad exterius, atrociora peccata videantur, cùm occultè patrentur, & sine scandalo, hic forsan non censentur reservari. Secus dicendum, si publicè, aut inter missarum solemnia, aut Eucharistiæ augusto sacramento manifestato; aut cum adeo publicâ seminis effusione patrentur, ut Ecclesia pollueretur, ac reconciliatione indigeret.

182. Oppositum invenies, apud Abreu *supra cit. dict. n.* 323. ubi asserit, prædicta sacrilegia hic reservari, etiamsi sint occulta, & per copulam conjugalem, nisi conjuges, per longum tempus in Ecclesiam detinerentur. At à nobis *dict. n. præcedente*, probabilia videntur, ex adductis rationibus, pro occultis occisione, aut sanguinis effusione. Circa copulam conjugalem vide Moya *tom. 1. solut. q. q. tract. 3. disp. 3. q. 4. à n. 13. & n. 16.* asserentem non esse sacrilegium si occultè sit habita. Et hoc esse valdè probabile existimat P. Henao *de sacrif. miss. disp. 23. n. 59.* cum Galp. Hurt. Amico, Arriaa. Basil. Pont. & aliis, qui hanc tuentur sententiam. Quare juxta illam reservatum etiam non committitur.

183. Dico quintò: In præsenti casu, etiam reservatur quartus modus violandi locum sacrum, in secundâ sacrilegii specie contentus, nempe: furtum rei sacræ, vel ex loco sacro. Et quod hæc in præsenti reservatione veniant sub nomine *sacrilegii* reservati, tenent D. D. *supra citat.* De hoc sacrilegio loquitur textus *in cap. quisquis inventus. 17. q. 4. ubi* dicitur, committi sacrilegium ab eo, qui aufert *sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro*; & quamvis hæc verba videantur, comprehendere omnia furta, in loco sacro facta; ut etiam voluerunt Soar. Vasq. Valenc. Navarr. Nunius, quos citat, & sequitur Bonac. *disp. 3. decal. q. 6. punct. ultim. alias* 17. & Laym. Rebell. quos affert Dian. *part. 1. tract. 7. resol. 27.* probabilius tamen, omne furtum in loco sacro non comprehendit.

184. Quare dicendum est, non committi propriè sacrilegium, nec casum reservatum ab eo, qui furatur res profanas in Ecclesiâ; dummodo hæ res non sint traditæ Ecclesiæ, in custodiam, aut in pignus, aut alio modo. Ratio est, quia licèt id furtum sit loco sacro factum, non est rei non sacræ de loco sacro; quia non est specialiter in custodiam, aut pignus, aut per alium modum, Ecclesiæ commissum. Et ita sustinent Sot. Henriq. Fagund. Card. de Lug. & alii, quos congerunt, & sequuntur Dian. *proximè* Leand. *1. part. disp. 8. §. 4. q.* [illegible]. quibus accedunt cum Less. & Ægid. Coninch. Quintanad. ubi *supra n. 7.* & Fragos. *tom. 2. l. 8. q. 19. § 3. n. 3.* Abreus de paroch. *l. 10. n. 314.* Soar. Lusit. *dict. tract. 3. n. 631.* In aliis verò furtis rerum sacrarum, vel non sacrarum de Ecclesiâ, reservatum committitur. Ita D. D. citati.

185. Adverte contra hujusmodi furantes bona propria Ecclesiæ; ut vasa, vestes, & similia, ferri excommunicationem in Const. Synodal. hujus Diœcesis Ulyssiponensis *l. 5. tit. 4. decret. 1. §. 1.* cùm tamen sit futuri temporis, non est latæ sententiæ, ut cùm Castr. Palao *disp. 1. de censur. punct. 2. n. 5.* tenet Leand. *tom. 4. tract. 1. disp. 1. q. 14.* Unde cum hæc censura, ipso facto, non incurratur, per hæc delicta, non ad octavum, sed ad presentem reservatum, hæc pertinent delicta.

186. Dico sextò: Sacrilegia, quæ continentur in tertia sacrilegii specie non censentur in præsenti casu reservari, sub nomine *sacrilegii*. Ratio est; quia in præsenti casu, indistinctè reservatur sacrilegum: res verò, quæ in eâ tertiâ specie continentur, ut vidimus *n.* 158. licèt sint sacrilegia, non censentur reservata, per hanc dictionem, *sacrilegium* à sapientibus: non enim primum censetur reservatum; nempe, violatio circa Sacramenta; nam qui celebrant, vel administrant aliquod Sacramentum, in peccato mortali; recipiunt indignè sacram Eucharistiam, sacrilegam confessionem conficiunt, aliquod tacendo peccatum mortale. Attamen à sapientibus, & doctis, non habent peccatum reservatum, sub nomine, *sacrilegii* contentum, ut videre est apud Quintanad. *dicto singul. 3. n. 8.* Abreus *supra n. 322.*

187. Nec etiam secundum *eodem num.* recensitum hic videtur reservari: nam uti vasibus, aut vestibus sacris ad usum profanum, seu ad proprium usum; Sanctas imagines indecorè pingere; reliquias Sanctorum irreverenter tractare; quæ continentur, in tertio, & quarto modo, ibi oppositis; & quæ videri possunt apud Bonac. *disp. 3. q. 6. punct. unic. de sacrilegio*, & Reginald. *l. 19. à n. 57.* quamvis sint sacrilegia, sub nomine *sacrilegii*, indistinctè prolati, reservata non censentur. Et ita docet Quintanad. *proximè citat.* qui idem asserit de eo, qui abutitur verbis sacræ Scripturæ. Et idem diceret de illis, qui miscent musicas lascivas cum sacris, propter eadem rationem; quod etiam probabilius existimo.

188. Scio Abreu ubi *supra n. 327.* docere, sacrilegia, quibus res sacræ offenduntur, & ad tertiam sacrilegii speciem pertinentia, in præsenti casu reservari, sub nomine *sacrilegii*. Cùm tamen id non probet, & à nobis dicta sint juxta praxim doctorum confessariorum; & quæ sapientes autumant, ut inquit Quintanad. *cit.* illis videtur standum.

§. II.

Quid censeatur reservatum in præsenti casu, per verba addita: Especialemente, oque se comete (*scilicet sacrilegium*) ferindo, ou pondo mãos violentas em clerigo, ou Religioso, que gose do privilegio de Canone?

189. AD hujus explicationem suppono, in quæstione esse positum, an omnis clericus gaudeat privilegio canonis *in cap. si quis suadente 17. q. 4.* nam plures id negant, de clerico primâ tonsurâ initiato, aut in minoribus ordinibus constituto; si non habeat conditiones à Consil. Trident. *sess. 23. de reform. cap. 6.* requisitas, nempe: nisi habeat Ecclesiasticum beneficium; aut clericalem habitum, & tonsuram deferat, & alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi deserviat; vel in aliquâ scholâ, vel universitate, cùm licentiâ Episcopi, quasi in viâ ad majores ordines, versetur. Hi negantes, gaudere prædictos privilegio canonis, sunt Banês. *in 2. 2. q. 12. art. 1. circa finem*, Soar. Coninch. Laym. apud Dian. *part. 3. tract. 5. resol. 82.* idem innuit Abreu *de paroch. l. 10. cap. 9.*

fact.

sect. 1. *n.* 272. Alii verò affirmant, gaudere; quia Trid. solùm eas conditiones requirit, ut clericus gaudere possit privilegio fori. Ita Navarr. Asso-lin. Avil. Fragos. Castr. Palao, quos citatos refert, & sequitur Dian. *proximè, & part.* 9. *tract.* 4. *resol.* 5. adducens pro hàc sententiâ S. Congreg. declarationem. Idem tenet Lesan. *in q. q. Regul. tom.* 3. *vers. Clericus n.* 5. Hoc suppositio.

190. Inquires: Quid ex prædictis verbis censeatur reservatum in hâc, & aliis Diœcesibus, in quibus hic, inter alios reservatos, numeratur casus? Respondeo primò, nihil per ea verba, sibi Episcopos reservare; sed per illa, declarare, non posse confessarios absolvere ab excommunicatione, ob violentam manus injectionem in clericum, vel religiosum, contracta, privilegio canonis gaudentes. Ratio est, qui in præsenti casu non reservantur sacrilegia S. Pontifici reservata; ut constat ex citato decreto, *supra n.* 19. in quo à Sacra Congreg. demandato Clementis VIII. prohibetur Episcopis, ne sibi reservent casus sedi Apostolicæ reservatos, ibi: *Prohibet etiam ne sibi superfluè reservent casus, in Bullâ die Cœnæ Domini legi consueta, contentos; neque alios sedi Apostolicæ specialiter reservatos*: sed sacrilegium, quod committitur feriendo, vel injiciendo manus violentas in clericum, vel religiosum, qui gaudet privilegio canonis, est reservatum S. Pontifici, ut constat *ex citat. cap. si quis suadente*: ne ergo dicamus Episcopos superfluè dictum sacrilegium, & contra Apostolicam prohibitionem, sibi reservare; congruentius, & verius dicimus, illos tantùm per dicta verba declarare, confessarios non posse, ab eo sacrilegio absolvere; ut jam notavit Abreus *supra n.* 331.

191. Et licèt sacrilegium, quod committitur per percussionem levem, in clericum, vel religiosum, juxta ea, quæ diximus *disp.* 15. *n.* 33. sit Episcopo reservatum; ut colligunt D. D. *ex cap. pervenit, de sententiâ excommun.* cùm annexam habeat excommunicationem, non ad hoc septimum casum, sed ad octavum pertinet.

192. Respondeo secundò, quamvis minus probabiliter, cum Abreu *cit.* Fragos. *tom.* 2. *l.* 8. *disp.* 19. §. 3. *n.* 8. & Cajet. *in summ. verbo Casus* apud Navarr. *in summ. cap.* 27. *n.* 255. Episcopum in prædictis verbis, sibi reservare id sacrilegium, quando ex ignorantiâ, aut inadvertentiâ, excommunicatio non incurritur: cùm enim, non contractâ excommunicatione, non maneat S. Pontifici sacrilegium reservatum, illud Episcopus sibi poterat reservare; ut in casu hæresis diximus, cum eodem Abreu *supra n.* 21. & 22.

193. Ex dictis, per totam hanc sectionem, patet, non omne id, quod Theologi, pro sacrilegio accipiunt, esse reservatum, in hâc Diœcesi, nec in aliis; ubi indistinctè sacrilegium reservatur, ut minus benè docuit Navarr. *in summ. Lusitanâ cap.* 27. *n.* 258 *in fine*, per hæc verba: *Epello consequunter parece que todo o sacrilegio he caso do Bispo por costume.* Quæ autem sacrilegia sint S. Pontifici, & Episcopis reservata; per violentam manus injectionem; vide dictam *disp.* 15. *à n.* 31. ubi invenies, quid sit percussio gravis, seu enormis, mediocris, aut levis, & alios casus, in quibus incurritur, vel non incurritur excommunicatio præsentis casus. Etiam ad hoc intentum videri possunt Const. Synodales hujus Diœcesis *l.* 5. *tit.* 29. *decret.* 2. §. 2. Lesan. *in q. q. Regul. tom.* 3. *vers. Clericus n.* 7. *& seqq.*

SECTIO IX.

Quid reservetur sub his verbis: Excommunicatio major à jure, vel ab homine alicui non reservata.

194. OCtavus casus, casus in Const. Ulyssiponensibus reservatus, est excommunicatio major à jure, vel ab homine, quæ alii non sit reservata. Et ad hujus intelligentiam recolenda sunt, quæ de excommunicatione majori, & minori diximus *disp.* 15. *à n.* 20. Excommunicatio major à jure, illa dicitur, quæ continetur in jure canonico, aut fertur per modum Legis, aut statutum generale perpetuum. Excommunicatio major ab homine, illa est, quæ à judice Ecclesiastico fertur, per modum mandati, aut sententiæ temporariæ. Ita cum communi Bonac. *disp.* 1. *de censur. q.* 1. *punct.* 1. *n.* 5. ut incurratur, debet præcedere peccatum mortale; sine illo enim non incurritur. Dian. *part.* 3. *tract.* 6. *resol.* 51. Quando imponitur, propter aliquod delictum, si aliud non exprimatur, intelligitur lata, pro delicto in suo genere completo, & consumato; sic cum communi Dian. *part.* 5. *tract.* 9. *resol.* 56. & à nobis dictis *supra n.* 50. & 143. *in fine.* Alia vide *cit. loco.*

195. Inquires primò: Quid in præsenti reservetur, sub hoc verbo: *Excommunicatio à jure?* Respondeo reservari excommunicationem à jure, quæ alicui non est reservata; ut patet ex verbis ipsius reservationis: *Excommunham major posta pordireito, ou por homem, que nam seja reservada aoutrem.* Quæ verba aliam non patiuntur explicationem. Confirmatur quia Const. Synod. hujus Diœcesis *l.* 5. *tit.* 30. *decret.* 1. in quibus sex supra triginta recensetur excommunicationes in jure latæ, alicui non reservatæ, & *in fine decreti* §. 36. illas omnes sibi Ordinarius reservat, per hæc verba: *sem embargo de todas estas censuras asima apontadas nam terem reservatam alguma à se Apostolica, conforme adircito, ecommun observacam dos Doutores. Nos por iustas causas em nosso Arcebispado, elugares denossa juris dicam reservamos a absolui cam dellas pera nos. Emandamos, que nostra forma sepratiquem, pera major servico de Deos, esegurança das almas.* Huculque §. finalis verba.

186. Jus, in quo stabilitur hæc dispositio videtur esse *Conc. Trident. sess.* 14. *cap.* 7. ibi: *Episcopis omnibus in suâ cuique Diœcesi, in ædificationem tamen non in destructionem, liceat pro illis, in subditos traditâ, supra reliquos inferiores sacerdotes, autoritate, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est.* Et ita asserit Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 29. *sect.* 2. *n.* 8. *in fine*, per hæc verba: *Et infra de Episcopis agens* (id est Conc. Trident.) *ait, posse reservare peccata, præsertim, quæ habent censuram annexam*, & *tom.* 5. *in* 3. *part disp.* 7. *sect.* 3. *n.* 23. *in fine.* Bonac. *tom.* 1. *disp.* 1. *de censur. q.* 3. *punct.* 1. *n.* 6. *in fine.* Idem videtur sentire cum aliis, quos citat. Henriq. *l.* 6. *cap.* 13. *in Gloss. litt. M.* ibi: *Quamvis Trident. sess.* 14. *cap.* 7. *dicat præsertim reservari, quibus est annexa excommunicatio.* Idem expressè tenent Abreus *de Paroch. l.* 10. *n.* 335. Fragos. *tom.* 2. *l.* 8. *disp* 19. §. 3. *n.* 4. & alii.

197. Pro-

197. Probat Fragos. ex potentiâ, & actu: ex potentiâ, quia Episcopus in suâ Diœcesi omnia potest, quæ S. Pontifex, in universo orbe, exceptis specialiter reservatis, ut docent Sanch. *de matr. l. 1. disp. 61. n. 3. & l. 8. disp. 9. n. 3.* Soar. *tom. 4. in 3. part. disp. 25. sect. 1. & de legibus l. 6. cap. 14. n. 6.* & alii communiter: Ex actu probat; quia plures Episcopi sibi reservant absolutionem excommunicationum juris nulli reservatarum.

198. Aliqui tamen authores mox citandi docent, non posse Episcopos indiscriminatim omnes excommunicationes à jure latas, & nemini reservatas, sibi reservare, post primum, & secundum decretum edita à S. Congreg. pro consultationibus Episcoporum, & Regularium, ex mandato Clementis VIII. Quæ decreta afferuntur à Quaranta, & Vald. *verb. Casus reservatus*, & de illis mentionem facit Bordon. *tom. 1. resol. 37. n. 38.* illa etiam refert Barbos. *de potest. Episc. part. 3. allegat. 50. n. 286. & 288.* in quibus declaratur, & præcipitur, quòd ordinarii non reservent casus contentos in Bullâ Cœnæ Domini, neque sedi Apostolicæ specialiter reservatos. Sic in primo: In secundo verò; quod ad præsentem explicationem attinet, sic habet: *Videant ipsi ordinarii, ne illos casus promiscuè reservent, quibus annexa est excommunicatio major à jure imposita, cujus absolutio nemini reservata sit, nisi fortè propter frequentiam, scandalum, aut aliam necessariam causam, aliqui hujusmodi casus, nominatim reservandi viderentur. &c.*

199. Ex quibus decretis constat, ordinarios, non posse reservare casus S. Pontifici reservatos, nec etiam illos, quibus annexa est excommunicatio major à jure imposita, cujus absolutio nemini est reservata. Cùm verò in prædictâ reservatione synodali, reserventur omnes casus, quibus à jure imposita est excommmunicatio, nemini reservata; & non aliquos tantùm nominatim, nec cum causa ob frequentiam, vel scandalum, aut aliam necessariam causam, sed indiscriminatim, & promiscuè omnes reserventur; ad minimum manet hæc reservatio illicita; quia tenentur ordinarii hunc modum præscriptum servare. Ita Comitol. *in respons. moral. l. 6. cap. 12.* Barbos. *de potest. Episcop. part. 3. alleg. 50. n. 285. & in remiss. ad Conc. Trident. sess. 14. cap. 7. n. 7. & 8.* & ibi apud ipsum Quaranta *in summ. Bullar. verb. Casus reservati.* Ugolin. *de potest. Episcop. cap. 36.* Aloysius Riccius *in praxi rerum fori Eccles. resol. 492.* Coriolan. *de casibus reservat. part. 1. sect. 1. art. 5.* accedunt Quintanad *tom. 1. tract. 3. sing. 1. à n. 4.* Floron. *de casib. reservat.* quem citat, & sequitur Bordon. *tom. 1. resol. 37. n. 38.*

200. Ratione probare possunt, quia si S. Pontifex voluisset eas excommunicationes esse reservatas, vel quòd Episcopi eas reservarent, id in ipso jure expressisset; ut expressit Gregorius XIV. in Const. quæ incipit: *Sedes Apostolica*, in quâ excommunicationem latam in procurantes abortum fœtus animati, ordinariis reservavit; ut vidimus *supra* in hac *disp. n.* 100. & 101. ergo etiam, si S. S. Pontifices voluissent, quòd excommunicationes in jure nemini reservatæ, Episcopis reservarentur, id in ipso jure expressissent.

201. Ad fundamentum oppositum ex Trident. deductum respondent, Conc. Trident. *loco citato* non concedere Episcopis, ut possint reservare eos casus, quibus est annexa excommunicatio à jure; sed ut præbeant inferioribus sacerdotibus authoritatem absolvendi à reservatis; præsertim ab illis, quibus est annexa excommunicatio, quam in casibus ab ipsis Episcopis reservatis, imponere poterant, & de facto in aliquibus imponunt.

202. Ad rationem Fragos. respondere possunt, Episcopos omnia posse in suis Diœcesibus, quæ S. Pontifex potest in universo orbe, nisi aliqua sibi-ipsis à S. Pontifice specialiter reserventur, & prohibeantur: At in supradictis decretis, illis S. Pontifex reservat, & prohibet, quod non reservent excommunicationes in jure nemini reservatas.

203. His non obstantibus, existimo, prædictam reservationem esse observandam primò; quia Episcopi possunt validè, & licitè sibi reservare ea omnia, quæ non sunt in destructionem animarum: sed reservare omnes excommunicationes in jure reservatas ob justas causas, & nominatim non est in animarum destructionem, sed in ædificationem: ergo illas possunt reservare. Secundò, quia non solùm in pluribus hujus Regni Diœcesibus, ex reservantur excommunicationes, sed etiam in aliis, extra illud, ut referunt Graff. Bonacin. & alii apud Bordon. *citat.*

204. Nec in oppositum est decretum S. Congreg. sub Clemente. VIII. quia Constitutiones Synodales *n. 193. citata*, omnes designant nominatim excommunicationes in jure nemini reservatas, & afferunt ob justas causas illas reservare. Et quamvis hæc ratio non videatur efficax; quia S. Pontifex asserit, posse Episcopos aliquos hujusmodi casus, non tamen omnes reservare; sufficit tamen authoritas plurium D. D. & recepta consuetudo. Addo in decreto S. Congreg. moneri Episcopos, non tamen prohiberi, ne earum excommunicationum absolutionem sibi reservent. Ita Bordon. *tom. 1. resol. 6. n. 17. quæst. 11.*

205. Attamen, si in aliquibus Constitutionibus, non detur verbum: *Nemini reservatas*, dicendum est sub nomine excommunicationis majoris à jure, vel ab homine, comprehendi excommunicationes latas in ipsis Constit. Synodalibus, tum ab ipso Prælato, vel Vicario ipsius Diœcesis; non tamen alias S. Pontifici reservatas, nec illas, quæ in jure, nulli reservantur; at si aliquas ex jure communi, nulli reservatas, sibi reservent, propter causas à S. Congreg. designatas; conformior, & convenientior erit reservatio, & in parte hoc sentit Quintanad. *proximè n. 6.*

206. Inquires secundò: Quid in præsenti casu reservetur sub verbo: *Excommunicatio ab homine?* Respondeo, reservari illas excommunicationes, quæ latæ sunt, per sententiam generalem, quæ nulli reservantur; & ab imponente nullus excommunicatus exprimitur; nam si in eâ sententiâ aliquis declaretur excommunicatus, vel excommunicatio lata sit ab homine specialiter ab illo debet absolvi, à quo fuit imposita; vel ab ejus successore, vel ab habente potestatem delegatam. Sic cum Vasq. Valent. Coninch. Avila Bonacin. *de censur. disp. 1. q. 3. punct. 1. n. 6.* Abreus *de Paroch. l. 10. n. 335.* Hic erat apponendus catalogus excommunicationum, quæ ipso jure sunt latæ in Constit. hujus diœcesis; sed quia hic ordo nequit in aliis aliarum Diœcesum Constitut. observari; in hâc etiam omittendus erit.

SECTIO

SECTIO X.

Quid reservetur in hâc Ulyssiponensi Diœcesi, sub his verbis: Juramentum falsum in judicio, vel actis judicialibus, aut coram superiore competente?

207. NOnus casus, in hâc Diœcesi reservatus est: *Juramento falso em juizo, ou em autos judiciaes, ouperante superior competente.* Juramentum falsum, quod hic reservatur est; mendacium in judicio, vel actis judicialibus, vel coram superiore competente, jureiurando firmatum. Unde ad hunc incurrendum casum reservatum, duæ requiruntur conditiones. Prima, quòd vitetur fallum. Secunda, quòd id fiat in judicio, vel actis, vel coram superiore competente.

208. Mendacium: *Est falsa significatio vocis cum intentione dicendi falsum.* Unde quando aliquid dicitur ore, diversum ab eo, quod judicatur in corde, mendacium est. Ita Card. Tolet *lib.* 2. *cap.* 21. *n.* 7. Quatuor modis potest aliquis mentiri: Primò, quando scit, aliquid non esse verum, & dicit esse verum. Secundò, quando scit aliquid esse verum, & negat esse verum. Tertiò, quando dicit scienter dubium pro certo. Quartò, quando dicit scienter certum, pro dubio. Et si aliquo, ex prædictis modis, mendacium juramento firmetur in judicio, vel actis judicialibus, vel coram competente superiore, est casus reservatus; quia est juramentum falsum, in illis circunstantiis, in quibus reservatur. Vide dicenda *disp.* 25. *n.* 332.

209. Juramentum fallum, ut sit reservatum, debet esse primò, in judicio legitimo, nempe in illo, in quo servatur forma juris, sive illa sit accidentalis; quæ consistit, in requisitis à jure communi, tam civili, quàm Canonico; quorum omissio non irritat processum de facto. Mirand. *q.* 14. *art.* 1. *conclus.* 2. *de ordine judiciali*, & alii. Sive forma sit substantialis, quæ consistit in illis, quæ de jure naturali, vel divino, requirantur. De his videri possunt Sanch. *in Consil. l.* 6. *cap.* 3. *dub.* 36. *& cap.* 5. *dub.* 5. *Card. de Lug. de just. disp.* 40. *sect.* 1. & alii.

210. Secundò, debet esse juramentum, in actis judicialibus; quales sunt illi, qui pertinent ad judicium legitimum, sive sit sæculare, sive Ecclesiasticum.

211. Tertiò, debet etiam esse & juramentum falsum, ut sit reservatum, coram superiore, seu judice competente; qui habet jurisdictionem, ad interrogandum, vel ad examinandos testes. Unde, si judex caret jurisdictione, vel illam habet impeditam, quia est vitandus; vel procedit non servato juris ordine essentiali, vel substantiali: quia reum interrogat, non præcedente semiplenâ probatione de licti, vel judiciis expressis, quæ semiplenam faciant probationem, juramentum falsum, coram illo, non erit reservatum. Vide Card. de Lug. *de just. disp.* 39. *sect.* 2.

212. Dices: Ex verbis hunc casum reservantibus, non constat, judicium debere esse legitimum; in illis enim dicitur, *juramento falso em juzo*: ergo quamvis judicium sit nullum, juramentum erit reservatum. Respondeo, negando consequentiam contra Barbos. *de potest. Episc. allegat.* 51. *n.* 25. citantem Felin. Decian. & Genzal. Et hujus ratio est, quia nomine *judicii* in prædictis verbis venit judicium legitimum, quòd simpliciter, & absolutè dicitur judicium: Doctores verò citati à Barbos. non loquuntur de reservatione, sed de pœnis falsariorum, quæ etiam incurruntur ab eo, qui in judicio nullo jurat falsum; quia ita in jure exprimitur, non exprimitur tamen, quòd reservatio in judicio nullo incurratur; & cùm sit restrictiva jurisdictionis ordinarii confessoris non debet intelligi, nisi exprimatur. Ita Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 7. *n.* 602. His notatis.

213. Quæres primò: An putans jurare verum, jurat tamen falsum, incurrat reservatum? Respondeo, non incurrere; quia si adhibuit sufficientem diligentiam, ad veritatem indagandam, non peccavit mortaliter: ergo non habet reservatum. Ita Abreus *de Paroch. l.* 10. *n.* 352. Bordon. *tom.* 1. *resol.* 44. *n.* 7. Soar. Lusit. *proximè n.* 435. Lezan. *in q.* 9. *Regul. Verb. Juramentum n.* 13. Si tamen non adhibuit diligentiam sufficientem, ex suâ culpâ gravi, etiam non incurrit reservatum, licèt aliàs peccasset mortaliter; quia putat, se verum jurare, quamvis inconsideratè agens parum de veritate indagandâ. Ita Bordon. *proximè*, & apud illum Grass. *l.* 3. *cap.* 5. *n.* 16.

214. Quæres secundò: An habeat reservatum, qui putat se falsò jurare, jurat tamen verum? Affirmat Fagund. *in* 2. *Eccles. præcept. l.* 8; *cap.* 7. *n.* 1. & apud ipsum Tolet. *lib.* 4. *summ. cap.* 21. Idem tenet Grass. de casibus reservatis *lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 15. Probabilius dicendum, non habere reservatum; quia re ipsa, non juravit falsum, sed verum: reservatio autem (sicut, & aliæ pœnæ) non imponitur falsæ existimationi, sed rei veritati: ergo licèt peccasset mortaliter, ex conscientiâ erroneâ, reservationem non incurrit. Ita Soar. *tom.* 1. *de relig. tract.* 1. *l.* 2. *cap.* 18. *n.* 7. Peyrin. *tom.* 2. *de prælat. q.* 3. *cap.* 2. *n.* 12. Lezan. *Verb. juramentum quoad regul. n.* 13. Tamber. *tom.* 2. *de jur. Abbat. disp.* 13. *q.* 2. *n.* 26.

215. Quæres tertiò: An si quis interrogetur à judice competente, circa materiam levem, incurrat reservatum, si juret falsò? Respondeo affirmativè, quia vocare Deum in testem mendacii levis, est gravissima injuria in Deum; quia adducitur in testem falsitatis. Unde etiam extra judicium, & acta judicialia, est etiam gravissimum peccatum. Sic docent Sanch. *l.* 3. *decal. cap. n.* 6. Fagund. *l.* 2. *decal. cap.* 6. *n.* 3. Castr. Palao, Soar. & plures apud Leand. *tom.* 7. *tract.* 1. *disp.* 7. §. 1. *q.* 4. Quare Innocentius XI. in Constit. quæ incipit: *Sanctissimus D. N. anno* 1679. die 4. mensis Martii, ut minimum tanquam scandalosam, hanc damnavit propositionem; *vocare Deum, in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possis damnare hominem*, quæ ex damnatis est 24. Cùm verò sit peccatum mortale, adducere Deum in testem mendacii levis, mendacium leve jure-jurando firmatum, dignum est æternæ damnationis; ac per consequens, est peccatum reservatum.

216. Quæres quartò: An qui jurat falsum, sine animo jurandi, in judicio, vel actis judicialibus vel coram competente judice, innodetur peccato reservato? Respondeo affirmativè; quia præceptum superioris est, non solùm de veritate dicenda, sed de dicenda sub divino testimonio. Addo non solùm in prædictis committi peccatum mortale, & id reservatum; sed etiam committi peccatum mortale, si juretur

falsum sine animo jurandi in contractibus, quamvis in presenti non reservetur, quia est contra jus debitum parti contrahenti. Et sive juramentum sit falsum sine animo jurandi, in judicio, sive in contractibus, sive extra illa, semper est mortale.

217. Ratio est primò, quia invocare Deum in testem falsi in apparentia, & solis verbis externis, est magna irreverentia; nomini autem Dei magna reverentia debetur. Secundò, quia si admittamus, posse Deum, absque gravi peccato, in testem falsi invocari; finis juramenti penitus frustraretur; qui est veritatis confirmatio. Sic Cajet. Sot. Covarr. Ariag. Petrus de Ledesma, quos refert, & sequitur Sanch. *l.* 3. *decal. cap.* 6. *n.* 9. *&* 10. Less. *l.* 2. *de just. cap.* 42. *dubit.* 8. *n.* 42. *&* 43. Soar. *tom.* 2. *de relig. l.* 4. *cap.* 17. *n.* 3. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 1. *punct.* 7. *n.* 6. Castr. Palao *tom.* 3. *tract.* 14. *de Juramento disp.* 1. *punct.* 8. 4. Trullench. *l.* 2. *cap.* 1. *dub.* 12. *n.* 6. quo omnes congerit, & sequitur Leand. *tom.* 7. *tract.* 1. *disp.* 44. *q.* 2. *&* 3.

218. Quæres quintò: An qui jurat verum in judicio, seu in contractibus, sine animo jurandi, peccet mortaliter? Affirmat Sanch. *l.* 3. *cit. cap.* 7. *n.* 2. cum limitatione, scilicet: Dummmodo inde judicio, & contractui damnum sequatur, quod rarò contingere potest. Idem tenet Castr. Palao *proximè n.* 5. *vers. si verò*, cum eâdem limitatione, quoad contractus tantùm. Si autem quis juret verum sine animo jurandi extra judicium, & contractus, existimant Covarr. Cajet. & Amill. esse mortale, apud Leand. *cit.* Idem videntur sentire Sanch. Less. Bonac. quos refert, & sequitur Castr. Palao *cit. n.* 4. *&* 5. dum asserit, probabile esse, non esse peccatum mortale: Sed tantùm veniale: Ergo supponit cum prædictis D. D. probabilius, esse peccatum mortale. Et absolutè, esse tantùm veniale, existimat Leand. *ubi supra q.* 4. quia non fit gravis injuria Deo, neque homini; non Deo, qui estò si mutetur, adducitur inestem veritas: Non hominis, quia ut supponimus inde graviter non Lædítur.

219. Si illis obiicias: Externus cultus exhibitus Idolo, sine animo illum honorandi, est peccatum mortale: Sed juramentum externum est cultus exhibitus Deo, ad illum honorandum: Ergo si fiat, sine animo jurandi, erit semper peccatum mortale. Respondent, negando consequentiam; dispar ratio est; quia ille, qui externè tribuit cultum idolo, peccat graviter; quia tribuit materiæ indebitæ cultum, soli Deo debitum: Quod est blasphemum: At in juramento, sine animo jurandi, cultus non tribuitur illi simulationi: sicut ille, qui simulat recitare horas, eo tempore, quo non tenetur præcepto orandi; non enim ob simulationem censetur gravem Deo facere injuriam.

220. Hanc tamen sententiam non existimo comprehendi in 25. propositione ab Innocentio XI. damnata, ut minimum tanquam scandalosâ, in Conlit. *supra citata*, quæ sic habet: *Cum causâ licitum est jurare, sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis*; quæ licèt apud plures inveniatur, illorum tamen opiniones sunt improbabiles: At allatæ sententiæ non videntur damnatæ; quia docent esse illicitum jurare, sive verum, sive falsum, sive rem levem, sive gravem, sine animo jurandi: Ut ostensum remanet.

§. I.

An qui in judicio, vel actis, vel coram competente superiore, juravit ex justa causa amphibologicè, & æquivocè, incurrat casum reservatum.

221. Plures doctores docuerunt, data justa causa, licitum esse uti amphibologia, seu restrictione mentali juramento, absque mendacio, & perjurio; quia quoties licitum est uti restrictione mentali, toties licitum est etiam juramento uti. Ita Navarr. Angel. Sylvestr. Soar. Sanch. Valentia, Cardin. Tolet. Rodrig. Less. Salon. Philiare. Pezantius Filliuc. Regin. Stephan. Emoner. Dian. Bonac. Castr. Palao. Fagund. Acacius, Marchin. Candid. Sayr. Laym. Malett. quos citat., & sequutus fuit Leand. *part.* 7. *tract.* 1. *disp.* 45. *q.* 10. & alii quamplurimi.

222. Probant primò ex Christo Domino, qui *Joan.* 7. rogantibus, ut ascenderet ad diem festum, respondit: *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego non ascendo.* Et tamen postea, & ipse ascendit, ad diem festum, non manifestè, sed quasi in occulto. Unde apparet, priora verba fuisse dicta à Christo cum restrictione mentali, scilicet: *Ego non ascendo publicè, & palam*; quem sensum ea verba ex se non faciebant.

223. Secundò ex verbis ipsius Christi, *Marc.* 13. qui interrogatus à discipulis, de die judicii, respondit: *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.* Quod etiam verum esse non poterat, nisi cum restrictione mentali: *Non scit Filius, ut dicat.*

224. Tertiò, ex eo, quod refertur de S. Francisco, qui à judicis ministris rogatus, an illac quidam reus transisset; Sanctus manus vestis manicis introducens, respondit sic: *Non transit hac parte*, intelligens de loco, in quo manus habebat; quæ verba juxta intentionem mente retentam, verum habebant sensum, & aderat justa occultandæ veritatis causa.

225. Quartò probant ratione, quia verba externa materialiter se habent ad mendacium; nam mentiri est contra mentem ire: Ergo sive verba sint vera, sive falsa, si illa proferens, intendit se illis conformare, juxta retentionem, quam habet in mente, non erit mendacium. Confirmatur, quia si quis alta voce aliquid, quod ab omnibus astantibus perciperetur, diceret, quod, ut sonat, est falsum; & voce submissa ab aliis non perceptibili continuaret eandem propositionem, seu orationem, addendo id quo redderetur vera, non mentiretur, v. g. Si quis alta voce dicat: *Hodie nihil prorsus comedi*; & submissa, & imperceptibili, adderet: *ex carnibus*, quia tota propositio ore prolata est vera: Ergo idem etiam dicendum, si illud additum sola mente retineatur. Alia videri possunt apud D.D. citat. præsertim apud Sanch. *l.* 3. *cap.* 6. *d.* n. 15.

226. Si à prædictis D. D. inquiras, quænam sit justa causa, utendi amphibologiis, & æquivocationibus in juramentis? Respondent, esse necessitatem aut utilitatem corporis, aut honoris, aut rerum familiarium, vel cujuslibet alius virtutis actus; ita ut veritatis occultatio censeatur, tunc expediens, ac studiosa. Ita cum Navarr. Sanch. Bonac. Bassæus. Dian. Cast. Palao, quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 7. *disp.* 45. *q.* 5.

227. Verùm hæc sententia sustineri non potest,

test, nec est probabilis post Constit. *supra citat.* Sanctissimi D. N. Innocentii XI. in quâ damnavit, ut minimum tanquam scandalosas, has propositiones, quarum prima est. 26. & sic habet: *Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propriâ sponte, sive recreationis causâ, sive quocunque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se, aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab eâ, in quâ fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.* Altera verò, quæ est 27. sic est: *Causa justa his usendis amphibologiis est quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur, tunc expediens, & studiosa. sic propositiones damnatæ.*

228. Ex hac damnatione sequitur, tenendam esse oppositam sententiam in iis, in quibus non coincidit, cum prædictis damnatis propositionibus; quam ante dictam Constit. sequuti sunt. Palud. Sot. Cajet. Alcoze, Azor, Aragon. Petr. de Ledesm. Ludovic. Lopes, Raphael dela Torre, Malder. Sylvius Rebel. Laym. Ægid. Coninch, Cardin. de Lug. Ripald. Thom. Hurtad. Pradus; quos omnes citat. Leand. *dicto tom. 7. tract. 1. disp. 45. q. 10.* & alii. Quibus addo Arriag. *tom. 5. de fide disp. 1. à n. 75.* Ballæus *in Summ. Verb. Juramentum 3. n. 10.* Ut verò hæc sententia explicetur juxta veram doctrinam, per propositiones oppositas damnatis.

229. Supponendum est primò, in dictis propositionibus damnatis, restrictionem mentalem juramento firmatam, pro mendacio, & perjurio damnari. Et cùm mendacium sit intrinsecè malum, ut omnes fatemur, ob nullam necessitatem, aut utilitatem corporis; honoris, aut rerum familiarium &c. honestari potest.

230. Suppono secundò, restrictionem mentalem esse duplicem: una dicitur purè mentalis, quando significatio verborum limitatur solùm per id, quod mente concipitur. Exemplum, sit: si tibi, de homine innoxio, qui forte præterit, alter dicat: *iste est homicida*, intra mentem concipiendo; *homicidam esse, si aliquem innocentem injustè occidit.* Altera est non purè mentalis, quæ datur, quando significatio verborum, non solùm limitatur per id, quod mente concipitur, sed additur aliquid exterius, quod sit limitativum, & simul significativum illius, quod mente concipitur. Exemplum, si S. Franciscus, dicens ministris judicis, à quibus interrogabatur, an reus illac transisset? Respondit, non transisse hâc parte, quâ manus habebat; quod ita erat in mente retentum ex actione externâ manifestatum; quamvis à judicis ministris non assecutum. Et sic cohærebat responsio externa, cum eo omni, quod habebat in mente. His suppositis.

231. Dico primò: Restrictio purè mentalis, non est licita. Ita docent Cardin. de Lug. *de fide disp. 4. sect. 5.* quem citat, & sequitur Lumbier *in notitia propos. ab Innocent. damnat. n.* 1833. Idem tenet Laym. *l. 4. tract. 3. cap. 13. n. 7. vers. Interim verò.* Et expressius Ægid. Coninch. *de actibus supernis disp. 10. dub. 3. n. 41.* Arriao. *tom. 5. de fide n. 75. & 76.* Azor. *part. 1. l. 11. cap. 4. q. 5.* Bipald. *de fide disp. 4 n. 68. apud* Leand. *cit.* & alii; qui omnes sequuntur sententiam non damnatam.

232. Quòd verò restrictio purè mentalis, sit illicita, ostenditur; quia dicere verum, consistit in eo, quòd verba externa conformentur cum eo, quod est in mente: Sed in restrictione purè mentali, non datur conformitas externorum verborum cum eo, quod est in mente: Ergo cùm sit mendacium, est illicitum. Major patet, quia sicut est mendacium dictis, seu verbis ire contra id, quod est in mente, juxta illud: *Mentiri est verbis contra mentem ire*; sic etiam veritas est conformitas verborum externorum, cum illis, quæ dantur in mente. Minor probatur, quia dicere absolutè verbis: *iste est homicida*, opponitur eis, quæ sunt in mente: Nempe *si aliquem innocentem occidit*; quia conditio, quæ datur in mente, non datur in verbis, quæ proferuntur; quæ sensum habent absolutum: Ergo cùm non detur conformitas verborum externorum cum eo, quod est in mente, quando datur restrictio purè mentalis, datur mendacium quod est illicitum, sive detur causa sive non.

233. Dico secundò: Restrictio non purè mentalis non est illicita cum causa. Sic D. D. *proximè locis cit.* & Sylvest. *in summ. verb. mendacium q. 6.* Lezan. *in q. q. Regul. tom. 3. verb. Juramentum quoad Regul. n. 11. prope finem.* Ratio est, quia cohæret cum significatione locutionis externæ; & in externâ locutione explicitè significatur: Nam verba: *non transisse viam hâc parte* nempe per manicam; non opponuntur illis quæ sanctus habebat in mente; imo quæ habebat in mente, complent significationem locutionis, & signi externi, & in externa locutione explicitè significantur. Quare in hac restrictione, non datur mendacium: Quia verba, & actiones externæ, cum internis conformantur. Quod verò audientes decipiantur, non provenit, ex intentione loquentis, qui non intendebat decipere, sed ex insciti audientium, qui verba prolata non intellexerunt in eo sensu, quo fuerunt prolata. Hoc autem non tenetur loquens vitare, cùm ex causa illa protulit verba, ut constat, ex adducto exemplo, & tenent prædicti D. D. Causæ autem ad hanc restrictionem sunt sufficientes illæ, quæ ad aliam purè mentalem prodesse nequeunt; quæ fuerunt relatæ *supra n. 227.*

234. Dico tertiò: Propositio *supra 26.* & amphibologia, solùm est damnata, in restrictione purè mentali, pro mendacio, & perjurio, si juramento fuit firmata. Probatur ex ipsâ damnata propositione, in quâ dicitur; quòd revera non mentitur, nec est perjurus, qui jurat, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, ex restrictione purè mentali, scilicet: intelligendo intra se, aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam, ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum: ergo solùm loquitur de restrictione purè mentali, quæ nullo modo conformatur cum eo, quod verba externa exprimunt, & significant. Probatur secundò; quia ex Authoribus, à quibus fuit delumpta prædicta propositio, constat, illos illam restrictionem purè mentalem admittere, non verò illos, qui oppositam sententiam defendunt.

235. Dico quartò: In eo sensu, in quo S. Pontifex damnat restrictionem purè mentalem, in dictâ propositione 26. damnat etiam propositionem 27. in quâ designantur causæ ad illam justificandam, & à mendacio absolvendam. Quia nulla potest dari causa justa, quamvis sit omnium gravissima, ob quam mendacium sit licitum. Quia tamen, in restrictione mentali non purâ, non datur mendacium; quia proferuntur verba in eo sensu, quem habent; quia tamen ex illis accipitur decipiendi occasio; ex causæ, quæ ad restrictionem purè mentalem concernunt, hic damnantur; & ad restrictio-

nem non purè mentalem erunt justæ & sufficientes, ut tenet Cardin. de Lug. *ubi supra n. 69.* quia nec est mendacium, nec tanquam mendacium damnatur.

236. Objicies: Ex amphibologiis, & æquivocationibus, ex restrictione non purâ mentali, sequuntur eadem incommoda contra humanum commercium, & fidem humanam, quæ sequuntur ex restrictione purè mentali: ergo si hæc, ut mendacium damnatur, & si juramento firmetur, ut perjurium; etiam illa damnatur. Respondeo, distinguendo antecedens: sequuntur ex æquivocationibus ex restrictione non purè mentali eadem incommoda, quæ sequuntur ex restrictione purè mentali per se, negando antecedens; per accidens, concedo. Per se autem, ea incommoda sequuntur ex ignorantiâ auditoris, qui negligenter sensum verborum examinavit, & noluit vexari, in eo penetrando, & intelligendo: loquens verò satisfacit, conformando verba externa, cum suâ mente; nec tenetur partes etiam auditoris suscipere. Unde si decipitur, suæ ignorantiæ, & insciliæ imputet. Ad consequentiam respondeo, restrictionem purè mentalem damnari; ut mendacium, non verò restrictionem non purè mentalem, propter rationem *supra allatam.*

237. Instabis: Qui utitur amphibologiis, seu æquivocationibus cum restrictione non purè mentali, illis utitur, ad occultandam veritatem, ut contingit in D. Francisco: sed uti æquivocatione, etiam cum restrictione non purè mentali, ad aliquem decipiendum, vel ad occultandam veritatem, est illicitum: ergo. Respondeo, illum, qui utitur verbis æquivocis, illis uti, non ad decipiendum: desiderat tamen, quòd audiens, non percipiat verum sensum verborum, quem intendit significare, sed alium diversum. Et ut uno verbo dicam: Intendit manifestationem activam, hoc est ponere verba, quæ de se possunt manifestare verum sensum; non tamen vult manifestationem passivam, hoc est quòd audiens veniat, in notitiam suæ mentis; quam per voces significat; ad hoc autem desiderium, justam causam habet, ut supponimus; & cum hoc desiderio, potest stare voluntas, se manifestandi activè, ut diximus.

§. II.

Resolutio quæstionis in titulo propositæ.

238. EX dictis *sub* §. *præcedente* sequitur primò, quid sit respondendum ad quæstionem propositam de eo, qui juravit in legitimo judicio, utendo ex justâ causâ, amphibologiis, & æquivocationibus cum restrictione purè mentali: Dicendum enim est, incurrisse reservatum; quia sic jurans, mentitus fuit, & perjurus. Ita tenentur, dicere omnes illi, qui asserunt non esse licitam amphibologiam in vocibus, cum restrictione in mente retentâ; quos supra citavimus *n.* 228. quia *ut n. sequenti* notavimus, nec cum causa, id est licitum; quia est mendacium, & juramento firmatum, est perjurium.

239. Secundò sequitur, non habere casum reservatum reum, qui interrogatus à judice de crimine omnino occulto, quod verè fecit, respondet, se illud non commisisse. Ratio est, quia cùm judex solùm habeat potestatem interrogandi de criminibus, aliquo modo, in judicio probatis; aut de quibus reus sufficienter est infamatus; sine mendacio, & perjurio respondet, se illud crimen non commisisse; quia judex, ut judex non interrogat de omnino occultis. Ita Ægid. Coninch. *de sacrib. supernat. disp.* 10. *dub.* 3. *n.* 51 *in fine* Arriag. *cit. n.* 76. *post medium.* Idem dicendum, si ob circunstantiam, ab omni culpâ sit immunis; quia potest juratus, negare se illud crimen commisisse, intelligendo eo modo, ac fine, quo à judice interrogatur: Exemplum sit primum in eo, qui hominem, per inculpatam ignorantiam, pro fera occidit. Secundum in eo, qui, in justam compensationem debiti, rem alienam subtraxit. Ita cum aliis Laym. *l.* 4. *tract.* 3. *cap.* 14. *n.* 8. Arriag. *proximè.*

240. Tertiò sequitur illum, qui interrogatur de aliquo, quod sub secreto scit, vel non licet, ut alicui manifestetur, posse juxta mentem ipsius interrogantis, (quam hîc & nunc habet, vel habere debet) illi sine mendacio dicere, se id nescire; quia ratione circunstantiarum, intelligitur, ut tibi possit dicere; quia non scit ea ratione, qua interrogatur. Ita Ægid. Coninch. *cit. n.* 52. Arriag. *citatus dicto n.* 76.

241. Quartò sequitur, habere casum reservatum illum, qui ne propalaret crimen occultum, quod commisit, faciendo se promovere ad Magistratum, vel officium publicum, mediante commendatione, vel munere, præstitit juramentum, cum restrictione mentali coram Regis ministris, se iis mediis non fuisse promotum; quia fuit perjurus. Nec restrictio mentalis, ab eo perjurio, illum liberat: quia ut *supra* ostendimus, verba externa, non conformantur cum eo, quod in mente habebat: in illa enim concipiebat, se mediante commendatione, vel munere promotum fuisse, ad Magistratum, vel officium: verba autem externa oppositum significabant: ergo unam orationem completam non poterant componere; quod necessarium erat, ut non daretur mendacium, & perjurium. Nec restrictio mentalis, *ut tibi dicam*, aliquid operatur, quia in eadem mente habet id, quod in re datur, cum quo verba externa debent conformari: habet enim in mente judicium absolutum, quòd fuit promotus mediante munere: ergo verba externa, ut dicatur verum debent conformari cum illo judicio absoluto, & non cum alio, quod verbis non manifestatur.

242. Unde Sanctissimus D. N. Innocentius XI. hanc, quæ inter alias est 28. damnavit propositionem, ut minimum tanquam scandalosam, & sic est: *Qui mediante commendatione, vel munere, ad Magistratum, vel officium publicum, promotus est, poterit cum restrictione mentali, præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu, ad intentionem exigentis*[1], *quia non tenetur fateri crimen occultum*; quæ damnatio est sequela necessaria ex præcedente propositione 27. damnata.

243. Dices: Si quis interrogatus à judice, de crimine omnino occulto, quod revera fecit, sine mendacio, & perjurio respondet; se illud non commisisse, ut *supra* diximus: ergo etiam qui interrogatur, de crimine omnino occulto, nempe: de commendatione, vel munere, quo ad officium fuit promotus, si neget cum juramento, nec mendacium, nec perjurium committet. Respondeo, negando consequentiam, diversa ratio est, quia in primo casu, respondet eo modo, & fine, quo à judice interrogatur, qui ut judex, solùm intendit interrogare de illis, quæ in iis circunstantiis, in-

terrogare

terrogare potest; at in secundo casu, cum ille, qui interrogat nomine Regis exprimat suam intentionem, dicendo se interrogare: an si mediante commendatione, vel munere ad officium promotus fuerit; quamvis hoc sit omnino occultum, mendacium committit, negando veritatem; & si juramento confirmetur, perjurium; quia verba externa, non conformantur cum eo, quod est in mente; etiam si restrictione mentali utatur. Et hoc patet; nam licèt interrogatus injustè, non teneatur semper respondere, ad intentionem interrogantis, sed posse per ambiguitatem sermonis, secretum, seu occultum celare; debet tamen verbis significantibus uti, quæ in aliquo sensu, apud vulgus, aut apud sapientes, vera sint; aliàs mentitur, & si juramento id firmetur, est perjurium, quod nunquam est licitum. Unde nunquam sufficit restrictio mentalis, nisi externè verbis, aut signis manifestetur.

244. Ex hoc, & supra dictis constat, committere mendacium illum, qui petenti mutuò pecunias, vel librum commodatò, respondet, se illa non habere, mente intelligendo: *ut tibi mutuem, aut commodem*, quia hoc non est æquivocatio, sed mendacium; quia tum per intentionem interrogantis, tum per alias circumstantias, verba satis determinantur, se non habere pecunias, quas possis mutuare, aut librum, quem possis commodare. Ita cum vera sententia tenet Laym. *ubi supra n.* 8. *vers. At verò.*

245. Scio post prædictam Constit. Lumbiei, *ubi supra n.* 1845. oppositum docere: quia mercatores, per circumstantiam externam consuetudinis, quando nolunt mutuare; dicunt, se pecunias non tenere; & cùm detur externum significativum, cum quo verba externa eandem orationem componant; nec datur mendacium, nec perjurium, si juramento mendacium confirmetur.

246. Hoc autem mihi videtur difficilè, quia verba externa non confirmantur cum eo, quod est in mente; quia: *non habere pecunias*, quæ sunt verba externa, per consuetudinem, non significant: *nolle mutuare*; quia ea consuetudo, solùm à mendaciis, potest habere eam significationem externam. Supersedeo aliis sequelis, quæ ex tradita doctrina colliguntur; illæ videri possunt apud D. D. qui propositiones non damnatas, imò oppositas defendunt, quos *supra citavimus n.* 228.

§. III.

Solvuntur fundamenta initio primi §. proposita.

247. NEc fundamenta *à n.* 222. proposita, oppositum suadent: non primum Joan. 7. de ascensu Jerosolymitano. Respondeo enim cum communi D.D. sensum priorum verborum esse juxta mentem petentium: petebant enim cognati, ut Christus ascenderet palam, dicebant: *Transi hinc, ut & discipuli tui videant opera tua, quæ facis: Nemo quippe in occulto quid facit &c.* Et Christus, in eodem sensu, respondit, se non ascendere; quæ non est restrictio mentis, sed responsio juxta sensum à rogantibus intentum; petebant, ut ascenderet manifestè; quod negavit, & ascendit occultè, quod non fuit petitum.

248. Ad secundum deductum ex Marc. 13. de interrogatione factà à discipulis de die judicii: Respondetur, responsionem à Christo datam, non fuisse cum restrictione mentali, de qua loquimur; sed juxta sensum verum, quem voces habebant: nam qui interrogatur de re aliqua, solùm rogatur de notitia, quam interrogatus communicare potest; at Christus non poterat communicare notitiam de die judicii; quia illam, ut homo, secretò acceperat.

249. Ad tertium, patet responsio ex dictis *supra n.* 230. Ad quartum patet etiam solutio ex ratione pro vera sententia *n.* 232. Ad confirmationem dicendum est, si illa, quæ submissa voce adduntur, non possunt percipi à stantibus, reddunt orationem mendacem, quia loquens tenetur uti vocibus, & signis perceptibilibus, ut auditores, cum quibus loquitur, possint, ex illis intelligere, & percipere, quod loquatur: Si verò non intelligant, vel percipiant, sibi imputent: At si additum sit per se imperceptibile; idem est, ac si non adderetur; & cum oratio eadem maneat, ac si illud non adderetur, manet falsa; quia non conformatur cum eo, quod est in mente.

SECTIO XI.

Quid contineatur sub his verbis reservationis: Decimæ non solutæ, quæ excedant valorem quinque argenteorum?

250. DEcimus casus, in hâc Diœcesi reservatus sunt decimæ non solutæ, quæ excedant quantitatem quinque argenteorum, vulgò, *dous sostoens*. Dicitur tamen in Constit. *lib* 1. *tit.* 10. *decret.* 7. §. 4. posse pœnitentes à confessario absolvi, si ante confessionem integrè satisfecerint; si verò non excedant eam quantitatem, quamvis à confessariis possint absolvi; quia non est reservatum, id tamen non facient, quin prius pœnitentes moneant, ut personam, cui debetur, certiorem faciant; vel debitum, per aliam viam solvant; quòd si aliter confessarius absolvat, ipso facto excommunicationem incurrat, à qua sine Prælati, vel Provisoris Licentiâ, ab alio sacerdote absolvi non poterit.

251. Ad hujus explicationem, præmittendum est, decimas dividi in prædiales, personales, & mixtas; prædialis est, quæ provenit ex fructibus terræ, agrorum, arborum, locationis domorum, & similium. Personalis dicitur, quæ provenit ex industriâ personæ, scilicet, ex negotiatione, piscatione, venatione, aut ex alio hominis artificio. Mixta provenit ex animalibus, putà: ex fœtu, lanâ, lacte, butyro, & similibus. Circa solutionem decimarum, standum est consuetudine loci particularis, in quo fit solutio, & juxta illam persolvi debent. Sic D. D. communiter, quos citant, & sequuntur Fagund. *in* 5. *Eccles. præcept. l.* 1. *cap.* 2. Leand. *tom.* 3. *tract.* 6. *disp.* 7. *q.* 13. *&* 14. Lezan. *in q. q. Regul. tom.* 4. *verb. Decima n.* 1. His animadversis.

252. Dico primò: Non habet casum reservatum primò, qui non peccavit mortaliter, in retentione decimarum, si habet propositum solvendi, quam primum poterit. Secundò, qui, etsi peccaret mortaliter, antequam accedit ad confessionem, jam satisfecit, vel se cum parte se composuit. Sic Abreus de Paroch *lib.* 10. *n.* 350. & apud illum Molin. Henriq. Bonacin. Emmanuel Laurentius

Soar. Rebell. quibus addo Fragos. *tom.* 2. *lib.* 8. *disp.* 19. §. 3. *n.* 6. Tertiò, non habet reservatum, impotens ad solvendum. Ita Fragos. *proximè*, & apud illum Molin. *tom.* 2. *de just. in posteriori parte disp.* 756. *ad finem.* Henriq. *lib.* 13. *de excomm. cap.* 28. *num.* 1. *in Comment. Lit. R.* Ferdinand. Peres primarius Theologiæ professor in Academiâ Ebornensi *in manu script.* §. 25. Addit Henriq. *citat. n.* 4. *in principio*, quando conceditur facultas absolvendi delegato; & exprimitur, ne impendat absolutionem, nisi præmissa integra, & reali satisfactione, posse illam impendere, quando reus satisfacere, non potest: Ergo etiam impotenti ad solvendas decimas præstanda erit absolutio. Recole tamen *infra dicenda à n.* 272. *& supra disp.* 17. *à n.* 14. *pro fine.*

253. Quartò, non habet casum reservatum, qui habet primitias non solutas, etiamsi excedant designatam quantitatem; quia reservatio exprimit tantùm decimas, & non primitias; & cum decimæ sint quid diversum à primitiis, reservatio, utpote odiosa, & restrictiva jurisdictionis ordinariæ, ad primitias non est extendenda. Quod sint quid diversum, patet; quia nomine, *decimæ* intelligitur: quota bonorum debita Ecclesiæ ministris in ipsorum subsidium, ut docet ex Hostiens. Alexand. Thusi. Azor & aliis Bonac. *tom.* 2. *disp. ult. de præcept. Eccles. q.* 5. *punct.* 1. *n.* 1. Primitiæ verò sunt primi fructus agrorum, & arborum, juxta illud Deutoron. 29. *Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo.* Unde Less. *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 6. *n.* 30. infert, primitias distingui à decimis; nam illæ sunt primi fructus, qui Deo offeruntur in gratiarum actionem pro frugibus terræ; & hæ dantur sacerdotibus in stipendium sustentationis, ob ministerium Spirituale. Et ita etiam sentit Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 3. *singul.* 7. *per totum*, & Lezan. *supra dict. n.* 1.

254. Dico Secundò: Habet casum reservatum primò ille, qui retinet summam excedentem assignatam quantitatem, & cùm possit restituere, non restituit. Secundò, habet casum reservatum ille, qui deducit expensas factas in colligendis fructibus, vel pascendis, & nutriendis animalibus; vel extrahit semen terræ mandatum. Ita Fagund. *in* 5. *Eccles. præcept. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 6. & Leand. 3. *part. disp.* 4. *q.* 26. *&* 27. Abreus *de Parosh. lib.* 10. 350. & alii communiter quos citant. Secus dicendum, si decimæ sint personales, ut ex piscatione, vel venatione; nam ex his deducendæ sunt expensæ, in illis factæ; ut docent Fagund. *cit. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 20. Leand. *ubi supra disp.* 2. *q.* 21. Constitutiones tamen has decimas numerant inter mixtas, & juxta illas, deduci non debent expensæ. Unde illas, *lib.* 2. *tit.* 4. *decret.* 1. *in principio*: At sententia opposita cùm sit probabilis; si expensas deducant, reservatum non habent, illas extrahentes.

255. Tertiò, non incurrit peccatum reservatum ille, qui non pertingit ad quantitatem designatam. Etsi proponat quam primum solvere, est absolvendus; quia non habet casum reservatum; quamvis enim in Constit. *loco supra citat.* statuatur, ut prius solvat, quàm absolvatur, non tollit à confessario potestatem absolvendi. Unde si habet justam causam differendi solutionem, juxta regulas restitutionis, est absolvendus; secus dicendum, si illam non habeat. Ita Abreus *citat.*

256. Dico tertiò: Habet casum reservatum ille, qui per minuta pervenit ad eam quantitatem, quæ excedat designatam quinque argenteorum; sive ea quantitas, quæ usurpatur ex decimis, debeatur eidem, seu diversis Ecclesiis. Sic absolutè, & sine alia distinctione tenet Abreus *ubi supra.* Quia tamen circa furta minuta, habetur in Constit. Innocentii XI. *sectione præcedenti cit.* Hæc propositio damnata, quæ inter alias est 38. *Non tenetur quis sub pœnâ peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis*; examinandum est, in quo sensu procedat reservatio istius casus; cui ut satisfaciam, sub sequenti titulo jam expono.

§. I.

An per furta minuta, circa decimas, reservatum incurratur.

257. PRima conclusio: Non est peccatum reservatum, quando per ultimum minutum, ex decimis usurpatum, exceditur quantitas assignata, quando ipsum ultimum furtum factum fuit, cum ignorantia, vel inadvertentia furtorum præcedentium. Ratio est, quia in materia furti, per illud ultimum furtum minutum cum dicta ignorantia, & inadvertentia, non committitur peccatum mortale; ut videre est apud Moyam. *in q. q. select. tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 4. *q.* 4. *n.* 2. An verò committatur in retentione, *infra* dicendum.

258. Secunda: Certum est, committi reservatum, quando usurpans decimas, intendit per illa modica furta, pervenire ad magam quantitatem, & de facto excedit & retinet designatam; quia omnes D. D. conveniunt, hæc furta uniri, & constituere peccatum mortale; & per consequens reservatum. Sic Sanch. *l.* 7. *decal. cap.* 21. *n.* 6. Soar. Valentia Sot. Petr. de Ledesm. Salas, Luis Lopes, quos refert, & sequitur Moya. *proximè citatus n.* 8. Ratio est, quia per illa modica furta, grave damnum infertur scienter, & cum perfecta libertate: ergo cùm sit peccatum mortale, & detur excessus, supra quantitatem designatam, erit reservatum.

259. Tertia: Existimant mox citandi, non committi peccatum mortale ab usurpante, quando illa furta minima procedunt à voluntate intercisa; quia scilicet, usurpans primum minutum, non intendit usurpare secundum, & dum furatur secundum non intendit usurpare tertium, & sic de cæteris, donec pervenit ad ultimum complementum; quo tunc advertit, compleri, & perfici magnam quantitatem. Ita Navarr. Tolet. Berarducius. Veg. Graff. Carbon. Less. & probabile dicunt. Filliuc. Rodrig. Sall. quos refert & sequitur Dian. 1. *part. tract.* 6. *resol.* 34.

260. Hanc sententiam intelligunt hi Authores, de injustâ acceptione, & non omnes de injustâ retentione. Probant; & præsertim Berarducius: quia dum homo furatur illud parum, non intendit furari majus, nec alio tempore: ergo quantumcunque reiteret hujusmodi furta, non committit peccatum mortale, sed tantùm venialia: ergo sicut ex multis venialibus non consurgit mortale, ita etiam ex hujusmodi furtis, voluntate intercisa commissis; cùm ad complementum ultimum pervenitur, non fiet unum mortale.

261. Qui eandem sententiam intelligunt, de injusta retentione, existimant, non teneri, sic usurpantem perveniendo ad quantitatem gravem, sub mortali ad restitutionem; quia solùm venialiter peccavit,

cavit, sic usurpando: ergo etiam sub veniali ad restitutionem tenetur. Ita expressè Navarr. & Berarducius, & illis favent Sa, & Dian. *cit.* & eidem docet de Religiosis furantibus res monasterii, Fernand. omnes apud Moyam *citat. n.* 2.

262. Hæc tamen sententia quoad acceptionem, & retentionem, est improbabilis: quia quoad retentionem, & acceptionem, est eadem, quam damnavit Innocentius XI. Ostenditur primò, quia hæc sententia asserit, non esse restituendam quantitatem gravem, ad quam quis pervenit, per furta minima, quod asserit propositio damnata; ibi: *non tenetur quis sub pœnâ peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.* Secundò, quia ante hanc Constit. etiam, ut improbabilis habebatur à Sanch. *l. 7. decal. cap. 21. n. 3.* Moya *in q. q. select. tom. 1. tract. 6. disp. 4. q. 4. n. 3.* Dicastill. *tom. 2. de just. l. 2. tract. 2. disp. 9. dub. 3.* & ab aliis, qui communiter oppositam defendunt, quos refert Dian. *cit. supra*; & non solùm quoad retentionem, sed etiam quoad acceptionem, dum fur advertit ad ultimum complementum.

263. Sententiam, quam dicimus improbabilem, & damnatam à S. Pontifice, temperant alii; ut habeat locum, quando quantitas usurpata extaret, vel ex illa usurpans factus sit ditior; etiam non extet, nec ex illa fur factus sit ditior; nec peccatum mortale committit, nec tenetur ad restitutionem, sub peccato mortali: quia nec tenetur ratione rei acceptæ, cùm non extet, nec ratione injustæ acceptionis, cum gravis culpa non intervenerit. Sic Dian. *citat. diff. part. 1. tract. 6. resol. 34. vers. sed non obstantibus*, citans Lorcam, Granad. sed malè, ut ostendit Moya *n. 4. & 5.*

264. Hæc tamen sententia Dianæ, & cujuscumque sit authoris, admittenda non est; quia obligatio restituendi, per minuta furta contracta, & perseverans, punitur cum obligatione restituendi ex ultimo furto resultante: ergo utraque constituitur obligatio restituendi gravem quantitatem; sive ergo perseveret quantitas usurpata, sive non, sub mortali tenetur usurpans, ad restitutionem.

265. Alii, alia via procedunt; asserunt enim ultimum furtum quantitatis levis, qua gravis completur, ut procedit à voluntate formali, usurpandi quantitatem levem, non esse peccatum mortale; secus si procedat à voluntate implicita retinendi quantitatem gravem, ex hac levi, & præcedentibus, coalescentem; quia cùm sit gravis, sub mortali tenetur usurpans illam restituere. Ita Less. *l. 2. de just. cap. 12. dub. 8.* Sayr. *l. 2. cap. 13. n. 19.* Vasq. *tom. 2. disp. 146. cap. 2.* & alii.

266. Sed nec etiam cum ista limitatione placet sententia prædicta, quia per illam non evitantur absurda, quæ sine hac limitatione, sequuntur. Ratio est, quia si peccatum mortale non consistit in furto levi, quo quantitas gravis cognoscitur completi sed in voluntate retinendi quantitatem gravem, sequeretur hominem pauperrimum, qui non habet, unde restituat quantitates decimarum leves, præcedentibus furtis, ablatas, non peccaturum mortaliter in ultimo furto levi, quo completur quantitas gravis; quia furtum est leve, & non retinet aliud; & sic poterit inferre grave damnum, cum plena libertate, & sine peccato mortali, & obligatione restituendi, quod est absurdum, ut cum Dicastill. notat Moya *ubi supra n. 7.*

267. An verò hi modi limitandi prædictam sententiam sint etiam damnati? Affirmat Lumbier *in notitiâ propos. damnat. ab Innocentio XI. num. 1900. fol. 1170.* Et ita videtur sentiendum, ut patet ex verbis propositionis damnatæ, quæ videntur cohærere cum doctrinâ hujus sententiæ, etiam Limitatæ; quamvis id expressè non appareat, & dici possit, solùm damnare sententiam absque his temperamentis. Cùm tamen sine illis illam docuerit Berarducius *in summ. 1. q. cap. 1. num. 28.* apud Navarr. *in sua Gallic. cap. 10. q. 10. pag. 219.* his verbis: *Si actus furandi procedunt à voluntate intercisa, hoc est, dum homo furatur illud parvum, non intendit furari majus, nec alio tempore; & de novo postea subvenit alia occasio furandi; tunc quantumcunque reiteret hujusmodi furta conditionata, semper est venialis, nec tenetur de necessitate salutis restituere illa.* Et in his terminis absque dubio videatur damnata, etiam prædictæ damnatæ videntur. Adverte P. Banori, quamvis Berarducii sententiam retulisset, non illam docuit, ut non rectè aliqui existimarunt.

268. Quapropter tenenda est sententia quæ docet peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem illum, qui ultimum furtum committit leve, quo completur quantitas gravis ratione damni gravis proximo, aut decimis, illati. Ita D. D. communiter Soar. Valent. Azor. Rebell. Sot. Pode Ledesm. Sanch. & alii, quos citat, & sequitur. Moya *ubi supra n.* 8.

269. Ex hâc sententia sequitur, habere casum reservatum illum, qui ultimo furto minuto, cognoscit excedere quantitatem, à reservatione designatam; & dum non restituit, non potest à confessario absolvi. Adverto tamen cum communi, & verâ sententiâ, ab obligatione restituendi sub mortali liberari, qui levem quantitatem, gravem complentem, restitueret. Ita Bauny, Sanch. Vasq. Alcocer Rebell. Sayr. Bassæus, Dian. Fagund. Megal. Aragon. Machad. Hurtad. Acatius de Velasco Regin. Molin. Granad. Card. de Lug. quos refert, & sequitur Moya *dict. tract. 6. disp. 4. q. 4. n. 13.* Et si restituendo ultimum furtum, quo completur quantitas gravis, liberatur quis à restitutione, ad quam tenebatur, sub peccato mortali, ob quantitatem gravem; ita etiam liberatur à reservatione ille, qui ex decimis minutis ablatis, restituit illum excessum, quo fuit completa reservatio.

270. An sicut furta minima filiorum, aut religiosorum, aut ancillarum in esculentis non pretiosis, non continuantur ad culpam gravem, ut docent Sanch. *l. 7. decal. cap. 21. n. 31.* Dian. *1. part. tract. 6. resol. 35.* Moya *cit. n. 14.* Ita etiam non continuentur in retentione decimarum, v. g. in fructibus, qui ex arboribus, & vineis comeduntur? Respondeo, non continuari; quia ex consuetudine, quæ ita ex arboribus, & vineis colliguntur, ut comedantur, non solet, decima solvi; si tamen in aliquibus locis in contrarium vigeat consuetudo, observanda est.

§. II.

Progreditur explicatio ejusdem casus reservati.

271. Dico quartò: An innodetur reservatione hujus casus ille; qui retinet decimas excedentes assignatam quantitatem quinque argenteorum, hoc est *de duos testoens*, ex eo quòd opprimitur gravi necessitate; quia non habet necessaria ad sui, & suorum congruam sustentationem. Respondeo, plures affirmare, non innodari, quia exi-

existimant, hos non teneri ad solvendas decimas. Eos citat, & sequitur Leand. *tom. 3. tract. 6. disp. 6. q. 28.* Addit tamen cum Trullench, hanc opinionem rarissimè, & cum sapientum consilio esse praticandam, propter periculum abusus; & ex eo, quòd omnes se fingerent pauperes cum maximâ jacturâ Ecclesiarum. Probant hi authores, quia non est credibile, piam matrem Ecclesiam velle cum tanto rigore obligare pauperes ad solvendas decimas; ut ex rebus sibi moraliter necessariis, illas solvere teneantur, & postea illas mendicatò postulare, cogantur: tenetur enim quisque se prius alere, quàm alium.

272. Hæc tamen sententia mihi non videtur sustinenda; quia Sanctissimus D. N. Innocentius XI. in sua Constit. *præcedente sectione citatâ* hanc damnavit propositionem, ut minimum tanquam scandalosam: *Permissum est furari, non solum in extremâ necessitate, sed etiam in gravi*; quæ ex damnatis est. 36. sed retinere decimas in gravi necessitate, est furari. Quod ostendo ex Vasq. 1. 2. *disp. 75. cap. 3. n. 14.* ibi: *Perinde est detinere rem alienam, & usurpare: nam detentio nihil aliud est, quam usurpatio quadam continuata, imo usurpatio, ideo est mala, quia ordinatur ad retentionem.* Idem tenet *q. 72. art. 6. n. 21.* ubi inquit: *Retentio enim quadam usurpatio est* &c. Idem cum D. Thom. tenet Moya *tom. 1. q. q. select. tract. 6. disp. 4. q. 4. n. 10.* ergo si juxta Constit. prædictam, non licet in gravi necessitate usurpare; nec etiam licebit cum eadem gravi necessitate, retinere decimas.

273. Secundò: quia ea tantùm paupertas excusat à solutione decimarum, quæ est tanta, quòd si decimæ solverentur, perirent, illas solventes: ut sæpius in Rotâ fuit decisum; sic in una Urbitanens. Decimarum 25. Juni 1618. coram D. Card. Pamphilio, apud Tamborin. *de jure Abbat. tom. 1. disp. 15. q. 18. n. 51.* & in una Versellens. Decimarum, coram R. P. D. Cerro 15. Januarii 1646. apud Dian. *in fine part. 8.* & D. D. communiter. Tambor. *citat.* & apud ipsum, & Dian. *loco citat.* asseruntur Joann. Andr. Abb. Rebuff. Francisc. Marc. Monet Quibus addo Riccium, Machad. & alios apud Leand. supra, Fagund. *in præcept. 5. Eccles. l. 2. cap. 3. n. 1.* & apud illum D. Thom. Sylvestr. Cajet. & Panormitanus: si ergo requiritur extrema necessitas tantùm, ut quis à decimis solvendis excusetur, gravis non sufficit, ac proinde in ea decimas usurpans & retinens à reservatione non eximitur.

274. Dico quintò: Qui habent decimas non solutas, præter reservationem; ex ipso jure communi non sunt, ipso facto, excommunicati. Sic D. D. communiter, Fagund. *proximè l. 3. cap. 6. n. 3.* Barbos. *in Trid. sess. 25. cap. 12. de reform. n. 4.* Leand. *ubi supra tract. 6. disp. 2. q. 35.* sunt tamen in hac Diœcesi ipso facto excommunicati; sic habetur *in Constit. l. 2 tit. 4. decret. 1. §. 1.* Alia fulminatur excommunicatio sed non ipso facto, *decret. 3. §. 1. in principio*; sed cùm prædicta sit ipso facto, & omnes, quascunque decimas non solventes, comprehendat; omnes, illam non ignorantes, incurrunt.

275. Dico sextò: Reservatio hujus casus videtur esse prohibita à S. Congreg. de mandato Clementis VIII. anno 1602. die 26. Novembris, cujus decretum, seu litteræ, de verbo ad verbum habentur apud Barbos. *de potest. Episcop. part. 3. allegat. 50. n. 288.* & summatim *in collectaneis ad Trid. sess. 14. cap. 7. de casuum reservatione n. 7.* & apud Quaranta, & Nald. *verb. casus reservatus*, de quo, in hac disp. aliis in locis, meminimus. Quæ prohibitio scilicet, ne reservetur, fit his verbis: *Neque casus in quibus absolutio, nisi cum restitutione, vel executione eorum, ad quæ pœnitentes tenentur, non confertur.* Sed absolutio non confertur illis, qui retinent decimas, nisi prius solvantur; ut statuitur *in Concil. Trid. sess. 25. cap. 12. de reformat.* ibi: *Qui decimas subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur*; nec ab hoc crimine, nisi plenâ *restitutione secuta, absolvantur.* Ex quibus verbis, hoc peccatum retentionis decimarum, non censetur reservatum, ut tenent Molin. *tom. 3. disp. 756. n. 4.* Frag. *tom. 2. disp. 19. §. 3. n. 6.* & alii communiter: ergo etiam ab Ordinariis, non debebat reservari, quia ex verbis prædictis S. Congreg. prohibetur reservari. Quia tamen ab Ordinariis reservatur, reservatio tenet, quia ut dictum remanet cum probabiliori sententia, hæc reservatio est valida, juxta ea, quæ diximus *supra à n. 203.*

SECTIO XII.

Quid reservetur, per hæc verba: Retinere alienum cujus dominus ignoratur, quod excedat valorem quingentorum regalium Lusitanorum.

275. UNdecimus casus, in hac Diœcesi Ulyssiponensi reservatus, sic habet: *Reter oal heo cujo dono senam sabe, passando a quantia de quin hentos reis.* Circa hunc casum decernitur in Constitut. *l. 1. tit. 10. decret. 7. §. 4.* Quod si pœnitens satisfacere voluerit inventum, non excedens quantitatem assignatam, quæ non reservatur, possit absolvi; & parocho traditam, posse hunc pro suo arbitrio, pauperibus distribuere; si autem prædictam summam excedat, tradendam esse Provisori, coram notario sui officii, si ille in eo loco fuerit, vel in confiniis, ut ipse in opera pia distribuat; si verò nec in eo loco, nec in confiniis fuerit, tradendum est inventum parocho Ecclesiæ; cui mandatur, sub pœnâ excommunicationis (non tamen ipso facto,) & sub pœnâ solvendi in duplò; ut acceptum tradat visitatori, qui Ecclesiam primus visitaverit, & suo arbitrio, factâ diligentiâ necessariâ, & non invento domino, illud inventum in operibus piis expendet. Et si pœnitens, tempore confessionis, inventum legitimè jam pauperibus distribuit; potest absolvi, nulla alia adhibita restitutione. Sic in §. *citat.*

276. Ad cujus declarationem supponendum est primò, res inventas esse in quadruplici differentia: prima illarum, quæ nunquam habuerunt dominum, ut gemmæ, ambarum, & similia in mari, vel illius littore inventa; & quæ pro derelicto habentur. Secunda, est illarum, quæ aliquando habuerunt dominum; at nunc eum non habent; quia per longissimum tempus, super hominum memoriam, illarum dominus nullo modo potest inveniri; ut thesaurus in terra, vel parietibus absconditus. Tertia est rerum animatarum, quarum dominus reperiri nequit: ut oves, boves, & alia animantia

mantia mansueta. Quarta est rerum inanimatarum, quæ ex circunstantiis, creduntur habere dominum de præsenti, sed factâ diligentiâ, non reperitur.

278. Supponendum secundò, reservationem non procedere de inventis primo modo; quia sunt inventoris, ut docent Fagund. *in 7. decal. præcept. l. 3. cap. 22. n. 4.* Fragos. *tom. 2. disp. 19. §. 3. n. 5.* Escobar. *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 422.* Nec etiam procedit de secundâ bonorum differentia, quia thesaurus inventus pertinet ad inventorem, & dominum; in cujus agro, vel domo fuit inventus. Vide *Ordinat. Regiam l. 2. tit. 26. §. 16. & 17.* Fagund. *cit. à n. 13.* Escobar. *proximè.* Nec etiam procedit de inventis tertiæ differentiæ; quia de his inventis, quæ vulgò dicuntur *do Vento* hoc est de invento, disponunt *Ordinat. Reg. l. 3. tit. 94.* Vide locum citat. Sic Fragos. *citat.* Vide etiam Fagund. *proximè n. 7.*

279. Supponendùm tertiò, in hoc casu reservari retentionem bonorum in quartâ differentiâ; si excedant prædictam summam quingentorum regalium. At si inventor non peccavit mortaliter in acceptione, vel retentione; quia semper habuit animum, rem inventam vero domino restituendi, & illo non comparente, pauperibus, post debitam diligentiam adhibitam; non habet casum reservatum. Sic Fragos. *citat. dict. n. 5.* Idem dicendum, si inventor sit pauper, & sibi, vel alteri jam applicavit rem inventam. Ita D. D. communiter apud Abreu *de paroch. l. 10. n. 345. in fine.* His suppositis.

280. Inquires primò: An Ordinarii possint sibi reservare peccatum, quod committur in retentione rei inventæ? Resolutionem affirmativam supponunt, ut certam Fragos. *citat. dict. n. 5.* Petrus Navarr. Molin. *tom. 3. disp. 747. n. 4.* Rebell. *1. part. l. 2. q. 12. n. 25.* quos refert, & sequitur Abreus *cit. n. 247.* quibus accedit Pe Hizar. *infra citandus*, asserentes, posse Episcopos sibi hoc peccatum reservare; & probatur ex praxi multorum Episcoporum, qui in suis constitutionibus hoc reservant peccatum in hoc Regno. Huic sententiæ subscribo: duo tamen valida contra illam insurgunt argumenta.

281. Primum est, quia ut inquit Barbos. *in collect. ad Trident. sess. 14. cap. 7. de casuum reservatione n. 7.* decisum fuit à S. Congreg. Episcoporum 14 Junii anni 1619. & alii *citati supra n. 15. in fine.* non posse Episcopos, reservare restitutionem incertorum; & cùm bona inventa, quæ hîc reservantur, sint bona incerta, cum illorum dominus ignoretur, dicendum est non posse licitè ab Episcopis reservari. Respondeo, hanc declarationem debere intelligi de dispensatione, seu distributione bonorum incertorum, ut constat ex illius verbis: *neque restitutionem incertorum sibi reservent:* non verò de peccato retentionis dictorum bonorum, & nostra sententia loquitur de hoc peccato, quod sibi Episcopi possunt reservare; non verò de distributione, & dispensatione bonorum incertorum; de quibus sequenti inquisito.

282. Secundum argumentum; quia juxta decretum S. Congreg. *in fine sect. præcedentis n. 275.* notavimus, non posse ab Ordinariis reservari casus, à quibus absolutio non confertur, nisi cum restitutione, vel executione eorum, ad quæ pœnitens tenetur: sed juxta sensum Constit. & communem D. D. sententiam, pœnitens inventor tenetur ad restitutionem pauperibus faciendam rei inventæ, cujus dominus ignoratur facta diligentiâ: ergo licitè hic casus ab Ordinariis non potest reservari.

283. Respondeo hoc argumentum esse efficax, juxta opinionem communem docentem, ea bona esse restituenda pauperibus: nam juxta aliam, de quâ *infra n. 285.* asserentem, posse inventorem ea bona sibi retinere, donec dominus bonorum incertorum appareat, tantam non habet efficaciam; quia dum dominus non comparet, ea non restituet. Respondet tamen juxta opinionem communem; ea bona non semper esse restituenda pauperibus, autaliis piis operibus; quia ut diximus *supra n. 279.* si inventor sit pauper, potest rem inventam sibi applicare; & pauperibus aliis, aut piis operibus, non tenetur restituere; decretum autem S. Congreg. loquitur de rebus, quæ semper, & in omni eventu debent restitui pauperibus, aut certis, & determinatis personis. Et si hæc non sufficiat solutio; alia detur, & illi subscribam.

284. Inquires secundò: An Ordinarii possint sibi reservare dispensationem; seu distributionem rerum inventarum? Negant Molin. *tom. 3. disp. 747. n. 3.* Rebell. *1. part. l. 2. q. 12. n. 23.* Valq. *de rest. cap. 5. §. 4. dub. 1. n. 12.* & apud illum Navarra, Sylvestr, & Gabriel, qui addunt, hanc reservationem esse irrationalem, & ut talem non esse observandam; eandem sententiam sequuntur alii non pauci, qui apud Molin. *citat. n. 3.* addunt, impedire non posse Episcopum, quominus, qui ea bona tenet, illa non distribuat, nisi in quatuor casibus, primus est; quando qui illa destribuere debebat mortuus est sine hærede, & executore. Secundus, quando in judicio convenitur. Tertius, quando est suspectus, & timendum, quod non restituat, *cap. cum sit, de judæis.* Quartus, quando hæc debita sunt ex manifesto usurario. In hoc conveniunt citati D. D. cum aliis, quos citat. Et probari potest ex declaratione S. Congreg. de qua mentione fecimus *supra n. 280.* in qua prohibentur Episcopi, ne reservent restitutionem incertorum.

285. Attamen addit Molin. *n. 4.* posse Episcopos, præcipere confessariis, ab ipsis non exemptis, non tamen exemptis; ut de his bonis non disponant, sed dispositionem remittant ipsis, quos Episcopi designant. Idem tenet Pellizar. *tom. 1. tract. 6. cap. 2. n. 55.* alios citans. Accedit Bordon. *tom. 1. resol. 6. n. 18.* cum Bariol. Navarr. Graff. Lupo, ex eâ ratione, quia præscriptio modi restituendi non est peccatum, aut censura, quæ possint reservari: ergo dispensatio, seu distributio bonorum incertorum nequit ab Episcopis reservari. Imo absolutè Rebell. *n. 26.* asserit; renuente inventore tradere inventa illis, quibus tradi præcipitur; posse demitti à confessario; ut factâ diligentiâ distribuat pauperibus, & revertatur; & facta distributione, potest absolvi, à quo non multum differt Molin. *citat.*

286. Existimo tamen cum Molin. proximè, posse Episcopos non exemptis præcipere ne se intromittant in dispensatione, seu dispositione bonorum inventorum, quæ in quartâ differentia supra explicatâ, comprehenduntur, cum limitatione *infra apponendâ n. sequente.* Ratio est quia Episcopi possunt omnia in suo Episcopatu, quæ S. Pontifex in universo orbe, exceptis specialiter reservatis, ut ex jure, & D. D. docent Sanch. *l. 1. de matr. disp. 61. n. 3. & l. 8. disp. 9. n. 3.* Soar. *tom. 4. de pœnit. disp. 25. sect. 1. & de legib. 6. cap. 14. n. 6.* sed S. Pontifex in Regnis Castellæ, ea bona inventa distribuit, & applicat sub pœnâ excommunicationis fratribus Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, aut B. Mariæ de Mercede, ut referunt D. D. *infra citandi*: ergo in Portugalia, in quâ hæc per Pontificem non applicantur, nec dispositionem sibi reservat, possunt per Episcopos applicari, & distribui in pia opera; dum tamen hoc

pium opus non designant; possunt, confessariis non exemptis præcipere; ut dispositionem, & distributionem dictorum bonorum sibi remittant: non tamen exemptis, ut *supra* docuerunt Molin. Pellizar. & alii *n.* 2. 85. adducti.

287. Dixi: *cum limitatione infra apponenda*; quia si inventor, non comparente domino, post factam debitam diligentiam velit, se per Bullam componere, non habebit casum reservatum; quia compositio bonorum incertorum, cujus dominus ignoratur, conceditur à S. Pontifice habenti Bullam ut *infra disp. 26. n. 37.* ergo si inventor non peccavit in retentione rei valoris, excedentis determinatam à Constit. & facta diligentiâ pro domino inveniendo, & non comparente; nec habet casum reservatum in retentione, nec etiam in distributione, seu dispensatione. Præciso autem privilegio Bullæ.

288. Inquires tertiò: An casu inventa, si post debitam diligentiam, dominus inveniri non possit, debeat in pauperes, aut in alia pia opera expendi? Prima, & communis sententia affirmat; illam tuentur D. Thom. Cajet. Abbas, Less. Sylvestr. Covarr. Navarr. Rebell. quos citat Dicastill. *tom. 1. de just. l. 2. tract. 2. disp. 9. dub. 15.* Salons. Valent. Sayr. Reginald. Azor, Malder. Molin. Fagund. quos comperit Dian. 2. *part. tract. 17. resol. 5.* Laym. *l. 3. sect. 5. tract. 1. cap. 5. in fine*, Castr. Palao *tom. 1. de just. & jure tract. 31. disp. unic. punct. 19. n. 4.* & alii. Eandem tenet Card. de Lug. *de just. disp. 6. sect. 12.* cum aliqua tamen distinctione. Probatur, quia hæc videtur rationabilis voluntas domini; & quia sic communi consuetudine receptum est.

289. Secunda sententia docet, posse inventorem ea bona sibi retinere, cum intentione ea domino reddendi, si comparuerit; illam defendunt Sotus Barthel. de Medin. Merchado Ledesm. Lopes, Navarra, Salon. P. Sa, quos refert, & sequitur Trullench. in Bull. *l. 3. cas. 14. n. 15. & l. 7. decal. sect. 3. cap. 9. dub. 5. n. 3.* Dicastill. *supra* Aragon. Sanmient. & alii, quos citat, & sequitur Dian. *dicta part. 2. & part. 11. tract. 8. resol. 12.* Accedunt Mend. *in Bull. disp. 33. n. 37.* Tambor. *tract. de Bull. cap. 18. §. 1 n. 14.* & probabilem dicunt Megal. & Less. apud. Dian. *citat. in part. 2.* Vasq. Salas, & alii cum Card. de Lug. *supra* Laym. & Castr. Palao, apud Mend. *citat.* Escobar *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 422.* & Bardi *in Bull. part. 3. tract. 5. cap. 2. n. 11.* ait esse valdè probabilem.

290. Probatur, quia nec jure naturali, nec positivo, tenetur inventor ea distribuere pauperibus, aut piis locis: ergo potest, ea bona inventa sibi retinere, cum animo, ea tradendi domino comparenti. Antecedens ostenditur primò, de jure naturali, quia præsumitur hanc esse voluntatem domini; nam unusquisque vult, quod sibi sit commodius; at commodius est domino, quòd inventor retineat ea bona, cum eo onere, sibi tradenda; quàm ut in pauperes, aut pia loca distribuantur; nulla amplius remanente spe, ea recuperandi.

291. Secundò de jure positivo probatur, quia nullus est textus, qui de his bonis inventis disponat: nam textus *in cap. cum sit, de judiciis, cap. cum tu, de usuris* à D. D. contrariæ sententiæ allati, loquuntur expressè de bonis incertis ab usuris, vel ab aliqua alia via injusta acquisitis; quæ in omnium sententia pauperibus, & piis locis debentur; at bona inventa de quibus loquimur, non sunt injustè acquisita. Textus verò *in cap. multa, cap. si quid inveneris* 14. *q.* 5. in quibus damnatur furti ille, qui non reddit inventa, intelligendi sunt juxta Gloss. ibidem de inventore, qui non habebat animum, illa reddendi domino comparenti; vel ut ajunt Trullench. & Mend, de illo, qui diligentiam non adhibuit, dominum reperiendi.

292. Ad fundamentum opinionis contrariæ *n.* 288. respondent, patere ex dictis, non esse voluntatem præsumptam dominorum, ut ea bona pauperibus, & piis locis applicentur. Nec Pontificum privilegia, ea bona iis fratribus applicantium, & excommunicationes, & dispositiones ordinariorum primam opinionem, ut certam statuunt, vel definiunt, sed eam sequentes, ut probabilem, vel fortè ipsis, ut certiorem, ea privilegia concessisse, & contra illos, qui eam sequuntur eas pœnas decrevisse; quæ tamen ab illis, qui hanc sequuntur sententiam, non incurruntur; quamvis ea bona, nec manifestent, nec tradant illis, quibus præcipitur; quia juxta opinionem probabilem operantur. Sic D. D. *citati.*

293. Addit Mend. *n.* 23. & apud ipsum Salon. Trullench. & Sayrus, posità præscriptione secundùm leges, non teneri inventorem, reddere rem inventam domino comparenti; quia per præscriptionem jus in ea absolutum acquisivit. Sed hoc non est admittendum; quia ad legitimam præscriptionem requiritur, ut res possideatur nomine proprio; at inventor nomine domini, illam possidet, donec dominus comparuerit, ut rectè notavit Tambor. *ubi supra n.* 17.

294. Inter has sententias censeo, primam esse communem, & tutiorem; quia hæc videtur esse consuetudo fidelium, ut res inventas, post debitam diligentiam, pauperibus distribuantur; & sicut Pontifices illam confirmant, applicando ea bona in Castella Ordinibus supra dictis; ita etiam in hoc Regno Ordinarii ea bona mandant, ut per designatos pauperibus, & piis operibus applicentur, & sicut Pontifices sub pœnâ excommunicationis jubent, ea bona applicari determinatis piis operibus, ita etiam Ordinarii in hoc Regno id præcipere possunt, sub eadem pœna. Fateor tamen, secundam sententiam *n.* 289. allatam esse probabilem: habet enim graves patronos, & efficacibus fundatur rationibus. Unde qui, secundùm illam, operantur, nec excommunicationem, nec reservationem incurrunt.

SECTIO XIII.

Quid reservetur sub hoc nomine: Matrimonia Clandestina?

295. Duodecimus casus in hac Diœcesi Ulyssiponensi reservatus, sunt matrimonia Clandestina. Et duplici modo, potest matrimonium dici clandestinum; primò, & principaliter, quando celebratur, sine parocho & testibus. Secundò, & minùs principaliter quando celebratur sine denuntiationibus. Si primo modo celebretur, matrimonium est nullum, & peccatum grave committitur; si secundo, peccabitur quidem mortaliter, matrimonium tamen erit validum. Ita Sanch. *l. 3. de matr. disp. 1. n. 3.* & omnes.

296. Dico primò: Probabile est, non incurrere reservationem, contrahentes matrimonium Clandestinè primo modo; & probabilius est, illam incurrere. Prima pars probatur, quia ut docet Sanch. *cit. disp. 2. n. 5.* cum pluribus, hodie *non incurruntur* pœnæ à canon. impositæ contrahentibus clandestinè; quia jam non est matrimonium: ergo si non incurruntur pœnæ à jure impositæ; nec etiam reservatio. Ita Abreus de paroch. *l. 10. n. 355.*

297. Se-

297. Secunda pars ostenditur, quia non obstat, quòd matrimonium sit nullum ad hoc, ut reservatio non incurratur; quia ut docent Card. *in Clement. fin. q.* 12. *de elect.* & Bertachin. *report. litt. P verb. Pœna invalida*; quando imponitur pœna alicui actui, si actus interveniat, incurritur pœna, etiamsi de jure actus non tenuerit, *ex l. quid ergo*, 13 §. *Cum autem ff. de his, qui notant*, ibi: *Quando lex respicit factum, non curat de juris effectu*: Sed matrimonia clandestina absolutè *à Trident. sess.* 24. *cap.* 1. *de reform. matr.* dicuntur, & nominantur matrimonia, & illa irrita declarat. Et sic incurrere pœnas à jure impositas illos, qui illud contrahunt, docent Molin. Guttierr. Vera-Crus, & alii apud Sanch. *cit. n.* 3. ergo etiam incurretur reservatio. Ita Quintanad *tom.* 1. *tract* 3. *singul.* 5. *n.* 3. Fragos. *tom.* 2. *disp.* 19. §. 3. *n.* 11.

298. Dico secundò: Contrahentes matrimonium clandestinum, secundo modo; nempe, non præmissis denuntiationibus, innodantur reservatione hujus casus: quia hoc matrimonium vocatur clandestinum à Sanch. *l.* 3. *disp.* 1. *n.* 7. *&* 10. & ab aliis, quos citat.

299. Objicies: Matrimonium; quod celebratur in facie Ecclesiæ, coram parocho, & testibus, omissis denuntiationibus, non dicitur clandestinum; nec illius pœnæ incurruntur, ut tenent plures, apud Sanch. *cit. n.* 6. & non esse mortale, quando aliunde constat nullum esse impedimentum, docent Sotus, Ochagau. Petr. de Ledesm. Ludovic. de S. Joann. Segura, Salzed. & sub dubio Machad. quos refert Leand. *tom.* 2. *tract.* 9. *disp.* 7. *q.* 46. ergo si pœnæ non contrahuntur, à fortiori non contrahetur reservatio, quæ est odiosa; ut sæpius ostendimus. Deinde, si non est peccatum mortale, non datur ibi reservatio: illi enim, & non peccato veniali, imposita est.

300. Respondeo in utroque casu, verius esse oppositum; quia illud matrimonium est clandestinum, ut dictum est, cum Sanch. & illius pœnæ incurruntur, ut idem docet *n.* 7. cum Navatr. Henriq. & aliis, quos citat. Deinde est peccatum mortale; quia est contra *l. in cap. final. de Clandestin. despons, & Consil. Trident. sess.* 24. *cap.* 1. *de reform.* nam materia est gravis. Ita Sanch. *cit. n.* 6. & penes ipsum viginti, & tres D. D. quibus adde Basil. Hurtad. Filliuc. Rebell. Bonac. Reginald. Ægid. Dian. Castr. Palao Bauny, & Trullench. quos citat, & sequitur Leand. *proximè*. Et quòd teneat reservatio in hoc casu; tenent Abreus, & Fragos. *locis citat.* quibus etiam subscribo.

301. Dico tertiò: Si unica tantùm denunciatio omittatur, probabile est, non esse peccatum reservatum; quia probabile est, esse tantùm peccatum veniale, quando mortaliter est certum, nullum subesse impedimentum; quia omissio unius denunciationis non est materia magni momenti. Ut cum pluribus tenet Sanch. *citat. disp.* 5. *n.* 7. Hurtad. Barbos. Villal. Guttierr. quos refert, & sequitur Dian. 5. *part. tract.* 4. *resol.* 236. Filliuc. Rebell. Bauny, & Trullench. dicentes, nec esse veniale, ex rationabili causâ, apud Leand. *tom.* 2. *tract.* 9. *disp.* 7. *q.* 47. licèt opposita sententia, nempe, quòd sit peccatum mortale, unam omittere denuntiationem, teneant Ægid. Basil Pont. Castr. Palao; & alii, quos affert, & sequitur Leand. *proximè*; & quamvis juxta hanc sententiam hoc peccatum sit reservatum; cùm tamen opposita sit probabilis, cessat reservatio

302. Dico quartò: Parochus, & testes non habet casum reservatum, si assistat matrimonio, non præmissis denuntiationibus; quia non exprimuntur in reservatione hujus Diœcesis; in aliis verò, in quibus exprimuntur, maximè. Addo nec etiam incurrere excommunicationem, ipso facto; illam tamen incurrunt ipsi contrahentes, & alias pœnas, si metu, dolo, aut fraude vocarent parochum, vel retinuerint; ut coram illo, & testibus matrimonium, sine denuntiationibus, celebrent. Parochus autem, vel quilibet alius sacerdos, qui matrimonio sine denuntiationibus assistit, præter alias pœnas, incurrit suspensionem ab officio, & beneficio ad arbitrium Ordinarii; ut constat *ex Constit. l.* 1. *tit.* 14. *decret.* 3. §. Quare minus benè Emmanuel Laurentius Soar. *in reservatis cap.* 2. §. 12. *n.* 8. asseruit, Parochum, & testes matrimonio, non præmissis denuntiationibus, assistentes, incurrere excommunicationem, ipso facto, & citat Constit. *l.* 1. *tit.* 14. *decret.* 2. *fol.* 126. sed ibi, nec in sequentibus, ea reperitur pœna imposita.

303. Dico quintò: si matrimonium contrahatur domi, jam præmissis denuntiationibus, vel inter missarum solemnia, coram parocho, & testibus, non habitâ prælati licentiâ, non incurritur hic casus reservatus; quia matrimonium, sic celebratum, non est clandestinum. Sic Abreus *de paroch. l.* 10. *n.* 356.

SECTIO XIV.

Quid reservetur, per hæc verba Ordinari sine patrimonio, pensione, vel beneficio; aut per saltum, vel sine demissoriis, aut furtivè.

304. DEcimus tertius casus in hac Ulyssiponensi Diœcesi reservatus, sic est. *Ordenarse sem patrimonio, pençam, ou beneficio, ou per salto, ou sem dimissorias, ou ingerindose as ordens furtivamente.* Quatuor in præsenti casu reservantur; primum est, Ordinari sine patrimonio, pensione, aut beneficio. Secundum, Ordinari per saltum; Tertium, sine dimissoriis: quartum Ordinari furtivè. De singulis agendum, per sequentia quæsita.

305. Quæres primò: An habeat casum reservatum, qui promovetur ad ordines sacros cum patrimonio, pensione, aut beneficio ficto? Negat Emmanuel Laurentius Soar. *in explicatione reservat. cap.* 3. §. 6. *n.* 3. *fol. mihi* 133. Probari potest, quia non incurrit suspensionem; licèt peccet graviter: ergo nec incurret reservationem. Antecedens admittunt asserentes, non incurrere suspensionem eum, qui sine patrimonio, aut beneficio sufficienti, initiatur ordine sacro; ut Henriq. Vinald. Tolet. Rodrig. Sayr. Petrus de Ledesm. Sà, Gonzal. Garcia, quos refert, & sequitur Dian. *part.* 2. *tract.* 16. *resol.* 5. *& part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 184. *& part.* 5. *tract.* 10. *resol.* 50. & Philibert. Marchinus *tract.* 2. *part.* 6. *cap.* 7. *diff.* 7. Idem tenent Fomarius, Moysius Ægid. Avila. Villal. Machad. omnes apud Leand. *tom.* 2. *tract.* 6. *disp.* 9. *q.* 4. quibus addo Dicastill. Sanctarell. Gasp. Hurtad. Barbos. quos citat, & sequitur Tambor. *l.* 7. *de Ordin. cap.* 6. §. 4. *n.* 3. ergo nec reservationem incurret, qui ficto patrimonio, pensione, aut beneficio ficto, ad ordines promovetur: cùm ergo reservatio sit odiosa, utpote restrictiva jurisdictionis ordinariæ, non incurretur; siquidem non contrahitur suspensio.

306. Probabilius tamen dicendum, incurrere suspensionem; ac per consequens casum reservatum. Ratio est quia probabilius est incurrere suspensionem, qui ordinatur sine patrimonio, aut beneficio sufficienti (& idem de pensione non sufficienti) latam *in cap. neminem, & cap. Sanctorum. dist.* 70. & renovatam *in Cent. Trident. sess.* 21. *cap.* 1. *de reform.* ut docent Soar. Thesaur. Bonac. Bordon. & alii apud Barbos. *in Trident. cit. num.* 65. & 66. Tambor. *proximè n.* 4. Sed qui ordinatur cum patrimonio, pensione, aut beneficio ficto, verè ordinatur sine illis; quia fictum, nihil est. Ita Petrus de Ledesm. Rodrig. Navarr. Sanch. Vasq. Bonacin. Barbos. Lerol. Comitol. Moltecius, quos citat, & sequitur Leand. *dict. q.* 4. ergo cùm verè nec detur patrimonium, aut pensio, nec beneficium, reservatio incurritur. Et ita tenet Abreus *de Paroch. lib.* 10. *n.* 359.

307. Dices primò: Probabile est, non incurri suspensionem, ut tenent tot, & tam graves D. D. ergo etiam probabile erit, non incurri reservationem. Respondeo primò, certum esse promotum ad ordines cum patrimonio, pensione, aut beneficio ficto, peccare mortaliter; quia Trid. requirit patrimonium verum: & certum est, sine patrimonio fuisse promotum; quia patrimonium fictum, non est patrimonium, sicut homo pictus, non est homo: Sed hic reservatur expressè peccatum, quod committitur ab ordinato, sine patrimonio: ergo absque dubio habet reservatum: At suspensio nisi exprimatur, in jure non incurritur; & D. D. qui negant illam incurri, tenentur dicere, eam in jure non esse expressam.

308. Respondeo secundò, dato, & non concesso, quòd sic promotus non incurrat præsentem casum reservatum, non effugere reservationem, quia *in Constit. hujus Diœcesis lib.* 1. *tit.* 12. *decret.* 2. §. 2. *in fine.* Lata est ipso facto excommunicatio, Archiepiscopo reservata, adversus illos, qui ad ordines promoventur cum patrimonio, aut beneficio ficto, vel non habente valorem, ibi designatum; ultra alias pœnas, quæ ibi videri possunt.

309. Dices secundò: Quando alicui delicto imponitur censura, alicui reservata; si hæc, ob ignorantiam, non incurratur, delictum non manet reservatum: Ergo si hæc excommunicatio, ob ignorantiam, non incurratur, peccatum reservatum non erit. Respondeo: concedendo antecedens de delictis S. Pontifici reservatis, juxta ea, quæ diximus *disp.* 15. *n.* 15. & illud negando, si delictum cum censura reservetur Episcopo; nam si ob ignorantiam, censura non incurratur, delictum manet reservatum: & hujus ratio diversa est, quia S. Pontifex non reservat delictum, sine censura: at Episcopus & cum censura, & absque censura, illud reservat. Unde sequitur, quando ignoratur censura, ipsum delictum manere reservatum: ut docent Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 3. *sect.* 3. *n.* 11. Laym. *l.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 6. *n.* 10. Bossius *de jubil. sect.* 2. *cas.* 28. *n.* 2. & alii quos citat, & sequitur Tambor. *l.* 5. *de panit. tract. de reservat. cap.* 5. *n.* 7. Et quamvis antecedens teneatur absolute concedere Leand. quia *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 12. *q.* 16. Lezan. *in q. q. Regul. tom.* 3. *verb. casus reservatus n.* 17. *prope finem, & apud ipsum* Ludov. à Crucifice *disp.* 1. *cap.* 3. *dub.* 1. *n.* 17. docentes etiam si delictum cum excommunicatione sit reservatum alii prælato à S. Pontifice; si non incurratur excommunicatio, delictum non manere reservatum. Hæc opinio in præsenti non habet locum; quia *in cit. Constit.* solùm reservatur Archiepiscopo excommunicatio; & ubi fit mentio de reservatis, de quibus hîc agimus, solùm reservatur peccatum illius, qui sine patrimonio, pensione, aut beneficio ad ordines promovetur; quamvis ergo ignoretur excommunicatio, adhuc peccatum manet reservatum.

310. Quares secundò: An innodetur præsenti reservationi ille, qui ordinatur cum patrimonio donato, & conditione facta donanti, illud illi restituendi post ordines susceptos? Negat Emmanuel Laurent. Soares *supra citatus.* Et sic probari potest, quia hic cum vero, & non ficto patrimonio, se ordinavit: reservatio autem est imposita illi, qui sine patrimonio ordinatur. Confirmatur, quia ob eandem rationem, sic ordinatus non incurrit suspensionem, nec postea tenetur ad restitutionem illius patrimonii, in pœnam donantis; quia Ecclesiam, & Episcopum decipere voluit ut asserunt Navarr. Bonac. Sâ, Tolet. Villal. Avila, Rodrig. Ugolin. Garcia, Machad. Toreblanca, Dian. quos congerit, & sequitur Leand. *tom.* 2. *tract.* 6. *disp.* 9. *q.* 5. Ergo si non incurrit suspensionem, nec etiam reservationem incurrit.

311. Existimo tamen, sic ordinatum incurrisse reservationem; quia verè sine patrimonio fuit ordinatus: patrimonium enim sic donatum, fuit simulatum, ac proinde fictum contra intentum *Tridentini dict. sess.* 24. *cap.* 2. *de reform.* qui est, ut Sacerdotes habeant, unde vivant, ne cum ordinis dedecore mendicent, aut sordidum aliquem quæstum exerceant. Deinde patrimonium cum ea conditione donatum, fuit commodatum in re ipsa, & ordinatus illud restituere tenetur; ut notavit Petrus de Ledesm. apud Leand. *citat.* & ubi datur commodatum, non datur proprium; nam ex commodato, transfertur dominium: ergo sine patrimonio vero, & proprio fuit ordinatus. Accedit quòd tam donans, quàm ordinatus, & notarius scienter Scripturam de eo patrimonio conficiens, incurrunt excommunicationem ipso facto, latam *in Const. lib.* 1. *tit.* 12. *decret* 2. §. 2. *in fine.* Et sic donans patrimonium, ultra prædictam pœnam, & alias ibi impositas, suspensionem ab ordine, & officio clericali incurrit, si sit persona Ecclesiastica. Sic constat ex dicto §.

312. Ad fundamentum oppositum *n.* 310. respondeo; licèt cum patrimonio vero prædictus ordinatus ordines susceperit, eo quòd non tenetur, postea illud restituere, in pœnam donantis; & ea de causa, non incurrit suspensionem, in jure latam; ut citati D. D. contra alios probabiliter docent; in ea tamen conventione peccavit mortaliter, ut omnes *citat.* docent; & excommunicationem latam *in Constit. Synodalibus loco citato* incurrit: ergo cùm peccasset mortaliter, & excommunicationem incurrerit; saltem ratione excommunicationis reservatæ in Casu octavo hujus Diœcesis, reservatione innodatur. Hæc juxta opinionem citatam; at juxta oppositam, quam tenent Sanch. *lib.* 6. *de matr. disp.* 32. *n.* 8. Marchin. Avila, & alii, quos refert Leand. *cit.* docentes, teneri restituere patrimonium; & suspensionem, & reservatum incurrit. Et juxta hanc opinionem procedit ratio nostræ sententiæ.

§. *Unicus.*

Explicantur reliqua, quæ in hoc casu reservato comprehenduntur.

313. SEcundum, quod in præsenti reservatur, *est ordinari per saltum*; nempe, recipere ordinem superiorem, non prius recepto inferiore; v. g. recipere sacerdotium, non recepto diaconatu: Is enim, ultra prætentem reservationem manet suspensus ab eo ordine superiore, ad quem per saltum ascendit, *cap. Solicitudo, dist. 52. & cap. Unico, de clerico per saltum promoto.* Fragos. *part. 2. disp. 56. §. 3. n. 8. vers. quoad secundum.* Leand. *tom. 4. tract. 4. disp. 4. q. 4. vers. sed probabilius.* In hâc suspensione potest Episcopus dispensare; ut prætermissum Ordinem suscipiat, & in ordine malè suscepto ministret; & ut ad superiores ascendat; dummodo ordinatus in malè suscepto ordine, vel in prætermisso, non ministraverit ante dispensationem; & hoc etiam, si delictum sit publicum. Si tamen irregularitas ex malâ illorum ordinum administratione sit occulta, etiam in illa poterit Episcopus dispensare, juxta *Trid. sess. 24. cap. 6. de reform.* Vide Soar. *tom. 3. in 3. part de censur. disp. 31. sect. 1. n. 15.* Bonac. *de censur. disp. 3. de suspens. punct. 5. §. 1. n. 6.* & alios quos referunt, & sequuntur Leand. *proximè, vers. sed probabilius longè* Dian. *5. part. tract. 13. resol. 27. vers. Notandum tertio.* Fragos. *proximè.*

314. Inquires: An habeat reservatum, qui recepit subdiaconatum, non susceptis ordinibus minoribus? Et videtur negandum; quia Portel, & Navarr. quos citat., & sequitur Dian. *part. 5. tract. 10. resol. 47.* Bauny *de dispens. q. 20. in fine* docent, non incurrere suspensionem; quia jura citata solùm loquuntur de eo, qui suscepit diaconatum, non suscepto subdiaconatu; & de eo, qui suscepit sacerdotium, non suscepto diaconatu: Ergo si suspensio non incurritur ab eo, qui suscepit subdiaconatum, non susceptis minoribus ordinibus, etiam reservatio non incurretur.

315. Nihilominus dicendum, incurri reservationem; quia hic reservatur peccatum, quod committitur, suscipiendo ordines per saltum: Sed omnes concedunt committi peccatum mortale, suscipiendo subdiaconatum, prætermissis ordinibus minoribus: Ergo. Imo addo etiam incurri suspensionem: Ut declaratum refert à S. Cardin. Congregr. anno 1588. Cornejo, apud Leand. *ubi supra Vers. secundò*, & tenent communiter D. D. quos ipse Leand. *ubi supra* citat, & sequitur.

316. Tertium hic reservatum, *est ordinari sine dimissoriis*: Hoc reservatum incurrit, qui falsis dimissoriis ordinatur; quia hæ non sunt veræ dimissoriæ. Insuper incurrit suspensionem; & si in ordine sic suscepto, administret; manet irregularis. Vide Soares *supra cit. dicta disp. 31. sect. 1. n. 14. & 53.* Philibert Marchin *de ordin. tract. 1. l. 5. part. 5. cap. 5. n. 1. & 2. & cap. 11. n. 1. & seqq.* Leand. *ubi supra q. 14.*

317. Quartum reservatum *est furtiva ordinatio.* Et tunc datur, quando aliquis se ingerit ad ordines cum aliis ordinandis; & sic nesciente, & nolente, nec approbante Episcopo, ordinem suscipit, & manet ipso jure ab ordinibus sic susceptis, suspensus; ut habetur *in cap. 1. 2. & 3. de eo, qui furtivè ordines suscipit.* sic Bonac Soar. Sayr. Henriq. Bauny, Laym. quos refert, & sequitur Leand. *dict. tom. 4. tract. 4. disp. 4. q. 11.* Quibus addo Fragos. *tom. 2. disp. 19. §. 3. n. 8. vers. Quoad tertium.*

318. Inquires: Quinam innodentur hâc reservatione? Respondeo primò, non innodari, qui furtivè primam censuram suscipit; quia prima tonsura, ex communi tententia, non est ordo: ut videre est apud Castr. Palao *part. 4. tract. 27. disp. Unic. de Ordin. punct. 1. n. 4.* citantem Vasq. Ægid. Couinch. Laym. & apud Leand. alios plures allertum, *tom. 2. tract. 6. disp. 1. q. 3.* at præsens casus reservatus comprehendit illos, qui furtivè ordines suscipiunt; ibi: *ou ingerindose as ordens furtivamente.*

319. Respondeo secundò: Qui minores ordines furtivè recipit, incurrit casum reservatum; quia sunt ordines, ut difinitur *in Concil. Trident. sess. 23. cap. 2. & can. 2.* ergo qui illos furtivè recipit, habet reservatum.

320. Dices cum Vasq. & aliis: Minores ordines non sunt Sacramenta: Ergo nec propriè, & verè sunt ordines: Ergo qui illos recipit furtivè, non innodatur reservatione. Respondeo primò, negando antecedens cum communi sententia, quam cum D. Thom. & aliis tenent Castr. Palao *cit. punct. 3. n. 4.* Tamborin. *l. 5. de panit. tract. de casib. reservat. cap. 6. §. 9. n. 49.* Leand. *tom. 2. tract. 6. disp. 1. q. 6.* Respondeo secundò, licèt in opinione aliquorum, non sint Sacramenta; negari non potest, esse ordines; ad quod sufficit, quòd sint quædam moralis potestas ad ministerium altaris: Ac proinde, qui illos furtivè suscipit, reservationem incurrit.

SECTIO XV.

Quid reservetur, per hæc verba: Facere scripturam falsam, vel illâ uti, aut aliquâ falsificatâ.

321. DEcimus quartus casus reservatus in Diœcesi Ulyssiponensi, sic habet: *Fazer Scriptura falsa, ou uzar della, ou da alguma falsificada.* Tria his verbis reservantur. Primum, facere, seu fabricare Scripturam falsam. Secundum, uti illa falsò fabricata. Tertium, usus alicujus Scripturæ, quæ fuit reddita falsa, per additionem, aut detractionem alicujus, contra substantiam, vel qualitatem. Probatur, hæc tria diversa hic reservari; quia verba reservationis utuntur dictione, *ou* quæ est disjunctiva, utrum pluribus Barbos. *tract. de diction. dict. 46. n. 1.* Si verò in aliquibus Diœcesibus, verba reservationis utantur dictione *&*, cùm sit conjunctiva, ut tenet idem Barbos. *cit. dict. 110. n. 3.* non reservatur unum sine alio, quod ea dictione copulatur, & conjungitur. Im Abreus *de Paroch. l. 10. n. 353.*

322. Scriptura dupliciter accipi potest, vel pro Scriptura privata, vel pro publica. Falsificatio Scripturæ privatæ, v. g. Syngraphæ, vel chyrographi, non reservatur; quia simpliciter, non dicitur Scriptura: falsificatio verò Scripturæ publicæ, quæ dicitur quoddam instrumentum à publico notario factum, seu subscriptum, jussumque fieri authoritate alicujus Magistratus sæcularis, vel Ecclesiastici, reservatur. Falsa etiam dicitur, si fabricetur, seu transcribatur eadem vera Scriptura, quæ

fuit deperdita ab aliquo notario, sine tamen authoritate alicujus Magistratus competentis. Ita Fragos *tom. 2. disp. 19. §. 3. n. 10.* & in simili *disp. 3. §. 6. n. 128.* Qui *dict. n. 10.* rectè docet, habere casum reservatum, qui utitur dimissoriis falsis; vel ille, qui illas fuit fabricatus; nec non, qui illas falsificavit, falsificato superioris sigillo.

323. Inquires: An reservatum incurrant mandantes, vel consulentes facere scripturas falsas, vel illis utentes? Respondeo, solùm illud incurrere, illis utentes; non verò mandantes, aut consulentes. Ratio est, quia verba reservationis solùm exprimunt facientes Scripturam falsam, falsificantes factam, vel illa uti. Et cùm sint odiosa, utpote restrictiva jurisdictionis confessarii ordinarii, non debent extendi ultra id, quod sonant. Et ita sentiunt Fragos. *tom. 2. disp. 3. §. 6. n. 35.* Soar. Filliuc. & alii, quos sequitur Leand. *tom. 4. tract. 3. disp. 6. q. 33.* Loquentes de mandantibus, & consulentibus fabricare, & falsificare Litteras Apostolicas, quos sequuti sumus *supra disp. 16. n. 77.* Quamvis oppositum minus benè teneat de præsenti casu reservato Abreus *dict. n. 353.* cui favent docentes idem, de mandantibus, & consulentibus fabricare, & falsificare Litteras Apostolicas apud Leand. *loco cit.* Alia, quæ hîc desiderantur, ad plenam hujus casus explicationem, vide *supra disp. 16. sect. 9. & 10.* Ubi de falsificantibus Litteras Apostolicas. Quæ doctrina hic applicanda est in iis, in quibus cum hoc casu convenit.

SECTIO XVI.

Quid censeatur reservari, per hæc verba: Revelatio sigilli Sacramentalis à Sacerdote facta?

324. Decimus quintus casus in Constit. Ulyssiponensis Diœcesis reservatus fertur his verbis: *Revelar o Sacerdote o sigillo da Confissam.* Ex quibus constat, solùm reservari violationem sigilli factam à confessario; non verò ab aliis; nam licèt etiam teneantur ad sigillum peccati, quod fortè audierunt à pœnitente, dum confiteretur; hîc tamen hæc revelatio non reservatur.

325. Sigillum confessionis, est obligatio occultandi peccata in confessione audita. Sic D. Thom. *in 4. dist. 21. quodlib. 3. art. 1. q. 3.* & alii. Hæc obligatio est, quoad semper, & pro semper, Soar. *de pœnit. disp. 33. sect. 1. n. 17.* Unde ob nullum vitæ casum, nec pro tuendâ fide totius orbis, aut pro ejus conservatione, licitum est frangere sigillum. Card. de Lug. *de pœnit. disp. 23. n. 199.* Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 10. q. 77.* In violatione sigilli, non datur parvitas materiæ. Unde, qui deliberatè manifestat aliquod peccatum, sive mortale, sive veniale pœnitentis, etiamsi alii non intelligant, illud ex confessione fuisse notum confessori, mortaliter delinquit. Bonacin. *de pœnit. disp. 5. q. 6. sect. 5. punct. 1. n. 4.* Fagund. *in 2. Eccles. præcept. l. 6. cap. 4. n. 6.* & alii communiter. Unde confessarius sic delinquens habet reservatum. His summariè dictis.

326. Inquires primò: An habeat casum reservatum confessarius, cui aliquid, extra confessionem, manifestatum est, & commendatum sub sigillo confessionis, ille tamen id manifestavit? Respondeo, non habere; etiamsi manifestans, id dixisset, sub signo crucis & adderet: *Hoc tibi dico in confessione*; quia hic non datur confessio sacramentalis. Peccabit tamen confessarius contra secretum naturale, quod observare tenebatur. Ita Sanch. *l. 3. de matr. disp. 13. n. 6.* Fagund. *proximè dicto l. 6. cap. 5. n. 3.* & alii apud ipsum, Laym. Hurt. Vasq. & alii, quos refert, & sequitur Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 10. q. 58.* in qua aliquos citat pro oppositâ sententiâ.

327. Inquires secundò: An incurrat reservatum ille confessarius, qui aliter nequit suum peccatum in confessione explicare, quin peccatum pœnitentis revelet? Respondeo, incurrere: Quia violat sigillum confessionis; illud enim revelare nequit, etiam ut manifestet in confessione suum peccatum; quippe sigillum longè majoris momenti est, quam integritas materialis confessionis. Sic Card. de Lug. *disp. 23. de pœnit. n. 144.* Fagund. *cit. cap. 1. n. 9.* Bonac. Hurt. Laym. Veg. Lopes Moure, & alii, quos congerunt, sequuntur Dian. *5. part. tract. 11. resol. 9.* Leand. *supra q. 60.*

328. Inquires tertiò: An habeat casum reservatum sacerdos, qui non habens jurisdictionem ad audiendas confessiones, fregit sigillum illius, qui bona fide ei fuit confessus? Respondeo, reservatum habere; quia onus sigilli impositum est in favorem sacramenti, & pœnitentis: Ergo ad omnem confessionem, bonâ fide factam, extendendum est: Ergo sacerdos, qui illud violavit, peccatum reservatum commisit. Et constat ex verbis Constit. in quibus reservatur peccatum sacerdotis, & non tantùm confessarii, qui sigillum violavit.

329. Inquires quartò: An violet sigillum, & incurat reservatum confessarius, qui dicit, de determinatâ personâ se illi fuisse confessam, sed illam non absolvisse? Respondeo affirmativè; quia sic loquendo, manifestat peccatum aliquod grave, vel esse innodatam aliquâ censurâ, vel esse indispositam. Ita Soar. *disp. 33. sect. 6. n. 1.* Card. de Lug. *disp. 23. n. 84.* Moltes, & alii, quos refert Dian. *part. 5. tract. 11. resol. 42.*

330. Inquires quintò: An violet sigillum, & habeat casum reservatum confessarius, qui non petitâ licentiâ, loquitur cum pœnitente, extra confessionem, ex justâ causâ; nempe, ad illum adjuvandum? Respondeo, quamvis neget Sanch. *l. 3. de matrim. disp. 16.* Vasq. Mæratius, apud Tambor. *in appendice de sigill. cap. 5. n. 1.* Probabilius esse, hoc non licere confessario, quia id nequit fieri, sine aliquo rubore pœnitentis. Sic Tambor. *proximè* Soar. Card. de Lug. & alii, quos refert, & sequitur Leand. *ubi supra q. 22.* Quia tamen opposita sententia Sanch. Vasq. & aliorum *supra*, est probabilis; non dabitur reservatum; quia non datur peccatum mortale, nec sigilli violatio.

331. Inquires sextò: An violet sigillum, & habeat reservatum confessarius, qui aliunde, quæsito colore, fugit ab insidiis, quas sibi parari novit ex confessione? Affirmativam sententiam tenent Navarr. Soar. Sot. Vasq. Card. de Lug. apud Leand. *supra q. 68.* accedit Fagund. *cit. cap. n. 5.* si complices conjurationis advertant, per confessionem unius ex ipsis, allatam fuisse confessario notitiam. Ratio est, quia hâc fugâ violatur sigillum, cùm aliunde habita non sit notitia, & complices id norunt. Hæc sententia est probabilior.

332. Negativa tamen est probabilis; quamvis

minus

minus faveat sigillo; illam tuentur Bonacin. Henriq. Reginald. Laym. quos refert, & sequitur Tambor. *ubi supra cap. 6. n. 3.* Thom. Hurt. Armill. Tabiena, & alii, quos citat, & sectatur Leand. *cit. q. 68.* Ratio est; quia confessarius, peccatum alicujus non manifestat, sed simulat, aliquid facere, vel omittere, ex quo aliqui sumunt occasionem, suspicandi, aliquod peccatum fuisse confessum.

333. Ex hac sententiâ deducunt illius authores, posse confessarium negare pœnitenti gladium, apud se depositum, si ex confessione sciat, ipsum petere, ad illum occidendum. Item posse licitè omittere missam, vel vinum mutare, si ex confessione sciat, esse veneno infectum. Item posse ex domo non exire, vel non ingredi Sylvam, ut mortem, seu percussionem devitet. Item posse non amplius illi confiteri, quem ex confessione scit, non esse sacerdotem, vel non habere jurisdictionem; & juxta hanc sententiam, quæ est probabilis, reservatum non committitur, quia peccatum mortale non datur. Alia videri possunt apud citatos D.D. nam dicta, ad explicationem præsentis casus sufficiunt.

SECTIO XVII.

Quid reservetur, per hæc verba: Sollicitatio in confessione, aut occasione illius?

334. Decimus sextus, & ultimus casus in Diœcesi Ulyssiponensi reservatus, est *solicitatio confessum, ou por occasiam della, cujo conhecimento apertence privativamente ao S. Officio.* Duo diversa hic videntur reservari; primum sollicitatio in confessione, eo modo quo in diplomatibus Pontificiis prohibetur. Secundum, solicitatio extra confessionem, & locum illius, occasione eorum, quæ audita fuerunt in confessione, ut ostendunt verba: *aut occasione illius.* Abreus de Paroch. *lib. 10. n. 391. in fine.* Dixi; *duo diversa hic videntur reservari*; quia licèt hæc explicatio Abreu mihi videatur probabilis; cùm asserit, etiam hic reservari sollicitationem, extra confessionem, & locum illius, occasione eorum, quæ audita fuerunt in confessione. Et sic erit casus reservatus, sollicitatio, quæ fit post viginti, & quatuor horas post confessionem, occasione tamen eorum, quæ in confessione audita fuerunt.

335. At quòd hic casus hoc loco non reservetur, mihi videtur probabile. Primò, quia verba reservationem sequentia, sic habent: *Cujus cognitio privativè pertinet ad S. Officium*; quæ ad omnem reservationem debent extendi; nam juxta Sanch. *lib. 3. de matrim. disp. 7. n. 17.* Lezan. *in q. q. Regul. tom. 3. Verb. Clausula n. 3.* Clausula in fine posita refertur ad omnia præcedentia: ergo verba reservationis, solùm comprehendunt sollicitationem, cujus cognitio pertinet, ad S. Officium; hæc enim sequuntur verba reservationis. At ad S. Officium non pertinet cognitio sollicitationis factæ post viginti quatuor horas, post confessionem, occasione eorum, quæ in eâ fuerunt audita, ut videre est apud Peyrinum, Lezanam, Hurt. quos refert Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 13. q. 28.* quia etsi doceant, confessarium esse denuntiandum, qui post auditam confessionem muliebris, accedit ad illius domum, & ibi, aut in itinere eam solicitat, contra Joann. Sanch. Freitas, Castr. Palao, Trullench. Hurt. (sibi contrarium) Param. Illustriss. D. Rodod. à Cunâ, Malfes. Scortia, quos referunt, & sequuntur Leand. *cit.* Dian. *1. part. tract. 4. resol. 14.* asserentes, non esse denuntiandum; additque Dian. *Rejicienda est tanquam falsa, opinio illa Navarr. quam adducit Paramus, ubi supra, dicentes, posse Inquisitores animadvertere, adversus confessarium, post longum tempus extra confessionem, fœminam sollicitantem &c.* nullus tamen ex his authoribus, exceptis à Dian. citatis, esse denuntiandum confessarium, qui fœminam post viginti quatuor horas post confessionem, extra confessionarium sollicitavit; si tamen reservaretur sollicitatio extra confessionem, & locum illius, occasione eorum, quæ in confessione fuerunt audita, etiamsi facta sit post longum tempus, esset peccatum reservatum, juxta Abreu, quin id peccatum pertineat ad cognitionem S. Officii.

336. Probo secundò, verba reservationis: *aut occasione illius*, debent intelligi de occasione confessionis, de quâ loquuntur diplomata Pontificum, sollicitationem prohibentia, sic in Bulla Gregorii XV. *in actu confessionis, vel ante, vel post immediatè, seu occasione, vel pretextu confessionis, etiam ipsâ confessione non secutâ, sive extra occasionem confessionis, in confessionario, aut in loco quocunque, ubi confessiones sacramentales audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo; simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare &c.* Sed hæc constitutio, & aliorum Pontificum non loquuntur de solicitationibus factis post confessionem, elapso longo tempore: ergo. Ex his rationibus probabile mihi videtur, hîc tantùm reservari eam sollicitationem cujus cognito ad S. Officium pertinet, & non illa, quæ post longum tempus, fit post confessionem, occasione ipsius confessionis.

337. Quid autem sit solicitatio? Respondeo, *esse, allicere, provocare, precibus rogare, seu alio modo invitare ad turpia, & inhonesta.* Vel: *Est provocare ad res carnales, & venereas, actibus, verbis, nutibus, aut aliis signis amatoriis.* Ita Illustris. Roderic. à Cunâ, Bonacin. Bossius Sanctarell. & alii, quos sequitur Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 13. q. 4.* His animadversis.

338. Quæres primò: An casus reservatus, peccatum confessarii, qui in confessione, chartam postea legendam, tribuit pœnitenti, in quâ eam ad venerem sollicitabat? Non esse reservatum tenentur dicere illi, qui docent eum confessarium non esse denuntiandum, ex eâ ratione, quia non pertinet ad S. Officium, quod sustinuit Thom. Hurt. *tom. 1. moral. resol. tract. 4. cap. 5. resol. 6.* & probabile dixit Trullench. *l. 1. decal. cap. 3. dub. 18. in summario*; at in corpore *dubii n. 46.* contrarium, ut certum docuit.

339. Citant etiam pro hâc sententiâ Dian. *4. part. tract. 5. resol. 2.* & Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 13. q. 15.* doctissimum Castr. Palao *tom. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 4. n. 2.* sed malè. Quia Castr. Palao, *dict. punct. 4. n. 1.* absolutè sequitur oppositam sententiam; & *n. 2.* proponit rationes, contra oppositam, quam sequitur; & *n. 3.* in quo citatur à prædictis authoribus, inquit: *Hæ rationes videntur reddere probabilem partem negantem, talem scilicet traditionem chartæ, non esse sollicitationem, comprehensam in Bullis, si charta non*

sim-

immediatè, post susceptum sacramentum legatur, sed transacto tam tempore. Verùm quia hoc delictum gravissimum, & pernicios issimum est, præcaveri debet, & coerceri omnis occasio, illud committendi. Ex quibus verbis constat hanc sententiam, non dicere probabilem Castr. Palaum: Ut Dian. & Leand. illi imponunt.

340. Probatur supradicta sententia: Quia ea chartæ traditio non est completa sollicitatio; cùm pœnitens ignoret, quid in illâ chartâ contineatur: Sed ut quis irregularitatem ex homicidio incurrat, & excommunicationem ex percussione clerici contrahat, non sufficit causam homicidio, vel percussioni dedisse, sed requiritur, delicta esse completa: Ergo etiam, ut solicitatio censeatur comprehensa ad hoc, ut quis denuntietur, non sufficiet, quòd solicitationi causa fuisset data, sed requiritur solicitatio completa.

341. Hæc sententia Thom. Hurt, & eorum, qui eam secuti fuerunt, non solùm est improbabilis, sed ut minimum tanquam scandalosa damnata, & prohibita fuit ab Alexandro VII. in suâ Constit. editâ die 24. Septembris anno 1665. & inter damnatas est 6. quæ sic habet: *Confessarius, qui in Sacramentali confessione, tribuit pœnitenti chartam, postea legendam, in quâ, ad venerem invitat, non censetur solicitare in confessione, ac proinde non est denuntiandus.*

342. Nec illius fundamentum aliquid probat; quia traditio chartæ in ipsa Sacramentali confessione, verè est sollicitatio in confessione; per illam enim fit injuria Sacramento: tempore enim, quo pœnitens monendus erat, de emendatione vitæ in melius; traditur ei instrumentum iniquitatis; & loco medecinæ, venenum propinatur.

343. Quare oppositam sententiam ut certam ante decretum Alexandri VII. docuerunt Dian. Leand. & Castr. Palao *locis citatis*, Trullench. *proximè* Fagund. *in 2. Eccles. præcepto, edit. novissima lib. 4. cap. 3. n. 62.* Joann. Sanch. *in select. disp. 11. num. 32.* Ratio est, quia qui sollicitat in confessione, denuntiandus est: Sed tradens chartam in confessione, in quâ continetur sollicitatio, incipit sollicitare in confessione: ergo denuntiandus est. Ex his patet, hunc habere casum reservatum, quia verè in confessione sollicitavit.

344. Quæres secundò, occasione explicationis præsentis casus: An fœmina sollicitata à confessario in ipsa confessione, teneatur denuntiare confessarium Inquisitoribus, si eidem sua peccata confiteatur? Negat Thomas Hurtad. *tom. 1. resol. moral. tract. 4. cap. 6. resol. 8.* & apud ipsum, probabile dicunt Trimarchius, Franciscus Maria de Ægrisoliis, Freitas, Lorca, Ambros. Roman. & alii D. D. Complutenses ab ipso Hurtad. consulti. Probat, quia confessarius potest illam absolvere; habet enim jurisdictionem; sed non tenetur illi imponere onus, ut ipsum denuntiet, quia nemo tenetur se prodere; nec facere, ut alius eum denuntiet: ergo poterit fœmina absolvi, sine onere denuntiandi.

345. Hæc consequentia, & illius doctrina est falsa, quia licèt confessarius non teneatur imponere onus pœnitenti, ut ipsum denuntiet; fœmina seu pœnitens tenetur illum denuntiare; quia ita præcipitur à Pontificibus, & Inquisitoribus, sub pœnâ excommunicationis ipso facto, ut fatetur ipse Hurtad. *cit. cap. 8. resol. 47. n. 361. & 367.* ergo nec confessarius illam potest liberare ab obligatione denuntiandi; & quamvis id onus ei non imponat, ab eo onere libera non manet.

346. Quare hæc sententia est tenenda, & tradita à Thom. Hurtad. & aliis ut falsa omnino exstirpandâ; quia ut improbabilis, & ut minimum tanquam scandalosa, ab Alexandro VII. damnata, & prohibita fuit, in decreto supra citato, in quo hanc damnavit propositionem, quæ ex damnatis est 7. & sic habet: *Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante; hic potest illum absolvere ab obligatione denuntiandi.* Vide Moyam. *tom. 1. in q. q. select. tract. 3. disp. 3. q. 2. cap. 4. n. 24.* Alia ad hujus casus explicationem, videri possunt, apud Castr. Palao *tom. 1. tract. 4. disp. 9.* Illustriss. Roder. à Cunâ *de sollicit.* Sousam *opuscul. de confess. sollicit.* Fragos. *tom. 2. disp. 14.* Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 13.* & alios passim.

SECTIO XVIII.

An Ecclesiastici subdantur prædictis reservatis, & quam pœnam incurrant ab aliis absolventes.

347. EXplicatis hujus Diœcesis Ulyssiponensis casibus reservatis, notandum est, illos non incurrere clericos tam ordinis Sacerdotalis, quàm cujuscunque ordinis sacri, sive dicti casus annexam habeant censuram, sive non; & horum absolutio impendi potest à quocunque Sacerdote sæculari, aut Regulari, ab ordinario loci actualiter approbato; nec non ab illis, qui jam fuerunt ab eodem approbati, quamvis actualiter approbati non sint; quod sanè maximum privilegium est; quod etiam extenditur, ad confessionem quadragesimalem. Ita habetur *in Constit. lib. 1. tit. 10. decret. 3. §. 1. in fine.*

348. Hoc tamen privilegium intellige primò, de iis casibus, qui reservati sunt ordinario; nam ab illis, qui in dictis casibus continentur S. Pontifici reservati, certum est, non posse dictos Sacerdotes, & clericos ordinis sacri à dictis approbati absolvi; quia ordinarius id concedere nequit. Secundò, intellige, de aliis casibus non exceptis, nam *in Constit. lib. 1. tit. 10. decret. 7. §. 4.* excipitur casus decimus, de decimis non solutis, & undecimus de retentione alieni, cujus dominus ignoratur; & absolventibus imponitur excommunicatio, ipso facto, ordinario reservata. Vide quæ diximus in explicatione utriusque casus *supra sect. 11. & 12.* Tertiò, intellige octavum casum, de excommunicatione à jure nemini reservata, nam excommunicatio ab homine specialiter reservata, ab eo est absolvenda, à quo lata fuit. Vide quæ diximus *hic disp. n. 206.* & juxta illam hoc privilegium accomoda.

349. Hoc privilegium, quod conceditur personis prædictis in cit. Constit. non extenditur ad alias Diœceses; licèt enim, in aliquibus concedatur, ut aliqui possint absolvi; conceditur cum minori, & aliquando cum majori extensione; quare cujuslibet Diœcesis consulendæ sunt constitutiones: & in propriis illarum casibus reservatis, aliquando notabimus.

350. Cæterum à prædictis casibus reservatis, alios non privilegiatos non possunt absolvere parochi, & alii confessores delegati; nisi de licentia ordinarii; & in oppido Scallabitano, vulgò *Santa-*

rem,

rem, id poterunt, de licentia Vicarii Generalis, ibi existentis, & si secus absolvant, absolutio est nulla, & absolventes incurrunt excommunicationem ipso facto, latam in Constit. *l.* 1. *tit.* 10. *decret.* 7. §. 2. *in fine.*

SECTIO XIX.

De casibus reservatis in Diœcesi Bracharensi.

351. IN Constit. Bracharensibus *tit.* 3. de confessione, *Constit.* 6. *fol.* 9. reservantur quatuordecim casus. Primus, *Hæresis*, qui manet explicatus *hâc disputat. sect.* 2. *à n.* 18. Secundus, Blasfematores publici; circa illum vide *citat. disp.* 18. *à n.* 24. *per totam sect.* 3. Tertius, *venefici, & veneficæ*, de quibus *sect.* 4. *à n.* 42. Quartus, *homicidium voluntarium, executioni mandatum, de quo* videnda est *sect.* 6. *per totam*; quæ incipit *à n.* 62. Quintus, *incendium de proposito, ex intentione nocendi, de quo sect.* 7. incipiente *à n.* 143. Sextus, *sacrilegium*, de quo *sect.* 8. *n.* 154. Septimus, *excommunicatio major à jure vel ab homine*, de quo *sect.* 9. *à n.* 19.

352. Advertè tamen, in hoc casu, non reservari excommunicationes in jure nemini reservatas; quia hæ, juxta S. Card Congreg. non possunt ab ordinariis reservari, reservantur igitur, in hoc septimo casu, sub verbo *excommunicatio major à jure*, excommunicationes latæ in ipsis Constitut. tum à Prælato, tum ab ipsius Vicario Generali; quia hæ cùm ad speciale regimen Diœcesis pertineant, possunt reservari juxta ea, quæ docent Cardin. de Lug. *de pœnit. disp.* 20. *sect.* 3. Quintanaduen. *tom.* 1. *tract.* 3. *singul.* 1. *n.* 16. Et sic intelligendus est hîc casus reservatus, ubi alia non datur major expressio, sicut datur in Constit. Diœcesis Ulyssiponensis, ut *citat. loco* notavimus.

353. Octavus, est *habere aliquid alienum, cujus Dominus ignoratur, quod excedat valorem censum regalium Lusitanorum*, hoc est, *de hum toſtam*; at si non excedat, potest dictus habens alienum absolvi, dummodo prius facta sit traditio illius pecuniæ, ad fabricam Ecclesiæ, cujus est parochianus. Alia cohærent cum reservato in Diœcesi Ulyssiponensi, de quo vide *supra sect.* 12. Nonus est: *Decimæ non solutæ, quæ excedant valorem duorum regalium argenteorum cum dimidio*, vulgo *hum toſtam*; & imponitur sacerdoti absolventi non restituentem excommunicatio major ipso facto, vide tamen ad hujus explicationem *dicta sect.* 1. & præsertim *sect.* 11. Decimus, *Matrimonium clandestinum, & testes, illi assistentes.* De primâ parte hujus casus, vide *sect.* 13. de secunda, nempe de testibus assistentibus, intellige: quando, datâ operâ, assistunt illi matrimonio, aut interfunt scienter, nam si ignoranter interfint, reservationem non incurrunt. Fragos. *tom.* 2. *disp.* 19. §. 3. *num.* 11. *in fine.*

354. Undecimus: *Commutatio cujuscunque voti.* De hoc vide *infra disp.* 21. *sect.* 1. ubi explicatur quid sit votum, quomodo dividatur, & cesset, & specialiter de commutatione voti, *à sect.* 3. ubi plura scitu digna de hâc materiâ, usque ad finem disputationis invenies. Nota circa præsentem, hic non reservari absolutionem alicujus peccati; nec auferri aliquam potestatem à Confessario; sed per hanc expressionem declaratur, confessarium non posse commutare vota; nam hoc pertinet ad habentem jurisdictionem, *ut citat. loco* explanabitur. Ita Abreus *l.* 10. *n.* 336.

355. Duodecimus, *Manus violenta in clericum*; de quo casu, vide *supra sect.* 8. *n.* 189. & 190. & *disp.* 15. *à n.* 31.

356. Decimus tertius, *Qui ordinatus fuit per saltum, vel cum dimissoriis falsis, vel furtivè se ingessit ad ordines suscipiendos*; de hoc casu vide *supra sect.* 14. *à n.* 363. usque ad finem sect.

357. Decimus quartus: *Testimonium falsum in actibus, vel Scriptura falsa in judicio.* Circa primum, nempe Testimonium falsum in actibus: Nota primò, dari discrimen inter juramentum falsum, & Testimonium falsum; nam ut Testimonium falsum in actibus sit reservatum, debet esse in præjudicium tertii; & in hoc sensu accipienda sunt verba constitutionum; quæ hunc casum reservant, per hæc: *Testimonium falsum in actibus, vel in judicio.* Unde si in damnum tertii non sit, non est reservatum. Ratio est, quia falsitas, quæ in alicujus damnum, aut gratiam non committitur, non punitur pœnâ ordinaria falsarii; ut docent Felin. Jul. Clar. Farinac. Flores de Men. Covarr. Bonacos. Menoch. Surd. Salzed. quos refert, & sequitur Barbos. *de potest. Episcopi part.* 3. *allegat.* 51. *n.* 30. ergo nec reservatione; & sic tenent Barbos. *proximè n.* 23. Soar. Lusit. *tract.* 7. *n.* 605. & Fragos. *supra n.* 9.

358. Nota secundò, ut hoc Testimonium falsum sit reservatum, debere esse juramento firmatum; quia hic reservatur Testimonium falsum in actibus, vel in judicio; & hoc debet esse cum juramento firmatum. Quamvis oppositum teneat Barbos. *cit. n.* 26. citans Fellin. Socin. Julium Clar. Hortens. Cavalc. & Salzed. At hi D. D. solùm loquuntur de pœnis impositis falsario: & talis est ille, qui absque juramento falsum Testimonium, contra proximum profert: at reservatio imponitur non cuicunque falsario, sed ei, qui falsum Testimonium in actibus, vel judicio, cum juramento, falsum profert Testimonium; sic enim debet intelligi; nam in actibus, & judicio absque juramento, non proceditur. Ita Soar. Lusit. *proximè n.* 603.

259. Circa secundum nempe: *Scriptura falsa in judicio*, nota solùm comprehendere reservationem illum, qui Scripturam falsam protulit in judicio; non verò illum, qui eam falsificavit, vel falsam fabricavit, ut docet Abreus *l.* 10. *n.* 389. Alia ad hujus explicationem desiderata, vide *supra sect.* 15. *à n.* 321. & juxta hîc notata, accommoda.

360. Nota *ex constitutione dicto tit. de Sacram. confessionis* posse clericos sacerdotes à quocumque confessario sæculari, aut Regulari ab ordinario approbato, absolvi ab omnibus reservatis, excepta excommunicatione majori, quam si incurrant, ab ordinario, vel de ejus licentia absolvi debent. Hoc privilegio non gaudent diaconi, & subdiaconi, sive sint beneficiati, sive non. Additur in fine posse Priores, Abbates, Rectores absolvere à casibus ipso jure communi, vel consuetudine generali, Prælato reservatis, exceptis dictis quatuordecim. Sic Fragos. *ubi supra n.* 12. & in parte Abreus *proximè*. At hodie nec de jure, nec de consuetudine, dantur casus Episcopis reservati, ut vidimus *supra n.* 3.

SECTIO XX.

De casibus reservatis in Diœcesi Eborensi.

361. IN Constit. Diœcesis Eborensis, *tit. de Sacrament. confess. cap.* 6. reservantur undecim casus. Primus, *Homicidium voluntarium, executioni mandatum, extra bellum justum.* De hoc primo casu vide *dict. sect.* 6. quæ incipit *à n.* 62. Secundus, *Incendium ex intentione nocendi, antequam incendiarius denuntietur, nam post denuntiationem Papæ reservatur*; de quo consule *sect.* 7. *incipientem à n.* 143.

362. Tertius, *Sacrilegium*, nempe: *occidere in Ecclesia, vel cœmeterio, infringere cum violentia portas, vel feras sacrarii, aut Ecclesiæ, vel eas incendere; auferre ab Ecclesia delinquentem, qui ad illam confugit, furtum de loco sacro.* Quatuor tantum sacrilegia in hoc tertio casu reservantur. Primum est: *occidere in Ecclesia, vel cœmeterio*: de hoc egimus *hâc disp.* 8. *à n.* 172. *& sequentib.* Attamen nota, nos ibi loquutos fuisse de sacrilegio effusionis sanguinis in loco sacro; quod sacrilegium hîc non reservatur; sed tantùm occisio, ut patet ex verbis citatis.

363. Secundum sacrilegium hîc reservatum, *est infringere cum violentiâ portas, vel feras sacrarii, aut Ecclesiæ &c.* Ad cujus intelligentiam inquires primo: An incidat in reservatum, qui infringit portas, vel feras sacristiæ? Affirmant de sacristiæ portis, & seris, quando sacristia est conjuncta Ecclesiæ, Soar. Reginald; quos refert, & sequitur Barbos. *de potest. Episcop. part.* 3. *alleg.* 50. *num.* 90. Bonacin. *tom.* 3. *de censur. disp.* 2. *q.* 3. *punct.* 12. *n.* 6. *& seqq.* Secus asserunt si sit separata. Probant quia sacristia conjuncta venit nomine *Ecclesiæ*; accessorium enim sequitur principale, at si separata sit, *Ecclesiæ nomine non venit. Hæc sententia est probabilis.*

364. Probabilior tamen est, non incidere in reservatum; quia sacristia, non venit nomine *Ecclesiæ*; quia non est destinata ad officia divina, nec ad fidelium sepulturas. Ita Sanch. *lib.* 9. *de matr. disp.* 15. *num.* 31. Fagund. *in* 2. *Eccles. præcept. lib.* 4. *cap.* 4. *n.* 34. & in præsenti casu Castr. Palao *tom.* 6. *disp.* 3. *punct.* 24. *n.* 12. *in fine:* cùm ergo in præsenti reservetur infringere portas, vel feras Ecclesiæ; & reservatio sit odiosa, utpote restrictiva jurisdictionis confessarii, non est extendenda ultra proprietatem verborum.

365. Nec aliud suadet ratio pro oppositâ sententia, quia sacristia est accessoria Ecclesiæ, quoad ædificium, & non quoad leges, pœnam, aut favorem spectantes, nec quoad reservationem; & hoc constat, quia si Ecclesiæ nomine veniret sacristia, esset Ecclesiæ pollutæ violator qui in eâ fornicaretur, aut sanguinem humanum violenter fuderit: quod communiter negant authores, ut videre est apud Soar. Lusit. *de panit. tract.* 3. *n.* 643.

366. Inquires secundò: An innodetur præsenti reservationi, qui infringit portas, & feras oratorii privati? Respondeo, cum distinctione 1. vel enim est authoritate Episcopi constructum, vel non: Si primum, innodatur reservationi; si secundum, illa non innodatur. Ratio est primi; quia venit nomine *Ecclesiæ*; non verò in secundo. Sic D. D. communiter. Soar. Filliuc. quos citat, & sequitur Bonacin. *proximè n.* 8.

367. Inquires tertiò: An incurrat reservationem, qui per impulsum, fecit debilem vectem, vel feram loco cedere, illa non perfracta? Affirmant Sayr. *de censur. lib.* 2. *cap.* 22. *n.* 16. Sylvestr. *verb. excommunicatio* 7. *n.* 16. Probabilius tamen dicendum, non incurrere, quia nec portas, nec feras Ecclesiæ infregit; & cùm reservatio sit odiosa, verba non sunt extendenda ad eum sensum, quem non habent. Ita Bonacin. *proximè num.* 3. Castr. Palao *cit. n.* 11.

368. Inquires quartò: An habeat reservatum ille, qui clave adulterina, vel subrepta à Parocho, vel simili, portas Ecclesiæ apperuit? Respondeo negativè; quia nec portas, nec feras Ecclesiæ perfregit. Sic Bonac. *cit.* Idem dicendum de infringente arcam, in quâ res Ecclesiæ custodiuntur: arca enim nomine *Ecclesiæ* non venit. Ita Bonac. *cit. num.* 8.

369. Inquires quintò de rumpente Ecclesiæ parietem, vel tectum, vel infringente fenestram ligneam, vel vitream; ligatur ne reservatione? Respondeo ligari, quia licèt non veniant nomine portarum Ecclesiæ in sensu rigoroso, veniunt tamen nomine ferarum Ecclesiæ. Ita Bonacin. *cit.*

370. Ad majorem hujus reservati explicationem, adverto effractorem portæ & seræ, Ecclesiæ simul, & illius spoliatorem esse excommunicatum ipso facto; ut colligunt Barbos. *cit.* Castr. Palao *n.* 10. *vers. Caterum, ex cap. Conquesti* 22. *de sententia excommun.* Hæc autem excommunicatio ante ordinarii denuntiationem, seu publicationem, nulli est reservata: at post ordinarii publicationem, S. Pontifici reservatur, ut notarunt Navarr. Card. Tolet. Sayr. Soar. Barbos. quos refert, & sequitur Castr. Palao, *ubi supra num.* 13. An verò sufficiat denuntiatio generalis, an verò requiratur specialis? Respondeo requiri specialem. Sic cum Soar. Navarr. & aliis Castr. Palao *loco citato.* Vide quæ diximus *supra. n.* 151.

372. Circa illam particulam, *vel eas incendere*, in hoc secundo sacrilegio comprehensam. Vide in hâc *disp. sect.* 7. *à num.* 143. Tertium sacrilegium hic reservatum est: *Auferre ab Ecclesiâ delinquentem, qui ad illam confugit.* At de hoc egimus *sect.* 8. *num.* 164. *& sequent.* Quartum sacrilegium, *est furtum de loco sacro.* De hoc diximus *eâdem sect. à num.* 183. Alia verò sacrilegia de quibus in eâ Sect. mentionem fecimus, in præsenti non reservantur.

372. Quartus casus in Diœcesi Eborensi reservatus est *excommunicatio major à jure, vel ab homine*, de quo *sect.* 9. *à num.* 194. Vide etiam *in præcedente sect. num.* 352. Quintus, *Habere bona aliena, cum Dominus ignoretur, quæ excedant valorem trium millium regalium Lusitanorum, hoc est de tres mil reis*, cum declaratione ibi posita: Nempe, ut traditur, vel ejusdem inventi pignus Vicario Pedaneo, coram notario sui Officii; quando prædictam summam non excesserit, de hoc quinto casu vide *sect.* 12. *incipiente à num.* 276. cum designatione summæ hîc positæ, & non circa ibi designatam. Sextus, *Decima non soluta, quæ excedant valorem duorum aureorum.* Vulgò de dous cruzados. Si verò non excedant, poterit pœnitens absolvi; dummodo satisfaciat; & si Sacerdos aliquis aliter absolvere præsumpserit, ipso

ipso facto incurrat excommunicationem; quod intelligitur, quando absolutio erat reservata. In Synodo tamen celebratâ anno 1569. declaratur; si retentor decimarum sit impotens ad solvendum, non habere reservatum; quia non est injustus decimarum retentor; nisi prius à confessario sit præfixum certum tempus ad solvendum; & ita illud potuerit solvere, per cautionem possibilem, nam si potuit, & non satisfecit, habet reservatum. Sic Fagund. *tom. 2. disp. 19. §. 4. n. 6.* Circa hunc sextum casum, vide *supra sect. 11. incipiente à n. 230.* & intellige juxta summam hîc designatam.

373. Septimus, *Commutatio votorum*, de quo vide *supra n. 354.* Octavus, *Manus violenta in clericum*, de hoc octavo casu consule *supra n. 189. & seqq. & disp. 15. à n. 31.* Nemo, *ordinari per saltum, vel cum dimissoriis falsis, aut furtivè se ingerendo ad ordines*, de hoc tractavimus *supra n. 310.* Decimus, *Testimonium falsum in actibus, vel judicio, & Scripturâ falsâ*; intellige de illâ, quæ exhibetur in actibus, vel in judicio, de quo *sect. precedent. à n. 357.* Alia vide *à n. 207.* Undecimus, *hæresis reservata Prælato, cujus absolutio, non committitur Provisori*, de hoc tractavi *supra à n. 18.* De facultate, quæ datur confessoribus, vide *in fine sect. precedent.*

SECTIO XXI.

Recensentur casus reservati in Diœcesi Conimbricensi.

374. IN illius *Constit. tit. 4. constit. 4.* numerantur quatuordecim casus, qui ibi reservantur. Primus, *Hæresis*, de quo *sect. 2. à num. 18.* Addit Abreus *l. 10. n. 395.* Mentalis, quod alii etiam docuerunt. Existimo tamen hîc non reservari hæresim mentalem; quia licèt verba reservationis id exprimant, D. D. tamen communiter, quos citavimus *disp. 15. sect. 1. n. 8.* docent, non expedire reservari peccata merè interna; & alii, nec validè, licèt minus benè; ut ibi notavimus, ne ergo dicamus const. Conimbricenses reservare, quod non expedit; & procedere contra consuetudinem Ecclesiæ, quæ est, ne reserventur peccata merè interna, ut tenent Soar. *de panit. disp. 29. sect. 3. n. 3. prope finem, & tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 18. n. 3.* Tambor. *de jure Abbat. tom. 2. disp. 13. q. 4. n. 2.* Lezan. *in q. q. Regul. tom. 3. Verb. Casus reservati n. 9.* potius dicendum, hîc non reservari hæresim mentalem, nam plures D. D. ibi citati docent, nullum de facto dari peccatum internum reservatum: Si tamen expresè reservatur, reservatio observanda est.

375. Secundus, *Blasfematores publici*, de quo *supra sect. 3. per totam.* Tertius, *Venefici aut Venefica*, de quo *sect. 4.* Quartus, *Homicidium voluntarium, executioni mandatum*, extra bellum, de quo *sect. 6. per totam.* Quintus, peccatum illius, cujus culpâ, aut negligentiâ filii suffocati reperiuntur; de quo *dicta sect. 6. à n. 139.* Sextus, *Incendium de proposito, ex intentione nocendi*, de quo *sect. 7.* Septimus, *Sacrilegium*, de quo *sect. 8.* Octavus, *Excommunicatio Major jure, vel ab homine, multis reservata*; de quo *sect. 9. à n. 194.* Vide etiam *n. 352.* quoad hoc reservatum. Nonus, *habere bona aliena, cujus Dominus ignoratur, quæ excedant valorem unius aurei*, de quo *sect. 12.* cum eâdem declaratione, ibi positâ, & pœnâ duplicatæ solutionis, & excommunicationis, quæ non est latæ sententiæ. Decimus, *Decimæ non solutæ, quæ excedant valorem ducentorum regalium Lusitanorum*, hoc est *ducentos reis*, de quo *sect. 11.* cum declaratione ibi positâ, & pœnâ excommunicationis ipso facto in confessarium latæ; qui aliter ab hoc casu absolverit; quam extendunt Const. ad eos, qui à Pontifici, vel ordinario reservatis absque privilegio absolverint.

376. Undecimus, *Copula cum sponsâ, post sponsalia jurata, vel post matrimonium domi contractum ante benedictiones*, quamvis hoc ultimum jam non sit reservatum, jussu D.D. Joann. Emmanuelis, ut se audivisse, asserit Abreus *de Paroch. l. 10. n. 395.* Et meritò; quia communiter docent D. D. non esse peccatum mortale, nec etiam veniale, consumare matrimonium, ante benedictiones, ut cum Sanch. Basilio, & aliis pluribus, tenet Leand. *tom. 2. tract. 9. de matrim. disp. 7. q. 72. & 73.* Tamborin. *tract. 6. de matr. cap. 4. n. 3.* Abreus *proximè n. 357.* Vide etiam Fragos. *2. part. disp. 19. §. 3. n. 7.* Licèt peccatum mortale, consumare matrimonium, ante benedictiones, sentiant Ægid. & alii apud Leand. *cit. q. 75.*

377. Ut tamen hoc primum, scilicet copula cum sponsâ de futuro, sit reservatum, hæc requiruntur; primum, quod sponsalia sint jurata; ut ex tenore reservationis expresè colligitur, ibi *cum asquas esta jurados.* Ita Emman. Laurent. Soar. *de reservat. cap. 3. §. 3. fol. mihi 125.* Secundum, quòd vera sint sponsalia: nam si ex aliquo capite sint nulla, non datur reservatio. Tertiùm, quòd copula sit consumata. Sic Abreus *supra n. 357.*

378. Duodecimus, *Injectio manus in clericum, vel Monachum*, de quo videatur *supra à n. 189.* Decimus tertius, *ordinatio per saltum, vel cum falsis dimissoriis, aut licentia falsa, vel qui furtivè se ingessit ad ordines suscipiendos*; de quo *sect. 14. §. unico.* Decimus quartus, *juramentum falsum in judicio, sive judex sit Ecclesiasticus, sive secularis, ordinarius, vel delegatus, necnon coram Rectore Universitatis*, de quo *sect. 10.*

379. Circa hoc ultimum insurgit dubium: An Scholastici incurrant reservatum, si non assistant cum suo Rectore Sacro; & concioni in visitatione alicujus Ecclesiæ, quando jubentur in aliquo die solemni, per modum Universitatis concurrere, ratione juramenti, quod præstiterunt, servandi Universitatis statuta? Respondeo negativè cum Sanch. *l. 3. decal. cap. 14. num. 6.* & apud illum Vasq. Azor. Rodrig. Metin. Rebuff. Dried. & aliis, & Soar. Lusit. *de panit. tract. 7. n. 611.* Ratio est, quia in eâ re non obediendo, non peccarunt mortaliter. Et hoc ostenditur, quia res erat levis; & juramentum præstitum de statutis, solùm obligat ad res in eis contentas, eo modo, quo in illis continentur: hoc est ad mortale, si res sit gravis, & obliget ad mortale; & ad veniale, si res sit levis, & obliget ad veniale; & ad solam pœnam, si ad pœnam solùm obliget: ergo cùm prædicta assistentia sit res levis, solùm erit veniale, ac proinde non reservatum: Constitutiones verò loquuntur de juramento, quod Scholastici coram Rectore præstant, in aliqua re à quâ sub juramento interrogantur; & si falsò jurent, sunt perjuri, & reservatum incurrunt.

380. In hâc Diœcesi possunt sacerdotes sæculares, absolvi à reservatis ordinario à quocumque confessario sæculari, aut Regulari, ab ordinario approbato, exceptâ excommunicatione majori, à quâ non poterunt absolvi, nisi de licentiâ Episcopi, aut Provisoris, sic habetur *in Constit. tit.* 4. *Constit.* 3. *in fine.*

SECTIO XXII.

De reservatis in Diœcesi Egitanensi. Vulgò Guarda.

381. IN Constit. hujus Diœcesis *l.* 1. *tit.* 8. *cap.* 14. duodecim reservantur casus. Primus, *Blasfemia publica*, de quo vide *sect.* 3. *supra à n.* 24. Secundus, *Veneficia, aut iis uti*, de quo consule *sect.* 4. Tertius, *Invocatio Dæmonis*, de quo *sect.* 5. Quartus, *manus violenta in clericum*, de quo vide *supra n.* 189. *& seqq.* & *disp.* 15. *à n.* 31. Quintus, juramentum falsum in judicio, vel actibus judicialibus, de quo *sect.* 10. *à n.* 207. Sextus, *Homicidium voluntarium extra bellum*, de quo *sect.* 6. *à n.* 62. Septimus, *Incendium de proposito ex intentione nocendi, antequam denuntietur, nam post denuntiationem reservatur Papæ* de quo *sect.* 7. *à n.* 143. Octavus, *Decima non soluta Ecclesiis, quæ excedant valorem ducentorum regalium*; hoc est, *de dous tostoens*, cum prædictâ admonitione, & declaratione in casibus aliarum Diœcesum, *de quo sect.* 11. Nonus, *Revelatio sigilli facta à Confessario*, de quo *sect.* 16. Decimus, *Excommunicatio major à jure vel ab homine, alicui non reservata*, de quo *sect.* 9. *à n.* 194. Undecimus, *habere bona aliena, cujus dominus ignoratur, quæ excedant valorem quingentorum regalium*, nempe de *quinhentos reis*, cum admonitione, & declaratione facta in supra dictis Diœcesibus; de quo *sect.* 12. Duodecimus, *Peccatum parochi, vel confessoris, qui ultra mensem apud se retinuerit, vel in suos usus converterit bona de quibus præcedens casus, vel quævis alia bona, quæ in eorum manibus fuerint deposita, viâ confessionis, ut restituantur.* At ubi primum restituerint, cessat reservatio.

382. In cit. Constit. conceditur facultas confessariis, absolvendi vagabundos à censuris, & reservatis ordinario. Conceditur etiam, ut possint absolvere sacerdotes, & clericos in sacris à censuris, & casibus eidem Ordinario reservatis, duobus exceptis, scilicet, revelatione sigilli, & non tradendi bona aliena intra mensem, juxta reservationem duodecimi casus. Conceditur etiam *in dict. cap.* 14. *n.* 16. quod si casus evenerit, in quo nec pœnitens, nec confessarius per se, nec per chyrographum possit ad Prælatum recurrere, pro licentiâ absolvendi à sibi reservatis; & sequatur periculum, vel scandalum, si pœnitens communionem omittat, tunc poterit eum absolvere; in quâ facultate, confessariorum conscientiæ onerantur. De hoc onere, vide Barbos. *de clausul.* 24. *n.* 10. Lezan. *in q. q. Regul. tom.* 3. *Verb. Clausula n* 17.

SECTIO XXIII.

De casibus reservatis in Diœcesi Portuensi.

384. IN Constit. Hujus Diœcesis *tit. de confessione*, reservantur tredecim casus. Primus, *Blasfematores, aut abnegatores publici.* De blasfemiâ, seu blasfematoribus, vide *dicta supra, sect.* 3. & simul ibi explicatur de renegatoribus; qui sunt etiam blasfematores: omnis enim, qui renegat Deum, & sanctos, blasfemus est. Secundus est, *Venefici, aut Divinatores publici, quorum peccata ab aliquibus personis sciantur*; horum verò peccata, & casus præcedentis, si sint omnino occulta, non reservantur. Quid autem veniat nomine occulti, vel notorii, vide *disp.* 15. *sect.* 9. *in principio.* De hoc secundo casu, consule *sect.* 4. *& 5.* Tertius, *excommunicatio major à jure, vel ab homine*, de quo *sect.* 9. *n.* 194. *& sect.* 19. *n.* 352. dum agitur de hoc reservato. Quartus, *Incendium de proposito, ex intentione nocendi, antequam denuntietur; post denuntiationem enim Papa reservatur*, de quo *sect.* 7. *à n.* 143. Quintus, *Homicidium voluntarium, executioni mandatum, extra bellum justum*, de quo *sect.* 6. Sextus, *Testimonium falsum in actibus, aut judicio, aut Scriptura falsa, & usus illius*, de quo *sect.* 10. Vide etiam in *sect.* 19. *n.* 357. *& seqq.*

384. Septimus, sacrilegium, scilicet *occidere, aut ferire in Ecclesiâ, aut cæmeterio, ex quo vulnere detur loci violatio; infringere portas, aut seras sacrarii, aut Ecclesiæ cum violentiâ, illam incendere, auferre ab Ecclesiâ illum, qui ad illam confugit, furtum de loco sacro, aut sacrum de loco non sacro.* De his quatuor sacrilegiis, quæ hîc tantùm reservantur, vide circa primum *sect.* 8. *à n.* 172. Circa secundum vide *sect.* 20 *à n.* 363. circa particulam: *illam incendere, sect.* 7. *à n.* 143. Circa tertium; *auferre ab Ecclesiâ, &c. sect.* 8. *à n.* 164. Circa quartum: *furtum de loco sacro, &c.* eandem *sect.* 8. *n.* 383. Octavus, *Hæresis specialiter reservatur Prælato, & ab illâ absolvere non potest Provisor secundùm Trident.* de quo *sect.* 2. *à n.* 18. Nonus, *habere alienum cujus dominus ignoratur, quod excedat valorem quingentorum regalium*, hoc est *de quinhentos reis*, de quo *sect.* 12. Decimus, *Decima non soluta, quæ excedant valorem ducentorum regalium Lusitanorum*, hoc est *de dezudentos reis*, cum admonitione, & declaratione, in aliis Diœcesibus, designatâ; de quo *sect.* 11. Undecimus, *Commutatio votorum*, de quo *sect.* 19. *n.* 354. Duodecimus, *manus violenta in clericos, juxta summarium Papæ reservatorum, ultra contenta in Bullâ cœnæ Domini*, de quo videatur *supra n.* 189. *& seqq.* & *in diff.* 15. *n.* 31. *& seqq.*

385. Decimus tertius. *Ordinari per saltum, aut cum licentiâ falsâ, aut se ingerendo furtivè ad ordines, aut sine legitimâ ætate.* In hoc 13. casu quatuor reservantur; de tribus primis, consule *sect.* 14. *à n.* 313. De quarto, nempe, de eo, qui suscepit ordines absque legitimâ ætate, cum supra non maneat expositus, ad illius intelligentiam aliqua breviter attingam.

386. Suppono primò, ad recipiendam primam tonsuram, requiri septennium completum: ut statuitur

tuitur in jure, & colligitur *ex Trident. sess. 23. cap. 4. de reform.*; & habetur apud D. D. quos referunt Tamborin. *l. 7. de ordin. cap. 6. §. 2. a n. 3.* Leand. *tom. 2. tract. 6. disp. 6. q. 1.* Ad recipiendos verò omnes quatuor ordines minores, licèt aliqui probabiliter doceant, requiri annum decimum quartum; probabilius tamen est, satis esse septennium completum; quia tamen in hac ætate puer scire nequit ea, quæ à Tridentin. requiruntur, tardius sunt ordinandi. Vide Tamborin. *cit. n. 5.* Leand. *q. 2.* & alios, quos citant. Ad tres ordines majores, sic statuit Conc. Trident. *dict. sess. 23. cap. 12. de reform. Nullus in posterum ad subdiaconatus ordinem, ante vigesimum secundum; ad Diaconatus, ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus, ante vigesimum quintum ætatis suæ annum, promoveatur.* Hi anni intelligendi sunt incepti, juxta communem Theologorum, & Canonistarum sensum. Sic Tambor. *à n. 7.* & Leand. *q. 3. locis citatis.*

387. Suppono secundò; qui ordinatur primâ tonsura, vel ordinibus minoribus, ante legitimam ætatem, peccat mortaliter, & similiter qui illum ordinat, ut docent Sanch. *in Consil. l. 7. cap. 1. dub. 33. n. 15. & 16.* Tamborin. *supra n. 6.* & alii. Qui verò ordinatur ordine sacro, ante ætatem legitimam, ultra peccatum mortale, suspensionem incurrit; ut habetur in Extravag. Pii. II. quæ incipit: *Cum ex Sacrorum*, edita 15. Kalend. Decembris anno 1401. & si in ordine suscepto ministret, irregularitatem contrahit. Sic Marchin. *de ordin. tract. 1. part. 5. cap. 3.* Soar. Narbon. quos refert, & sequitur Leand. *ubi supra q. 9.* Bonacin. *tom. 3. de censur. disp. 3. q. 1. punct. 1. n. 1. & 2.* His suppositis.

388. Dico primò: Qui minores ordines suscipit ante legitimam ætatem, habet casum reservatum; quia sunt verè ordines, & peccat mortaliter; ut *n. precedente* cum Sanch. notavimus. Idem dicendum de recipiente sacros ordines absque legitimâ ætate: si tamen bonâ fide illos recepit, credens se habere ætatem, non habet reservatum; quia bona fides, & ignorantia illum excusat à peccato, quod hic reservatur. Secus dicendum de habente ignorantiam crassam, & de eo, qui dubitavit, & diligentiam non adhibuit, ad veritatem indagandam; quia peccavit mortaliter, & reservatum incurrit.

389. Objicies: Probabilius est, non incurrisse suspensionem illum, qui cum ignorantiâ crassa ante legitimam ætatem, recepit ordines sacros; ut cum Avil. Portel. Villal. Ægid. Præposit. Hurt. Navarr. Marchin. Trullench, docent Dian. 3. *part. tract. 4. resol. 192. & 5. part. tract. 10. resol. 32.* Leand. *ubi supra q. 12.* ergo etiam non incurret reservationem. Respondeo, negando consequentiam, dispar ratio est: quia ut incurratur suspensio ex Bullâ Pii II. requiritur præsumptio, dolus, & contumacia, ut docent citati authores; quæ potest, non dari cum ignorantiâ crassa, & vincibili: at cum hac ignorantia, datur peccatum mortale, quod hic reservatur.

390. Dico secundò: Ordinatus ante legitimam ætatem bonâ fide, si adveniente mala fide, celebret, quamvis peccet mortaliter, ut tenent communiter omnes D. D. non tamen incidit in reservatum; quia reservatio non imponitur celebranti ante legitimam ætatem, sed ante illam, ordines recipienti. Accedit, quòd si celebrans, non incurrit irregularitatem; quia cum receperit ordines bonâ fide, suspensionem non contraxit: ergo cùm postea, adveniente malâ fide celebret; quamvis mortaliter peccet, irregularitatem non incurrit; non enim censuratus celebravit. Sic cum Peyrin. Villal. Soar. Nunò Bonac. Castr. Palao Dian. 3. *part. tract. 4. resol. 182.* Leand. *ubi supra q 13.* ergo etiam reservationem non incurrit.

391. Adverte, Constit. Portuenses *tit. 5. const. 3. n. 1.* concedere; posse Parochos, & quoscunque alios confessarios ab ordinario approbatos, absolvere à prædictis reservatis Episcopo, omnes clericos sacris constitutos, nec non beneficiarios, & ministros Ecclesiæ, exceptâ excommunicatione majori. Excipe etiam ultimum additum Decimi casus, quod etiam excipitur. Addo in dictis *Constit. tit. 5. Constit. 6. n. 1. in principio* Concedi facultatem dictis Parochis, & aliis confessariis ab ordinario approbatis, absolvendi omnes sæculares ab omnibus casibus à jure, vel consuetudine, Episcopo reservatis, exceptis tredecim recensitis. Attamen jam hâc *disp. n. 3.* notavimus cum non paucis D. D. nullos dari de facto, tam ex jure, quàm consuetudine Episcopo reservatos.

SECTIO XXIV.

Recensentur casus reservati in Diœcesi Visensi.

392. IN Constit. Diœcesis Visensis *l. tit. 5. Constit. 12.* reservantur quatuordecim casus. Primus, *Hæresis*, de quo *sect. 3. à n. 18. & sect. 21. in principio.* Secundus *Blasfemiatores, seu blasfemia publica*, de quo *sect. 3. à n. 24.* Tertius, *Veneficium, aut quacunque operatio personæ, ex pacto tacito, vel expresso cum Dæmone*, de quo sect. 4. & 5. Quartus *Ordinari sine patrimonio, pensione, aut per saltum, vel cum dimissoriis falsis, aut fictivè se ingerendo ad ordines*, de quo *sect. 14.* Quintus, *conficiens scripturam falsam, vel falsificare factam, aut usus illius*, de quo *sect. 13.* Sextus, *Homicidium voluntarium, opere consumatum, extra bellum*, de quo *sect. 6.* Septimus, *incendium de proposito, ex intentione nocendi, vel damnum inferendi*, de quo *sect. 7.* Octavus, *Sacrilegium*, de quo *sect. 8.* Nonus, *Excommunicatio major à jure, vel ab homine, nulli reservata*, de quo *sect. 9.* Decimus, *Habere bona aliena, cujus dominus ignoratur; quæ excedant valorem ducentorum regalium Lusitanorum*, hoc est: *ducentos reis*; de quo *sect. 12.* Undecimus, *Decima non soluta Ecclesiis, vel personis, quibus debentur, quæ excedant valorem centum regalium Lusitanorum* vulgò *decem reis*, de quo *sect. 11.* Vide etiam *sect. 1.* Duodecimus, *Matrimonia Clandestina*, de quo *sect. 13.* Decimus tertius, *Manus violenta in clericum*, de quo recole dicta *supra n. 189. & seqq. & disp. 15. à n. 31.* Decimus quartus, *Juramentum falsum in judicio*, de quo *sect. 10.* Ultimò, committitur omnibus confessariis absolutio ab omnibus casibus in jure, vel consuetudine Episcopo reservatis, de quo vide *num. precedentem in fine.*

SECTIO XXV.

De reservatis in Diœcesi Lamecensi.

393. IN hujus Diœcesis Constit. *tit. de Confess. constit.* 10. quindecim reservantur casus. Primus, *Hæresis*, de quo *sect.* 3. *à n.* 18. *& sect.* 21. *in principio.* Secundus, *Homicidium voluntarium extra bellum*, de quo *sect.* 6. Tertius, *Incendium de proposito ex intentione nocendi*, de quo *sect.* 7. Quartus, *Sacrilegium*, de quo *sect.* 8. Quintus, *Excommunicatio major à jure, vel ab homine, nemini reservata*, de quo *sect.* 9. *& n.* 352. Sextus, *Habere bona aliena, quorum dominus ignoratur, qua excedant valorem quadringentorum regalium Lusitanorum* id est *de quatro centos reis*; de quo *sect.* 12. Septimus, *Matrimonia Clandestina*, de quo *sect.* 13. Octavus, *Commutatio quorumcunque votorum*, de quo *sect.* 19. *n.* 354. Nonus, *Manus violenta in clericum*, de quo videatur *n.* 189. *& seqq. & disp.* 15. *à n.* 31. Decimus, *juramentum falsum in judicio*, de quo *sect.* 10. Undecimus, *Oppositio prolis* de quo *supra à n.* 139. Duodecimus, *Ordinatio per saltum*, de quo *supra à n.* 313. usque ad 315. alia enim ibi explicata hîc non comprehenduntur; nam solùm reservatur, ordinari per saltum. Decimus tertius, *Scriptura falsa, vel quacunque alia falsitas in judicio, vel actibus judicio, vel actibus judicialibus*, de quo *sect.* 15. Nota tamen, hîc tantùm reservari delictum facientis scripturam falsam, non verò illius, qui utitur ab alio factâ; ita enim verba exprimunt. At si in judicio, vel actibus judicialibus, utatur falsâ, vel ab alio falsatâ, committitur reservatum; quia datur falsitas in illis; sicut etiam reservatur peccatum illius, qui in dictis actibus, utitur falsis probationibus, quia datur falsitas in judicio, vel actibus judicialibus, quod in præsenti reservatur. Decimus quartus; *Venefici, & Venefica, augures, & divinatores*, de quo *sect.* 4. *&* 5. Decimus quintus, *Blasfemia, & abnegatio publica*, de quo *sect.* 3.

SECTIO XXVI.

De reservatis in Diœcesi Algarabiensi.

394. IN Constit. hujus Diœcesis *tit.* 3. *cap.* 12. quindecim reservantur casus. Primus, *Hæresis*; de illo consule dicta *hac disp. à n.* 18. Videri etiam potest *n.* 374. Secundus, *Blasfematores publici*, ibidem *à n.* 24. Tertius, *Venefici, & Venefica, quorum peccata ab aliquibus sciantur.* Circa hunc casum nota, hic non solùm reservari horum peccata, quando sunt publica, sed etiam quando ab aliquibus sciuntur: non enim est idem, peccatum esse publicum, ac ab aliquibus sciri: quia quod est notum duobus, tribus, vel quatuor, non dicitur publicum, seu notorium juxta ea, quæ diximus *disp.* 15. *n.* 100. & tamen ab aliquibus scitur. Quare si peccatum Venefici, aut Venificæ, quamvis non sit publicum, si tamen à duobus, tribus, aut quatuor sciatur, est peccatum reservatum; secus dicendum, si ab uno sciatur; quia tunc ab aliquibus non scitur. De hoc casu in hâc *disp. à n.* 42. Et adverte, hîc non reservari peccata eorum, qui veneficiis utuntur à veneficis confectis.

395. Quartus casus est: *Homicidium voluntarium executioni mandatum, extra bellum justum.* De hoc, vide *sect.* 6. *per totam.* Adverte tamen, hoc reservatum non incurri ab eo, qui lethaliter, & cum intentione occidendi, hominem percussit; si ante mortem ipsius hominis percussi, suum peccatum plenè fuit confessus; nec sequutâ morte, illud iterum tenetur confiteri. Ratio, est quia quando confessus fuit suum peccatum, non erat reservatum; quia adhuc non erat homicidium in executione; quod hic tantùm reservatur: sed nullus tenetur sua peccata ritè confessa, iterum confiteri: ergo nec secutâ morte, quæ naturaliter secuta fuit; ex datâ causâ, non liberè, nec voluntariè, ex eo quòd voluntas, jam per pœnitentiam sit rescisa; & peccatum, per confessionem validam, dimissum. Sic Henriq. *l.* 5. *cap.* 5. *n.* 5. *in Gloss. litt.* 2. Fagund. *in* 2. *Eccles. præcept. l.* 8. *cap.* 7. *n.* 17. Raph. Aversa *de sacram. pœnit. q.* 10. *sect.* 2. & apud ipsum Homobon. & Bordon. quos omnes refert, & sequitur Dian. *part.* 8. *tract.* 7. *resol.* 85. accedunt Abreus *de Parochi. l.* 10. *n.* 338. *in fine.* Castr. Palao, *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 1. *punct.* 3. *n.* 7. *in fine*; non rectè citatus à Dian. pro oppositâ sententiâ. Idem videtur sentire Hurtad. *in materiâ excommun. difficult.* 15. *n.* 76. apud Dian. *cit.* dum asserit, non incurrere excommunicationem, si lata sit contra committentem homicidium, si ante secutam mortem, omnino efficaciter resipiscat ille, qui illi causam dedit.

396. Fateor, contrariam sententiam doceri à Sanch. *l* 9. *de matrim. disp.* 4. 5. *n.* 29. & apud illum Sot. docentes, teneri percutientem hominem lethaliter; postea confiteri mortem secutam; cùm verò morte secutâ, in executione detur homicidium erit reservatum: At quamvis hæc sententia sit probabilis, probabilior est relata *n. præcedente*, quam dicit probabilem ipse Sanch. *cit.*

397. Quintus casus est, *Incendium ex intentione nocendi, antequam denuntietur, nam post denuntiationem est casus Papalis.* De illo hîc *disp. à n.* 143. Sextus, *Sacrilegium.* De quo ibidem *sect.* 8. *à n.* 154. Septimus, *Excommunicatio à jure, vel ab homine.* De illo ibidem *sect.* 9. *à n.* 194. *& sect.* 19. *n.* 352. dum agitur de hoc reservato. Octavus: *Habere bona aliena, quorum dominus ignoratur; qua excedant quadringentos regales Lusitanos*, hoc est *quatrocentos reis*; attamen si non excedant, potest habens, absolvi; dummodo prius tradat ea bona ad fabricam Ecclesiæ, cujus est parochianus; si verò excedant, non fiet dispositio, sine consultatione Episcopi, aut Vicarii Generalis; qui certiores intra mensem fient. De hoc casu videatur ibidem *sect.* 12. *à n.* 276. Nonus *Decima non soluta Ecclesiis, quibus debentur, qua excedant quadringentos regales Lusitanos*, hoc est, *quatrocentos reis.* Si autem non excedant poterit, pœnitens absolvi; dummodo satisfaciat personæ, cui debentur. De quo recole dicta ibidem *sect.* 11. *à n.* 250.

398. Decimus; *Qui non fuerunt confessi, annis præteritis tempore Quadragesimæ.* Sub hoc casu, hactenus non explicato, aliqua veniunt declaranda. Primum, ad hoc ut incurratur reservatio, necesse est, quòd saltem per duos annos, pœnitens non fuerit confessus; quia reservatur peccatum illius, qui non fuit confessus annis præteri-

tis

tis in plurali, & non anno præterito in singulari: cùm ergo pluralis locutio duorum numero sit contenta, juxta *Reg. pluralis. 40. de regul. juris in 6.* dicendum est, requiri saltem, quòd per duos annos, pœnitens non fuisset confessus. Sic Abreus de *Paroch. l. 10. n. 369.*

399. Secundum: habet etiam reservatum ille, qui licèt per duos annos elapsos fuisset confessus, in illis tamen fecit confessionem voluntariè nullam; quia voluntariè omisit aliquod mortale, vel non habuit peccatorum dolorem internum. Ratio est, quia Christus Dominus, & Ecclesia præcipiunt verum sacramentum pœnitentiæ: at confessio voluntariè nulla non est verum pœnitentiæ sacramentum. Accedit quod Alexander VII. in Constit. quæ incipit: *Sanctissimus Dominus*, editâ 24. die Septembris anni 1665. in hoc opere sæpius cit. damnavit, ut minimum, tanquam scandalosam, hanc propositionem: *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Quæ ex damnatis est 14. ergo certò sequitur, talem pœnitentem, qui voluntariè, annis præteritis, confessionem fecit nullam, non satisfecisse Ecclesiæ præcepto; ac proinde habere reservatum; idem enim est nulliter confiteri; ac non confiteri.

400. Ex prædictâ damnatione, exterminanda venit sententia asserentium, per confessionem non integram, omittendo voluntariè aliquod mortale, satisfieri præcepto annuæ confessionis; ut docuerunt Sylvestr. Victor. Gabriel. Can. Ledesm. & alii apud Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 3. q. 52.* Idem dicendum de confessione integra, nulla tamen, & invalida, ob defectum omnino internum, v. g. ob defectum doloris pœnitentis; licèt oppositum tenuissent Gabriel Sylvest. Victor. Ludovic. de S. Joann. apud Leand. *proximè q. 53.* Alia circa hanc materiam vide apud Moyam *tom. 1. in q. q. select. tract. 3. de sacram. pœnit. disp. 1. q. 8. n. 21.*

401. Tertium: habent peccatum reservatum impuberes, quales sunt masculi ante 14. & fœminæ ante 12. annum, si per aliquos annos, post discretionis annos, habentes conscientiam peccati mortalis, non confiteantur. Ratio est; quia *ex cap. omnis utriusque, de pœnit. & remiss.* constat, omnes fideles utriusque sexus, postquam ad annos discretionis pervenerint, teneri omnia sua peccata, saltem semel in anno, confiteri. Deinde reservationibus Prælatorum subduntur; ut tenent Card. de Lug. *de pœnit. disp. 20. n. 10.* & apud ipsum Homob. Lazarius, & Floronus. Idem asserunt Mend. *in Bull. disp. 23. n. 16.* & Leand. *tom 1. tract. 5. disp. 12. q. 5.* Licèt oppositum defendant Palud. Graff. Bellochius apud Dian. *part. 2. tract. 15. resol. 1.* quos ipse sequi videtur. Idem tenet Didacus de Narbon. apud Leand. *super citat.* Si tamen hi impuberes ab his reservatis sint immunes, ut in aliquibus Diœcesibus, ab illis excipiuntur; dicta peccata non erunt reservata.

402. Quartum: Non habet reservatum ille, qui ideo omisit confessionem, quia non habebat peccatum mortale; quia præceptum annuæ confessionis, non obligat illos, qui venialia tantùm habent; ut probabilius docent Soar. *tom. 3. in 3. partem disp. 36. sect. 2. n. 3.* Vasq. & alii plures, quos congerit, & sectatur Leand. ubi *supra dict. disp. 3 q. 31.*

403. Quintum: Non habet reservatum, qui confessiones præteritas, tempore quadragesimæ, fecit informes; quia plures D. D. docent per illas satisfieri præcepto. Sic Soar. Granad. Hurtad Fagund. Card. de Lug. quos citat, & amplectitur Leand. *dict. disp. 3. q. 54.* Licèt opposita sententia sit etiam probabilis, quam tuentur Vasq. Bonacin. & alii apud Leand. Quæ autem sit confessio informis, vide *supra disp. 7. n. 110.*

404. Undecimus hujus Diœcesis casus est, *Matrimonia Clandestina, & testes eorum.* De quo hac *disp. sect. 13.* & circa testes *n. 353. in fine.* Duodecimus. *Manus violenta in clericum.* De quo ibid. *sect. 8. n. 189. & seqq. & disp. 15. à n. 31.* Decimus tertius: *Ordinatio per saltum, aut cum dimissoriis falsis, aut furtive se ingessisse ad ordines.* De quo tractatur *ibid. sect. 14. à n. 313.* Decimus quartus: *Commutatio quorumcumque votorum.* De hoc *ibid. n. 354.* & plura dicentur *infra disp. 21. per totam.* Decimus quintus: *Testimonium falsum in judicio, vel in actibus, & Scriptura falsa.* De primò, vide dicta *ibid. à n. 357.* Paulò post principium; & de eo Testimonio in judicio, vel in actibus *sect. 10. à n. 307.* de Scriptura falsa *sect. 15. à n. 32.*

SECTIO XXVII.

De *casibus reservatis, in Diœcesi Mirandensi.*

405. IN Constit. Mirandensis Diœcesis, *tit. 4. de Sacram. Confess. constit. 10.* quatuordecim reservantur casus. Primus. *Hæresis.* De quo in hac *disp. à n. 18.* videri etiam potest *n. 374.* Secundus: *Blasfemia, aut abnegatio Dei.* De primo *ibid. à n. 24.* de abnegatione Dei; videatur *n. 383.* Tertius. *Crimen maleficii, aut divinationis.* De primo in hac *disp. à n. 42.* De divinatione, *à n. 53.* Quartus. *Testimonium falsum in judicio.* De hoc vide ibid. *à n. 357. paulò post principium.* Vide etiam omnino *sect. 10. à n. 207.* usque ad finem sectionis.

406. Quintus. *Facere Scripturam falsam, vel illa uti in judicio*; de quo vide ibidem *à n. 321.* usque ad finem sectionis. Adverto tamen contra Abrev. *de Paroch. l. 10. n. 353.* solùm habere reservatum, qui Scripturam falsam fabricavit; vel qui illâ usus fuit, sive Scriptura à se ipso, sive ab alio fuisset fabricata; non verò illum, ad cujus preces, facta fuit Scriptura falsa, si illa usus non fuit: nam verbum: *facere*, quo utuntur Constit. in præsenti casu, non sumitur moraliter, sed physicè; & cùm simus in materia odiosa, qualis est reservatio, siquidem est restrictiva jurisdictionis confessariorum, verba debent sumi in proprio sensu, nempe physico, & non morali.

407. Sextus: *Homicidium voluntarium extra bellum.* De quo *sect. 6. per totam.* Septimus. *Excommunicatio major à jure, vel ab homine.* De hoc diximus *sect. 9. à n. 194. & n. 352.* dum egimus, de hoc reservato. Unde adverto, quatuordecim excommunicationes designatas in Constit. si incurrantur, esse reservatas; cohæret enim hæc reservatio, cum declaratione S. Congreg. ibi allata. Octavus *Matrimonia Clandestina.* De hoc ibid. *à n. 291.* Vide etiam *n. 353.* in fine, dum agitur de hoc reservato.

408. Nonus. *Concubinatus hominis conjugati seu habentis Legitimam uxorem.* Hic casus adhuc, in superioribus, non manet explicatus; aliqua tamen continet dubia; quæ explicatione indigent,

gent. Primum sit: Quid in hoc casu veniat nomine *Concubinatus*? Aliqui authores existimant, venire Concubitum viri cum fœmina soluta, quam habet domi, ac si esset propria uxor, cùm talis non sit. Ita Navarr *in summ. latin. cap.* 16. *à n.* 1. Card. Tolet. *l.* 5. *summ. cap.* 10. Bernard. Dias *in pratic. apud Salzed. cap.* 73. *&* 79. quos affert Fagund. *tom.* 2. *decal. precept.* 6. *l.* 6. *cap.* 2. *n.* 1. Hi tamen D. D. loquuntur de jure civili, ut videre est apud Marchin. de ordin. *tract.* 1. *part.* 8. *cap.* 3. *n.* 2.

409. At de jure Canonico, Concubinatus apud Fagund. *cit. n.* 2. sic describitur: *Est Concubitus viri cum solutâ, quamvis in domo propriâ, vel extra retinet, & ad quam frequenter, vel ex consuetudine accedit, sive retineat, ut Concubinam, sive ut pedissequam, sive quocunque alio modo.* Quare non solùm datur Concubinatus, quando quis domi Concubinam retinet, sed etiam quando foris, extra domum; modo ad illam accedat, quando libet. Ita Leo Moys. Riccius Marc. Antonin, Gemcens. Bellent. Decian. quos refert, & sequitur Barbos. *in collect. Trident. ad sess.* 25. *de reform. cap.* 14. *n.* 3. & Filliuc. *tract.* 3. *in* 6. *decal. precept. cap.* 2. *n.* 55. *ad finem* Bernard. Dias *in pratic. cap.* 73. *in prima edit.* quos citat, & sequitur Fagund. *loco cit.* Idem tenet. Tamborin. *l.* 7. *decal. cap.* 1. *n.* 2. Abreus de paroch. *l.* 10. *n.* 367. Marchin. *proxime.* Et expressè colligitur *ex Tridentin. sess.* 24. *de reform. cap.* 8. ibi *uxoratos quoque in hoc damnationis statu vivere, ac accedere eas*, id est Concubinas, *quandoque domi, etiam cum uxoribus alere, & retinere.* Et clariùs *sess.* 25. *de reform. cap.* 14. loquens de clericis, ibi: *Nec Concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio in domo, vel extra detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant.* Sic etiam loquuntur nostræ *Ordin. l.* 5. *tit.* 27.

410. Ex his collige primò, concubinatum posse dari inter conjugatos, solutos, ordine sacro initiatos, Religiosos &c. Secundò collige, licèt in descriptione concubinatus adducta à Fagund. *proximè n.* 409. dicatur concubinatus, concubitus viri cum solutâ, etiam cum uxoratâ posse dari, & inveniri; ut expressè colligitur *ex Trident. cit. sess.* 24. *cap.* 8. *de reform.* ibi: *Mulieres, sive conjugatæ, sive solutæ, quæ cum adulteris, seu concubinariis, publice vivunt.* &c. Ex quibus verbis, etiam constat, dici concubinatum, si homo dictam consuetudinem habeat cum uxoratâ.

411. Secundum dubium: Quinam concubinatus hìc reservetur? Respondeo, reservari solùm concubinatus hominis uxorati; si ergo uxorem non habeat, non reservatur. Reservatur tamen, sive concubina sit etiam uxorata, sive non, sive sit consanguinea, sive affinis, sive domi, sive extra, illam habeat. Ratio est; quia concubina dicitur à concubitu: ergo qualiscunque illa sit, cum quâ uxoratus, dictam habet consuetudinem, reservatum habebit.

412. Tertium dubium: An concubina hominis uxorati, etiam comprehendatur in dictâ reservatione? Respondeo, non comprehendi. Ratio est, quia Constit. solùm reservant concubinatum hominis uxorati: ergo cùm reservatio sit odiosa, ut sæpius diximus, non est extendenda ad personas non expressas.

413. Dices: Reservatio hujus casus, videtur esse superflua, & frustanea. Ostenditur, quia confessarius non potest, absolvere concubinarium, nisi prius domo ejiciat concubinam; & si illa habitet extra domum; nisi firmiter proponat, ad illam non accedere, addita experientia alicujus temporis, juxta prudentiam confessarii; ut docent Fagund. *ubi supra n.* 3. *&* 4. & apud ipsum Card. Tollet. *l.* 5. *summ. vers. Alter casus* Navarr. *in summ. lat. cap.* 6. *à n.* 1. Filliuc. *tract.* 3. *in* 6. *decal precept. cap.* 2. *n.* 56. quibus accedunt Tambor. *l.* 7. *decal. cap.* 1. *n.* 2. & Dominic. Baltasanas in sua Magarita, Chapeavilla, Rodrigues, Paludan. Joann. Sanch. D. Antonin. Sylvestr. apud Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 7. *q.* 35. His accedunt Card. de Lug. Bonacin. Filliuc. Pellizar. Arriag. Sanch. & alii, quos fideliter citat, & sequitur Carden. *in disp. select.* 1. *disp.* 18. *cap.* 9. *n.* si ergo confessarius non potest absolvere quemcunque concubinarium, præcisa omni reservatione ut citati D. D. inquiunt, superfluum, & supervacaneum est, hunc casum reservare.

414. Respondeo, quamvis data ea sententia, quam veriorem censeo, necesse non esset, eum casum reservari, quando concubina domi retinetur; quia juxta illam, nec pro prima vece potest concubinarius absolvi nec etiam, si concubina domo jam rejecta esset; quia jam casus erat reservatus; cùm homo uxoratus in concubinatu jam extitisset. Accedit, quòd si concubina extra domum sit, & admittatur opinio asserens, concubinarium posse absolvi, si verum propositum habeat, quam primum eam ejiciendi, necesse erat hunc casum reservari; ut de facto rẽservatur; & juxta hanc reservationem, etiam data hac opinione, non potest concubinarius, absolvi; sed pro absolutione debet ad Prælatum recurrere, juxta dicenda disp. sequenti; quia Prælatus sibi absolutionem concubinatus hominis uxorati reservavit.

415. Ut hæc melius percipiantur, sciendum est, Concubinarium domi habentem Concubinam, vel alium quemlibet aliam occasionem proximam peccandi mortaliter, non esse absolvendum; nisi prius Concubinarius Concubinam domo ejiciat, & alius occasionem proximam relinquat, nec ejus proposito fidendum, ut docent D. D. citat. *n.* Et ratione ostenditur; quia dum Concubina, & occasio proxima non ejicitur: non ejiciens est in peccato mortali: sed confessarius non potest absolvere existentem in peccato mortali: ergo. Major patet, quia est in periculo peccandi: ergo est in peccato mortali.

416. Hìc non obstante opinione, quam dixi veriorem; plures D. D. contrariam defendunt, Soar. *tom.* 3. *in* 3. *part disp.* 32. *sect.* 3. Joann. Sanch. *in select. disp.* 10. *n.* 4. Tabièn. *verb. Concubinatus n.* 2. Candid. Graff. Angel. & alii, quos citant, & sequuntur Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 7. *q.* 35. Moya. *tom.* 1. *in q. q. select. tract.* 3. *disp.* 7. *q.* 5. *n.* 5. Soar. *Lusit. de pœnit. tract.* 6. *n.* 388. & alii, quos *infra disp.* 20. *n.* 104. citabimus; ubi ex Carden. videbimus, plures, ex citatis, prædictam non docere. Illam verò probat Moya hâc ratione; quia pœnitens, ut absolvatur, non debet prius exequi, quidquid facere tenetur; sufficit enim, quod doleat, de omissione culpabili præterita; & propositum habeat efficax, non peccandi de cætero; in quo continetur intentio, ejiciendi Concubinam, & relinquendi occasionem quamlibet aliam proximam peccandi: sed qui sic accedit ad confessionem, sufficienter accedit dispositus: ergo à confessario est absolvendus.

417. Si

417. Si autem ab his authoribus quæras: Quid agendum in casu, quo pœnitens aliquoties proposuit Concubinam ejicere, & occasionem quamcunque proximam relinquere; & virtute hujus propositi à confessario fuit absolutus; & tamen promissis non stetit; potestne usque ad tres aut quatuor vices absolvi, quin Concubinam ejiciat, vel occasionem proximam relinquat? Affirmativè respondet Joann. Sanch. *disp.* 10 *n.* 4. citans Medinam, Cordub. Cajet. Armill. D. Antonin & Soar. accedunt Candid. Graff. Granad. & alii, quos etiam affert, & sequitur Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 7. *q.* 35. & in simili *q.* 51. Probant, quia ex secunda, tertia, & quarta promissione, de ejiciendâ Concubina, aut alia occasione proxima; non sumitur judicium grave, de defectu dispositionis pœnitentis.

418. Cæterum, hanc sententiam non admittunt communiter D. D. dicunt enim, nulla interveniente causa, ad non ejiciendam Concubinam, & relinquendam occasionem proximam; si pœnitens semel, ac iterum absolutus, & promissis defecit, non esse tertiò absolvendum; quia non potest prudens confessarius, judicium, de ejus firmo proposito non peccandi, concipere. Ita Cistr. Palao *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 2. *punct.* 9. §. 3. *n.* 18. Dian *part.* 5. *tract.* 14. *resol.* 107. Moya *tom.* 1. *in q. q. select. tract.* 3. *disp.* 7. *q.* 5. *n.* 7. Soar. Lusit. *proximè n.* 392. alios citans.

419. Cæterum si postquam pœnitens semel, ac iterum fuit absolutus, deprehendatur à confessario, se habere extraordinarium dolorem, & propositum, relinquendi occasionem, posse eum absolvere, existimant Laym. & Navarra, quos refert, & sequitur Bruny *tom.* 1. *de sacram. tract.* 4. *de pœnit. q.* 15. & Moya *proximè n.* 8. Soar. Lusit. *supra n.* 390. *in fine.* Et idem videntur sentire Card. de Lug. *de Pœnit disp.* 14. *n.* 151. & Dicastill. *tom.* 2. *de Sacram. tract.* 8. *de pœnit. disp.* 6. *n.* 335. ex ea ratione, quia confessarius ita se habet, ac si pœnitens nunquam tale peccatum confiteretur; quia nunquam habuit intensissimum dolorem, & propositum, ut in præsenti manifestat.

420. Quæres: An data justa causa, ad non ejiciendam Concubinam, vel relinquendam occasionem proximam, possit confessarius pœnitentem absolvere; quia si illam ejiciat, vel occasionem relinquat, daretur scandalum, infamia, detrimentum grave spirituale, aut corporale? Negant posse absolvi Navarr. Soar. Reginald. Graff. Coriolanum apud Leand. mox citandum. Affirmant Vivald. Bonac. Hurtad. Cardin. de Lug. & alii; quos citat, & amplectitur Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 7. *q.* 36. Dicastill. *nuper adductus n.* 340. citans D. Thom. utrunque Sanch. his addo Dian. *part.* 2. *tract.* 16. *resol.* 45. Arriag. *de pœnit. disp.* 38. *n.* 38. Soar. Lusit. *citat n.* 395. ubi supra septem, & 30. authores pro hac sententia citat. Et Moya *cit. n.* 9. idem fatetur, de occasione proxima intrinsecâ, nempe de eo, qui labitur ex fragilitate in pollutiones voluntarias, & in alia vitia; quod etiam tenet cum aliis Joann. Sanch. *dict. disp.* 10. *n.* 9. Probant hi D. D. quia in his casibus non dicitur pœnitens velle occasionem peccandi, sed illam permittere, ne scandalum, gravem infamiam, aut detrimenta gravia patiatur.

421. Ego tamen existimo, hanc sententiam affirmativam esse intelligendam, quando hæc damna, & incommoda, hominem reducunt, ad impossibilitatem moralem, ejiciendi Concubinam, vel relinquendi occasionem proximam. Ratio patet, quia nemo tenetur ad impossibile: nam occasio in his circumstantiis dicitur necessaria. Et cùm non solùm detur impossibilitas moralis, sed etiam physica, in occasione intrinseca, admittenda est ea, quam tenet cum pluribus Moya. Videatur Carden. ubi *supra à n.* 153.

§. Unicus.

Sequelæ, quæ ex tradita doctrina colliguntur.

422. SEquitur primò, non posse in aliquo casu, absolvi illum, qui est in occasione proxima peccandi, quam potest, & non vult omittere; imo illam directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit. Unde Innocentius XI. suo decreto 4. Martii anno. 1679. hanc propositionem, ut minimum, tanquam scandalosam damnavit: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur; quam potest, & non vult omittere, quinimo directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.* Quæ inter damnatas ab eodem Pontifice est. 61. Et ex ipsis terminis patet, quam improbabilis, & falsa sit. Vide Arriag. *de pœnit. disp.* 38. *à n.* 31.

423. Ratio est, quia non potest absolvi, qui est actu in peccato mortali: sed qui est in occasione proxima, quam potest, & non vult omittere; imo directè, & ex proposito illam quærit, aut ei se ingerit, est actualiter in peccato mortali: ergo non potest absolvi. Major est certa quia ad absolutionem peccati, requiritur detestatio peccati per contritionem, vel attritionem; quæ non datur in actualiter peccante: homo enim, qui actualiter committit peccatum mortale, cum proposito non peccandi in futuro tempore, implicat contradictionem; quòd pro tunc habeat detestationem, & verum propositum sufficiens ad justificationem: nam propositum requisitum ad justificationem, vel includit voluntatem actualiter separatam à peccato, vel saltem actualiter cum illa connectitur: ergo qui est in occasione proxima peccandi, quam potest, & non vult omittere, imo directè, & ex proposito illam quærit, aut ei se ingerit; non potest absolvi.

424. Secundò sequitur, non esse admittendam sententiam Joann Sanch. in suis Select. *disp.* 10. *n.* 20. asserentis, non esse negandam absolutionem ei, qui suæ Concubinæ, quam domi habet, mutuò dedit centum aureos, quorum recuperandorum spes nulla supererit, si domo illam ejiciat, vel è contra, si fœmina non recuperatura esset centum sibi debita, si domum Concubinarii desereret; quam sententiam, ut probabiliorem sequitur Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 7. *q.* 39. & pro illa citat duos graves authores scilicet Cardin. de Lug. & Bonac. sed ab hac calumnia, illos liberat Cardenas, *dict. tract.* 1. *disp.* 11. *cap.* 12. *n.* 177. & 178.

425. Sententiam Joann. Sanch. & Leand. impugnat idem Carden. variis rationibus, ex quibus, hanc seligo. Si in prædicto casu, Concubinarius non dicitur, velle occasionem, sed permittere, (ut ait Joann. Sanch.) similiter, qui propter centum aureos promissos, non fugeret leonem, aut taurum fœvientem, & proximum mortis periculum, non diceretur, velle periculum mortis, sed permittere; quia tantùm vult, non amittere promissos centum aureos: Sed hæc voluntas permissiva, non illum liberat à peccato mortali: Ergo etiam eadem voluntas non liberat Concubinarium à periculo peccandi, nec à peccato mortali. Quare sententiam Sancii dicit improbabilem Arriag. *tom.* 8. *disp.* 28. *n.* 35. & alii.

426. Tertiò sequitur, non esse sufficientem causam,

ad non ejiciendam Concubinam, utilitatem aut aliam causam honestam; quæ occurrit, non fugiendi occasionem peccati. Quia S. S. D. N. Innocentius XI. suo decreto die 4. Martii anni 1679. edito, damnavit, ut minimum, tanquam scandalosam hanc propositionem: *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta, non fugiendi, occurrit.* Estque ex damnatis ab eodem Pontifice 62.

427. Ex quâ damnatione, certò est improbabilis, & falsa sententia Joann. Sanch. *proximè cit.* docentis, non teneri Concubinarium domo ejicere Concubinam, si ei sit nimis utilis ad lucranda bona temporalia, mediâ negotiatione. Quod probat exemplo fabri ferrarii, qui non tenetur omittere laborem, ob jejunium servandum, & mercatoris, qui non tenetur amittere nundinas, propter missam audiendam die festo: ergo etiam non tenetur ejicere occasionem proximam, propter lucrum ex negotiatione Concubinæ proveniens.

428. Hæc tamen exempla non sunt ad rem: nam faber ferrarius non tenetur omittere suum laborem propter jejunium, nec mercator deserere nundinas, propter auditionem missæ; at uterque tenetur, & omittere laborem, & deserere nundinas, ne incidant in sævientem leonem, & in periculum proximum mortis; & similiter ne incidant in periculum proximum peccati mortalis. Ratio diversitatis est, quia jejunium, & auditio missæ non obligant cum damno deserendi laborem, aut nundinas ex benignâ interpretatione, & intentione legislatoris; fuga autem occasionis proximæ obligat cum damno temporali; nisi sit talis, quod redigat hominem ad impossibilitatem moralem, ut diximus *n.* 421. Vide Arriag. *supra citat.*

429. Quod diximus de utilitate ad bona temporalia, mediâ negotiatione, dicendum est de aliis utilitatibus; quia nulla potest dari utilitas, quæ obligationem dissolvat fugiendi periculum proximum peccati mortalis; quando non adest impossibilitas mortalis. Idem dicendum de causa honesta, quia nulla est, quæ possit cohonestare periculum proximum peccati mortalis.

430. Quartò sequitur, justam non habere causam, ad non ejiciendam domo Concubinam, nec esse absolvendum illum, qui non vult illam ejicere, ob commodum condimentum ciborum Concubinarii; quia hæc causa nulla est, cùm orta sit ex malâ consuetudine, quam habet cum Concubina, & absque illis epulis, ab illa conditis, potest agere vitam, & ad id tenetur, ob animæ suæ salutem. Quare Alexander VII. 23. Martii anni 1666. hanc propositionem, ut minimum, tanquam scandalosam damnavit: *Non est obligandus Concubinarius ad ejiciendam Concubinam, si hæc nimis utilis esset, ad oblectamentum Concubinarii, vulgò Regalo, dum deficiente illo, nimis agrè ageret vitam, & alia epula tædio magno Concubinarium afficerent, & alia famula, nimis difficilè inveniretur.* Quæ ex damnatis est 41. & fuit ex Joann. Sanch. *in select. disp.* 10. *n.* 20.

431. Ante hanc damnationem, communiter oppositum docebant D. D. Thom. Hurt. *tract.* 8. *cap.* 5. *resol.* 11. *à n.* 88. Martin. de Prado *tom.* 1. *pracip. q.* 9. *cap.* 15. *q.* 15. §. 5. *n.* 28. qui sententiam Joann. Sanch. vocant scandalosam, improbabilem, & indignam viro catholico, & alii. Ratio est, quia illa proprii oblectamenti convenientia, & illius privatio, non est ratio sufficiens ad domi retinendam Concubinam, cum periculo proximo peccandi; ut post dictam damnationem, latè prosequitur, esse improbabilem Cardenas *disp.* 9. *art.* 8. & 9. & specialiter *tract.* 1. *disp.* 18. *cap.* 12. *n* 198. & ante damnationem Arriag. de pœnit. *disp.* 38 *à n.* 35.

432. Quintò sequitur, non esse causam licitam ad quærendam, vel non ejiciendam occasionem proximam, bonum spirituale, vel temporale nostrum, vel proximi: quia S. S. D. N. Innocentius XI. in suo decreto *supra citato*, damnavit hanc propositionem, ut minimum, tanquam scandalosam: *Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.* Estque ex damnatis ab hoc Pontifice 63. Quæ propositio videtur esse Basilic. Pontii *de matrim. in appendic. cap.* 6. apud Dian. *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 269. & *tract.* 5. *resol.* 3. Verba Basilic. apud Dian. *in summ. verb. Periculum n.* 2. sunt hæc: *licitum enim est, si talis causa adsit, sive in magnum bonum Spirituale, sive temporale: nec requiritur, ut causa sit semper involuntaria, aut ex necessitate proveniens, sed satis est etiam, si sit voluntariè quæsita.* Quæ verba in substantia sunt eadem, quæ S. Pontifex damnat in dict. propositione. Oppositum cum Soar. *de charit. disp.* 9. *sect.* 2. *n.* 8 tenet Dian. *locis cit & dict. resol.* 3. ait: Unde cogita, si opinio Basilic. Ponti, quam *supra in tract.* 4. *de Sacram. resol.* 269. adduxi, sit probabilis.

433. Hæc tamen Basilic. doctrina, vel cujuscunque sit authoris, est falsa. Illius tamen expositio dependet ab illa quæstione; an liceat alicui, se exponere probabili periculo peccandi; quod intellige directè, & voluntariè; nam quando aliquis ex necessitate ingreditur periculum, ipse non se exponit periculo, sed necessitas eum in periculum induit. Et certum est, nemini licere, propter aliorum, vel sui magnum bonum spirituale, vel temporale, se exponere probabili periculo peccandi mortaliter; juxta illud Eccles. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*; nam in moralibus (utor verbis Soar. *supra*) idem est committere, ac exponere se, morali periculo committendi. Quod maximè verum est, quando periculum est in materiâ determinatâ, in quâ aliquis fragilem se expertus est. Hæc ad nostrum intentum sufficiant, alia plura, quæ ad hujus explicationem sunt desiderata, invenientur apud Carden. *in disp. select. tract.* 1. *disp.* 18. *à cap.* 6. ubi ante damnationem prædictæ propositionis, hanc ingeniosè, luculenter, & doctè disputat quæstionem. Alii tamen aliqua adducunt exempla; quæ ut benè conveniant, regulanda sunt ab illis, quæ asseruntur à Carden.

§. II.

Exponuntur reliqui casus Diœcesis Mirandensis.

434. Decimus casus in hac Mirandensi Diœcesi reservatus est: *Ordinatio ante ætatem, vel furtivè aut per saltum.* De primo, nempe de ordinatione ante ætatem *hâc disp. sect.* 13. *à n.* 386. de secundo, scilicet Furtivè, *à n.* 317. usque ad finem sectionis; de tertio, id est: per saltum, *à n.* 313. Undecimus: *Incendium de proposito, ex intentione nocendi.* De hoc manet expositio, ibid. *sect.* 7. *à n.* 143. Duodecimus: *Sacrilegium.* De quo ibid. *sect.* 8. *à n.* 154. Decimus tertius: *Decima non solutæ, Ecclesiæ, quæ excedant valorem ducentorum regalium Lusitanorum,*

hoc

hoc est, *de duzentos reis*. De hoc vide ibid. *sect.* 10. *à n.* 250.

435. Decimus quartus. *Habere bona aliena, quæ excedant valorem trecentorum regalium Lusitanorum*, hoc est, *de trezento reis*. Existimo verum, in hoc decimoquarto casu, non reservari retentionem bonorum, quorum dominus ignoratur, ut rectè notavit Abreus *de paroch. l.* 10. *n.* 402. *in fine*. (si fortè aliqua verba per typographi inadvertentiam non fuerunt omissa.) Ratio est, quia bona inventa, quorum dominus ignoratur, juxta probabilem opinionem, possunt ab inventore retineri, cum intentione ea tradendi vero domino, cùm comparuerit; ut cum pluribus D. D. vidimus *supra n.* 389. ergo licèt in pluribus Diœcesibus, hic casus reservetur juxta aliam opinionem, & quidem communem, quam adduximus *supra n.* 288. hæc Diœcesis prudenter egit, illa non reservando. Accedit, quòd etiam in opinione communi, juxta quam Constit. reservant hunc casum, inventor potest uti Bullâ compositionis, ut jam *supra* notavimus, & *infra* dicemus; & sic reservationem vitabit.

436. Inquires: De quibus bonis, procedat hæc reservatio. Abreu *loco citato*, *& n.* 368. existimat, procedere de bonis subnegatis veris dominis cognitis; id tamen non probat; nec ex verbis Constitutionis hunc casum reservantis, id colligi potest; quia in illa reservatur, *habere bona aliena, quæ excedant valorem trecentorum regalium Lusitanorum*, in quibus verbis nulla fit mentio de bonis subnegatis; sed absolutè reservatur, habere bona aliena; quæ verba majorem videntur continere extentionem.

437. Et ostenditur; quia bona, quæ aliquis potest habere aliena, possunt etiam esse non subnegata, sed debita alicui creditori cognito; qui ignorat, ea sibi deberi ab eo debitore, non tamen illi subnegantur, quia ab eo non exiguntur: & cùm verba reservationis sint universalia, de omni habente bona aliena, quocunque modo debita, debent intelligi.

438. His non obstantibus, (præcisa prohibitione S. Congreg. de mandato Clementis VIII.) existimo probabilissimum assertum Abreu. Ratio est, quia in præsenti, non censetur reservari, habere bona aliena non subnegata; nam reservatur ea retentio, si bona excedant valorem trecentorum regalium Lusitanorum: sed hæc non potest reservari. Probo, quia *in Concil. Tridene. sess.* 14. *cap.* 7. statuitur, esse tantùm reservanda graviora, & atrociora crimina; quod idem decrevit S. Congreg. de mandato Clementis VIII. ut latius vidimus *hac disp. n.* 10. *&* 11. sed habere bona aliena, quæ tantùm excedunt valorem trecentorum regalium non subnegatorum, non sunt crimina graviora; ut docuerunt Quintan. & Tamborin. *citat. loco*, *n.* 14. adducti; ergo hæc retentio hic non censetur reservata.

439. Confirmatur, quia Ordinarii non expediunt excommunicationes ad petitionem creditorum, pro bonis eis usurpatis, nisi hæc bona excedant valorem quingentorum regalium, amplius; existimantes pro minori valore, non esse tam gravem pœnam expediendam: ergo etiam reservatio, non censetur imposita pro habente tantùm bona aliena, excedentia tantùm valorem trecentorum regalium Lusitanorum.

440. Quod verò in præsenti casu reservetur, habere bona aliena subnegata, quæ excedant valorem trecentorum regalium, constat: quia grave, & atrox delictum est coram judice, aut ipso creditore subnegare malitiosè eum valorem, & in his terminis Legitima evadit reservatio.

441. Dixi, *n.* 338. *præcisa prohibitione S. Congregat. de mandato Clementis VIII.* de quâ mentionem fecit *supra in hac disp. n.* 15. quia in eâ prohibentur Episcopi, sibi reservare casus, in quibus absolutio, nisi cum restitutione, vel executione eorum, ad quæ pœnitentes tenentur, non confertur. Sed habentibus bona aliena subnegata, absolutio non confertur, nisi cum restitutione eorum bonorum, juxta ea, quæ diximus de occasione proxima peccandi, *supra n.* 415. Observanda tamen est hæc reservatio, quia secundum alibi dicta, est valida. Ad rationem *n.* 437. adductam, quatenus videtur nobis adversari, patet ex dictis solutio.

SECTIO XXVIII.

Exponuntur casus reservati in Diæcesi Portalegrensi.

442. IN Constit. hujus Diœcesis *l.* 1. *tit.* 6. *cap.* 19. tredecim reservantur casus. Primus. *Blasphemia publica, quæ proferatur coram duabus saltem personis.* De hoc reservato disp. præsenti *sect.* 3. *à n.* 24. Adverte tamen publicum hic non accipi pro illo, quod est notorium notoreitate juris, vel facti, de quo D. D. ut vidimus *disp.* 15. *n.* 186. sed pro illo, quod aliquo modo probari potest, *ut citato loco*, in tertio occulto; quod hîc occultum non dicitur, ut constat ex verbis; *saltem duabus personis.*

443. Secundus. *Veneficium, scilicet facere veficia, illa petere, & uti.* De hoc ibidem *sect.* 4. *à n.* 42. Adverte tamen ibi solam fuisse explicationem de facientibus, & utentibus veneficiis; hîc autem reservatio extenditur, ad illa petentes. Quare non solùm Veneficia facientes, & illis utentes habent reservatum, sed etiam illa petentes; etiamsi illa non conficiant, nec illis utantur.

444. Tertius. *Juramentum falsum in judicio, vel facere Scripturam falsam aut illa uti in damnum tertii.* De juramento falso in judicio *ibid. sect.* 10. *usque ad finem.* De facientibus scripturam falsam, aut illa utentibus, *ibid. sect.* 15. *n.* 321. *usque ad finem.* Cæterùm adverte, hæc reservari, quando sunt in damnum tertii. Unde si in damnum alicujus non veniant, non sunt reservata.

445. Quartus. *Homicidium voluntarium extra bellum justum, opere consummatum, tam exequentis quàm mandantis.* De hoc *hac disp. sect.* 6. *per totam.* At advertè, hîc etiam reservari peccatum mandantis, quod citato loco, non reservatur. Quintus. *Incendium de proposito ex intentione nocendi.* De quo ibid. *ibid. sect.* 7. *à n.* 148. Sextus. *Manus violentæ in clericum.* De quo ibid. *sect.* 8. *n.* 189. *& seqq. & disp.* 15. *à n.* 31. Septimus: *Excommunicatio major à jure, vel ab homine, quæ alteri reservata non sit.* De quo ibid. *sect.* 9. *à n.* 194. Vide etiam *n.* 352. dum agitur de hoc reservato. Octavus: *Violatio sigilli Sacramentalis.* De hoc ibid. *sect.* 6. *à n.* 324 & quamvis hic non exprimantur sacerdotes confessarii, ad illos tantùm, mihi videtur esse extendendam reservationem, & non ad illos sigillum violantes.

446. Nonus. *Sacrilegium.* De illo *ibid. à n.* 154. Decimus: *Ordinari sine patrimonio, aut cum illo fictо, aut per saltum, aut sine dimissoriis, vel cum illis falsis, quod perinde est; aut furtivè se ingerere ad ordines, aut ordinari ante legitimam ætatem.* De hoc dictum est *ibid. sect.* 14. *per totam.* Et de ordinato, ante legitimam ætatem *sect.* 23. *à n.* 336. Undecimus. *Habere bona aliena, quorum dominus ignoretur, quæ excedant valorem quadringentorum regalium nostræ monetæ*; nempe, *de quatrocentos reis*; De hoc *ibidem à n.* 276. Duodecimus. *Decima non soluta cui debentur, quæ excedant valorem quadringentorum regalium*: hoc est: *de quatrocentos reis.* De quo ibid. *à n.* 250.

447. Decimus tertius: *Sollicitatio in confessionario, tam ex parte confessoris, quàm ex parte pœnitentis.* De quo *hac disp. sect.* 17. *à n.* 334. *usque ad finem Sectionis.* Addo, *citato loco* solùm reservari sollicitationem ex parte confessoris, hîc tamen extendi ad pœnitentem. Abreus *de paroch. l.* 10. *n.* 403. asserit, hunc casum comprehendere pœnitentem, sive sollicitet, sive sollicitationi consentiat.

448. At hoc ultimum non admitto: nam in præsenti reservatur sollicitatio in confessionario ex parte confessoris, & pœnitentis: pœnitens verò, qui sollicitationi consentit, non dicitur sollicitare; ut docent Acuna, Treytas, Sanctarell. Joann. Sanch. Peyrines, Homobon. Trullench. Sousa Hurtad. Castr. Palao Portel, quos citatos refert Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 12. *q.* 20. asserentes, non esse denuntiandum confessarium, quando sollicitatus à fœmina sollicitationi consentit, ex eâ ratione; quia non sollicitavit. Et quamvis oppositum teneant; nempe, esse denuntiandum, Fagund. Dian, & alii, quos sequitur ipse Leand. *cit.* non est ex eadem ratione, quia sollicitavit; sed quia consentiens sollicitationi, habuit illicitos, & inhonestos sermones in confessione; qui sermones in Bullâ Greg. XV. prohibentur: in reservatione autem præsentis casus, non reservantur hi sermones ex parte pœnitentis; sed tantùm sollicitare; quod non datur in pœnitente, quæ tantùm sollicitationi consensit. In fine hujus capitis imponitur confessoribus excommunicatio, qui extra articulum, & periculum mortis absque Prælati licentia, aut privilegio ab his casibus absolverint.

SECTIO XXIX.

Declarantur casus reservati in Diœcesi Eluensi.

449. IN Constitut. hujus Diœcesis, *tit.* 6. §. 20: reservantur quindecim casus. Primus. *Blasphemia publica.* De quo dictum est *hac disp. à n.* 24. Secundus. *Sepelire in loco sacro illum quem sepeliens cognoscit fuisse publicum Excommunicatum.* De hoc vide *disp.* 8. *sect.* 6. *paulò post principium*, ubi hujus casus materia explicatur.

450. Tertius. *Decima non soluta Ecclesiæ, cui debentur, quæ excedant valorem ducentorum regalium*, vulgò *de ducentos reis, si non satisfecerit postquam confessarius assignavit tempus ad restituendum conveniens.* De hoc casu diximus *supra hac disp. sect.* 2. *per totam.* Circa illum nota, confessarium posse pro prima vice absolvere; si pœnitens proponat solvere, intra tempus à Confessario præscriptum; at si intra id tempus, non satisfecerit, jam habet reservatum.

451. Et quid dicendum, si confessarius ex inadvertentia, aut ignorantia casus reservati, tempus solvendi, non præscribat pœnitenti? Respondeo, inprimis certum esse, peccasse mortaliter, si ex malitia tempus ad solvendum, non designavit; quia in materia gravi, munus suum non obivit.

452. Ad quæsitum respondeo, cum pœnitentem, quando secundò accessit ad confessionem, non facta restitutione decimarum, non habere casum reservatum. Ratio est quia verba reservationis, designationem temporis à confessario factam, ad solvendum, requirunt; ut hîc casus sit reservatus: sed confessarius adhuc huic pœnitenti tempus ad solvendum, non designavit: ergo adhuc non est reservatus. Fateor tamen, hunc pœnitentem non esse absolvendum, quin prius solvat debitum decimarum; quia dubitatur de sua dispositione, cùm semel, ac iterum accessit ad confessionem non restituens, cum possit, ut suppono; vide quæ diximus *n.* 419. & *antecedentibus.*

453. Quartus casus. *Homicidium voluntarium.* De quo *sect.* 6. *per totam.* Et meritò huic casui non additur, *extra bellum justum*: quia homicidia in bello justo inita contra inimicos in ipso conflictu, non sunt peccata mortalia, & ubi non datur peccatum mortale, non datur reservatio. Quintus. *Abortus procuratus, secuto effectu.* De abortu diximus *hac disp. sect.* 6. *à n.* 93.

§. I.

Elucidatur sextus casus Diœcesis Eluensis, simonia.

454. SExtus casus reservatus est *simonia.* De quo in superioribus hactenus non egimus. Ut verò hoc reservatum dignoscatur, aliqua de simonia attingemus. Simonia igitur, sic definiri solet: *Est sacrilegium consistens in studiosa voluntate emendi, vendendi, seu commutandi rem sacram, seu Spiritualem, vel Spirituali annexam, pro temporali, ut pretio.* Ita D. D. communiter, specialiter Bonac. *tom.* 1. *disp.* 1. *de simonia, q.* 1. *n.* 2. Castr. Palao *part.* 3. *tract.* 17. *disp.* 3. *punct.* 1. *n.* 2. Lezan. *tom.* 4. *Verb. simonia quoad Regulares. n.* 2.

455. Dividitur primò in eam, quæ est juris divini, & naturalis, & in eam, quæ est juris positivi. Simonia juris divini, & naturalis, tunc datur, quando aliqua res sacra, aut spiritualis venditur, aut emitur: ut Sacramenta; & calix, quando pluris venditur, ob consecrationem; aut imagines, & alia benedicta, ob benedictionem. In hac Simonia dispensare non potest S. Pontifex. Simonia juris positivi est, quæ ex lege Ecclesiastica ortum habet. Versatur circa permutationem, vel resignationem beneficiorum; & circa emptionem, & venditionem aliquorum officiorum temporalium Ecclesiæ, ut œconomi, vicedomini, advocati, procuratores, sacristæ, &c. quæ ab Ecclesia emi, aut vendi prohibentur, *in cap. Salvator* 1. *q.* 3. Soar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 4. *cap.* 2. Lessi. *l.* 2. *cap.* 35. *dub.* 4. *n.* 26. Castr. Palao *proximè punct.* 2. *n.* 2. Lezan. *n.* 4. & alii.

456. Secundò dividitur Simonia, in mentalem, con-

conventionalem, & realem. Mentalis est, quando nullo præcedente pacto, sed animi affectu Spirituale donatur, ut temporale acquiratur, vel è contra; v. g. Si quis alicui conferat beneficium, intendens obligare ad reddendum temporale; vel è contra, ut si quis alicui conferat temporale, intendens obligare illum, ad reddendum spirituale. Vocatur autem mentalis, non ex eo, quòd in actum externum non exeat, sed quia hic animus non declaratur.

457. Conventionalis est illa, quæ mentali superaddit externam conventionem, seu pactum; ex neutra tamen parte, aut utraque non completur. Realis autem est; qua res temporalis traditur, & ex utraque parte completur conventio, seu pactum. Sic Bonac. *cit. q.* 2. *per totam* Castr. Palao *ubi supra n.* 3. Lezan. *super adduct. n.* 3. & alii quos citant.

458. Ad has reducitur Simonia confidentialis; quæ consistit in resignatione, collatione, electione, vel præsentatione beneficiorum, hoc animo, ut ipsa, vel fructus ipsorum, vel in partem restituantur, vel reserventur ipsi resignanti, conferenti, eligenti, vel præsentanti, aut alteri, juxta ipsius electionem. Ita Sanch. *l.* 2. *Consil. cap.* 3. *dub.* 34. Bonac. *cit. q.* 7. §. 1. *n.* 1. Castr. Palao *punct.* 18. Lezan. *ubi supra n.* 19. & alii apud ipsum. His suppositis.

459. Inquires: Quænam Simonia reservetur in præsenti casu? Abreus *de Paroch. l.* 10. *num.* 364. duo asserit; primum, non esse improbabile hîc non reservari, nisi Simoniam realem, ex utraque parte completam; nempe per traditionem pretii, & acceptionem beneficii, aut rei Spiritualis. Unde quocunque deficiente, aut pretio, aut beneficio, non datur reservatio; & pro hâc sententiâ, inquit, stare aliquos; qui id probant, ex eo, quòd Constitutiones, dum aliud non exprimunt, restringendæ sunt, in materiâ odiosâ ad eam, in quâ vera detur venditio, & emptio.

460. Secundum; quòd probabilius sit, hic reservari Simoniam, quamvis non sit ex utraque parte completa. Movetur, quia D. D. extendunt pœnas Simoniacis impositas, non solùm quando Simonia est completa ex utraque parte, sed etiam quando ex unâ tantùm parte completur, videlicet, quando traditum est beneficium, & tantùm promissum pretium; vel datum est pretium, & tantùm promissum beneficium: in utroque enim casu, vera datur venditio, & emptio realis. Hæc Abreus aliâ tamen viâ incedere intendo.

461. Dico primò: In præsenti casu, non reservatur Simonia, quæ S. Pontifici est reservata. Ratio est, quia in declaratione S. Congreg. Emin. Cardinal. de mandato Clementis VIII. apud Nald. *verb. casus reservatus*, & apud Barbos. *de potestate Episcopi part.* 3. *alleg.* 50. *n.* 286. & alios citatos in hoc opere, prohibentur Episcopi, reservare casus Sedi Apostolicæ reservatos, per hæc verba: *Prohibet etiam, ne sibi superflue reservent casus in Bullâ die Cœnæ Domini legi consuetâ contentos, neque alios Sedi Apostolicæ specialiter reservatos &c.* Ergo ne dicamus, hanc reservationem esse superfluam, & contra hanc prohibitionem, dicendum est hic non reservari Simoniam S. Pontifici reservatam.

462. Ex hac conclusione sequitur primò, in præsenti casu, non reservari Simoniam confidentialem, quia S. Pontifici est reservata, ratione excommunicationis ipso facto; ut patet ex Bullâ Pii IV. quæ incipit: *Romanum Pontificem*, & ex Bull. B. Pii V. incipiente: *Intolerabilis*. De hâc Simoniâ, vide Bonac. *tom.* 1. *disp.* 1. *de Simon. q.* 7. *punct.* 1. §. 1. *per totum*. Castr. Palao *tom.* 3. *tract.* 17. *disp.* 3. *punct.* 18. *per totum*.

463. Secundò sequitur, in præsenti casu non reservari Simoniam commissam in ingressu Religionis ab ingredientibus, & sic ingressos recipientibus; quia hæc Simonia habens sibi annexam excommunicationem ipso facto, S. Pontifici reservatur, *in Extravag.* 1. *de Simoniâ*: De hâc Simoniâ videri possunt Bonacin. *cit.* §. 4. Castr. Palao *proxime punct.* 23.

464. Tertiò sequitur, hîc non reservari Simoniam commissam ab ordinante, ordinato, mediatore, seu præsentatore in ordinibus susceptis. Ratio est, quia hæc Simonia Sedi Apostolicæ reservatur: habet enim annexam excommunicationem ipso facto, ipsi Sedi reservatam *in Extravag.* 2. *cùm detestabile, de Simoniâ*.

465. Quartò sequitur, in præsenti non reservari Simoniam commissam, in receptione, collatione, mediatione, aut nominatione beneficii. Hujus ratio est, jam tradita; quia hæc Simonia est reservata S. Pontifici: habet enim excommunicationem annexam ipsi reservatam, *in Extravag. Cùm detestabile, de Simoniâ*. De his videri possunt Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 1. *de Simoniâ q.* 7. *punct.* 1. §. 2. Castr. Palao *tom.* 3. *tract.* 17. *disp.* 3. *punct.* 23.

466. Dico secundò: Simonia, quæ S. Pontifici non reservatur, & est vera Simonia, reservatur in præsenti casu. Moveor, quia hæc reservatio, ut non dicatur superflua, nec supervacanea, aliquid debet comprehendere: Sed non comprehendit Simoniam S. Pontifici reservatam, ut hactenus ostendimus: ergo comprehendit aliam quamcunque Simoniam. Ne dicamus, Episcopum hîc reservare Simoniam, quando illam committens, censuram ex ignorantiâ, aut inadvertentia ignoravit; quia tunc censura non contracta, Simonia S. Pontifici non est reservata, juxta ea, quæ diximus minus probabiliter *supra disp.* 15. *n.* 15. Hic tamen modus reservandi, quando ille non exprimitur, non videtur admittendus. Nec etiam videtur dicendum, Episcopum hîc nihil reservare, sed tantùm declarare, confessarios non posse absolvere ab hoc casu; quia ratione censuræ S. Pontifici est reservatus. Et hoc non est dicendum; quia ad id nullum datur fundamentum: & datur aliquid, quod Episcopus potest reservare sine aliquo obstaculo. Unde apparet ratio ad hoc ita dicendum, & non de aliquibus casibus, ad quos dictæ rationes fuerunt adductæ. Statuendum ergo est, hîc reservari Simoniam, quæ S. Pontifici non est reservata, & est vera Simonia.

467. Ex hac conclusione sequitur primò, in præsenti casu reservari Simoniam mentalem, modo explicato, *n.* 456. Ratio est, quia Simonia mentalis non est reservata S. Pontifici: Simoniæ enim mentali nulla est imposita pœna, quæ S. Pontifici reservetur; ut docent cum Less. Guttierr. Cardin. Tolet. Soar. Garcias, & aliis Castr. Palao *citat. punct.* 22. *n.* 1. Bonacin. *dict. punct.* 1. §. 2. *n.* 6. & tamen Simonia mentalis est vera Simonia, ut patet ex definitione: ergo hîc reservatur.

468. Secundò sequitur, habere casum reservatum illos, qui commiserunt Simoniam conventionalem ex neutrâ parte completam; imo etiamsi sit tantùm subsecutâ traditione pretii. Ratio est, quia in utroque eventu fuit commissum gravissimum

peccatum Simoniæ: Sed neutrum est S. Pontifici reservatum; quia nulla fuit contracta censura, ut docent omnes D. D. apud Castr. Palao *nuper citat. n.* 2. & Soar. *tom.* 1. *de relig. l.* 4. *de Simonia cap.* 36. *n.* 16. Idem tenet Bonac. *proximè, & n.* 7. *in principio*: ergo reservatur in præsenti casu: nulla enim apparet ratio, cur non reservetur.

469. Tertiò sequitur, etiam habere reservatum in præsenti illum, qui accepit rem Spiritualem, nempe ordinem & beneficium, sed pretium, quod promisit, non solvit. Ratio est, quia peccavit graviter; at probabile est, non esse reservatum S. Pontifici: quia probabile est non incurrisse censuram, & alias pœnas à jure inflictas, ut pluribus citatis, tenent Garc. *de benef. part.* 8. *cap.* 1. *n.* 19. Bonac. *ubi supra disp. n.* 7. & alii apud Castr. Palao *n.* 4. Licet *n.* 5. cum pluribus existimet, censuram S. Pontifici reservatam, & alias pœnas incurrisse. Quare juxta hanc sententiam, cùm hic casus sit S. Pontifici reservatus, in præsenti non reservatur, cùm verò sententia opposita sit probabilis, hic casus juxta Constit. censetur Episcopo reservatus.

470. Sequitur quartò, hic non reservari Simoniam confidentialem, quamvis non sit completa ex utraque parte, quia beneficiarius, accepto beneficio, non illud resignavit, nec contulit fructus, seu pensionem, juxta intentionem illius, qui sibi beneficium in confidentiam resignavit, aut contulit, aut elegit, aut præsentavit. Ratio est, quia D. D. communiter docent, apud Bonac. *cit. disp. punct.* 1. §. 1. *n.* 8. Castr. Palao *cit. punct.* 25. *n.* 8. *vers. Deinde est notandum*, hunc beneficiarium, statim ac beneficium recepit cum præfatâ intentione, excommunicationem S. Pontifici reservatam incurrisse. Si ergo S. Pontifici hujus Simoniæ delictum reservatur, à Constitutione non poterat reservari, juxta *supra dicta n.* 461.

471. Quintò sequitur, esse reservatam Simoniam in præsenti casu, quæ committitur in rebus sacris, & spiritualibus; si non sit commissa in ingressu religionis, ordine, aut beneficiis. Ratio est, quia in aliis, ab his tribus, non sunt latæ excommunicationes, & aliæ pœnæ S. Pontifici reservatæ; ut tuentur Sylvest. Navarr. Less. Ugolin. Soar. quos citat, & sequitur Castr. Palao *proximè punct.* 21. *num.* 2. & cum pluribus alii Bonac. *supra disp. punct.* 1. §. 2. *n.* 17. ergo cùm in illis veræ dentur Simoniæ S. Pontifici non reservatæ, in præsenti casu censentur reservari.

§. II.

Progreditur explicatio ejusdem sexti casus, & asseruntur duæ propositiones damnatæ.

472. INquires primò: An pecuniam promittens, ad consecutionem beneficii, non habens intentionem standi promissis, committat Simoniam, & habeat casum reservatum? Respondeo committere Simoniam, & habere casum reservatum, in opinione Navarr. *in Comment. ad cap. ult. de Simon. num.* 10. *& cap.* 23. *num.* 106. §. *ad* 3. asserentis committere Simoniam; & probat quia intendit media sua promissione, licèt fictâ, & decepatoriâ, alium obligare ad dandum beneficium: Ergo jam aliquo temporali consequitur Spirituale. Si igitur committit Simoniam, & reservato innodatur.

473. Probabilius tamen dicendum, non incidi reservato, quia communior opinio defendit, non committere Simoniam. Ita Cajet. Sot. Card. Tolet. Petr. Navarr. Less. Soar. Aragon. Rodrig. quos refert, & sequitur Castr. Palao *tom.* 3. *tract.* 17. *disp.* 3. *de Simon. punct.* 6. *n.* 2. Eandem sequuntur Lopes, Villal. Araujo, Escobar, & alii, quos adducit, & sectatur Moya *tom.* 1. *in select. tract.* 6. *disp. disp.* 4. *q.* 6. *à n.* 1. *usque ad* 8. Ratio est, quia carens animo donandi temporale pro Spirituali, aut è contra, caret etiam animo emendi, vel vendendi: ergo juxta definitionem Simoniæ, illam non committit.

474. Ad rationem Navarr. respondeo, *in eâ* promissione ficta committi peccatum mortale, dum alius inducitur ad Simoniam committendam; at non committitur Simonia, quia non datur animus emendi; sed opus externum promissionis Simoniacæ.

475. Inquires secundò: An promittens ex animo pecuniam, si postea tamen promissis non steterit, incurrat Simoniam, & per consequens casum reservatum? Respondeo utrumque incurrere: Ratio primi est, quia intervenit studiosa voluntas emendi rem spiritualem, vel spirituali annexam, pro pretio temporali. Ex quâ ratione etiam patet ratio secundi. Nam si commissa est Simonia, & in præsenti reservatur; manet id peccatum reservatum.

476. Dices: Qui ex animo pecuniam promittit, licèt veram committat Simoniam, si postea promissis non steterit, non incurrit pœnas contra Simoniacos, ut docent 28. D. D. apud Garciam de beneficiis *tom.* 2. *part.* 8. *cap.* 16. *n.* 19. & alii plures, quos citant, & sequuntur Illustriss. Araujo *in decis. part.* 2. *disp.* 14. *art.* 6. *n.* 19. Dian. *part.* 10. *tract.* 16. *resol.* 15. *& part.* 11. *tract.* 6. *resol.* 30. Moya *tom.* 1. *in select. tract.* 6. *disp.* 4. *q.* 6. *à n.* 9. ergo etiam non incurret reservationem. Respondeo, negando consequentiam: diversa ratio est, qui in præsenti casu reservatur peccatum Simoniæ, quod fuit perfectè commissum: at juxta citatos D. D. pœnæ non incurruntur, nisi perfecta venditione, quæ non datur, nisi tradito pretio. Vide citatos.

477. Ad calcem explicationis hujus sexti casus, assero duas propositiones, ut minimum, tanquam scandalosas damnatas ab Innocentio XI. in suâ Constit. quæ incipit: *Sanctissimus D. N.* edita 4. Martii anni 1679. Prima, quæ inter ab eo damnatas est 45. Scilicet: *Dare temporale pro spirituali, non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi Spirituale; vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro Spirituali, aut è contra.* Damnationem hujus propositionis, existimo fundari in distinctione, quam illius author apponit, inter pretium, & motivum; cùm revera nulla detur: nam si Episcopus, vel quilibet alius moveatur ad dandum beneficium, vel quidlibet aliud Spirituale propter temporale; motivum illud, in eâ circunstantia, potest flectere animum Episcopi, vel cujuslibet alius: & in sensu Ecclesiæ illud motivum non distinguitur à pretio. Idem dicendum de gratuitâ compensatione pro Spirituali: nam si compensatione intenditur satisfieri beneficio accepto, vel è contra, dando beneficium in compensationem accepti temporalis, est manifesta Simonia.

478. Cum hac propositione damnata coincidit doctrina

doctrina Ghilini *in pratic. resol. casuum conscient. verb. beneficium n.* 7. apud Dian. *part.* 6. *tract.* 7. *resol.* 42. dum asserit: In obtinendis beneficiis licet pacisci de aliquo temporali retribuendo, tanquam motivo, seu pro compensatione gratuitâ; & in hoc casu, non committitur Simonia &c. Sed hanc sententiam, ante dictæ propositionis damnationem, affirmavit Dian. *cit.* in praxi non esse amplectendam. Nam tamen amplexus fuit, ut probabilem, *part.* 2. *tract.* 2. *miscel. resol.* 39. *& part.* 11. *tract.* 7. *miscel. resol.* 23. & alii apud Moyam *tom.* 2. *select. q. q. tract.* 2. *disp.* 1. *q.* 3. *num.* 6. At post prædictam Constit. nequit sustineri dicta doctrina: nam ut minimum, tanquam scandalosa est à Pontifice declarata.

479. Secunda propositio ab eodem Pontifice damnata in citatâ Constit. est inter damnatas 16. conjuncta cum præcedenti; & sic habet: *Et id quoque locum habet, etiam si temporale sit principale motivum dandi Spirituale: imo etiamsi sit finis ipsum rei Spiritualis, sicut illud pluris æstimetur, quàm res Spiritualis.* Ex quibus verbis, clarius apparet falsitas hujus propositionis. Circa illam videri potest Fr. Raymund. Lumbier. *in notitia propositionum ab Innocentio XI. damnatarum à num.* 1620. nam pro explicatione præsentis casus, dicta sufficiunt.

§ III.

Exponuntur reliqui casus Eluensis Diœcesis.

480. SEptimus casus in Diœcesi Eluensi reservatus est. *Incendium de proposito factum, & qui consulunt, adjuvant, vel favent ad tale delictum.* De quo *sect.* 7. Insuper hîc reservatur peccatum consulentis, adjuvantis, vel faventis ad tale crimen. Octavus. *Falsarius instrumentorum.* De eo vide *in hâc disp. à n.* 321. Adverte hic non reservari usus instrumenti falsi, sed illud fabricare, vel falsificare factum. Vide *disp.* 16. *sect.* 9. *à n.* 68. Nonus. *Venefici, & Venefica.* De hoc *ibid. à n.* 42. Decimus. *Sacrilegium.* De quo *ibid. à n.* 154. Undecimus. *Violatio sigilli Sacramentalis.* De hoc *ibid. à n.* 324.

481. Duodecimus: *Excommunicatio major à jure, vel ab homine, quæ alteri non sit reservata.* De quo *ibid. à n.* 194. Videatur *etiam n.* 352. dum agitur de hoc casu. Decimus tertius. *Habere bona aliena, quorum dominus ignoratur; quæ excedant valorem ducentum millium regalium Lusitanorum*; hoc est *de duos mil reis.* De hoc ibid. *num.* 189. *& disp.* 13. *à n.* 31. Decimus quintus: *Ordinatio cum patrimonio ficto, vel per saltum, aut cum dimissoriis falsis, vel ad sacros ordines se furtive ingerere* ibid. *sect.* 14. *per totam.*

SECTIO XXX.

Exponuntur casus in Diœcesi Lerinsi reservati.

482. CAsus reservati in hâc Diœcesi sunt undecim apud Abreus *l.* 10. *de paroch. n.* 407. Primus. *Homicidium voluntarium extra bellum.* De quo in hac *disp. à n.* 62. *usque ad finem sect.* Secundus. *Incendium factum de proposito ex intentione nocendi.* De quo *à n.* 143. Tertius. *Sacrilegium.* De quo *à n.* 154. Quartus. *Excommunicatio major à jure, vel ab homine.* De quo *sect* 9. Videatur etiam *n.* 352. dum sermo est de hoc reservato. Quintus. *Habere bona aliena, quorum domini ignorentur, quæ excedant valorem tercentorum regalium Lusitanorum*, hoc est *de trescentos reis*; *si autem non excedant, potest pœnitens absolvi*; *dummodo prius ea bona tradat, vel pignus ad fabricam Ecclesiæ, cujus fuerit parochianus: & Parochus scribet, sic receptum in libro fabricæ; & non expendetur, nisi de authoritate Episcopi, vel Vicarii Generalis, vel visitatoris: Si verò debitum excedat dictum valorem, tradendum est Provisori, qui per notarium sui officii scribet quantitatem restitutionis factæ, ut illam in operibus piis expendat. Ubi verò fuerit vicarius pedaneus, coram illo hæc facienda est diligentia, ut dictum est de Provisore; & notarius, qui hanc scripserit restitutionem; terminum à se factum ostendet Episcopo, vel visitatori in visitatione, ut de ejus mandato in operibus piis expendatur, sub certa pœnâ notario imposita.* De quo *sect.* 12.

483. Sextus. *Decima non soluta Ecclesiis, quæ excedant valorem ducentorum regalium*: hoc est, *de duzentis reis. At si pœnitens ante confessionem, Ecclesiæ satisfecerit, sive personæ, cui debentur; pœnitens poterit absolvi, licet debitum sit majoris quantitatis.* De hoc dictum est, *hac disp. sect.* 11. *per totam.* Septimus. *Juramentum falsum in judicio, vel actibus judicialibus, vel coram judice, aut superiore competente.* De quo *ibid. sect.* 10. Octavus. *Manus violenta in clericum.* De hoc *ibid. num.* 189. *& in disp.* 15. *à num.* 31. Nonus. *Peccatum eorum, qui ante celebratum matrimonium in facie Ecclesiæ, sponsas carnaliter cognoscunt.* De quo vide *supra n.* 376. Ad hujus casus intelligentiam nota duo, aut tria, primum, hîc non reservari peccatum sponsæ carnaliter cognitæ; ut constat; ex verbis. Secundum, ut peccatum sponsi sit reservatum, non requiri, quòd sponsalia sint jurata: nam sine juramento, dantur vera sponsalia. Tertium hîc non reservari tactus impudicos, sed copulas.

484. Decimus: *Blasfemia publica.* De quo hâc *disp. à n.* 24. Undecimus: *Facere veneficia, vel illa facta alteri dare, aut illis uti, vel etiam consulere personas, quæ veneficia faciunt, ad effectum illa habendi.* De facientibus veneficia, & illis utentibus, diximus *in hac disp. à n.* 42. *usque ad finem sect.* Ulterius hîc reservantur duo: primum veneficia à venefico facta, alteri dare; quamvis ab ipso dante, seu donante non sint facta. Secundum, consulere veneficos, ut veneficia habeantur, vel ab illis factis, vel ab aliis à consulentibus.

485. Denique imponitur excommunicatio ipso facto confessariis, qui absque ordinarii licentia, à dictis casibus absolverint; si verò virtute Bullæ, vel Jubilæi, vel aliquo alio privilegio absolverint, illam non incurrent. Conceditur etiam, ut possint absolvere ab aliis casibus ordinario reservatis; quod Abreus *cit. n.* 408. recte intelligit, de reservatis in jure communi, vel consuetudine. Sed jam sæpius notavimus, hodie de jure communi solùm ordinariis reservari casus occultos Papales extra Bullam Cœnæ. Et existimo certum, hos per prædicta verba, non concedi facultatem, absolvendi, videdicenda *infra disp.* 19. *num.* 7. & de consuetudine, jam nulli ordinariis inveniuntur reservati, ut jam superius notavimus.

SECTIO

SECTIO XXXI.

Declarantur casus reservati, in Diœcesi Funchalensi, seu Insula Materiæ.

486. IN Constitutionibus hujus Episcopatus, *tit. 5. de Sacram. Confess. constit. 5.* decem reservantur casus, hoc ordine: Primus. *Venefici, & Divinatores.* De quo diximus *hac disp. à n. 42.* Nota primò, hîc non exprimi, ut in aliis Diœcesibus, quòd horum peccata debeant esse publica. Quare sive publica, sive occulta sint, reservantur: nam verba absolutè prolata, absolutè & sine limitatione sunt intelligenda. Secundò nota, hic non reservari peccatum illorum, qui Veneficiis, ab aliis confectis, utuntur: nam hi venefici non sunt; & horum solùm veneficiorum confectiones reservantur.

487. Secundus. *Manus violenta in clericum*; de quo *loco citato n. 189. & seqq & disp. 15. à n. 31.* Tertius. *Homicidium voluntarium, executioni mandatum, extra bellum justum commissum.* De quo *à n. 62.* Vide etiam *in sect. 26. n. 395.* Quartus. *Incendium, de proposito cum intentione nocendi, antequam denuntietur; nam postea, est Papale.* De hoc *à n. 143.* Quintus. *Sacrilegium; scilicet, occidere in Ecclesia, aut cœmeterio, infringere portas, aut seras sacrarii, aut Ecclesiæ cum violentia, aut illis ignem applicare; auferre ab Ecclesia illum, qui ad illam confugit, aut furari de loco sacro.*

488. Circa quem casum notandum est; hæc tantùm sacrilegia reservari. Circa primum, in quo reservatur occisio in Ecclesia, vel cœmeterio, vide *hac disp. à n. 171.* Circa secundum: *infringere portas, &c. vide n. 363. & sequentes*, & quoad particulam: *Illis ignem applicare, sect. 7. à n. 143.* Circa tertium: *auferre ab Ecclesia, illum, &c. Vide sect. 8. n. 164. & 165.* Circa quartum: *furari de loco sacro*; ibidem *à n. 181.* Reservatur autem in præsenti furari res sacras, quæ sunt in Ecclesia, aut non sacras, quæ sunt sub Ecclesiæ custodia; nam verba: *furtum de loco sacro*, id tantùm videntur exprimere, ut jam notavimus.

489. Sextus. *Excommunicatio major.* De hoc vide *supra sect. 9. & n. 352.* dum agitur de hoc reservato. Et juxta dicta *cit. locis* hîc non reservatur excommunicatio major à jure canonico lata, nemini reservata: quia verba hujus constitutionis reservantis tantùm excommunicationem majorem, sine aliquo addito; ut intelligantur juxta declarationem S. Cardin. Congregat. de mandato Clementis VIII. de qua mentionem fecimus *in fine sect. primæ hujus disputationis, & locis citatis*, solùm reservant excommunicationes latas in Constit. Synodalibus, & illas, quæ specialiter Ordinariis in jure reservantur. Necnon excommunicationes ab homine, ut *primo citat. loco in fine sectionis*, notavimus.

490. Septimus. *Testimonium falsum in actibus, aut Scriptura falsa.* De hoc ultimo, nempe *Scriptura falsa*, dictum fuit supra *à n. 321.* De testimonio falso, &c. vide *à n. 207.* usque ad finem sect. & omnino *n. 357.* & sequentes.

491. Octavus. *Recipere, vel dare pecuniam, aut aliquid pecunia æstimabile pro confessione in Ecclesia, vel extra illam.* Hic casus comprehendit tum confessarium recipientem, tum pœnitentem donantem, seu dantem. Ut verò hic casus censeatur reservatus, requiritur, quòd pretium præcisè detur, aut recipiatur pro ipsâ Confessione, aut labore susceptо: si enim à pœnitente detur ex liberalitate, vel in eleemosynam, & eâ de causa à confessario recipiatur; nec pœnitens, nec confessarius habent casum reservatum. Addo etiam, habere reservatum confessarium, & ipsum pœnitentem si pecunia, vel æquivalens detur, & recipiatur pro labore susceptо in confessione, extra ipsam confessionem; quia in præsenti reservatur hæc datio, vel receptio pro confessione, sive confessio fiat in Ecclesia, sive extra illam; sine aliqua limitatione, aut distinctione.

492. Nonus casus: *Commutatio qualiumcunque votorum.* De quo videatur in hac *disp. n. 354.* Decimus: *Habere alienum, cujus dominus ignoratur, quod excedat valorem sexcentorum regalium:* hoc est *de sexcentos reis. Et si non excedat, poterit pœnitens absolvi, dummodo pecuniam, vel pignus conferat ad fabricam Ecclesiæ, cujus est parochianus; si verò excedat, sibi Prælatus distributionem reservat.* De hoc *sect. 12. per totam.*

493. Decimus. *Decima non soluta Ecclesiis, quæ excedant valorem trecentorum regalium*; hoc est *de trezentos reis*; & si non excedant, potest pœnitens absolvi; dummodo, cui debentur, satisfaciat. De hoc dictum est *ibid. sect. 11. per totam.*

SECTIO XXXII.

Elucidantur casus reservati in Diœcesi Angrensi Insularum Tertiarum.

494. IN hac Diœcesi undecim reservantur casus. Primus. *Crimen Hæresis.* De quo *hac disp. à n. 18.* Secundus. *Blasphemia, & abnegatio Dei.* De quo *ibid. à n. 24. per totam sect.* Cùm verò non reservantur hæc peccata, quando sunt publica, censentur etiam occulta reservata juxta ea, quæ diximus præcedente sect. Tertius: *Crimen veneficii, aut divinationis, ab aliquibus personis scitum.* De quo ibidem *à n. 42. & à 53.* & circa verba: *Ab aliquibus personis scitum.* Vide *sect. 28. in principio.* Quartus: *Homicidium voluntarium, extra bellum justum commissum.* De quo *ibid. à n. 62.* Quintus. *Incendium factum de proposito, ex intentione nocendi, antequam denuntietur; nam post denuntiationem S. Pontifici reservatur.* De quo *ibid. à n. 143.* Sextus, *Matrimonium Clandestinum, & testes, qui illi assistunt.* De quo in præsenti *disp. sect. 13.* & circa testes *n. 353.* Septimus, *Testimonium falsum in judicio, vel in actibus. ibid. sect. 10. & à n. 357.* Octavus, *Scriptura falsa ibid. à n. 321.* Nonus: *Sacrilegium. ibid. à n. 154.* Decimus, *Decima non soluta Ecclesiis, aut illis, quibus debentur, quæ excedant valorem centum regalium*; id est, *decem reis*, ibid. *sect. 11.* Undecimus, *Excommunicatio major à jure, vel ab homine*; ibid *sect. 9.* Videatur etiam *n. 352.*

SECTIO XXXIII.

Declarantur casus reservati Ecclesiæ Thomarensis, & Prioratus Crattensis nullius Diœcesis.

495. QUoad primum *In Constit. hujus Ecclesiæ Thomarensis tit. de confess. constit.* 5. Tres tantùm casus reservantur. Primus: *Excommunicatio major à jure, vel ab homine.* De quo dictum est *hac disp. sect.* 9. & videatur *n.* 352. Secundus: *Manus violenta in clericum ibid. n.* 189. *& seqq.* Vide etiam *disp.* 15. *à n.* 31. Tertius, *Relaxatio Juramenti, & commutatio cujuscumque voti.* De hoc secundo, *ibid. n.* 354. Declaratione juramenti; *infra disp.* 21. *à sect.* 3.

496. Quoad secundum de casibus reservatis in Prioratu Crattensi, vide in hac *disp. sect.* 20. ubi explicantur casus reservati in Diœcesi Eborensi, qui ex antiquâ consuetudine, & consensu Prælatorum, in hoc Prioratu reservantur Provisori ejusdem Prioratus, qui in subditos hujus Prioratus jurisdictionem, quasi Episcopalem exerceat, ut tenet Abreus *de paroch. l.* 10. *n.* 411.

SECTIO XXXIV.

De casibus reservatis in Diœcesibus Brasilienſibus.

497. IN postremis Clementis X. annis, per propositionem Serenissimi Portugaliæ Principis Regentis, fuit ad Archiepiscopatum, Bayensis Episcopatus elevatus, qui totius Brasiliæ tantùm erat Episcopatus; & de novo erecti Episcopatus Fluminis Januarii, Pernambuci, & Maranhonis: Non omnes tamen suffraganei ejusdem Archiepiscopatus; sed tantùm Episcopatus Fluminis Januarii, & Pernambuci; Maranhonensi autem Episcopatui, qui antea ex jurisdictione Episcopi Bayensis extiterat, substituit S. Pontifex, ex propositione Serenissimi Principis, Episcopatum Angolanum, & D. Thomæ, extractos ab Ulyssiponensi Archiepiscopo, cui erant suffraganei; & illorum loco, Maranhoensis Episcopatus de novo erectus, succedit. Cæterum cùm de his novissimè erectis, nullæ adhuc extent Constitutiones, & ante erectionem Bayensis Diœcesis, Constitutiones, ad quam pertinebant, observabant. Et forsan, quòd hodie observent. Idcirco casus tantùm reservatos in Archiepiscopatu Bayensi explanabimus.

498. In Diœcesi Bayensi duo supra viginti casus reservantur, ut facta diligentiâ ab Abreo *de paroch. l.* 10. *n.* 413. recensentur. Primus est, *Manus violenta in clericum.* De quo dictum est hac *disp. n.* 189. *& seqq.* etiam videatur *disp.* 15. *à n.* 31. Secundus: *Ordinatio per saltum ibid. à n.* 313 Tertius: *Juramentum falsum in judicio ibid. sect.* 10. Quartus: *Celebratio missæ illius, qui ordinatus fuit cum dimissoriis falsis.* Circa hunc casum nota; hîc non reservari peccatum, quod ordinatus commisit, faciendo se ordinari cum dimissoriis fallis: sed celebrando missam, non habens absolutionem à suspensione; qua erat ligatus: at si absolutionem ab Episcopo, vel habente facultatem, per Bullam, aut aliud privilegium, obtinuit: jam ea celebratio missæ, non est reservata. Ratio est, quia ritè absolutus à suspensione, & à peccatis mortalibus, quæ commiserat, celebratio missæ non est mortaliter peccaminosa: ergo reservata esse nequit. Sic Abreus *supra n.* 370. Addo verò, si hic ordinatus, absque absolutione à censura, celebravit missam: non solùm habere reservatum, dum primò celebravit, sed toties quoties missam, sic celebraret.

499. Quintus: *Peccatum sacerdotis, cui annexa est irregularitas.* Quid sit irregularitas, vide *disp.* 23. *n.* 30. Peccata autem, quibus annexa est irregularitas, sunt frequentia: Primò, si excommunicatus, suspensus, aut interdictus aliquem actum ordinis exerceat. His enim peccatis annexa est irregularitas. Ita D. D. communiter apud Leand. *tom.* 5. *tract.* 2. *disp.* 21. *q.* 3. 9. *& seqq.* Secundò, etiam si actus ordinum minorum solemniter exerceat; quia probabilius est irregularitatem incurrere, ut cum pluribus tenet Leand. *citat.* sed quia probabile est, irregularitatem non incurrere, ut tenent Bonacin. Tolet. Gibal. Cornejo & alii plures apud Leand. proximè; probabile etiam est, non incurrere reservationem.

500. Tertiò etiam, si in choro tanquam hebdomarius officiat, canendo capitulum, orationem cum Dominus vobiscum; quia incurrit irregularitatem, ut D. D. communiter docent apud Leand. *proximè q.* 15.

501. Quartò, probabilius est, censuratos non incidere in reservatum, dum privatim recitant horas canonicas, dicentes: Dominus vobiscum; quia probabilius est, nec peccare mortaliter, nec incurrere irregularitatem, ut docent Bonacin. Filliuc. Ægid. Avila, & plures, quos congerit, & sequitur Leand. *supra q.* 16. contra Soar. ut sentit Dian. *part.* 4. *tract.* 2. *resol.* 94.

502. Quintò, qui dubitat, se esse irretitum aliquâ excommunicatione, suspensione, vel interdicto, & celebrat, vel aliquem actum ordinis exercet, non habet casum reservatum, si postea constet, se non esse excommunicatum, suspensum, aut interdictum; quia non incurrit irregularitatem, ut asserunt Soar. *de censur. disp.* 11. *sect.* 3. *n.* 7. Leand. *q.* 18. & alii, quos citat. At si postea constet, se esse excommunicatum, suspensum, aut interdictum, & sic dubius celebrando, vel exercendo actum ordinis peccavit mortaliter, habet reservatum. Secus dicendum, si mortaliter non peccavit, quia illo dubio incurrit irregularitatem; non autem cum hoc. Sic cum Soar. Leand. *ubi supra q.* 19. Sextò peccat sacerdos reservatum, & irregularitatem incurrens si scienter, & publicè aliquem rebaptiset, vel sic ut minister rebaptizantis rebaptizationi assistat: sic communiter D. D. videatur Lezan. *In summ. tom.* 3. *Verb. Irregularitas n.* 40. Leand. *tom.* 5. *tract.* 2. *disp.* 18. *q.* 1. 2. *&* 4. Idem dicendum si publicè, vel occultè rebaptizetur. Lezan. *citat. n.* 29. vel pluribus. Advertein præsenti casu non reservari quod cumque peccatum annexam habens irregularitatem, sed tantum sacerdotis. Unde qui sacerdotes non sunt, reservatione non innodantur. Hæc pro hoc reservato sufficiant, alia videri possunt apud Leand. *citat.*

505. Sextus, *Dispensatio in votis, aut juramentis absque legitimâ potestate.* Nota, hîc non reser-

reservari alicujus peccati absolutionem, nec aliquam potestatem à confessario auferri; sed declarari, confessarium non posse dispensare vota: aut juramenta, hæc enim potestas spectat ad habentem jurisdictionem; ut videbis *disp. 21. n. 17.* septimus: *Hæresis.* De hoc in hac *disp. à n. 18.* Octavus: *Homicidium voluntarium extra bellum justum.* Ibid. *à n. 62.* Nonus: *Peccatum incendiarii commissum de proposito, cum intentione nocendi, antequam denuntietur; nam post denuntiationem S. Pontifici reservatur, ibid. à n. 143.* Decimus: *Sacrilegium.* Ibid. *à n. 154.* Undecimus: *Extrahere ab Ecclesiâ illum, qui ad illam confugit, & gaudet ejus immunitate ibid. à n. 164.* Duodecimus. Furtum ex loco sacro *ibid. à n. 183.* Decimus tertius, *Excommunicatio major à jure, vel ab homine ibid. à n. 194.* & videatur *n. 352.*

504. Decimus quartus, *Habere bona aliena, quorum dominus ignoratur, qua excedant valorem in Constit. designatum*, eadem *disp. sect. 12.* Decimus quintus, *Decima non soluta Ecclesiis, quibus debentur; qua excedant valorem quadringentorum regalium*, hoc est, *de quatro centos reis, ibid. sect. 11.* Deximus sextus, *Peccatum Blasfemiæ; quæ sit ab aliquibus cognita. ibid. à n. 24.* Vide etiam *n. 442.* Decimus septimus, *Venefici, & Venefica, eadem disp. à n. 42.*

505. Decimus Octavus: *Cohabitatio sponsorum, ante denuntiationes:* hoc est, cohabitatio eorum, qui matrimonium de præsenti contraxerunt, ante præmissas denuntiationes, dispensante Episcopo, ex justâ causâ. Hic casus in præsenti reservatur; quia licèt matrimonium in facie Ecclesiæ sit contractum, peccatum mortale est consumare matrimonium, ante denuntiationes; quando ex justa causa fuerunt dilatæ ad tempus, post matrimonium contractum, & non remissæ. Et hoc etiam in casu, quo contrahentes sciant, nullum subesse impedimentum. Ratio est quia lex *Trident. sess. 24. cap. 1. de reformat. matr.* obligat ad denuntiationes, nisi remittantur. Deinde præcipit, ut ante consumationem fiant: ergo peccatum mortale est, licèt matrimonium sit contractum, cohabitare conjuges, ante denuntiationes. Ita docent Sanch. *l. 3. de matr. disp. 11. n. 3.* Basil. Legion. *de matr. l. 10. cap. 4. n. 2.* Castr. Palao *part. 5. tract. 28. disp. 2. punct. 13. §. 5. n. 6.* Bonac. Reginald. Trullench. & alii, quos refert, & sequitur Leand. *part. 2. tract. 9. disp. 7. q. 69.*

506. Et licèt hæc sententia sit tenenda; contraria tamen est probabilis in casu, quo contrahentes certò sciant, nullum subesse impedimentum. Et nititur fundamento non levi, sed deducto à Trident. *loco citat.* Et illam sequuntur aliqui apud Leand. *proximè*; & probabilem dicunt Rodrig. Sanch. & Castr. Palao *citat. n. 7.* Et juxta illam videtur non dari reservatum; at constit. sequuntur oppositam.

507. Decimus nonus: *Invasio Indorum*; Et tunc datur quando aliquis, vel aliqui invadunt Indos commorantes in suis pagis, vel occupationibus, vel extra illos, & illos capiunt, ut fiant servi, & mancipia; vel ut sibi serviant, vel ob aliquos fines injustos: hæc autem invasio reservatur, sive Indi sint Baptisati, sive non. Facta autem hac invasione, etiamsi aliquo impedimento postea venturo, non sortita fuerunt effectum, datur reservatum; quia in suo esse completa fuit; si de facto Indi capti, vel detenti sunt.

508. Vigesimus: *Cognitio carnalis mulieris pagana, vel hominis similiter pagani.* Hic casus comprehendit, tam carnalem cognitionem hominis Christiani cum muliere pagana, quàm mulieris Christianæ cum homine pagano; & licèt Azor Filliuc. Bonacin. Alcozer, Fagund. apud Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 8. q. 7.* dicant, non differre specie hoc peccatum ab aliis speciebus Luxuriæ; quod etiam probabile dicit Tambor. *l. 7. de cal. cap. 1. §. 1. n. 6.* Probabilius est, differre; ut docent Sanch. Candid. Dian. Card. de Lug. & alii, quos refert, & sequitur Leand. *proximè.*

509. Quare admissâ utraque opinione, reservatio tenet eodem modo, & terminis, quibus profertur; quia ad reservationem, non obstat major, vel æqualis peccati gravitas; quia hæc in reservandis peccatis, non semper attenditur; sed sæpissimè fit ad reprimendam aliquorum gravium criminum frequentiam, vel ad obviandum scandalo publico, quod ex illis oritur; sic enim vidimus, *sect. 21.* reservari peccatum cum sponsâ de futuro, in Diœcesi Conimbricensi; & tamen peccatum, quod cum illâ sponsus committit, non differt specie à peccatis, quæ illa cum aliis hominibus committit; ut tenent Basil. Pontius Negal. Vivald. Covarr. & alii, quos citant, & sequuntur Dian. *1. part. tract. 7. resol. 5.* Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 8. q. 12.* quæ peccata cum aliis commissa, non reservantur.

510. In hoc igitur casu non reservatur congressus cum hæretica, nec schismaticâ baptisata; nec congressus mulieris Catholicæ cum hæretico, vel schismatico baptisato, quia non sunt pagani; nam reservatio cum sit odiosa, non est extendenda, ad casus non expressos, ut *supra* notavi.

511. Vigesimus primus: *Venditio, vel emptio Indorum liberorum.* Hic casus comprehendit vendentes, & ementes Indos Liberos; quod est peccatum gravissimum, si non detur ignorantia inculpabilis in dictis ementibus, & vendentibus, credentibus, esse verò servos, & mancipia; quia Indi nec potuerunt, nec possunt, in perpetuam servitutem redigi; ut constat ex iteratâ declaratione Pauli III. apud Avendan. *in Thesaur. Indic. tit. 1. n. 99.* adjicientis pœnam excommunicationis latæ sententiæ sibi reservatæ, & Romano Pontifici, pro tempore existenti; & ex repetitis etiam Regum nostrorum prohibitionibus de quibus videri possunt Molin. *tract. 2. disp. 32.* Rebell. *1. part. l. 1. q. 10.* Dom. Solorzan. *tom. 1. l. 2. cap. 9. n. 75. & l. 3. cap. 6. à n. 28. & cap. 7. n. 56. & in Politica l. 2. cap. 1.* apud Avendan. *proximè.*

512. Vigesimus secundus: *Matrimonia clandestina*; de quo in hac *disp. à n. 295.*

SECTIO XXXV.

Exponuntur casus reservati in Diœcesi Angolanâ.

513. IN hac Diœcesi, quatuor supra viginti dantur casus reservati, teste Abreu *de parochi. l. 10. n. 415.* ex personis Religiosis fide dignis habita notitia. Primus, *Hæresis.* De quo hac *disp. à n. 18.* Secundus: *Homicidium voluntarium extra bellum justum. ibid. à n. 63.* Tertius,

Nec

Negligentia eorum, quorum parvuli inveniuntur suffocati. Ibidem à n. 139. Quartus: *Incendiarios de proposito, & ex animo nocendi, ante denuntiationem: post illam enim Papa reservatur. Ibid. à n.* 143. Quintus: *Testimonium falsum in judicio, vel in actibus judicialibus, eâdem disp. sect.* 11. & videantur *n.* 357. *& sequentes.*

514. Sextus: *Habere bona aliena, cujus dominus ignoratur, quæ excedant valorem quinque Cruciatorum. Si hanc summam non excesserit, potest pœnitens absolvi*, tradendo prius pecuniam ad fabricam Ecclesiæ, cujus parochianus est; at si prædictam summam excesserit, tradenda est pecunia Provisori, aut Vicario Generali, si commodè fieri possit, ut eam insumat in operibus piis. Si verò pœnitens fuerit in parte remotâ, tradetur Vicario, curæ, vel capellano ad eundem finem, nempe, ut in piis operibus expendatur. De quo *ibid. sect.* 12.

515. Septimus. *Matrimonium clandestinum, ejusque testes. sect.* 13. & quoad testes, consule *n.* 353. *in fine.* Octavus, *Sacrilegium*, eâdem *disp. à n.* 154. Nonus: *Manus violentæ in Clericum. Ibid. n.* 189. *& seqq.* Vide etiam *disp.* 15. *à n.* 31. Decimus: *Excommunicatio major à jure, vel ab homine, quæ alicui reservata non sit*, hac *disp. à n.* 194. *& n.* 352. Undecimus: *Omne genus Veneficiorum, invocatio Dæmonis, consultatio illius, pactum cum illo, augures, divinatores, ibidem. sect.* 4. *&* 5. *per totas.* Duodecimus: *Blasfematores, & abnegatores publici, ibid. à n.* 24.

516. Decimus tertius: *Idololatria, & quilibet ritus Gentilicus.* Et consistit in actione, qua divinus cultus tribuitur creaturæ, illam ut Deum honorando. Et si sit cum errore intellectus, quo putetur creatura illa, esse Deus, subjecta est censuris Bullæ Cœnæ, & reservata S. Pontifici. Quare ab Episcopo hîc non reservatur. Si verò ex prava consuetudine, sine errore intellectus, ut idololatris, quibus hi conversi ad fidem convivunt, morem gerant; aut alio simili fini, ritibus gentilibus utantur, aut idola venerarentur, reservatum habent. Sic Abreus *de paroch. l.* 10. *n.* 381.

517. Decimus quartus: *Ordinatio per saltum, aut cum dimissoriis falsis, aut se ingessisse furtivè ad sacros ordines.* De primo *hac disp. à n.* 313. De secundo *n.* 316. De tertio, *à n.* 317. Decimus quintus: *Omnis commutatio votorum ibid. n.* 354.

518. Decimus sextus: *Vendere servos mutos, aut surdos, vel aliis infirmitatibus occultis affectos, eos malitiosè celando emptores.* Certum est ex materia de empt. & vendit. nunquam licere, celare vitium rei emptorem; quare ultra reservatum, tenetur venditor servi muti, aut surdi, aut aliâ laboranti infirmitate occultâ, ad contractum revalidandum, aut rescindendum, quia invalida fuit venditio. Si autem non celet, sed tantùm tacendo, non manifestat servum esse mutum, aut surdum, quæ vitia sunt manifesta; si emptor ad ea non advertat; adhuc venditor tenetur illa ostendere; quia tenetur tradere rem non vitiosam. Unde præter reservatum, obligatur ad venditionem revalidandam, aut rescindendam, quia invalida fuit; sic in simili Tamborin. *l.* 8. *de cal. tract.* 3. *cap.* 6. *§.* 11. *n.* 32. *in fine.*

519. Decimus Septimus: *Retinere apud se servos fugitivos, vel à Dominis suis aberrantes, illosve furari.* Tria in præsenti casu reservantur, quæ sunt adeo clara, ut majori non indigeant expositione.

250. Decimus Octavus: *Qui carnaliter cognoscunt sponsas, ante matrimonium in facie Ecclesiæ celebratum, cum quibus sponsalia jurárunt, vel etiam ante acceptas benedictiones.* De hoc casu *hac disp. n.* 376. Decimus nonus: *Decima non soluta Ecclesiis, quæ excedant sexcentos regales:* hoc est *sescentos reis, si tamen ante confessionem satisfactum fuit, potest absolutio impendi.* Quod etiam extendo cum Abreo *l.* 10. *de Paroch. n.* 416. ad illos qui ante absolutionem satisfecerunt. De quo *ibid. sect.* 11. Vigesimus: *Peccatum clerici, qui habet annexam irregularitatem.* De quo *in hac disp. sect.* 34. *à n.* 499. Vigesimus primus: *Dispensare in votis, aut juramentis.* De quo *sect. præcedente n.* 503.

521. Vigesimus secundus: *Invadere in viis publicis, iter facientes.* Hic casus indiget explicatione; nam grassatores viarum, non gaudent immunitate; ut constat ex Bullâ Gregorii XIV. quæ incipit: *Cùm alias nonnulli*, 1. Julii anni 1591. editâ, *& ex cap. inter alia, de immunitate Ecclesia*, & in nostris *Ordin. l.* 2. *tit.* 5. *§.* 3.

522. Et dico primò: si via non sit publica, nec frequentata, hi invadentes iter facientes, non habent reservatum. Ratio est, quia solùm reservatur peccatum invadentium iter facientes, in viis publicis.

523. Dico secundò: Non habent casum reservatum invadentes, quando furtum est attentatum, non tamen consumatum; quidquid aliqui oppositum teneant, & Abreus. *de paroch. l.* 10. *n.* 384. Ratio est, quia ut sæpe diximus, reservatio, & aliæ pœnæ delictis impositæ, non incurruntur, nisi per actum consumatum. Vigesimus tertius: *Copula carnalis persona Christiana cum pagana.* De quo *sect. præcedente. n.* 508.

524. Vigesimus quartus: *Concubinatus durans per tres annos, vel ultra.* De quo *hac disp. à n.* 408. *usque ad* 433. Nota tamen, in præsenti casu plura reservari, quam *in citat. loco*; hîc enim reservatur absolutè concubinatus; illic verò cum limitatione, & tantùm hominis uxorati. Quare cùm concubinatus possit dari inter conjugatos, solutos, ordine sacro initiatos, Religiosos, &c. Hæ omnes species hîc reservantur, si per triennium & amplius in concubinatu durent.

525. Ad finem, excommunicantur confessarii, qui ab aliquo, ex prædictis casibus absolverint, absque legitima facultate, aut privilegio. Deinde reservantur censuræ, quæ Episcopo sunt reservatæ. Mandatur etiam sacerdotibus, & aliquibus personis, ne quis baptiset puerum, aut adultum, si inter paganos permansurus sit, etiamsi sit persona Regia, aut in magno statu constituta, & hoc sacerdotibus in virtute S. Obedientiæ, & sub pœnâ suspensionis ab ordinibus, per duos annos irremissibiliter. Secundò mandatur eisdem, sub pœna excommunicationis comminatoriæ, ut linguam regionis, in qua sunt, addiscant. Tertiò eisdem mandatur sub excommunicatione latæ sententiæ, ne exigant pro assistendo matrimonio, mancipium, nec pro sepultura. Quartò, ne exigant juramentum à Gentibus, ne illos exponant periculo peierandi, eo quod facilè juramenta falsa proferant; & hoc sub eâdem pœnâ.

DISPUTATIO XIX.

De absolutione à casibus Episcopo reservatis, tam ex privilegio, quam virtute Bullæ.

1. EXplicatis Diœcesium hujus Regni casibus reservatis, restat inquirendum à quo obtineri debeat eorum absolutio? Et certum est obtineri posse à Prælato reservante, vel ab ejus superiore, ut à Legato à latere, vel à Nuntio; non tamen potest absolvere Archiepiscopus subditum Episcopi sui suffraganei, nisi sit in actu visitationis Diœcesis ipsius Episcopi. Ita Soar. *tom.* 4. *in part. disp.* 30. *sect.* 1. *n.* 1. & alii communiter; potest etiam impendi absolutio à reservatis Episcopo, per Bullam Cruciatæ; idque quoties pœnitentes confitebuntur; ut expressè habetur in Bulla, ut sæpius in hoc opere notavimus. Hæc sunt certa, ad alia magis controversa descendamus.

SECTIO I.

An aliqui ex jure, vel consuetudine possint absolvere ab Episcopo reservatis?

2. QUæres primò: An Pœnitentiarius Ecclesiæ Cathedralis possit absolvere ab Episcopo reservatis, ex vi suæ institutionis, absque alia Episcopi licentia speciali? Partem affirmativam tenent Chapeavil. *de casibus reservat.* Salazar de Mendoz. Piasec apud Barb. *in Collect. ad Trident. sess.* 24. *cap.* 8. *de reform. n.* 27. & Cuccus apud Dian. *part.* 9. *tract.* 8. *resol.* 11. *&* 12. Probant primò, *ex Concil. Trident. loco citat. in fine*, cujus intentus fuit in institutione pœnitentiarii, ne ad Episcopum pro absolutione à reservatis, semper necesse sit recurrere. Secundò, quia ex usu & consuetudine, jam receptum est, ut quasi ex munere, & officio in foro à reservatis absolvat. Et si detur consuetudo, eandem tenent sententiam Bossius, Homobon. Chapeavil. apud Dian. *citat.*

3. Partem negativam judico tenendam; illam docent Navarr. Henriq. Sayr. Ugolin. Moys. Diccius, Garcia, quos refert, & sequitur Barbos. *loco citat. & de potest. Episcopi part.* 3. *alleg.* 55. *num.* 23. *&* *de Canon. cap.* 26. *n.* 16. Eandem defendunt Machad. Gavant. Vulp. Lechius Zerol. Rodrig. quos ultra citat. refert, & sequitur Dian. *citat. & resol.* 11. quibus accedit Tambor. *lib.* 5. *de pœnit. tract. de casibus reservat. cap.* 8. §. 1. *num.* 3.

4. Probatur, quia ea facultas ei non conceditur in Trident ut constat ex ipsius verbis; & talem non habere facultatem, declaravit S. Cardin. Congreg. Concil. Trident. anno 1648. apud Dian. *cit. in fine resol.* 12. Nec consuetudo, si alicubi viget, ei tribuit eam facultatem, si Episcopus renuat; quia in facultativis consuetudinibus, quæ dependent à libera voluntate concedentis, non acquiritur consuetudo contra reluctantem; & tenet Leo *de cens. recolett.* 3. *n.* 558. & alii.

5. Si tamen Episcopus concedat facultatem Pœnitentiario ad absolvendum à reservatis, illam alteri non potest Pœnitentiarius subdelegare; ut cum Garcia tenet Barbos. *citat. dict. alleg.* 55. *num.* 24. Licèt oppositum teneat Chapeavil. apud Dian. *dicta resol.* 12. quia existimat Pœnitentiarium habere hanc potestatem ex legitima consuetudine; & per consequens ex jure ordinario. Vide Dian. *dicta resol.* in quibus resolvit disceptationem habitam inter quendam Archiepiscopum, & Pœnitentiarium.

6. Quæres secundò: An Vicarius Generalis possit absolvere à reservatis Episcopo. Respondeo, non posse; quia in generali concessione, non veniunt casus reservati; *reg. in generali* 81. *de regul. juris in* 6. & ita expressè habetur *in cap. si Episcopus, de pœnit. & remiss.* & tenent communiter D. D. apud Rebuff. Ugolin. Sborz. Galet. quos citat, & sequitur Barbos. *de potest. Episcop. part.* 3. *alleg.* 34. *n.* 116. *& in Collect. in Trident. sess.* 14. *cap.* 7. *n.* 15. Addunt tamen, quòd quando illi conceditur hæc facultas, illi solet concedi, ut & alteri de Legare possit.

7. Respondeo secundo: Nec quando hæc facultas Vicario conceditur ab Episcopo, vel in Constitut. Synodalibus, intelligitur concessa ad absolvendum à Pontifici reservatis occultis; quæ absolutio conceditur Episcopo *in Trident. sess.* 24. *cap.* 6. quia Concil. ad id requirit Vicarium specialiter deputandum: Ergo si ad hos casus specialiter non deputetur, non potest ex ea facultate generali, ad absolvendum à reservatis, ab his occultis reservatis absolvere. Sic cum Soar. Sborz. Merol. Tamborin. *ubi supra cap.* 10. *n.* 9.

8. Dubium tamen est: An sufficiat delegatio generalis facta ab Episcopo suo Vicario ad absolvendum ab his reservatis occultis; an requirtur delegatio specialis, quando casus occurrerit? Henriq. *l.* 14. *de irreg. cap.* 19. *in fine*, *in Comment. l.* 1. *& l.* 6. *de pœnit. cap.* 14. *n.* 7. *in Comment. list. O.* asserit, non posse Episcopum, concedere generalem, sed tantùm specialem, quando casus occurrerit.

9. Probabilius tamen affirmandum cum Sanch. *l.* 2. *de matrim. disp.* 40. *n.* 17. Fagund. *in Eccles. præcept.* 2. *lib.* 8. *cap.* 8. *n.* 26. & aliis pluribus, quos affert Barbos. *de potest. Episcop. part.* 2. *alleg.* 39. *n.* 11. Tamborin. *loco citat.* Ratio est, quia verba illa Trident. *specialiter deputandum* verificantur, si deputetur specialis ille Vicarius, ad absolvendum ab omnibus illis peccatis occultis Pontificiis; quòd intellige juxta ea, quæ diximus *supra disp.* 15. *sect.* 9. *n.* 107. quia ab illis, quæ continentur in Bulla Cænæ, etiamsi sint occulti, non potest Episcopus absolvere, nec ei ea facultas committitur *in Trident. loco citat.*

10. Hæc quoad absolutionem à reservatis occultis Pontificiis; nam quoad facultatem dispensandi in irregularitatibus, aut suspensionibus occultis concessam in Trident. docent plures, non per Vicarium, sed ipsum Episcopum exerceri debere. Vide Soar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 41. *sect.* 2. *n.* 8. Barbos. *de potestate Episcopi part.* 2. *alleg.* 39. *n.* 13. *&* 14. *& in Collect. ad citat. locum Trident. n.* 52. *& seqq.*

SEC-

SECTIO II.

An Regulares possint nunc absolvere à casibus Episcopo reservatis?

11. NOn defuerunt D. D. qui ante decretum Alexandri VII. 14. Septembris 1663. editum, & post decreta S. Congreg. sub Clemente VIII. Paulo V. & Urbano VIII. mox citanda, docuerunt, Regulares posse absolvere sæculares à casibus Episcopo reservatis, virtute suorum privilegiorum. Ita Rodrig. Bauny, Quintanad, Candid. & alii, quos affert, & sequitur Leand. *tom. 4. tract. 2. disp. 17. q 79.* Thom. Hurtad. *tom. 1. resol. moral. tract. 5. cap. 4. resol. 16. n. 127.* Acacius de Velasc. *tom. 1. resol. moralium Verb. Absolutio n. 8.* Mend. *in Bull. disp. 23. cap. 4.* Cesped. *tract. de exempt. Reg. cap. 6. d. 142. n. 10.* & viri doctissimi ex Academiâ Conimbricensi, & Eborensi, hac de re consulti. Fundamenta hujus opinionis videri possunt, apud Quintanaduen. *tom. 1. tract. 3. singul. 14. 15. & 16.* & illorum solutiones, apud Moya *tom. 1. in select. tract. 3. disp. 8. q. 6.*

12. Hæc tamen sententia, post prædictum decretum Alexandri VII. nec est probabilis, nec defendi potest, quia inter alias propositiones in eo damnatas; hanc, ut minimum tanquam scandalosam damnavit: *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta eorum ad id facultate.* Estque ex damnatis 12. Accedit, quòd post damnationem hujus propositionis, Clemens X. in sua Constit. quæ incipit: *Superna magni patris.* Editâ 2. die Augusti anni 1670. quæ habetur *tom. 5. Bullarii*, & est 7. inter alias hujus Pontificis, statuit ex eo, quòd regulares facultatem habeant, absolvendi ab omnibus casibus Pontificiis, non ideo posse absolvere à reservatis Episcopis, ibi: *Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus sedi Apostolicæ reservatis, non ideo à casibus Episcopo reservatis, posse absolvere.* Ex quo decreto satis constat, non solùm comprehendere omnes Regulares Mendicantes, de quibus expressè procedit propositio damnata, sed etiam illos Regulares, qui Mendicantibus utuntur privilegiis, & Mendicantes non sunt; quamvis in suis specialibus privilegiis facultatem absolvendi à reservatis Episcopo, seu ordinario, habere existiment, aut fateantur.

13. Et ante utramque constitutionem, communis D. D. sententia asserebat, non posse Regulares, ex vi suorum privilegiorum, absolvere ab Episcopo reservatis; maximè post decreta Sacr. Congr. sub Paul. V. 7. Januarii 1617. & Urbani VIII. 17. Novembris 1628. quæ habentur, apud aliquos ex cit & citandis. Ita cum pluribus Dian. 1. *part. tract. 5. resol. 6. & 3. part. tract. 8. resol. 122. & 6 part. tract. 6. resol. 64.* Barbos. *de potest. Episcop. alleg. 52. n. 8. & in Collect. ad Trident. sess. 14. cap. 7. n 23 & in summ. Apostolicarum decisionum Verb. Absolvere, n. 7. & Verb. casus reservatus n. 9. & 10. & Verb. Regularis, quoad confessiones, n. 17. & 21.* Perrinis *de privil. Regul. ad constit. 1. Julii 11. n. 63.* & alii apud Leand. *ubi supra* Lesan. *in q. 9. Regul. tom. 1. cap. 19. n. 17. & tom. 3. vers. 60. Casus reservatus n. 4.* Pellizar. *tom. 1. tract. 6. cap. 2. n. 58.* licèt oppositum teneat *n. 63. in fine*, quod non est admittendum, eo quòd sit contra dictas Constitutiones.

14. Hanc communem doctrinam probabant primò *ex declaratione S. Congreg. sub Clemente VIII.* de ejus mandato, in qua fuerunt revocata privilegia Regularium anno 1509. pro totâ Italiâ, quoad solvendum sæculares à reservatis Episcopo, ut videre est apud Quaranta *Verb. Casus reservatus*, & alios.

15. Secundò, quia idem decretum postea confirmavit, & innovavit eadem Sacr. Congreg. jussu Pauli V. Quæ duo decreta referuntur à Barbos. *de potest. Episc. part. 3. alleg. 50. n. 286. & 287.* Vide etiam Quintanaduen. *ubi supra singul. 14.* Hæc decreta Urbanus VIII. sua Constit. ad omnes Regulares, tam intra, quàm extra Italiam extendit, & ampliavit. Quam constitutionem affert Leand. *dict. tom. 4. tract. 2. disp. 17. q. 8.*

16. Tertiò, quia his datis decretis scandalosum erat, asserere post illa, privilegia Regularium fuisse rejecta per Paulum V. & Gregorium XV. ex certâ scientiâ; qui Pontifices fuerunt ante Urbanum VIII. Quare Alexander VII. suo decreto opinionem, oppositum docentem, ut minimum, tanquam scandalosam, damnavit. Fundamenta, quibus nitebatur, manent soluta *disp. 14. sect. 23.* & aliis in locis.

17. Ut tamen intelligatur, in quo sensu procedat damnatio prædictæ propositionis, advertendum est duo esse genera casuum, quæ Episcopo reservantur; alii enim sunt casus, quos Episcopi sibi reservant, & continentur in suis Constitut. Synodalibus: vel in posterum sibi reservabunt; alii sunt, quos non Episcopi, sed jus illis reservavit; quales sunt omnes Papales occulti, juxta *Trident. sess. 24. cap. 6.* qui in perpetuum Episcopis conceduntur; exceptis, qui in Bullâ Cœnæ Domini continentur; nam ab his, & si occulti sint, non possint absolvere, nec Episcopi, nec Regulares, juxta ea, quæ diximus *disp. 15. sect. 9.* Hoc præhabito.

18. Dico primò: Regulares non possunt absolvere à reservatis Episcopo, quæ continentur in suis Constit. Synodalibus, aut in posterum sibi reservabunt. Ratio est, quia Alexander VII. damnat, ut scandalosam opinionem, quæ asserebat posse Regulares absolvere à reservatis Episcopo: sed quæ Episcopi sibi reservant, illis sunt reservata: ergo ab illis non possunt absolvere.

19. Dico secundò: Regulares etiam post prædictam Alexandri VII. Constit. & damnationem dictæ propositionis, possunt absolvere à casibus de jure ordinario, Episcopis reservatis, quales sunt occulti Papales. Ratio est, quia Alexander VII. damnat opinionem, quæ non obstantibus decretis Clementis VIII. Pauli V. & Urbani VIII. authenticè promulgatis, asserebat, adhuc Regulares, prætextu suorum privilegiorum, posse absolvere à casibus, quos Episcopi reservabant: sed quæ continentur in jure communi Episcopis reservata, Episcopi sibi non reservant: ergo ab his poterunt Regulares absolvere.

20. Confirmatur, ex decreto de mandato Urbani VIII. *supra cit.* quòd, post sublatam Regularibus facultatem absolvendi à contentis in Bullâ Cœnæ, & ordinario loci reservatis, sit addit: *Ab aliis verò casibus, & censuris sedi Apostolicæ reservatis, si quidem Regulares habeant à sede Apo-*

stolica absolvendi facultatem, illam extra Italiam minimè sublatam esse, eidem S. Congreg. decretis, hâc de re editis; jussu S. memoriæ Clementis VIII. &c. Ergo cùm Urbanus VIII. hanc non abstulisset facultatem; poterunt Regulares ab omnibus casibus Papæ reservatis absolvere, exceptis, qui continentur in Bullâ Cœnæ, & qui ab Episcopis reservantur.

21. Ita docent, post damnationem dictæ opinionis, Moya *tom.* 1. *in select. tract.* 3. *disp.* 8. *q.* 6. *n.* 17. Lumbier *tom.* 2. *n.* 623. & ante illam, id tradit expressè Dian. 3. *part. tract.* 2. *resol.* 13. §. *Nota quartò*, loquendo de Clementis VIII. decreto; & loquentes de decreto Urbani VIII. Avers. Donat. Ludov. à Cruce Lezan. Lespedes, Marcus Vidal. Leand. Quintanadun. & alii, quos refert Moya *proximè n.* 16. Quibus Adde Marull. quem refert, & sequitur Tambor. *de jur. Abbat. tom.* 2. *disp.* 13. *n.* 117. Idem tenet cum Peirinis Homobon Possevin. Pellizar. *tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 2. *n.* 61. *in fine*, qui rectè hoc limitat cum Averl. *de pœnit. q.* 17. *sect.* 6. Dian. *part.* 8. *tract.* 7. *resol.* 71. *in fine* quando Episcopus in specie, aliquem casum sibi in jure reservatum; sibi ipsi reservat; quia tunc ille casus jure communi Episcopo reservatus, induit aliam tertiam naturam, & jam non est amplius jure communi Episcopo, sed ipsi specialiter reservatus. Idem dicendum existimo cum eâdem limitatione de casu abortus ob eandem rationem cum aliqq. apud Lesan. *in q. q. Regul. tom.* 3. *Vers. Abortus. n.* 8. *& vers. Casus reservatus n.* 4. licèt non posse Regulares, post prædicta decreta absolvere sæculares à casibus in jure communi reservatis, teneat cum Bordon. *tom.* 1. *resol.* 6. *n.* 11. & Stratio in instruction. pro Carmel. *cap.* 7. *n.* 8. *& 9.*

22. Dico tertiò: Regulares, post dictam Constit. Alexandri. VII. possunt absolvere confluentes ex alia Diœcesi à peccatis, in ipsa reservatis, dummodo in fraudem reservationis, in alienam non pergant; & in ea, ad quam confluunt, ea peccata non sint reservata. Sic Clemens X. *in Constit. supra citat.* his verbis: *Posse autem Regularem confessorem, in ea Diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex aliâ Diœcesi à peccatis in ipsa reservatis; non autem in illa, ubi idem confessor est approbatus, absolvere. Nisi eosdem pœnitentes noverit, in fraudem reservationis, ad alienam Diœcesim pro absolutione obtinendâ, migrasse.* Unde si, alia de causa, ad eam Diœcesim pergant, & non in fraudem reservationis, ab eo Regulari confessore absolvi possunt. Ita ante dictam Constit. docuit Soar. Lusitan. *de pœnit. tract.* 7. *n.* 139. *&* 143. cum Soar. Tamborin. Villal. & aliis contra Fagund. Vega, Soto, & Graff. & alios.

23. Ex hac Pontificia dispositione, sequitur primò, tenendam esse sententiam, quam ex Soar. tenet Cardin. de Lug. *de pœnit. disp.* 20. *sect.* 1. *num.* 72. & Dian. 11. *part. tract.* 2. *resol.* 48. asserentes, non esse absolvendum, habentem peccatum reservatum, quod reservatum non erat in eo loco, à quo discessit; si est reservatum in loco, quo confessio auditur: quia in eo loco confessarius non habet jurisdictionem, ad absolvendum ab eo peccato.

24. Sequitur secundò cum Lambell. *verb. casus n.* 26. apud Mend. *in Bull. disp.* 23. *n.* 22. Habentem peccata reservata in una Diœcesi non posse, data opera, ad aliam Diœcesim, in qua non sunt reservata, pergere, & ibi absolvi; quia id fit in fraudem reservationis, & prohibetur à prædicta Constit. Et ante illam, id fuit declaratum à S. Congregat. 19. Novembris 1616. ut inquit Lambell. Unde oppositum non est, nec videtur probabile, ut ait Mend. *proximè*; quia non utitur suo jure ille, cui ipsum jus prohibetur.

25. Aliter dicendum est de illo, qui habet potestatem, absolvendi à reservatis in Diœcesi, in qua est approbatus, qui potest absolvere pœnitentem alterius Diœcesis à reservatis in sua Diœcesi; quia ita obtinuit praxis, & consuetudo, ut docet Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 12. *q.* 25. cum Fagund. Card. de Lug. & aliis plurimis. Et idem tenet, quando nullam habet facultatem absolvendi à reservatis, qui potest absolvere pœnitentem alterius Diœcesis à reservatis in sua Diœcesi, quando non sunt reservata in Diœcesi, in qua confessarius est approbatus, & audit confessiones. Sic *q.* 26. cum Soar. & Card. de Lug. Soar. Lusit. *supra*, & alii, ab eo citatis, nam hæ opiniones intelligendæ sunt, quando non data opera, pœnitens pergit in fraudem ad alienam Diœcesim, ut reservata confiteatur.

26. Tertiò sequitur, pœnitentem exterum, qui peccata reservata commisit, in hac Diœcesi; quamvis non sint reservata in sua Diœcesi, à qua discessit, non posse absolvi in hac, nisi ab habente facultatem absolvendi reservata; ut rectè cum Cajet. docet Mend. *supra n.* 23. & cum pluribus Leand. *cit. q.* 27. Sed non benè inquit oppositum probabile, cum Veg. Ledesm. Graff. & Fagund. quia ex verbis citat. Constit. Clementis X. constat, probabile non esse, ibi *in peccatis in ipsa reservatis*, id est, in propria Diœcesi, non autem in illa, id est, ubi fuit confessio, *ubi confessor est approbatus, absolvere.*

27. Ex quibus verbis etiam non est probabilis opinio Nald Ugolin. Fagund. Vega. Sot. & Graff. & aliorum, quos sequitur Dian. 1. *part. tract.* 10. *resol.* 14. quos etiam citat, sed non sequitur Pellizar. *tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 2. *n.* 93. asserentium, non obstantibus prædictis decretis S. Congreg. posse Regulares, absolvere peregrinos alienæ Diœcesis à peccatis reservatis, quos commiserunt in ea Diœcesi, in qua confitentur; quia reservatio illos non afficit. Non inquam est probabilis; nam ex prædictis verbis S. Pontificis constat, illos non posse absolvere; quod ante dictam Clementis Constit. docuerunt Soar. *de pœnit. disp.* 30. *sect.* 1. *n.* 4. Pellizar. *proximè*, & apud ipsum Bonacin. Reginald. & alii communiter, & Dian. *supra citat. para.* 11. *tract.* 2. *resol.* 48. *in fine.*

28. Dico quartò: Post dictam propositionis damnationem, & decreta Clementis VIII. Pauli V. & Urbani VIII. possunt Regulares, ex vi suorum privilegiorum, commutare, & dispensare vota non reservata, non obstante, quòd in aliquibus Diœcesibus, reservatur Commutatio, aut dispensatio votorum. Ratio est, quia per eam propositionis damnationem, & decreta Pontificum, ablata fuit à Regularibus facultas absolvendi à casibus reservatis Episcopis: Sed sub commutatione, seu dispensatione votorum, aut etiam juramentorum non cadit absolutio; quia non sunt peccata, nec censuræ: ergo ad illa non se extendit prohibitio, maximè; quia sumus in materia pœnali, & odiosâ, in qua verba strictè, & in proprio sensu, sunt accipienda *cap. pœna* 18. *dist.* 8. *de pœnit.*

29. Accedit, quod ut supra notavimus *disp. præcedente* 18. *n.* 334. *&* *n.* 503. in iis Diœcesibus

bus reservatur commutatio, aut dispensatio votorum; non reservatur aliquod peccatum, nec tollitur aliqua facultas à confessario; sed declaratur, confessarium non posse commutare, aut dispensare vota; ut sunt sæculares confessarii. Et ita post prædicta decreta Clementis, Pauli, & Urbani VIII. & juxta illa, docuerunt Bordon. *tom.* 1. *resol.* 6. *n.* 12. citans Henriq. & Sanch. quibus addo Mend. *in Bull. disp.* 23. *n.* 54.

30. Dico quintò: Nomine: *à casibus Episcopo reservatis*, in dicta propositione damnata, & allatis decretis, non solùm veniunt peccata, sed etiam excommunicationes, & censuræ, quas Episcopi sibi reservant. Quia licèt in damnatione dictæ propositionis, non fiat mentio de censuris, sed tantùm de casibus reservatis; sit tamen in allatis decretis, quod sufficit: nam non obstante, quòd aliqui asserebant, ea decreta non obligare Regulares, damnata fuit dicta propositio: ergo ex eo quòd damnata fuerit; ea decreta debent observari, etiam quoad censuras, quas sibi Episcopi reservant. Ita Bordon. & Mend. *locis citat.* Soar. Portel quos citat & sequitur Lezan. *in q. q. Regul. tom.* 3. *verb. Casus reservatus n.* 26. ante damnationem prædictæ propositionis.

31. Unde probabilis mihi non videtur sententia Trullench. in Bull. *lib.* 1. *§.* 7. *cap.* 2. *dub.* 1. *n.* 1. Navarr. Thom. del Bene, quos sequuntur Dian. 3. *part. tract.* 2. *resol.* 13. Quintaduen. *tom.* 1. *tract.* 3. *singul.* 17. *n.* 8. asserentium sub prohibitione absolutionis à culpis, vel à casibus reservatis, non prohiberi absolutionem à censura reservata, nisi hæc inter casus reservatos numeretur; quia, ut docent Navarr. *in summ. cap.* 27. *num.* 262. Megal. 1. *part. l.* 1. *cap.* 3. *n.* 10. quem citat, & sequitur Tambor. *de jur. Abbat. tom.* 2. *disp.* 13. *n.* 116. censura non est casus, sed pœna casus: Attamen cum in omnibus hujus Regni Diœcesibus inter casus reservatos, excommunicationes à jure, vel ab homine latæ numerentur, ab illis non possunt Regulares absolvere. Vide quæ diximus *disp. præcedente à n.* 194. *& n.* 352.

32. Dico sextò: Quamvis in dicta damnatione, & allatis decretis, non fiat mentio de excommunicationibus, quas sibi reservant Domini Inquisitores, ab illis non possunt absolvere Regulares; quia ad id non habent ullum privilegium, nec habuerunt ad ea, quæ sibi hoc S. Tribunal, & etiam Episcopi sibi specialiter reservant; ut ex prædicta damnatione satis clarè colligitur. Et ante damnationem prædictæ propositionis idem docuerunt Bonac. *de censur. q.* 3. *punct.* 1. *n.* 10. & Bordon. *tom.* 1. *resol.* 6. *n.* 20. & sic tenendum est, maximè post præfata SS. Pontificum decreta, & propositionem ab Alexandro VII. damnatam; quidquid in oppositum defendant Trimarch. A Cunâ, Freitas, Portel. Rodrig. Bossius apud Bordon. *citat.*

SECTIO III.

Quando cessat facultas concessa ab Episcopo absolvendi à reservatis?

33. SUb hoc titulo veniunt plura dubia elucidanda. Primum sit: Obtinet Saderdos ab Episcopo facultatem audiendi confessiones, & absolvendi à reservatis per annum, & post annum elapsum, iterum obtinet facultatem audiendi confessiones; indiget ne etiam nova facultate, absolvendi à reservatis, aut sufficit præcedens, secuta nova approbatione aut facultate? Respondeo indigere nova facultate, & non sufficere præcedentem absolvendi à reservatis. Ita Bordon. *tom.* 1. *resol.* 39. Bakiell. & Card. de Lug. consulti à Pellizar. *tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 2. *n.* 134 Quamvis addit, Cardinalem de Lug. id dicere sub aliquo dubio. At Cardin. de Lug. *in responsion. l.* 1. *dub.* 23. *n.* 4. idem asserit, dum inquit, non esse levem conjecturam dicere, quòd utraque facultas ad confessiones audiendas, & absolvenda reservata, quando simul datur, etiam simul extinguatur. Dubius tamen debet esse Pellizar. quia tantùm refert ab aliis dicta.

34. Ratio hujus asserti est. Quia accessorium sequitur naturam, seu statum principalis; & destructo fundamento, omnia alia destruuntur: Sed facultas absolvendi à reservatis, est accessorium, ad facultatem audiendi confessiones, & in illa, ut in suo fundamento, nititur: ergo cessante principali, & destructo fundamento facultatis, nempe facultate audiendi confessiones, cessat accessorium, & extinguitur facultas absolvendi à reservatis. Confirmatur, quia semel extinctum non revivisct, *cap. si illic*, 23. *q.* 4. *cap. Quæris q.* 4. *de consecrat.* Glos. *Verb. Contrahatur*; nisi de novo causa det illi esse: ergo si de novo non detur facultas absolvendi à reservatis; quæ data fuit, cùm sit extincta, non revivisct.

35. Secundum dubium: Quid dicendum, quando prædicta facultas absolvendi à reservatis, concessa fuit diverso tempore; & seorsim à facultate audiendi confessiones per annum? Card. de Lug. *ubi supra à n.* 3. existimat, habitâ novâ concessione audiendi confessiones pro sequenti anno, revivisce concessionem absolvendi à casibus reservatis. Movetur quia id non repugnat, nec ex natura rei, nec ex aliqua lege positivâ; nam potest concedi jurisdictio alicui sacerdoti, ad audiendas confessiones, antequam sit approbatus, licèt illam exercere non possit, nisi post approbationem ordinarii; sicut etiam potest concedi approbatio ad audiendas confessiones, quin concedatur jurisdictio ad eas audiendas: Generalis enim Societatis JESU Sacerdotibus suis communicat juxta sua privilegia, ea ipsa die, qua fiunt sacerdotes, plures facultates circa vota, & peccata suorum pœnitentium, quibus facultatibus uti, non possunt, antequam ab Ordinario approbentur; & S. Pontifex potest concedere Titio non sacerdoti, ut factus sacerdos possit, quoties celebraverit, animam defuncti à Purgatorio liberare: ergo cùm hæc non repugnent, dicendum est Episcopum, eodem modo, concedere facultatem absolvendi à reservatis, quando illa concedit separatim, & diverso tempore, quo illam concedit, ad audiendas confessiones; maximè quando Episcopus facultatem ad audiendas confessiones per annum concedit in scriptis; & facultatem absolvendi à reservatis, vivæ vocis oraculo, sine ea limitatione per annum.

36. Hæc tamen sententia Emin. & doctissimi Cardin. licèt sit probabilis; ratione, qua nititur, mihi non probatur. Ratio est, quia Episcopus, dum aliud non exprimit, sic concedit facultatem absolvendi à reservatis, ut concedit facultatem audiendi confessiones: sed hanc concedit per annum: ergo etiam, & illam.

37. Nec

37. Nec exempla oppositum convincunt, aut suadent; quia quæstio non agitur de possibili; quia certum est, etiam ipsum Episcopum posse concedere facultatem, absolvendi à reservatis alicui sacerdoti, pro toto tempore, quo facultatem habuerit, audiendi confessiones; & quamvis licentia ei tantùm, per annum concedatur, ad confessiones audiendas; facultas absolvendi à reservatis revivisceet; si transacto anno facultas renovetur, ad audiendas confessiones: procedit ergo quæstio de facto; an concessa facultate, audiendi confessiones per annum, & seorsim diverso tempore, concessa facultate absolvendi à reservatis, an extinguatur elapso anno; & in his terminis judico extingui, ex datâ ratione *n. præcedente*.

38. Tertium dubium: An confessarius, qui obtinuit ab Episcopo facultatem absolvendi à reservatis; postea tamen immemor talis facultatis concessæ, illam petiit ab Episcopo, qui illam concessit, cum aliqua tamen restrictione, seu limitatione: Confessarius autem, post aliquos dies, vel horas, memor prioris facultatis in ampliori forma concessæ, illa vult uti; quæritur an possit? Respondeo, posse, ita expressè Card. de Lug. *in respons. moral. l.* 1. *dub.* 24. Pellizar. *tom.* 1. *tract. 6. cap* 2. *n.* 132. & apud ipsum docti Recentiores à se consulti, & inter illos Card. de Lug. & Baldell. & mutato casu, non tamen substantia illius, idem tenet Bordon. *tom.* 1. *resol.* 39. *n.* 80. *q.* 36. & in simili, Sanch. *l.* 8. *de matrim. disp.* 22. *n.* 16. de eo, qui impetravit dispensationem; & ob aliquos scrupulos sibi objectos, aliam impetravit, cum aliquibus limitationibus: certior tamen factus, de priore; respondet Sanch. posse, adhuc illa uti; quod evenit in præsenti casu.

39. Probatur primò, quia hæ duæ concessiones non sunt inter se contrariæ, sed diversæ, quin secunda destruat primam; ergo adveniente secunda limitata, non destruitur prima, ampliori modo concessa: erga etiam illa, impetrans potest, uti. Secundò quia concedens secundam facultatem limitatam, non revocat per illam, quam antea concesserat, sed tantùm ostendit, non semper stare æquè dispositus ad concedendum. Unde si nec expressè, nec implicitè revocet præcedentem, semper erit in suo esse. Tunc enim implicitè, aut expressè præcedens facultas revocabitur; quando Episcopus asserit, se in illis verbis in ampliori forma, semper intellexisse illam limitationem, quam nunc exprimit.

40. Quartum dubium: An validè absolvat à reservatis confessarius, ex facultate ab Ordinario obtentâ, per nuntium ei destinatum ad illam petendam, quæ tamen ipsi confessario non est manifestata, si tamen à parte rei fuit obtenta? Absolutè, & sine alia distinctione affirmat Pellizar. *tom.* 1. *tract. 6. cap.* 2. *n.* 133 & id colligit ex doctrina Sanch. *l.* 3. *de matrim. disp.* 36. *n.* 6. asserentis, privilegium prodesse privilegiato, ante ejus notitiam, à puncto concessionis factæ Nuntio, ad id specialiter destinato, acceptanti. Hæc doctrina traditur etiam à Castr. Palao 5. *part. tract.* 28. *de sponsal. disp.* 2. *punct.* 13. *n.* 6. *& part.* 1. *tract.* 3. *de privil. disp.* 4. *punct.* 3. §. 3. *n.* 10. & colligitur ex jure, *in cap. si tibi absenti, de præbend. in* 6.

41. Idem sentio, quoad validitatem talis absolutionis à reservatis; si verè facultas est concessa, quando confessarius à reservatis pœnitentem absolvit; at talis absolutio est illicita; quia semper adest periculum, non esse datam eam facultatem; & confessarius, qui eo periculo operatur, peccat mortaliter; quod colligo, ex aliâ doctrina Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 6. *n.* 69. & Castr. Palao *supra citat.* Sanch. *citat. disp.* 39. *n.* 23. & aliorum, quos refert Dian. 11. *part. tract.* 3. *resol.* 32. *vers. sed sententiam affirmativam*, & Tamborin. *l.* 8. *de matrim. tract.* 6. *cap.* 2. §. 5. *n.* 7. asserentium, non esse licitam assistentiam Sacerdotis, qui assistit matrimonio ex licentia obtenta, per Nuntium ad id destinatum, dum ei Sacerdoti non manifestatur; quamvis à parte rei sit concessa: ergo idem dicendum de licentia, absolvendi à reservatis; datur enim in ea absolutione periculum nullitatis, quoad absolutionem à reservatis; sicut in assistentia matrimonii. Hoc etiam probat, quòd diximus *disp.* 6. *sect.* 4. *n.* 24. de filio, qui certò scit singulis annis à parentibus pro illo accipi Bullam; qui nequit illius privilegiis frui, nisi prius de ea acceptione admoneatur. Addo juxta sententiam Basil. Pontii, & Peres, quos refert, & sequitur Dian. *proximè*, *vers. Verum ego*, dici posse, eam absolutionem esse invalidam; sicut de eadem assistentia matrimonii, modo dicto, asserunt D. D. *citat.* esse nullam.

SECTIO IV.

An confessarii habentes ab Episcopo generalem facultatem absolvendi a sibi reservatis, possint illam subdelegare aliis Confessariis?

42. In duplici sensu agitari potest hæc quæstio: primò, quando Episcopus alicui confessario facultatem generalem absolvendi à reservatis concedit, cum facultate aliis subdelegandi? Et in hoc sensu conveniunt D. D. posse confessarium eam facultatem subdelegare; quia non ipse censetur subdelegare, cùm non subdeleget nomine proprio, sed nomine Episcopi, & authoritate ab ipso accepta. Ita Sanch. *l.* 3. *de matrim. disp.* 31. *n.* 7. Castr. Palaus *tom.* 4. *tract.* 23. *disp. unic. punct.* 13. *n.* 15. Fragos. *tom.* 2. *disp.* 11. §. 1. 2. *vers. Dicendum tamen est*, cum aliis, quos citant.

43. Secundus sensus est, quando Episcopus concessit confessario facultatem absolvendi à sibi reservatis, sine facultate subdelegandi. Et in hoc sensu, existimat Pellizar. *tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 2. *n.* 83. non videri improbabile, posse subdelegare, non quidem generatim, sed particulatim in certo casu, vel ad certam personam absolvendam.

44. Probat primò: quia quamvis D. D. communiter dicant, delegatum non posse subdelegare, nisi sit delegatus supremi Principis: hoc tamen fallit respectu illius, qui est delegatus ad universitatem causarum; nam is potest subdelegare; ut probat Sanch. *cit. n.* 2. *ex l.* 1. §. *ab eo ff. Si quis, & à quo. junct. Gloss. ibi vers. Non ipse, & vers. ab eo:* Sed prædictus confessarius generaliter deputatur ab Episcopo, ad absolvendum à reservatis: ergo potest subdelegare eam facultatem alicui confessario, sive sæculari, sive Regulari, ad certum casum, vel ad certam personam absolvendam.

45. Secundò probat, ex Zerol. *in praxi, verb. Pœnitentiarius num.* 4. asserente, pœnitentiarium Episcopi posse, dare authoritatem confessariis, absolvendi

solvendi à reservatis, dum actu consulitur, & non aliter. Ex his infert. Pellizar. à fortiori, posse confessarium eam facultatem, modo explicato, subdelegare, si eam à S. Pontifice, vel à Legato à latere habeat.

46. Addit Pellizar. *n.* 84. etiam posse confessarium subdelegare, modo dicto, si tantùm habeat ab Episcopo authoritatem absolvendi ab uno tantùm reservato, v. g. à Blasphemiâ publica; & movetur, quia ex una parte, delegatus principis potest subdelegare, si sit delegatus ad universitatem causarum; & ex alia, ille dicitur delegatus ad Universitatem causarum, teste Sanch *cit. n.* 4. cui committitur genus causarum, sub nomine collectivo; quamvis non generalissimo, sed subalterno; quod scilicet sit restrictum quoad tempus, vel quoad locum, sive quoad quantitatem: sed delegatio facta ad unum tantùm reservatum, ita se habet quoad quantitatem: ergo illam, modo explicato, poterit subdelegare. Ita Pellizar.

47. Hæc tamen mihi placere nequeunt. Ut tamen veritas percipiatur, suppono primò: Quando dicitur delegatum Principis posse subdelegare, intelligi nomine Principis in rebus sacris solùm S. Pontificem; ut patet *ex cap. cum causam* 62. *de Appellationibus.*

48. Secundò suppono, tripliciter posse alicui committi jurisdictionem ad universitatem causarum. Primò, ut sit in privilegium perpetuum, ratione dignitatis, aut officii. Exemplum sit potestas absolvendi à Pontifici reservatis occultis, & dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, concessa Episcopis *in Trident. sess.* 24. *cap.* 6.

49. Tertiò, si alicui committitur Vicarii munus alicujus officii non proprii; ut officium parochi absentis, vel non sacerdotis, Vicariæ gubernationis alicujus civitatis.

50. Quartò, si alicui committitur immediatè certum exercitium alicujus jurisdictionis: v. g. potestas audiendi confessiones, absolvendi à reservatis, administrandi sacramenta, judicandi de certis causis, excommunicandi inobedientes, &c. His suppositis.

51. Dico primò: Confessarius, qui authoritatem habet ab Episcopo absolvendi à sibi reservatis; illam non potest subdelegare alii confessario, nec etiam ad certum casum, vel certam personam; hoc assertum est contra Pellizar. at est commune, & ut certum colligitur à D. D. statim citandis. Ratio est, quia ei confessario solùm conceditur ab Episcopo exercitium absolvendi à reservatis: sed quando alicui conceditur solùm exercitium jurisdictionis delegatæ, etiam ad universitatem causarum, non potest hæc facultas subdelegari: ergo facultas absolvendi à reservatis, etiam si sit ad universitatem causarum, non potest subdelegari, nec etiam ad certum casum, sive ad certam personam. Major est certa, quia sicut potestas audiendi confessiones, est immediatè concessa ad exercitium audiendi confessiones, ita etiam immediatè concessa ad absolvendum à reservatis est concessa ad exercitium absolvendi à reservatis: eodem enim modo conceditur una, ac conceditur altera.

52. Minor ostenditur variis exemplis; primò in potestate audiendi confessiones; quæ, ex eo quòd conceditur ad exercitium audiendi confessiones, non potest subdelegari; ut docent Ægid. Coninch. *disp.* 8. *de pœnit. dub.* 4. *n.* 26. Laym. *l.* 5. *tract.* 6. *cap.* 10. *n.* 12. & 14. Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *disp. unic. punct.* 13. *num.* 16. *in fine*, Lezana *in q. q. Regul. tom.* 3. *Verb. Casus reservati num.* 29. & omnes apud Laym. *dict. num.* 12. argum. *cap. ult.* §. *ult. de Offic. judicis delegati.* Secundò, quia Regularibus commissa est jurisdictio à S. Pontifice, ad audiendas confessiones (intellige data Episcopi approbatione) Eucharistiam administrandam, & absolvendum à reservatis Pontifici, extra Bullam Cœnæ, & exceptis à Clemente VIII. intra Italiam, de quibus *supra*: *disp.* 16. *num.* 22. quem locum recole, & tamen nec ad certum casum, sive certam personam possunt hanc jurisdictionem subdelegare, ut cum Laym. & Ægid. Coninch. notavit Castr. Palao *supra dict. num.* 16. *in fine.* Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 6. *num.* 60.

53. Dico Secundò: Confessarius habens facultatem absolvendi ab uno tantum Episcopo reservato, v. g. à Blasphemiâ publicâ, non potest subdelegare eam facultatem, absolvendi certam personam. Est contra Pellizar. traditur tamen à prædictis D. D. ex eâdem ratione; quia illi tantùm conceditur exercitium, & usus; & usurarius solùm potest jure utendi gaudere, & non aliis committendi, Laym. *cit. dict. n.* 12. Unde sive facultas absolvendi à reservatis delegetur, ad universitatem causarum sub nomine collectivo, v. g. ad absolvendum omnes unius oppidi ab omnibus reservatis, vel ab uno reservato; vel omnes trium oppidorum, aut trium personarum à tribus reservatis, nunquam hæc facultas potest subdelegari: datur enim in his eadem ratio. Sic Ægid. *cit. n.* 26.

54. Dico tertiò: Si Episcopus concedat facultatem absolvendi à sibi reservatis Parocho, Provinciali, vel Guardiano, poterunt illi hanc facultatem sibi commissam alteri confessario subdelegare, non ita generatim, sed in certo casu, vel ad certam personam. Ita Lezan. *supra*, Rodrig. & Beja apud Laym. *cit. n.* 12. *in fine.* Quod intellige cum ipso Laym. Si tale privilegium absolvendi à reservatis Episcopo, concessum sit ratione Officii, in perpetuum; quia jam ea potestas censetur ordinaria. Et sic concessum etiam nequit delegari, aut subdelegari, si id privilegium sit personale, ob hominis industriam concessum. Ex his constat, prædictam sententiam, quam non improbabilem sibi videri docuit Pellizarius, nullo modo videri probabilem; quia pro se, nec habet D. D. nec rationem.

SECTIO V.

An Episcopi concedere debeant facultatem absolvendi à sibi reservatis?

55. CErtum est, Episcopos non teneri, facultatem generalem absolvendi à reservatis, omnibus petentibus concedere; monentur tamen de mandato Clementis VIII. à S. Card. Congreg. in litteris ad Archiepiscopum Neapolitanum, quæ habentur apud Barbos. *de potest. Episc.* 3. *part. alleg.* 30. *n.* 288. ut facultatem absolvendi à reservatis concedant aliquibus confessariis, præsertim iis, qui à Cathedrali longiùs remoti sunt, & aliis, si opus sit: idque maximè in solemnioribus, & præcipuis anni festivitatibus; ut peccatores copiâ con-

fessorum alliciantur ad confessionem peragendam. Ex hâc tamen admonitione, Episcopi non tenentur eos confessarios designare. At ita expedire docet cum Molfes Zerol. Quintanaduen. *tom. 1. tract. 3. singul. 10. n. 3.* ubi addit non tolùm expedire, sed esse omninò necessarium, ubi non est concessa Bulla Cruciatæ, vel non sunt Regularium conventus, quorum religioli habent ab Episcopo absolvendi facultatem; & in hoc debent se ordinarii nimis faciles, & liberales ostendere.

56. Inquires tamen primò: An in casu occurrente, possit Episcopus, vel ejus Provisor denegare facultatem super casus reservatos, quando ea per confessarium petitur? Respondeo, non teneri eam facultatem concedere, sed posse obligare pœnitentem ad sibi confitendum; maximè si causam habet rationabilem, eam non concedendi. Si tamen aliquod timet periculum in pœnitente, tenetur ex charitate eam concedere facultatem. Ratio est, quia reservatio casuum est in favorem pœnitentium, ut terrahantur ab iis peccatis, quæ reservantur: ergo si ceciderint, debent meliori modo, quo possunt, ab eo casu relevari. Ita Floron. *de reservat. cap. 6. §. 3. n. 3.* Coriolan. *cap. sect. 1. art. 17.* Bonacin. *de pœnit. q. 7. punct. 5. §. 2.* Mirand. *tom. 2. q. 34. art. 9.* quos affert, & sequitur Bordon. *tom. 1. resol. 39. n. 46. & 48.*

57. Inquires secundò: An si Episcopus injustè deneget facultatem ad absolvendum subditum à reservatis, habeatur pro concessa? Respondeo, non haberi pro concessa, si ab illo denegetur pro subditis sæcularibus; quia nullum datur jus, quod illam concedat. Unde absolvens absque illa invalidè absolvit, ita cum Naldo Pellizar *tom. 1. tract. 6. cap. 2. n. 68.*

58. Secus dicendum, si facultas petatur à confessario Monialium Episcopo subditarum, seu non exemptarum; & illam non obtineat ad absolvendam Monialem; quia potest confessarius, pro illa vice, illam absolvere; ita enim expressè decernitur ab Urbano VIII. qui postquam retulit decretum de casuum reservatione à Clemente VIII. editum, anno 1593. ut constat *ex 4. tom. Cherub. fol. 273.* ubi hæc ipsius mandato addita sunt: *Sanctitas sua deinceps declaravit, ut si hujusmodi Regularium confessariis casus alicujus reservati facultatem petentibus, superior dare noluerit, possint nihilominus confessarii, illa vice, pœnitentes Regulares,* etiam non obtenta à superiore facultate, absolvere. Sic Pelliz. *in man. Regul. tom. 1. tract. 6. cap. 2. num. 112. & tom. 2. tract. 10. cap. 9. num. 28. & 29.*

59. Ostenditur, quia ex unâ parte Episcopus est verè & propriè superior Monialium non exemptarum; & ex alia, privilegia præsertim favorabilia concessa Regularibus communicantur etiam Monialibus: ut ex Rodrig. tenet Sorel. *lib. 8. de leg. cap. 10. n. 6. & 7.* Sed in prædictis verbis dicitur, si confessariis Regularium casus alicujus reservati facultatem petentibus superior dare noluerit, quòd ipsi confessarii pro ea vice absolvant: ergo cùm verba sint adeo generalia, comprehendunt Episcopum, & Moniales: ergo si facultas denegetur ab Episcopo confessario Monialium, poterit hic pro illa vice absolvere. Quamvis oppositum non videatur improbabile juxta dicenda, *disp. sequenti num. 22.* Sicut enim decretum Clementis de reservatione casuum pro Regularibus non adaptatur Monialibus non exemptis, ut *cit. loco* videbimus; ita etiam ad illas non extenditur dispositio proxima Urbani VIII. quæ est additio ad decretum Clementis VIII. Recole citatum locum.

SECTIO VI.

An in casus urgentissimæ necessitatis possit absolvi pœnitens à reservatis Episcopo?

60. HÆc quæstio non procedit in hâc Diœcesi Ulyssiponensi, in cujus Synodali Constit. disponitur circa impotentem per se, vel per confessarium, adire Episcopum, quando ex non accepta communione, notabile sequatur scandalum, ut possit absolvi à quocunque confessario, sic habetur *lib. 1. tit. 10. decret. 7. §. 1. in fine*, his verbis: *E nam podendo, nem apenitente recorrer anos, nem o confessor darnos conta per si, nem por escrito; correr perigo evidente, ou escandalo muito notavel de apenitente nao commungar logo. Concedemos licença ao Confessor para o absolver, encarregando the muito sua consciencia, no examinar estas circunstancias.* Nec etiam procedit de Egitanensi Diœcesi, in qua idem decernitur, ut *disp. precedente 18. sect. 22. n. 382. in fine* notavi. Quia tamen hoc decretum in omnibus reperitur Diœcesibus.

61. In præsenti inquirimus: An impeditus adire Episcopum absque nota, & infamia, pro absolutione alicujus peccati reservati, possit à parocho, vel à quolibet confessario, ab illo peccato absolvi? Varia sunt placita authorum in hoc puncto. Prima sententia asserit, in casibus reservatis, sive sint à S. Pontifice, sive ab inferioribus, extra articulum mortis, nihil posse confessarius, ut asserit Conc. Trident. *sess. 14. cap. 7. de reform. in fine, & ex decret. Clementis VIII. non semel in hâc disp. allato*; in quo dicitur, non posse confessarios, sive sæculares, sive Regulares in Italiâ extra Urbem degentes, quocunque existente impedimento adeundi S. Pontificem, vel Episcopum, quibus casus sunt reservati, extra mortis articulum, in quâcunque necessitate absolvere, ibi: *Nullo casu etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in articulo mortis.* Hanc sententiam defendunt Vasq. Ugolin. Bonacin. Duard. quos citat, & ut probabiliorem sequitur Dian. *part. 9. tract. 7. resol. 10.* Et in specie quoad casus Episcopo reservatos idem tenent Soar. *de pœnit. disp. 30. sect. 3. n. 11.* & apud ipsum Adrianus, & Durand. quos sequitur Card. Lug. *de pœnit. disp. 20. n. 225.* Soar. Lusit. *de pœnit. tract. 7. n. 261.* Ex eâ ratione; quia accessus ad Episcopum solet esse facilior.

62. Secunda, & opposita opinio docetur à Castr. Palao *tom. 4. tract. 23. disp. unic. punct. 15. §. 4. n. 3.* Dicastill. *tom. 2. de Sacram. tract. 8. disp. 11. dubio 17. num. 305.* & probabilem dicit Dian. *part. 11. tract. 8. resol. 49.* Eandem tenent Tambor. *l. 5. de pœnitentiâ tract. de casibus reservatis cap. 12. §. 2. n. 36.* Moya *tom. 1. in select. tract. 3. disp. 8. q. 13. n. 5.* & apud ipsum Francisc. Verd. *in opusc. pro Caram. q. 12. p. 7. §. 40. n. 633.* & alii. Marchantius *in Tribun. Sacram. tom. 1. tract. 2. tit. 4. q. 8. conclus. 3.* apud Dian. *part. 9. tract. 7. resol. 11. cit.* Idem asserit Soar. *dict. disp. 30. sect. 3. n. 8. & 9. & disp. 3. sect. 3. per totam*, quoad reservata S. Pontifici, à quibus

po-

potest parochus absolvere, dum superior adire non potest, & instat necessitas communicandi, aut celebrandi, quod prætermitti nequit absque scandalo, aut infamia, aut damno populi, qui die festo tenetur missam audire. Quod non improbabile judicat Soar. *Lusit. nuper cit. n.* 255. Probatur hæc sententia, quia reservatio introducta est ob bonum pœnitentis, & non debet in detrimentum illius vergere: & vergeret, si in prædicto casu parochus, aut confessarius nequeat absolvere: Unde in præsenti casu non præsumitur reservatio. Deinde integritas confessionis est de jure divino: reservatio autem de jure humano: ergo in casu urgentis necessitatis casus non censetur reservatus.

63. Asserunt tamen aliqui ex citat. authoribus, absolutum in prædicto casu urgentissimæ necessitatis ab inferiore confessario, à reservatis teneri, quamprimùm poterit se præsentare Prælato, (etiamsi non habuerit censuram) non ut absolutionem à reservatis obtineat; quia ea peccata directè fuerunt absoluta; & nemo tenetur eadem peccata ritè confessa bis subjicere clavibus; sed ut prælato exhibeatur debitus honor, servetur vigor disciplinæ Ecclesiasticæ, & ut à prudentiore judice adhibeatur medecina, & alia major satisfactio præscribatur, si ab inferiore præscripta non sit. Sic Bossius *de jur. Episc. discept.* 1. *dub.* 15. *n.* 163. ex Vasq. *tom.* 4. *in* 3. *part. q.* 91. *art.* 3. *dub.* 8. *n.* 8. apud Dian. *cit. dict. part.* 9. *tract.* 7. *resol.* 11. *in fine* & Castr. Palao *supra*.

64. Tertia sententia tuetur posse inferiorem confessarium, in prædicto casu, absolvere à reservatis; monet tamen hanc absolutionem esse indirectam; quia inferior non est judex reservatorum proprius; & pœnitens tenetur absolutionem directam ab illis recipere. Ita Soar. *disp.* 31. *sect.* 3. Canus, Sotus, Ledesm. apud Castr. Palao citatum Lezan. *in q. q. Regul. tom.* 3. *Verb. Casus reservati num.* 24. Tamborin. *ubi supra* §. 3. *num.* 4. Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 6. *cap.* 2. *num.* 8. loquens de reservatis Episcopo, & de censuris eidem reservatis *n.* 76. & apud ipsum Nald. Henriq. & Reginald idem sentientes contra Ugolin. *ibidem cit.* Accedit Mend. *in Bull. idem docens disp.* 23. *n.* 38. tam de reservatis S. Pontifici, tum Episcopo; quamvis peccatum censuram annexam habeat, ibique citat. Trullench. & alios.

65. Has sententias probabiles judico, & tutò possunt sequi. Adverto tamen, illum, qui juxta secundam sententiam, & limitationem aliquorum authorum, ut *n.* 63. à reservatis Episcopo directè absolvitur, cum onere comparendi coram illo; aut obtinendi facultatem per se, vel per alium, juxta tertiam sententiam, ut à reservatis directè absolvatur, posse accipere Bullam, & virtute illius absolvi ab eisdem directè; & sic deobligatus manebit, comparendi coram illo, vel petendi per se, vel per alium facultatem, ut directè absolvatur. Idem dicendum de eo, qui, eâdem urgente necessitate, absolutus est à reservato S. Pontifici, non excepto in nostrâ Bullâ: potest enim accipere Bullam, & virtute illius absolvi; si adhuc intra annum durationis Bullæ, ab aliquo reservato Pontifici non fuit absolutus: Si enim jam semel à reservatis Pontifici, eo anno fuit absolutus, secundam Bullam accipere nequit, ut diximus *supra disp.* 4. *sect.* 7.

SECTIO VII.

An validè absolvatur à reservatis Episcopo ille, qui bona fide, illa confessus fuit confessario non habenti facultatem illa absolvendi?

66. Videri validam hanc absolutionem, existimat Præposit. *in* 3. *part. q.* 9. *de casib. reserv. dub.* 7. *n.* 38. sive confessarius id sciat, sive ignoret: manet tamen sic absolutus advertens, & cognoscens hunc defectum, obligatus ad comparendum coram legitimo superiore, cui ea peccata erant reservata. Huic sententiæ videtur assentire Dian. 6. *part. tract.* 6. *resol.* 40.

67. Probat primò, quia hîc, & nunc Ecclesia tacitè dat jurisdictionem in bonum animarum; alioquin innumeri meritò remanerent anxii de suis confessionibus. Secundò, valdè graviter deciperentur, cùm varii Sacerdotes ignorent casus reservatos, nec sit pœnitentium eos scire, vel Sacerdotum potestatem. Unde sive Sacerdos peccet, sive non, pœnitens bona fide procedens videtur validè absolvi, remanente onere se sistendi superiori.

68. Nihilominus dicendum cum Tamborin. *lib.* 5. *tract. de casib. reserv. cap.* 12. §. 3. *n.* 7. Moya *tom.* 1. *in select. tract.* 3. *disp.* 8. *q.* 7. à *num.* 2. primò, si omnia peccata, quæ pœnitens in eâ confessione aperuit, erant reservata; confessionem fuisse nullam; quia confessarius circa ea peccata nullam habebat jurisdictionem, utpote reservata, ut inquit *Trident. sess.* 14. *cap.* 7. *de reform.* ibi: *cùm nihil possint in casibus reservatis*; & cùm alia non aperuisset peccata, in quæ confessarius habuisset jurisdictionem, defectu materiæ illa confessio fuit invalida. Nec error confessarii, & pœnitentis illi dat jurisdictionem, sicut ei error communis illam tribuit; ut cum Dian. 3. *part. tract.* 4. *resol.* 122. Molfes Basil. Pont. & aliis tenet Thom. Hurt. *tom.* 2. *resol. moral. tract.* 12. *num.* 2018. apud Moya *proximè n.* 6. ut etiam scientia unius, vel alterius jurisdictionem non tollit ab eo, qui illam habet ex errore communi, ut ex Sanch. Bonacin. & aliis tenet Leand. *disp.* 5. *de pœnit. q.* 79.

69. Secundò dicendum: Si pœnitens cùm peccatis reservatis aperuit in ea confessione alia peccata mortalia, aut alia venialia cum legitimo dolore, validam esse eam confessionem; quia confessor ad non reservata habebat jurisdictionem, & illa directè absolvit: alia verò reservata indirectè; ut docent Soar. *disp.* 31. *sect.* 3. *num.* 3. & 12. Card. de Lug. *disp.* 19. *num.* 31. Unde pœnitens cognoscens defectum jurisdictionis confessarii ad reservata, tenetur pro absolutione comparere coram superiore, aut uti remedio, quod attulimus *supra n.* 63.

70. Confirmatur, quia ille, qui bona fide confitetur cum simplici Sacerdote non habente jurisdictionem absolvendi à mortalibus, & simul cum illis confessus fuit venialia, cum legitimo dolore, valida erit absolutio: ut cum Sanch. & Soar. docet Cardin. de Lug. *citat. num.* 33. Et cum

aliis pluribus Moya *citat. supra n.* 3. ergo etiam, qui confitetur peccata reservata simul cum non reservatis, valida erit absolutio, quamvis confessarius ad reservata non habeat jurisdictionem.

71. Tertiò dicendum, non solùm esse validam absolutionem, quando sacerdos ex ignorantia invincibili judicavit se habere jurisdictionem absolvendi ea peccata; sed etiam quando mala fide, nempe sciens se ad ea peccata reservata non habere jurisdictionem, absolvit. Ratio est, quia habebat jurisdictionem certam ad peccata venialia, aut mortalia non reservata; & pœnitens processit bona fide in recipienda absolutione: ergo valida erit absolutio. Ita Soar. *disp.* 26. *sect.* 6. *n.* 9. Ægid. *de sacram. disp.* 8. *dub.* 13. *n.* 103. *in fine.* Præpositi. *supra.* At si pœnitens mala fide processit, sciens confessarium non habere jurisdictionem, validè non recepit absolutionem; quia indispositus ad eam recipiendam actualiter accessit.

72. Notandum tamen est, Moyam *cit. n.* 5. arguere Præpositi. eo quòd asseruit hunc pœnitentem, detecto errore, teneri ad comparendum coram superiore; quia in opinione Præpositi, non manet cum eo onere. Quia, ut inquit Moya, non manet ei id onus; nam confessio facta cum sacerdote absolvente ex opinione probabili jurisdictionis, non est iteranda; licèt postea pœnitens aliunde cognoscat illum non habuisse jurisdictionem; quia in tali casu Ecclesia supplet jurisdictionem, quam confessarius re ipsâ non habebat; sicut supplet, quando error est communis, ut docent Soar. Sanch. Henriq. Pontius, Villal. Vasq. Sancius, Salas, & alii quos citant, & sequuntur Dian. 3. *part. tract.* 2. *resol.* 3. Bossius *tom.* 1. *de conscientia n.* 384. Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 5. *q.* 83. Sed juxta principia Præpositi pœnitens absolvitur directè à sacerdote habente jurisdictionem ex concessione Ecclesiæ: ergo licèt postea cognoscat confessarium non habuisse jurisdictionem, non tenebitur ad comparendum coram superiore; & hoc est contra omnes Theologos: ergo propter hæc, sibi non constat opinio Præpositi. Hæc Moya.

73. Quartò dicendum, opinionem Præpositi non sibi constare, propter dicta *supra*; non tamen propter hæc, quæ contra illum arguit Moya; quia ut notavimus *sect. præcedente n.* 63. Ille, qui urgentissimâ necessitate absolvitur à reservatis directè juxta secundam opinionem *loco citato* ab aliquibus limitatam, tenetur, quàmprimùm poterit, comparere coram superiore, etiamsi peccata reservata annexam non habuissent excommunicationem, quod docuerunt graves D. D. Castr. Pal. Bossius ex Vasq. Dian. omnes ibi citati: ergo non est contra omnes Theologos assertum de comparendo coram superiore, quando absolutio fuit directa.

74. Dicendum ergo est juxta illam secundam opinionem à citatis limitatam; si pœnitens teneatur comparere, quando ex urgentissimâ necessitate fuit absolutus à reservatis directè; à fortiori tenebitur ille, qui extra eam necessitatem fuit absolutus à reservatis, ex errore confessarii existimantis se habere jurisdictionem absolvendi à peccatis, quæ illi aperiebantur in confessione. Et sic potuit Præpositus suam stabilire opinionem; quam, nec etiam cum hac moderatione existimo probabilem, ut *supra* ostendimus.

SECTIO VIII.

An possit Episcopus, aut Provisor absolvere pœnitentem à reservatis, & pro non reservatis mittere illum ad alium Confessarium?

75. AD hujus quæstionis intelligentiam, suppono *ex Trident. sess.* 14. *cap.* 5. *& can.* 7. pœnitentem teneri, ex jure divino, omnia, & singula peccata mortalia confiteri; quæ post diligentem sui discussionem memoriæ occurrunt.

76. Suppono secundò, omnes Theologos defendere, tanquam dogma fidei, illicitam, & sacrilegam esse confessionem, in qua pœnitens, absque legitima causa, sciens tacet in confessione peccatum aliquod mortale.

77. Suppono tertiò; aliquas dari causas excusantes ab integritate materiali confessionis; non tamen à formali; & aliæ se tenent ex parte confessarii; & aliæ ex parte pœnitentis; quæ passim apud D. D. reperiuntur. Vide Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 5. *per totam.* Soar. Lusit. *tract.* 3. *disp.* 2. *sect.* 3. *per totam.* Lezan. *in q. q. Regul. tom.* 3. *Verb. Confessio à n.* 2.

78. Suppono quartò, non licere dimidiare confessionem, ob magnum concursum pœnitentium; quia S. S. D. N. Innocentius XI. die 4. Martii 1679. Hanc damnavit propositionem, ut minimum, tanquam scandalosam: *licèt sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magna alicujus festivitatis, aut indulgentiæ:* Et ex damnatis est. 59. Ubi nota, dies magnæ festivitatis, aut indulgentiæ esse exemplum, ut colligitur ex dictione *v. g.* quare etiam extra alios, nunquam licet dimidiare confessionem ob magnum pœnitentium concursum: His suppositis.

79. Inquirimus: An liceat Episcopo, vel habenti suas vices, absolvere tantùm à reservatis pœnitentem, & pro aliis mortalibus non reservatis, mittere illum ad alios confessarios? Affirmant Navarr. Sotus Graff. Palud. Richard. & alii apud Bonac. *tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 7. *punct.* 5. *§.* 1. *n.* 1. Cajet. *in Summ. Verb. confessor conclus.* 10. ubi inquit, id esse Romæ consuetudine receptum. Alii dicunt, posse validè, non tamen licitè. Sic Fagund. Bonacin. Laym. Eublin. Granad; quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 11. *q.* 28. & probabile dicit Mend. *in Bull. disp.* 23. *n.* 24.

80. Existimo tamen, nec validè, nec licitè posse Episcopum, aut habentem illius vices, eum pœnitentem absolvere à reservatis, & pro aliis mittere eum ad confessarium ordinarium. Ita docent Adrian. Sylvest. Victorin, Canus, Viguer. Soar. Taner. Præpositi. Vasq. Card. de Lug. Ægid. Coninch. Fagund. Joann. à Cruce, Mayor, Gerson. Caspens. Bauny. Hurtad. Graff. Rodrig. Valent. Nugnus Reginald. Lerol. Pesant. Sayr. Filliuc. Bonacin. quos congerit, & sectatur Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 7. *n.* 146. quibus addo Tamborin. *in Methodo confess. l.* 2. *cap.* 10. *§.* 1. *n.* 27. *& l.* 5. *de pœnit. tract. de casib. reservat. cap.* 9. *§.* 7. *n.* 2.

Bordon.

Bordon. *tom.* 1. *resol. per totam n.* 41. Dicastill. *tom.* 2. *de Sacram. tract.* 8 *disp.* 11. *n.* 317. Moya *tom.* 1. *in q. q. select. tract.* 8. *disp.* 1. *q.* 8. *n.* 18. Lelan. *in q. q. Regul. tom.* 3. *vers. casus reservati n.* 217. & alii passim. Ratio est, quia integritas confessionis à Christo Domino instituta postulat; ut pœnitens omnia sua peccata, quorum habet conscientiam, sub una absolutione confiteatur: sed quando superior pœnitentem à reservatis tantùm absolvit, pœnitens habet conscientiam aliorum peccatorum mortalium: ergo integritas à Christo Domino postulat, quòd confiteatur cum iis reservatis alia mortalia, quorum certò habet conscientiam, ut ab omnibus absolvatur. Major est de fide, circa quam vide Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 22. *sect.* 1. *n.* 4. Minor supponitur à prædictis D. D. consequentia rectè colligit.

81. Quare non solùm pœnitens tenetur, ex sua parte, ad integritatem confessionis, sed etiam superior absolvens; quia judex procurare debet, & efficere, ex sua parte, quantùm potest, ne judicium sit nullum. *cap. cum judicantem, fine* 30. *q.* 5. *cap. causam* 9. *de judic.* sed superior, & confessarius sunt judices in audiendis confessionibus, *ex Trid. sess.* 14. *cap.* 7. *& canon.* 9. ergo procurare debent, ut confessio integre fiat à pœnitente; ne judicium absolutionis nullum reddatur.

82. Dices: Ex causa urgente potest omitti peccatum mortale in confessione; ut quando tacendum est, propter vitandum grave damnum proprium, vel alienum temporale, vel spirituale: sed si superior non absolvat pœnitentem à reservatis, obligabitur pœnitens ad ea iterum confitenda confessario ordinario, & his eadem confiteri peccata; quod est grave damnum. Deinde superior non potest totam confessionem audire propter alias graves occupationes: ut inquit Bonacin. ubi *supra Vers. responderi potest.* Bordon. *tom.* 1. *resol.* 39. *n.* 41. *Vers. Miranda propo finem:* Lelan. *proxime* cum Layman: ergo datur justa & rationabilis causa dimidiandi confessionem.

83. Respondeo, hoc argumentum nullam habere vim. Nam, ut aliquis possit tacere peccatum superiori, vel alteri sacerdoti, qui potest ab omnibus peccatis absolvere, necesse est, quod ex confessione illius possit oriri grave damnum proprium, vel alienum; ut videre est apud Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 3. *à n.* 676. Lelan. *citatus dicto tom.* 3. *vers. confessio n.* 7. sed confiteri, quod superiori jam est manifestum, non est grave damnum, imo nec leve: ergo propter id non est relinquenda integritas confessionis apud confessarium ordinarium; ex eo quòd peccatum jam superiori est manifestatum. Major est communis inter D. D.

84. Minor ostenditur, quia confiteri inferiori sacerdoti, quod superiori est manifestatum, non est grave damnum, si enim non est grave damnum manifestare peccatum superiori, nec etiam erit, si confiteatur inferiori, nec de hoc damno loquuntur authores, quando docent posse tacere peccatum in confessione, propter grave damnum proprium, vel alienum, temporale, vel spirituale: Aperire autem illa superiori, provenit ex naturâ reservationis, quæ ex se postulat comparere coram superiore.

85. Nec ex parte superioris ob occupationes datur rationabilis causa absolvendi à reservatis tantùm, & non ab aliis; quia ex audientia confessionis integræ non sequitur grave damnum, nec proprium, nec alienum, ob breve tempus, quo cessatur ab occupationibus; addo de hac rationabili causa, non loqui D. D. aliàs diceremus, quòd confessarius ordinarius, ob suas occupationes poterit dimidiare confessiones; quod est inauditum; aut propter multitudinem pœnitentium; quod damnatum est ab Innocentio XI. ut *supra n.* 78. vidimus.

86. Quare dicendum est, superiorem teneri audire omnia peccata reservata, vel non reservata, & ab omnibus absolvere; vel audire reservata tantùm extra confessionem, & tollere reservationem; aut mittat pœnitentem ad confessarium, cui conferat potestatem absolvendi à reservatis.

87. Si verò confessarius inveniat pœnitentem reservatis innodatum, mittat illum ad Prælatum, vel ipse adeat; impetretque ab illo facultatem, non manifestando pœnitentem, & sic ritè absolvet.

88. Ad consuetudinem Romæ receptam, quam affert Cajet. in ea dari, absolvendi à reservatis, respondetur; illam consuetudinem solùm esse quoad tollendas censuras, & reservationem; non verò ad absolvendum Sacramentaliter; censuræ autem possunt tolli, non auditis peccatis. Addo, licèt esset introducta ea consuetudo, debere corrigi; quia non potest dari consuetudo legitimè introducta, contra jus divinum; ut tenet Soar. *de legib. l.* 7. *cap.* 4. *n.* 13. & alii communiter.

89. Inquires adhuc: An possit dari ex parte Prælati urgens necessitas absolvendi Sacramentaliter à reservatis tantùm, & non ab aliis? Respondeo, posse cum Tamborin. *citat.* & dabitur, quando Prælatus, propter aliquod grave impedimentum, v. g. articulum mortis, non potest omnia audire peccata, & non datur alius confessarius ad quem, pro absolutione omnium, pœnitentem mittat. Et in hoc casu potest postea pœnitens, cùm invenerit ordinarium confessarium, illi tantùm aperire ea peccata, quæ superiori, seu Prælato impedito, *ut supra*, non aperuit. Et extra hunc casum, tenetur inferiori confessori omnia peccata reservata, & non reservata aperire, ut ab omnibus absolvatur; quia ablata reservatione per superiorem, ab omnibus absolvi potest. Et in hoc sensu loquitur Soar. *cit. disp.* 31. *sect.* 1. *n.* 10. ut consideranti constabit; aliàs posset confessio dimidiari; quod est contra jus divinum.

90. Non est tamen urgens necessitas ex parte Prælati illa, quam affert Soar. Lusitan. *supra citat. n.* 47. dicens, posse superiorem absolvere subditum à reservato, & pro aliis illum mittere ad confessarium inferiorem; ex eo quòd superior non potest diu deveneri, & subditus non vult alii, nisi superiori suum peccatum manifestare; nam ex dictis, nec ratio ex parte superioris, nec ex parte subditi est sufficiens, ut confessio dimidietur: superior enim auferre potest in eo casu reservationem, & mittere subditum ad virum prudentem, & scientem; cui subditus suum reservatum, & alia manifestet, & absolutionem obtineat; cùm non habeat apud illum casum, ob quas possit tacere peccatum; de quibus agit idem Soar. Lusitan. *cit. tract.* 3. *disp.* 7. *sect.* 9. *per totam*; & ibi non datur pro causa, quòd nolit suum peccatum alii, nisi superiori manifestare: Videatur Moya *tom.* 1. *in q. q. select. tract.* 3. *disp.* 8. *q.* 11. *n.* 11.

DISPUTATIO XX.

An Regulares, virtute Bullæ Cruciatæ, eligere possint confessarium?

1. *Disp. 2. à n. 37.* diximus, Regulares posse uti Bullâ Cruciatæ. Et ad hunc locum remittimus agere de electione confessarii ad absolvendum à reservatis, & non reservatis; & quamvis hæc à D. D. sint superabundè explicata, ne hæc disputatio in hoc opere desideretur, illam quâ potero brevitate, exponam; & illâ clausulam Bullæ de electione confessarii absolvam.

SECTIO I.

Quæ peccata reservare sibi queant superiores Regulares?

2. Quamvis Superiores Regulares possint sibi reservare casus erga religiosos subditos ex jure communi; quia in illos habent jurisdictionem ordinariam; ut videre est apud Soar. *tom. 4. in 3. part. disp. 29. sect. 1. n. 7.* & alios communiter; non tamen possunt pro suo libito quoscunque reservare: id enim illis fuit limitatum à Clemente VIII. per Constit. quæ incipit: *Sanctissimus Dominus*, editam 26. Maii anni 1594. & relatam à Cherub. *tom. 4.* & in ordine inter alias hujus Pontificis est. 26. in qua designat undecim casus, quos si velint, possint sibi Superiores reservare. Et sunt sequentes.

3. 1. Veneficia, Incantationes, Sortilegia, 2. Apostasia à Religione, sive habitu dimisso, sive retento; quando eò pervenerit, ut extra sepia monasterii egressio fiat. 3. Nocturna, ac furtiva è Monasterio egressio, non animo apostatandi facta. 4. Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. 5. Juramentum falsum in judicio Regulari, seu legitimo. 6. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto. 7. Falsificatio manus, aut sigilli officialium monasterii. 8. Furtum de rebus monasterii in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale. 9. Lapsus carnis voluntarius opere consumatus. 10. Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cujuscunque personæ. 11. Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum à superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad superiores.

4. Circa explicationem primi casus videri possunt, quæ remanent dicta *disp. 18. sect. 4. & 5.* circa quartum, & octavum, *sect. 11. à n. 257.* ubi de furtis minutis, quando ad eam quantitatem perveniunt, quæ mortale peccatum constituunt. Circa quintum, *sect. 10.* circa sextum, *sect. 5. §. 2.* circa septimum, videri possunt *in disp. 16. sect. 8. & 9.* ubi aliqua reperientur, quæ huic aptari poterunt. Circa decimum, *sect. 6.* Circa alios casus, & alia, quæ desiderantur, consule Mend. *in Bull. disp. 24. sect. 3. & 4.* Bordon. *tom. 1. à resol. 40. usque ad 50.* Pellizar. *tom. 1. tract. 6. cap. 1. à n. 21. usque ad 41.* Castr. Palao *tom. 4. tract. 23. punct. 15. §. 2. à n. 15.* Fagund. *2. Eccles. præcept. l. 8. cap. 4. & seqq.* Juniper. *de casib. reserv. tot. part. 3.* Soar. Lusitan. *de pœnit. tract. 7. disp. 3. sect. 1. per totam*, & alios passim. Circa absolutionem verò à reservatis superioribus, hic etiam aptari possunt ea, quæ notavimus *disp. præcedente, maximè sect. 5.* & aliis, dummodo non detur aliquid contrarium dispositioni Pontificum, circa absolutionem à reservatis superioribus Regularibus.

5. Quæres primò: An præter prædictos undecim casus, possint superiores alios sibi reservare? Respondeo, posse pro totâ Religione, de consensu capituli Generalis, & pro totâ provinciâ, de consensu Capituli Provincialis; prout habetur in citat. Constit. Clementis VIII. Non sufficit tamen consensus Superioris, & Capituli alicujus conventus, ut pro illo aliquis casus reservetur; ut notant Fagund. *2. Eccles. præcept. l. 8. cap. 4. n. 4.* Pellizar. *supra n. 4.*

6. Quæres secundò: An non solùm requiratur consensus capituli Generalis, vel Provincialis, quando aliquis extra numeratos in Constit. Clementis VIII. reservatur pro toto Ordine, vel totâ provincia; sed etiam quando reservantur contenti in dictâ Constit. Ad utrosque requiri consensum capituli mordicus defendit Bordon. *tom. 1. resol. 37. n. 43.* citans Coriolan. Floron. & Beya.

7. Probabilius tamen est, non requiri consensum Capituli ad numeratos in Const. Clementis VIII. ut tenent apud Bordon. Sanch. Mirand. Megal. Portel, quibus adde Pellizar. *ubi supra n. 3. & 17.* Lezan. *in q. q. Regul. tom. 1. cap. 18. n. 20. & 21.* Idque videtur expressum *in dict.* Constit. nam de his, quæ in illa numerantur, inquit S. Pontifex, posse superiores illos omnes, vel illorum aliquot, sibi reservare; de aliis verò hæc addit verba: *si quod aliud præterea peccatum grave pro Religionis conservatione, aut pro conscientiæ puritate reservandum videbitur, id non aliter fiat, quàm Generalis capituli, in toto Ordine, aut Provincialis, in Provincia, maturâ discussione, & consensu.* Cum verò S. Pontifex, locis distinctis, hoc exprimat, alia locum non habet interpretatio.

8. Quæres tertiò: An Prælatus Regularis simul cum Capitulo possit reservare aliquod peccatum, quoad absolutionem indirectam? Respondeo, non posse, quia confessarius habet à S. Pontifice jurisdictionem absolvendi à venialibus: ergo si in casu urgentissimæ necessitatis, extra articulum mortis, absolveret à venialibus directè; etiam indirectè absolveret ab omnibus aliis, si ad illa pœnitens esset dispositus. Secus dicendum de S. Pontifice, à quo dependet tota jurisdictio absolvendi: sic enim in præsenti potest suspendere suam jurisdictionem. Sic Card. de Lug. *disp. 20. n. 28.* Pellizar. *ubi supra n. 18.* Leand. *de pœnit. tract. 5. disp. 12. q. 17.* Soar. Lusit. *ibidem tract. 7. n. 25.*

9. Quæres quartò: An superiores, aut Capitula possint reservare absolutionem à censuris impositis supra peccata, quæ juxta Clementis VIII. constit. reservari non possunt? Sententiam affirmantem tuentur Soar. *tom. 4. in 3. part. disp. 23. sect. 3. n. 31.*

n. 13. & *tom.* 4. *de relig. l.* 8. *cap.* 18. *n.* 17. & cum eo Villal. Tambor. *de jur. Abbatum tom.* 2. *disp.* 13. *q.* 3. *n.* 1. Conol. Fagund. quos refert, & sequitur Pellizar. *tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 2. *n.* 6. Faultus. Beja Nald. quos refert Bordon. *tom.* 1. *resol.* 37. *n.* 44. Castr. Palao eandem tenet *tom.* 4. *tract.* 23. *de pœnit. punct.* 15. §. 1. *n.* 6.

10. Probant, quia S. Pontifex *in dict. Constit.* Loquitur expressè de culpis, ibi: *Nemo ex Regularium superioribus peccatorum absolutionem sibi reservet, exceptis, &c.* At censuræ non sunt culpæ, nec peccata. Accedit, quia dict. constit. est odiosa: ergo non debet ampliari, sed restringi: ampliaretur autem, si extenderetur ad censuras, cùm expressè solùm loquatur de culpis.

11. Sententiam negantem existimo tenendam esse, cum Sanch. *l.* 6. *decal. cap.* 1. *n.* 16. Megal. Segism. Homobon. Onuphrio. Segism. Peyrin. Molfes. quos referunt, & sequuntur Dian. 3. *part. tract.* 2. *resol.* 49. Bordon. *supra.* Quibus addo Leon. Juniper. Averl. Card. de Lug. *de pœnit. disp.* 20. *n.* 47. quos citat, & sequitur Tamborin. *l.* 5. *de pœnit. tract. de casib. reserv. cap.* 7. §. 2. *n.* 21. his accedunt Mend. *in Bull. disp.* 24. *n.* 11. Soar. Lusit. *ubi supra n.* 65. cum pluribus; & hanc sententiam probabiliorem judicat Lezan. *super citatus dicto n.* 21. Licèt primam conformiorem verbis Pontificis fateatur.

12. Probatur primò, quia ita declaratum fuit à S. Cardin. Congreg. 7. Julii 1617. teste Cardin. de Lug. Dian. & Bordon. *locis citat.* cujus verba satis clara referunt, & sunt sequentia: *Cum à nonnullis Regularibus dubitaretur, an in decreto felic. record. Clementis VIII. anno* 1593. 16. *Maii. super qualitate casuum ab eorundem Regularium superioribus reservandorum edito, censura etiam comprehenderetur, ita ut iisdem superioribus, absque capituli Generalis, aut Provincialis consensu, aliquibus peccatis in decreto hujusmodi non contentis excommunicationem annexam, ejusdemque absolutionem sibi reservare liceat? Sacra Congreg. Cardin. negotiis Regularium præpositorum, Illustriss. Bandino referente; censuras in supra dicto decreto comprehendi, censuit:* ergo stante hac declaratione, superiores nequeunt sibi reservare absolutionem à censuris supra peccata impositis, quæ in decreto Clementis non continentur.

13. Probatur secundò ratione; quia si superior posset imponere censuram cuicumque peccato mortali, & illam sibi reservare, eluderetur clarè Constit Clementis VIII. quæ decernit, peccata non esse reservanda, nisi in eâ Constit. designata: aliàs enim sic reservaret quodcumque peccatum, quod intendit S. Pontifex prohibere.

14. Nec fundamentum contrariæ sententiæ oppositum suadet: primò, quia Const. Clementis, non solùm de culpis, sed etiam de censuris loquitur, ut S. Card. Congreg. declaravit. Secundò, quia relevata censura, peccatum etiam manet reservatum, & necessariò sequuntur eadem incommoda, quæ S. Pontifex suâ Constit. vitare intendit. Et quamvis ea Const. superioribus sit odiosa, & sic restringenda: non est tamen ita restringenda, ut frustaneum reddat finem intentum à S. Pontifice.

15. Addo, etiam Constit. licèt sit odiosa superioribus, quia illis impedit aliqua peccata reservare; esse tamen favorabilem subditis Regularibus; & in eorum salutem animæ, bonumque Spirituale, ac in remedium formidinis adeundi Superiores, fuisse expeditam; ac proinde non restringenda, sed ampliianda est.

16. Quæres quintò: An si superiores sine authoritate, & consensu capituli reservent aliquem casum ex non numeratis in Constit. Clementis VIII. reservatio sit invalida? Esse validam, non tamen licitam, existimat Pellizar. *tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 1. *n.* 43. Movetur, quia nec in jure, nec in ipsa Constit. apponitur clausula irritans. Et colligitur ex Soar. *in* 3. *part. tom.* 4. *de pœnit. disp.* 29. *sect.* 4. (quamvis dubitanter) Sylvestr. *Verb. Confessor.* 3. *n.* 5. & Fagund. *in* 2. *Eccles. præcept. l.* 8. *cap.* 1. *n.* 25. & alius docentibus, reservationem factam ab Episcopo sine causa esse validam, licèt illicitam, contra plures asserentes esse invalidam; ut vidimus *disp* 18. *à n.* 8. ergo etiam reservatio facta à superioribus contra dictam Constit. erit valida, etsi illicita.

17 Dicendum tamen est, eam reservationem, non solùm esse illicitam, sed etiam invalidam. Et ita videtur sentire Mend. *in Bull. disp.* 24. *n.* 3. *in fine*, dum asserit; capitulum excedens mediocritatem assignatam à Clemente, sive in qualitate reservandorum, sive deficiens in matura consideratione, & consensu, quæ requiruntur, ut conditio necessaria, invalidam reddere reservationem.

18. Attamen expressè fore invalidam eam reservationem, sine consensu capituli, sive fiat à superiore pro suo libito, de casibus enumeratis, sive ex non expressis; aut si utrique, nempe expressis, & aliis adnectatur excommunicatio, defendit Bordon. *tom.* 1. *resol.* 37. *à n.* 46. *usque ad* 50.

19. Probat, quia actus sine suâ formâ substantiali gestus est nullus: sed reservatio facta à superiore, sine consensu capituli, caret forma substantiali à Constit. præscripta: ergo est nulla, & invalida. Major est certa; & illam ostendit ex jure, & D.D. Minorem, in quâ potest esse dubium, probat ex verbis ipsius Constit. ibi: *Id non aliter fiat, quàm Generalis capituli in toto ordine, aut Provincialis, in Provincia, maturâ discussione, & consensu:* sed clausula *non aliter fiat*, inducit nullitatem actus, ut tenet Nald. *verb. clausula: Non aliàs*: (cui addo cum pluribus Barbos. *de clausul. clausul.* 81 *n.* 8.) *& de diction. dict.* 220. & dictio negativa, præposita verbo, tollit potentiam; ut docent Sanch. *l.* 6. *decal. cap.* 12. *n.* 10. Bonacin. *de leg. punct.* 7. §. 5. *n.* 4. ergo signum est, verba prædicta inducere formam essentialem, seu substantialem: Consequentia bene colligit. Alia plura congerit Bordon.

20. Hanc sententiam Bordon. in ea extentione, qua illam docet, juxta suam sententiam *n.* 6. *allatam* non admitto; sed tantùm quoad casus non enumeratos *in dict. Const. ut supra notavi n.* 11. Nec aliud suadet probatio; quia ea forma, seu conditio necessariò requisita à S. Pontifice, solùm ponitur pro casibus non expressis, ut constat ex distinctione, qua utitur S. Pontifex; nam in principio Const. concedit superioribus facultatem reservandi casus, quos statim enumerat; & in fine addit, *si quod aliud peccatum reservetur, id non aliter fiat, quàm ex consensu capituli Generalis pro toto ordine, & Provincialis, pro Provinciâ.* Et ex adductâ probatione, patet solutio ad rationem, quam pro sua sententia affert Pellizar.

21. Quæres Sextò: An superiores Regulares possint ad suum placitum reservare casus, pro Monialibus sui ordinis? Respondeo, non posse, quia

eadem

eadem ratio, quæ movit S. Pontificem ad designandos casus pro Religiosis, procedit etiam quoad Moniales; quæ in favorabilibus veniunt nomine religiosorum; & jam *supra n.* 15. in fine ostendi, hanc Constit. Clementis favorabilem religiosis subditis.

22. Secus dicendum de illis Monialibus, quæ immediatè Ordinario sunt subjectæ; quia his potest Ordinarius ad suum placitum, casus reservare, ut potest suis subditis non religiosis reservare. Ratio est quia Const. loquitur de superioribus Regularibus, & illis conceditur reservare undecim casus *supra* designatos, & aliquod aliud grave, de consensu capituli regularis; at Episcopus non cogit capitulum regulare, quoad moniales sibi subditas: tùm ergo verba Const. non adaptentur Ordinario, sub dicta const. non comprehenduntur. Vide dicta *precedente disp. n.* 57.

SECTIO II.

Quinam possint absolvere Regulares a reservatis, ex potestate ordinaria, vel delegata?

23. A Peccatis reservatis pro toto ordine potest absolvere Generalis, & pro tota Provincia, Provincialis; & pro quocunque conventu, superior localis; si illi reserventur casus à subditis commissi; & à superiore majori non limitentur: Est enim ordinarius suorum subditorum. Vide Mend. *disp.* 24. *n.* 80. Soar. Lusit. *de pœnit. tract. 7. n.* 107.

24. Inquires primò: An superior teneatur concedere licentiam subdito, vel confessario petenti, pro aliquo casu occurrente? Respondeo, absolutè loquendo, non teneri; quia de ratione reservationis est, quòd tollatur à superiori, & pœnitens tenetur accedere ad superiorem; quia illi absolutio reservatur, ut patet ex Const. Clementis VIII. ibi: *Non liceat superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint.* Secus frustratoria esset lex reservationis; quia nunquam superior exerceret jus suum, absolvendo à reservatis. Sic cum Floron. Bordon. *tom.* 1. *resol.* 39. *n.* 47. & alii apud Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 12. *q.* 65.

25. Dixi, *absolutè loquendo*: quia subditus præter famæ diminutionem apud Prælatum, (quæ intrinseca est institutioni hujus Sacramenti) prudenter timet aliquod damnum, ut confessionis revelationem, scandalum, odium, aut quòd eâ notitiâ utetur ad forum externum, cum ejus damno; Prælatus tenetur ex justitia, concedere alium confessarium. Sic Cardin. de Lug. *disp.* 20. *de pœnit. n.* 235. Hurtad. *disp.* 11. *etiam de pœnit. diff.* 16. Leand. *proximè* Soar. Lusit. *de pœnit. tract. 7. n.* 186. & alii apud ipsum.

26. Idem dicendum, quando timetur aliquod nocumentum subditi; ut defectus integritatis confessionis, vel communio absque confessione, &c. Sic Soar. Lusit. *proximè n.* 188. si autem nullum ex dictis timetur, superior licentiam non tenetur concedere. Sic Hurtad. Card. de Lug. Leand. *locis citatis*, & alii apud ipsum Leand. si tamen superiori expressè non constat, delegationem esse in detrimentum salutis subditi, tenetur eam concedere; & præstat, superiores se faciles præbere in his concedendis licentiis. Quia difficillimum est scire, non adesse aliquod nocumentum ex his, quæ ab ipso timeri possunt; & sic negando, peccat mortaliter superior. Ita D. Thom. *in* 4. *dist.* 27. *q.* 3. *art.* 3. *clausula* 4. *ad* 6. Floron. Coriol. Mirand. & alii, quos refert, & sequitur Bordon. *supra n.* 48.

27. Inquires secundò: An confessor ordinarius pro subditis à superiore designatus, teneatur sub mortali adire superiorem, pro licentiâ absolvendi subditum à reservato, quod illi manifestavit? Respondeo affirmativè; quia id postulat necessitas spiritualis proximi, cujus est proprius sacerdos, & quasi parochus; & juxta Constit. Clementis est deputatus ad absolvendum à non reservatis; & ut illi committatur facultas absolvendi à reservatis. Sic Mend. *in Bull. disp.* 24. *n.* 61.

28. Secus dicendum si non sit deputatus confessarius; quia nec ex lege charitatis, nec ex munere suo obligatur ad petendam licentiam pro aliquo subdito: tenebitur tamen si sciat pœnitentem adiisse confessarium ordinarium, & ille injustè noluisset adire superiorem, vel justam causam habeat illum non adeundi. Sic Mend. *proximè n.* 70.

29. Inquires tertiò: An si superior confessario deputato ad audiendas subditorum confessiones, petenti licentiam ad absolvendum subditum, illam dare noluerit, possit confessarius pro illa vice illum absolvere? Respondeo, posse. Ita enim expressè constat ex responsione, de mandato Urbani VIII. subjectæ Constit. Clementis VIII. quæ sic habet: *Sanctitas sua deinceps declaravit, & declarat, ut si hujusmodi Regularium confessariis casus alicujus reservati facultatem petentibus superior dare noluerit, possint nihilominus confessarii, illa vice, pœnitentes Regulares, etiam non obtentâ à superiore facultate absolvere.* Sic cum Henriq. Richard. Palud. Navarr. Laym. Fagund. Reginald. & aliis Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 12. *q.* 66. quibus accedunt. Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 3. *singul.* 11. *n.* 4. Mend. *dict. disp.* 24. *n.* 68. Tamborin. *lib.* 3. *de pœnit. tract. de reserv. cap.* 7. §. 1. *n.* 4. Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 7. *n.* 123. Bordon. *tom.* 1. *resol.* 39. *n.* 50. qui id extendit ad pœnitentem; si illi à superiore denegetur facultas, ut à confessario absolvatur: nam licet denegatio facultatis referatur ad confessarium, declaratio S. Pontificis facta est in favorem pœnitentis, quod etiam admittit Pellizar *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 2. *num.* 59. & alii viri docti nostræ Societatis ab ipso consulti.

30. Inquires quartò: An particula *illa vice* intelligatur tantùm de illa vice, qua negata fuit à superiore facultas confessario deputato, & qua jam usus fuit confessarius, an etiam de alia vice, si idem pœnitens in idem, vel aliud reservatum incidat, & similiter superior licentiam neget eidem confessario, vel aliis ex deputatis judicantibus, superiorem eam debere concedere? Plures D.D. existimant, etiam intelligi de alia, & toties quoties superior eo modo negat licentiam, quia particula *illa vice* in Const. Pontificiâ appositâ, non est taxativa ad unam tantùm absolutionem. Sic cum Alphons. de Leon. Dian. *part.* 3. *tract.* 4 *resol.* 151. *& part.* 9. *tract.* 3. *resol.* 15. Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 2. *n.* 59. Tamborin. *proximè n.* 43. Bordon. *tom.* 1. *resol.* 39. *n.* 50. Soar. Lusit. *proximè n.* 127. Fr. Ludovic. à Concept. *tom.* 2. *exam. tract.* 1. §. 1. *litt. A.*

31. Di-

31. Dicendum tamen probabilius, solùm intelligi de primâ vice. Ita Tamborin. *de Jur. Abbat. tom. 2. disp. 13. q. 8. n. 7.* Moya *tom. 1. in select. tract. 3. disp. 8. q. 11. n. 1.* quod tamen intellige, si inter primam, & secundam vicem, & inter hanc, & aliam, longum non intercedat tempus: Nam si inter unam, & aliam petitam à confessario licentiam, pro eodem subdito, intercedat spatium quinque, vel sex mensium, idem dicendum de hoc pœnitente, ac de aliis nunquam absolutis. Ratio est, quia hæc videtur Pontificis mens, dum asserit, pro hac vice, esse absolvendum.

32. Inquires quintò: An si licentia ad absolvendum pœnitentem non petatur à confessario ex deputatis, sed ab alio religioso pio, docto, & viro prudente; & superior eam deneget, possit illum absolvere, instante necessitate communicandi, aut celebrandi? Affirmant Quintanad. *tom. 1. tract. 3. singul. 11. n. 6.* & apud illum Henriq. Rodrig. Fagund. Tambor. de Jur. Abbat & Dian. *3. part. tract. 2. resol. 126.* quibus addo Pellizar. *cit.* Dian. *part. 9. tract. 3. resol. 15.* Idem tenent Trullench. Mald. Ludovic. à Concept. & probabilem censet Leand. apud Moyam. *tom. 1. in select. tract. 3. disp. 8. q. 11. n. 4.* quia tunc præsumitur licentia Pontificis de præsenti ad eum absolvendum.

33. Ex opposito negant D. Thom. Sot. Marsil. Cajet. & alii apud Pellizar *cit.* accedunt Tamborin. *l. 5. de panit. tract. de reservat. cap. 7. §. 2. n. 41.* Soar. Cardin. de Lug. & alii, quos adducit Moya *cit. n. 3. & sectatur n. 8.* & Soar. Lusit. *de panit. tract. 7. n. 114.* Fagund. *in 1. decal. precept. l. 1. cap. 45. n. 20. in fine*, retractans opinionem *n. præcedente allatam*, quam dixerat probabilem *in l. 3. tertii præcepti Ecclesiæ, cap. 9. n. 17. vers. Majus dubium est.* Ratio est, quia tam decretum Clementis VIII. quam additio facta ab Urbano VIII. loquuntur de confessariis à superiore deputatis; & sic in materia de jurisdictione non est recurrendum ad præsumptionem licentiæ; quia ad id non datur fundamentum.

34. Horum sententiam judico probabiliorem cum hac tamen distinctione; quod si confessarius deputatus voluerit injustè pro ipso pœnitente adire superiorem, vel in pœnitente detur justa causa ad suum illi non manifestandi peccatum; & hoc, salvo sigillo (si fieri potest) manifestetur superiori; & ille adhuc renuat concedere licentiam, vel alium ei pœnitenti designare confessarium; quod etiam esset grave onus; nam ut supponimus, hic confessarius est pius, prudens, & doctus, & *aliis*, ut meritò in confessarium possit eligi, & cogeretur pœnitens alteri suum manifestare peccatum. In hoc casu existimo, licentiam, pro illâ vice, haberi pro concessa à S. Pontifice; qui supponit confessarium non defuturum suæ obligationi: At si defuit, succedit loco illius ille religiosus vir pius, doctus, & prudens, quamvis electionem non habeat confessarii conventûs; quia prædicta sunt in favorem religiosi pœnitentis. Ita Moya *citat. à n. 11.*

35. Quis autem veniat nomine *pii, docti, & prudentis confessarii*? Fagund. Trullench. quos sequitur Dian. *3. part. tract. 2. resol. 26.* dicunt, venire approbatum ad audiendas confessiones: Quia sufficit ad expediendas litteras Pœnitentiariæ; quarum inscriptio est: *Pio, & docto, Magistro &c.* At melius Quintanad. *cit.* & Tanered. *in q. q. moral. disp. 3. q. 41. in fine*, dicit illum censendum pium, doctum, & prudentem, qui in confessarium à superiore eligi valeat, ad confessiones regularium audiendas.

36. Inquires textò: An superior concessurus facultatem absolvendi possit inquirere de qualitate, seu specie reservati? Respondeo, posse salvo tamen sigillo, manifestatione, aut suspicione pœnitentis. Quare si confessarius videat, manifestando casum in specie, aliquam dari suspicionis occasionem, satis erit, manifestare peccatum in genere; nempe dicendo, aliquem in casum reservatum incidisse. Hujus ratio communiter adducta est, quia juxta Clementis VIII. Constit. superior potest designare pœnitentias hujusmodi peccatis à confessariis imponendas: (etiam non reservatis, ut ibi:) Ergo aliquo modo debet cognoscere peccatum; quando absque sigilli periculo id potest fieri. Sic supponit Mend. *disp. 24. n. 69.* & tenet Pellizar. *tom. 1. tract. 6. cap. 1. n. 52.* & apud illum Soar. *disp. 30. de panit. sect. 5. n. 3. & 4.* addens, non esse in usu, interrogare speciem culpæ, modo *supra* dicto; ideoque sine magnâ, ac extraordinariâ causâ id non esse faciendum. Idem tenet Tamborin. de jur. Abbat. *tom. 2. disp. 13. q. 8. n. 4.* dum ait, licentiam esse petendam in genere.

37. Cæterum Quintanad. *tom. 1. tract. 3. singul. 12. n. 5.* citans Coninch. *disp. 8. dub. 14. n. 111.* Laym. *tract. 6. cap. 12. n. 7.* ad cautelam in hâc materiâ servandam, asserit, petendam esse licentiam à superiore hoc modo: *Ut illi concedat suas vices pro uno subdito; quod si ille interrogationibus personam aut peccatum connecere studeat, illum confessarius à notitiâ callide longissimè avocet, nec ei dicat, an sit complex, vel sit pro sacerdote, vel non sacerdote.* Et alia, quæ apud ipsum videri possunt.

38. Debere autem superiores se faciles præstare in concessione licentiæ, docent D. D. communiter Pellizar. *tom. 3. tract. 8. cap. 2. n. 63.* & Trullench. Henriq. Sylvestr. Panormit. Rodrig. Fagund. Soar. Soto, Angel. Armil. quos refert. Moya *cit. n. 17. & n. 18. & 19.* addit, & meritò, posse superiorem prudentissimè negare dictam licentiam; primò quando frequentior esset reincidentia in similia peccata; & maximè, quando petitur per confessarium ad subditorum confessiones non deputatum, nec pro ætate; & moribus capacem, ut deputetur. Secundò, quando id fuerit necessarium, ad aliorum perniciem, & grave damnum vitandum.

SECTIO III.

An superior possit concedere licentiam, absolvendi subditum à reservatis, cum onere postea comparendi?

39. Respondeo, posse; ut constat ex concessione facta pro iter agentibus in nostrâ Societate JESU, *in Ordin. Gener. cap. 6. n. 6.* & tenent D. D. communiter. Vasq. *de panit. q. 93. art. 1. dub. 6.* Card. de Lug. *ibidem disp. 15. à n. 100.* & alii plures, quos referunt, & sequuntur Joann. Sanch. *in select. disp. 12. n. 3.* Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 12. q. 67.* Pellizar. *in man. Regul. tom. 2. tract. 8. cap. 2. n. 63.* Dicastill.

tom. 2. *de sacram. tract.* 8. *disp.* 11. *à n.* 200. Matheus de Moya *tom.* 1. *in select. tract.* 3. *disp.* 8. *q* 4. *à n.* 2. Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 7. *n.* 108.

40. Non omnes tamen conveniunt in assignando capite, ex quo oritur hæc obligatio: nam aliqui existimant, ex voluntate superioris oriri; quos refert. Joann. Sanch. *proximen.* 2. quos cum Vasq. impugnat: posità enim, seu concessâ à superiore jurisdictione, utquis possit absolvere, vel absolvi cum eo onere, nihil aliud potest superior.

41. Alii autumant, onus comparendi provenire ab eo, quòd superior concedit confessario facultatem absolvendi à reservatis sub conditione, ut imponat subdito in pœnitentiam, ut coram Superiore compareat. Sed hic modus non est firmus; quia hæc pœnitentia, sicut aliæ, potest ab alio confessore commutari; imo, & ab ipso pœnitente, ut inquit Card. de Lug. lucrando aliquam indulgentiam plenariam. Alii alios modos excogitarunt, ut videre est apud citatos; in illis tamen non immoramur, quia facilè rejiciuntur.

42. Conveniunt igitur D. D. communiter, subditum manere obligatum ad comparendum ex quodam pacto, sive expresso, sive implicito; quo pœnitens manet obligatus ad comparendum in casu, quo à reservatis vult absolvi, & pactum acceptare; nam si nolit acceptare, potest se habere, ac non habens copiam confessarii, ut tradit Soar. *de pœnit. disp.* 30. *sect.* 5. *n.* 12. Cardin. de Lug. *supra n.* 115. Moy. *cit. n.* 6. *in fine.* Hunc obligandi modum amplectuntur Hurt. Card. de Lug. quos sequitur, & citat Leand. *proximè q.* 68. Et cum Vasq. Navarr. Henriq. Ægid. Castr. Palao, & aliis Moya *dicto. n.* 6. Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 7. *à n.* 213. Quod verò censeo in hâc quæstione, per sequentes conclusiones ostendo.

43. Dico primò: si facultas absolvendi subditum petatur à confessario, post peccatum commissum, non debet à superiore concedi, cum onere comparendi. Ratio est, quia ideo facultas petitur, ut subditus ab eo onere liberetur: & sic per confessarium petendo licentiam, jam per illum, antequam absolvatur, comparet. Ita docet Pellizar. *supra dicto n.* 63. Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 3. *singul.* 11. *n.* 6. & apud illum Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 13. *q.* 66. & alii, quos citat.

44. Dico secundò: Si ea facultas petatur, antequam peccatum committatur; & ipsum peccatum habeat annexam excommunicationem, benè potest concedi à superiore, cum ipso onere comparendi. Ratio patet ex communi usu Ecclesiæ: sæpe enim datur facultas absolvendi à reservatis Pontifici, cum onere comparendi, ratione censuræ; ut conceditur in mortis articulo constituto; si ab eo evadat; & cùm hic modus ab Ecclesiâ præscribatur, etiam à superiore præscribi poterit: nulla in ea concessione apparet repugnantia. Sic Pellizar. *ubi supra.*

45. Dico tertiò: Onus comparendi in subdito oritur, non ex aliquo pacto, sed ex ipsâ naturâ jurisdictionis, quæ non fuit concessa ad absolvendum ipsum subditum, nisi sub conditione postea comparendi coram superiore. Ratio pro nostra Societate est clara; quia illius Generalis R. P. Mutius Vittelchius anno 1617. declaravit, concessionem factam, pro nostris iter agentibus, absolvendi à reservatis, cum onere comparendi, esse conditionem, sine quâ Societas non concedit facultatem: ergo si confessarius non habet jurisdictionem ad absolvendum subditum, nisi cum hâc conditione, si illa deficiat, non manet absolutus. Ita Pellizar. *supra* Arriag. *de pœnit. disp.* 52. *n.* 18.

46. Ex hâc ratione sequitur primò, subditum ita absolutum teneri sub mortali comparere coram superiore, ut declaravit N. R. P. Generalis Claudius Aquaviva, ut testatur Soar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 10. *l.* 8. *cap.* 5. *n.* 1. Et hoc onus viget etiam, si confessarius absolvens, & subditus absolutus, ignorarent eam conditionem, sine quâ non. Ratio est, quia nec confessarius habebat jurisdictionem ad absolvendum à reservatis eum subditum, nec subditus mansit absolutus directè ab ipso, seu ipsis reservatis, nisi posità eâ conditione: ergo si non impleatur, peccatum mortale committit. Dum tamen durat bona fides ex parte pœnitentis, quia reputat confessionem validam, quam cum confessario in itinere fecit, & ignorat onus sibi impositum, tutus erit in conscientiâ: at accedente notitiâ, & scientiâ oneris sibi impositi à superiore, tenetur comparere: sicut ille, qui absolvitur à reservatis Papæ, vel Episcopo à non potente absolvere; qui tenetur postea, accedente notitia impotentiæ confessarii, comparere.

47. Neque dicas, absolutum à reservatis Pontifici, vel Episcopo, à non potente absolvere, ideo teneri ad comparendum, quia absolutio à non potente illa reservata absolvere, fuit indirecta circa ea reservata: ut ergo subditus directam obtineat, ad quam tenetur, debet coram illis comparere: at subdito absoluto in itinere à non potente absolvere, nisi ea posita conditione, cùm detur jurisdictio, sub illa conditione, sine qua non, ad absolvendum omnes iter agentes à reservatis Prælato; absolutio fuit directa: ac proinde non tenebitur comparere. Non inquam, hoc dicas, quia in tantùm fuit valida, & directa absolutio impensa subdito, in quantùm confessarius habebat jurisdictionem absolvendi subditum cum onere comparendi: ergo subditus, qui voluit sibi impendi absolutionem validam, & directam; etiam implicitè voluit omnia, quæ erant necessaria, ad eam validam, & directam absolutionem.

48. Secundò sequitur, subditum judicantem se non teneri ad comparendum posse se validè à reservatis absolvi, virtute dictæ concessionis. Ratio est, quia jurisdictio non conceditur illi confessario, nisi sub onere comparendi: ergo si subditus judicabat, se non teneri ad comparendum, non poterat judicare se validè absolvi; quia jurisdictio finit concessa cum illo onere, & non aliàs.

49. Imò addo contra Moyam *ubi supra n.* 11. *in fine*, si subditus post absolutionem ritè impensam à reservatis, mutet opinionem; ab isto onere comparendi non excusari; Quia si non excusetur ab hoc onere, quando illud ignorans, fuit absolutus, ut docet *n.* 6. à fortiori non excusabitur, mutando opinionem; quia commutatione opinionis, non liberatur ab onere, quod contraxit, absolutionem, sub illo, recipiendo.

SECTIO

SECTIO IV.

An Regulares, virtute Bullæ Cruciatæ, absolvi possint à reservatis suis superioribus, absque eorum licentiâ?

50. PArtem affirmativam (etiam repugnantibus Prælatis) docuerunt, ante Urbani VIII. decretum, Basilius Pontius. Joann. Sanch. Joann. à Cruc. Valerus, Clarus, Ruis de Mendoza, Freitas, & plures Magistri Salmanticenses, quos refert Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 12. *q.* 58. Trullench. Lopes, Peres de Lara, Eusebius Herrera, Banês, Joann. Vincentius, Luna, Antolines, Thom. Sanch. *in manuscript.* Antonius Gomes apud A Costa *infra citand.* Et probabilem dixerunt Villal. Cordub. & pro aliis religiosis à Societate JESU. Rodrig. omnes apud Moyam *tom.* 1. *select. tract.* 3. *disp.* 8. *q.* 8. *n.* 17. excepto Villal. qui affertur à Mend. *in Bull. disp.* 24. *n.* 142. Adducitur etiam, pro hâc sententiâ, Henrig. *l.* 7. *cap.* 22. *Glos. litt. X.* sed malè, quia inquit, hoc tantùm fieri per consuetudinem à superioribus toleratam. Et ita declaratum fuisse à Commissario Bullæ Cruciatæ Lusitanæ referunt communiter D. D. Quia tamen non conveniunt in anno, & quia agimus de expositione Bullæ Lusitanæ, ad quam pertinet; operæ pretium erit, ipsam declarationem hoc loco inferere; & sic habet.

51. Dom Antonio Mascarenhas do Conselho de S. Magde. Deam de sua Real Capella, Commissario Geral Apostolico da Bulla da S. Cruzada nestes Reynos, e Senhorios de Portugal. &c. Per sermos informados, que entre Religiosos, e Religiosas de algumas religioens, se moven duvidas sobre a Bulla da S. Cruzada, aver de aproncitar aos ditos Religiosos, e Religiosas, quanto as indulgencias, e privilegios nella concedidos; Nos pareceo necessario por servitio de N. Senhor, eproveito das almas daquelles, que per rezam dádita duvida, deixam dese aproveitar de tam grande bem, & hetovro, como pella S. Bulla se concede aos, que a tomam. Pella authoridade Apostolica, que nesta parte uzamos. Declaramos, que todos, equaesquer Religiosos, ou Religiosas dequalquer Religiam, podem, E devem tomar adita Bulla da S. Cruzada, aproveitandose das graças, eprivilegios nella concedidos, nam obstante qualquer prohibiçam, ou constituiçam de seus superiores, que em contrario aja: alquaes nesta parte avemos por de nenhum vigor, Eporque achamos este mesmo ponto estar decidido pella mesma S. Bulla, co averem assi declarado nossos predecessores. Mandamos em virtude de obediencia, & sob pena de excommunham latæ sententiæ atodos os Prelados, e Superiores das Religioens deste Reyno, dequalquer estado, e condiçam que sejam, cujos nomes avemos aqui por declarados, que directè, ou indirectè, nam impidam aos ditos Religiosos, ou Religiosas, cada hum em sua Religiam, aque tomem adita Bulla da S. Cruzada, deixandose, de aproveitar dos privilegios della, perque fazendo contrario (quenam esperamos) alem dos avermos por incurridos na sobre dita censura de excommunham majot (deque nam poderam ser absoltos, senam per sua santidade, aquem he reservada) os citamos pera a aggravaçam das mais censuras, & procedere mos no cazo, com as mais penas, que nos parecer, que convem; esob amesma pena mandamos aqualquer Religioso, Notario Apostolico, ou clerigo de ordens que com esta for requerido, a leia, e publique emtodos os conventos, elugares, onde por nos, enossos subdelegagos, the for mandado. Dada em Lisboa sob nosso final, es ello aos 5. dias de Marco de 1621. Dom Antonio Mascarenhas. Fuit autem edita 7. Martii ejusdem anni, Dominica secunda Quadragesimæ.

52. Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 7. *n.* 273. *in fine* autumat, hanc Domini Commissarii declarationem sæpius fuisse publicatam, scilicet anno 1621. & postea anno 1629. & tandem anno 1630. die 7. Martii, ut apud authores sibi non constantes invenitur. Factâ tamen à me diligentiâ, hanc tantùm inveni ab eo Commissario fuisse emanatam; & de hac ultima id fatetur Portel *tom.* 2. *respons. moral. casu* 5. *n.* 14. Aliqui enim arbitrati sunt, causa hujus declarationis Commissarii Lusitani, emanasse decretum Urbani VIII. quod fuit editum 19. Junii ejusdem trigesimi anni, ut habetur Cherub. *tom.* 4. *fol.* 112. & inter alia hujus Pontificis est 105. Et pro tam brevi temporis spatio; non poterat ex Lusitaniâ ad urbem pervenire notitia, & decretum emanare.

53. Post Urbani VIII. decretum prohibens Regularibus usum Cruciatæ; quoad reservata; prædictam sententiam tenuit primo loco, statim post promulgationem dicti decreti, quidam Regularis S. Officii deputatus, in satis longo judidio, quod fuit ab eo compositum jussu Concilii S. Cruciatæ, & typis datum per Rodericum Mendes Relego Cruciatæ Secretarium, 30. Decembris anni 1630 & subscriptum per insigniores Academiæ Conimbricensis Cathedraticos, scilicet D. Joann. de Carvallo in vespertinâ cathedrâ de legibus jubilatum, D. Didacum Gomes Godinho, D. Franciscum Gomes, D. Gondisalvum Alvo, & D. Joannem de Carvalho in jure canonico cathedraticum. Hujus judicii superscriptio est: *Parecer sobre oprivilegio, que a Bulla dacruzada concede atodos os Religiosos Mendicantes, enam Mendicantes pera elegerem confesor, que os absolva dos reservados mandado fazer pello conselho da Cruzada, &c.*

54. Post hunc Deputatum eandem tuentur sententiam Remig. *in summ. tract.* 5. *cap.* 5. §. 4. *n.* 8. Juniper à Deprano *de casib. reserv. part.* 3. *disp.* 7. *q.* 5. *cap.* 3. *& seqq.* ubi affirit, huic sententiæ subscripsisse, quatuordecim Qualificatores tribunalis S. Officii, pro Regno Siciliæ; D. D. Acatius de Valasco *tom.* 1. *resol. moral. verb. Bulla, resol.* 128. *n.* 15. Illustriss. Araujus *in decis. moral. tract.* 1. *q.* 8. *n.* 28. *fol.* 51. Joann. Martines de Prado *tom.* 1. *quæst. moral. cap.* 6. *de Bulla q.* 5. ubi addit, pro hac sententia militare omnes Doctores *supra* citatos; & qui ante decretum Urbani, & post decretum Clementis VIII. scripserunt. Eandem tenent Barnab. Galleg *in Bull. cap.* 12. *claus.* 12. *fol.* 178. Fr. Anton. Baco *in summâ Hispano idiomate disp.* 36. *cap.* 21. His, quos citat Moya *dict. tract.* 3. *disp.* 8. *q.* 8. *n.* 18. accedunt Candid. Cornejo, quos citat Avendan. *in Thesaur. Indico tit.* 5 *n.* 325. Et probabilem dicunt Fr. Christophor

à S. Josepho, & Fr. Ludovic. à Conceptione; ille *1. tom. recept. opin. part. 1. fol. 130. à n. 7.* hic *tom. 2. exam. tract. 1. §. 2. Verb. Bullæ illation. 1. n. 5.* Et non improbabilem esse, tradunt Ludovic. à Cruc. & Petrus de Leon. apud Dian. *in addit. ad 3. partem resol. 9.* & se non audere notâ improbabilitatis illam inurere, inquit ipse Dian. *part. 11. tract. 6. resol. 37.* Et si Constit. Urbani non sit acceptata à subditis, non carere probabilitate, ait Trullench. *in Bull. l. 1. §. 7. cap. 1. dub. 9. n. 16.* & post longum discursum, illam probabilem pronuntiat Thom. Hurt. *tom. 2. resol. moral. tract. 9. cap. 5. n. 74.*

55. Leand. verò *supra cit. tom. 1. tract. 5. disp. 11. q. 58. vers. Ad sextum*, illam his verbis tetur probabilem: *De præfata Urbani Bullâ fuisse eidem supplicatum per Commissarium Generalem, de Ordine, & mandato Philippi IV. nostri Regis: quâ supplicatione suppositâ, dum contrarium non constat de responsione Pontificis, non venuam antecedens concedere*; nempe, dictam sententiam esse probabilem. Cui assentit Serra 1. 2. *q. 95. art. 3. §. Nunc ergo.* Variis fundamentis hanc suam stabiliunt præcitati authores sententiam.

56. Primum sit: Quia Commissarius Bullæ, singulis annis, ante publicationem Bullæ revocat privilegia, quæ sunt expeditioni Bullæ contraria: ergo etiam revocat ea, quæ à Clemente, & Urbano VIII. sunt concessa superioribus, ne subditi possint, sine eorum facultate, eligere, virtute Bullæ, confessarium approbatum, qui eos à reservatis absolvat.

58. Secundum: Quia in Bullâ, absque aliqua exceptione, conceditur omnibus fidelibus, ut possint eligere confessarium approbatum, qui eos absolvat à reservatis Pontifici, semel in vitâ, & in mortis articulo; ab aliis verò, quoties confitebuntur: ergo Religiosi, cùm non excipiantur, possunt, erogatâ eleemosynâ, hoc frui privilegio.

58. Tertium: Quia Commissarius Bullæ sæpe declaravit posse Regulares subditos sumere Bullam, & illius uti privilegiis, etiam invitis superioribus, ut vidimus supra *n.* 51. Sed unum Bullæ privilegium est, ut illam sumens absolvatur à reservatis, dicto modo proximè: ergo hujusmodi declarationi standum est.

59. Quartum: Quia Bullæ concessio fit per modum contractus; cum Princeps se obliget ad solvenda multa aureorum millia, pro fabrica S. Petri: & privilegium concessum, per modum contractus, non potest revocari: ut cum pluribus docent Sanch. *l. 9. de matrim. disp. 33. n. 9. & 10.* Castr. Palaus *tom. 1. tract. 3. disp. 4 punct. 21. §. 2.* Quintanad. *tom. 1. tract. 8. appendicis ad Jubil. ann. Sancti, singul. 14. n. 2.*

60. Quintum: Quia Urbanus VIII. declarat, suam intentionem esse solùm pro Bullis à se concedendis, vel concessis: ergo post mortem Urbani, poterunt Regulares eligere confessarium, qui eos virtute Bullæ absolvat à reservatis; ut notavit Dian. *in addit. post. 3. part. resol. 9.* his verbis: *Saltem dum vivit Urbanus, vivat verò Nestoreos annos, non posse Regulares virtute Bullæ Cruciatæ eligere confessarium, extra ordinem, pro casibus reservatis*: ergo juxta Dian. mortuo Urbano, possunt Regulares eligere confessarium, qui eos à reservatis absolvat. Et ita sentiunt Trullench. Candid. & alii, quos refert Moya *ubi supra n. 21.* Et aliquomodo eisdem favet Castr. Palao *tom. 4. tract. 25. punct. 8. §. 3. n. 4.* dum asserit: Quod efficacius procedit; dum Urbanus VIII. vixit, &c. In omni tamen eventu, stat pro contraria sententiâ.

61. Sextum: Quia si S. Pontifex vult, Regulares excludi ab hoc privilegio absolutionis à reservatis, id debebat exprimere, in ipsâ Bullâ Latinâ, & Commissarius in summario; ut in Bullâ Hispanâ, illos excepit à privilegio Lactitiniorum, ante sexagesimum annum, & in Bullâ Lusitanâ, à suspentione facta per Commissarium, quoad facultates concessas eorum superioribus, quoad ipsos: ergo dum non excipiuntur à privilegio eligendi confessarium pro reservatis in ipsâ Bullâ in illo includuntur. Consequentia patet; quia exceptio firmat dispositionem in contrarium illius, quod non excipitur. Hoc fundamento utitur Martines de Prado apud Moyam *n. 23.*

62. Septimum adductum specialiter ab Authore Judicii Lusitano idiomate, *n. 53. citat.* est quia ad notitiam Commissarii hujus Regni pervenit decretum Urbani VIII. & tamen nec retractavit, nec colligere fecit declarationem allatam supra *n. 5.* Imo cùm esset denuo consultus, & requisitus supra hanc materiam, post longam discussionem in eo tribunali habitam, statuit, quòd decretum Urbani VIII. in nihilo Bullæ Cruciatæ præjudicabat. Et ita habet praxis illius tribunalis; in quo liberaliter omnibus Regularibus distribuuntur Bullæ; quod nullo modo eveniret; si Urbanus VIII. revocasset privilegium Cruciatæ; & cùm sit quæstio de facto, alia non indiget probatione. Sic author illius judicii; ultra alia jam relata, & minoris momenti adducta.

63. Octavum: Quia sententia, quæ tot, ac tantos habet authores, absque dubio, est probabilis: ergo tam confessarius, quàm pœnitens illam tutò possunt ad praxim reducere.

§. I.

Proponitur opposita, communis, & vera sententia.

64. SEd non obstantibus dictis fundamentis, tenenda est opposita sententia. Ad cujus explicationem præmittenda sunt duæ novissimæ declarationes (aliis omissis) Clementis VIII. pro omnibus Regularibus, anno 1599. die 23. Novembris, quam retulit Paulus V. in Brevi dato die 24. Decembris anno 1680. (qui duo Pontifices primò extenderunt nostram Bullam primò concessam à Gregorio XIV. quæ hodie publicatur, & transcribitur in summario, quod fidelibus distribuitur) & Urbani VIII. die 19. Junii anni 1630. in quibus declarationibus, hi duo SS. Pontifices Clemens, & Urbanus exposuerunt illam Cruciatæ clausulam, in qua omnibus fidelibus conceditur facultas, eligendi confessarium pro reservatis. Clementis VIII. declaratio perpetuò valitura, sic habet: *facultatem, & concessionem Sanctæ Cruciatæ, aliorumque indultorum, quantum ad prædictum articulum eligendi confessarium, & absolvendi à casibus reservatis, non habere locum cum fratribus, & sororibus quorumcunque Ordinum &c.* Urbani verò, etiam ad perpetuam rei memoriam; incipit: *Innovatio Constitutionis felicis recordationis Clementis Papæ VIII.* Et post illius relationem, inquit: *Nihilominus sicut nobis, non sine animi molestiâ innotuit; nonnullis ordinis Prædicatorum, prætextu*

textu ejuſdem Sanctæ Cruciatæ confeſſarium huiuſmodi, qui eos, ut præfertur, (nimirum à reſervatis) *abſolvat, eligere poſſe prætendant. Nos præmiſſis obviare volentes, præfatæ Clementis declarationi inhærentes, illamque tenore præſentium innovantes, ac quatenus opus ſit ampliantes, motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine perpetuò declaramus, conceſſionem Sanctæ Cruciatæ, aliorumque indultorum, quantum ad prædictum articulum eligendi confeſſarium, & abſolvendi à caſibus reſervatis, etiam in Bullâ Cœnæ Domini contentis, cum fratribus, & monialibus quorumcunque ordinum, locum minimè habuiſſe, nec habere, nec illis ullo modo ſuffragari potuiſſe, neque poſſe &c.* His declarationibus præmiſſis.

65. Non poſſe Regulares, virtute Bullæ Cruciatæ, abſolvi à reſervatis tenuerunt innumeri authores. Omnium primus ſit Doctiſſimus Sebaſtianus à Coſta de Andrade *in expoſit. Bullæ Luſitanæ q.* 107. *à vers. Pro quæſtionis, fol.* 183. *& ſeqq.* ubi præciſis Pontificum declarationibus, (quas etiam uſque ad prædictam Clementis affert) tuetur, non poſſe Regulares, virtute Bullæ, eligere confeſſarium, qui eos à reſervatis abſolvat; & poſt alias rationes, quas affert in confirmationem hujus ſententiæ, & allatam Clementis declarationem; monitionemque ergà Prælatos confert, ut ſe faciles, & benignos exhibeant, in concedendis facultatibus pro abſolutione reſervatorum; & concludit hanc diſputationem *fol.* 186. *vers. Illud autem*, his verbis: *Illud autem obſervandum eſt quòd quando S. Pontifex intendit concedere facultatem Regularibus eligendi confeſſorem pro reſervatis, ſtatim id clariſſimis verbis exprimit, &c.* cenſuit enim hic doctiſſimus vir, clauſulam Bullæ, in qua omnibus Chriſti fidelibus conceditur facultas eligendi confeſſarium pro abſolutione reſervatorum, non comprehendere Regulares.

66. Hanc etiam ſequuti ſunt Ledeſm. Cordub. Garcia, Paſſarello, Lamas Vechius, Coriolan. Mirand. Rodrig. quos afferunt, & ſequuntur Card. de Lug. *de pœnit. diſp.* 20. *ſect.* 9. *num* 153. Soar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 9. *l.* 2. *n.* 16. Dian. 1. *part. tract.* 11. *reſol.* 14. *& part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 43. *& part.* 11. *tract.* 6. *reſol.* 37. *& in addit. ad* 3. *part. reſol.* 6. Item Henriq. Beja, quos citat, & ſectatur Fragoſ. *tom.* 2. *diſp.* 26. *de jubil.* §. 5. *n.* 43. *& diſp.* 7. *de Bull. Cruciatæ n.* 16. *&* 25. Item Vivald. Medin. Chapeavill. Veg. Candid. Barthol. à S. Fauſt. Hurtad. de Mendonca, Regin. Gallus Ibanês, Uzeda, Guevara, quos congerit, & amplexatur Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 12. *q.* 48. Martinus de S. Joſepho, quos refert & ſectatur Moya *tom.* 1. *in q. q. ſelect. tract.* 3. *diſp.* 8. *q.* 8. *n.* 24. Item Bardi hîc *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 5. *ſect.* 2. Mend. *in Bull. diſp.* 24. *cap.* 12. *& in appendic. diſp.* 1. *cap.* 9. *& in ſtatera diſſert.* 14. *q.* 6. Avendanûs *in Theſauro indic. tit.* 5. *num.* 326. *& ſeqq.* Tanborin. *de jur. Abbat. tom.* 2. *diſp.* 13. *q.* 12. *per totam.* Dicaſtill. *tom.* 2. *de Sacram. diſp.* 11. *n.* 357. Soar. Luſit. *de pœnis. tract.* 7. *à num.* 264. Eſcobar *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 31. & latè *à n.* 550. Lezan. *in q. q. Regul. tom.* 3. *verb. Bulla Cruciata n.* 29. Arriag. *tom.* 8. *diſp.* 41. *à n.* 18. ubi oppoſitam ſententiam dicit falſam, & improbabilem. Illuſtriſſimus Fr. Anton. à Spiritu Sancto Epiſcopus Angolanus *in direct. Confeſſ. tract.* 5. *à n.* 1332. Ultimo loco pro hâc verâ ſententiâ affero doctiſſimum Laurentiucem Portel Luſitanum *tom.* 2. *reſp. moral. caſ.* 3, 4, *&* 5. ubi oppoſitam ſententiam dicit falſam, & futilibus niti fundamentis, confeſſionemque virtute illius bonâ fide factas eſſe repetendas, & confeſſarios, qui eas exceperunt, teneri, ceſſante ſcandalo, convenire pœnitentes regulares, & docere, gravem errorem in iis confeſſionibus interveniſſe.

67. Probo hanc ſententiam hâc validiſſimâ ratione. Ideo Regulares poſſent uti Bullâ pro abſolutione à reſervatis, quia comprehenduntur in primâ clauſulâ Bullæ: *Omnes utriuſque ſexus fideles &c.* in qua conceditur omnibus fidelibus privilegium eligendi confeſſarium, pro abſolutione reſervatorum; ſed non comprehenduntur: ergo virtute Bullæ, non poſſunt abſolvi à reſervatis. Major eſt adverſariorum. Minor oſtenditur, quia SS. Pontifices Clemens, & Urbanus VIII. declararunt non comprehendi: Clemens VIII. cujus declarationem Urbanus commemorat, ſic ait: *Quare idem Clemens prædeceſſor, ſua perpetuò duraturæ Conſtitutione, declaravit facultatem, & conceſſionem S. Cruciatæ, & aliorum indultorum prædictorum, quantum ad prædictum articulum eligendi confeſſarium, & abſolvendi à caſibus reſervatis non habere locum cum fratribus, & ſororibus monialibus &c.* Et ipſe Urbanus inquit in eadem Conſtitutione. *Sed noſtra intentionis fuiſſe, & eſſe, quod iidem fratres, & Moniales, quantùm ad Sacramenti pœnitentiæ, & confeſſionis adminiſtrationem, ordinariæ diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, & Sedi Apoſtolicæ, quoad ſibi reſervata, ſubjecti ſint, eorumdem tenore præſentium, perpetuò declaramus:* ergo Regulares in prædicta clauſula Bullæ non comprehenduntur, quoad articulum eligendi confeſſarium, pro abſolutione reſervatorum.

68. Et quòd S. S. Pontifices poterant declarare privilegium, quod ipſi, vel prædeceſſores conceſſerant, res eſt ſine controverſia; ut oſtendimus ex jure, & D. D. *diſp.* 1. *n.* 81. tractantes de eo, qui Bullam Cruciatæ poteſt interpretari. Accedit Conſt. Clementis X. quæ incipit: *ſuperna Magni patrisfamilias*, edita ſecunda die Auguſti annî 1670. apud Lantuſt. & Joann. Paulum tom. 5. Bullarii, & eſt 7. inter alias hujus Pontificis: in quâ dicitur: *ſed cum ejus ſit interpretari, cujus eſt concedere, dictorum privilegiorum, &c.* ergo ſi S. S. Pontificum eſt declarare privilegia ab ipſis conceſſa, & ipſi declararunt non comprehendi Regulares in dicto Cruciatæ privilegio, falſæ ſunt aliæ D. D. interpretationes oppoſitæ.

69. Ex hac probatione ſequitur primò, hæc S. S. Pontificum decreta eſſe declarationes, quæ extenduntur ad futura, ut cum pluribus D. D. dicemus *infra diſp.* 23. *n.* 92. *in fine*; & has declarationes *eſſe perpetuò duraturas*, ut inquiunt iidem Pontifices; ſed dictio *perpetuò* comprehendit omne tempus futurum, ut cum Brunot. à Sole, *& Rotâ in una Cæſar Auguſt.* 13. *Martii* 1609. Coram Cottin. tenet Tamborin. *tom.* 2. *de jur. Abbat. diſp.* 13. *q.* 12. *n.* 5. & ſignificare tempus in ſæculorum; & ſe extendere in infinitum, inquit cum pluribus Barb. *tract. de diffionib. uſu frequent. dict.* 254. *n.* 2. *&* 3. ergo nunquam poſſunt Regulares, in dicto Cruciatæ privilegio, cenſeri comprehenſi; ſi alius Pontifex ſucceſſor, eos expreſsè non comprehendat. Et cum Bulla Cruciatæ ſemper ſit eadem Gregorii XIV. licèt extenſa per ſucceſſores, ſemper, in ſuo vigore exiſtunt dictæ declarationes, ſunt enim ſemper ejuſdem Bullæ; etiam ſi extenſiones ſint diverſæ.

70. Sequitur secundò, etiam post mortem Urbani VIII. Bullam non prodesse Regularibus, quoad prædictum privilegium; sicut etiam non ptoderat, post mortem Clementis VIII. ut declaravit Urbanus in dictâ Constit. ibi: *locum minimè habuisse, neque habere, nec illis, illo modo suffragari potuisse, nec posse.* Imo addo etiam dato, quòd Urbanus non declarasset, Bullam, quoad illum articulum eligendi confessarium, & absolvendi à reservatis, suffragari non potuisse; adhuc Bulla, post Clementis declarationem alicui Regulari, quoad illum articulum suffragari non poterat; quia adhuc declaratio Clementis facta, circa illum Bullæ articulum, erat in suo esse perfecto: cùm nullus illius successor Bullam extenderit, quoad illum articulum, ad Regulares.

71. Sequitur tertiò: etiamsi declarationes Clementis VIII. & Urbani VIII. non fuissent in singulis monasteriis publicatæ, nec ab ipsis acceptatæ, suam vim declarationis, & prohibitionis, non amittere: quia erant declarationes privilegii, à prædecessoribus, successoribus, & à se ipsis, concessi, & extensi. Quæ declarationes non indigent publicatione, in omnibus locis, dummodo Romæ, more solito, publicatæ sint: ut constat ex damnatione facta ab Alexandro VII. anno 1663. die 14. Septembris & damnante hanc propositionem; *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate*; quæ est ex damnatis 12. & alias duas de quibus mentionem fecimus *disp.* 14. *à n.* 244. quæ erant oppositæ illis, quæ à decretis sub Urbano VIII. fuerunt imperatæ; quæ tamen decreta non fuerunt publicata in omnibus Provinciis, sed Romæ locis consuetis: ergo etiam prædictæ declarationes, licèt in omnibus Conventibus non fuissent publicatæ, nec acceptatæ, non amittent vim obligandi, ut rectè notat Garcia *de beneficiis part.* 2. *cap.* 5. *à n.* 66. Vide locum cit. ubi plenius hæc exponuntur *per totam sect.* 25.

72. Sequitur quartò, etiamsi non extaret declarario ab Urbano facta; posita, & datâ declaratione Clementis, non poterant Regulares unquam dicto articulo uti, ad eligendum confessarium, pro reservatis; quia declaratio Clementis erat, & est perpetuò valitura: dummodo aliquis Clementis successor non expresserit, se velle Regulares, etiam in illo articulo Bullæ, comprehendi: dum ergo non datur hæc expressio, suffragari nequit Bulla, quoad illum articulum, Regularibus.

§. II.

Adversariorum fundamenta diluuntur.

73. EX prædicta ratione apertè falsitatis convincitur opinio adversariorum, & ex illa facilè diluuntur eorum fundamenta. Ad primum enim *n.* 55. adductum, respondeo, negando consequentiam: quia ea revocatio privilegiorum facta à Commissario, nequit revocare declarationes S. S. Pontificum Clementis, & Urbani. Aliud enim est revocare privilegia expeditioni Bullæ contraria, quæ hîc à dictis S. S. Pontificibus superioribus Regularibus non fuerunt concessa; aliud revocare declarationes à S. S. Pontificibus factas, quæ circa dictum Bullæ articulum emanarunt. Has enim revocare nequit Commissarius, quia ut supra dictum est, ad S. S. Pontifices pertinet declarare suas leges, & privilegia, & declarationes revocare, & quamvis Commissarius possit dubia Bullæ interpretari, ut vidimus *disp.* 1. *à n.* 89. id tamen non potest contra interpretationes, & declarationes S. S. Pontificum. Accedit, quòd Urbanus VIII. suâ illa Const. perpetuò valiturâ, ei tollit facultatem aliter interpretandi; ibi: *Sublatâ eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, interpretandi facultate; declarando irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis authoritate scienter, vel ignoranter, contingerit attentari.*

74. Ad secundum *in n.* 57. respondeo, negando antecedens: quia ab illa Bullæ clausula excipiuntur Regulares, quoad dictum articulum eligendi confessarium, qui eos absolvat à reservatis, ut declarant tot SS. Pontifices, asserendo, *suæ intentionis fuisse, & esse, illos in illa non comprehendere.* Dum ergo alius S. Pontifex non exprimit, se in illa illos velle comprehendere, nunquam comprehendentur, quoad eum articulum; circa quem præcesserunt declarationes perpetuò valituræ seu duraturæ.

75. Ad tertium *in n.* 58. respondeo primò: in illa Commissarii Lusitani declaratione non fuisse expressum privilegium eligendi confessarium pro reservatis, ut ex ipsa constat; & quamvis etiam quoad ipsum privilegium fuisset intellecta à Regularibus; Commissarius tamen loquutus fuit secundum jus commune, & ipsius Bullæ ab ipso interpretatæ. Secundò, quia fortasse ob eam Commissarii declarationem non rectè factam, contrà declarationem Clementis VIII. quæ perpetuò erat valitura, edita fuit Const. Urbani VIII. in qua declaravit, confessionem prætextu dictæ facultatis esse irritam, ablatâ Commissario licentia aliter interpretandi, & declarandi: unde non possunt successores Commissarii aliter Bullam interpretari.

76. Adverte tamen Bardi *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 5. *n.* 140. asserere, Illustriss. D. D. Emmanuelem de A Cunâ hujus Regni Commissarium Generalem S. Cruciatæ, declarasse in Cathedrali de Santarem die 28. Aprilis 1643. non posse Regulares eligere confessarium; ut vi Bullæ à reservatis absolvantur: quod stabilivit referendo in eadem declaratione Constitutiones Clementis, & Urbani VIII.

77. Hoc tamen assertum Doctissimi Francisci Bardi ab aliquo non rectè instructi, in multis fallit. Primò, quia vocat Sanctarem Sedem Cathedralem, cum talis non sit. Secundo, quia die 28. Aprilis 1643. non erat Bullæ Commissarius Illustriss. D. D. Emmanuel à Cunâ: per id enim tempus erat ille Episcopus Eluensis, Regisque Sacellanus Major; & munus Commissarii loco D. D. Antonii de Mendoca tunc temporis impediti, & postea Ulyssiponensis Archiepiscopi, obibat Reverendissimus P. Fr. Dionisius dos Sanctos Serenissimi Regis Joannis IV. confessarius. Tertiò, quia licèt Illustrissimus D. D. Emmanuel à Cunâ anno 1637. vices Commissarii gereret, & in ea fuisset sententia, quòd Regulares non possint Bullâ uti, quoad articulum eligendi confessarium, per quem à reservatis absolverentur (ut verum reputo) id tamen edictis non promulgavit; cùm per breve tempus in eâ sisteret occupatione. Hæc omnia constant à Viris fide dignis; & ab ipso Cruciatæ archivo certò didicimus.

78. Ad quartum *in n.* 59. respondeo majorem negare Portel *tom.* 2. *resp. moral. casu.* 4. quod doctissimè & evidenter probat: data tamen ea majore, & concessa minore, nempe privilegium concessum, per modum contractus, non posse revocari;

cari; licèt ex justâ causâ, id posse fieri, etiam non datâ compensatione, doceant plures. ut videre est apud Cattr. Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 4. *punct.* 21. §. 2. *n.* 1. At in præsenti nullum Bullæ privilegium fuit revocatum: Declarârunt tamen SS. Pontifices in ea concessione Bullæ, seu in eo quasi contractu, se non comprehendisse illam facultatem eligendi confessarium, pro reservatis religionum superioribus, nec suæ mentis fuisse illam concedere. Positâ autem hâc publicâ, & juridicâ declaratione, deinceps semper Bulla nostro Principi, & Regibus cum exceptione dictæ facultatis pro Regularibus censetur concessa. Quare quamvis singulis sexenniis Bulla sub eo quasi contractu concedatur, non reviviscit illa facultas; quia declarationes Pontificum sunt perpetuò valituræ.

79. Ad quintum *in n.* 60. respondeo, negando antecedens, ut patet ex dictis; nam Urbanus suâ Const. declarat, esse improbabiles opiniones asserentium per novam Bullæ concessionem, aut publicationem cessasse declarationes Pontificum, circa facultatem eligendi confessarium pro reservatis; nam mortuo Clemente, inquit, Regularibus Bullam suffragari non potuisse: ergo etiam mortuo Urbano illis, quoad prædictum articulum suffragari non potest. Et hoc constat ex ratione allata: nam declarationes Pontificum, non cessant illis mortuis. Unde patet falsum esse, quod dicit Dian. & alii *supra citati.*

80. Ad sextum *in n.* 61. respondeo Commissis solutionibus Soar. Card. de Lug. Bardi *cit. disp. cap.* 5. *num.* 55. Soar. Lusit. *supra n.* 300. *in fine.* Moya *cit. n.* 36.) cum Avendan. *cit. disp. tit.* 5. *n.* 334. asserente, se accepisse à Didaco de Torres Villalpando Peruvianæ JESU Provinciæ procuratore, cum Clemente VIII. de hoc agente, cui supplicationem suam humiliter proponenti respondit Pontifex sanè prudentissimus: *Vis ne inter me, & Regem Hispaniarum excitari?* Unde si in Bullâ deest illa exceptio, habetur tamen per plures Pontificum declarationes ad hoc ipsum destinatas; & cùm Urbanus declaret authoritate Apostolicâ, Bullam, quoad prædictum articulum, suffragari non potuisse, nec posse Regularibus: quæ cùm sit propositio, & declaratio perpetuò valitura circa mores, & animarum salutem; perniciosissimum erit contra illam aliquid tenere. Vide quæ diximus *supra disp.* 14. *sect.* 25. §. 1. *per totum*, incipientem à *num.* 246.

81. Ad septimum, quod *n.* 62. *traditur*, respondeo Commissarium rectè statuisse decretum Urbani VIII. in nihilo præjudicasse Bullæ S. Cruciatæ; quia ita est; nam Bulla Cruciatæ in eo statu, & vi privilegiorum permansit, ut semper: Regulares enim semper Bullam sumere potuerunt, & possunt, etiam invitis Prælatis quoad usum indulgentiarum, & aliorum privilegiorum, ut plures docuerunt D. D. & vidimus *disp.* 2. *n.* 40. Licèt illicitè, ut ostendimus *ibidem n.* 42. & 43. excepto privilegio eligendi confessarium, qui eos absolvat à reservatis: ab his enim, virtute Bullæ, nec ante decretum Urbani VIII. poterant absolvi, ut idem Urbanus in eo declarat, dicens, locum minimè habuisse Bullam, nec habere, nec ipsis Regularibus illo modo suffragari potuisse, nec posse. Quare ex praxi liberaliter Bulla Regularibus ad alia privilegia distribuitur, quod non prohibuit Urbanus in eo decreto, ut vidimus *citato loco*, & *infra ostendetur.* Quòd verò Commissarius inspecto Urbani VIII. decreto, suam declarationem non retractârit, nec eam collegerit; nihil probat; quia dictum decretum expresè, & affabrè illam retractabat; & omnibus manifestum faciebat, quòd in ea quæstione tenendum erat. Alia, quæ ab hoc Deputato, in suo judicio afferuntur, in prædictis manent soluta; & illis verbatim, & doctissimè respondet Portel *supra citatus per totum casum* 4. & 5. & *casu* 5. *n.* 16. rectè respondet illos quatuor D. D. Conimbricenses dictum judicium subscribentes, & approbantes, Constitutionem Urbani VIII. non vidisse, quæ tam clara est, ut contra illam scribere, vel subscribere hodie temerarium sit. Additque eos D. D. Conimbricenses, modò viventes, ut ait, non esse majores, neque fortè æquales illis, qui oppositam Doctrinam ante Breve Urbani tradiderunt, ut fuit Soares, & hic sufficit, cùm fuerit talis Theologus, & Religiosus. Sic doctissimus Portel. Quare si pro eo tempore Commissarius alia contra præfatum decretum statuit, certum est, nec habuisse, nec habere vim, ut decernit Urbanus in verbis allatis; nec ab eo, & ejus Tribunali, fuit satis examinata declaratio dicti decreti, ut mox in simili dicemus cum Card. de Lug.

82. Ad octavum *in num.* 63. respondeo, cum Card. de Lug. *citat. num.* 193. Trullench. & aliis pluribus negando antecedens; & præscindendo ab authoritate eorum, qui eam sententiam docuerunt, aut probabilem asseruerunt, ab illis enim fortasse non fuerunt examinatæ SS. Pontificum declarationes: nam posita Sedis Apostolicæ declaratione asserente fuisse irritas confessiones à morte Clementis usque ad hanc ultimam declarationem Urbani VIII. inter quos aliqui fuerunt Pontifices, qui Cruciatam extenderunt, cessat omnis probabilitatis species; nam si mortuo Clemente, erant irritæ ex confessiones, etiam mortuo Urbano, sunt irritæ, non enim dabitur major ratio: ergo nullam probabilitatem habere potest opinio adversariorum.

83. Hujus octavi adversariorum fundamenti rennit negare antecedens Leand. *cit. disp. tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 12. *q.* 58. *vers. Ad sextum*; quia verum existimat, factam esse supplicam per Commissarium Cruciatæ de mandato Regis Catholici, circa præfatam Urbani VIII. declarationem; qua suppositâ, dum non constat de responsione Pontificis, concedit antecedens. Illum impugnat Doctissimus Andreas Mend. *disp.* 24. *à n.* 129. & rectè, ut solet, non ita tamen idem Leand. satisfacit; ut videre est *loco citato.* Quia admissâ illâ supplicatione, propter authoritatem Illustrissimi Araujo, à quo id se accepisse fatetur Leand. adhuc ipse poterat negare confidenter supradictum antecedens; quia vel supplicatio fuit facta, antequam publicaretur decretum, seu Const. Urbani VIII. vel post illius publicationem, quando iam habebat vim obligandi: Si primum; à Pontifice non fuit audita illa supplicatio; quia illa non obstante, illa Const. decretum fuit publicatum; & habetur apud Cherubin. *tom.* 4. & inter alias hujus Pontificis est hæc 105. *fol.* mihi 112. ergo si supplicatio facta fuit ante publicationem decreti, fuit rejecta. Addo ulterius si decretum nec esset publicatum, nec post supplicationem publicaretur, adhuc non maneret suspensa declaratio facta à Clemente VIII. quia erat etiam publicata solitis in locis, & vim obligandi retinebat, quam non poterat amittere; nisi per decretum alicujus successoris, in quo declarasset, se velle comprehendere Regulares in illa prima Bullæ clausula, quoad articulum eligendi confessarium pro reservatis.

84. Si

84. Si verò supplicatio facta fuit post publicatam Const. Urbani VIII. cùm jam vim haberet obligandi, ut communiter docent Theologi, non potuit supplicatio suspendere obligationem, nisi per aliam Constitutionem, seu decretum Pontificium; quod, non obstantibus Const. prædecessorum, declarasset, seu concessisset, se velle comprehendere Regulares in illâ clausula modo dicto: cùm verò hoc non sit obtentum à Commissario, ut ejus silentium comprobat, nullum firmum fundamentum sumitur ex supplicatione, quam Leand. asserit fuisse factam.

85. Respondet Leand. ad finem illius *citat. quæst.* negando, Constit. Urbani, non fuisse revocatam; quia S. Pontifex annuit supplicationi Regis: Nec obstare, quòd id non fecisset per aliquod decretum; quia id consentaneum non erat Pontificiæ authoritati, in lucem dare decretum contra aliud ab ipsomet factum; nec id fuisset necessarium; cùm satis ad hoc esset, non renuere, aut non repugnare, aut tacere, ut omnibus est notum, & concludit his verbis: *Igitur, quod dixi, iterum dico, & benè; nempe quod sit probabile antecedens, supplicatione Regis, & Commissarii suppositâ.*

86. Quòd malè dicat Leand. in hoc, quod dicit benè, ex dictis satis constat. Ad aliud, quod asserit S. Pontificem annuisse Regis supplicationi; non est assertum authenticum; & authenticæ sunt declarationes S. S. Pontificum Clementis, & Urbani VIII. ut videre est apud Cherubin. citatum, cui ergo fidem adhibere debeamus? attestationi ipsius Leand. an declarationibus prædictis? omnes & ipse Leand. judicent. Ego enim addo, contra Leand. non satis esse ad hoc, quod S. Pontifex non renuisset, aut repugnasset, aut tacuisset, ut prædicta declaratio maneat suspensa; quia ad irritandas declarationes tot Pontificum publicatas solitis in locis, non sufficiunt eæ actiones: nam unum decretum per aliud dissolvitur, omnis enim res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur, *cap. omnis 37. q. 2. cap. omnis res: de regul. jur. in 6. decretal.* Valasc. Narbon. apud Barbos. *de Axiomat. Axiom. 199.* quapropter eadem solemnitas requiritur in revocatione actus; quæ requiritur in confectione illius, ut tradunt Duen. *regul. 187. vers. Decimo octavo.* Cald. Pereyr. *de potest. eligendi cap. 7. n. 13.* apud eundem Barbos.

87. Addo, adhuc taciturnitatem non sufficere pro consensu in rebus non favorabilibus, ut tenet Sanch. *l. 1. disp. 6. n. 11. & l. 7. disp. 79. n. 19.* & taciturnitas S. Pontificis non est in hac materia illis favorabilis: ergo non sufficit, quòd S. Pontifex, supplicatione facta, tacuisset.

88. Ex his, & dictis constat, Leand. debuisse negare prædictum antecedens, nempe, sententiam adversariorum esse probabilem; ut communiter authores illam Improbabilem fatentur. Si dicta non sufficiunt ad hanc certam reddendam sententiam, dico cum Avendan. ubi *supra in principio* hujus sententiæ tractationis: *Non omnes capiunt verbum istud, nec capient.*

SECTIO V.

An Regulares, virtute Bullæ Cruciatæ, possint absolvi à Pontifici reservatis?

89. PArs affirmativa tribuitur Quintanaduenas *tom. 1. tract. 3. singul. 26. n. 3. & 4.* à Moya *in q. q. select. tract. 3. disp. 8. q. 1. n. 11.* Sed non benè, eo citato loco, quia Quintanad. in illo solùm loquitur de Monialibus Episcopo subjectis, & de his tantùm asserit, posse absolvi à reservatis Episcopo, & S. Pontifici, virtute Bullæ; quin facultate indigeant ad accipiendam Bullam; quia casus Episcopales reservati, non pro Monialibus, ut Religiosis, sed pro recto Diœcesis regimine sunt reservati; & de his non procedunt declarationes Clementis, & Urbani VIII. & alia adducit ad suam stabiliendam sententiam, quæ *infra* in suo particulari loco examinabuntur. Attamen id ipsum docuit Quintanad. *tract. eodem 3. sing. 18. n. 19.* nempe prohiberi usum Bullæ, quoad reservata in ipsâ Religione, qua quis profitetur, non verò quoad alia; & clarius hoc asserit, dicendo, posse Regularem, exceptis casibus in Religione reservatis, virtute Bullæ, absolvi ab omnibus peccatis, & censuris, à quibus, ejusdem Bullæ virtute, possunt absolvi sæculares: quod tamen non est verum, quod jam ostendo.

90. Dicendum ergo est, non posse Regulares eligere per Bullam Cruciatæ confessarium; ut ab eo absolvantur à reservatis Pontifici, cum exceptionibus, quæ referuntur in Bullâ, de quibus *disp. 16. à sect. 3. usque ad finem disput.* Ratio patet ex Constit. Urbani VIII. *in sect. precedente* lapsus adductâ, in quâ declarat S. Pontifex, concessionem Cruciatæ, quoad articulum eligendi confessarium, & absolvendi à prædictis casibus reservatis, etiam in Bullâ Cœnæ contentis, in Regularibus locum non habere; & suæ intentionis fuisse, & esse, quòd *dispositioni suorum Prælatorum, & sedi Apostolicæ, quoad sibi reservata, subjecti sint.* Ergo virtute Bullæ, non possunt Regulares absolvi à reservatis suis superioribus, sed nec etiam à reservatis S. Pontifici. Nam verba *à sibi reservatis* non solùm referuntur ad reservata superioribus, sed etiam ad reservata S. Pontifici, ut ex verbis *n. sequenti* adducendis, expressè constat. Ita supponit Trullench. & tenet Delgadell. quos refert, & sequitur Moya *proximè* Mend. *in Bull. disp. 14. n. 195.* Bard. *part. 1. tract. 2. cap. 5. n. 131. & seqq.* Avendan. *in Thesaur. Indic. tit. 5. appendic. n. 357.*

91. Dices: Urbanus VIII. in citat. Constit. solùm loquitur de absolutione danda in sacramento confessionis, & non de absolutione à censuris extra illam; ibi: *Quantum ad Sacramenti pœnitentiæ, & confessionis administrationem, ordinarie dispositioni suorum Prælatorum, & Sedi Apostolicæ, quoad sibi reservata, subjecti sint.* Sed virtute Bullæ, censuræ possunt absolvi extra Sacramentum confessionis, ut docent plures D. D. allati *disp. 17. n. 82.* ergo Regularis poterit Bullam sumere, ut absolvatur ab excommunicatione S. Pontifici reservata, extra confessionem Sacramentalem, eligendo ad hunc effectum confessarium,

quia

quia per dictam Constitutionem illi non prohibetur.

92. Respondeo hoc argumentum nullam habere vim in terminis Bullæ Lusitanæ, quia, ut dicta *disp. n.* 84. diximus, per illam non conceditur facultas absolvendi à censuris extra confessionem sacramentalem; & cùm Urbani Constit. loquatur de confessione Sacramentali; sequitur, non posse Regulares, vi Bullæ, eligere confessarium, ut ab eo absolvantur à censuris sedi Apostolicæ reservatis, extra confessionem.

93. Nec etiam habet vim in opinione, quæ juxta Bullam Hispanam concedit, posse, virtute Bullæ, absolvi illam habentem à censuris extra confessionem Sacramentalem; quia si ea opinio admittatur in præsenti casu, eluderetur Const. Urbani VIII. quæ declarat, non posse Regulares per Bullam eligere confessarium pro reservatis S. Pontifici, quia nunquam obtineret finem, ob quem fuit edita; quod ostendo: nam poterit Regularis (illâ datâ opinione) accipere Bullam, ut absolvatur à censuris extra confessionm, & ablatâ excommunicatione S. Pontifici reservatâ, absolvi à peccatis à confessario ordinario, quæ jam non manent reservata, ablatâ excommunicatione; & sic eximeretur ab onere se præsentandi, & destrueretur subjectio immediata ad sedem Apostolicam, quam S. Pontifex in dict. Constit. requirit.

94. Neque dicas, hoc esse per accidens: Non, inquam, hoc dicas, quia non dicitur esse per accidens id, quod in iisdem circunstantiis semper evenit; sed moraliter dicitur, esse per se, licèt mediante aliquo contingat; cùm semper in promptu Regulares hoc remedium possunt adhibere, ut pro reservatis ad S. Pontificem non recurrant.

95. Urgebis cum Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 3. *singul.* 19. *n.* 4. asserente, confessarium ordinarium pro aliqua domo, vel collegio nostræ Societatis JESU habere omnem potestatem circa nostros Religiosos, quam habet approbatus ab Ordinario circa externos, præterquam quoad casus reservatos in Societate; & cùm possit absolvere sæculares à pluribus Pontifici reservatis, ita etiam potest nostros Religiosos ab illis absolvere: cùm ergo Regulares possint absolvi à pluribus reservatis Pontifici, parum prodesse potest prohibitio Urbani VIII. ne Regulares utantur Bullâ ad eundem effectum.

96. Nec hoc argumentum, seu instantia aliquid convincit; quia illa doctrina Quintanad. non est vera; & miratur Card. de Lug. *in respons. moral. t.* 1. *dub.* 19. *n.* 3. quòd illam doceat; quia oppositum constat ex responsione R. P. Mutii Vitelleschi Societatis JESU, Generalis, transmissa ad Provincias; unde hoc dubium fuit propositum. Quare confessarius ordinarius Religiosorum non potest à reservatis Pontifici absolvere; quia usus privilegiorum Religionis, præsertim quoad Sacramentum pœnitentiæ, non dependet à voluntate confessarii, & subditorum; sed Prælati, ut videre est apud Cardin. de Lug. *cit.* Soar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *l.* 2. *cap.* 22. *n.* 17. Lezan. *in q. q. regul. cap.* 18. *n.* 56. *& cap.* 19. *n.* 29. & Collector privil. Mendic. *Verbo absolutio extr. quoad fratres* § 9. *Vers. Circa quod*, Portel. *in dub. regul. Verb. Confessor erga fratres n.* 16. Bard. *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 5. *n.* 137.

97. Et quamvis hi casus Pontifici reservati non inveniantur in catalogo casuum reservatorum in Societate; non ideo censentur concessi confessariis ordinariis, ut ab eis Religiosos possint absolvere; quia in eo catalogo solùm fit mentio de illis, qui ab ipsa Societate reservantur, & non de illis, qui S. Pontifici sunt reservati; quos non oportuit enumerare; quia jam erant S. Pontifici reservati. Imò addo, si Prælatus concedat ordinario domûs, aut collegii confessario potestatem absolvendi subditos à reservatis; non venire sub hac potestate casus Pontificis, nisi de illis fiat specialis mentio, ut tenent Soar. Bardi. & Cardin. de Lug. *locis citatis.* Nec contra hoc stat dicere Quintanaduen; quòd sæculares essent melioris conditionis, quàm Regulares, si hi ab iis casibus non possint absolvi; quia privilegia, quæ Regularibus à Paulo III. conceduntur ad absolvendum ab aliquibus Pontifici reservatis, vim habent quoad sæculares, & non quoad Regulares; quia ab his non intendit Pontifex ut absolvantur independenter à proprio Prælato. Sic ex Soar. Portel. Lezan. Rodrig. quos refet, & sequitur Bard. *citat. n.* 137.

SECTIO VI.

An Regulares, virtute Bullæ Cruciatæ, possint absolvi a reservatis per confessarios a superioribus deputatos?

98. PArtem affirmantem; ut probabilem docent post Const. Clementis VIII. Villal. *in summ. tract.* 27. *clausul.* 9. §. 2. *n.* 12. ubi ait, ita sensisse Doctissimos viros Curiel, Antolin. Cornejo, Hernandes del Campo, & P. P. Societatis JESU. civitatis Salmantinæ; & probabilem etiam dicit Joann. à Cruce, *l.* 1. *cap.* 9. *dub.* 12. & apud ipsum Henrig. Banès, Vincentius Luna, & alii. Et post Constit. Urbani VIII. idem tenent Ludovic. de S. Joan. & nonnulli apud illum, & apud Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 14. *& part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 43. illam dicentem probabilem; ut etiam Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 12. *q.* 60. dum vocat oppositam probabiliorem, & apud ipsum Ludovic. à Cruc. *in expos. Bull. cap.* 1. *dub.* 12. *n.* 2. & non improbabilem asserit Thom. Hurt. *tom.* 2. *tract.* 2. *cap.* 12. & illam non improbat Martines de Prado *in Theol. moral. cap.* 6. *q.* 5. §. 6.

99. Probant ex Constit. B. Pii V. & Clementis VIII. prohibentium tantùm eligere confessarium extra Religionem, à quo absolvantur à reservatis, ut patet ex præmio, ibi: *Et illorum pretextu eligunt confessorem aliquando, præter eos, qui à suis Prælatis eorum confessionibus deputati sunt; quod aliquando in speciale eorum vergit detrimentum:* cùm ergo confessio facta cum delignato à superiore, non sit propriè loquendo, electio confessarii, sed admissio confessarii electi à superiore, non est contra Const. confessio cum illo facta.

100. Nihilominus pars negans tenenda est, quam defendunt Dian. Ludovic. à Cruce, Thomas Hurtad. Leand. *locis citat.* Bardi. *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 5. *n.* 65. Mend. *disp.* 24. *n.* 172. *& sequent. usque ad finem captus*, Moya *in q. q. select. tract.* 3. *disp.* 8. *q.* 8. *n.* 15. Card. de Lug. *de panit. disp.* 20. *n.* 195. quem refert, & sequitur Escobar. *tom.* 1. *Theol. moral. l.* 7. *n.* 565. *&* 566. accedit Soar. Lusit. *de panit. tract.* 7. *n.* 303. Ratio est, quia opposita sententia falsò nititur fundamento; nam licèt prædicta verba

inveniantur in Const. pro aliquibus particularibus Religionibus editis, non inveniuntur tamen in proœmio Const. Clementis VIII. pro omnibus Mendicantibus editæ, sed hæc: *Quòd cùm in Bullâ Cruciatæ, & aliis privilegiis detur facultas eligendi, confessarium idoneum approbatum ab ordinario, qui possit à reservatis absolvere. Nonnulli præditis facultatibus uti præsumebant, in detrimentum eorum Regularis disciplinæ.* Et cùm hæc reperiantur, innoventur, & amplientur in Const. Urbani VIII. quæ declarat Regulares subjectos esse, quantùm ad Sacramenti pœnitentiæ, & confessionis administrationem, dispositioni prælatorum, quoad sibi reservata, non possunt Regulares absolvi à reservatis per confessarios à superioribus deputatos. Ex hoc constat, opinionem contrariam nullam habere probabilitatem. Ad absurdum quod à Villal. objicitur contra Patres nostræ Societatis civitatis Salmanticensis, respondet Escobar. *proximè cit.* illos tantùm asseruisse, posse confessarios deputatos absque Bullâ à peccatis non reservatis absolvere.

SECTIO VII.

An Regulares, virtute Bullæ Cruciatæ, possint eligere confessarium, a quo absolvantur à non reservatis?

101. POsse sine licentia Prælatorum, existimant Rodrigues cum Doctoribus Salmanticensibus ita sentientibus, quos sequitur Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 14. Trullench. Ludovic. à Cruce, quos sequitur Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 12. *q.* 62. dicens, oppositum sibi magis placere: in gratiam tamen Regularium se probabiliter respondere, posse Regulares, sine licentia Prælatorum, eligere quemlibet confessarium, ut ab eo absolvantur à mortalibus non reservatis, virtute Bullæ. Idem tenet Quintanad. *tract.* 3. *singul.* 18. licèt addat *n.* 14. se credere, praxim oppositam esse in Societate JESU, cui standum planè censet. Idem tenent Galleg. Martin. de S. Josepho. Thom. Hurtad. & alii apud Dian. *part.* 9. *tract.* 6. *resol.* 10. *in fine*, & *part.* 11. *tract.* 6. *resol.* 28. inquit, hanc sententiam non carere probabilitate. Illam etiam tenet Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *punct.* 8. §. 3. *n.* 5. spectatâ Const. Urbani VIII. at spectatis Const. Clementis VIII. & Gregorii XIII. inquit, non posse Regulares confessarium eligere, qui eos à non reservatis absolvat. Hanc sententiam etiam tuentur Escobar. *examin.* 17. *cap.* 5. *vers. Num Regulares.* Mend. *in Bull. disp.* 24. *cap.* 18. & 19. & *in tract. appendic. disp.* 1. *cap.* 10. & *in stateră dissert.* 14. *q.* 7. & posse eligere confessarios sui ordinis sentit Delcastill. *de pœnit. cap.* 21. *dub.* 14.

102. Ex pluribus fundamentis, quibus hæc sententia à suis sectatoribus probatur, hoc seligo, quod videtur præcipuum: In Const. Urbani VIII. restingitur Constitutio Clementis VIII. per hæc verba, circa finem: *Nostra intentionis fuisse, & esse, quod iidem fratres, & Moniales, quantùm ad Sacramenti pœnitentiæ, & confessionis administrationem, ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum, & Sedi Apostolicæ, quoad sibi reservata, subjecti sint.* Per quæ verba, Regulares nequeunt eligere confessarium ad reservata, ergo possunt eum eligere ad mortalia non reservata. Consequentia patet, quia illa particula: quoad sibi reservata, est limitativa, & taxativa, ac firmat regulam in contrarium: ergo si Pontifex declarat, non posse Regulares eligere confessarium, quoad reservata per Bullam: illis erit licitum, eum eligere, quoad non reservata: aliàs non apponetur illa limitatio, quoad reservata.

103. Non obstante hoc fundamento, & aliis ab authoribus *citat.* adductis, tenendum est, Regulares non posse virtute Bullæ eligere confessarium, ut ab eo absolvantur à mortalibus non reservatis: ita Card. de Lug. *de pœnit. disp.* 20. *à n.* 195. Dian. 4. *part. tract.* 4 *resol.* 43. sibi contrarius Bardi *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 5. *n.* 10. & *sequent.* Avend. in Thesaur. *Indic. tit.* 5. *appendic. n.* 354. & cum Soar. Castr Palao *ubi supra dict. tract.* 25. *punct.* 8. §. 3. *n.* 3. Tamborin. *l.* 5. *de pœnit. cap.* 5. §. 4. *n.* 37. Martines de Prado, quem refert, & sequitur Moya *tom.* 1. *in q q selectis tract.* 3. *disp.* 8. *q.* 8. *n.* 12. Escobar. *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 562. Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 7. *n.* 303. Arriag. *tom.* 8. *disp.* 41. *n.* 22. *vers. Tertiò dicendum*, Illustrissimus Fr. Anton. à Spiritu S. *in direct. confess. tract.* 5. *à n.* 1332.

104. Probatur hæc sententia ex Const. Clementis VIII. pro omnibus Regularibus (omissis aliis, quæ fuerunt directa ad aliquas particulares Religiones) quia in illâ expresè inquit S. Pontifex hæc verba: *suæ mentis fuisse, quòd Fratres, & Moniales, quantum ad Sacramentum pœnitentiæ, seu confessionis administrationem, dispositioni suorum Prælatorum subjecti sint.* Quam Constit. Urbanus VIII. in suâ, ait, se innovare, & ampliare: sed in prædictis verbis universaliter prohibetur absolutio, per Bullam Cruciatæ, Regularibus, sive peccata sint reservata, sive non reservata: ergo non solùm quoad reservata prohibetur absolutio Regularibus per Bullam, sed etiam quoad mortalia non reservata.

105. Quod prædicta verba Clementis VIII. debeant intelligi in illâ universalitate, ostenditur; quia Card. de Lug. *super citatus* supra illorum intelligentiam consuluit D. M. A. Maraldum, à quo Constitutio Urbani VIII. fuit composita, & subscripta; & respondit, hunc fuisse sensum in prædictis verbis; & miratus fuisset, quòd in alio ab aliquibus prædicta verba intelligerentur: ergo non benè dicitur ab adversariis, prædicta verba ab aliis supra allatis diversa, pro parte oppositâ, ab Urbano VIII. fuisse limitata, quoad reservata.

106. Quare Cardin. de Lug. *cit. n.* 199. existimat, verba Urbani, quæ addunt aliqua prædictis Clementis VIII. nempe: *Et Sedi Apostolicæ quoad sibi reservata*, non referri ad Prælatos Religionum, sed ad Sedem Apostolicam, cui immediatè apponuntur: ita ut sensus sit, Regulares subjici dispositioni suorum Prælatorum, quantùm ad Sacramenti pœnitentiæ, & confessionis administrationem; ut dicebatur in Constitutione Clementis VIII. & quoad Pontifici reservata, dispositioni Sedis Apostolicæ. Quæ verba fuerunt ab Urbano addita; non ut limitativa verborum Clementis; sed ne forte alicui daretur occasio errandi, existimando Religiosos absolutè, & omnino dependere à suis superioribus, quoad Sacramentalem absolutionem; cùm secundùm jus commune, quoad reservata Sedi Apostolicæ, ab illa dependeant; cùm ab illis absque ejus licentiâ non possint absolvi. Hanc Cardin. explicationem approbat Bardi *cit. à n.* 94. quia Const. Urbani est ampliativa Const. Clementis; & talis non esset, si in

si in sensu ab adversariis explicato acciperetur. Alia addit, quæ apud ipsum videri possunt. Hæc sunt satis pro solutione fundamenti contrarii.

SECTIO VIII.

An confessarius teneatur se accommodare cum opinione pœnitentis Regularis asserentis, se habere Bullam, relicta propria opinione?

107. REsolutio hujus quæstionis dependet ab aliâ: An confessarius, semel auditâ confessione, teneatur se conformare cum opinione pœnitentis, licet ipse illam falsam, & improbabilem judicet, si inter Doctores probatæ authoritatis probabilis reputetur? Partem affirmativam tuentur Sot. & Valenc. citat, & sequitur Sanch. *l.* 1. *decal. 9. n.* 30. Joann. Sanch. *in select. disp.* 44. *n.* 31. *&* 35. Dian. *part.* 2. *tract.* 13. *resol.* 11. & cum Henriq. Basszo, Candid. & aliis Machad. *tom.* 1. *disp. pract. cap.* 6. Et illam videtur sequi Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 6. *n.* 378.

108. An verò confessarius teneatur se conformare in prædicto casu cum pœnitente sub peccato mortali, aut solùm sub veniali? Vasq. Montesin, & Salas apud Dian. *cit.* existimant, confessarium non proprium solùm peccare venialiter. Alii tamen, ut Joann. Sanch. Cardin. de Lug. Tamborin. apud Moyam *tom.* 1. *in q. 9. select. tract.* 3. *disp.* 8. *q.* 8. *n.* 3. existimant peccare mortaliter.

109. Partem negativam defendit Card. de Lug. *de pœnit. disp.* 22. *n.* 45. non absolutè, sed cum hac distinctione, nempe, si opinio probabilis versetur circa peccata, & obligationes ipsius pœnitentis; quia v. g. putat non teneri ad restitutionem: tunc tenetur confessarius pœnitentis opinioni se accommodare: at si versetur circa ipsum sacramentum, videlicet circa materiam, vel dolorem, vel jurisdictionem; tunc non tenetur confessarius se conformare opinioni pœnitentis, nisi ipse confessarius judicet esse probabilem. Et hanc distinctionem, existimat Moya *proximè n.* 4. desumptam fuisse ex Valenc. 22. *disp.* 5. *q.* 7. *punct. in fine.* Sanch. *cit.* 33. & illam etiam amplectitur Joannes Sanch. *citat. disp.* 44. *n.* 10. His præsuppositis opinionibus.

110. Ad quæstionem in tit. propositam, dicò primò: confessarius non potest absolvere à reservatis Regularem, virtute Bullæ, si judicat opinionem pœnitentis Regularis esse falsam; etiamsi inter authores probatæ authoritatis probabilis reputetur; si re ipsâ probabilis non sit. Probatur; quia quando confessarius clarè scit opinionem pœnitentis esse omnino improbabilem; sive circa peccata, & obligationes pœnitentis, sive circa ipsum Sacramentum, non potest juxta illam licitè operari: nam ut quis licitè operetur, debet formare judicium probabile: sed in hoc casu confessarius non format judicium probabile, nempe, se posse absolvere à reservatis Regularem, virtute Bullæ: ergo in hoc casu nequit se illi opinioni illorum authorum probatæ authoritatis conformare.

111. Confirmatur, quia in intellectu non sunt compossibiles hi duo actus: primus, opinio docens Regulares posse, virtute Bullæ, eligere confessarium pro reservatis, est probabilis; secundus, eadem opinio est apertè falsa; aliàs intellectus assentiretur duplici extremo contradictorio: nam probabile includit formaliter, quòd non sit certò falsum: ergo confessarius, qui existimat falsam opinionem prædictam pœnitentis Regularis, nullo modo potest se conformare opinioni illius; & sic illum absolvere. Vide Carden. *in disp. select. tract.* 1. *disp.* 11. *cap.* 13. *&* 14. *per totum.*

112. Dico secundò: Confessarius non tenetur absolvere pœnitentem Regularem à reservatis, virtute Bullæ; quia non tenetur se accommodare opinioni pœnitentis, licèt ab ipso pœnitente existimetur probabilis; quia ea opinio versatur circa jurisdictionem confessarii, cui confessarius non tenetur se accommodare. Ita expressè in hoc præsenti casu Joann. Sanch. *proximè*, citans Basilium Pont. *de matr. l.* 4. *cap.* 25. Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 2. *punct.* 4. *n.* 4. Verricell. *tom. q. q. moral. tract.* 2. *q.* 28. *n.* 9. quos refert Moya *ubi supra n.* 4. Vide Cardin. *citat. disp.* 15. *n.* 640. *& in addit. n.* 43.

113. Dico tertiò: confessarius non potest se accommodare opinioni prædictæ pœnitentis, etiam dato, & non concesso, quod illa opinio sit probabilis. Ratio est, quia non licèt uti opinione probabili circa jurisdictionem, relicta certa: ut tenent Marchant. *tom.* 1. *tract.* 2. *tit.* 3. *q.* 4. Ovied. *in* 1. 2. *D. Thom. tract.* 1. *controv.* 3. *punct.* 4. *à n.* 33. Bard. *part.* 2. *tract.* 5. *cap.* 1. *sect.* 14. quos affert Dian. *part.* 9. *tract.* 7. *resol.* 59. Carden. *in addit. loco citat. & dicta disp.* 15. *à n.* 637. *& n.* 640. asserit, posse puniri justissimè ab Episcopo confessarium, qui absolveret cum sola jurisdictione probabili: sed confessarius, qui absolveret Regularem à reservatis, absolveret solâ jurisdictione probabili, (dato, & non concesso, quòd illa opinio esset probabilis) relicta certa: ergo illicitè absolveret.

114. Dices: confessarius doctus potest se accommodare opinioni aliorum, quam judicat ab intrinseco improbabilem, ut cum Vasq. Thom. Sanch. & Joann. Sanch. tenet Machad. *tom.* 1. *in discursu prævio de probabilitate, art.* 2. *n.* 5. Sed opinio, quæ docet posse Regularem, virtute Bullæ, eligere confessarium pro reservatis, est aliquorum authorum, quorum aliqui illam docent, alii probabilem dicunt: ergo confessarius poterit se illi conformare. Respondeo primò, illos D. D. quos affert. Machad. non ità indiscriminatim id affirmare. Respondeo secundò; si confessarius formet judicium firmum, & certum, & absque ulla formidine de improbabilitate dictæ opinionis, nec tenetur, nec potest tali opinioni se conformare, ob ea quæ *à n.* 110. notavimus. Nec authoritas illorum authorum aliud suadet; ut apparebit ex sequentibus casibus.

115. Primus: Non est absolvendus viduus, qui confitetur delectationes morosas sensibiles habitas de copula conjugali præterita, nisi proponat se restiturum, quamvis dicat pro oppositâ sententia esse sexdecim authores apud Verd. *in Apologia pro Caramuele q.* 4. §. 10. *n.* 127. Quia certissimum est opinionem pœnitentis esse intrinsecè improbabilem. Sic Garden. *cit. tract.* 1. *disp.* 11. *n.* 312. qui ponit casum in se ipso confessario audiente confessionem vidui; quia in confessario, qui novit improbabilitatem opinionis, habet locum.

116. Secundus casus; quem affert idem Cardin. *n.* 313. (& nos defendimus *supra disp.* 18. *num.* 414.) est, se non posse absolvere Concubinarium

non' expellentem domo effectivè, & realiter ante absolutionem Concubinam, quam moraliter potest expellere; & à fortiori, si in præcedenti confessione proposuit illam expellere, & non expulit; quia sibi certum est in eo casu non licere absolutionem; licèt posse absolvi usque ad quartam vicem teneat Joann. Sanch. *in select. disp.* 10. *n.* 6. quem sequitur Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 7. *q.* 55. & alii, quos citavimus, ex aliis authoribus *disp.* 18. *n.* 417. Licèt Carden. excepto Tabien. quem ibi etiam citavimus *n.* 416. qui in hac materia non parum excessit, ostendat omnes alios à prædictis malè citari. Secutus est etiam Joann. Sanch. Leand. à Murcia *l.* 1. *disquisit. disp.* 1. *resol.* 8. *n.* 12. qui ad duas vices factæ promissionis à Concubinario extendit, citans Thom. Sanch. Azor. Medin. Veg. Lopes Rodrigues, quos Joann. Sanch. citat. pro ea opinione, quòd liceat absolvere eum, qui habet consuetudinem peccandi; Murcia verò, quòd liceat absolvere Concubinarium, usque ad duas vices. Improbabilitatem harum opinionum, & D. D. non benè citatorum ostendit Carden. *cit. disp.* 18. *cap.* 9.

117. Ex his casibus constat, non posse confessarium se conformare illi opinioni, circa quam format judicium firmum, & certum, quòd sit improbabilis. Et consequenter, & rectè sequitur, non posse certò scientem opinionem, quæ concedit Regularibus Bullam habentibus eligere confessarium pro reservatis, esse improbabilem, se illi conformare quamvis habeat eos patronos, quos *supra n.* 50. & 53. citavimus.

SECTIO IX.

An Regularis, in aliquibus casibus, possit absolvi a reservatis, virtute Bullæ?

118. PRimus casus sic figurari potest: Accedit pœnitens Regularis ad confessarium, ut virtute Bullæ absolvatur à reservatis, existimando esse probabilem opinionem, quæ id concedit; quia tamen putat confessarium oppositam tenere, illi tantum aperit: se habere licentiam à superiore, ut à reservatis absolvatur: potest ne confessarius illi fidem dare? Et pro parte affirmativa stat, quia Doctores communiter docent, pœnitenti pro foro conscientiæ, & confessionis, tam pro se, quàm contra se, esse credendum. Ita Abbas, Bonifacius, Stephanus, Immola, Henricus, Angel. Sylvest. Armill. quos citat, & sequitur Sanch. *l.* 3. *de matr. disp.* 37. *n.* 1, 2, & 6. & magis expressè ex Henriq. & eodem Sanch. Joann. Sanch. *in selectis disp.* 7. *num.* 1. & *disp.* 9. *n.* 7. ergo poterit confessarius, credere Regulari pœnitenti sibi dicenti se habere licentiam à superiore, ut absolvatur à reservatis. Accedit, quod auditis peccatis, ad id tenetur sub mortali confessarius: ut vidimus *sect. præcedente n.* 107. & 108. & tenet cum communi D. D. Joann. *cit. disp.* 33. *in fine.*

116. Existimo tamen hanc doctrinam esse limitandam in illis Religionibus in quibus talis licentia subditis non solet concedi, ut prohibiti eligant confessarium à quo absolvantur à reservatis; nisi occurrat aliqua specialis circunstantia, quæ suadeat, confessario à Prælato Religionis provenire licentiam: aliàs præsumendum est pœnitentem Regularem nixum opinione, quæ asserit, posse eligere confessarium pro reservatis, virtute Bullæ, absolutionem exigere. Et cùm illa opinio, etiam ex principiis extrinsecis, sit improbabilis; ut vidimus *sect. præcedentibus*, tenebitur confessarius ignorantiam pœnitentis Regularis, quantùm in se fuerit, auferre; & illi declarare, se illum, virtute Bullæ, non posse absolvere. Ita Moya *tom.* 1. *in q. q. select. tract.* 3. *disp.* 8. *q.* 2. *n.* 2.

120. Secundus casus sic proponitur: Confessarius existimat probabilem opinionem, quæ asserit, posse Regularem, virtute Bullæ, eligere confessarium, ut absolvatur à reservatis; quia tamen pœnitens Regularis eam opinionem improbabilem judicat, confessarius (eo inscio) pro eo Bullam accipit, & absolvit: potuit ne licitè confessarius hòc modo dictum Regularem absolvere? Non videri improbabile, potuisse licitè, & validè confessarium illum absolvere, existimat Moya *tom.* 1. *in q. q. selectis: tract.* 3. *disp.* 8. *q.* 12. *n.* 3.

121. Probat primò, quia probabile est, privilegium prodesse ignoranti; ut docent Archiadiacon. Einus, Alvericus Paulus, Bonifacius, & alii juristæ apud Sanch. *lib.* 4. *de matr. disp.* 36. *n.* 1. Et de privilegiis remuneratoriis, quale est privilegium Cruciatæ, tenent Sanch. *cit. num.* 3. Bonacin. *de legib. disp.* 1. *q.* 3. *punct.* 3. *n.* 15. & alii apud ipsos. Præterquam, quod quilibet præsumitur acceptare Bullam (eo inscio) à quocunque, si pro ipso recipiatur.

122. Secundò, quia eo ipso, quòd pœnitens subditur confessario absolvendus, implicitè vult omnia, quæ requiruntur, ut validè absolvatur: ergo etiam vult acceptare quodcunque privilegium, etiam Bullæ per alium sumptæ. Consequentia patet: quia quando quis habet voluntatem alicujus actionis validè exercendæ, vel suscipiendæ; eo ipso habet voluntatem implicitam eorum, quæ requiruntur, ut illa actio validè exerceatur, aut suscipiatur, ut cum pluribus probat Card. de Lug. *de pœnit. disp.* 15. *num.* 119.

123. Tertiò, quia ideo id non liceret; quia exponeretur periculo irritandi Sacramentum: sed non exponitur: ergo. Minor probatur, quia eo ipso, quòd pœnitens simul cum reservatis confitetur non reservata, non irritatur Sacramentum; quia habet confessarius jurisdictionem ad partem, quamvis ad totum illam non habeat: ergo si aliunde ex probabili opinione circa jurisdictionem absolvat à reservatis; certa, & tuta erit absolutio, ut cum Soar. Bonacin. Dian. Granad. Castr. Palao, utroque Sanch. Turrian. Less. Molder. & aliis tenet Cardin. de Lug. *supra n.* 30. & 33. Et hoc habere locum, etiamsi opinio sit minus probabilis, & tuta, tradit Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 11. *q.* 79. cum Sanch. Vasq. Villal. Salas. Bonac. & aliis. Additque Soar. *de pœnit. disp.* 26. *sect.* 6. *n.* 9. confessionem esse validam, etiam si confessarius certò sciret se non habere jurisdictionem in reservata, in quo graviter peccaret: ergo in prædicto casu licitè, & validè absolvetur pœnitens. Sic Moya.

124. Resolutio tamen hujus secundi casus; quamvis Doctissimi viri, mihi non videtur probabilis, quia est expressè contra communem sensum authorum in allato casu: qui docent, non posse quem privilegiis Bullæ frui, sine Bullæ acceptatione expressa. Sic Trullench. *in Bullam l.* 1. §. 1. *dub.* 2. *n.* 4. & 5. cum Henriq. *l.* 7. *de indulg. cap.*

cap. 20. *n.* 3. Mend. *diſp.* 2. *n.* 5. & expreſsè loquens de invito, & ignorante *diſp.* 25. *n.* 178. ubi excogitabile exiſtimat, poſſe dari hunc caſum. Et licèt in ſpecie loquatur de cenſuris; ratio tamen illius ad hunc extenditur. Tamborin. *tract. de Bullâ cap.* 15. §. 3. *à n.* 1. & cum Rodrig. Bard. *part.* 2. *tract.* 8. *cap.* 1. *à n.* 19. Fr. Joſeph. Mendes de S. Joann. *ſect.* 1. *n* 9. & nos diximus *diſp.* 5. *n.* 17. Accedunt omnes illi, qui aſſerunt, non prodeſſe Bullam ignorantibus, pro illis fuiſſe acceptam; ut docent omnes, Dian. *part.* 2. *tract.* 11. *reſol.* 90. & apud ipſum Villal. Henriq. Rodrig. Veg. Mend. *cit.* Fr. Joſeph. Mend. *cit. n.* 10. Tamborin. *cit. n.* 11. & apud ipſum Gallleg. & & alii Trullench. *proximè dub.* 3. *n.* 1. Et Illuſtriſſ. Roder. à Cunâ *de jubil. cap.* 4. *n.* 13. Arriag. *tom.* 8. *diſp.* 26. *n.* 26. quoad præſentem quæſtionem.

125. Ratio eſt, quia S. Pontifex requirit acceptationem in ipſa Bulla; in Hiſpana, ſic habetur, *Qui huiuſmodi gratiarum participes eſſe voluerint, recipiatur, & retineatur*, id eſt ſummarium. Et circa Bullam Luſitanam, id declarat Commiſſarius; *As peſſoas que tomarem eſtas Bullas, hao de fazer eſcrever nellas ſuas nomes, elevallas ham pera ſuas caſas, egardallas ham*: ut Regularis, qui ignorat Bullam à confeſſario fuiſſe pro ſe ipſo acceptam, illam non accipit, retinet, nec cuſtodit, non ſolùm phyſicè, ſed nec etiam moraliter. Vide ea quæ diximus *diſp.* 6. *ſect.* 3. *& 4.* ubi de hac materia egimus; quæ loca recolenda ſunt, ut aperiè inſpiciatur falſitas opinionis hujus ſapientiſſimi viri.

126. Nec ſufficit dicere, pœnitentem implicitè velle omnia, quæ requiruntur ad validitatem abſolutionis; quia hæc intentio non poteſt extendi ad ſumptionem Bullæ per confeſſarium factam, ignorante pœnitente, quin nihil volitum, quin prius cognitum. Accedit, quòd traditio, & acceptatio Bullæ fit per modum contractus: contractus autem debet eſſe per conſenſum verbis expreſſum, nec ſufficit fictus. Vide Bonacin. *diſp* 3. *de contract. q.* 1. *punct.* 1. *&* ea, quæ diximus *dict. diſp.* 6. *ſect.* 2. Ex his, & iis, quæ diximus *citatis locis*, & per totam illam diſputationem conſtat, non habere probabilitatem ea, quæ docuit Moya; nempe confeſſarium exiſtimantem, virtute Bullæ, poſſe abſolvere Regularem, poſſe pro illo accipere Bullam, & illo inſcio, illum abſolvere; quia eſt ſingularis, & contra D. D. citatos, & ipſam Bullam.

127 Ad fundamentum primum, & ſecundum patet ſolutio ex dictis. Ad tertium reſpondeo, licèt ea abſolutio fuiſſet valida, propter juriſdictionem ad non reſervata, quam habebat confeſſarius, non debuiſſe abſolvere Regularem, virtute Bullæ, inſcio pœnitente Regulari, de acceptatione Bullæ ſuo nomine factâ; quia illius privilegiis non gaudet, ſi ſit inſcius ut *ſupra* vidimus, & à fortiori, ſi illo uti nequibat. Quomodo verò pœnitens ſe gerere debeat, cognito errore, vide dicta *diſp.* 19. *n* 63. *&* 64.

128. Tertius caſus ſic procedit: Pœnitens Regularis Bullam ſuſcepit, putat tamen eſſe improbabilem opinionem aſſerentem, ſe poſſe eligere confeſſarium, ut a reſervatis abſolvatur; vel ſi illam reputat probabilem, non tamen vult adeo anceps privilegio abſolutionem obtinere; poteſt ne in his circunſtantiis illum abſolvere confeſſarius, qui judicat illam opinionem eſſe probabilem? Moya *cit.* exiſtimat, non improbabiliter videri, poſſe, & licitè, & validè. Et id probat eiſdem fundamentis, quibus prædictum ſecundum caſum probavit.

129. Sed pace doctiſſimi viri, abſolutio in his circunſtantiis, nec eſt licita, nec valida. Ratio eſt eadem, quam contra hoc aſſertum affert idem Moya, & non diſſolvit: nempe, quia eligere confeſſarium, ut quis abſolvatur a reſervatis, eſt Bullæ privilegium fumenti illam conceſſum; ſed nemo cogitur uti ſuo privilegio perſonali, ut conſtat *ex l. quod favore C. de legib.* & aliis apud Caſtr. Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 4 *punct.* 17. *n.* 1. ergo pœnitens Regularis nolens uti privilegio eligendi confeſſarium pro reſervatis, illo non gaudet, etiamſi virtute illius confeſſarius eum abſolvat. Et id videntur ſentire Soar. *l.* 8. *de legib. cap.* 25. *n.* 10. *&* 23. & cum Joann. Sanch. & Hurt. Ovied. *t.* 2. *tract. de conſcientiâ contr.* 3. *p.* 4. *n.* 44. Vide quæ diximus *ſupra diſp.* 17. *n.* 94.

SECTIO X.

An Regulares cum licentia ſuorum ſuperiorum poſſint, virtute Bullæ, eligere confeſſarium, ut abſolvantur à reſervatis?

130. IN duplici ſenſu poteſt hæc quæſtio agitari: primò, an cum licentiâ expreſsâ Prælati poſſit Regularis, virtute Bullæ, eligere confeſſarium, & abſolvi à reſervatis? Secundò, an ſufficiat licentia tacita ad eadem Bullæ privilegia. Quoad primum, negant Collector privilegiorum Mendic. *Verb. Cruciata ad* §. 5. Soar. *tom.* 4. *de relig. l.* 2. *cap.* 16. *n.* 9 *in fine*; Garcia *de benef. part.* 2. *cap.* 5. *à n.* 68. & alii. Probant, quia S. S. Pontifices Clemens, & Urbanus VIII. declararunt, Regulares non includi in Bullâ, quoad articulum eligendi confeſſarium, & abſolvendi à reſervatis, ut *ſupra* vidimus: ergo ſi quoad hæc excluduntur à Bulla per Pontifices, non poteſt ſuperior illis concedere licentiam ad dictum uſum: nam inferior non poteſt aliquid, contra diſpoſitum à ſuperiore.

131. Exiſtimo tamen, ut cerum, poſſe Regulares de licentia ſuorum ſuperiorum ſumere Bullam, ut etiam virtute illius eligant confeſſarium; & ut ab eo abſolvantur à reſervatis. Ita docent Bardi *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 5. *à n.* 105. Ludovic. à Cruce *in Bull. diſp.* 1. *cap.* 1. *dub.* 12. *n.* 2. & clarè *dub.* 13. *ſequenti*, Trullench. *l* 1. §. 7. *cap.* 1. *dub.* 2. cum communi D. D. Henriq. *l.* 7. *cap.* 22. *n.* 4. Rodrig. *in Bullam* §. 9. *n.* 25. Ratio eſt quia poſita licentia Prælati, ceſſant inconvenientia, ob quæ S. S. Pontifices moti fuerunt ad prædictam declarationem faciendam; nempe detrimentum Regularis diſciplinæ: ergo ceſſante fine in hoc caſu conceſſæ licentiæ à Prælato, ceſſant etiam declarationes S. S. Pontificum ob hunc finem expeditæ.

132. Ex hâc ratione patet ſolutio ad probationem in oppoſitum *n.* 130. *adductam*. Et confirmatur quia poſt dictas declarationes, ſtatuerunt SS. Pontifices, fratres, & Moniales, quantùm ad Sacramentum pœnitentiæ, & confeſſionis adminiſtrationem, ordinariæ diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, & Sedi Apoſtolicæ, quoad ſibi reſervata ſubjectos eſſe: & conceſſa licentia à Prælato, quoad articulum eligendi confeſſarium, & abſolvendi à reſervatis id habetur.

133. Quoad secundum sensum, nempe: An sufficiat licentia tacita Prælati, ut Regularis possit, virtute Bullæ, eligere confessarium, & absolvi à reservatis? Negat, ut probabilius, Ludovic. à Cruce *ubi supra*; & in confirmationem hujus negationis affert Breve Leonis X. quod requirit hanc licentiam expressam; pro eâdem sententiâ stant aliqui apud Leand. statim citandum, qui etiam illam probabilem judicat.

134. Dicendum tamen probabilius sufficere licentiam tacitam Prælati ad prædictos effectus, ex Const. Clementis, & Urbani VIII. Ratio est quia licentia tacita, de quâ loquimur, dupliciter obtineri potest à Prælato; primò quando sciens, & videns subditum illâ utentem facultate, concurrit aliquo medio necessario, quo ostendit, se concedere eam facultatem subdito, & hoc liberè, & non coactè. Secundò, quando Prælatus videt subditum utentem prædictâ facultate, & cum facilè illum possit impedire, non impedit. In his ergo eventibus censetur licentia tacita concessa à Prælato ad illos effectus eligendi confessarium, & ut absolvatur, virtute Bullæ, à reservatis; quia licentia sic concessa dat jurisdictionem, ut diximus *supra disp.* 14. *sect.* 12. & tenet. Soar. *de panit. disp.* 27. *sect.* 4. *n.* 15. Cardin. de Lug. *ibidem disp.* 19. *n.* 23. & alii communiter.

135. Advertendum tamen est cum Bardi mox citando: Ad hoc, ut hæc licentia censeatur concessa, duo esse necessaria: Primum, indicia debere esse moraliter certa de concessione Prælati; nam si sint dubia, aut probabilia non sufficiunt: Nam cum illo dubio, aut probabilitate, potest non esse voluntas superioris ad eam concessionem. Secundum; hanc licentiam debere esse sensibilem, & talem, ut sit ostensiva voluntatis superioris. Hanc sententiam tenent Henriq. *l.* 6. *de panit. cap.* 16. *litt. P. & L.* 7. *cap.* 22. *n.* 4. *& in Gloss. litt. X.* & apud ipsum, alii doctissimi viri ex Dominicanâ, Franciscanâ, & Augustinianâ familiâ Rodrig. *in Bullam* §. 9. *n.* 25. Trullench. *ibidem l.* 1. §. 7. *cap.* 1. *dub.* 9. 28. Bardi *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 5. *n.* 116. Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 12. *q.* 59. & id probabile dicunt apud ipsum Ludovic. à Cruce. Thom. Hurt. Candid. & Cardin de Lug.

136. Dixi, *ex Const. Clementis VIII. & Urbani VIII.* quia ex illis non colligitur, requiri licentiam expressam, quamvis Ludovic. à Cruce, *ubi supra* id ex Const. Urbani colligat. At ex Const. Gregorii XIII. pro Societate JESU, editâ 3. Maii anno 1575. quæ habetur in libro litterarum Apostolicarum pro Societate vol. 141. & refertur in nostro compendio privilegiorum *Verb. Absolutio* §. 11. constat requiri expressam licentiam. Et idem asserit Ludovic. à Cruce *ubi supra*, de Religionibus S. Bernardi, Minorum observantiæ, & Societatis JESU, fortasse motus, quia in illis Religionibus extat simile aliquod decretum Pontificium.

SECTIO XI.

An Moniales possint, virtute Bullæ Cruciatæ, eligere confessarium, & à reservatis absolvi.

137. Disput. 2. *à n.* 42. diximus, Moniales posse validè gaudere, quoad alia Bullæ privilegia, absque suorum Prælatorum Licentiâ: Nunc inquirimus: An etiam absque eâ licentiâ possint Bullam sumere, ut eligant confessarium, & ut à reservatis absolvantur? Et certum est primò, non posse Moniales, sive exemptas, sive non exemptas eligere confessarium, utcumque ab ordinario loci approbatum, sed debet esse ab ordinario approbatus pro ipsis Monialibus eâ formâ, & modo quo diximus *disp.* 14. *sect.* 21. his præmissis.

138. Quoad articulum eligendi confessarium, utendum est nobis distinctione: Nam vel sunt exemptæ ab Ordinario, vel illi subjacent: Si sint exemptæ, quæ circa Regulares *sect.* 4. *& sequentibus* resolvimus, etiam de illis intelliguntur; nam declarationes Clementis, & Urbani VIII. de illis, sicut de Regularibus sine differentia loquuntur. Si verò Ordinario loci subjaceant Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 4. *singul.* 26. *n.* 2. existimat, absque facultate Ordinarii, posse illas virtute Bullæ, vel alterius similis privilegii à reservatis absolvi. Idem tenet Pellizar *tom.* 2. *tract.* 10. *cap.* 7. *n.* 4. & viri valdè docti ab eo consulti; fundatur tamen in Const. Clementis VIII. at idem etiam dicet attentâ Const. Urbani VIII. ut ex illius ratione colligitur. Moventur, quia erga has Moniales cessat finis præsentis prohibitionis, eo quòd electio confessarii cum facultate absolvendi à reservatis vergit in speciale detrimentum Religionis, ut insinuat Clemens in proœmio suæ Const. ibi: *Quod aliquando in speciale vergit Religionis detrimentum:* Sed hæ Moniales eximuntur à subjectione proprii Ordinis, & eadem habent reservata, quæ pro recto Diœcesis regimine reservantur: Ergo cùm suscipere Bullam, etiam quoad articulum eligendi confessarium pro reservatis, non vergat in damnum proprii ordinis, illam etiam quoad eum articulum possunt accipere.

139. Dicendum tamen probabilius non solùm Moniales Regularibus, sed etiam Episcopis subjectas repugnantibus illorum Prælatis, non posse, virtute Bullæ, eligere confessarium, qui eas absolvat à reservatis. Hujus ratio est, quia declarationes Clementis, & Urbani VIII. sine aliquâ distinctione, inquiunt; *moniales quantum ad Sacramentum panitentiæ, & confessionis administrationem, ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum, & sedi Apostolicæ, quoad sibi reservata subjectas esse:* Cùm ergo lex non distinguat inter exemptas, & non exemptas; & verba utrisque adaptentur in proprio sensu, nec nos distinguere debemus. Et ita sine eâ distinctione loquuntur authores, quos citant, & sequuntur Card. de Lug. *disp.* 20. *n.* 153. Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 12. *q.* 58. Accedit, Urbanum VIII. loqui de Monialibus quorumcumque ordinum: Ibi, *cum fratribus & Monialibus quorumcunque ordinum, locum minimè*

nimè habuisse, nec habere &c: Ergo omnes vult comprehendere, sive sint exemptæ, sive non.

140. Quæres tamen: An in iisdem declarationibus comprehendantur Moniales Militares, quæ professionem emittunt trium votorum Paupertatis, Castitatis conjugalis, & obedientiæ; quales in hac civitate sunt Moniales D. Benedicti de Avis *Vulgò da Encarnaçam* & S. Jacobi, *vulgò de Sanctos.* Respondeo, non comprehendi primò; quia Moniales Militares non veniunt nomine *Religiosarum* in odiosis: sed declarationes S. S. Pontificum, dum prohibent Religiosis uti Bullæ privilegiis, quoad electionem confessarii; & quoad absolutionem à reservatis, sunt odiosæ: Ergo illis declarationibus non comprehendentur. Major patet quia equites militarium ordinum in odiosis Nomine *Religiosorum* non veniunt, ut tradunt Rodrig. *q. q. regularib. tom.* 3. *q.* 51. *art.* 9. Ascan. Tambor. *de jur. Abbat. disp.* 17. *q.* 4. *in fine*, & alii, quos refert, & sequitur Barbos. *de appell.* 233. *n.* 4. ergo etiam non veniunt Moniales Militares, nam quod dicitur de Religiosis alicujus Ordinis extenditur ad Moniales ejusdem ordinis, juxta ea, quæ affert Quintanad. *tom. tract.* 4. *apendicis dubult. n.* 3.

141. Secundò, quia hæ Moniales sunt exemptæ ab ordinario, & Regularibus, & subduntur Serenissimo Principi, & Tribunali Conscientiæ, sed Const. S. S. Pontificum agunt de illis, quæ habent prælatos, quibus subduntur, quoad Sacramentum pœnitentiæ, & quoad absolutionem à reservatis, & non de Serenissimo Principe, & Tribunali Conscientiæ, qui nomine Prælatorum in his declarationibus non veniunt: Ergo.

142. Tertiò, quia hæ Moniales non habent casus reservatos, ut ab ipsis accepi, & de ordinibus militaribus id asserit Mend. *tom.* de Ordin. milit. *disquis.* 9. *n.* 72. Ergo deficit motivum prædictatum Const. nempe dispendium observantiæ Regularis. Alia vide *infra sect.* 13.

SECTIO XII.

An novitii, virtute Bullæ, possint eligere confessarium & absolvi à reservatis.

143. PRo parte negativâ aliqua sunt momenta: Primum, quia plures docent novitios, præsertim ordinum Mendicantium, non posse validè absolvi à reservatis, nisi à suo Prelato, vel ab alio de ejus licentiâ: Sic Peregrin. Laym. Vecchius Cordub. apud Dian. *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 4. Lamas *part.* 1. *Method. cap.* 5. §. 7. Idem sentit Bordon. *tom.* 1. *resol.* 28. *n.* 4. dum asserit, licentiam absolvendi novitios à reservatis, restringi illorum Magistro, Probant, *ex Const. Clementis VIII.* quæ incipit: *Cùm ad regularem*, edita anno 1603. & habetur apud Cherub. *tom.* 3. in ipsâ autem sic statuitur circa novitios: *Ipsi autem soli Magistro novitiorum confessiones audiendi cura committatur: Liceat tamen superiori locali, si ita expedire judicaverit, vel per se ipsum, vel per alium deputandum, semel, aut bis in anno eorundem novitiorum confessiones audire:* Ergo juxta mentem Pontificis, non est liberum novitiis, ut eligant confessarium: Ergo si habuerint reservata, per Bullam, juxta declarationes Clementis, & Urbani VIII. non poterunt eligere confessarium pro reservatis.

144. Secundum, quia ex Paulo V. in quâdam declaratione, vivæ vocis oraculo, pro congreg. S. Mariæ Tulensi, apud Peirin. *in Const.* 10. *Urbani VIII.* & Lezan. in *q. q. Regul. cap.* 18. *n.* 18. possunt superiores reservare casus, non solùm pro professis, sed etiam pro novitiis: Ergo si pro illis etiam reserventur, ut reservantur in aliquibus Religionibus, ut mox videbimus, non possunt eligere per Bullam confessarium, qui eos à reservatis absolvat, absque licentiâ Prælati.

145. Dicendum tamen est, posse novitios, virtute Bullæ, eligere confessarium, absque Licentiâ proprii Prælati, qui eos à reservatis absolvat. Ita Soar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 9. *l.* 2. *cap.* 16. *n.* 10. A Costa *q.* 107. *vers. Quares tandem fol.* 187. Fernand. Ledesm. Villal, quos adducit, & sequitur Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 15. *malè cit.* 3. *part. tract.* 2. *resol.* 4. *& part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 5. à Bard. *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 5. *n.* 143. quia in his locis nihil de hâc quæstione, sed de aliâ; nempe quod novitii possunt absolvi independenter à Bulla à quovis confessario, sicut alii sæculares. Tenent etiam nostrum assertum Mend. *disp.* 24. *à n.* 168. & apud illum Ludovic. à Cruce in Bull. *disp.* 1. *cap.* 1. *dub.* 14. Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 1. *dub.* 9. Idem Bardi *proximè cit.* & apud illum Rodrig. Henriq. Castr. Palao, quibus addo Avendum *in thesaur. Indic. tit.* 5. *n.* 342. Escobar. *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 29.

146. Ut autem hanc resolutionem probemus, prius examinanda est alia quæstio, nempe: An novitii subjaceant casibus in Religione reservatis. Prima opinio asserit, non subjacere. Ita Dian. *part.* 1. *tract.* 6. *resol.* 27. *& part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 4. *& part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 5, cum Fay Villal. Mirand. Azor. Veg. Ugolin Belleoch. Curiol. Floron. Nald. Sâ Joann. à Cruce, & Ledesm. quibus accedunt. Hurt. *disp.* 11. *de panis difficult.* 7. Basæus *Verb. casus reservatus n.* 41. Tambor. *de jure Abbat. tom.* 2. *disp.* 13. *q.* 5. Bauny *tom.* 1. *tract.* 4. *q.* 21. Castr. Palao *tom.* 3. *tract.* 16. *disp.* 1. *punct.* 10. *n.* 9. Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 12. *q.* 64. cum Lopes Molfes. Candid. Lubin Mendo *disp.* 24. *n.* 169. *in principio*; at post medium asserit, posse Prælatos illis reservare casus, & positâ reservatione, non posse ab illis absolvi, nisi ab habente facultatem. Addit tamen Castr. Pallao ex Soar. novitios ita esse exemptos à jurisdictione Episcopi, & Parochorum, ut ab illis non possint absolvi; quia Religonis exemptio etiam novitios comprehendit. Probant ergo novitios non subjacere casibus in Religione reservatis; quia novitii non subduntur statutis regulæ, nec reservatio illos comprehendit: Ergo cum non sint verè Religiosi, possunt cuicumque confiteri, & ab illo absolvi.

147. Secunda opinio tenet subdi reservatis in religione; ita præter *citatos n.* 143. docent Joan. Andr. Graff. Lopus, Segism. quos referunt, & sequuntur Bordon. *ibi citat.* Soar. Lusit *de panis. tract.* 7. *n.* 77. cum pluribus. Probatur, quia novitii, quoad sacramentum confessionis, & alia sacramenta necessaria, subduntur Prælatis Religionis, juxta *cap. Omnis utriusque sexus, de panit. & remiss. & cap. Ad Apostolicam, de decimis*; non enim subduntur Episcopis; & alicui Ordinario debent subdi: Ergo subduntur Religionis Prælatis. Et si Episcopi, illis in sæculo poterant reservare aliqua peccata gravia, & enormia etiam in Religione Prælati poterunt illis peccata reservare: Nam Prælati etiam erga novitios habent jurisdictionem,

quasi

quasi Episcopalem, ut inquit Less. *l.* 2. *cap.* 40. *n.* 107. Antecedens patet, consequentia stabilitur; quia quicunque habet potestatem ordinariam, potest sacerdoti subdito, facultatem absolvendi subditos, limitatam, & restrictam concedere: Ergo si Prælatus limitatam concedat, non poterit confessarius, eam exercere circa ea, quæ reservantur.

148. Tertia opinio sit eorum, qui defendunt, reservationem habere posse locum pro novitiis, si ad illos extendatur, & valdè conveniens esse potest, ut ad illos extendatur, ut docet cum Cordub. Umberto, Moysio Turrian. Soar. Vasq. Laym. Mend. Avendan. *cit. in Thesaur. Indic. tit.* 5. *n.* 341. Probatur, ut proximè, secunda opinio, ex omnimoda exemptione, quam habent novitii ab Episcopis, & omnimodâ subjectione, quam habent erga Religionis Prælatos, quoad Sacramenta necessaria.

149. Ex his sententiis prima mihi videtur improbabilis, non obstante, quòd Dian. *locis citatis* illam appellet communem, & *part.* 4. *loco citato* dicat, se angi, in rebus adeo claris tempus conterere, existimans esse certam eam opinionem. Secunda opinio est probabilissima; & in Societate JESU sustinenda, ex decreto R. P. N. Generalis Aquavivæ, qui anno 1614. Maii. 9. per litteras encyclicas, id est circulares, ut vulgò dicitur, prohibuit nostris, ne primam opinionem ullo modo defendant, quoad novitios ipsius Societatis, eamque ullatenus consulant, ut videre est apud Mizar. *tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 6. *n.* 31. In cujus confirmationem adduci poterat concessio facta à Paulo V. de qua Peirinis *supra n.* 144. si non esset vivæ vocis oraculum, quod sublatum est à Gregorio XV. & Urbano VIII. in generali revocatione vivæ vocis Oraculorum.

150. Roboratur tamen à regul. 7. Magistri novitiorum pro nostrâ Societate JESU, quæ sic habet. *Habeat hic Magister Novitiorum potestatem ordinariam absolvendi à casibus reservatis Novitios, qui sub ipsius curâ degunt, nisi ejus superiori hæc facultas aliquâ de causâ restringenda videretur.* Sic cum Consilio doctissimorum fuit facta, ut observat Hurt. *ubi supra*; & ex dictis pro secunda opinione (quam judicio certam) constat, quantùm sit justissima.

151. Existimo tamen Prælatos Regulares non posse reservare casus, & censuras peculiares pro novitiis, stante Const. Clementis VIII. prohibentis ipsis Prælatis, ne extra Capitulum Generale aut Provinciale reservent casus pro Religionis subditis; quia prædicta constitutio edita in favorem subditorum Religiosorum, ut *supra notavimus num.* 10. sed novitii in favorabilibus veniunt nomine *Religiosorum*, ut omnes concedunt: ergo casus extra numeratos in Clementis Constit; vel extra consensum Capituli, pro illis reservari nequeunt, sicut nec pro aliis subditis. Sic Pellizar. *ubi supra n.* 32. Hac resoluta quæstione.

152. Restat, ut probemus, Novitios posse, absque licentia suorum superiorum, Bullam accipere, & virtute illius eligere confessarium, ut ab eo à reservatis absolvantur. Ratio est, quia ex una parte, Novitii comprehenduntur in prima Bullæ clausula, in qua comprehenduntur omnes fideles; & ex alia parte, non excipiuntur per Const. Clementis & Urbani VIII. declarantium in ipsa clausula Bullæ, non habere locum in Religiosis, quoad articulum eligendi confessarium, & absolvendi à reservatis; sed hæ declarationes, cùm sint odiosæ Religiosis, non comprehendunt Novitios, quia in odiosis non veniunt sub nomine Religiosorum, ut cum communi Doctorum tenet Barbos. *de Appell. utriusque juris Appell.* 233. *n.* 21 ergo, cum non excipiantur, per Bullam possunt eligere confessarium, qui eos à reservatis absolvat.

SECTIO XIII.

An Regulares Ordinum Militarium, virtute Bullæ, possint eligere confessarium, qui eos absolvat à reservatis?

153. PRima sententia est Mend. *in Bull. disp.* 24. *à n.* 170. *fol. mihi* 247. asserentis, Bullam non prodesse Regularibus Ordinum Militarium, quoad absolutionem à reservatis, si aliquo in iis ordinibus sint reservata: existimat enim in illis nulla esse reservata, ut accepit ab ipso, qui notitia statutorum conspicua eorundem ordinum pollebant. Idem autumat *tom. de Ordin. Milit. disquis.* 9. *n.* 72. & hoc loco asserit, posse horum ordinum collegas eligere confessarium, qui eos absolvat à non reservatis juxta suam opinionem de qua *supra n.* 101. nam à reservatis, cum illa non habeant, ad illorum absolutionem Cruciatâ non indigent. Probat tamen, illis non prodesse Bullam ad reservata, in casu, quo illa haberent; quia Const. Urbani VIII. loquitur de Regularibus ordinum Mendicantium, & non Mendicantium, etiam speciali nota dignis: sed Regulares ordinum Militarium sunt propriè & strictè Regulares, & excipiuntur in illa Const. prohibente usum Cruciatæ, quoad casus reservatos: ergo quoad absolutionem à reservatis, illis Bulla non prodest.

154. Secunda sententia tuetur, posse Regulares ordinum Militarium, virtute Bullæ, eligere confessarium, ut à reservatis absolvantur; sic Trullench. *in Bull. l.* 1. *§.* 1. *dub.* 7. *n.* 2. & id supponit *l.* 1. *§.* 7. *cap.* 1. *dub.* 9. *n.* 3. citans Rodrig. *in Bull. §.* 9. *n.* 24. Henriq. *l.* 7. *cap.* 22. *n.* 4. *litt. T.* Idem tenent Avend. *in Thesaur. Indic. tit.* 5. *Append. n.* 345. Escobar. *in Theol. moral. l.* 7. *n.* 30. dicens, posse dictos Regulares, sæcularium instar, Bullæ privilegiis gaudere. Probant, non tamen eodem fundamento; nam Trullench. id probat ex Bullâ Hispanâ, in qua Regulares excluduntur à privilegio vescendi ovis, & lacticiniis, non tamen si sint ordinis Militaris. Sed rectè impugnatur à Mend. & Avendan. Quia ex eo, quòd excipiantur quoad ova, & lacticinia, non sequitur, quòd excipiantur quoad reservata; nam exceptio in uno casu, firmat regulam in contrarium, in alio casu; quam regulam non benè pro se affert Trullench.

155. Non rectè etiam pro hac sententia adducitur à Trullench. Henriq. quia nihil in speciali habet de ordinibus Militaribus, sed generaliter loquitur de non Mendicantibus, qui non comprehenduntur in Constit. Pontificiis. Quod potuit dicere; eo quod scribebat septuaginta annis ante Constitutiones posteriorum Pontificum, qui in illis comprehenderunt Mendicantes, & non Mendicantes. Et hoc poterat advertere Doctus Trullench, eo quòd scribebat post ultimas Constitutiones, & non citare pro hac sententia Henriq. qui ante illas scribebat.

156. Pro-

156. Probatur ergo hæc secunda sententia; quia Const. declarantes, & prohibentes Regularibus eligere confessarium, virtute Bullæ, ut à reservatis absolvantur, fuerunt inductæ ob instantiam Religionum Mendicantium, & Monachalium, ut colligitur ex iis, quæ affert Bassæus *Verb. Casus reservatus num.* 36. *Vers. Et Licet.* Trullench. *citat. dict. dub* 9. *num.* 6. & pro ordinibus Militaribus nihil tale occurrit: ergo ad hos ordines non videntur extendi ex declarationes, & prohibitiones.

157. Ut tamen dicam, quod sentio in hac quæstione. Advertendum est primò, Regulares ordinum Militarium, vel esse propriè & strictè Religiosos, quales sunt primò, Religiosi Ordinis Christi, quos in hoc Regno appellamus, *de Thomar.* Secundò, Clerici fratres militares viventes in conventibus subjecti suo Priori; ut sunt in hoc Regno commorantes in conventibus Avisii, & Palmellæ; Tertiò Equites verè, & strictè Religiosi, quales sunt Melitenses; quamvis non esse verè Religiosos, ut probabile docent Marcus Vidal. *in Arca Theol. moralis tit. de judic. Inquisit.* 4. *n.* 24. cum Joann. Andr. Greg. Lopes Barthol. Bald. Alexand. Azor, Abbat. Sylvestr. Armill. & aliis apud Dian. *part.* 11. *tract.* 4. *resol.* 33. quæ sententia improbabilis judicatur. Quartò Equites, qui non sunt strictè, & propriè Religiosi; eo quod in suâ professione non emittunt Castitatem absolutam, sed tantùm conjugalem: ut Equites Christi, Avisii, & D. Jacobi, in Lusitaniâ; & in Castellâ, & aliis in Regnis, non pauci.

158. Advertendum secundò, ex numeratis; aliquos quoad receptionem Sacramentorum dependere ab ordinariis locorum ex praxi, & consuetudine; ut sunt Equites Avisii, & D. Jacobi in Lusitaniâ, & alii in aliis Regnis; nec non Melitenses; nam verius est ex consuetudine dependere, quoad receptionem Sacramentorum ab ordinariis locorum, juxta ea, quæ diximus *disp.* 14. *sect.* 20. & præter D. D. ibi citatos, tenet *Summ. novissima Diana. Verb. Regulares n.* 1. licèt non pauci doceant sufficere, quòd sint approbati à superiore sui Ordinis, apud Barbos. *in Collect. ad Trident. sess.* 23. *cap.* 15. *de Reformat. n.* 10. Alii non dependent quoad receptionem Sacramentorum ab ordinariis locorum; nec ex ipso jure, nec consuetudine; ut ex numeratis sunt Religiosi Ordinis Christi, vulgò *de Thomar*, & Fratres clerici commorantes in conventibus Avisii, & Palmellæ, ac similes. His animadversis.

159. Dico primò, Religiosi Ordinis Christi, vulgò *de Thomar* comprehenduntur in Constit. Urbani VIII. & juxta illam, non possunt, virtute Bullæ, eligere confessarium ab ordinario approbatum, ut à reservatis absolvantur: Hæc assertio est juxta doctrinam Mend. *supra cit.* docentis, Bullam non prodesse Regularibus ordinum Militarium, quoad electionem confessarii ad absolvenda reservata; est contra Trullench. & Avendan. dum absolutè, & sine distinctione, asserunt oppositum. Probatur tamen nostra assertio, quia Urbanus VIII. in suâ Constit. loquitur de omnibus Regularibus, tam Mendicantibus, quàm non Mendicantibus: sed prædicti Regulares sunt propriè, & strictè Religiosi non Mendicantes: ergo sine licentia suorum Prælatorum non possunt, virtute Bullæ, eligere confessarium, à quo absolvantur à reservatis.

160. Dico secundò: Probabile est, Fratres clericos commorantes in conventibus Avisii, Palmellæ, & in aliis similibus conventibus, non comprehendi in Const. Urbani VIII. ac proinde absque licentia suorum Prælatorum posse eligere confessarium, ut per eum à reservatis absolvantur; tam quoad reservata, quæ in ipso Ordine Avisio habentur *in Libro de Regul. & de finit. cap.* 42. (Fratres enim Palmellenses suis superioribus reservata non habent) quàm quoad S. Pontifici reservata in Bulla non excepta. Hæc resolutio est contra primam sententiam, videtur tamen doceri à secunda, ut ratio pro ea adducta probat. Adverto tamen, si in eo Ordine de Avis Fratres consuetudinem non habent, dum in clausura degunt, sumendi Bullam absque licentiâ Prioris Majoris quoad reservata, illâ consuetudine standum esse: at cùm extra clausuram degunt, Bullam absque eâ licentia, etiam quoad reservata possunt sumere ut praxis obtinet.

161. Dico tertiò: Probabilius est, non posse prædictos Fratres clericos absque licentiâ suorum Prælatorum eligere confessarium, ut absolvantur à reservatis. Hæc conclusio est conformis primæ sententiæ, & defenditur etiam ab eodem Mend. *tom. de Ordin. Militaribus disquis.* 12. *n.* 93. Videtur tamen esse contra secundam sententiam. Ratio est *supra posita n.* 153. *in fine.*

162. Nec fundamentum secundæ sententiæ oppositum suadet; quia Const. Urbani VIII. non ad instantiam Religionum Mendicantium, & Monachalium fuit edita; sed motu proprio, & ex certâ scientiâ, ut ibi dicitur; quæ autem motu proprio eduntur, non dicuntur ob instantiam alicujus; sed nemine petente concedi, seu edi; ut patet *ex cap. Motu proprio, de prabend. in* 6. & docent Gram. *decis.* 605. *n.* 31. Menoch. *cons.* 255. *n.* 40. *Glorios. resp.* 1. *part.* 2. *n.* 36. apud Barbos. *de clausul.* 79. *n.* 2. Et quamvis dicta Constit. fuisset ob instantiam Mendicantium, & Monachalium edita; idem operatur, ac si ab illorum instantia edita non fuisset; ut tenent plures, apud eundem Barbos. *n.* 7. & 8.

163. Dico quartò: Equites Melitenses, quamvis sint propriè, & strictè Religiosi, non comprehenduntur in Constit. Urbani VIII. Quare possunt absque licentiâ suorum Prælatorum, virtute Bullæ, eligere confessarium, ut à reservatis Episcopo, cui ex praxi, & consuetudine quoad Sacramentum confessionis subduntur, & ab aliis non exceptis, S. Pontifici reservatis absolvantur. Ratio est primò; quia non suis superioribus, sed Episcopis ex consuetudine subjiciuntur, quoad receptionem Sacramentorum; & in sæculo vivunt more sæcularium, peccatorum implicati occasionibus; nec in illis dispendium observantiæ Regularis consideratur; quod fuit motivum ad Const. prædictam: ergo illos Pontificum Constit. non comprehendunt.

164. Dico quintò: Equites Christi, Avisii, S. Jacobi, & similium Ordinum Militarium possunt eligere confessarium, ut virtute Bullæ à reservatis absolvantur. Hæc ab omnibus admittitur, & expressè traditur à Mend. *in tom. de Ordinarium Milit. loco citat.* à Avendan. & aliis citat. etiam in opinione docente esse verè Religiosos. Ostenditur ratione proximè, pro Melitensibus. Deinde; quia *Religiosorum* appellatione propriè, & strictè loquendo, non veniunt

Militarium Ordinum Equites in odiosis, sed solùm in favorabilibus; ut tenet cum communi D. D. Barbos. *de Appell. utriusque juris Appell.* 233. *num.* 4. Sed Const. Clementis VIII. Urbani VIII. & aliorum Pontificum prohibentes Bullam Regularibus, quoad articulum eligendi confessarium, & ut ab eo absolvantur à reservatis, sunt odiosæ: ergo in illis Equites Christi &c. non comprehunduntur.

DISPUTATIO XXI.

De privilegio commutandi vota in Bullâ concesso.

1. EX positis, quæ ad reservata pertinebant, Ordine Bullæ Latinæ, sequitur privilegium commutandi vota; quod his verbis conceditur: *Ac vota quæcunque (ultramarino, Castitatis, & Religiosis votis duntaxat exceptis) in salvationem prædictam commutare licitè possit.* Quæ verba sic vertit Commissarius in Bullæ summario. *Epodera odita Confessor, commutarihe licitamente quaesquar votos em ajuda, esmola dadita sustenta, eam dos ditos lugares de Africa, tirando os votos de Hierusalem, Castidade, e Religiam.* Idem privilegium datur in Bullâ Hispanâ cum aliquo tamen discrimine, ut videbimus *section.* 13. aliqua ad hujus explicationem sunt præmittenda: summariè verò restringenda.

SECTIO I.

Aliqua de Voto præmittuntur.

2. DIco primò: Votum definitur: *Est promissio deliberata, & spontanea Deo facta de meliori bono.* Hanc definitionem explicat doctè Marcus Paulus Leone *in praxi Pœnitentiariæ part.* 1. *fol.* 11. *vers. Votum, & seqq.* Potest dari absque ullis verbis, & signis externis; in quo, præter alia differt à promissione homini facta, quæ semper debet esse per verba, & signa externa. Sic Sanch. *lib.* 4. *decal. cap.* 1. *num.* 44. Castr. Palao *tom.* 3. *tract.* 15. *disp.* 1. *punct.* 1. *n.* 3. Quinque ad illius valorem requiruntur conditiones. Prima, deliberatio, seu libertas. Secunda, propositum, seu voluntas promittendi. Tertia, promissio sub obligatione. Quarta, ut promissio fiat Deo; Quinta, ut fiat de meliori bono. Sic Tambor. *l.* 3. *decal. cap.* 9. *num.* 1. Ad votum ea requiritur deliberatio, seu libertas, quæ ad peccatum mortale sufficit. Ita Soar. Sanch. Molin. apud Laym. *l.* 4. *tract.* 4. *cap.* 1. *n.* 3. Castr. Palaus Tambor. Prado, apud Leand. *tom.* 7. *tract.* 2. *disp.* 1. *q.* 9.

3. Dico secundò: Votum emissum ex gravi metu à causâ extrinsecâ injustè incusso, est invalidum; non tamen juramentum. Constat *ex cap.* 1. *de his, quæ vi.* Sanch. *l.* 3. *decal. cap.* 11. Leand. *tom.* 7. *tract.* 1. *disp.* 10. *q.* 3. & alii: Si verò emittatur ex gravi metu causa intrinseca illato, ut à morbo, ferâ, naufragio, est validum. Ita Sanch. *lib.* 4. *decal. cap.* 3. *num.* 4. Soar. *tom.* 2. *de Religion. lib.* 1. *de voto cap.* 7. *n.* 3. dicens, esse rem certam, & communem Filliuc. *tract.* 36. *cap.* 1. *q.* 3. *num.* 13. Leand. *dict. tom.* 7. *tract.* 1. *disp.* 46. *q.* 2.

4. Dico tertiò: Si quis dubitet, an votum emiserit, illo non tenetur. Sic Rebell. Fagund. Avil. & alii apud Dian. *part.* 2. *tract.* 17. *resol.* 45. & *part.* 5. *tract.* 3. *resol.* 10. Galleg. Marin. Soto, & alii apud Leand. *citat. disp.* 43. *q.* 1. Ratio est, quia possessio stat pro libertate: Si tamen certus sit, se vovisse, dubitat tamen, an sufficienti deliberatione, votò tenetur, quia pro voto stat possessio. Sic Bonacin. *tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 1. *num.* 3. Soar. *lib.* 4. *de voto cap.* 6. *num.* 10. Vide Leand. *citat. disp.* 43. *q.* 15.

5. Dico quartò: Vovere aliquam rem Deo gratam, sine animo vovendi, est peccatum mortale. Ratio est, quia jurare falsum, sine animo jurandi, sive cum causa, sive sine illa, est peccatum mortale. Ut tenent Castr. Palao *tom.* 3. *tract.* 14. *disp.* 1. *punct.* 8. *num.* 4. Leand. *tom.* 7. *disp.* 44. *q.* 2. & 3. & alii: ergo etiam, qui vovet rem Deo gratam, sine animo vovendi, sive cum causa, sive sine illa, peccat mortaliter; quia gravis irreverentia fit Deo: Hæc tamen propositio non est damnata ab Innocentio XI. in sua Const. 4. Martii 1679. sæpius in hoc opere allata, quia ibi solùm damnatur hæc propositio: *Cum causa licitum est jurare, sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis*: estque 25. ex damnatis: non tamen damnatur hæc: *Vovere sine animo vovendi.* Si tamen sumatur in sensu damnatæ, potest censeri damnata; quia votum, eodem modo procedit, quo juramentum promissorium; cum tamen damnatio sit odiosa, non est extendenda ultra verba. *Vide supra disp.* 18. *num.* 216. & *seqq.* Si quis tamen dum vovet, habeat animum promittendi, non tamen se obligandi; non manere obligatum, existimant D. D. communiter apud Leand. *proximè q.* 3. Oppositum tamen judico probabilius; quia verè, & expressè habuit animum vovendi: sed una ex conditionibus voti est obligatio, ut diximus *supra num.* 2. ergo si expressè, & verè vovet, manet obligatus. Sic Prado Sotus, & alii apud Leand. *citat.*

6. Dico quintò: Quamvis violatio voti, ex genere suo, sit mortalis; ut docent omnes cum D. Thom. *in* 4. *dist.* 38. *q.* 1. *art.* 3. Soar. *tom.* 2. *de Relig. lib.* 5. *de vot. cap.* 4. ex levitate materiæ erit Venialis; ut tenet idem Soar. *citat. dict. cap.* 4. *num.* 5. Leander *supra tract.* 2. *disp.* 4. *q.* 6. & hoc procedit, etiamsi vovens intentionem habeat se obligandi sub peccato mortali. Sic Sanch. *lib.* 1. *decal. cap.* 4. *num.* 4. & *lib.* 4. *cap.* 12. *num.* 6. Mend. *in Bull. disp.* 26. *num.* 9.

7. Dico sextò: Materia voti debet esse melior, quàm opposita. Unde non est apta materia, quæ est opposita Consiliis Evangelicis; nisi ex aliqua circumstantia reddatur melior, respectu alicujus voventis; ut dicitur de voto nubendi. Sic ex D. Thom. Prado apud Leand. *tract.* 2. *disp.* 4. *q.* 38. Mend. *proximè. num.* 6. Nec etiam est materia apta voti illa, quæ est indifferens. Sanch. *lib.* 4. *decal. cap.* 7. *num.* 2. Si tamen ob aliquam cir-

ta, etiam si sint Castitatis, & Religionis; & non solùm Pater potest hæc vota directè irrita reddere; dum filius impubertatem retinet; sed etiam quocumque tempore, post adeptam pubertatem; dummodo post pubertatem non sint ratificata; quia votum, quod à principio fuit infirmum, & irritabile, semper retinet eam infirmitatem, & irritabilitatem. Ita cum Cajet. Sanch. Less. Soar. Valent. & Bonac. Castr. Palao *cit. disp. 2. punct. 3. §. 3. n. 5.* Item potest Pater irritare aliqua vota filiorum puberum, si sint sub patriâ potestate: nempe illa vota, quæ suæ gubernationi, aut administrationi præjudicant; ut votum longæ absentiæ, seu diuturnæ peregrinationis, votum nimiæ abstinentiæ, seu multorum jejuniorum, & tot precum, & orationum, quibus impeditur domus gubernatio. Non potest tamen irritare hæc vota filiorum puberum; nempe, votum Castitatis, Religionis, suscipiendi Ordines, nec votum frequentandi Sacramenta confessionis, & communionis, moderatæ orationis, aut abstinentiæ, aut de rebus aliàs præceptis, ut audiendi missam diebus festis, aut similia. Sic docent D. D. communiter: Vide Soar. *l. 6. de voto cap. 5. à n. 4.* Tambor. *l. 3. decal. cap. 16. §. 3. n. 11.* Leand. *tom. 7. tract. 1. disp. 16. à q. 81.* Quando autem filius egrediatur à patria potestate, vide *disp. 5. sect. 6.*

26. Quæres quartò: Quænam vota pupillorum, aut minorum possit tutor, aut curator irritare? Respondeo, tutorem posse omnia irritare, quæ potest Pater. Sic Fagund. *in 2. decal. præcept. l. 2. cap. 33. n. 11.* & omnes. Idem dicendum de curatore, quoad vota realia, & mixta puberum minorum. Ita Sanch. *l. 4. de cal. cap. 35. n. 61.* & alii.

27. Quæres quintò? Quænam vota filiorum possit mater irritare? Respondeo vivente patre, vel longè distante, vel eo mortuo, si existat avus, tutor, aut curator filiorum, nihil posse matrem erga votorum irritationem: at si filii omnibus his destituuntur, succedit mater; & illa deficiente, avia, quia vel ipsa mater tunc est tutrix, vel loco tutoris filium gubernat, ut suppono. Vide Leand. *ubi supra à q. 108.* Tambor. *citat. à n. 21.* Adverte tamen, licèt pater possit irritare vota filii, quæ fuerunt emissa tempore impubertatis, post annos longissimos, etiam post emancipationem: mater tamen & curator solùm possunt usque ad annum vigesimum quintum: tutor verò usque ad decimum quartum: quia vota impuberis censentur facta sub conditione: *si pater non contradicat*, & pater etiam post emancipationem remanet pater: at mater, tutor, & curator cùm substituuntur, illa possunt irritare. Quia pro illo tantùm tutores, aut curatores sunt. Sic Tambor. *supra dict. cap. 16. §. 3. n. 24.* Leand. *tom. 7. tract. 1. disp. 16. q. 125.*

28. Quæres sextò: Quænam vota uxorum possint mariti irritare? Respondeo, probabile esse, posse omnia irritare, quæ constante matrimonio uxores emiserunt: quia voluntas uxoris subditur marito, sicut voluntas impuberis patri, & Religiosi Prælato: ergo sicut hic potest omnia vota irritare, ita etiam maritus. Ita Villal. *tom. 2. tract. 34. diff. 21.* & alii, quos refert, & sequitur Dian. *3. part tract. 4. resol. 220. & part. 4. tract. 4. resol. 110.* Probabile tamen est, uxorem solùm subdi marito in illis actionibus personalibus, quæ usum matrimonii, educationem prolis, & domesticam gubernationem impediunt & non in aliis; ac proinde illa, in quibus subditur, potest maritus irritare, & non alia. Ita Soar. *tom. 2. de relig. l. 3. de voto cap. 6. n. 26. & l. 6. cap. 4. n. 2.* & alii non pauci.

29. Quæres septimò: Quænam vota mariti possit uxor irritare? Respondeo, probabilius esse, posse irritare omnia vota mariti constante matrimonio emissa, quæ ipsi uxori sunt præjudicativa: ut longæ peregrinationis, etiam Hierosolymitanæ causâ devotionis, & non in subsidium; Castitatis, immoderatæ eleemosynæ, in damnum familiæ, & jejuniorum, mutationis habitus sæcularis in eremitam, & similium; quia hæc sunt uxori nociva, & præjudicativa. Sic Castr. Palao *tom. 4. tract. 15. disp. 2. de voto punct. 6. n. 9.* Less. *l. 2. cap. 40. dub. 15. n. 98.* & alii apud Leand. *ubi supra disp. 16. q. 140.*

30. Quæres octavò: Quænam vota servorum possit dominus irritare? Respondeo, posse tantùm ea, quæ suo servitio præjudicant; ut vota longæ peregrinationis, & alia similia præjudicantia domini servitio; quia servi, quoad dominicam potestatem, in hoc tantùm dominis subduntur. Sic cum pluribus Dian. *part. 7. tract. 7. resol. 27.* Leand. *q. 151.* Tamborin. *l. 3. decal. cap. 16. §. 3. n. 45.*

31. Octavò cessat votum per commutationem; sed quia hic est scopus, in quem hæc summariè collimavimus, operæ pretium postulat, ut alio examine, quæ ad illam pertinent, exponamus.

SECTIO III.

Quænam sint considerandæ in votorum commutatione?

32. COmmutare nihil aliud est, *quàm unum pro alio mutare.* Inde est, voti commutationem nihil aliud esse, quàm materiam unius voti, in aliam materiam æqualem mutare; ita ut votum maneat, non tamen eadem materia prioris voti commutatio fiat ab unâ ad aliam materiam æqualem, certa regula præscribi non potest, eo quòd innumera sint vota cum innumeris circunstantiis concurrentibus; ut communiter advertunt D. D. *infra citandi.* Ab illis diversæ regulæ afferuntur, quas ad novem reducit Sanch. *l. 4. cap. 56. per totum*; & ad tres duntaxat Bardi *part. 2. tract. 7. cap. 3. n. 2.* Ego tamen illas ad quatuor reducam: nempa materiam, finem, naturam voti emissi, necnon ad difficultatem, & onus implendi rem promissam, & subrogatam.

33. Primum, quod in commutatione voti venit considerandum, est gravitas materiæ voti, & non vinculum ipsius voti. Ratio est, quia in commutatione voti non tollitur vinculum voti, quod semper remanet; & solùm tollitur materia, & transfertur in aliam loco illius subrogatam. Sic Sanch. *l. 4. decal. cap. 56. n. 2.* Tamborin. *l. 3. decal. cap. 16. §. 6. n. 2.* Leand. *tom. 7. disp. 18. q. 33.* Escobar. *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 317.* & alii, quos citant.

34. Ex hoc sequitur, minorem materiam esse subrogandam, quando commutatio voti sit ex materiâ debitâ ex præcepto, in aliam materiam ex præcepto non debitam: quia vovens non eximitur ab obligatione materiæ, de quâ erat votum. Unde votum non fornicandi, audiendi missam in die festo, minori indiget commutatione; quàm si

materia non esset debita ex præcepto. Escobar *proximè n.* 318.

35. Considerandum tamen est primò: An illud votum, v. g. non fornicandi, superadditum præcepto, valde arceat à peccato, aut nihil? Si hoc secundum, quia vovens eodem modo labitur in fornicationes, ac si non haberet votum; tunc minor erit commutatio; si primum, major. Quia obligatio voti in majus obsequium Dei resultat. Sic Sanch. *cit. n.* 3. Bardi *dict. cap.* 3. *n.* 7. & alii.

36. Secundò considerandus est finis, ad quem votum emissum fuit ordinatum: Unde si quis vovit jejunium in cultum Dei, B. Virginis, aut alicujus Sancti, commutari potest in preces, quæ ad eundem finem conducunt: si verò vovit jejunium ad domandas carnes, non benè ejus loco subrogantur preces, licèt sint actus præstantioris virtutis; quia ad finem macerandi corpus non sunt ita proportionatæ, sicut jejunium. Deinde, si quis vovit eleemosynam ad evitandam avaritiam; non benè commutatur hoc votum in orationes; licèt sit opus excellentius: est ergo facienda commutatio in id, quod est melius ipsi voventi hîc, & nunc, seu pro loco, tempore, seu dispositione ipsius; & sic jejunii votum ad domandas carnes, commutari debet in aliqua pœnitentiæ opera: v. g. cilicia, flagellationem, preces recitandas flexis genibus; & Eleemosyna, in alia opera misericordiæ, ut visitare infirmos, & incarceratos. Sic Sanch. *dict. l.* 4. *cap.* 56 *n* 9. Soar. Azor Less. Sayr. Tambor; quos refert & sequitur Leand. *tom.* 7. *tract.* 1. *disp.* 18. *q.* 34. quibus addo Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 3. *n.* 3. Escob. *super cit. n.* 321.

37. Et non solùm considerandus est finis à vovente intentus ad qualitatem commutationis, quantùm fieri potest; sed etiam ad majorem, vel minorem quantitatem materiæ subrogatæ. Unde qui vovit non ludere, majori indiget commutatione, quando finis fuit vitandi blasphemias, & perjuria; quàm vitandi prodigam pecuniæ jacturam. Ita Sanch. *loco citato* Escobar. *n.* 322.

38. Adverte tamen cum communi D. D. prædicta non esse ita strictè, & rigorosè intelligenda, sed ut magis congrua, & convenientia. Unde poterit confessarius vota pœnitentis pœnalia, in alia commutare, quæ etsi carnem non macerant, maximè tamen conducunt ad finem obtinendum; & hæc sunt Sacramentorum frequentia, & oratio mentalis, si ea facile vovens acceptet. Ita Sanch. *cit. n.* 4. Regin. Clavis Reg. Less. & Bassæus, quos citat, & sequitur Leand. *proximè q.* 35.

39. Tertiò, consideranda est natura, & substantia voti: quæ multipliciter considerari potest. Primò, si votum sit reale, personale, aut mixtum. Et congruentius est, ut votum reale in reale, personale in personale & mixtum in mixtum commutetur; quia sic proportio servatur in commutatione. Hoc tamen dependere potest à circumstantiis; nam qui petit commutationem voti realis, ideo illam petit, quia vota realia non potest ad implere; quare licèt sit congruentius, quòd vota dicto modo commutentur, id tamen non est necessarium, & dummodo servetur æqualitas in commutatione, commutatio erit valida; etiam si votum reale commutetur in personale, & mixtum, vel in personale tantùm: & sic etiam personale in reale & in tegrum. Sic docent Soar. *tom.* 2. *de relig. l.* 6. *de voto cap.* 19. *n.* 16. Sanch. *l.* 4. *decal. cap* 56. *n.* 24. Tamborin. Bass. Trullench. & alii, quos adducit, & sequitur Leand. *dict. disp.* 18. *q.* 36. Idem docent Mend. *disp.* 16. *n.* 216. Escobar. *supra n.* 329.

40. Secundò, natura, & substantia voti considerari potest: Si votum sit perpetuum, melius est, ut commutatio fiat etiam in materiam perpetuam; ut sic vovens suæ antiquæ obligationis non obliviscatur: Quare si votum fuit ad annum, commutatio etiam per annum durabit. Sit Mart. Paulus Leon. 1. *part. vers. Non tamen sol. mihi* 136. Hoc tamen licèt congruentius, non est necessarium; quia si illa perpetuitas aut duratio temporis brevioris compensetur voti per materiam, quæ in commutatione subrogatur; commutatio valida erit. Sic Soar. *proximè n.* 21. Sanch. *cit. n.* 27. Mend. *n.* 212. Less. Henriq. Tamborin. Villal. Bassæus, quos affert, & sectatur Leand. *supra* 37.

41. Tertiò, si votum sit conditionale, aut pœnale, & commutatio petatur antè impletam conditionem; poterit hoc votum commutari in aliud æquale conditionale, aut pœnale: Poterit etiam commutari in absolutum; & sic poterit commutari in aliquid minus, & facilius: Quia dum conditio non ponitur; vovens non tenetur ad votum conditionatum: Si ergo commutetur in absolutum, jam ad illud tenetur: Ergo ut hæc obligatio jam existens adæquetur cum illâ voti conditionati, cujus conditio non est adhuc purificata, debet commutatio esse minor, ac si commutatio fiat in aliam materiam conditionatam, debet fieri in æqualem; aliàs non esset commutatio. Semper tamen consideranda est dubietas eventûs conditionis, & secundùm majorem, vel minorem incertitudinem conditionis; & juxta illam, regulanda est commutatio. Sic Escobar. *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 331. & 332. & apud illum Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 56. *n.* 30.

42. Si verò commutatio voti conditionati, vel pœnalis petatur post impletam conditionem; cùm votum jam sit absolutum, nulla ratio habendâ est de conditione, sed votum commutari debet in aliud æquale absolutum. Sic Escobar. *proximè n.* 333. & 334. cum Sanch. *dict. cap.* 6. *n.* 32. & 35. Idem sentiunt Bardi *cit. dict. cap.* 2. *n.* 5. & 6. Mend. *disp.* 26. *n.* 217.

43. In voto pœnali aliud considerandum est, v. g. in hoc: *Voveo non ludere, ut si luserò voveò eleemosynam*; & similibus; nam hoc votum partim est absolutum, & partim est conditionatum: *Voveo non ludere*, est votum absolutum; pœna verò, nempe: *Voveo, si luserò eleemosynam*, est votum conditionatum; & sic in commutatione hujus voti, semper attendenda est pœna simul cum voto (quidquid aliqui contradicant) quia gravius est votum non ludendi, quando refertur ad pœnam, nempe ad eleemosynam, quàm si ad illam non referatur; licèt pœna; nempe, erogatio Eleemosynæ, si adhuc non sit incursa, regulanda sit, ut votum conditionatum, ut in minus commutetur; totum verò votum pœnale commutabitur in majus. Sic Tamborin. *l.* 3. *decal. cap.* 16. §. 16. *n.* 9. Leand. *dict. disp.* 18. *q.* 51.

44. Quartò, si circa eandem rem duplex detur votum; nempe, votum ipsius rei promissæ, & votum non petendi commutationem; aut votum simul, & juramentum, tunc in commutatione habendus est respectus ad utrumque votum, ut materia subrogata utrique voto proportionetur. Sic Bardi *cit. n.* 8. Mend. *n.* 219.

45. Quintò votum non debet commutari in rem de præcepto aliàs debitam; quia nec additur nova ma-

circumstantiam materia voti reddatur bona, & honesta, erit materia voti. Soar. *cit. l. 2. de voto cap. 4. n. 5.* & omnes. Debet etiam materia voti esse possibilis: impossibilium enim nulla est obligatio. Sic D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. & alii communiter.

8. Dico septimò: Votum non peccandi mortaliter est validum. Castr. Palaus *tom.* 3. *tract.* 15. *disp.* 1. *punct.* 8. §. 1. *n.* 4. Idem de non peccando venialiter. Ita Soar. *cit. l.* 1. *cap.* 3. *n.* 16. contra plures, quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 7. *tract.* 1. *disp.* 9. *q.* 25. Affero tamen, hæc vota non esse consulenda. De voto non peccandi Lethaliter, id tenet cum Soar. Sanch. & aliis March. *Verb. Votum resol.* 446. *n.* 5. Castr. Palaus *cit.* Leand. *q.* 18. De voto non peccandi venialiter, cum Basilio Mend. *dict. disp.* 26. *n.* 7.

9. Dico octavò: Vovere facere aliquod peccatum mortale, est mortale contra Religionem. Sic Castr. Palao *supra disp.* 1. *punct.* 9. §. 3. *n.* 8. & omnes. Et vovere facere aliquod veniale, est veniale Sanch. *l.* 4. *cap.* 6. *n.* 9. dicens: votum faciendæ rei mortaliter malæ, cum proposito exequendi, est duplex mortale; & rei venialis, cum eodem proposito, est duplex veniale. Alii affirmant, esse mortale, facere votum exequendæ rei malæ venialiter. Vide Less. *lib.* 2. *de voto cap.* 4. *n.* 2. & 12. & *l.* 5. *cap.* 2. *à n.* 9. sed probabilius oppositum.

10. Dico nonò: Votum dividitur primò, in absolutum, purè conditionatum, & pœnale. Absolutum est, quod sine conditione omittitur. Purè conditionatum est, quod obligat posità conditione: ut voveo unum jejunium, si salutem obtinuero. Pœnale datur, quando quis rem promissam consequi volens, addit aliquam pœnam in delicti crimen; v. g. *Si lusero, voveo tantam eleemosynam elargiri.* Secundò dividitur votum in solemne, & simplex; solemne est, quod fit in publico, & ab Ecclesiâ acceptatur; simplex, quod privatim, etsi in publico; non tamen acceptatur. Tertiò dividitur in reale, personale, & mixtum. Reale est illud, quo promittitur aliquid æstimabile; quod non sit aliqua hominis actio. Personale, est ipsa actio, vel omissio actionis ad solam personam attinentis. Mixtum est, quando promittitur utrumque, & res pretio æstimabilis, & ipsa actio, aut omissio, v. g. peregrinatio simul, & eleemosyna. Aliæ voti divisiones videri possunt apud Tambor. *l.* 3. *decal. cap.* 9. Leand. *tom.* 7. *tract.* 2. *disp.* 2. *à q.* 1. Mend. *dict. disp.* 26. *n.* 9. Marcum Paulum Leon. *in praxi Pœnit. fol. mihi.* 13. *vers. Duo sunt, & seqq.*

SECTIO II.

Aliqua de cessatione voti præmittuntur.

11. Octo modis cessat obligatio voti. Primò, desitione materiæ; Secundò, interpretatione. Tertiò, notabili rei mutatione. Quartò, lapsu temporis. Quintò, remissione partis, in cujus favorem præstitum fuit. Sextò, dispensatione. Septimò, irritatione. Octavò, commutatione. De his omnibus dicendum per sequentes num: & de primis septem summariè tantùm.

12. Primò, cessat votum cessante materia: nam qui vovit dare eleemosynam quotidianam Petro pauperi: si Petrus dives fiat, cessat ejus eleemosynæ obligatio. Vel non ingredi talem domum, eo quòd ibi erat occatio peccandi; & mortua, vel aliò migratâ eâ occasione, cessat: sic ex Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 4. *de voto cap.* 18. *n.* 5. Bard. *tom.* 2. *de justitia cap.* 31. *q.* 13. §. 1. *n.* 9. At si materia cesset ex parte; obligatio voti ex parte cessat: nam qui vovit dare mille, & non potest nisi centum; tenetur ad centum. Sic Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 1. *n.* 1. Cessat etiam votum, si materia majoris boni votum impediat: ut si quis vovit ire Hierusalem, & postea voveat ingredi Religionem.

13. Secundo, cessat votum per interpretationem viri Docti declarantis, votum non obligare in illis circumstantiis, quia defuit deliberatio; vel fuit omissum ob metum cadentem in virum constantem; vel quia vovit jejunare una sexta feria, & in illa die non potest jejunare, propter impedimentum, quod prævidet; & non tenetur diem prævenire, jejunando die præcedente; quia sic declarans Doctus procedit juxta præcepti Ecclesiastici observationem. Qui enim prævidet die Dominica, non posse audire missam propter febrim, non tenetur prævenire, & die Sabbati missam audire.

14. Tertiò, cessat votum data notabili mutatione in re promissa; non sufficit tamen quæcunque mutatio. Sic Bonacin. *tom.* 2. *disp.* 4. *decal. q.* 2. *punct.* 7. §. 1. *à n.* 2. Unde non tenetur vovens factus senior Religionem ingredi, etiamsi Religioli eum recipere velint. Sic ex Sanch. Trullench. *l.* 2. *decal. cap.* 2. *dub.* 8. *n.* 4. Item non tenetur, intercedente periculo vitæ, honoris, aut alterius gravis nocumenti non prævisi, quando votum fuit emissum. At si tunc fuit prævisum, tenetur ad votum. Sic Bonacin. *cit. n.* 3. & 7. Castr. Palao *tom.* 3. *tract.* 15. *disp.* 1. *de voto punct.* 20. Leand. *tom.* 7. *tract.* 1. *disp.* 13. *q.* 8. Adverte tamen, quando subest dubium, an res promissa sit, vel non sit notabiliter mutata, semper standum est in favorem voti: quia excusatio dubia non tollit obligationem certam. Secus dicendum, si dubium sit, an res promissa in eo eventu sit bona, aut mala, saluti promittentis nociva, aut non: quia in his dubiis, cum dubium sit an sit, vel non sit offensa Dei, cessare debet votum. Ita Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 2. *n.* 34. & 52. Trullench. *ubi supra n.* 5. & alii.

15. Quartò, cessat votum, si tempus ad illud solvendum designatum, est elapsum. Unde qui emisit votum, v. g. jejunandi in honorem, seu devotionem alicujus temporis, vel diei; eo tempore, vel die elapso, non tenetur ad votum: at si sine temporis, vel diei intuitu, emisit votum, eo tempore, vel die elapsa, tenetur ad votum. Sic D. D. communiter Castr. Palao *ubi supra disp.* 1. *punct.* 14. *n.* 1. Bonacin. *cit. disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 5. §. 1. *n.* 6. Et qui vovit ingredi Religionem intra annum, & prævidet non posse in termino illius, propter impedimentum, votum implere; tenetur illum terminum prævenire; sicut qui tenetur intra annum, vel mensem confiteri, & prævidet habiturum esse impedimentum, ultimo mense illius anni, vel ultimis diebus illius mensis, tenetur tempus prævenire; quia præceptum Ecclesiæ obligat pro toto anno, & confessarii, pro toto mense; quandò in pœnitentia fuit imposita confessio mensirua. Sic Castr. Palao *cit. disp.* 1. *punct.* 13. *n.* 3. Soar. *l.* 4.

de voto cap. 14. *n.* 7. si verò non designetur tempus ad votum implendum; obligat quando primùm commodè, & sine notabili incommodo, aut data congrua oportunitate judicio prudentum, potest impleri: aliàs erit voti transgressor. Sic Valent. 2. 2. *disp.* 6. *q.* 6. *punct.* 4. *q.* 3. *in tertiâ circumstantiâ.* Navarr. *l.* 4. *de rest. cap.* 4. *n.* 2. Sanch. *lib.* 4. *decal. cap.* 14. *num.* 15. Leand. *uti supra disp.* 14. *q.* 4. Soar. Lusit. *de pœnit. tract.* 8. *num.* 92.

16. Quintò, cessat votum remissione partis, in cujus favorem emissum fuit. Unde qui vovit in Dei honorem rem aliquam, quæ tamen cedit in favorem alicujus personæ, cessat votum, si persona rem illam remittat. Ratio est, quia licèt votum sit emissum in honorem Dei, Deus illud recipit in partis utilitatem: ergo si pars illam utilitatem remittat, jam cessat illius voti obligatio. Ita Fagund. *l.* 2. *Secund. decal præcept. cap.* 32. *n.* 13. Prad. *tom.* 2. *inst. cap.* 32. *q.* 7. §. 3. *n.* 18. Leand. *tom.* 7. *tract.* 1. *disp.* 15. *q.* 10.

17. Sextò, cessat votum per dispensationem factam à Prælatis habentibus jurisdictionem spiritualem in foro externo. Sic Lessius *l.* 2. *cap.* 40. *dubit.* 12. *n.* 100. & omnes; & ex privilegio à Religiosis Mendicantibus, qui possunt omnia vota sæcularium non reservata Pontifici, dispensare. Sic Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 3. *per totum.* Quintanad. *tom.* 2. *tract.* 5. *singul.* 15. *n.* 5. & alii communiter.

18. Voti dispensatio est ablatio vinculi voti, facta nomine Dei, & propter aliquam rationabilem causam. Potestas dispensandi vota datur in Ecclesiâ, ut colligitur ex illis verbis *Matth.* 16. *Pasce oves meas*, & *cap.* 18. *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta, & in cœlo.* Videatur Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *cap.* 9. Sanch. *l.* 4. *de cal. cap.* 37. Nemo potest facere, ut votum à se emissum, sit indispensabile; quia non potest Prælati potestatem coarctare. Requiritur tamen, ut dispensatio sit licita, & valida, justa causa. Sic omnes Theologi cum D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. *ad* 2. & omnes Juristæ cum Gloss. *in cap. Non est Verb. adimplere, de Voto.*

19. Quæres primò: An dispensatio bonâ fide petita, & collata, sit valida, si postea inveniatur defuisse legitimam causam? Respondeo, probabilius esse, fuisse invalidam; quia causa apparens non sufficit, ubi requiritur legitima. Sic cum pluribus Castr. Palao *tom.* 3. *tract.* 15. *disp.* 2. *punct.* 9. *n.* 4. Probabile tamen est, esse validam, ut cum Sanch. Less. & Tamborin. tenet. Leand. *tom.* 7. *tract.* 1. *disp.* 17. *q.* 7. Erit tamen legitima causa, levitas in vovendo; ut sæpius datur in fœminis, & aliis timidæ naturæ; & magna difficultas exequendi votum, Castr. Palao *cit. n.* 7. & 13. & alii.

20. Quæres secundò: An parochus in casu urgentis necessitatis, quando Episcopus adiri non potest, possit in votis dispensare? Respondeo, non posse; quia nec ex consuetudine, nec ex privilegio habet id jus. Sic cum Sanch. Leand. *proximè q.* 76. At id probabile judicat cum Cajet. Mend. *in Bull. disp.* 26. *n.* 25.

21. Quæres tertiò: An qui ex potestate ordinariâ, vel ex privilegio dispensat in votis, peccet mortaliter, si non misceat aliquam commutationem? Respondeo, probabilius esse, non semper peccare, nec dum venialiter; quia potestatem habet dispensandi absolutè, sine commutatione adjunctâ: ergo datâ causâ justificante eam dispensationem, sine adjuncta commutatione, non peccabit. Sic Soar. *ubi supra l.* 6. *cap.* 17. *n.* 18. Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 9. *n.* 28. & *l.* 4. *decal. cap.* 46. *n.* 2. Probabile tamen est, peccare dispensantem non adjungentem commutationem aliquam in dispensatione, eo quòd sic dispensando infidelis sit dispensator. Sic Soar. *proximè*, & docent Sot. Rodrig. & Ovand. apud Leand. *cit. q.* 29.

22. Septimò, cessat votum per irritationem factam ab habente potestatem dominativam. *Irritare votum, nihil aliud est, quam illud annullare, ita ut amplius non obliget.* Sic ex D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. & 9. colligunt authores Tambor. *l.* 3. *decal. cap.* 16. §. 3. *n.* 1. Leand. *tom.* 7. *tract.* 1. *disp.* 16. *q.* 1. Irritatio duplex est, directa una, & altera indirecta: directa datur, quando vota tolluntur ab habente potestatem dominativam, super voluntatem alicujus; ut Pater respectu filii, & superior respectu Religiosi subditi. Indirecta verò datur, quando vota tolluntur ab eo, qui potestatem habet dominativam in rem promissam, & quoad bona temporalia; ut habet dominus respectu servi. Sic Tambor. *proximè* Leand. *cit. q.* 3. Ad irritationem non requiritur cognitio specialis voti emissi, sed satis est, quòd superior dicat: *Irrito quæcumque vota à te emissa de materiâ mihi subjectâ.* Secus dicendum de dispensatione, & commutatione: dispensans enim, aut commutans debet peculiaria vota, quæ dispensat, aut commutat, cognoscere. Sic Basil. *l.* 10. *de matr. cap.* 17. §. 2. *n.* 22. & alii. Nec etiam ad irritationem requiritur causa: sine illâ potest superior licitè, & validè illa irritare. Sic Soar. *tom.* 5. *in* 3 *part. disp.* 4 *sect.* 2. *n.* 8. Basil. *proximè.* Quamvis Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 24. *n.* 13. existimet, superiorem peccare venialiter.

23. Quæres primò: Quænam vota suorum subditorum possunt Prælati Regulares irritare? Respondeo, posse omnia, etiam non impedientia suam gubernationem, exceptis tantùm constituentibus statum Regularem, illique annexis, ac voto ingrediendi Religionem strictiorem. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. *ad* 3. & 4. Laym. *l.* 4. *tract.* 4. *cap.* 7. *n.* 6. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 4. *decal. q.* 2. *punct.* 7. §. 2. *n.* 26. quos refert, & sequitur Tambor. *l.* 3. *decal. cap.* 16. §. 3. *n.* 28. Leand. *tom.* 7. *tract.* 1. *disp.* 16. *q.* 24. loquens de actibus internis.

24. Quæres secundò: Quænam vota suarum subditarum possint Abbatissæ, seu Priorissæ irritare? Respondeo, posse omnia, quæ possunt Prælati Regulares erga suos subditos, *ut n. præcedente*; quia non minorem habent potestatem in actibus suarum subditarum, quam habet mater tutrix in actus filiorum impuberum; sed hæc omnia vota filiorum impuberum potest irritare: ergo. Sic Sayr. *in clav. Reg. l.* 6. *cap.* 10. *n.* 7. *Vers. Hinc est.* Fagund. Pellizar Lezan. & alii, quos sequitur Leand. *citat. q.* 21. Quamvis Castr. Palao *tom.* 3. *tract.* 15. *disp.* 2. *punct.* 8. *n.* 7. *in fine* cum Azor. non improbabiliter defendat, solùm posse irritare, quæ gubernationi sunt incommoda, & non alia vota.

25. Quæres tertiò: Quænam vota filiorum possit Pater irritare? Respondeo, posse omnia vota filiorum, etiam illegitimorum, si non habeant tutorem, aut curatorem, usque ad annos pubertatis exclusivè, (id est vota fœminarum, usque ad 12. annum, & masculorum, usque ad decimum quartum) sive vota sint personalia, sive realia, aut mix-

materia; nec etiam novum onus, licet in transgressione duplex detur peccatum, vel unum cum ea duplici circunstantiâ: cùm obligatio una tantùm remaneat. Sic Mend. ubi *supra n.* 214.

46. Quartum considerandum est onus, & difficultas, quam patitur vovens in executione voti, & passurus est in executione materiæ subrogatæ. Unde fit si votum jejunii, v. g. commutandum sit in Eleemosynam; minori eleemosynâ commutandum est votum emissum à paupere quàm à divite; quia difficilius Eleemosyna elargitur à paupere, quàm à divite. Et è contra, si elemosynæ votum commutandum sit in jejunium, pauciora jejunia sunt imponenda laborantibus, & debilibus, quàm otiosis, phlegmaticis, & robustis: Quia sic æqualitas ad commutationem necessaria compensatur. Sic Sanch. *dict. cap.* 56. *n.* 10. cum Soar. *l.* 6. *de voto cap.* 1. *n.* 16. Quibus adde Bardi *ubi supra cap.* 3. *n.* 9. Mend. *disp.* 26. *n.* 221. Escobar *cit n.* 323. Ludovic. à Cruce *disp.* 1. *cap.* 7. *n.* 10. Navarr. Bassæum, & alios, quos affert Leand. *tom.* 7. *tract.* 1. *disp.* 18. *q.* 44.

47. Ex hoc sequitur primò, in voti peregrinationis commutatione, duo esse consideranda: primum, laborem itineris, & alia damna, quæ ei imminent; secundum, expensas, quas vovens facturus est eundo, & redundo in domum suam; ut patet *ex cap. magna, de voto.* Quoad primum certum est ea onera esse attendenda; quia sunt illi voto intrinseca. Et in hoc conveniunt D. D. Soar. *tom.* 2. *de relig. l.* 6. *cap.* 19. *n.* 19. Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 56. *n.* 11. Sayr. Navarr. Prado apud Leand. *cit. q.* 45. Quibus adde Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 3. *n.* 9. 14. & 17. Mend. *disp.* 26. *n.* 223. Escobar. *proximè n.* 325.

48. Quoad expensas, est major dubitatio: Nam Henriq. *l.* 7. *cap.* 30. *n.* 5. Graff. *l.* 2. *decis. cap.* 30. *n.* 10. Angles *part.* 2. *q. unic. de voto art.* 8. *diff.* 6. *propos.* 4. docent in commutatione voti, non esse habendam rationem de expensis in reditu faciendis: Quia votum solùm est de eundo, & non redeundo; & sicut reditus per accidens se habet ad votum, ita etiam expensæ per accidens se habent ad reditum; quia vovens, si velit non redire, adhuc voto satisfaceret.

49. Probabilius tamen dicendum, expensas faciendas in reditu, computandas esse in commutatione: Primò; quia ita constat *ex cap. magna cit.* ubi in voti commutatione expensæ in reditu faciendæ computantur. Secundò, licèt vovens non promiserit reditum; peregrinationem tamen promisit humano, & morali modo; & sic includit ipsum reditum: Ergo si illum prævidit, dum vovit, de expensis in illo faciendis, habenda est ratio in commutatione. Sic Soar. *cit. n.* 20. Rodrig. *in addit. ad Bull.* §. 9. *n.* 108. mutans sententiam, quam alibi docuerat. Sanch. *supra n.* 16. & apud illum plures. Accedunt Bardi *proximè n.* 18. Leand. *q.* 47. & apud ipsum Prado.

50. An verò in commutatione voti habenda sit ratio expensarum peregrinationis, quas homo dives facturus esset in comitatu Equorum, & famulorum? Negant Henriq. ubi *supra* Sayr. *l.* 6. *cap.* 12. *n.* 20. Aragon. 22. *q.* 88. *art.* 2. *dub.* 2. *corollar.* 2. Petrus de Ledesm. *tom.* 2. *tract.* 10. *cap.* 8. Rodrig. *in summ. tom.* 2. *cap.* 100. *n.* 5. Bossius *de jubil. sect.* 2. *cas.* 27. *n.* 22. Probant quia ille comitatus per accidens se habet ad votum implendum: Ergo solùm attendendum est ad expensas suæ personæ, aut unius, vel alterius socii in commutatione voti.

51. Probabilius tamen dicendum, computandas esse in commutatione voti expensas, quas facturus erat juxta sui status conditionem, & non alias ex vanâ ostensione exhibendas; quia primæ sunt æstimandæ moraliter, prout erant futuræ: Non verò aliæ vanæ ostentationis; quia nec placent Deo, nec sunt rectæ rationi consentaneæ. Ita Sanch. ubi *supra n.* 14. Castr. Palao *tom.* 3. *tract.* 15. *disp.* 2. *de voto punct.* 16. *n.* 4. Bard. *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 3. *n.* 18. Soar. Prad. Berthol. de S. Faust. Monet. quos adducit, & sequitur Leand. ubi *supra q.* 46.

SECTIO IV.

Quo modo commutari valeat votum peregrinationis?

UT Confessarius intelligat, quo modo procedere debeat in praxi quotidianâ commutationis votorum, subjicio aliqua commutationis votorum exempla à D. D. approbata; ut facilius his exemplis ductus, ad praxim commutationum votorum procedere valeat.

53. Primum sit, circa votum peregrinationis; in quo, ut *sect. precedente* videmus, considerantur expensæ, & labor itineris. Et quod attinet ad expensas, ab illis primò deducendæ sunt, quas vovens domi facturus fuisset; aliæ verò, quæ supersunt applicandæ sunt illi loco pio ad quem peregrinatio dirigebatur, vel alteri pio loco indigenti, vel pauperibus in Eleemosynam vel Capsulæ Bullæ Cruciatæ, si per Bullam fiat commutatio, ut specialiter *infra* dicimus. Quoad laborem itineris, distinguendum est, nam vel peregrinatio futura erat pedestris vel equestris: Si pedestris commutabitur votum in tot jejunia, quot diebus peregrinatio erat duratura: In unum, si uno die erat duratura, in duo jejunia, si duobus diebus, & sic deinceps. Si verò futura erat Equestris; quatuor, vel quinque dies itineris commutentur in unum jejunium; & sic de aliis quatuor, vel quinque diebus superadditis, per quos peregrinatio erat duratura. Escobar. *ut supra n.* 329. Aliqui tamen hanc additionem subjungunt: Ut si peregrinatio per mensem erat duratura, confiteatur semel in mense, & sacram communionem recipiat, & quâlibet hebdomadâ recitet Rosarium, aut Officium B. Virginis; & sic per singulos menses, si per alios menses peregrinatio erat duratura. Sic colligitur *ex cap. Magna, de voto, supra citat.* & docent Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 1. *dub.* 13. Sayr. *in clav. Reg. l.* 6. *cap.* 10. *n.* 20. Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 36. *n.* 40. Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 3. *n.* 23. Tambor. *l.* 3. *decal. cap.* 16. §. 6. *n.* 13. & alii.

54. Si verò per quindecim dies, & infra; sufficiet ultra expensas applicandas, semel confiteri, & sacram Eucharistiam recipere, & bis recitare rosarium, ut jejunia regulentur modo prædicto dierum, per quos erat peregrinatio duratura. At si petens commutationem voti peregrinationis, sit ad tantam paupertatem redactus, ut nequeat expensas itineris in pias Eleemosynas erogare: Poterit commutatio pro quantitate inopiæ fieri in pecuniâ; & alia quantitas expensarum compensetur per preces, & frequentationem sacramentorum; secundùm id, quod expensæ magnæ, aut minores expostulent. Sic Bardi *loco citato.*

SECTIO

SECTIO V.

Quo modo commutari possit votum Castitatis?

55. SEcundum Exemplum sit de castitate: Quia tamen illius votum potest esse, vel de Castitate absolutâ, quod S. Pontifici reservatur; vel de Castitate non absolutâ, quod non est reservatum S. Pontifici; de utroque dicendum per sequentia quæsita.

56. Quæres igitur primò: Quo modo commutari queat votum castitatis absolutæ ab eo, qui à S. Pontifice habet potestatem delegatam? Plures existimant, hujusmodi votum non posse commutari; ac proinde dicunt admittendam esse aliquam dispensationem ab eo, qui potestatem habet dispensandi: quia non datur aliquid æquale, in quod commutari possit. Ita Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 56. *n.* 41. citans Soto, & Aragon. Idem etiam tenet Trullenc. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 18. *n.* 25. licèt addat, posse commutari, si fuerit conditionatum, aut pœnale, etiam post conditionem impletam; quamvis melius, ac tutius sit recurrere ad S. Pontificem ad tollendos scrupulos, ut dispensando, & commutando, vovens maneat in conscientiâ securus.

57. Alii verò existimant, licèt tutius sit dispensationem miscere, posse confessarium ex potestate delegatâ votum Castitatis integræ, & absolutæ commutare hoc modo: ut vovens teneatur sub voto servare castitatem conjugalem, ut singulis mensibus confiteatur, & communicet, eroget eleemosynam ad celebrandas decem missam singulis annis, reciter quotidie tertiam partem Rosarii, aut septem psalmos pœnitentiales cum Litaniis, & precibus sequentibus, & jejunium per omnes ferias sextas. Sic Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 18. *n.* 27. *in fine* ex Ludovic. à Cruce *etiam in Bull. disp.* 1. *cap.* 7. *dub.* 5. *n.* 2. Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 3. *n.* 26. Leand. *tom.* 7. *tract.* 1. *disp.* 18. *q.* 61. *&* 62. Aliam hujus voti designat commutationem Prado *de just. disp.* 31. *de voto q.* 15. §. 6. *n.* 92. illâ tamen omissâ.

58. Dicendum est, opinionem *n. præcedente*, esse satis probabilem, & tutam. Ratio est, quia ita commutari potest votum castitatis à delegato ex potestate Pontificis, ut constat ex Rescripto solito concedi per Pœnitentiariam, ad eam commutationem faciendam, per hæc verba: *Sibique votum præfatum ad hoc tantùm, ut matrimonium contrahere legitimè possit, dispensando commutes, in frequentiam Sacramentalis confessionis peccatorum suorum, singulis scilicet mensibus, ut minimum semel, vel quoties tibi videbitur, & in alia pœnitentia opera per te injungenda, tamdiu duratura, quamdiu commutationis prædicta locus erit, interque sint etiam alia pietatis opera, quæ quotidie facere teneatur ad eum finem, ut eam adimplens, meminisse semper possit obligationis, qua hujusmodi voto adstringebatur &c.* Ex quibus verbis in tria venit hoc votum commutandum; primum, in confessiones menstruas, ut minimum; secundum, in aliqua pœnitentiæ opera; & sic potest addi jejunium per omnes, & singulas ferias sextas. Tertium, opera pia: & sic potest imponi tertia pars Rosarii, aut eleemosynæ, vel auditio missæ per singulos dies. De his videri potest Marc. Paul. Leon. *in praxi Pœnit. fol.* 124. *vers. Pauca in hac formula, & seqq.*

59. Quæres secundò: Quomodo commutari possit votum castitatis conjugalis? Respondeo cum Bardi *proximè n.* 28. Leand. *cit. q.* 63. in jejunium semel in hebdomadâ; in confessionem, & communionem perpetuò singulis mensibus; aut quid simile juxta conditionem voventis.

60. Quæres tertiò: Quomodo commutari valeat votum non contrahendi matrimonium? Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 56. *n.* 42. inquit, posse commutari in confessionem, & communionem singulis mensibus faciendam per biennium, aut triennium, & in novem sacra facienda, pro quolibet anno triennii, ut intelligunt authores citandi. Huic commutationi addunt Ludovic. à Cruce *cit. supra dub.* 5. *n.* 4. Bardi *n.* 29. Leand. *q.* 64. Rosarium recitandum singulis hebdomadis; vel septem Pater, & Ave quotidie; eo quòd consuetudo vigeat in pœnitentiariâ imponendi aliquod opus perpetuum: Quod non esse necessarium, fatentur Tamborin. *l.* 3. *decal. cap.* 16. §. 6. *n.* 17. & Leand. *cit.* Cæterum adverto in pœnit. hoc votum commutari in opera perpetua, ut videre est apud Marc. Paul. Leon. *cit. fol.* 124. *& seqq.*

SECTIO VI.

In quæ opera commutari possit votum assumendi Ordines Sacros?

61 CIrca hoc tertium exemplum, aliqui docti Recentiores apud Sanch. *l.* 4. *cap.* 56. *n.* 48. dicunt, posse hoc votum commutari in recitationem quotidianam Septem Psalmorum Pœnitentialium cum Litaniis, vel Officii Beatissimæ Virginis, vel Rosarii, & in confessionem, & communionem decimo quinto die faciendam, & in celebrare faciendum singulis mensibus; & ut voveat castitatem. Quòd si castitatem vovere nolit, hujus loco jejunet omnibus sextis feriis. At hæc commutatio valdè minor videtur Sanch. *cit.* & Tamborin. *l.* 3. *decal. cap.* 16. §. 6. *n.* 19. & ideo dicunt, quòd vel aliud addatur, vel intermisceatur dispensatio.

62. Quare Bardi ubi *supra n.* 30. addit, quòd, ut securiùs confessarius procedat, loco septem Psalmorum, vel Officii B. Virginis, vel Rosarii, imponat voventi onus recitandi quotidie horas canonicas, aliqua sacrificia suo sumptu celebranda, & frequentiorum sacramentorum receptionem. V. g. decimo quinto die. At hoc ultimum jam ab illis Recentioribus erat designatum, ut vidimus. Quare Bardi solùm addit, loco precum designatarum, horas canonicas; quod videtur approbare Leand. ubi *supra n. q.* 67. Et licèt hoc videatur probabile, & tutum; aliquam tamen confessionem Sacramentalem existimo, in quolibet anno præter designatas in singulis quindecim diebus, addendam esse.

SECTIO VII.

An votum Religionis sit commutabile, & quo modo?

63. QUartum exemplum est, circa votum Religionis. Et non esse hoc votum commutabile, quando est absolutum existimant Sanch. *l.* 4. *cap.* 56. *n.* 41. Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 18. *n.* 18. Probant, quia quæcunque opera pia præscribantur in commutatione, eadem, & excellentiora inveniuntur in Religione; ut sunt sacramentorum frequentia, abstinentia, macerationes carnis, paupertas, obedientia, aliæque multæ preces, & vigiliæ nocturnæ.

64. Sed probabilius dicendum posse commutari ab habente facultatem delegatam, si votum sit absolutum; nam hoc reservatur S. Pontifici: Secus si sit conditionatum. Et sic potest commutari. Ratio est, quia in ejus commutatione non sunt attendenda omnia supra dicta; sed votum ingrediendi Religionem ad experiendam ipsam Religionem: ita ut si illam sibi proportionatam non inveniat, possit egredi; & sic censetur voto satisfecisse, ut docet Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 16. ergo prædictæ observantiæ primariò, & per se non sunt attendendæ; quia vovens ad illa non tenetur: Nam si illa non observet, stante voto, non peccat contra votum, ut patet in peccato contra castitatem; ex eo enim quòd vovit Religionem, castitatis votum non emisit; & si post factam professionem ad castitatem teneatur ex voto, & ad alias Religionis observantias, id non provenit ex voto Religionis in sæculo, sed ex voto in professione emissâ: Ergo impossibile non videtur, votum religionis posse commutari; licèt securius sit recurrere ad potentem dispensare; ut simul commutatione dispensationem misceat. Ita docent Ludovic. à Cruce *in Bull. disp.* 1. *cap.* 7. *dub.* 14. *n.* 12. *&* 13. Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 3. *n.* 34. Soar. *tom.* 3. *de relig. l.* 4. *cap.* 9. Leand. *tom.* 7. *tract.* 1. *disp.* 18. *q.* 65. & apud ipsum Martines de Prado.

65. Inquires igitur primò: In quæ opera pia commutari possit prædictum votum Religionis ab habente potestatem? Respondeo, in duplici sensu posse hanc quæstionem agitari: In primò, quando vovens promisit aliquam Religionem determinatam, v. g. Divi Francisci, vel Sancti Joannis de Deo. In secundo, quando non emisit votum determinatæ, sed Religionis in genere: Si quæstio procedat in primo sensu, votum illud commutari potest in statum sacerdotalem, vel in castitatem perpetuam; quod si renuerit; in castitatem conjugalem, & Obligationem recitandi horas canonicas, si in illa Religione, quam vovit, illa dabatur; vel in Rosarium B. Virginis, in jejunia, quæ servantur in eâ Religione, de quâ erat votum; in confessionem, & communionem decimo quinto die ad minus; & pro aliis asperitatibus, quæ sunt in illa Religione fiant singulis annis ex eleemosynæ, quæ arbitrio confessarii, juxta facultates voventis singulis annis videantur congruentes; quæ eleemosynæ sint in cultum, & honorem Institutoris illius Religionis, si fuerit Sanctus, aut Beatus.

66. Si verò quæstio procedat in secundo sensu; aliqui existimant, esse prædictis detrahendam recitationem horarum canonicarum; eo quòd vovens poterat in Religione suscipere statum laicorum, vel ingredi Religionem, in qua non detur ea obligatio. Hoc tamen Soar. *supra citato* non placet, quia vovens, quando votum emisit, eum non habuit animum. Unde dicendum est, votum esse commutandum, ut *supra* diximus de voto determinatæ Religionis, nempe in statum sacerdotalem, vel saltem in castitatem conjugalem, obligationem recitandi horas canonicas, vel Rosarium integrum B. Virginis Mariæ singulis diebus, & in eleemosynas, ut *supra* sic Soar. *ubi supra* Bardi *proximè n.* 35. Leand. *citat. q.* 66. & apud ipsum Sanch. Marchin. Ex quibus aliqui notant, securius esse ad habentem potestatem recurrere, ut simul misceat dispensationem.

67. Hoc tamen votum, in praxi Pœnit. dispensando, commutatur in frequentiam sacramentalis confessionis peccatorum; Singulis scilicet mensibus, ut minimùm semel; & in alia pœnitentiæ opera perpetua, inter quæ sint aliqua Religionis, quam vovit. Ut ex Rescripto pœnitentiariæ constat apud. Marc. Paul. Leon. *in praxi Pœnit. fol.* 80. *& seqq.* cum verò per Pœnitentiariam in voto, partim dispensetur, & commutetur partim, sic poterunt habere locum in purâ commutatione ea, quæ *in prædictis n. n.* sunt designata.

68. Inquires secundò: An votum ingrediendi Religionem arctiorem, æqualiter commutetur, in votum profitendi, & perseverandi in laxiori? Negant Soar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 4. *cap.* 9. *n.* 2. Tamborin. *l.* 3. *decal. cap.* 16. §. 6. *n.* 16. Probat Soar. quia id, quod additur, nempe professio, & perseverantia non sufficit ad æqualitatem; si ergo aliunde non suppleatur, vel dispensetur, non erit licita ea commutatio.

69 Probabilius tamen dicendum, licitam esse prædictam commutationem, quia melius, & gratius est Deo profiteri, & perseverare in laxiori Religione, quàm ingredi strictiorem: Ergo benè supplentur per votum additum perseverantiæ, strictiores observantiæ; quæ in strictiori Religione inveniuntur. Sic cum D. Antonin. & Palud. Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 16. *n.* 17. & Latius *n.* 20. & cum Ludovic. à Cruce Sylvest. Trullench. & Barthol. à S. Fausto Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 3. *n.* 38. quibus accedit Leand. *tom.* 7. *tract.* 1. *disp.* 18. *q.* 60.

70. Duo tamen hic advertenda sunt: Primum, cum Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 16. *n.* 13. & pluribus, apud ipsum, Navarr. *in summ. cap.* 12. *n.* 46. Rodrig. *in summ. part.* 2. *cap.* 95. *n.* 3. Bardi *loco citat. & n.* 48. Leand. *proximè*, prædictam sententiam esse intelligendam, si in Religione illa laxiori, in quam fit commutatio, vigeat Regularis observantia: Nam si quoad substantialia sit collapsa sine spe proximæ reformationis, certum est votum Religionis, sive strictæ observantiæ, & determinatæ in individuo, vel in genere, non posse in illam commutari; quia votum de eâ Religione, sic collapsa est nullum; quia est de re mala. Oppositum tamen non improbabiliter tenet Mend. *in Bull. appendic. disp.* 2. *n.* 169. *&* 170.

71. Secundum advertendum: Si facta prædicta commutatione vovens non profiteatur in ea Religione laxiori; quia redditus est impotens ad profitendum, eo quòd fuit expulsus; vel aliam ob justam causam, non teneri ingredi primam Religionem arctiorem; quia per commutationem in Religionem laxiorem, extinctum fuit illud votum. Et hoc intelligendum puto, cum Bardi *cit. dist. n.* 38. Soar. & Sanch. loquen-

quasi Episcopalem, ut inquit Less. *l.* 2. *cap.* 40. *n.* 107. Antecedens patet, consequentia stabilitur; quia quicunque habet potestatem ordinariam, potest sacerdoti subdito, facultatem absolvendi subditos, limitatam, & restrictam concedere: Ergo si Prælatus limitatam concedat, non poterit confessarius, eam exercere circa ea, quæ reservantur.

148. Tertia opinio sit eorum, qui defendunt, reservationem habere posse locum pro novitiis, si ad illos extendatur, & valdè conveniens esse potest, ut ad illos extendatur, ut docet cum Cordub. Umberto, Moylio Turrian. Soar. Vasq. Laym. Mend. Avendan. *cit. in Thesaur. Indic. tit.* 5. *n.* 341. Probatur, ut proximè, secunda opinio, ex omnimoda exemptione, quam habent novitii ab Episcopis, & omnimodâ subjectione, quam habent erga Religionis Prælatos, quoad Sacramenta necessaria.

149. Ex his sententiis prima mihi videtur improbabilis, non obstante, quòd Dian. *locis citatis* illam appellet communem, & *part.* 4. *loco citato* dicat, se angi, in rebus adeò claris tempus conterere, existimans esse certam eam opinionem. Secunda opinio est probabilissima; & in Societate JESU sustinenda, ex decreto R. P. N. Generalis Aquavivæ, qui anno 1614. Maii. 9. per litteras encyclicas, id est circulares, ut vulgò dicitur, prohibuit nostris, ne primam opinionem ullo modo defendant, quoad novitios ipsius Societatis, eamque ullatenus consulant, ut videre est apud Mizar. *tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 6. *n.* 31. In cujus confirmationem adduci poterat concessio facta à Paulo V. de qua Peirinis *supra n.* 144. si non esset vivæ vocis oraculum, quod sublatum est à Gregorio XV. & Urbano VIII. in generali revocatione vivæ vocis Oraculorum.

150. Roboratur tamen à regul. 7. Magistri novitiorum pro nostrâ Societate JESU, quæ sic habet. *Habeat hic Magister Novitiorum potestatem ordinariam absolvendi à casibus reservatis Novitios, qui sub ipsius curâ degunt, nisi ejus superiori hæc facultas aliquâ de causâ restringenda videretur.* Sic cum Consilio doctissimorum fuit facta, ut observat Hurt. *ubi supra*; & ex dictis pro secunda opinione (quam judicio certam) constat, quantum sit justissima.

151. Existimo tamen Prælatos Regulares non posse reservare casus, & censuras peculiares pro novitiis, stante Const. Clementis VIII. prohibentis ipsis Prælatis, ne extra Capitulum Generale aut Provinciale reservent casus pro Religionis subditis; quia prædicta constitutio edita in favorem subditorum Religiosorum, ut *supra notavimus num.* 10. sed novitii in favorabilibus veniunt nomine *Religiosorum*, ut omnes concedunt: ergo casus extra numeratos in Clementis Constit; vel extra consensum Capituli, pro illis reservari nequeunt, sicut nec pro aliis subditis. Sic Pellizar. *ubi supra n.* 32. Hac resoluta quæstione.

152. Restat, ut probemus, Novitios posse, absque licentia suorum superiorum, Bullam accipere, & virtute illius eligere confessarium, ut ab eo à reservatis absolvantur. Ratio est, quia ex una parte, Novitii comprehenduntur in prima Bullæ clausula, in qua comprehenduntur omnes fideles, & ex alia parte, non excipiuntur per Const. Clementis & Urbani VIII. declarantium in ipsa clausula Bullæ, non habere locum in Religiosis, quoad articulum eligendi confessarium, & absolvendi à reservatis; sed hæ declarationes, cùm sint odiosæ Religiosis, non comprehendunt Novitios, quia in odiosis non veniunt sub nomine Religiosorum, ut cum communi Doctorum tenet Barbos. *de Appell. utriusque juris Appell.* 233. *n.* 21 ergo, cùm non excipiantur, per Bullam possunt eligere confessarium, qui eos à reservatis absolvat.

SECTIO XIII.

An Regulares Ordinum Militarium, virtute Bullæ, possint eligere confessarium, qui eos absolvat à reservatis?

153. PRima sententia est Mend. *in Bull. disp.* 24. *n.* 170. *fol. mihi* 247. asserentis, Bullam non prodesse Regularibus Ordinum Militarium, quoad absolutionem à reservatis, si aliquo in iis ordinibus sint reservata: existimat enim in illis nulla esse reservata, ut accepit ab ipsis, qui notitia statutorum conspicua eorundem ordinum pollebant. Idem autumat *tom. de Ordin. Milit. disquis.* 9. *n.* 72. & hoc loco asserit, posse horum ordinum collegas eligere confessarium, qui eos absolvat à non reservatis juxta suam opinionem de qua *supra n.* 101. nam à reservatis, cum illa non habeant, ad illorum absolutionem Cruciatâ non indigent. Probat tamen, illis non prodesse Bullam ad reservata, in casu, quo illa haberent; quia Const. Urbani VIII. loquitur de Regularibus ordinum Mendicantium, & non Mendicantium, etiam speciali nota dignis: sed Regulares ordinum Militarium sunt propriè & strictè Regulares, & excipiuntur in illa Const. prohibente usum Cruciatæ, quoad casus reservatos: ergo quoad absolutionem à reservatis, illis Bulla non prodest.

154. Secunda sententia tuetur, posse Regulares ordinum Militarium, virtute Bullæ, eligere confessarium, ut à reservatis absolvantur; sic Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 1. *dub.* 7. *n.* 2. & id supponit *l.* 1. §. 7. *cap.* 1. *dub.* 9. *n.* 3. citans Rodrig. *in Bull.* §. 9. *n.* 24. Henriq. *l.* 7. *cap.* 22. *n.* 4. *litt. T.* Idem tenent Avend. *in Thesaur. Indic. tit.* 5. *Append. n.* 345. Escobar. *in Theol. moral. l.* 7. *n.* 30. dicens, posse dictos Regulares, sæcularium instar, Bullæ privilegiis gaudere. Probant, non tamen eodem fundamento; nam Trullench. id probat ex Bullâ Hispanâ, in qua Regulares excluduntur à privilegio vescendi ovis, & lacticiniis, non tamen si sint ordinis Militaris. Sed rectè impugnatur à Mend. & Avendan. Quia ex eo, quòd excipiantur quoad ova, & lacticinia, non sequitur, quòd excipiantur quoad reservata; nam exceptio in uno casu, firmat regulam in contrarium, in alio casu; quam regulam non benè pro se affert Trullench.

155. Non rectè etiam pro hac sententia adducitur à Trullench. Henriq. quia nihil in speciali habet de ordinibus Militaribus, sed generaliter loquitur de non Mendicantibus, qui *non* comprehenduntur in Constit. Pontificiis. Quod potuit dicere; eo quod scribebat septuaginta annis ante Constitutiones posteriorum Pontificum, qui in illis comprehenderunt Mendicantes; & non Mendicantes. Et hoc poterat advertere Doctus Trullench, eo quòd scribebat post ultimas Constitutiones, & non citare pro hac sententia Henriq. qui ante illas scribebat.

156. Pro-

156. Probatur ergo hæc secunda sententia; quia Const. declarantes, & prohibentes Regularibus eligere confessarium, virtute Bullæ, ut à reservatis absolvantur, fuerunt inductæ ob instantiam Religionum Mendicantium, & Monachalium, ut colligitur ex iis, quæ affert Basæus *Verb. Casus reservatus num.* 36. *Vers. Et Licet.* Trullench. *citat. dict. dub* 9. *num.* 6. & pro ordinibus Militaribus nihil tale occurrit: ergo ad hos ordines non videntur extendi ex declarationes, & prohibitiones.

157. Ut tamen dicam, quod sentio in hac quæstione. Advertendum est primò, Regulares ordinum Militarium, vel esse propriè & strictè Religiosos, quales sunt primò, Religiosi Ordinis Christi, quos in hoc Regno appellamus, *de Thomar.* Secundò, Clerici fratres militares viventes in conventibus subjecti suo Priori; ut sunt in hoc Regno commorantes in conventibus Avisii, & Palmellæ; Tertiò Equites verè, & strictè Religiosi, quales sunt Melitenses; quamvis non esse verè Religiosos, ut probabile docent Marcus Vidal. *in Arca Theol. moralis tit. de judic. Inquisit.* 4. *n.* 24. cum Joann. Andr. Greg. Lopes Barthol. Bald. Alexand. Azor, Abbat. Sylvestr. Armill. & aliis apud Dian. *part.* 11. *tract.* 4. *resol.* 33. quæ sententia improbabilis judicatur. Quartò Equites, qui non sunt strictè, & propriè Religiosi; eo quod in suâ professione non emittunt Castitatem absolutam, sed tantùm conjugalem: ut Equites Christi, Avisii, & D. Jacobi, in Lusitaniâ; & in Castellâ, & aliis in Regnis, non pauci.

158. Advertendum secundò, ex numeratis, aliquos quoad receptionem Sacramentorum dependere ab ordinariis locorum ex praxi, & consuetudine; ut sunt Equites Avisii, & D. Jacobi in Lusitaniâ, & alii in aliis Regnis; nec non Melitenses; nam verius est ex consuetudine dependere, quoad receptionem Sacramentorum ab ordinariis locorum, juxta ea, quæ diximus *disp.* 14. *sect.* 20. & præter D. D. ibi citatos, tenet *summ. novissima Dian. Verb. Regulares n.* 1. licèt non pauci doceant sufficere, quod sint approbati à superiore sui Ordinis, apud Barbos. *in Collect. ad Trident. sess.* 23. *cap.* 15. *de Reformat. n.* 10. Alii non dependent quoad receptionem Sacramentorum ab ordinariis locorum; nec ex ipso jure, nec consuetudine; ut ex numeratis sunt Religiosi Ordinis Christi, vulgò *de Thomar*, & Fratres clerici commorantes in conventibus Avisii, & Palmellæ, ac similes. His animadvertis.

159. Dico primò, Religiosi Ordinis Christi, vulgò *de Thomar* comprehenduntur in Constit. Urbani VIII. & juxta illam, non possunt, virtute Bullæ, eligere confessarium ab ordinario approbatum, ut à reservatis absolvantur: Hæc assertio est juxta doctrinam Mend. *supra cit.* docentis, Bullam non prodesse Regularibus ordinum Militarium, quoad electionem confessarii ad absolvenda reservata; est contra Trullench. & Avendan. dum absolutè, & sine distinctione; asserunt oppositum. Probatur tamen nostra assertio; quia Urbanus VIII. in suâ Constit. loquitur de omnibus Regularibus, tam Mendicantibus, quàm non Mendicantibus: sed prædicti Regulares sunt propriè, & strictè Religiosi non Mendicantes: ergo sine licentia suorum Prælatorum non possunt, virtute Bullæ, eligere confessarium, à quo absolvantur à reservatis.

160. Dico secundò: Probabile est, Fratres clericos commorantes in conventibus Avisii, Palmellæ, & in aliis similibus conventibus, non comprehendi in Const. Urbani VIII. ac proinde absque licentia suorum Prælatorum posse eligere confessarium, ut per eum à reservatis absolvantur; tam quoad reservata, quæ in ipso Ordine Avisio habentur *in Libro de Regul. & de finit. cap.* 42. (Fratres enim Palmellenses suis superioribus reservata non habent) quàm quoad S. Pontifici reservata in Bulla non excepta. Hæc resolutio est contra primam sententiam, videtur tamen doceri à secunda, ut ratio pro ea adducta probat. Adverto tamen, si in eo Ordine de Avis Fratres consuetudinem non habent, dum in clausura degunt, sumendi Bullam absque licentiâ Prioris Majoris quoad reservata, illâ consuetudine standum esse: at cùm extra clausuram degunt, Bullam absque eâ licentia, etiam quoad reservata possunt sumere ut praxis obtinet.

161. Dico tertiò: Probabilius est, non posse prædictos Fratres clericos absque licentiâ suorum Prælatorum eligere confessarium, ut absolvantur à reservatis. Hæc conclusio est conformis primæ sententiæ, & defenditur etiam ab eodem Mend. *tom. de Ordin. Militaribus disquis.* 12. *n.* 93. Videtur tamen esse contra secundam sententiam. Ratio est *supra posita n.* 153. *in fine.*

162. Nec fundamentum secundæ sententiæ oppositum suadet; quia Const. Urbani VIII. non ad instantiam Religionum Mendicantium, & Monachalium fuit edita; sed motu proprio, & ex certâ scientiâ, ut ibi dicitur; quæ autem motu proprio eduntur, non dicuntur ob instantiam alicujus; sed nemine petente concedi, seu edi; ut patet *ex cap. Motu proprio, de præbend. in* 6. & docent Gram. *decis.* 605. *n.* 31. Menoch. *cons.* 255. *n.* 40. *Glorit. resp.* 1. *part.* 2. *n.* 36. apud Barbos. *de clausul.* 79. *n.* 2. Et quamvis dicta Constit. fuisset ob instantiam Mendicantium, & Monachalium edita; idem operatur, ac si ab illorum instantia edita non fuisset; ut tenent plures, apud eundem Barbos. *n.* 7. & 8.

163. Dico quartò: Equites Melitenses, quamvis sint propriè, & strictè Religiosi, non comprehenduntur in Constit. Urbani VIII. Quare possunt absque licentiâ suorum Prælatorum, virtute Bullæ, eligere confessarium, ut à reservatis Episcopo, cui ex praxi, & consuetudine quoad Sacramentum confessionis subduntur, & ab aliis non exceptis, S. Pontifici reservatis absolvantur. Ratio est primò; quia non suis superioribus, sed Episcopis ex consuetudine subjiciuntur, quoad receptionem Sacramentorum; & in sæculo vivunt more sæcularium, peccatorum implicati occasionibus; nec in illis dispendium observantiæ Regularis consideratur; quod fuit motivum ad Const. prædictam: ergo illos Pontificum Constit. non comprehendunt.

164. Dico quintò: Equites Christi, Avisii, S. Jacobi, & similium Ordinum Militarium possunt eligere confessarium, ut virtute Bullæ à reservatis absolvantur. Hæc ab omnibus admittitur, & expressè traditur à Mend. *in tom. de Ordinarium Milit. loco citat.* à Avendan. & aliis citat. etiam in opinione docente esse verè Religiosos. Ostenditur ratione proximâ, pro Melitensibus. Deinde; quia *Religiosorum* appellatione propriè, & strictè loquendo, non veniunt

ta, etiam si sint Castitatis, & Religionis; & non solùm Pater potest hæc vota directè irrita reddere; dum filius impubertatem retinet; sed etiam quocumque tempore, post adeptam pubertatem; dummodo post pubertatem non sint ratificata; quia votum, quod à principio fuit infirmum, & irritabile, semper retinet eam infirmitatem, & irritabilitatem. Ita cum Cajet. Sanch. Less. Soar. Valent. & Bonac. Castr. Palao *cit. disp. 2. punct. 3. §. 3. n. 5.* Item potest Pater irritare aliqua vota filiorum puberum, si sint sub patriâ potestate: nempe illa vota, quæ suæ gubernationi, aut administrationi præjudicant; ut votum longæ absentiæ, seu diuturnæ peregrinationis, votum nimiæ abstinentiæ, seu multorum jejuniorum, & tot precum, & orationum, quibus impeditur domus gubernatio. Non potest tamen irritare hæc vota filiorum puberum; nempe, votum Castitatis, Religionis, suscipiendi Ordines, nec votum frequentandi Sacramenta confessionis, & communionis, moderatæ orationis, aut abstinentiæ, aut de rebus aliàs præceptis, ut audiendi missam diebus festis, aut similia. Sic docent D. D. communiter: Vide Soar. *l. 6. de voto cap. 5. à n. 4.* Tambor. *l. 3. decal. cap. 16. §. 3. n. 13.* Leand. *tom. 7. tract. 1. disp. 16. à q. 81.* Quando autem filius egrediatur à patria potestate, vide *disp. 5. sect. 6.*

26. Quæres quartò: Quænam vota pupillorum, aut minorum possit tutor, aut curator irritare? Respondeo, tutorem posse omnia irritare, quæ potest Pater. Sic Fagund. *in 2. decal. præcept. l. 2. cap. 33. n. 11.* & omnes. Idem dicendum de curatore, quoad vota realia, & mixta puberum minorum. Ita Sanch. *l. 4. de cal. cap. 35. n. 61.* & alii.

27. Quæres quintò: Quænam vota filiorum possit mater irritare? Respondeo vivente patre, vel longè distante, vel eo mortuo, si existat avus, tutor, aut curator filiorum, nihil posse matrem erga votorum irritationem: at si filii omnibus his destituuntur, succedit mater; & illa deficiente, avia, quia vel ipsa mater tunc est tutrix, vel loco tutoris filium gubernat, ut suppono. Vide Leand. *ubi supra à q. 108.* Tambor. *citat. à n. 21.* Adverte tamen, licèt pater possit irritare vota filii, quæ fuerunt emissa tempore impubertatis, post annos longissimos, etiam post emancipationem: mater tamen & curator solùm possunt usque ad annum vigesimum quintum: tutor verò usque ad decimum quartum: quia vota impuberis censentur facta sub conditione: *si pater non contradicat*, & pater etiam post emancipationem remanet pater: at mater, tutor, & curator cùm substituuntur, illa possunt irritare. Quia pro illo tantùm tutores, aut curatores sunt. Sic Tambor. *supra dict. cap. 16. §. 3. n. 24.* Leand. *tom. 7. tract. 1. disp. 16. q. 125.*

28. Quæres sextò: Quænam vota uxorum possint mariti irritare? Respondeo, probabile esse, posse omnia irritare, quæ constante matrimonio uxores emiserunt: quia voluntas uxoris subditur marito, sicut voluntas impuberis patri, & Religiosi Prælato: ergo sicut hic potest omnia vota irritare, ita etiam maritus. Ita Villal. *tom. 2. tract. 34. diff. 21.* & alii, quos refert, & sequitur Dian. *3. part tract. 4. resol. 220. & part. 4. tract. 4. resol. 110.* Probabile tamen est, uxorem solùm subdi marito in illis actionibus personalibus, quæ usum matrimonii, educationem prolis, & domesticam gubernationem impediunt & non in aliis; ac proindè illa, in quibus subditur, potest maritus irritare, & non alia. Ita Soar. *tom. 2. de relig. l. 3. de voto cap. 6. n. 26.* & *l. 6. cap. 4. n. 2.* & alii non pauci.

29. Quæres septimò: Quænam vota mariti possit uxor irritare? Respondeo, probabilius esse, posse irritare omnia vota mariti constante matrimonio emissa, quæ ipsi uxori sunt præjudicativa: ut longæ peregrinationis, etiam Hierosolymitanæ causâ devotionis, & non in subsidium; Castitatis, immoderatæ eleemosynæ, in damnum familiæ, & jejuniorum, mutationis habitus sæcularis in eremitam, & similium; quia hæc sunt uxori nociva, & præjudicativa. Sic Castr. Palao *tom. 4. tract. 15. disp. 2. de voto punct. 6. n. 9.* Less. *l. 2. cap. 40. dub. 15. n. 98.* & alii apud Leand. *ubi supra disp. 16. q. 140.*

30. Quæres octavò: Quænam vota servorum possit dominus irritare? Respondeo, posse tantùm ea, quæ suo servitio præjudicant; ut vota longæ peregrinationis, & alia similia præjudicantia domini servitio; quia servi, quoad dominicam potestatem, in hoc tantùm dominis subduntur. Sic cum pluribus Dian. *part. 7. tract. 7. resol. 27.* Leand. *q. 151.* Tamborin. *l. 3. decal. cap. 16. §. 3. n. 45.*

31. Octavò cessat votum per commutationem; sed quia hic est scopus, in quem hæc summariè collimavimus, operæ pretium postulat, ut alio examine, quæ ad illam pertinent, exponamus.

SECTIO III.

Quænam sint considerandæ in votorum commutatione?

32. COmmutare nihil aliud est, *quàm unum pro alio mutare.* Inde est, voti commutationem nihil aliud esse, quàm materiam unius voti, in aliam materiam æqualem mutare; ita ut votum maneat, non tamen eadem materia prioris voti commutatio fiat ab unâ ad aliam materiam æqualem, certa regula præscribi non potest, eo quòd innumera sint vota cum innumeris circunstantiis concurrentibus; ut communiter advertunt D. D. *infra citandi.* Ab illis diversæ regulæ afferuntur, quas ad novem reducit Sanch. *l. 4. cap. 56. per totum*; & ad tres duntaxat Bardi *part. 2. tract. 7. cap. 3. n. 2.* Ego tamen illas ad quatuor reducam: nempe materiam, finem, naturam voti emissi, necnon ad difficultatem, & onus implendi rem promissam, & subrogatam.

33. Primum, quod in commutatione voti venit considerandum, est gravitas materiæ voti, & non vinculum ipsius voti. Ratio est, quia in commutatione voti non tollitur vinculum voti, quod semper remanet; & solùm tollitur materia, & transfertur in aliam loco illius subrogatam. Sic Sanch. *l. 4. decal. cap. 56. n. 2.* Tamborin. *l. 3. decal. cap. 16. §. 6. n. 2.* Leand. *tom. 7. disp. 18. q. 33.* Escobar. *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 317.* & alii, quos citant.

34. Ex hoc sequitur, minorem materiam esse subrogandam, quando commutatio voti sit ex materiâ debitâ ex præcepto, in aliam materiam ex præcepto non debitam: quia vovens non eximitur ab obligatione materiæ, de quâ erat votum. Unde votum non fornicandi, audiendi missam in die festo, minori indiget commutatione; quàm si

materia non esset debita ex præcepto. Escobar *proxime n.* 318.

35. Considerandum tamen est primò: An illud votum, v. g. non fornicandi, superadditum præcepto, valde arceat à peccato, aut nihil? Si hoc secundum, quia vovens eodem modo labitur in fornicationes, ac si non haberet votum; tunc minor erit commutatio; si primum, major. Quia obligatio voti in majus obsequium Dei resultat. Sic Sanch. *cit. n.* 3. Bardi *dict. cap.* 3. *n.* 7. & alii.

36. Secundò considerandus est finis, ad quem votum emissum fuit ordinatum: Unde si quis vovit jejunium in cultum Dei, B. Virginis, aut alicujus Sancti, commutari potest in preces, quæ ad eundem finem conducunt: si verò vovit jejunium ad domandas carnes, non benè ejus loco subrogantur preces, licèt sint actus præstantioris virtutis; quia ad finem macerandi corpus non sunt ita proportionatæ, sicut jejunium. Deindè, si quis vovit eleemosynam ad evitandam avaritiam; non benè commutatur hoc votum in orationes, licet sit opus excellentius: est ergo facienda commutatio in id, quod est melius ipsi voventi hic, & nunc, seu pro loco, tempore, seu dispositione ipsius; & sic jejunii votum ad domandas carnes, commutari debet in aliqua pœnitentiæ opera: v. g. cilicia, flagellationem, preces recitandas flexis genibus; & Eleemosyna, in alia opera misericordiæ, ut visitare infirmos, & incarceratos. Sic Sanch. *dict. l.* 4. *cap.* 56 *n* 9. Soar. Azor Less. Sayr. Tambor; quos refert & sequitur Leand. *tom.* 7. *tract.* 1. *disp.* 18. *q.* 34. quibus addo Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 3. *n.* 3. Escob. *paper cit. n.* 321.

37. Et non solùm considerandus est finis à vovente intentus ad qualitatem commutationis, quantùm fieri potest; sed etiam ad majorem, vel minorem quantitatem materiæ subrogatæ. Unde qui vovit non ludere, majori indiget commutatione; quando finis fuit vitandi blasphemias, & perjuria; quàm vitandi prodigam pecuniæ jacturam. Ita Sanch. *loco citato* Escobar. *n.* 322.

38. Adverte tamen cum communi D.D. prædicta non esse ita strictè, & rigorosè intelligenda, sed ut magis congrua, & convenientia. Unde poterit confessarius vota pœnitentis pœnalia, in alia commutare, quæ etsi carnem non macerant, maximè tamen conducunt ad finem obtinendum; & hæc sunt Sacramentorum frequentia, & oratio mentalis, si ea facilè vovens acceptet. Ita Sanch. *cit. n.* 4. Regin. Clavis Reg. Less. & Bassæus, quos citat, & sequitur Leand. *proxime q.* 35.

39. Tertiò, consideranda est natura, & substantia voti: quæ multipliciter considerari potest. Primò, si votum sit reale, personale, aut mixtum. Et congruentius est, ut votum reale in reale, personale in personale & mixtum in mixtum commutetur; quia sic proportio servatur in commutatione. Hoc tamen dependere potest à circumstantiis; nam qui petit commutationem voti realis, ideo illam petit, quia vota realia non potest ad implere; quare licèt sit congruentius, quòd vota dicto modo commutentur, id tamen non est necessarium, & dummodo servetur æqualitas in commutatione, commutatio erit valida; etiam si votum reale commutetur in personale, & mixtum, vel in personale tantùm: & sic etiam personale in reale & in tegrum, Sic docent Soar. *tom.* 2. *de relig. l.* 6. *de voto cap.* 19. *n.* 16. Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 56. *n.* 24. Tamborin. Bas. Trullench. & alii, quos adducit; & sequitur Leand. *dict. disp.* 18. *q.* 36. Idem docent Mend. *disp.* 16. *n.* 216. Escobar. *supra n.* 329.

40. Secundò, natura, & substantia voti considerari potest: Si votum sit perpetuum, melius est, ut commutatio fiat etiam in materiam perpetuam; ut sic vovens suæ antiquæ obligationis non obliviscatur: Quare si votum fuit ad annum, commutatio etiam per annum durabit. Sit Mare. Paulus Leon. 1. *part. vers. Non tamen sol. mihi* 136. Hoc tamen licèt congruentius, non est necessarium; quia si illa perpetuitas aut duratio temporis brevioris compensetur voti per materiam, quæ in commutatione subrogatur; commutatio valida erit. Sic Soar. *proximè n.* 21. Sanch. *cit. n.* 29. Mend. *n.* 212. Less. Henriq. Tamborin. Villal. Bassæus, quos affert, & sectatur Leand. *supra* 37.

41. Tertiò, si votum sit conditionale, aut pœnale, & commutatio petatur antè impletam conditionem; poterit hoc votum commutari in aliud æquale conditionale, aut pœnale: Poterit etiam commutari in absolutum; & sic poterit commutari in aliquid minus, & facilius: Quia dum conditio non ponitur; vovens non tenetur ad votum conditionatum: Si ergo commutetur in absolutum, jam ad illud tenetur: Ergo ut hæc obligatio jam existens adæquetur cum illâ voti conditionati, cujus conditio non est adhuc purificata, debet commutatio esse minor, at si commutatio fiat in aliam materiam conditionatam, debet fieri in æqualem; aliàs non esset commutatio. Semper tamen considerandæ est dubietas eventûs conditionis, & secundùm majorem, vel minorem incertitudinem conditionis; & juxta illam, regulanda est commutatio. Sic Escobar, *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 331. & 332. & apud illum Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 56. *n.* 30.

42. Si verò commutatio voti conditionati, vel pœnalis petatur post impletam conditionem; cùm votum jam sit absolutum, nulla ratio habendâ est de conditione, sed votum commutari debet in aliud æquale absolutum. Sic Escobar. *proximè n.* 333. & 334. cum Sanch. *dict. cap.* 6. *n.* 32. & 35. Idem sentiunt Bardi *cit. dict. cap.* 2. *n.* 5. & 6. Mend. *disp.* 26. *n.* 217.

43. In voto pœnali aliud considerandum est, v. g. in hoc: *Voveo non ludere, at si luserò voveo eleemosynam*; & similibus; nam hoc votum partim est absolutum, & partim est conditionatum: *Voveo non ludere*, est votum absolutum; pœna verò, nempe: *Voveo, si luserò eleemosynam*, est votum conditionatum; & sic in commutatione hujus voti, semper attendenda est pœna simul cùm voto (quidquid aliqui contradicant) quia gravius est votum non ludendi, quando refertur ad pœnam, nempe ad eleemosynam, quàm si ad illam non referatur; licèt pœna; nempe, erogatio Eleemosynæ, si adhuc non sit incursa, regulanda sit, ut votum conditionatum, ut in minus commutetur; totum verò votum pœnale commutabitur in majus. Sic Tamborin. *l.* 3. *decal. cap.* 18. §. 18. *n.* 9. Leand. *dict. disp.* 18. *q.* 51.

44. Quartò, si circà eandem rem duplex detur votum; nempe, votum ipsius rei promissæ, & votum non petendi commutationem, aut votum simul, & juramentum, tunc in commutatione habendus est respectus ad utrumque votum, ut materia subrogata utrique voto proportionetur. Sic Bardi *cit. n.* 8. Mend. *n.* 219.

45. Quintò votum non debet commutari in rem de præcepto aliàs debitam; quia nec additur nova ma-

circunstantiam materia voti reddatur bona, & honesta, erit materia voti. Soar. *cit. l. 2. de voto cap. 4. n. 5.* & omnes. Debet etiam materia voti esse possibilis: impossibilium enim nulla est obligatio. Sic D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. & alii communiter.

8. Dico septimò: Votum non peccandi mortaliter est validum. Castr. Palaus *tom.* 3. *tract.* 15. *disp.* 1. *punct.* 8. §. 1. *n.* 4. Idem de non peccando venialiter. Ita Soar. *cit. l.* 1. *cap.* 3. *n.* 16. contra plures, quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 7. *tract.* 1. *disp.* 9. *q.* 25. Asserò tamen, hæc vota non esse consulenda. De voto non peccandi lethaliter, id tenet cum Soar. Sanch. & aliis March. *Verb. Votum resol.* 446. *n.* 5. Castr. Palaus *cit.* Leand. *q.* 18. De voto non peccandi venialiter, cum Basizo Mend. *dict. disp.* 26. *n.* 7.

9. Dico octavò: Vovere facere aliquod peccatum mortale, est mortale contra Religionem. Sic Castr. Palao *supra disp* 1. *punct.* 9. §. 3. *n.* 8. & omnes. Et vovere facere aliquod veniale, est veniale Sanch. *l.* 4. *cap.* 6. *n.* 9. dicens: votum faciendæ rei moraliter malæ, cum proposito exequendi, est duplex mortale; & rei venialis, cum eodem proposito, est duplex veniale. Alii affirmant, esse mortale, facere votum exequendæ rei malæ venialiter. Vide Less. *lib.* 2. *de voto cap.* 4. *n.* 2. & 12. & *l.* 3. *cap.* 2. *a n.* 9. sed probabilius oppositum.

10. Dico nonò: Votum dividitur primò, in absolutum, purè conditionatum, & pœnale. Absolutum est, quod sine conditione omittitur. Purè conditionatum est, quod obligat posità conditione: ut voveo unum jejunium, si salutem obtinuero. Pœnale datur, quando quis rem promissam consequi volens, addit aliquam pœnam in delicti crimen; v. g. *Si iuvero, voveo tantam eleemosynam elargiri.* Secundò dividitur votum in solemne, & simplex; solemne est, quod fit in publico, & ab Ecclesiâ acceptatur; simplex, quod privatim, etsi in publico; non tamen acceptatur. Tertiò dividitur in reale, personale, & mixtum. Reale est illud, quo promittitur aliquid æstimabile; quòd non sit aliqua hominis actio. Personale, est ipsa actio, vel omissio actionis ad solam personam attinentis. Mixtum est, quando promittitur utrumque, & res pretio æstimabilis; & ipsa actio, aut omissio, v. g. peregrinatio simul, & eleemosyna. Aliæ voti divisiones videri possunt apud Tambor. *l.* 3. *decal. cap.* 9. Leand. *tom.* 7. *tract.* 2. *disp.* 2. *à q.* 1. Mend. *dict. disp.* 26. *n.* 5. Marcum Paulum Leon. *in praxi Pœnit. fol. mihi.* 13. *vers. Duo sunt, & seqq.*

SECTIO II.

Aliqua de cessatione voti præmittuntur.

11. Octo modis cessat obligatio voti. Primò, defitione materiæ; Secundò, interpretatione. Tertiò, notabili rei mutatione. Quartò, lapsu temporis. Quintò, remissione partis, in cujus favorem præstitum fuit. Sextò, dispensatione. Septimò, irritatione. Octavò, commutatione. De his omnibus dicendum per sequentes num: & de primis septem summatim tantùm.

12. Primò, cessat votum cessante materia: nam qui vovit dare eleemosynam quotidianam Petro pauperi: si Petrus dives fiat, cessat ejus eleemosynæ obligatio. Vel non ingredi talem domum, eo quòd ibi erat occatio peccandi; & mortua, vel aliò migratâ ea occatione, cessat: sic ex Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 4. *de voto cap.* 18. *n.* 5. Bard. *tom.* 2. *de iustitia cap.* 31. *q.* 13. §. 1. *n.* 9. At si materia cessat ex parte; obligatio voti ex parte cessat: nam qui vovit dare mille, & non potest nisi centum; tenetur ad centum. Sic Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 1. *n.* 1. Cessat etiam votum, si materia majoris boni votum impediat: ut si quis vovit ire Hierusalem, & postea voveat ingredi Religionem.

13. Secundò, cessat votum per interpretationem viri Docti declarantis, votum non obligare in illis circunstantiis, quia defuit deliberatio, vel fuit omissum ob metum cadentem in virum constantem; vel quia vovit jejunare una sexta feria, & in illa die non potest jejunare, propter impedimentum, quod prævidet; & non tenetur diem prævenire, jejunando die præcedente; quia sic declarans Doctus procedit juxta præcepti Ecclesiastici observationem. Qui enim prævidet die Dominica, non posse audire missam propter febrim, non tenetur prævenire, & die Sabbati missam audire.

14. Tertiò, cessat votum data notabili mutatione in re promissa; non sufficit tamen quæcunque mutatio. Sic Bonacin. *tom.* 2. *disp.* 4. *decal. q.* 2. *punct.* 7. §. 1. *à n.* 2. Unde non tenetur vovens factus senior Religionem ingredi, etiamsi Religioti eum recipere velint. Sic ex Sanch. Trullench. *l.* 2. *decal. cap.* 2. *dub.* 8. *n.* 4. Item non tenetur, intercedente periculo vitæ, honoris, aut alterius gravis nocumenti non prævisi, quando votum fuit emissum. At si tunc fuit prævisum, tenetur ad votum. Sic Bonacin. *cit. n.* 3. & 7. Castr. Palao *tom.* 3. *tract.* 15. *disp.* 1. *de voto punct.* 20. Leand. *tom.* 7. *tract.* 1. *disp.* 13. *q.* 8. Adverte tamen, quando subest dubium, an res promissa sit, vel non sit notabiliter mutata, semper standum est in favorem voti: quia excusatio dubia non tollit obligationem certam. Secus dicendum, si dubium sit, an res promissa in eo eventu sit bona, aut mala, saluti promittenti nociva, aut non: quia in his dubiis, cum dubium sit an sit, vel non sit offensa Dei, cessare debet votum. Ita Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 2. *n.* 34. & 52. Trullench. *ubi supra n.* 5. & alii.

15. Quartò, cessat votum, si tempus ad illud solvendum designatum, est elapsum. Unde qui emisit votum, v. g. jejunandi in honorem, seu devotionem alicujus temporis, vel diei; eo tempore, vel die elapso, non tenetur ad votum: at si sine temporis, vel diei intuitu, emisit votum, eo tempore, vel die elapsa, tenetur ad votum. Sic D. D. communiter Castr. Palao *ubi supra disp.* 1. *punct.* 14. *n.* 1. Bonacin. *cit. disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 5. §. 1. *n.* 8. Et qui vovit ingredi Religionem intra annum, & prævidet non posse in termino illius, propter impedimentum, votum implere; tenetur illum terminum prævenire; sicut qui tenetur intra annum, vel mensem confiteri, & prævidet habiturum esse impedimentum, ultimo mense illius anni, vel ultimis diebus illius mensis, tenetur tempus prævenire; quia præceptum Ecclesiæ obligat pro toto anno, & confessarii, pro toto mense, quando in pœnitentia fuit imposita confessio mensitrua. Sic Castr. Palao *cit. disp.* 1. *punct.* 13. *n.* 3. Soar. *l.* 4.

materia; nec etiam novum onus, licet in transgressione duplex detur peccatum, vel unum cum ea duplici circunstantiâ: cùm obligatio una tantùm remaneat. Sic Mend. ubi *supra n.* 214.

46. Quartum considerandum est onus, & difficultas, quam patitur vovens in executione voti, & passurus est in executione materiæ subrogatæ. Unde fit si votum jejunii, v. g. commutandum sit in Eleemosynam; minori eleemosynâ commutandum est votum emissum à paupere quàm à divite; quia difficilius Eleemosyna elargitur à paupere, quàm à divite. Et è contra, si elemosynæ votum commutandum sit in jejunium, pauciora jejunia sunt imponenda laborantibus, & debilibus, quàm otiosis, phlegmaticis, & robustis: Quia sic æqualitas ad commutationem necessaria compensatur. Sic Sanch. *dict. cap.* 56. *n.* 10. cum Soar. *l.* 6. *de voto cap.* 1. *n.* 16. Quibus adde Bardi *ubi supra cap.* 3. *n.* 9. Mend. *disp.* 26. *n.* 221. Escobar *cit n.* 323. Ludovic. à Cruce *disp.* 1. *cap.* 7. *n.* 10. Navarr. Bassæum, & alios, quos affert Leand. *tom.* 7. *tract.* 1. *disp.* 18. *q.* 44.

47. Ex hoc sequitur primò, in voti peregrinationis commutatione, duo esse considerandas: primum, laborem itineris, & alia damna, quæ ei imminent; secundum, expensas, quas vovens facturus est eundo, & redundo in domum suam; ut patet *ex cap. magna, de voto.* Quoad primum certum est ea onera esse attendenda; quia sunt illi voto intrinseca. Et in hoc conveniunt D. D. Soar. *tom.* 2. *de relig. l.* 6. *cap.* 19. *n.* 19. Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 56. *n.* 11. Sayr. Navarr. Prado apud Leand. *cit. q.* 45. Quibus adde Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 3. *n.* 9. 14. & 17. Mend. *disp.* 26. *n.* 223. Escobar. *proximè n.* 325.

48. Quoad expensas, est major dubitatio: Nam Henriq. *l.* 7. *cap.* 30. *n.* 5. Graff. *l.* 2. *decis. cap.* 30. *n.* 19. Angles *part.* 2. *q. unic. de voto art.* 8. *diff.* 6. *propos.* 4. docent in commutatione voti, non esse habendam rationem de expensis in reditu faciendis: Quia votum solùm est de eundo, & non redeundo; & sicut reditus per accidens se habet ad votum, ita etiam expensæ per accidens se habent ad reditum; quia vovens, si velit non redire, adhuc voto satisfaceret.

49. Probabilius tamen dicendum, expensas faciendas in reditu, computandas esse in commutatione: Primò; quia ita constat *ex cap. magna cit.* ubi in voti commutatione expensæ in reditu faciendæ computantur. Secundò, licèt vovens non promiserit reditum; peregrinationem tamen promisit humano, & morali modo; & sic includit ipsum reditum: Ergo si illum prævidit, dum vovit, de expensis in illo faciendis, habenda est ratio in commutatione. Sic Soar. *cit. n.* 20. Rodrig. *in addit. ad Bull.* §. 9. *n.* 108. mutans sententiam, quam alibi docuerat. Sanch. *supra n.* 16. & apud illum plures. Accedunt Bardi *proximè n.* 18. Leand. *q.* 47. & apud ipsum Prado.

50. An verò in commutatione voti habenda sit ratio expensarum peregrinationis, quas homo dives facturus esset in comitatu Equorum, & famulorum? Negant Henriq. ubi *supra* Sayr. *l.* 6. *cap.* 12. *n.* 20. Aragon. 22. *q.* 88. *art.* 2. *dub.* 2. *corollar.* 2. Petrus de Ledesm. *tom.* 2. *tract.* 10. *cap.* 8. Rodrig. *in summ. tom.* 2. *cap.* 100. *n.* 5. Bossius *de jubil. sect.* 2. *cas.* 27. *n.* 22. Probant quia ille comitatus per accidens se habet ad votum implendum: Ergo solùm attendendum est ad expensas suæ personæ, aut unius, vel alterius socii in commutatione voti.

51. Probabilius tamen dicendum, computandas esse in commutatione voti expensas, quas facturus erat juxta sui status conditionem, & non alias ex vanâ ostensione exhibendas; quia primæ sunt æstimandæ moraliter, prout erant futuræ: Non verò aliæ vanæ ostentationis; quia nec placent Deo, nec sunt rectæ rationi consentaneæ. Ita Sanch. ubi *supra n.* 14. Castr. Palao *tom.* 3. *tract.* 15. *disp.* 2. *de voto punct.* 16. *n.* 4. Bard. *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 3. *n.* 18. Soar. Prad. Berthol. de S. Faust. Monet. quos adducit, & sequitur Leand. ubi *supra q.* 46.

SECTIO IV.

Quo modo commutari valeat votum peregrinationis?

UT Confessarius intelligat, quo modo procedere debeat in praxi quotidianâ commutationis votorum, subjicio aliqua commutationis votorum exempla à D. D. approbata; ut facilius his exemplis ductus, ad praxim commutationum votorum procedere valeat.

53. Primum sit, circa votum peregrinationis; in quo, ut *sect. precedente* videmus, considerantur expensæ, & labor itineris. Et quod attinet ad expensas, ab illis primò deducendæ sunt, quas vovens domi facturus fuisset; aliæ verò, quæ supersunt applicandæ sunt illi loco pio ad quem peregrinatio dirigebatur, vel alteri pio loco indigenti, vel pauperibus in Eleemosynam vel Capsulæ Bullæ Cruciatæ, si per Bullam fiat commutatio, ut specialiter *infra* dicimus. Quoad laborem itineris, distinguendum est, num vel peregrinatio futura erat pedestris vel equestris: Si pedestris commutabitur votum in tot jejunia, quot diebus peregrinatio erat duratura: In unum, si uno die erat duratura, in duo jejunia, si duobus diebus, & sic deinceps. Si verò futura erat Equestris; quatuor, vel quinque dies itineris commutentur in unum jejunium; & sic de aliis quatuor, vel quinque diebus superadditis, per quos peregrinatio erat duratura. Escobar. *ut supra n.* 329. Aliqui tamen hanc additionem subjungunt: Ut si peregrinatio per mensem erat duratura, confiteatur semel in mense, & sacram communionem recipiat, & quâlibet hebdomadâ recitet Rosarium, aut Officium B. Virginis; & sic per singulos menses, si per alios menses peregrinatio erat duratura. Sic colligitur *ex cap. Magna, de voto, supra citat.* & docent Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 1. *dub.* 13. Sayr. *in clav. Reg. l.* 6. *cap.* 10. *n.* 20. Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 56. *n.* 40. Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 3. *n.* 23. Tambor. *l.* 3. *decal. cap.* 16. §. 6. *n.* 13. & alii.

54. Si verò per quindecim dies, & infra; sufficiet ultra expensas applicandas, semel confiteri, & sacram Eucharistiam recipere, & bis recitare rosarium, ut jejunia regulentur modo prædicto dierum, per quos erat peregrinatio duratura. At si petens commutationem voti peregrinationis, sit ad tantam paupertatem redactus, ut nequeat expensas itineris in pias Eleemosynas erogare: Poterit commutatio pro quantitate inopiæ fieri in pecuniâ; & alia quantitas expensarum compensetur per preces, & frequentationem sacramentorum, secundùm id, quod expensæ magnæ, aut minores expostulent. Sic Bardi *loco citato.*

SECTIO

SECTIO V.

Quo modo commutari possit votum Castitatis?

55. SEcundum Exemplum sit de castitate: Quia tamen illius votum potest esse, vel de Castitate absolutâ, quod S. Pontifici reservatur; vel de Castitate non absolutâ, quod non est reservatum S. Pontifici; de utroque dicendum per sequentia quæsita.

56. Quæres igitur primò: Quo modo commutari queat votum castitatis absolutæ ab eo, qui à S. Pontifice habet potestatem delegatam? Plures existimant, hujusmodi votum non posse commutari; ac proinde dicunt admittendam esse aliquam dispensationem ab eo, qui potestatem habet dispensandi: quia non datur aliquid æquale, in quod commutari possit. Ita Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 56. *n.* 41. citans Soto, & Aragon. Idem etiam tenet Trullenc. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 18. *n.* 25. licèt addat, posse commutari, si fuerit conditionatum, aut pœnale, etiam post conditionem impletam; quamvis melius, ac tutius sit recurrere ad S. Pontificem ad tollendos scrupulos, ut dispensando, & commutando, vovens maneat in conscientiâ securus.

57. Alii verò existimant, licèt tutius sit dispensationem miscere, posse confessarium ex potestate delegatâ votum Castitatis integræ, & absolutæ commutare hoc modo: ut vovens teneatur sub voto servare castitatem conjugalem, ut singulis mensibus confiteatur, & communicet, eroget eleemosynam ad celebrandas decem missam singulis annis, recitet quotidie tertiam partem Rosarii, aut septem psalmos pœnitentiales cum Litaniis, & precibus sequentibus, & jejunium per omnes ferias sextas. Sic Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 18. *n.* 27. *in fine* ex Ludovic. à Cruce *etiam in Bull. disp.* 1. *cap.* 7. *dub.* 5. *n.* 2. Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 3. *n.* 26. Leand. *tom.* 7. *tract.* 1. *disp.* 18. *q.* 61. & 62. Aliam hujus voti designat commutationem Prado *de just. disp.* 31. *de voto q.* 15. §. 6. *n.* 92. illâ tamen omissâ.

58. Dicendum est, opinionem *n. præcedente*, esse satis probabilem, & tutam. Ratio est, quia ita commutari potest votum castitatis à delegato ex potestate Pontificis, ut constat ex Rescripto solito concedi per Pœnitentiariam, ad eam commutationem faciendam, per hæc verba: *Sibique votum præfatum ad hoc tantum, ut matrimonium contrahere legitimè possit, dispensando commutes, in frequentiam Sacramentalis confessionis peccatorum suorum, singulis scilicet mensibus, ut minimum semel, vel quoties tibi videbitur, & in alia pœnitentia opera per te injungenda, tamdiu duratura, quamdiu commutationi prædictæ locus erit, interque sint etiam alia pietatis opera, quæ quotidie facere teneatur ad eum finem, ut eam adimplens, meminisse semper possit obligationis, qua hujusmodi voto adstringebatur &c.* Ex quibus verbis in tria venit hoc votum commutandum; primum, in confessiones menstruas, ut minimum; secundum, in aliqua pœnitentiæ opera; & sic potest addi jejunium per omnes, & singulas ferias sextas. Tertium, opera pia: & sic potest imponi tertia pars Rosarii, aut eleemosynæ, vel auditio missæ per singulos dies. De his videri potest Marc. Paul. Leon. *in praxi Pœnit. fol.* 124. *vers. Pauca in hac formula, & seqq.*

59. Quæres secundò: Quomodo commutari possit votum castitatis conjugalis? Respondeo cum Bardi *proximè n.* 28. Leand. *cit. q.* 63. in jejunium semel in hebdomadâ; in confessionem, & communionem perpetuò singulis mensibus; aut quid simile juxta conditionem voventis.

60. Quæres tertiò: Quomodo commutari valeat votum non contrahendi matrimonium? Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 56. *n.* 42. inquit, posse commutari in confessionem, & communionem singulis mensibus faciendam per biennium, aut triennium, & in novem sacra facienda, pro quolibet anno triennii, ut intelligunt authores citandi. Huic commutationi addunt Ludovic. à Cruce *cit. supra dub.* 5. *n.* 4. Bardi *n.* 29. Leand. *q.* 64. Rosarium recitandum singulis hebdomadis; vel septem Pater, & Ave quotidie; eo quod consuetudo vigeat in pœnitentiariâ imponendi aliquod opus perpetuum: Quod non esse necessarium, fatentur Tamborin. *l.* 3. *decal. cap.* 16. §. 6. *n.* 17. & Leand. *cit.* Cæterum adverto in pœnit. hoc votum commutari in opera perpetua, ut videre est apud Marc. Paul. Leon. *cit. fol.* 124. *& seqq.*

SECTIO VI.

In quæ opera commutari possit votum assumendi Ordines Sacros?

61. CIrca hoc tertium exemplum, aliqui docti Recentiores apud Sanch. *l.* 4. *cap.* 56. *n.* 48. dicunt, posse hoc votum commutari in recitationem quotidianam Septem Psalmorum Pœnitentialium cum Litaniis, vel Officii Beatissimæ Virginis, vel Rosarii, & in confessionem, & communionem decimo quinto die faciendam, & in celebrare faciendum singulis mensibus; & ut voveat castitatem. Quòd si castitatem vovere nolit, hujus loco jejunet omnibus sextis feriis. At hæc commutatio valdè minor videtur Sanch. *cit.* & Tamborin. *l.* 3. *decal. cap.* 16. §. 6. *n.* 19. & ideo dicunt, quòd vel aliud addatur, vel intermisceatur dispensatio.

62. Quare Bardi ubi *supra n.* 30. addit, quòd, ut securiùs confessarius procedat, loco septem Psalmorum, vel Officii B. Virginis, vel Rosarii, imponat voventi onus recitandi quotidie horas canonicas, aliqua sacrificia suo sumptu celebranda, & frequentiorum sacramentorum receptionem. V. g. decimo quinto die. At hoc ultimum jam ab illis Recentioribus erat designatum, ut vidimus. Quare Bardi solùm addit, loco precum designatarum, horas canonicas; quod videtur approbare Leand. ubi *supra n. q.* 67. Et licèt hoc videatur probabile, & tutum; aliquam tamen confessionem Sacramentalem existimo, in quolibet anno præter designatas in singulis quindecim diebus, addendam esse.

SECTIO VII.

An votum Religionis sit commutabile, & quo modo?

63. QUartum exemplum est, circa votum Religionis. Et non esse hoc votum commutabile, quando est absolutum existimant Sanch. *l.* 4. *cap.* 56. *n.* 41. Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 18. *n.* 18. Probant, quia quæcunque opera pia præscribantur in commutatione, eadem, & excellentiora inveniuntur in Religione; ut sunt sacramentorum frequentia, abstinentia, macerationes carnis, paupertas, obedientia, aliæque multæ preces, & vigiliæ nocturnæ.

64. Sed probabilius dicendum posse commutari ab habente facultatem delegatam, si votum sit absolutum; nam hoc reservatur S. Pontifici: Secus si sit conditionatum. Et sic potest commutari. Ratio est, quia in ejus commutatione non sunt attendenda omnia supra dicta; sed votum ingrediendi Religionem ad experiendam ipsam Religionem: ita ut si illam sibi proportionatam non inveniat, possit egredi; & sic censetur voto satisfeciſſe, ut docet Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 16. ergo prædictæ observantiæ primariò, & per se non sunt attendendæ; quia vovens ad illa non tenetur: Nam si illa non observet, stante voto, non peccat contra votum, ut patet in peccato contra castitatem; ex eo enim quòd vovit Religionem, castitatis votum non emisit; & si post factam professionem ad castitatem teneatur ex voto, & ad alias Religionis observantias, id non provenit ex voto Religionis in sæculo, sed ex voto in professione emissâ: Ergo impossibile non videtur, votum religionis posse commutari; licèt securius sit recurrere ad potentem dispensare; ut simul commutatione dispensationem misceat. Ita docent Ludovic. à Cruce *in Bull. disp.* 1. *cap.* 7. *dub.* 14. *n.* 12. & 13. Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 3. *n.* 34. Soar. *tom.* 3. *de relig. l.* 4. *cap.* 9. Leand. *tom.* 7. *tract.* 1. *disp.* 18. *q.* 65. & apud ipsum Martinez de Prado.

65. Inquires igitur primò: In quæ opera pia commutari possit prædictum votum Religionis ab habente potestatem? Respondeo, in duplici sensu posse hanc quæstionem agitari: In primò, quando vovens promisit aliquam Religionem determinatam, v. g. Divi Francisci, vel Sancti Joannis de Deo. In secundo, quando non emisit votum determinatæ, sed Religionis in genere: Si quæstio procedat in primo sensu, votum illud commutari potest in statum sacerdotalem, vel in castitatem perpetuam; quod si renuerit; in castitatem conjugalem, & Obligationem recitandi horas canonicas, si in illa Religione, quam vovit, illa dabatur; vel in Rosarium B. Virginis, in jejunia, quæ servantur in eâ Religione, de quâ erat votum; in confessionem, & communionem decimo quinto die ad minus; & pro aliis asperitatibus, quæ sunt in illa Religione fiant singulis annis ex eleemosynæ, quæ arbitrio confessarii, juxta facultates voventis singulis annis videantur congruentes; quæ eleemosynæ sint in cultum, & honorem Institutoris illius Religionis, si fuerit Sanctus, aut Beatus.

66. Si verò quæstio procedat in secundo sensu; aliqui existimant, esse prædictis detrahendam recitationem horarum canonicarum; eo quòd vovens poterat in Religione suscipere statum laicorum, vel ingredi Religionem, in qua non detur ea obligatio. Hoc tamen Soar. *supra citato* non placet, quia vovens, quando votum emisit, eum non habuit animum. Unde dicendum est, votum esse commutandum, ut *supra* diximus de voto determinatæ Religionis, nempe in statum sacerdotalem, vel saltem in castitatem conjugalem, obligationem recitandi horas canonicas, vel Rosarium integrum B. Virginis Mariæ singulis diebus, & in eleemosynas, ut *supra* sic Soar. *ubi supra* Bardi *proximè n.* 35. Leand. *citat. q.* 66. & apud ipsum Sanch. Marchin. Ex quibus aliqui notant, securius esse ad habentem potestatem recurrere, ut simul misceat dispensationem.

67. Hoc tamen votum, in praxi Pœnit. dispensando, commutatur in frequentiam sacramentalis confessionis peccatorum; Singulis scilicet mensibus, ut minimùm semel; & in alia pœnitentiæ opera perpetua, inter quæ sint aliqua Religionis, quam vovit. Ut ex Rescripto pœnitentiariæ constat apud. Marc. Paul. Leon. *in praxi Pœnit. fol.* 80. *& seqq.* cum verò per Pœnitentiariam in voto, partim dispensetur, & commutetur partim, sic poterunt habere locum in purâ commutatione ea, quæ *in prædictis n. n.* sunt designata.

68. Inquires secundò: An votum ingrediendi Religionem arctiorem, æqualiter commutetur, in votum profitendi, & perseverandi in laxiori? Negant Soar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 4. *cap.* 9. *n.* 2. Tambur. *l.* 3. *decal. cap.* 16. §. 6. *n.* 16. Probat Soar. quia id, quod additur, nempe professio, & perseverantia non sufficit ad æqualitatem; si ergo aliunde non suppleatur, vel dispensetur, non erit licita ea commutatio.

69. Probabilius tamen dicendum, licitam esse prædictam commutationem, quia melius, & gratius est Deo profiteri, & perseverare in laxiori Religione, quàm ingredi strictiorem: Ergo benè supplentur per votum additum perseverantiæ, strictiores observantiæ; quæ in strictiori Religione inveniuntur. Sic cum D. Antonin. & Palud. Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 16. *n.* 17. & Latius *n.* 20. & cum Ludovic. à Cruce Sylvest. Trullench. & Barthol. à S. Fausto Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 3. *n.* 38. quibus accedit Leand. *tom.* 7. *tract.* 1. *disp.* 18. *q.* 60.

70. Duo tamen hic advertenda sunt: Primum, cum Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 16. *n.* 13. & pluribus, apud ipsum, Navarr. *in summ. cap.* 12. *n.* 46. Rodrig. *in summ. part.* 2. *cap.* 95. *n.* 3. Bardi *loco citat. & n.* 48. Leand. *proximè*, prædictam sententiam esse intelligendam, si in Religione illa laxiori, in quam fit commutatio, vigeat Regularis observantia: Nam si quoad substantialia sit collapsa sine spe proximæ reformationis, certum est votum Religionis, sive strictæ observantiæ, & determinatæ in individuo, vel in genere, non posse in illam commutari; quia votum de eâ Religione, sic collapsa est nullum; quia est de re mala. Oppositum tamen non improbabiliter tenet Mend. *in Bull. appendic. disp.* 2. *n.* 169. & 170.

71. Secundum advertendum: Si facta prædicta commutatione vovens non profiteatur in ea Religione laxiori; quia redditus est impotens ad profitendum, eo quòd fuit expulsus; vel aliam ob justam causam, non teneri ingredi primam Religionem arctiorem; quia per commutationem in Religionem laxiorem, extinctum fuit illud votum. Et hoc intelligendum puto, cum Bardi *cit. dict. n.* 38. Soar. & Sanch. loquen-

tibus de voto in communi, sive impotentia profitendi provenerit absque culpâ, sive cum illâ: quamvis enim commiserit mortale, ex propriâ culpâ apponendo impotentiam profitendi, reverâ tamen est redditus impotens ad professionem emittendam.

SECTIO VIII.

An votum arctioris Religionis possit commutari in votum profitendi, & perseverandi in aliqua ex Religionibus Militaribus?

72. Hæc difficultas etiam procedit circa voti Religionis commutationem. Et quod attinet ad commutationem in Religionem S. Joannis Hierosolymitani? Affirmant Aragon. *in* 22. *q* 88. *art.* 11. Rodrig. *in summ. part.* 2. *cap.* 97. *n.* 8. Azor. *tom.* 1. *l.* 13. *cap.* 4. *q.* 4. Fernand. *in examin. Theol. moral. part.* 3. *cap.* 9. *sect.* 11. §. 18. *n.* 10 Regius. *in resol. casuum conscient. cas.* 53. *n.* 15. Cened. *de paupert. relig. dub.* 10. *n.* 6. quos refert Dian. 2. *part. tract.* 16. *resol.* 38. ubi id probabile judicat æquè, ac contrarium; quibus accedit Mend. *in appendic. ad Bull. disp.* 2. *n.* 170. & *de Ordin. milit. disquis.* 3. *n.* 146. Probant, quia hic ordo est vera Religio, ut docent communiter D. D. & votum ingrediendi illum Ordinem, est reservatum S. Pontifici; nec ab Episcopo, aut per Bullam Cruciatæ, potest commutari; ergo qui votum emisit Religionis, satisfacit voto, si hunc Ordinem ingrediatur. Confirmatur quia si votum Religionis strictioris potest commutari in votum profitendi, & perseverandi in laxiori, ut vidimus *supra*, benè etiam poterit commutari, in votum profitendi, & perseverandi in ordine S. Joannis Hierosolymitani. Hæc sententia videtur probabilis.

73. Probabilior tamen est, & tenenda negativa sententia; quia licèt ordo S. Joannis Hierosolymitani sit vera Religio confirmata à sede Apostolicâ; qui tamen emittunt votum Religionis, intendunt explicitè, & implicitè statum viventium in communi, à pompis, ac tumultu sæculi alienum, quod non datur in Religione Melitensium. Ita Sanch. *tom.* 1. *decal. l.* 4. *cap.* 16. *n.* 12. Barthol. à S. Faust. *in thes. relig. l.* 1. *q.* 187. *n.* 3. Portel. *in addit. ad dub. regul. Verf. Religiosus n.* 4. & alii apud Dian. *cit.* quibus addo Bard. *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 3. *n.* 46.

74. Quod attinet ad alios ordines militares, nempe Christi, Avisii, S. Jacobi, Calatravæ, & similium, adhuc aliqui absolutè docent, posse prædictum votum Religionis in hos ordines commutari; ut asserunt Navarr. Medin. Barthol. à S. Faust. apud Dian. *supra*, Basil Pont. *tract. de impedim. matr. casu* 27. *q.* 2. §. 4. qui dicunt, satisfacere voto ingrediendi Religionem illum, qui horum Militum Ordinem ingreditur: Ergo etiam in illas poterit fieri commutatio.

75. Cæterum ad hujus quæstionis veram resolutionem, utendum nobis est aliquâ distinctione: Nam in his Ordinibus militaribus sunt Equites, qui emittunt professionem trium votorum, Paupertatis, Castitatis conjugalis, & Obedientiæ perpetuæ, propositum tamen retinent, & inter sæculi delicias versantur. Sunt etiam clerici fratres militares, professionem emittentes trium votorum, & Castitatem vovent absolutam, proprium non retinent, in communitate diu degunt, & disciplinæ Regularis exactè sunt observatores, in salutem proximorum spiritualem incumbunt, dum Parochi, Prioris aut Vicarii munus exercent. Tales sunt qui in conventibus Nabantini Ordinis, hoc est de Thomar, Avisii & Palmelæ degunt. Hoc supposito.

76. Dico primò: Votum Religionis non potest commutari in votum Equestrium militarium Ordinum; quia non sunt strictè, & propriè Religiosi, ut docent supra viginti D. D. apud Mend. *de Ordin. Militar. disquis.* 2. *n.* 48. quia cum voto castitatis possunt contrahere nuptias. Et quamvis asseramus hos Equites esse strictè, & propriè Religiosos; ut plures affirmant, apud eundm Mend. *dict. disquis.* 2. *n.* 28. cùm tamen possint inire matrimonium, proprium retinere, & inter sæculi delicias versari, & familiam habere; & non ad sectandam perfectionem, sed ad honores consequendos ambire, & è contra, qui emittit votum Religionis, ab his intendit esse remotus, non intelligens hunc Religionis statum, cùm votum emisit: Ergo nec in illum Equestrium Ordinum votum Religionis potest commutari. Et in hoc sensu intelligo Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 16. *n.* 11. Barthol. à S. Fausto *ubi supra* Azor. *tom.* 1. *l.* 13. *cap.* 3. *q.* 2. & alios, quos refert, & sequitur Bardi; & expressè tenet Mend. *in Bullam. disp.* 2. *appendic. n.* 168. & *de Ordin. milit. disquis.* 3. *n* 141.

77. Dico secundò: Votum Religionis arctioris potest commutari in votum profitendi, & perseverandi in Religionibus Militaribus clericorum fratrum qui vivunt in communitate sub suo Prælato, ut in hoc Regno sunt degentes in monasteriis Ordinis Christi, & conventibus Avisii & Palmelæ. Et idem dicendum de similibus, in aliis Regnis. Ratio est, quia hi strictè, & propriè sunt Religiosi, & à pompis sæcularibus alieni, emittunt tria vota Paupertatis; Castitatis absolutæ, & Obedientiæ perpetuæ; & in omnium sententiâ sunt propriè, & strictè Religiosi; & qui eorum statum assumit, satisfacit voto Religionis in genere à se emisso; & votum ingrediendi hos ordines est reservatum. Ita expressè Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 16. *n.* 12. & Mend. *locis citatis.* Nec dissentit Bardi *ubi supra n.* 44. *in fine*, ubi sic ait. *Et idem dicerem* (nempe, posse commutari votum Religionis arctioris in votum profitendi, & perseverandi in Religione Militarium) *si mihi certum foret, quod supponit Sanch. & alii, scilicet dari congregationem in aliquo Ordine militari, ubi vivant in communi, & immobiliter profiteantur, quod tamen saltem in Italiâ; quod ego sciam, non datur talis congregatio, neque etiam Melitæ, ubi flos hujus Ordinis Militaris viget.*

78. Immeritò igitur arguitur à Mend. *loco citat. appendicis ad Bull. de confessione*; eo quòd non distinguit eos, qui in ordinibus militaribus includuntur; nempe Equites, & fratres clericos; quia Bardi de his fratribus clericis, qui vivunt in communitate, & immobiliter profitentur, notitiam non habuit, eo quòd non sint in Italia, in qua scripsit; at si dentur in aliis Regnis, putat idem, quòd Sanch. Mend. & nos amplexi sumus.

79. Non tamen convenio cum Mend. quatenus id extendit ad ordines Militares fœminarum hujus Regni; quales sunt degentes, pro-

fessio-

fessione emissâ, in conventibus Incarnationis sub regulâ S. Benedicti, & sanctorum, Vulgò *Sanctos* Ordinis Sancti Jacobi; quamvis enim in communitate vivant, & emittant professionem; non emittunt castitatem absolutam, sed tantùm conjugalem; & de facto aliquæ matrimonium contrahunt, proprium retinent, habitum non gerunt Religiosum, sed tantum in choro, & pallium Ordinis aliquoties per plures dies singulis annis, in domibus paternis, vel fratrum de facultate Comendatricis, feriantur. Cùm ergo strictè, & propriè non sint religiosæ, nec votum Religionis ab aliquâ fœminâ emissum commutari potest cum voto profitendi in his conventibus militaribus fœminarum; nec votum emissum à fœmina ingrediendi hos Ordines, est S. Pontifici reservatum; quia propriè, & strictè Religio non est, juxta probabilem sententiam.

SECTIO IX.

An per assumptionem ad Episcopatum, ad æqualitatem commutari valeat votum, ingrediendi Religionem?

80. PRima sententia affirmat; quia status Episcopalis est perfectior statu Religioso; ut constat *ex cap. licèt de Regular. & cap. Veniens, de jure jurando:* Ergo votum Religionis excedenter commutatur in votum assumendi Episcopatum. Ita Abbas, & alii Juristæ, apud Soar. *tom. 3. de Relig. l. 1. cap. 19. n. 1.* Rodrig. *in summ. tom. 2. cap. 6. n. 6.* Henriq. *l. 10. cap. 32. n. 5.* Vivald. *1. part. Cand. de matr. ubi de impedimento voti, n. 89.* Sâ *Verb. Episcopus n. 2.*

81. Secunda tamen, & tenenda sententia negat. Ratio deducitur, *ex cap. per tuas, de voto*; in quo Innocentius III. consultus ab Episcopo Gratianopolitano; qui ante susceptum Episcopatum votum emiserat ingrediendi Religionem, illi respondit his verbis; *Si tuam desideras sanare conscientiam, regimen resignes Ecclesiæ, & redde Altissimo vota tua.* Ex quibus apertè constat, per assumptionem Episcopatus non posse votum Religionis commutari; nam si posset, non ita respondisset. S. Pontifex. Sic D. Thom. 22. *q.* 189. *art. 3. ad 1. Cajet. ibidem* Soar. *cit. n. 3.* Lessius *l. 2. cap. 40. dub. 10. n. 103.* Sanch. *l. 4. decal. cap. 17. n. 5.* Fagund. *in 2. decal. præcept. l. 2. cap. 49. n. 21.* Laym. *l. 4. tract. 5. cap. 6. q. ult.* Castr. Palao *tom. 3. tract. 16. disp. 1. punct. 6. n. 2.* Azor. *tom. 1. l. 11. cap. 16. q. 2. & cap. 22. q. ult.* quos referunt, & sequuntur Bardi 2. *part. tract. 7. cap. 3. n. 52.* Leand. *tom. 7. tract. 1. disp. 18. q. 59.*

82. Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur cum Soar. & Bardi *locis citatis*, perfectiones status Episcopalis, & status Religiosi esse diversarum rationum; nam status Episcopalis, licèt sit perfectior statu Religioso; quia est status perfectionis exercendæ, seu alienæ. At status Religiosi est perfectionis acquirendæ, seu propriæ; ac proinde utilior, & securior statu Episcopali: Nam hic multa involvit pericula, & excitamenta ad malum, ratione bonorum, divitiarum &c. Ut videre est apud. Soar. *ubi supra* Less. etiam *cit. l. 2. cap. 40. n. 103.*

SECTIO X.

Proponuntur alia exempla commutationis particularium votorum.

83. QUintum exemplum commutationis voti est de eo, qui vovit jejunare singulis feriis sextis aut diebus Sabbati, per totam vitam. Aliqui apud Sanch. *l. 4. cap. 5. n. ult.* hoc votum commutant in confessionem, & communionem decimoquinto quoque die, & tria sacra facienda per unum annum integrum. Vel in recitationem Rosarii B. Virginis, & eleemosynam modicam feria eâdem Sextâ; vel Sabbato perpetuò faciendam. Sed hoc parum videtur Sanch. *cit.* & Ludovic. à Cruce apud citandos. Si tamen prædictæ commutationes durarent per triennium, aut adderetur recitatio Rosarii quotidiana per annum, illas Sanch. admittit.

84. Alii verò prædictum votum sic commutant: Ut vovens recitet Rosarium flexis genibus, illâ feriâ Sexta, vel Sabbato, aut semel in hebdomadâ perpetuò. Vel sic, ut recitet coronam Domini flexis genibus, & tribuat parvam Eleemosynam in illis diebus, vel semel in hebdomadâ per totam vitam. Sic Tamborin. *l. 3. decal. cap. 16. §. 6. n. 20.* & Leand. *tom. 7. tract. 1. disp. 18. q. 52.* & apud ipsos Ludovic. à Cruce. Idem tenet Bardi *part. 2. tract. 7. cap. 3. n. 66.* addens, etiam posse commutari in recitationem septem Psalmorum pœnitentialium cum Litaniis, & precibus in prædictâ feriâ sextâ, vel Sabbato, vel semel in hebdomadâ. Quas intelligo recitandas flexis genibus. Si tamen votum erat pro animâ defuncti; commutetur in recitationem Officii defunctorum pro eâdem die, vel in confessionem, & communionem decimo quinto die, vel in eleemosynas pro animâ ipsius defuncti. Ex his patet quomodo jejunium unius dici possit commutari.

85. Sextum exemplum; quomodo possit commutari votum jejunii unius diei in pane, & aquâ? Respondeo: In recitationem Rosarii flexis genibus, additâ verberatione corporis: Vel in eleemosynas competentes facultatibus volentis vel melius in unam confessionem, & communionem. Sic Bardi *cit. n. 66.* Tamborin. *proximè n. 22.* Leand. *supra q. 54.*

86. Septimum exemplum est circa votum erogandæ eleemosynæ? Bard. *loco cit.* Tamborin. *n. 23.* Leand. *q. 55.* asserunt hoc votum debere commutari in servitium in Hospitali per tempus, & dies, quibus videatur compensatio fieri competens eleemosynis, quæ ex voto faciendæ erant. Et idem dicendum vice versâ; si votum erat de servitio in Hospitali. Existimo tamen attendendum esse ad quantitatem eleemosynæ; nam eleemosynæ parvæ votum, sicut illius trangressio non est peccatum mortale; ita etiam poterit commutari in quinque Pater, & Ave pro animabus in Purgatorio existentibus, quæ etiam eleemosyna est, si verò quantitas eleemosynæ excedat quantitatem ad peccatum mortale sufficientem si furaretur, juxta illius quantitatem commutatio est metienda.

87. Octavum, in quod opus commutari potest confessio, & communio suscipienda tali die? Respondent Bardi: Tamborin. & Leand. *locis citat.* in actum amoris Dei super omnia, jejunium, &

Rosarium, aut coronam B. Virginis. Ego tamen addo, si votum prædictum fuit emissum in honorem alicujus Sancti; quod dicta commutatio fiat in vigiliâ illius Sancti.

88. Nonum, in quod commutetur votum celebrandi missam? Respondeo, quòd in communionem, & recitationem Rosarii, aut Officii B. Virginis, vel eleemosynas competentes, aut jejunium. Sic Bardi Tamborin. Leand. *locis citatis*.

89. Decimum, in quod commutabitur votum recitandi semel in hebdomadâ septem Psalmos pœnitentiales?. Respondeo: in jejunium pro eâdem die, pro quâ fuit votum; vel pro semel in hebdomadâ. Sic cum Ludovic. à Cruce Tamborin. *n.* 21. Leand. *q.* 58. Etiam hoc votum commutarem in recitationem Rosarii, pro eâdem die, & eisdem circunstantiis, quibus fuit emissum votum, nempe flexis genibus, si Psalmi pœnitentiales flexis genibus erant recitandi, vel in eleemosynam pro sustentatione congrua unius diei pauperis mendici.

90. Undecimum, quomodo commutabitur votum eundi ad Virginem de Pilar in hâc civitate? Respondeo cum distinctione: nam vel votum fuit eundi nudis pedibus, vel non: Si primum etiam attendenda est itineris distantia & conditio personæ: potest tamen commutari in confessionem, & communionem suscipiendam in eâdem Virginis Sanctissimæ Ecclesiâ, etsi ad eam Ecclesiam non vult accedere; addat, vel jejunium unius diei vel recitationem Rosarii Beatissimæ Virginis. Si secundum existimo, sufficere confessionem, & communionem in alia Virginis Mariæ Ecclesiâ, vel in aliâ quâcunque; vel recitationem Coronæ B. Virginis.

SECTIO XI.

An propria authoritate possit quis sua vota in evidenter melius commutare?

91. EXpositis, quæ ad votum in communi, & illius commutationem rectè peragendam spectant: restat, ut agamus de privilegio in Bullâ concesso ad vota commutanda; quia tamen ad rectam commutationem requiritur æqualitas, ut hactenus ostendimus; inquirendum est, an præciso Bullæ privilegio, valeat quis authoritate propriâ suum votum commutare? In triplici sensu hæc quæstio agitari potest. In primo, quando commutatur votum in id, quod est evidenter melius; in secundo, quando commutatur in æquè bonum. In tertio quando commutatur in minus bonum, respectivè ad id, circa quod votum fuit emissum. In hâc sectione dicendum de quæstione in primo sensu, in sequenti de eâdem in aliis duobus sensibus. His suppositis.

92. De quæstione in primo sensu: Negant, posse aliquem authoritate propriâ commutare suum votum in bonum evidenter melius, Innocent. Joann. Andræas, Hostiens. D. Anton. Abbas. Henric. Bellam. Felinus, Alex. de Nevo, D. Bonav. Sylvestr. Richard. & alii apud Sanch. *l. 4. decal. cap.* 49. *n.* 2. Probant primò, *ex Levitic. cap. ult.* in quo præcipit Deus, quòd si quis voverit Deo immolare aliquod animal, non possit illud votum in melius mutare. Secundò, *ex cap. licet, de Regular.* ubi non licet religioso professo transitus à laxiori Religione ad strictiorem, nisi petitâ licentiâ à Prælato, & tamen hæc commutatio est de re meliori. Tertiò, *ex cap.* 1. *de voto*, ubi statuitur voti commutationem ab eo, qui præsidet, nempe à Prælato: ergo voti commutatio non potest fieri in evidenter melius authoritate voventis. Quartò, quia commutare est actus jurisdictionis, quam nemo in se ipsum exercere potest. Quintò, promissio facta homini de re determinata, non potest à promittente pro suo arbitrio in meliorem commutari, *ex l. mutuum. §. Nam in cæteris ff. si certum petatur.* Sextò, pœnitentia sacramentalis non potest authoritate propriâ in meliorem commutari: ergo neque votum.

93. His tamen non obstantibus, communis est opposita sententia, quam sequuntur Navarr. Soar. Azor. Valent. quos, & alios usque ad sex supra triginta refert, & sequitur Sanch. *proximè n.* 4. Trullench. Fagund. Dian. Tamborin. Verricelli, Bassæus, quos adducit, & sequitur Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 153. *& tom.* 7. *tract.* 1 *disp.* 18. *q.* 7. His accedunt Castr. Palao *tom.* 3. *tract.* 15. *disp.* 2. *punct.* 25. *num.* 2. Ludovic. à Cruce, Barthol. à S. Faust. quos affert Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 1. *n.* 3. Mend. *in Bull. disp.* 26. *n.* 36.

94. Probatur primò authoritate juris, in quo hæc res est definita *ex cap. pervenit.* 2. *de jurejurand.* ibi: *Non enim propositum, aut promissum infringit, qui in melius illud commutat.* Idem Gloss. *& ex cap. licet, de regul.* ubi statuitur de Religioso professo, qui à suo Prælato petit licentiam transeundi ad Religionem strictiorem, & illam non obtinuit; posse authoritate propria ad illam transvolare, commutando votum prioris Religionis, in melius. *Et ex cap. Scripturæ de vot.* ubi dicitur: *Reus fracti voti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur Religionis observantiam commutare.* Et Gloss. ibi: asserit, id fieri sine authoritate superioris.

95. Secundò probatur ratione; quia per talem commutationem Deo offertur id quod illi est gratius: ergo Deus, quod melius est acceptat, loco minoris, quod illi fuerat promissum. Unde si Deo promisisti cereum, & loco illius offeras calicem argenteum deauratum, manifestum est, te satisfecisse plenius tuæ promissioni.

96. Adverte tamen, primò cum Bardi ubi *supra num.* 11: in his commutationibus, bonum melius non debere intelligi absolutè; sed id quod melius est in ordine ad voventem, & finem, quem intendit, emittendo idem votum. Unde illud censetur melius, quod est utilius voventi, consideratis circunstantiis, ut notant D. D. v. g. Si quis vovit jejunium ad macerandas carnis voluptates, & velit authoritate propria commutare illud jejunium in eleemosynas, in sumptionem Sacræ Eucharistiæ, non diceretur in melius commutare; quamvis eleemosynarum elargitio, & sumptio Eucharistiæ sint actus excellentioris virtutis; quàm sit maceratio carnis per jejunium; ad finem tamen intentum non sunt media proportionata, ut est jejunium: eligat ergo hic volens commutare in melius suum jejunium emissum ad prædictum intentum, carnis austeritates, v. g. dormire per noctem in terra nuda, vel quid simile; quod sibi videatur melius conducere ad finem, quem habuit emittendo voti jejunium; & sic in melius suum commutabit votum.

97. Adverte secundò cum Castr. Palao *tom.* 3. *tract.* 15. *disp.* 2. *punct.* 15. *n.* 2. *Vers. Diximus:* quòd si votum, quod vovens in melius authoritate

pro-

propriâ vult commutare, est reservatum; non potest illud commutare; non ex eo quòd fit melius bonum, sed ut prudenter, & maturè fiat; si tamen commutatio voti reservati fiat authoritate propriâ in statum Religiosum, commutatio locum habebit; quia apud omnes compertum est, nihil esse hoc statu Deo gratius; & hanc perfectissimam commutationem S. Pontifex, cùm vota reservat, non prohibet. Sic Palaus *cit.* ubi alios citat. Vide *infra*, *sect.* 31.

98. Adverte tertiò cum Mend. *disp.* 26. *n.* 42. ex Gordon. & aliis citandis, vovent em, qui authoritate propriâ suum votum in melius commutavit, non posse regredi ad primum votum, quia ad minus bonum erit regressus. Secus dicendum, si authoritate Prælati, aut Jubilæi, aut alterius privilegii facta est commutatio in minus, vel æquale: Ratio est, quia hæ commutationes fiunt in gratiam, & favorem voventis, & semper in illis subintelligitur, nisi ipse vovens velit ad priorem materiam, de quâ erat votum, regredi. Ita etiam Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *de voto cap.* 16. *n.* 20. & alii communiter, apud Dian. *part.* 2. *tract.* 16. 2. *Miscel. resol.* 6. ubi pro oppositâ sententiâ plures citat.

99. Restat, ut respondeamus fundamentis contrariæ sententiæ *n.* 92. *allatis.* Ad primum enim Levitici respondeo, illam legem solum esse pro animalibus per votum Deo oblatis, & cùm fuisset cæremonialis, nunc non obligat; ut cum Oleastr. & Soar. tenet Sanch. ubi *supra n.* 9. Aliam, si placet, vide solutionem apud Bard. *citat. n.* 7.

100. Ad secundum *ex cap. Licèt*, respondetur, illam petitionem ad strictiorem Religionem fuisse requisitam; ne transitus fieret ex animi levitate cum damno prioris Religionis; & semper decebat, certiorem facere superiorem de eo transitu, à cujus Religione recedebat Religiosus, & ideo in eo textu ita à S. Pontifice fuit dispositum.

101. Ad tertium *ex cap.* 1. *de voto?* Respondeo, id ideo fuisse dispositum, quia difficilimum est in rebus propriis judicium justum ferre; si tamen manifestum sit, materiam loco prioris voti subrogatam esse priori meliorem, authoritate propriâ non impeditur fieri. Unde si hoc ita non sit manifestum, fieri non potest authoritate propriâ commutatio; quia, & ratio, & D. D. postulant ad illam, ut excessus sit manifestissimus, ut videre est apud Sanch. *cit. dict. l.* 4. *cap.* 49. *n.* 8. & apud ipsum Sayr. & Valent.

102. Ad quartum respondetur, commutationem authoritate propriâ non esse actum jurisdictionis, & judicii, sed abundantioris solutionis: ut dicunt Sanch. *cit. n.* 9. Soar. *ubi supra. n.* 13.

103. Ad quintum datur disparitas; quia homines suam peculiarem utilitatem respiciunt; & interdum suam voluptatem, & aliquando est pro ratione voluptas; & ideo possunt postulare rem determinatam promissam: at Deus respicit id, quod hîc, & nunc melius est; & cùm nobis de hoc constat, potest vovens authoritate propriâ votum à se emissum in evidenter melius commutare.

104. Ad sextum, aliqui negant antecedens, asserentes, posse pœnitentem authoritate propriâ commutare injunctam sibi pœnitentiam à confessario in evidentem meliorem; quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 9. *q.* 102. Respondeo tamen, concedendo antecedens cum communi D. D. quos affert præter Leand. *cit.* Dian. *part.* 2. *tract.* 15. *resol.* 53. *& part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 53. *in fine & 5. part. tract.* 14. *resol.* 73. & cum pluribus Soar. *de pœnit. tract.* 8. *n.* 144. Diversa ratio est; quia obligatio pœnitentiæ provenit à voluntate confessarii; sicut obligatio jejunii, audiendi missam in festis, provenit à lege; ergo cùm hæc à subdito non possit in melius commutari; nec etiam pœnitentia à confessario injuncta: at obligatio voti provenit ex voluntate ipsius pœnitentis, qui sibi hanc legem imposuit, dum votum emisit, & alioqui reddit Deo id, quod est evidenter melius.

SECTIO XII.

An propria authoritate possit vovens æquale, vel minus bonum sua vota commutare?

105. QUoad primum in titulo propositum: Prima sententia tenet, posse quemlibet authoritate propriâ suum votum commutare in id, quod est evidenter æquale: nempe, in id, quod in ordine ad finem à vovente intentum, est æquè bonum, ac res ipsa promissa; illam sequuntur Medin. Henriq. Rodrig. Bonac. Moure, Bossius, Leo, Sot. Lopes, Sâ & alii apud Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 154. addit tamen ex his authoribus, oppositam postea tenuisse Sot. Sâ, & Rodrig. Illam probabilem dicit Dian. 1. *part. tract.* 16. 2. *miscel. resol.* 7. & absolutè illam tenet *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 25. & Villal. Joann. Sanch. Portel, Joann. de la Crus, Ludovic. à Cruce, apud Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 1. *n.* 12. eandem docet Tamborin. *l.* 3. *decal. cap.* 16. §. 5. *n.* 14. Probat quia etiam per æquale hominis satisfit debito, si ille invitus non est: sed de Dei benignitate præsumere possumus, illum non esse invitum, si illi reddatur æquale: ergo votum in æquale potest commutari. Hæc sententia est probabilis.

106. In praxi tamen probabilior est secunda, & negativa sententia. Probatur primò, quia non est certum, commutationem voti in bonum æquale acceptari à Deo; imò oppositum suadetur *ex cap.* 1. *de voto*, ubi statuitur, hanc commutationem dependeri ab arbitrio Prælati. & plures docent D. D. quos *supra n.* 92. adducimus: ergo si à Prælato dependet, à vovente non potest fieri.

107. Secundò, quia quando res, quæ subrogatur, est æqualis rei promissæ, non est gratius Deo ad subrogatam transire, imo gratius est, perseverare in promissâ, attestante Script. *Ps.* 49. 14. *Redde altissimo vota tua*: ergo dum materia subrogata non est evidenter melior, propriâ authoritate non licèt ad illam transire.

108. Tertiò, quia confessarius, præciso privilegio, & carens jurisdictione pro foro externo, vota in æquale non potest commutare; ergo nec ipse pœnitens, aliàs cur datur privilegium in Bullâ, vel jubileis ad illa commutanda; siquidem sine illo ab ipso vovente possunt commutari? Dixi in principio, *in praxi hanc sententiam esse probabiliorem*, quia difficilimum est in causâ propriâ attingere æqualitatem in proprii voti commutatione. Unde ad superiorem, vel privilegium habentem, recurrendum est.

109. Hanc sententiam communiter defendunt authores. Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 49. *n.* 13. Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *de voto cap.* 19. *n.* 3. Filliuc.

tom. 2. *tract.* 26. *cap.* 10. *n.* 283. Malder *in* 2. 2. *tract.* 10. *cap.* 15. *dub.* 11. Sayr. Torres etiam *in* 2. 2. *tom.* 1. *q.* 88. *art.* 12. *disp.* 5. *n.* 12. Castr. Palao *tom.* 3. *tract.* 15. *disp.* 2. *punct.* 14. *n.* 4. Laym. *l.* 4. *tract.* 4. *cap.* 8. *n.* 9. & alii, quos omnes citat, & sequitur Bardi *ubi supra à n.* 13. Idem Less. *l.* 2. *cap.* 40. *n.* 105. *in* 2. *editione.* Prado *de just. cap.* 31. *de voto q.* 15. §. 2. *n.* 21. & apud illum Galleg. & Barthol. à S. Faust. & 2. Tener. 2. 2. *disp.* 5. *q.* 4. *dubio* 5. *n.* 81. Mirand. *in man. tom.* 1. *q.* 20. *art.* 2. Sayr. Reginald. Trullench. Fagund. & alii, quos congerit, & sequitur Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 154. *& tom.* 7. *tract.* 1. *disp.* 18. *q.* 9. & Escobar. *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 601. His accedit Mend. *disp.* 26. *n.* 38. at ne amittat morem contradicendi Bardum, oppositam sententiam suadet in appendic. *disp.* 2. *à n.* 156. dissolvendo sua, & Bardi fundamenta, quæ tamen, meo judicio, pro praxi non manent soluta.

110. Ex hac nostra sententiâ, manet sine controversia resolutio negativa pro secundo appositio in titulo hujus sect. Nam si aliquis authoritate propria non potest suum votum commutare in evidenter æquale, à fortiori non poterit in minus; quia si cui conceditur minus, & majus concedi videtur, *ex l. filius familias* §. *fin. F. de donat.* & aliis apud Barbos. *de Axiom. Jur. Axiom.* 140. *n.* 5. etiam cui non conceditur majus, minus non censetur concessum.

111. Unde sequitur primò, non esse audiendum Tamborin. *l.* 3. *decal. cap.* 16. §. 5. *n.* 8. existimantem, commutationem in paulò minus, moraliter æqualem reputari; cùm parum pro nihilo reputetur. Quia non est moraliter æquale id, quod in aliquo paulò minori materiæ primi voti non adæquatur: moralis enim æqualitas excludit id ipsum paulò minus.

112. Secundò sequitur, cum distinctione esse admittendam primam sententiam (quam diximus probabilem) in hoc casu, nempe: quando commutatur votum in materiam evidenter æqualem; & dubitatur, an materia posterior, in quam votum commutatur, sit æqualis; nam in hoc casu non potest votum commutari; quia commutaretur in minus; nam licèt materia subrogata sit æqualis, non est tamen æqualis in bonitate; cùm de illâ bonitate æquali dubitetur. Hæc est contra Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 49. *n.* 14. & Bardi ubi *supra n.* 14. *in fine.* At si dubium sit, aut probabile, materiam subrogatam esse meliorem, tunc erit commutatio licita; quia jam fit in materiam æqualem, & probabiliter meliorem. Et sic consentio cum Sanch. & Bardi, & annuit Escobar. *cit. n.* 601.

113. Tertiò sequitur, nec etiam commutationem in bonum evidenter æquale posse fieri authoritate privati confessarii, quod licèt sic contra authores primæ sententiæ, & ultra illos, contra Lessium, ubi *supra*, & Vivald, quos citat, & videtur sequi Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 48. nostram tamen sequelam docent Sanch. *proximè num.* 13. Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *cap.* 3. *n.* 6. *in* 2. *decal. præcept. lib.* 2. *cap.* 50. *n.* 6. Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 155. Ratio est, quia jurisdictio ordinaria confessoris solùm extenditur ad forum pœnitentiæ: ad hoc autem, nec potestas dispensandi, nec commutandi pertinet, sed ad Ecclesiæ gubernationem pro foro externo.

SECTIO XIII.

An commutatio in bonum æquale, vel minus, virtute Bullæ possit fieri?

114. IN primis supponò ut certum, contra aliquos Theologiæ moralis ignaros apud Navarr. *in man. cap.* 12. *n.* 79. *vers. Duodecimò decimus*, ex eo quòd aliquis Bullam accipit, in qua conceditur posse confessarium ejus vota commutare, non censeri, data ipsa Bullæ acceptatione, vota manere commutata: nam remanent in ipsa efficacia sicut antea, donec à confessario per Bullam electo commutentur. Hoc est adeo clarum, ut oppositum solùm à simplicibus, ut inquit Navarr. astrui possit: relicto igitur hoc delirio.

115. Certum etiam est, posse confessarium, virtute Bullæ, aut similis privilegii electum commutare vota non reservata in bonum æquale; quia id à S. Pontifice conceditur in ipsa Bulla. Et de hoc inter authores nulla est controversia.

116. Dubitatio verò est, & non parvi momenti, an virtute ejusdem Bullæ possit confessarius commutare votum pœnitentis in aliquod minus bonum? Et sententiam affirmativam defendunt Aragon. Metin. Cardin. Tolet, Sa Henriq. Lessius, Rodrig. Angel. Vivald. Cordub. Alcocer, & Saynus, apud Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 50. *n.* 3. His addi possunt Leo, & Homobon. quos affert, & sequitur Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 40. *& part.* 2. *tract.* 16. *resol.* 10. *& part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 23. qui tamen, 1. *part. cit. resol.* 46. cum Sanch. inquit, commutantem vota absque debita investigatione æqualitatis, peccare mortaliter. Eandem. sequitur Bonacin. *de legibus disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 7. §. 3. *n.* 11. Lezan. *in q. q. Regul. tom.* 3. *Verb. Bulla Cruciata n.* 34. Lavorius, Graff. & alii, quos citat, & sequitur Bossius *de jubil. sect.* 2. *cas.* 25. *n.* 15. *pag.* 125. Licèt addat, *n.* 16. securius, & facilius vota commutari à Regularibus, qui simul commutandi, & dispensandi privilegium habent. Idem tenet Leand. *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 14. *q.* 156. qui omnes prædictos citat; quibus addo Tamborin. *in Bull. cap.* 13. §. 1. *n.* 3. Probant quia juxta probabilem opinionem *supra* allatam, potest quis propria authoritate suum votum commutare in bonum æquale: ergo ne dicamus privilegium Bullæ esse inutile, dicendum est virtute illius posse votum alicujus in minus commutari.

117. Negativa tamen sententia est probabilior. Ratio est, quia commutatio nihil aliud est, quàm mutare unam materiam in aliam, ut vidimus *sect.* 3. *in principio*: sed quando votum in minus commutatur, non datur pura commutatio, quia defuit illud minus in materia subrogata, quod dabatur in commutata: ergo virtute Bullæ, votum in minus nequit commutari. Major ab omnibus admittitur, minor est certa, & ampliùs ostenditur; quia in contractibus permutationis requiritur æqualitas inter res permutatas, alias non erit pura permutatio: ergo etiam in commutatione voti, quæ est idem, requiritur æqualitas inter res commutatas, aliter non erit pura commutatio. Consequentia igitur probatur, quia ubi in commutatione non reperitur æqualitas; quia id quod subrogatur, est minus;

nus; necessariò est utendum dispensatione; sed per Bullam non conceditur facultas ad dispensandum: ergo nec ad faciendam prædictam commutationem.

118. Assero tamen hanc æqualitatem, quæ requiritur in commutatione votorum, virtute Bullæ, non esse accipiendam Mathematicè, & Arithmeticè, sed moraliter: nempe, eo meliori modo, quo attingi potest. Prima pars ostenditur, quia impossibile est inter homines attingere æqualitatem Mathematicam, & Arithmeticam, inter materiam, quæ subrogatur, & materiam de quâ erat votum; nam quæ ab uno æstimatur æqualis, ab alio inæqualis judicatur. Secunda pars etiam ostenditur, quia æqualitas moralis tunc datur, quando judicio prudentis, materia subrogata, & ea, de quâ erat votum, censentur æquales, Paulò plus, minusve; quod judicium tunc datur, quando ita à prudentibus æquales judicantur, licèt ab aliis inæquales censeantur; aut quando dubitatur à prudenti, an detur æqualitas; nam si aliquis ex una parte excessus daretur, non daretur dubitatio.

119. Hanc nostram sententiam communiter docent Authores, Sanch. *lib.* 4. *decal. cap.* 30. *n.* 4. citans pro hâc sententiâ sexdecim authores. Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *de voto cap.* 12. *n.* 6. *& cap.* 19. *n.* 7. Fagund. *in* 2. *decal. præcepto, l.* 2. *cap.* 50. *n.* 10. Reginald. *l.* 8. *cap.* 22. *n.* 352. Joann. de la Couf. 1. *part. direct. præcepto* 2. *art.* 2. *dubit.* 10. *conclus.* 2. Laym. *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 8. *n.* 24. Sanctarell. *de Jubil. cap.* 8. *dub.* 1. & alii, quos refert, & sequitur Mend. *disp.* 26. *cap.* 19. *n.* 189. Leand. *cit.* pro affirmativâ sententiâ; quia utramque æquè probabilem judicat. Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 1. *n.* 20.

120. Ad fundamentum affirmativæ, & oppositæ sententiæ *n.* 116. allatum respondetur, non esse inutile privilegium Bullæ, etiam data ea opinione, primò; quia confessarius non potest vota commutare, licèt possit ipse pœnitens per eam opinionem, quia ut *supra* diximus, commutare vota pertinet ad Prælatos, jurisdictionem in foro externo, vel ad privilegium habentes: at in Bullâ hoc privilegium conceditur ipsis privatis confessariis, & non pœnitenti; ut ergo confessarius possit etiam vota pœnitentis commutare, illi per Bullam conceditur facultas, sicut etiam Prælatis conceditur, non obstante probabilitate dictæ opinionis. Addo, etiam esse utile privilegium; quia ea opinio est incerta, & probabilior contraria, ut vidimus. Accedit quod major causa requiritur ad commutanda vota absque Bullâ, quam cum illâ, ut *infra* videbimus *n.* 128. Ergo benè sequitur ex his omnibus rationibus Bullæ privilegium non esse inutile.

121. Hic tamen inquires: An juxta opinionem affirmativam allatam *n.* 116. possit aliquis authoritate propriâ votum recitandi Rosarium B. Virginis, vel jejunandi, emissum pro certa, & determinata die implendum, commutare in sequentem, vel antecedentem diem? Affirmant Eugenius *in Bull. explicat. disp.* 6. *dub.* 5. & ex Petr. de Ledesm. Cornejo *tract. de Legibus disp.* 4. *dub.* 1. defendentes posse commutare in sequentem diem; & à fortiori idem dicent de antecedente die; Probant quia est commutatio in manifestè æquale.

122. Dicendum tamen est, non posse fieri eam commutationem juxta eam opinionem, nisi aliquid addatur, propter illam dilationem; quia ea commutatio non est in bonum æquale, sed in minus valdè, ut constat; sic Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 157. & viri gravissimi, & ipse Eugenius à se consulti. Imò addo idem votum, & simile pro determinata die, vel hebdomada emissum, non posse propria authoritate commutari in eandem materiam adimplendam die, vel hebdomada antecedente, nisi aliquid aliud addatur; quamvis minus addi debeat; quando antea impletur; quam si postea impleatur; & si dilatio sit magis diuturna, major erit commutatio, consideratis circunstantiis, de quibus *supra*.

123. Et hujus ratio est, quia votum certa die implendum; duplicem includit obligationem, nempe rei promissæ, & quòd tempore determinato adimpleatur. Unde, si commutetur res promissa adimplenda tempore antecedente, vel subsequente, adhuc non manet commutata obligatio temporis determinati; quæ in eo voto includebatur. Et inde patet Rosarii, aut jejunii votum determinatum ad certum diem, & ad alterum commutatum; nisi aliud addatur, non manere licitam commutationem; etiamsi fiat, virtute Bullæ, Jubilæi, vel alicujus privilegii. Sic colligitur ex iis, quæ docent Bossius *de Jubil. sect.* 2. *cas.* 27. *n.* 9. Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 56. *n.* 28. Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 18. *n.* 17. *&* 22. Ludovic. à Cruce *disp.* 1. *cap.* 7. *dub.* 1. *n.* 14. *&* 15. apud Leand. *proximè*.

SECTIO XIV.

An ad commutationem voti, per Bullam, requiratur causa?

124. UT hæc quæstio plenè percipiatur, aliæ resolutiones circa causas commutationis sunt afferendæ. Prima sit, quando votum authoritate propriâ in evidenter melius commutatur, nullam requirit causam, ita supponunt D. D. & docent Bardi *part.* 2. *tract. cap.* 1. *n.* 3. Leand. *tom.* 1 *tract.* 5. *disp.* 14 *q.* 158. & cum Azor. Soar. & Sanch. Escobar. *tom.* 1. *in Theol. moral. l.* 7. *n.* 267.

125. Secunda resolutio, quamvis probabile sit, eam causam sufficere ad votum commutandum, quæ sufficit ad illud dispensandum, ut tenent Sylvester. *Verb. Votum* 4. *q.* 6. *in fine* Azor. *tom.* 1. *l.* 11. *cap.* 19. *quæst.* 3. Sayr. *in Clav. Regia. l.* 6. Probabilius tamen est majorem requiri causam ad dispensandum, quàm ad votum commutandum. Ratio est, quia per dispensationem tollitur votum: at non tollitur per commutationem; quia manet idem votum, sub alia materiâ æquali subrogatâ loco prioris. Sic D. D. communiter apud Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 15. Tamborin. *in Bull. cap.* 13. §. 1. *n.* 7. & docet Bossius *de Jubil. sect.* 2. *casu.* 27. *n.* 1.

126. Tertia, causa ad votum commutandum, sufficiens est levitas voventis, inconstantia, inconsideratio, molestia in adimplendo, magna fragilitas cum periculo violandi, repugnantia viri, Parentis, &c. Sic Sanch. *l.* 4. *de cal. cap.* 50. *n.* 23. *& sequentibus* Bossius *cit.* Leand. *proximè q.* 60. Mend. *disp.* 26. *cap.* 18. *n.* 184. Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *de voto cap.* 19. *à n.* 4. Et alii apud Leand. *loco cit.* docent ad commutationem voti in æquale nunquam deesse causam, quia sufficit petitio: qui enim petit, ostendit, libentiùs, & hilariùs

riùs se in alia materiâ votum adimpleturum, ex eo quòd graviter prius exequitur; indeque esse expositum periculo fractionis voti. Et hæc causa est justa, & sufficiens. Quòd verò requiratur causa, patet; quia, ut inquit Sanch. *cit. n.* 17. etiam si commutatio fiat in æquale bonum, nonnihil involvere dispensationis: nam dispensatur in rigore fidelitatis, quamvis solutio, & satisfactio, fiat in alia materia, quæ promissa non erat. Sunt tamen aliqui D. D. *n. præcedente cit.* qui ad commutationem requirunt causam executioni voti obstantem; ut si vovens ad peregrinandum, vel jejunandum, sit debilis. Sed hos authores benè impugnant Soar. *cit. n.* 5. *&* 10. & Sanch. *n.* 21. *&* 22.

127. Quarta resolutio; quamvis aliqui teneant, non requiri causam ad voti commutationem; quando commutatio fit à Regulari, virtute sui privilegii, ut docent Rodrig. Lopes, Bonacin. Henriq. & Bossius apud Leand. *cit. q.* 158. Probabilius tamen est oppositum: quia non est fidelis dispensator ille, qui absque ulla necessitate, offerret rem æqualem Domino suo. Addo, magis consentaneum esse fidelitati Deo debitæ, cùm nulla datur commutandi causa, solvere materiam promissam, quam aliam illius loco subrogatam. Et ita docent Sanch. Sylvestr. Sayr. Azor, Lessius, Ludovic. à Cruce, Trullench. Mald. quos citant, & sequuntur Dian. *part.* 2. *tract.* 16. *resol.* 10. Leand. *proximè.* Accedit Bard. *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 1. *n.* 34. His adductis resolutionibus.

128. Ad quæstionem in titulo propositam: Respondeo, ad commutationem faciendam in bonum æquale per Bullam satis esse pro causâ subsidium, sive eleemosynam, quæ pro commutatione traditur à Bullam habente, in subventionem locorum Africæ, & nulla alia requiritur causa, nisi petere commutationem. Et sic non datur commutatio sine causa; & datur sine illa; quia ultra prædictam eleemosynam ob bonum commune elargitam, nulla alia requiritur causa. Sic etiam dicendum de commutatione, quæ fit virtute Jubilæi; nam opera præscripta in ipso Jubilæo executioni mandata, sufficiunt pro causâ, & nulla alia requiritur. Ita loquentes de Bullâ tenent expresè Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *de voto cap.* 19. *n.* 10. Sanch. *in decal. l.* 4. *cap.* 50. *n.* 19. *& cap.* 54. *n.* 5. Rodrig. *in addit. ad Bull.* §. 9. *n.* 107. Ludovic. à Cruce *in Bull. disp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 4. *n.* 4. Trullench. *ibidem l.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 13. *n.* 6. Henriq. *l.* 7. *de indulg. cap.* 30. *n.* 5. Garnic. *in Bull. pag.* 43. Basil. *in explic. Bull. manuscript.* §. *ult.* quos referunt, & sequuntur Bardi *loco cit.* Mend. *disp.* 26. *cap.* 18. *n.* 185. Barthol. à S. Faust. & alii, quos refert, & sequitur Dian. 1. *part. tract.* 11. *resol.* 39. *& part.* 2. *tract.* 16. *resol.* 10. accedunt Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 161. Tamborin. *in Bullam cap.* 13. §. 1. *n.* 7. Escobar *tom.* 1. *in Theologiâ moral. l.* 7. *n.* 271.

129. Si tamen commutatio voti fiat, virtute Bullæ, in aliquid minus, ut asserebat opinio *sect. præced. allata n.* 116. requiri aliam justam, & rationabilem causam, existimant Cordub. Vivald. & Bonacin. quos adducit, & amplectitur Bossius *de Jubil. sect.* 2. *casu* 26. *n.* 6. Escobar *proximè n.* 270. At oppositum tenendum est, si semel ea opinio admittatur; nam sufficit pro causâ subventio à confessario in commutatione voti assignata; & hac posita, nulla alia requiritur rationabilis causa. Ratio est, quia hanc designat S. Pontifex in votorum commutatione sine aliqua alia distinctione. Quare ad confessarium pertinet hanc eleemosynam designare juxta voventis facultates. Si verò commutatio fiat, virtute Jubilæi, etiam alia non requiritur causa, in cà opinione; quia opera injuncta pro causâ designantur.

SECTIO XV.

An commutatio voti, virtute Bullæ, facienda sit in subventionem temporalem, an verò in Spiritualem?

130. EXpositores Bullæ Hispanæ non conveniunt in resolutione hujus quæstionis; quia in illorum Bullâ latina hæc dantur verba: *Et illis vota omnia (ultramarino Castitatis, & Religionis duntaxat exceptis) in aliquod subsidium hujus expeditionis per eundem confessarium commutari, &c.* At in Bullâ latina Lusitana cum aliqua mutatione inveniuntur, & sic habent: *Vota quæcumque ultramarino, Castitatis, & Religionis votis duntaxat exceptis, in subventionem prædictam, commutare licitè valeat.* Quæ, meo judicio, sunt clariora ad resolutionem. Propono opiniones juxta Bullam Hispanam, & postea proferam meum judicium, juxta utramque Bullam.

131. Prima sententia Expositorum hujus clausulæ Bullæ Hispanæ docet, totam commutationem debere fieri in subsidium temporale, nempe in aliquam aliam eleemosynam pecuniariam. Sic Aragon. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *Vers. Et ad argumentum*, Sot. *l.* 7. *de just. q.* 4. *art.* 3. *Vers. Ratsus circa*, Lopes 2. *part. instruct. cap.* 9. *in fine*, Rodrig. *in Bull.* §. 9. *n.* 109. Navarr. *in summ. cap.* 12. *n.* 80. Vega. Cordub. Anglesi. Petr. de Ledesm. apud Barthol. à S. Fausto. *in Thesaur. Religios. l.* 4. *q.* 75. quibus accedunt Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *disp. unic. de Bull. punct.* 9. *n.* 8. Tamborin. *de Bull. cap.* 13. §. 1. *n.* 11. & apud ipsum Galleg. *in Bull. claus.* 9. *dub.* 160. & Machad. & apud Escobar mox citandum Sanch. *in summ. l.* 4. *cap.* 54. *n.* 56. *&* 57. *& l.* 8. *de matr. disp.* 15. *n.* 1. Idem tenet, præscindendo à mente, & intentione Pontificis, Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 1. *n.* 116. Idem tuetur juxta Bullam Lusitanam *Costa q.* 73. *in fine primi vers.* Probatur à Galleg. & Tamborin. *locis citatis* ex declaratione facta à Commissario Generali anno 1642. quam affert ipse Galleg. expresè declarante, commutationem votorum omnino faciendam esse, vi Bullæ, in subsidium temporale, idque præcipit omnibus confessariis; sub pœnâ excommunicationis: cùm ergo Commissario ex jure competat dubia Bullæ declarare, & referunt prædicti authores ita declarasse; illius declaratione standum est.

132. Secunda sententia opposita asserit, commutationem hanc faciendam esse in subsidium Spirituale, nempe in jejunia, orationes, &c. Pro hac sententia citat Sanch. *infra* afferendus, Alphons. Deza, & Lamas; quibus addit Bardi *supra n.* 111. Anton. Gomes *in Bull. claus.* 10. *n.* 54. Probant, quia juxta Bullam, commutatio facienda est *in aliquod subsidium*: at spirituale subsidium, scilicet orationes, subsidium est.

133. Tertia sententia est media inter utranque: inquit

inquit enim, commutationem hanc posse fieri in subsidium, partim temporale, & partim spirituale. Ita Henriq. *l. 7. cap. 30. n. 6.* Sanch. *l. 4. decal. cap. 54. n. 58.* Soar. *tom. 2. de Relig. l. 6. de voto cap. 19. n. 18.* Villal. *tom. 1. tract. 27. claus. 9. §. 3. n. 38.* Dian. *part. 1. tract. 11. resol. 21.* Ludovic à Cruce *in Bull. disp. 1. cap. 6. dub. 2. n. 5.* Fernand. *in exam. Theol. mora. part. 3. cap. 9. sect. 11. §. 17. n. 1.* Faust. *ubi supra* Trullench. *in Bull. l. 1. §. 7. cap. 3. dub. 11. n. 2.* Mend. *disp. 26. cap. 17. n. 175. Et in appendic. disp. 5. cap. 16. à n. 153.* contra Galleg. ubi intendit satisfacere declarationi Commissarii Generalis. Eandem, ut probabiliorem, tenet Bardi *cit. n. 108.* & Escobar. *tom. 1. Theol. moral. l. 7. n. 685.* Fragos. *tom. 2. disp. 7. n. 30.* Abreus *l. 10. cap. 13. n. 546.* Portel in dubiis *Regul. Verb. Bulla Cruciata n. 2.* Lezan. *ibidem tom. 3. n. 34.* si attendamus ad finem, & intentum S. Pontificis; Probant aliqui ex citatis authoribus ex verbis ipsius Bullæ Latinæ Hispaniæ concessæ, *in aliquod subsidium*; at si dicat Pontifex, aliquam partem debere esse in subsidium belli; & sic eam videtur intelligere ipse Commissarius, dum in summario, sic ait: *Podra tambien el dicho confessor conmutarles &c. dando la limosna, que paricive en favor, el beneficio de S. Cruzada.* sic Mend. & alii. At hæc ratio rectè impugnatur à Bardi *cit. n. 114.*

134. Melius ergo probatur hac duplici ratione à Sanch. Escobar, & aliis. Prima, quia si tota commutatio fieri deberet in subsidium temporale, parvi curarent de commutatione per Bullam, & sic redundaret in damnum Bullæ, & finem intentum à S. Pontifice; qui vult, ut omnes suscipientes Bullam gaudeant omnibus suis privilegiis: contentus ergo præsumitur, ut quilibet pro votorum commutatione contribuat eleemosynam suis facultatibus proportionatam; ut si ex pinguioribus cumuletur quantitas pro Belli expeditione. Secunda, quia Bulla compositionis conceditur pro bonis incertis multo minori summâ, quàm est debita, ne debitores nimium graventur, & alliciantur ad illam sumendam: ergo etiam idem evenire potest in votorum commutatione.

135. Quarta demum sententia est illorum, qui dicunt vota pauperum posse commutari in subsidium Spirituale, si paupertas talis sit, ut nec parvam valeant erogare eleemosynam. Et hoc probabile judicant Lessius *l. 2. cap. 40. dub. 16. n. 109.* Trullench. *in Bullam l. 1. §. 7. cap. 3. dub. 11. n. 3.* Sanch. *loco cit.* Soar. *ubi supra n. 56.* Rodrig. & Raphael. de la Torre apud Dian. *supra*; quibus addo Mend. *supra cit. n. 178.* & apud illum Vivald. & Lamas tantùm quoad vota personalia. Idem tenet Bardi *cit. n. 119.* si exiguam eleemosynam erogare non possint; & Escobar. *supra cit. n. 688.* licèt probabiliorem judicet sententiam *n. 133.* allatam, & probabilem dicit Abreus *citat.* Lezan. proximè; aliqui tamen *ex citat.* authoribus addunt, tutius esse, aliquam ab ipsis exiguam erogari eleemosynam, ut partem commutationis; & partem reliquam per opera pia; at tutius loquitur Escobar, illos pauperes monendo, ut accedant ad Regulares, qui sine Bullæ indulto id onus exigentis, eam poterunt, in pia solùm opera commutare.

136. Hæc sunt placita Expositorum Bullæ Hispanæ, & illorum, quibus hæc clausula occurrit. Quid ego sentiam tam circa prædictam clausulam, quàm circa Bullam Lusitanam, paucis, per sequentes conclusiones, absolvam.

137. Dico primò: Juxta Bullam Lusitanam, & finem à Pontifice intentum, commutatio votorum, vi Bullæ, facienda est in subventionem temporalem, & non in alia pia opera. Hæc conclusio est contra authores citatos pro secunda, & tertia sententia, & contra Fagos. & Abreum citatos pro tertiâ exponentes hanc clausulam Bullæ Lusitanæ, defenditur tamen à sequentibus primam, & à Costa *ibi citato.* Probatur primò, ex verbis ipsius Bullæ latinæ allatis supra, *in subventionem prædictam* in quibus apparet, intentum S. Pontificis esse subvenire efficaciter per eleemosynas pecuniarias ex votorum commutationibus acquisitas locis Africanis: sed orationes, & alia opera pia non habent hanc efficaciam, quia non habent effectum infallibilem: ergo non comprehenduntur in subventione, in quam voto sunt commutanda. Major patet ex dictione *prædictam*, quæ refertur ad subventionem temporalem, de quâ antea dixerat: *Pro opibus, & facultatibus suis potuerint, subventionis auxilia ad effectum subventionis manutentionis militum præfatorum contulerint*, &c. cùm ergo S. Pontifex in nostrâ Bullâ exprimat subventionem temporalem, alia subventio Spiritualis, etiam in parte, locum habere nequit, ut opinabantur Abreus, & Fragos. *supra citati.*

138. Secundò probatur, quia ita declarat Commissarius Generalis in advertentiis ad Bullam, his verbis: *Os confessores advirtam, que acommutaçam dos votos, que fizerem, hadeser em esmolas para a Cruzada, porque assim edispoem. S. Santidade:* cùm igitur ad Commissarium competat declarare Bullæ Cruciatæ dubia, ne in dubium vertatur, quòd in Bullâ est expressum, id Commissarius admonet, & declarat.

139. Tertiò, quia in Bullâ Hispanâ dictio, *aliquod* adjuncta ad *subsidium* præbuit occasionem aliquibus authoribus asserendi, sufficere in commutatione voti aliquam partem debere esse temporalem, & aliam Spiritualem, ut videre est apud Mend. *supra num. 176.* quod tamen impugnat Bardi *cit. n. 114.* existimans, dictionem *aliquod* ad aliud referri: nempe, in favorem expeditionis. In nostra tamen Bullâ, illa dictio non reperitur: ergo juxta illam nullum datur fundamentum, ad asserendum commutationem voti non debere esse totam in subventionem temporalem, nempe pecuniariam.

140. Hanc eandem resolutionem existimo tenendam esse, juxta Bullam Hispanam; quia id ita à Commissario Generali, cui competit dubia Cruciatæ declarare, declaratum fuit, ut docent Galleg. & Tamborin. *locis citatis*; & tenent citati pro primâ sententiâ.

141. Dico secundò: si attendamus ad finem intentum à S. Pontifice in prædictis verbis: commutatio in totum, & non in parte, facienda est in subventionem temporalem; quia ad oppositum nullum datur fundamentum, ut ex dictis Bullæ & Commissarii verbis apertè constat.

142. Nec etiam authoritas tot gravissimorum authorum, pro tertia sententia citatorum, eundem intentum probat, circa Bullam Hispanam, quæ sanè illam opinionem saltem extrinsecè redderet probabilem, nisi de novo superveniret expressa declaratio Commissarii Generalis Hispani; & post il-

lam reputo eam opinionem probabilem non esse, nec probationes *n.* 133. & 134. adductæ id suadent. Nec etiam adductæ à Mend. *in appendic. cit.* Quia licèt Commissarius non asserat expresè totam commutationem fieri debere in subsidium Bullæ; asserit indefinitè, quòd commutatio in ejusdem subsidium fiat; propositio autem indefinita æquipollet alteri: ut tantùm in subsidium fiat temporale. Nec etiam authoritas Fragos. & Abreu eundem intentum probant, circa Bullam Lusitanam, ut ex rationibus allatis expresè constat.

143. Dico tertiò: Etiam vota pauperum commutanda sunt, virtute Bullæ, in subventionem temporalem, juxta suam paupertatem; & si nec exiguam eleemosynam possint elargiri, recurrant ad Regulares habentes ad eas commutationes privilegium; nam virtute Bullæ, absque eleemosyna temporali pecuniaria, commutatio fieri nequit. Hæc resolutio est contra authores quartæ sententiæ, & contra Abreum loquentem, juxta Bullam Lusitanam, esse probabilem. Ratio est, quia Bulla indifferenter loquitur, & absque distinctione, sive vota sint divitum, sive pauperum. Unde dicentes sufficere subventionem Spiritualem pro pauperibus ex præsumpta mente Pontificis, id sine fundamento astruunt; quia in hac parte non est spectandum, quid necessitas suadeat, sed quod privilegium concedit; ideoque tam juxta Bullam Hispanam, quàm Lusitanam, subventio debet esse temporalis, sine personarum distinctione. Et non sufficit, etiam in parte, quòd sit Spiritualis: nam quamvis privilegia, & favores sint ampliandi, non tamen ultra verborum proprietatem, & mentem concedentis: Et sic expresè docent authores pro prima sententia allati.

SECTIO XVI.

Quomodo in praxi commutanda sint vota, virtute Bullæ Cruciatæ?

144. *Supra sect.* 3. vidimus, quæ consideranda sunt in votorum commutatione, & *à sect.* 4. *usque ad* 10. aliqua attulimus exempla, ex quibus prudens confessarius inferre potest, quomodo in commutatione votorum se gerere debeat. Quia tamen exempla ibi allata, solùm inservire possunt, quando commutatio fit, virtute Jubilæi, aut alterius privilegii, in quibus non exigitur, quòd commutatio fiat in subventionem temporalem (sicut in Bullâ Cruciatæ requiritur, ut hactenus monstravimus) sed sufficit, quòd fiat in aliqua opera pia. Opere pretium erit aliqua hoc loco apponere exempla pro designatione pecuniæ in commutatione votorum, & ea, quæ circa hanc pecuniam disponit Commissarius.

145. Quoad primum, nempe, quoad designationem pecuniæ erogandæ in commutatione votorum, virtute Bullæ. Dicendum existimo, tantam esse taxandam, quantam, juxta qualitatem personæ, ejusque facultates, ac juxta gravitatem voti, consideratis omnibus circumstantiis, prudens judicabit confessarius: non enim aliquid certum arbitrari possumus, nisi ad ejus judicium, & prudentiam remittendo harum commutationum designationes.

146. Unum, vel alterum appono exemplum, ex quibus alia deduci possunt. Vovit homo mediocris fortunæ, jejunare omnibus sextis feriis unius anni, & hoc votum sibi commutari vult, virtute Bullæ. Ego hoc votum illi commutarem in duos aureos hoc est, *em dous cruzados*; & si multò majoris fortunæ, in tres aureos: hoc est, *em tres cruzados*: at si fortunæ sit parvæ in quinque argenteos, nempe, *em dous tostoens*.

147. Alterum assigno exemplum: Voviſti unum, & determinatum jejunare diem, vel recitare Rosarium B. Virginis, vel recitare septem Psalmos pœnitentiales cum litaniis, & precibus: quodlibet ex his votis factum à divite: ut confessarius illud commuta in duos argenteos cum dimidio: nempe *em hum tostam*. Si verò vovens sit mediocriter dives: illud commuta in unum argenteum cum dimidio, vulgò *meio tostam*; at si fuerit homo, qui ex suo labore sufficienter vivit, in unum argenteum, hoc est *em dous vintens*.

148. Aliud sit exemplum, si vovens vult suum votum peregrinationis, per Bullam commutare, & peregrinatio duratura erat per duos menses; ut hoc votum commutetur recolenda sunt ea, quæ diximus *supra sect.* 4. & deductis expensis, quæ vovens domi suæ facturus erat, in alias commutetur, simul & in eam pecuniæ eleemosynam, pro singulis jejuniis ibi designatis, cum respectu ad fortunas voventium, ut *n. præcedente dictum est*; & loco Rosarii, confessionis, & communionis *dict. sect.* 4. designatæ, addantur illi commutationi ex eleemosynæ, quæ *præcedente num.* designantur pro quolibet jejunio, forunarum habitâ ratione. Et sic consideratis circumstantiis votorum, & facultatum, vota per Bullam commutabuntur.

149. Quoad secundum; nempe ad praxim, quæ observanda est in eleemosynâ à confessario in confessione votorum taxatâ, est, quòd inferatur in arculam, quæ ad hunc effectum in Ecclesiis est apposita. Sic disponente commissario: *Aesmola da commutaçam dos votos, que os confessores podem fazer, conforme adita Bulla, se hade Lançar nas caixas, que pera este effeito estam postas nas Igreias.* Sic habetur in Advertentiis ad Bullam.

150. In iisdem Advertentiis statuitur, quòd confessarii, nec per se ipsos, nec per interpositam personam, elemosynas Jubilæorum, aut votorum commutationis recipiant, ad effectum illas ejiciendi in capsas; idque exequantur, sub pœnâ excommunicationis ipso facto: per hæc verba: *Os confessores nam tomarám esmolas dos Jubileos, nem das commutaçoens dos votos per si; nem per interpostas pessoas, ainda que seia pera effeito dellas Lançarem nas destas caixas; antes as faram Lançar, edeixar nellas pellas proprias partes, podendo commodamente: enam podendo, per entrem, que nam seia omesmo confessor, aque cumpriram sobpenade excommunham ipso facto incurrenda.*

151. Adverto primò, pœnitentem, qui non immittit in arculam eleemosynam à confessario designatam, peccare, quia commutationis opera non adimplet, ad quæ, ex vi voti denuo subrogati, astringitur: quamvis enim per commutationem à primo voto maneat liber, tenetur materia loco illius subrogatæ ex voto satisfacere.

152. Adverto secundò cum Sanch. *l.* 4. *cap.* 50. *n.* 8. confessarium, qui absque debita æqua-

litatis

nem. Sic expresse tenent juxta Bullam Lusitanam Abreus *de paroch. l.* 10. *n.* 549. Fragoso 2. *part. disp.* 7. *n.* 28. & juxta Bullam Hispanam, Henriq. Sanch. Homobon. Villal. Ascanius Tamborin. Joann. Sanch. Laym. Faust. Lavorius, Bossius. Philipp. de la Crus, Pelachius, Sanctarell. quos refert, & sequitur Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 45. *& part.* 2. *tract.* 2. *resolut.* 9. *& part.* 3. *tract.* 9. *resol.* 25. *& 4. part. tract.* 4. *resol.* 8. *& part.* 5. *tract.* 12. *resol.* 36. Bonac. Trallench. & alii, quos congerit, & sequitur Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 97. Quibus accedunt Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 1. *n.* 47. Mend. *disp.* 26. *cap.* 20. *n.* 201. Fr. Joseph. Mend. *sect.* 1. *n.* 153. *fol.* 83. Escob. *in Theol. moral. l.* 7. *n.* 681. Pro hac etiam sententia citari potest Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *de voto cap.* 16. *n.* 5. quatenus ait, commutationem fieri debere in ipsa confessione, quando privilegium commutandi vota conceditur, sub hac forma: *in foro pœnitentiæ, vel audita confessione*; at si id sufficienter non declaretur, sed solùm requiratur, ad eligendum confessarium approbatum, &c. tunc non esse restringendum usum hujus facultatis ad Sacramentum pœnitentiæ: cùm verò in nostra Bulla, nec etiam in Hispana, ea requiratur forma, sed electio confessarii ad vota commutanda, dicendum est, esse pro hac sententia.

169. Probatur ex ipsa Bulla Lusitana, quæ in hoc non discriminatur ab Hispana; quæ postquam expressit remissionem peccatorum, quam confessarius impendere poterat, addit: *vota quæcunque ultra marina, &c. commutare licitè possit.* Cùm verò hoc privilegium concedatur extra ea, quæ absolvuntur in confessione, & sine ullo respectu ad confessionem Sacramentalem, dicendum est, commutationem votorum à confessario posse obtineri extra confessionem.

170. Ut hæc tamen patefiant, dicendum est primò, commutationem debere fieri à confessario ab ordinario approbato; quia sic disponitur in ipsa Bulla; nam de illo loquitur, qui fuit electus ad absolvendum à peccatis, & censuris, qui ab ordinario esset approbatus, qui etiam possit vota commutare. Ita D. D. citat. Bardi *num.* 45. Mend. *n.* 198. Escobar. *n.* 416. & alii quos referunt.

171. Dicendum secundò, non esse necessarium, quòd confessarius, à quo petitur commutatio, sit idem, à quo vovens à peccatis in confessione fuit absolutus, sed sufficit, quòd ab ordinario sit approbatus. Sic D. D. *citati.*

172. Dicendum tertiò, non obstante, quòd Mend. ubi *supra num.* 199. & ex illo Mendes cit. *n.* 152. quamvis illum non citet, asserant simplicem Sacerdotem, qui pro articulo mortis censetur approbatus, saltem in absentia legitimi confessarii, non posse, virtute Bullæ, commutare vota moribundi; quia ab Ordinario non est approbatus, ut à Bulla requiritur. Oppositum existimo tenendum. Ratio est, quia Sacerdos simplex pro illo articulo ab Ordinario censetur approbatus; approbatus enim pro illo articulo ab Ecclesia, cujus caput, & ordinarius est S. Pontifex, ut constat *ex Trid. sess.* 13. *de Reform. cap.* 7. *de casuum reservat.*; cùm verò legitimè, & secundum jus, pro illo articulo ab Ordinario totius Orbis sit approbatus, potest, virtute Bullæ, vota moribundi commutare. Confirmatur quia si pro illo articulo moribundus à simplici Sacerdote à censuris reservatis, & non exceptis in nostra Bulla, virtute illius, absolvatur, si periculum mortis evadat, non tenetur superiori se præsentare, ut omnes supponunt; & tamen Sacerdos simplex solùm pro illo articulo censetur approbatus: ergo etiam ex eo quòd pro illo articulo censetur, & est approbatus, vota moribundi poterit commutare.

173. Ad fundamentum Rodrig. facilè respondent plures Expositores Bullæ Hispanæ, quos citavimus *dicta disp.* 17. *sect.* 7. negando, non posse absolvi censuras extra confessionem Sacramentalem. Quia tamen juxta Bullam Lusitanam asserimus, non posse, virtute Bullæ, absolvi censuras extra confessionem, respondeo, esse disparem rationem: quia id expresse dicitur in ipsa Bulla; ut videre est *citato loco*: at commutatio in illa conceditur, independenter ab ipsa confessione; ut constat ex ratione pro nostra sententia.

174. Ad id quod addit de confessariis Mendicantibus, qui non possunt, virtute suorum privilegiorum, dispensare, vel commutare vota extra confessionem. Respondeo, ideo esse, quia in iis privilegiis apponuntur pro forma, hæc verba: *in foro pœnitentiæ, vel auditis confessionibus*: at in Bulla Cruciatæ, pro forma commutationis votorum, ea verba non apponuntur; ut ex Soar *supra* dictum est. Addo, quòd in privilegiis saltem nostræ Societatis JESU, ea verba non inveniuntur, ut videre est in Bulla Pauli III. quæ incipit: *Dilecti filii salutem. pagina mihi* 21. ubi sine iis clausulis conceditur potestas commutandi vota, exceptis illis quinque Ultramarino, Visitationis Liminum Apostolorum B. Petri, & Pauli, ac S. Jacobi in Compostella, nec non Religionis, & Castitatis, quod etiam notavit Mend. ubi *supra n.* 205.

175. Cæterum scio, Leand. ubi *supra* cum Quintanaduen. & Ludovic. à Cruce, docere, non obstante dicta clausula in privilegiis Regularium apposita, posse fieri commutationem votorum extra Sacramentum confessionis; quia ea clausula non commutationem votorum, sed absolutionem à peccatis, & censuris respicit: illum tamen impugnat Mend. *cit. dicto n.* 205.

SECTIO XX.

An qui virtute Bullæ potest vota commutare, possit etiam illa dispensare; vel è contra, qui potest dispensare, possit etiam commutare?

176. DUo in præsenti titulo inquiruntur: primum, an sicut, vi Bullæ possunt vota commutari, ut hactenus dictum est, ita etiam possint dispensari? Affirmant Sotal. *de just. q.* 4. *vers. Post hæc*, Palacius *in* 4. *dist.* 38. *disp.* 3. *apud* Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *de voto cap.* 12. *n.* 4. Pro eadem opinione citat Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 151. Sylvestr. Fabien. Card. Tolet. dum asserit, hos authores videri affirmare. Possunt tamen pro hac opinione asseri, omnes asserentes, virtute Bullæ, posse commutari vota in aliquid minus, quos citavimus *supra n.* 116. quia, ut inquit Soar. *cit.* quando commutatio extenditur ad minus, non fit sine magna dispensatione; quia tamen *citato loco* diximus, hanc per Bullam non concedi; non est de hac opinione curandum.

177. Dicendum ergo est, ex facultate concessa in Bulla ad vota commutanda, non concedi facultatem ad vota dispensanda. Ratio est, quia major est facultas ad dispensandum, quàm sit ad commutandum; quia per dispensationem tollitur vinculum voti; at per commutationem in aliud subrogatur: cùm ergo commutatio sit quid minus, non potest includere, quòd est majus: ergo concessa in Bullâ facultate ad commutanda vota, non censetur concessa ad illa dispensanda. Sic Soar. *cit.* Covarr. Sayr. Angles, & Lopes, quos affert, & sequitur Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 1. *n.* 7. Fagund. Moure, Portel, Villal. Homob. Rodrig. Henriq. Sanch. Quintanaduen. quos referunt, & sequuntur Dian. 1. *part. tract.* 11. *resol.* 42. Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 151. quibus accedunt Mend. *disp.* 26. *cap.* 19. *num.* 196. Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap. à n.* 49. Abreus *de paroch. lib.* 10. *num.* 545. Tamborin. *in Bull. cap.* 13. §. 1. *n.* 1. Escobar. *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *num.* 638. Lezan. *in q.* 9. *Regul. tom.* 3. *Verb. Bulla Cruciatæ n.* 34. & alii. Nec Sylvestr. Tabien. & Cardin. Tollet. allati à Leand. stant pro parte opposita; quia loquuntur de commutantibus vota ex potestate ordinaria, non delegata; qualis est, quæ in Bullâ conceditur, & de illis verum est, posse dispensare, qui possunt commutare; ut docet Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 52. *n.* 1.

178. Secundum inquirendum: An qui habet facultatem dispensandi in votis possit illa commutare? Negant Navarr. *in man. cap.* 12. *n.* 79. *& in* §. *in Levit. notab.* 27. *n.* 1. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 18. *quæst.* 7. Medin. *in summ. l.* 2. *cap.* 1. Valent. *in* 22. *disp.* 6. *q.* 6. *punct.* 7. *vers. Denique* Beja *part.* 2. *casu* 9. Sanch. *l.* 8. *de matrim. disp.* 2. *n.* 15. *& l.* 4. *decal. cap.* 53. *n.* 4. Monet. *de commutatione ult. volunt. cap.* 5. *n.* 576. Lavor. *de jubil. part.* 2. *cap.* 27. *n.* 4. Malder. *de virtut. tract.* 10. *cap.* 14. *de voto dubit.* 11. §. 3. *Inquirendum.* Merol. *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 2. *corol.* 5. *n.* 98. Ludov. à Cruce *disp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 7. *n.* 10. & alii.

179. Probatur primò, quia dispensatio, & commutatio sunt diversi actus: Ergo concessa facultate ad dispensandum, non censetur concessa ad commutandum. Antecedens ostenditur; quia commutatio non includitur in dispensatione, ut pars in toto.

180. Secundò probatur, quia etiam dato, quòd commutatio sit pars inclusa in dispensatione, adhuc non sequitur, quòd concessa facultate ad dispensandum, censeatur etiam concessa ad commutandum. Et hoc patet, nam ut, habens facultatem remittendi votum debitum, possit remittere partem, necesse est, ut ea facultas sit concessa absolutè, aut cum limitatione: Si primum certum est posse remittere totum, aut partem debiti, quia facultas concessa est absolutè; si secundum, etiam certum est, non posse remittere, nec totum debitum nec partem; quia non datur conditio, seu limitatio, sub qua fuit concessa remissio; sed facultas concessa ad dispensandum cum vovente: Ergo si hæc non detur; nec etiam in delegato ad dispensandum datur facultas ad dispensandum, vel votum commutandum.

181. Declaratur hoc exemplo dicta probatio: Si Dominus concedat Oeconomo facultatem absolutam condonandi alicui debitum; vel conditionatam, nempe si inveniat debitorem esse pauperem. Ex facultate absoluta potest, & partem, & totum debitum remittere: At ex facultate conditionata, solùm potest, & partem, & totum remittere, inventa paupertate; si verò paupertas non detur; nec partem, nec totum potest remittere: Ergo eodem modo in facultate dispensandi; Hæc, & alia plura affert Sanch. ad suam firmandam sententiam *locis citatis.*

182. Dicendum tamen est cum communiori, & probabiliori sententia, habentem facultatem dispensandi in votis, illa posse commutare. Ita Soto, Sylvest. Sâ. Card. Tolet. Trullench. Soar. Filliuc. Bonac. Basil. Pontius Laym. Less. Barbos. Sayr. Conrad. Arag. Henriq. Fâgund. Quintanaduen. Dian. & alii, quos afferunt & sequuntur Rossius *de jubil. sect.* 2. *casu* 3. *n.* 4. Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 152. Escob. ubi *supra n.* 661. dicens hanc sententiam verissimam. Accedunt Palud. Rodrig. Castr. Palao Villal. quos refert, & sectatur Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 1. *n.* 66. Ratio est, primò, quia facultas commutandi, continetur in facultate dispensandi, tanquam pars in suo toto, & tanquam minus in majori: Sed qui potest, quod plus est, potest etiam, quod est minus, *juxta regul. cui licet, quod plus est, licet utique quod minus est, de regul. jur. in* 6.

183. Secundò; qui enim habet facultatem remittendi alicui totum debitum, etiam illam habet ad remittendam illi partem. Accedit, quòd privilegium Principis est ampliss imè interpretandum; quando nullum tertii datur præjudicium: Sed hoc non datur in dispensatione votorum: Ergo qui illa potest dispensare, potest & illa commutare.

184. Restat, respondere ad fundamenta oppositæ sententiæ: Ad primum enim *n.* 179. allatum, concedo dispensationem, & commutationem esse actus diversos, & inter se differe, ut totum à sua parte, & ut includens ab incluso: Cum verò totum, & includens concedatur; nempe facultas dispensandi; etiam censetur concessum inclusum, seu pars; nempe commutatio.

185. Ad secundum *n.* 180. adductum respondeo, negando, non sequi ex facultate concessa ad dispensandum, facultatem ad commutandum. Nec illius probatio oppositum convincit: Quia si facultas ex illis duobus modis, sumatur absolutè, cùm requirat causam ex parte debitoris, ut ei remittatur debitum, potest habens facultatem illud remittendi, illud remittere, vel in totum; vel in partem, pro suo libito: At si ea facultas concedatur cum limitatione, seu sub conditione, etiam certum est, deficiente conditione, non posse debitum remitti: Unde patet, facultatem absolutam ad remittendum debitum, non assimilari dispensationi; quæ semper conceditur sub conditione, seu limitatione, nempe intercedente causâ ad dispensandum, & sine illa est nulla dispensatio: Assimilatur verò facultati concessæ ad remittendum debitum sub conditione: & sic eâ data conditione ad dispensandum, potest eam habens facultatem, & remittere totum, & remittere partem; ut liquet in exemplo adducto; nam data ea paupertate, potest œconomus, & remittere totum debitum, si ea paupertas tanta sit, ut non permittat solam partem remittere; at si non sit totalis, sed partialis, poterit remittere partem. Alia à Sanch. dissoluta invenies apud Bardi *loco citato.*

SECTIO

litatis investigatione commutat vota, peccare mortaliter; quia in re gravi deficit, & est causa cultûs divini diminuendi; quam investigationem non solùm servare tenetur, quando vota, virtute alicujus privilegii, aut Jubilæi, sed etiam quando, vi Bullæ, commutantur; ut jam *supra* notavimus.

SECTIO XVII.

An confessarius teneatur commutare votum, virtute Bullæ, quando id à pœnitente petitur?

153. PRima sententia asserit, teneri confessarium, nullum habentem impedimentum, commutare votum, quando cognoscit, pœnitentem justam habere causam, ad eam commutationem petendam. Sic Aragon. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. Sayr. *in clav. Reg. l.* 6. *cap.* 12. *Vers. Postremò notandum.* Vivald. *in candel.* loquens de impedimento matrimonii, ratione voti *n.* 68. Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 54. *n.* 12. Ludovic. à Cruce *in Bull. disp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 1. *n.* 1. Sanctarell. *de Jubil. cap.* 8. *dub.* 2. Abreus *de paroch. l.* 10. *n.* 549. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 3. *n.* 298. Escobar *tom.* 1. *Theol. moral. l.* 7. *n.* 274. Barthol. à S. Faust. *in Thes. l.* 4. *q.* 53. Lezan. *in q. q.* Regul. *tom.* 3. *Verb.* Bulla Cruciatæ *n.* 34. Stunic. Chapeavilla, apud Castr. Palao citandum. Probant primò, quia confessarius, vi Bullæ, fit judex delegatus in favorem pœnitentis ad vota commutanda: sed Episcopus dicitur infidelis, *in cap. Quanto* 2. *q.* 5. denegans dispensationem subdito ex justa causâ petenti: ergo etiam confessarius Virtute Bullæ electus ad vota commutanda, denegans commutationem pœnitenti ex justa causâ petenti, dicetur infidelis, ac proinde peccabit.

154. Secundò probari potest; quia quando ex denegatâ dispensatione in voto, sequitur notabile damnum Spirituale voventi, tenetur superior ad dispensandum: ut docent Sanch. *de matr. l.* 3. *disp.* 10. *n.* 30. *& l.* 4. *decal. cap.* 46. *n.* 9. Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *de voto, cap.* 17. *n.* 21. Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 6. *punct.* 8. §. 2. *n.* 12. *in fine*, & alii, quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 7. *tract.* 1. *disp.* 17. *q.* 33. ergo etiam confessarius virtute Bullæ electus tenebitur ad votum commutandum, quando ex justa causâ id postulat pœnitens. Non declarant tamen prædicti authores, an hoc peccatum sit grave, aut leve, nisi Faustus *cit.* asserens, ad minus peccare venialiter confessarium. Addit etiam Sanch. *loco citato l.* 4. *decal. cap.* 54. *n.* 12. Si à Regulari confessario petatur commutatio, vi suorum privilegiorum, non teneri ad commutandum votum; quia non adstringitur uti suo privilegio.

155. Secunda sententia docet, non teneri prædictum confessarium ad vota commutanda. Sic Joann. Sanch. *in select. disp.* 14. *n.* 17. Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 6. *punct.* 8. §. 2. *n.* 12. Sic distinguens: vel confessarius acceptavit electionem ad dispensandum ex privilegio, quod habebat, aut quod ipse pœnitens habet, ut dispensetur: & in quolibet, si ipse confessarius acceptavit electionem, tenetur ad dispensandum; vel ipse confessarius non acceptavit electionem ad dispensandum; & sic non tenetur dispensare; etiamsi confessionem audiat; quia privilegium per Bullam concessum non est ad arctandum confessarium ad dispensandum, sed est ad dispensandum, si confessor voluerit; aliàs quilibet sacerdos approbatus requisitus per Bullam teneretur confessionem cujuslibet pœnitentis, qui illum requirit, auscultare. Sic Castr. Palao. Aliâ utitur distinctione Bardi. *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 1. *num.* 27. Sed quia hæ sententiæ videntur inter se coincidere. Dico per sequentes conclusiones, in quibus conveniant; & quid tenendum sit.

156. Dico primò: Confessarius sive proprius, sive delegatus, qui consentit electioni de se ipso factæ à pœnitente habente Bullam, tenetur ad commutanda vota, ad quæ commutanda, se obligavit; quæ obligatio, vel erit sub veniali, vel sub mortali: erit venialis, si pœnitenti nulla molestia sequatur, si ejus votum non commutetur; at erit mortalis, si magnâ afficiatur molestia; eo quod jam ab aliis confessariis fuit repulsus, & ob repulsam tristatur, & in periculo peccandi existit. Et in hoc casu tenetur confessarius consentire electioni. Ratio est, quia ad id charitas obligat. Et ita docent Joann. Sanch. *cit. n.* 17. *circa finem*, Castr. Palaus *citatus dicto n.* 12. *in fine*, Bardi *n.* 29.

157. Dico secundò: Absolutè loquendo, confessarius non tenetur commutare votum pœnitentis, virtute Bullæ, etiamsi ab eo fuisset electus ad audiendam suam confessionem; quia confessarius non constituitur delegatus necessarius ad vota commutanda, virtute Bullæ; sed illi ea conceditur facultas, si eâ uti voluerit, ut patet ex verbis ipsius Bullæ, ibi: *in subventionem prædictam commutare licitè possit.* Nec etiam manet obligatus, ex eo quòd ipsius pœnitentis audierit peccata; & teneatur eum absolvere; quia quid diversum est, commutare votum, & absolvere, nec unum in altero includitur; & quamvis consenserit electione ad peccata absolvenda, non tamen ad vota commutanda. Si tamen confessarius sit proprius ipsius pœnitentis, & ab ipso requisitus, irrationabiliter deneget commutationem, non erit excusandus à peccato; quia ex munere suo tenetur conferre ea, quæ ad profectum Spiritualem suæ ovis conducunt. Ita Bardi *citat. num.* 27 *& 32.*

158. Ego tamen existimo, ad idem teneri confessarium ab eo electum ad confessionem audiendam, data eâ rationabili causâ, cum hac tamen differentia, quod proprius confessarius ad id tenetur ex justitia. Ita Mend. *disp.* 26. *cap.* 20. *n.* 208. & apud ipsum Salas, & Card. de Lug. Delegatus autem ex charitate. Sic Mend. *proximè n.* 210. quamvis id tantùm concedat in extrema necessitate; hoc tamen erit, ut peccet mortaliter, nam extra illam, data rationabili causa, erit veniale. Unde, si consideratis circumstantiis, proprius confessarius peccat mortaliter, vel venialiter, denegando commutationem justè petitam, etiam peccabit mortaliter, vel venialiter confessarius delegatus; quia etiam ex charitate tenetur ad profectum Spiritualem pœnitentis, ad cujus electionem audiendæ confessionis consensit.

159. Dico tertiò: si confessarius, sive proprius, sive delegatus non sit adeo peritus; & ne se exponat periculo errandi, quia nescit judicium ferre inter materiam voti, & æqualitatem commutationis,

nis, nec facilè poterit viros doctos consulere, non peccat negando commutationem: quia tenetur se non exponere periculo errandi. Addo tamen, proprium confessarium teneri viros doctos consulere, ut suæ ovis commutet votum, quod illi aperuit: ad id tamen non tenetur delegatus; sed potest illum ad doctos, pro ea commutatione, mittere. Sic ex parte Bard. *citat. n.* 30.

SECTIO XVIII.

An virtute Bullæ, possint vota commutari, si sint emissa post Bullæ promulgationem?

160. Disputat. 4. *sect.* 6. vidimus, quando possit votum, anno præcedente ad promulgationem Bullæ emissum commutari; nunc inquirimus, an vota emissa post Bullæ promulgationem valeant commutari? Prima sententia negat, primò; quia videtur inconveniens concedere facultatem ad vota commutanda, antequam illa emittantur. Secundò, quia datur causa emittendi plura vota intra tempus durationis Bullæ, sub spe commutationis. Ita Soto *l.* 7. *de justit. q.* 4. *art.* 3. *vers. post hæc*, Lop. *in instruct. part.* 1. *cap.* 10. Cordub. *in summ. q.* 149. Graff. Angles, quos refert Trullench. *mox citandus.*

161. Secunda sententia est probabilior, & communior; asserit enim, non solùm vota antecedentia, quod concedunt adversarii, sed etiam subsequentia promulgationem posse per Bullam, vel simile privilegium, commutari. Sic Rodrig. *in Bull.* §. 9. *n.* 111. Navarr. *in summ. cap.* 12. *n.* 80. *in fine*, & *notab.* 34. *de indulg. n.* 5. Vivald. *in candelab. de* 3. *impedim. matr.* Henriq. *l.* 6. *cap.* 16. *n.* 4. *litt. N.* & *l.* 7. *cap.* 30. *n.* 5. Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 53. *n.* 2. & 6. Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *de voto cap.* 13. *à n.* 2. Azor *l.* 11. *cap.* 19. *quæst.* 9. Petr. de Ledesm. Sayr. Villal. Sà, quos refert, & sequitur Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 4. *n.* 4. Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 1. *n.* 39. Mend. *disp.* 26. *à n.* 159. Escob. *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 670. Abreus *de Paroch. l.* 10. *n.* 549. & plures, quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 136. Escob. *in Theol. moral. tom.* 1. *lib.* 7. *num.* 670. Lezan. *in q. q. Regul. tom.* 3. *Verb. Bulla Cruciata n.* 34. *in fine* cum Bonacin.

162. Probatur, primò, quia verba Bullæ, quæ hanc concedunt facultatem, sunt generalia, & indefinita: sed verba indefinitè, & generaliter prolata extenduntur ad præterita, & futura, ut constat *ex Gloss. in cap. quia circa, verb. sed futuri, de privileg.* ergo facultas in Bullâ concessa ad vota commutanda, extenditur tum ad emissa ante Bullæ publicationem, tum ad subsequentia.

163. Secundò probatur, quia facultas commutandi vota in Bullâ concessa est favorabilis: ergo non est restringenda, sed amplianda, quantùm verba significant: at ex verborum significatione, hanc extentionem ad futura colligere possumus.

164. Tertiò, quia facultas in Bullâ concessa ad absolvendum à peccatis, & censuris, extenditur ad commissa, & incursas ante Bullæ, & post Bullæ promulgationem: ut vidimus *disp.* 5. *sect.* 11. ergo idem dicendum de commutatione votorum. Accedit, quòd si hæc facultas fuisset perpetua, extenderetur ad commutanda vota futura; ut extenditur privilegium Regularium ad commutanda vota: ergo etiam dum privilegium Bullæ extenditur ad annum, extenditur etiam ad commutanda vota eo anno emissa: eodem enim modo se habet privilegium perpetuum, pro eo tempore, pro quo conceditur, ut se habet concessum pro determinato tempore, respectu ejus temporis determinati, nempe unius anni, pro quo conceditur. Ex his rationibus patet, hanc sententiam esse certam, & ut talis in praxi est recepta.

165. Nec fundamenta primæ sententiæ *n.* 160. adducta oppositum suadent: Non primum; quia nullum est inconveniens, concedere facultatem commutandi vota, antequam emittantur; quia id conceditur Regularibus per sua privilegia, & in Bulla ad absolvendum à peccatis, antequam committantur, & à censuris, antequam sint incursæ.

166. Non secundum; quia non datur ansa emittendi plura vota: nam si emittantur, per commutationem non tolluntur; sed mutatur ea obligatio in subventionem temporalem pro manutentione locorum Africæ. Addo si hoc fundamentum aliquod probaret, probaret etiam, non dari in Cruciata facultatem ad absolvendum à peccatis, & censuris contractis post illius acceptionem; quia datur ansa patrandi multa peccata sub censura prohibita, sub spe absolutionis. Cæterùm posse commutari vota sub spe Bullæ, aut jubilæi detinendi emissa, tenent Bossius, Navarr. Soar. Sanch. Trullench. Candid. Graff. Faust. Dian. quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 150. & Mend. *ubi supra n.* 165. & 172.

SECTIO XIX.

An confessarius, virtute Bullæ, possit, extra confessionem, vota commutare?

167. Duplex in hac quæstione circunfertur sententia: prima tenet, non posse confessarium commutationem facere, nisi in ipsa confessione Sacramentali. Ita Moure *in examin. Theol. moral. part.* 3. *cap.* 9. *sect.* 2. §. 17. *n.* 4. Rodrig. *in Bull.* §. 9. *n.* 113. *Regul.* 9. Veg. *tom.* 2. *cap.* 129. *cas.* 34. Sayr. *in clavi Reg. l.* 6. *cap.* 12. *num.* 105. *vers. solùm advertendum.* Peregrin. *in Schol. ad privil. sui ordinis tit. Commutatio* §. 3. & *in addit. q.* 12. Anton. Fernand. *in exam. Theol. moral. part.* 3. *cap.* 9. *num.* 5. Cordub. *in summ. q.* 152. Beja 2. *part. respons. casu.* 9. Sanctarell. *de jubil. cap.* 8. *dub.* 8. Villal. *tract.* 27. *clausul.* 9. §. 3. *n.* 36. Sanch. *in select. disp.* 14. Lopes 2. *part. instruct. de clavib. cap.* 9. Probat Rodrig. quia eadem est ratio de absolutione à censuris, ac de commutatione votorum: sed censuræ, virtute Bullæ, non possunt absolvi extra confessionem: ut vidimus *disp.* 17. *sect.* 8. *n.* 84. ergo, nec fieri commutatio. Deinde confessarii Mendicantes, non possunt virtute suorum privilegiorum dispensare, vel commutare vota extra confessionem: ergo nec confessarius, privilegio Bullæ, illa commutare. Hæc Rodrig. & alii.

168. Secunda tamen, & probabilior sententia asserit, posse fieri commutationem extra confessio-

nem.

SECTIO XXI.

An sicut confessarius potest, virtute Bullæ, vota commutare, ita etiam possit commutare juramenta soli Deo facta.

186. UT certum suppono, sicut aliquis potest in honorem Dei, Beatissimæ Virginis, aut alicujus Sancti aliquod bonum opus vovere; ita etiam potest in honorem ipsius Dei, Beatissimæ Deiparæ, aut alicujus Sancti, jurare idem bonum opus, v. g. Jurare omnibus feriis sextis jejunare: Inquirimus igitur: An sicut confessarius potest votum jejunandi, & similia non reservata, commutare; ita etiam possit commutare juramenta, circa eandem materiam votorum, Deo facta.

187. Negant Navarr. *in man. cap.* 27. *n.* 275. *Vers. Decimo Sexto*; *& l.* 2. *n.* 9. Less. *l.* 2. *de just. cap.* 42. *dub.* 12. *n.* 60. Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 6. *punct.* 4. Azor. *tom.* 1. *l.* 11. *cap.* 10. *quæst.* 2. Bonacin. *in præcept. decal. disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 7. *n.* 32. Petr. Ledesm. *tom.* 2. *summ. tract.* 11. *cap.* 4. *q.* 41. *n.* 1. Barthol. à S. Faust. *in Thes. Relig. l.* 4. *q* 41. *n.* 1. Bossius *l.* 2. *cap.* 32. *dub.* 12. *n.* 60. *&* 62. Ludovic. à Cruce *in Bullam disp.* 1. *cap.* 6. *dubit.* 5. *n.* 2. Sà *in aphor. Verb. Iuramentum n.* 32. *in* 2. *impressione correctâ*, *& Verb. Votum. n.* 16. licèt in primâ oppositum docuerit.

188. Probant primò; quia vota, & juramenta sunt specie diversa: ergo quod disponit Bulla circa commutationem voti, non censetur dispositum circa commutationem juramenti.

189. Probant secundò; quia licèt privilegia Bullæ sint amplianda; non debent tamen ampliari ultra verborum significationem, ut colligitur *ex cap. porro de privil.* At si juramenta Deo facta possint, virtute Bullæ, commutari, privilegium ampliaretur ultra verborum significationem: cùm in Bullâ solùm concedatur, ut confessarius vota, & non juramenta, commutet.

190. Probant tertiò; quia si S. Pontifex concedere vellet facultatem commutandi juramenta, id exprimeret; ut fecit Gregorius XIII. anno 1575. in Bullâ, quæ incipit: *Ad perpetuam rei &c.* extendendo in favorem Societatis JESU facultatem, quam à Paulo III. habebat, ad vota commutanda, de quâ *supra n.* 174. ad juramenta, absque alterius præjudicio, commutanda: ergo cùm in Bullâ solùm fiat mentio de votorum commutatione, sine majori fundamento, non est extendenda ad juramenta commutanda.

191. Dicendum tamen probabilius, facultatem concessam in Bullâ ad vota commutanda, extendendam esse ad juramenta Deo facta. Ita Henriq. *l.* 7. *cap.* 30. *n.* 5. Sà *Verb. Juramentum n.* 32. Aragon. 22. *q.* 86. *art.* 9. *&* *q.* 88. *art.* 12. Vivald. *part.* 3. *candel. cap.* 14. *n.* 1. Rodrig. *in summ. tom.* 1. *cap.* 192. *n.* 30. Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *de voto cap.* 14. *à n.* 6. Sayr. *in Clavi Regiâ l.* 5. *cap.* 8. *n.* 9. Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 2. *n.* 18. *&* *l.* 4. *decal. cap.* 53. *n.* 8. Moure *in exam. Theol. part.* 3. *cap.* 9. *sect.* 2. §. 17. *n.* 2. Filliuc. *tract.* 26. *n.* 254. Leo *tract. de Jubil. part.* 2. *q.* 12. *n.* 68. Molfesius *in summ. tom.* 1. *tract.* 11. *cap.* 15. *n.* 203. Villal. *tom.* 1. *tract.* 27. *claus.* 9. §. 3. *n.* 29. Fagund. *in* 2. *decal. præceptum. l.* 2. *cap.* 51. *n.* 13. Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 2. *n.* 3. Candid. *tom.* 2. *disquis. Moral. disquis.* 25. *art.* 4. *dub.* 1. *&* *disq.* 26. *art.* 15. *dub.* 1. Laym. *l.* 4. *tract.* 3. *cap.* 11. *n.* 3. Bossius *de Jubil. sect.* 2. *cas.* 9. 21. Basil. Pontius *de matr. lib.* 8. *cap.* 11. *n.* 4. *&* 5. loquens de potestate delegatâ ad dispensandum in votis, & alii, quos referunt, & sequuntur Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 41. *&* 3. *part. tract.* 5. *resol.* 25. *&* 4. *part. tract.* 4. *resol.* 19. *&* 5. *part. tract.* 11. *resol.* 57. Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 1. *n.* 76. Leand. *part.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 100. Mend. *disp.* 26. *cap.* 5. *à n.* 31. Escobar. *in Theol. moral tom.* 1. *l.* 7. *n.* 664.

192. Suadetur primò ab aliquibus *ex regul. cui licet*, *quod plus est* 53. *de regul. jur. in* 6. sed majus est vinculum voti, quàm vinculum juramenti. Ergo, qui habet potestatem commutandi vota, illam habet ad commutanda juramenta. Sed contra, quia regul. illa solùm militat, quando minus continetur in eo, quod est majus, tanquam pars in suo toto: At vinculum juramenti non continetur in vinculo voti, tanquam pars in suo toto: Ac proinde ex eâ regul. non probatur intentum.

193. Suadetur secundò; quia licet juramentum non includatur in voto, ut pars; virtute tamen includitur ipsum votum in juramento, quod fit Deo, & non hominibus, quia juramentum includit promissionem Deo factam: Ergo concessa facultate ad commutanda vota, indirectè etiam conceditur ad commutanda juramenta. Sed contra, quia tunc aliquid probaret, quando facultas esset concessa ad commutanda juramenta, quæ virtute includunt vota; & non quando facultas est ad commutanda vota, ut in præsenti.

134. Suadetur tertiò, & efficacius *ex l. tantùm ff. de servo corrupt. l.* 1. *ff. de legat.* 1. *Gloss. in l. si quis servo C. de furt. &* *in cap. si postquam* §. *fin. de elect. in* 6. ubi dispositum in uno æquiparatorum, censetur dispositum in altero: & in æquiparatis idem etiam disponitur per extensionem; & de æquiparatis idem est judicium. Ut cum multis D. D. tenet Barbos. *de Axiomat. Jur. Axiom.* 14. *n.* 1. 2. *&* 3. sed juramentum, & votum æquiparantur in ordine ad hoc privilegium commutandi vota; quia sicut homo per votum soli Deo obligatur; ita etiam per juramentum soli Deo factum, ipsi soli Deo obligatur: ergo quod disponitur in Bullâ circa commutationem votorum, censetur etiam dispositum circa ea juramenta.

195. Hanc rationem, cùm sit deducta ex jure, & apud D. D. accepta, existimo probabilissimam, licèt Soar. non placeat, & illam impugnet: sed illius authoritate non obstante, est ratio efficacissima, ut rectè ostendit Bardi; & alii authores ex illa hanc probant sententiam.

196. Ad primum fundamentum oppositæ sententiæ *n.* 188. respondetur, quamvis votum, & juramentum specie distinguantur, æquiparantur tamen in eâ ratione utrique communi, nempe in promissione offerendi aliquid in obsequium, & honorem Dei; & quæ sic æquiparantur, quamvis sint inter se specie diversa, quod disponitur de uno, de altero censetur dispositum: ut ex variis exemplis constat; nempe ex facultate, quæ indulgetur clerico beneficiario, ut fructus lucretur in absentiâ: ad hoc ut incumbat studio Theologiæ quæ extenditur ad studium juris canonici; quia hæ duæ scientiæ æquiparantur in jure; & sic docet Panormit. Felin. *in cap. fin. de Magist.* Navarr. *in man. cap.* 25. *n.* 58. & alii; & privilegium comedendi ova in diebus

bus prohibitis, comprehendit lacticinia; quia æquiparantur; & sic in aliis multis: consequentia ergo negandæ est.

197. Ad secundum n. 189. respondetur, privilegia hoc loco debere extra verborum significationem ampliari, ut colligunt D. D. *ex dict. cap. Porro*; quia votum, & juramentum quoad commutationem, & dispensationem æquiparantur, & de æquiparatis idem est judicium, & dispositio, ut *supra* vidimus.

198. Ad tertium *n.* 190. respondendum est; multa privilegia concedi solere, pro majori conscientiæ quiete, maximè quando utrinque dantur oppositæ sententiæ, ut in aliis similibus plura invenimus exempla.

SECTIO XXII.

An vi Bullæ possit commutari votum juramento confirmatum?

199. SUppono ad hujus quæstionis explicationem, duplici modo posse concurrere votum cum juramento, circa eandem materiam, v. g. circa jejunium Sabbati: uno modo concomitanter, ita ut votum nullam connexionem habeat cum juramento de eodem jejunio emisso, nec juramentum cum ipso voto de eodem emisso jejunio: ut si voveas jejunium, & postea istius voti immemor, idem jures; vel memor; independenter tamen ab ipso voto emisso. Altero modo cum dependentia unius ab altero; ut si post votum jejunii emissum, illud juramento confirmes. Hoc supposito.

200. Negant absolutè, & sine prædicta distinctione Henriq. *l. 7. cap. 30. n. 5.* Azor. *tom. 2. l. 11. cap. 10. quæst. 1.* Less. *l. 2. cap. 40. dub. 11. n. 94.* Sayr. *in clavi Reg. l. 5. cap. 8. n. 9.* Aragon. 2. 2. *q. 88. art. 12. dub. 4.* Talent. *tom. 3. disp. 6. q. 6. punct. 4.* & alii, quos citat, & sequitur Sanch. *l. 8. de matr. disp. 2. n. 23.* & *l. 4. decal. cap. 53. n. 17.*

201. Alii juxta prædictam distinctionem asserunt, non posse commutari votum, & juramentum simul concurrentia, absque dependentia unius ab altero; posse verò commutari, si detur dependentia, aut subordinatio unius ab altero, nempe quando votum jejunii per juramentum confirmatur. Ita Sanch. proximè, & apud ipsum Rodrig. *in Bull. §. 9. n. 110.* Ludov. à Cruce *in Bull. disp. 1. cap. 6. dub. 6. n. 6.* Fagund. in 2. decal. præceptum *l. 2. cap. 50. num. 13.* Bonac. *tom. 2. disp. 4. q. 1. punct. 17. n. 11.* Candid. *disquis. 26. art. 16. dub. 11.* Sorb. *in compendio privil. Addendic. Verb. absolutio quoad Fratres, & seculares in annotat. conclus. 8.* Mend. *disp. 26. cap. 6. n. 73. in fine.*

202. Dicendum tamen probabilius; virtute Bullæ, vel jubilæi, posse vota juramento confirmata, & votum, & juramentum circa eandem materiam emissa, independenter unum ab altero commutari. Sic Soar. *tom. 2. de Relig. l. 6. cap. 14. n. 19.* Basil. Pontius *l. 8. de matr. cap. 11. n. 5.* Castr. Palao *tom. 3 tract. 14. disp. 3. punct. 1. n. 5.* Trullench. *in Bull. l. 1. §. 7. cap. 3. dub. 3. n. 4.* & *in decal. l. 2. cap. 2. dub. 4. n. 12.* Sà *Verb. voti irritatio in primâ impressione ante correctionem.* Bossius *de jubil. sect. 2. casu 9. n. 11.* Quintanad. *de jubil. duplic. hebdomad. cap. 10. n. 15.* quos afferunt, & sequuntur Dian. *1. part. tract. 11. resol. 43.* & *3. part. tract. 5. resol. 24.* & *5. part. tract. 12. resol. 57.* & *part. 8. tract. 3. resol. 44.* Bardi *part. 2. tract. 7. cap. 1. n. 91.* & 105. Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 14. q. 101.* & probabile dicunt Fagund. Mend. *locis citat.* Gobat. *tom. 2. tract. 3. n. 287.* Escobar *in Theol. moral. tom. 1. lib. 7. n. 247.* de voto juramento confirmato, & *num. 667.* quando votum, & juramentum circa eandem materiam, independenter unum ab altero, sunt emissa.

203. Probatur prima pars; nempe votum juramento confirmatum posse virtute Bullæ commutari. Quia licèt hoc non sit decisum in summario Bullæ Lusitanæ, ut est decisum in summario Bullæ Hispanæ, per hæc verba: *Podra tambien eldicho confessor conmutarles qualesquier votos, aunque sean hechos con juramento.* Ratio tamen adducta à Sanch. & aliis, id convincit: quia juramentum in hoc casu est accessorium voto: ergo commutato voto ex una in aliam materiam, corruet juramentum illi accessorium. Confirmatur, quia si quis emisit votum perpetuæ castitatis, & illud postea juramento confirmavit, ita ut juramentum accessoriè se habeat; & habita à S. Pontifice dispensatione voti, nulla facta mentione de eo juramento, dispensatio est valida, quia extincto voto, juramentum etiam tanquam accessorium extinguitur, ut rectè notat Soar. *citat. dicto lib. 6. de voto, cap. 14. num. 25.* & 26. & Sanch. *l. 4. decal. cap. 53. n. 22.*

204. Secunda pars ostenditur, scilicet posse, vi Bullæ, commutari votum, & juramentum concurrentia circa eandem materiam, & absque dependentia, & subordinatione unius ad alterum. Et probatur destruendo fundamentum oppositæ sententiæ; quia unum vinculum ob conjunctionem alterius non mutat suam naturam: sed ut vidimus *sect. præcedente*, juramentum Deo factum potest, virtute Bullæ, commutari: ergo etiam poterit commutari, quando cum voto circa eandem materiam conjungitur: per accidens enim se habet ista conjunctio. Confirmatur, in habente facultatem absolvendi à censuris: quamvis enim plures concurrant absque connexione inter se, sive divisim, sive conjunctim, qui potest absolvere ab una ex potestate delegata, potest etiam ab aliis absolvere.

205. Dices primò: duo vincula simul juncta, quamvis æquiparata, sunt quid majus, quàm sit unum vinculum; nam re ipsâ sunt duo independentia: sed in Bullâ solùm datur facultas ad commutandum unum vinculum, sive sit voti, sive juramenti: ergo si independenter unum ab altero, circa eandem materiam, concurrant, non possunt commutari. Major probatur ex materia matrimonii: nam quando duo impedimenta simul concurrunt ad matrimonium contrahendum; ex eo quod vinculum sit strictius, dispensatio est difficilior. Et invalida, si taceatur unum impedimentum cum alio simul concurrens, quia concessa dispensatione ad unum, non censetur concessa ad alterum non expressum; ut docet Sanch. *l. 8. de matrim. disp. 13. à n. 2.* & ita ex stylo curiæ practicatur: ergo idem dicendum in commutatione voti, & juramenti simul, & independenter concurrentium.

206. Respondeo, negando, illa duo vincula esse quid majus, quoad potestatem commutandi votum, & juramentum, simul conjuncta, & independenter concurrentia; quàm sit quando non sunt con-

conjuncta: ut patet in exemplo adducto in confirmationem noſtræ ſententiæ; quia habens facultatem abſolvendi ab excommunicationibus Pontifici reſervatis, poteſt ex eadem facultate abſolvere innodatum duplici, vel triplici excommunicatione conjuncta, ſicut poterat diviſim. Et hoc ex eadem ratione, quia conjunctio unius excommunicationis cum alia, non limitat poteſtatem delegatam, nec auget reſervationem, ita ut non poſſit illas ſimul abſolvere; & ita evenit in prædicta commutatione.

207. Ad probationem majoris reſpondetur, in eadem petitione exprimendum eſſe utrunque impedimentum, aliter enim invalida erit diſpenſatio; cùm ita diſponat ſententia, quæ ex ſtylo curiæ practicatur. Ex hoc autem nihil infertur contra nos: nam ſi etiam non exprimatur in commutationis petitione, & votum, & juramentum ſimul, utrumque non commutabitur; quamvis expreſſum ſine alio, & utrumque ſimul poſſint commutari; quia nullum eſt jus, quod id prohibeat.

208. Ad minorem ejuſdem argumenti reſpondeo, negando, in Bullâ non dari facultatem ad commutandum utrumque vinculum, ſed tantùm vel voti, aut juramenti vinculum, quia ſub nomine voti comprehenditur juramentum, ut *ſupra n.* 194. vidimus; ergo conceſsâ facultate ad commutandum votum, implicitè conceditur etiam ad commutandum juramentum, & utrumque ſimul concurrens; ut patet exemplis adductis.

209. Dices ſecundò: Juxta illud phyſicum axioma, virtus unita eſt fortior ſeipsâ diſperſâ, & ſic vinculum voti, & juramenti ſimul concurrentium eſt fortius, & ſtrictius: ergo, ut ſic non poſſunt, virtute Bullæ, commutari. Reſpondeo, illud axioma verificari in qualitatibus habentibus gradualem intentionem, ut eſt calor, & frigus; quorum gradus, quando ſunt uniti, fortiùs agunt; & remiſſiùs, quando diſperſi: at juramentum, & votum circa eandem materiam, non faciunt majorem obligationem, nec vinculum majus intenſivè, ſed tantùm extenſivè: & ſic extenſivè diſperſa, id eſt, unum ab alio independens, non manet vinculum fortius, niſi extenſivè; quod non impedit commutationem; ut conſtat ex adductis exemplis, de facultate abſolvendi à cenſuris, excommunicationibus, & diſpenſandi in irregularitatibus.

SECTIO XXIII.

Quænam vota, virtute Bullæ, poſſint commutari?

210. REſolutio hujus quæſtionis eſt clara ex verbis ipſius Bullæ; in quâ conceditur confeſſario, ut poſſit licitè quæcunque vota commutare, exceptis Ultramarino, nempe peregrinationis Hieroſolymitanæ, Caſtitatis, & Religionis; ex quâ exceptione ſequitur, poſſe confeſſarium omnia alia vota commutare, ſive ſint realia, ſive perſonalia, aut mixta; ſive ſint viſitandi limina Apoſtolorum, ſive corpus B. Jacobi Apoſtoli in Compoſtella, quæ duo vota licèt ſint S. Pontifici reſervata in Bulla non excipiuntur; ita Eſcobar *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *q.* 249. & D.D. communiter. Ratio eſt, quia exceptis illis tribus, omnia alia vota comprehenduntur in ea conceſſione. Quamvis hoc ſit evidens, aliqua dantur vota non excepta, quæ, virtute Bullæ, non poſſunt commutari, & alia de quibus poterit eſſe dubitatio; in hac ſect. videbimus, quæ non ſint commutabilia, & illa, de quibus, an ſint commutabilia, dubitari poſſit.

211. Dico primò: Non ſunt commutabilia vota ſubſtantialia Religionis, & illis annexa, ſive ſint ſolemnia, ſive ſimplicia (jam ſupra notavimus) non ſolùm per Bullam, ſed nec per quodcunque aliud jubilæum, aut privilegium.

212. Dico ſecundò: Nec etiam poſſunt commutari per Bullam, vel aliquod jubilæum, vota, & juramenta, quibus confirmantur ſtatuta Communitatum, Academiarum, Collegiorum, &c. Ita Sot. *de juſtit. l.* 8. *q.* 1. *art.* 9. *ad tertium verſ. Tertium membrum.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 9. *quæſit.* 4. Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 5. *n.* 8. & 12. Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 2. *n.* 16. licèt Sanch. *l.* 3. *decal. cap.* 19. *n.* 7. id limitet, quando ſtatuta non ſunt à S. Pontifice confirmata. Probatur primò, quia Bulla non conceditur communitatibus, ſed perſonis particularibus. Secundò, quia ea juramenta cedunt in utilitatem tertii, & primò, & per ſe non fiunt in Dei honorem; ac proinde illius commutatio eſt in damnum tertii: ut facultas commutandi non conceditur quando eſt in damnum tertii. Et ob eandem rationem commutari non poſſunt, virtute Bullæ, juramenta, quæ ab aliquibus Prælatis emittuntur, non alienandi bona Eccleſiaſtica, & ſimilia, quia illorum relaxatio cedit in damnum tertii.

212. Dubium tamen ſit primum: An ſi quis voveat, ſe non luſurum, ſub pœnâ erogandi unum aureum determinatæ perſonæ; aut pauperibus, quoties luſerit; & ſæpè luſerit, ita ut multorum aureorum ſit debitor: poteſt ne hæc pœna pecuniaria, virtute Bullæ, commutari? Negant Navarr. *l.* 3. *Conſil. tit. de voto Conſil.* 32. *alias* 35. Graff. 1. *part. deciſ. l.* 2. *cap.* 28. *n.* 5. Sayr. *in Clavi Regia cap.* 12. *n.* 20. Azor. *tom.* 1. *l.* 11. *cap.* 18. *quæſit.* 11. *in fine*, Lavorius *de jubil. part.* 2. *cap.* 17. *num.* 127. Vega 2. *part. ſumm. cap.* 126. *caſu* 10. Probant, quia in Bullâ conceditur facultas commutandi vota, & non relaxandi pœnam ex voto immediatè ortam: & quid diverſum eſt, votum commutare, & pœnam ex voto relaxare.

214. Dicendum tamen probabilius, poſſe dictam pœnam, virtute Bullæ, commutari. Ratio eſt, quia obligatio ſolvendi aureum pro qualibet vice, qua luſerit, oritur ex voto conditionali; quæ non eſt major, adimpleta conditione, quàm ſi abſolutè voveret dare unum, vel plures aureos pauperi determinato, aut pauperibus, ſed potiùs eſt minor: ſed hæc, virtute Bullæ, poſſunt commutari, ut ſtatim videbimus: ergo etiam illa. Sic Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 52. *n.* 10. & *l.* 8. *de matr. diſp.* 15. *n.* 14. Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *de voto cap.* 20. *n.* 19. Filliuc. Raphal. de la Torre, Leo, Malder. Joann. de la Cruz Villal. & Homobon. quos refert, ſequitur Dian. 1. *part. tract.* 11. *reſol.* 46. Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 8. *n.* 1. Ludovic. à Cruce *in expoſit. Bull. diſp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 15. *n.* 13. Candid. *diſquiſ.* 24. *art.* 5. *dub.* 2. Bonacin. *tom.* 2. *in decal. diſp.* 4. *q.* 1. *punct.* 7. §. 4. *num.* 18. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 6. *n.* 108. Boſſius *de jubil. ſect.* 2. *caſ* 23. *n.* 1. Laym. *l.* 4. *tract.* 4. *cap.* 8. *n.* 26. Sanctarell. *cap.* 11. *dub.* 3. Fauſt. *l.* 4. *Theſaur. q.* 48. *de inbil. duplic. hebdomada cap.* 10. *num.* 4. Bardi *part.* 2. *tract.* 7.

riùs se in aliâ materiâ votum adimpleturum, ex eo quòd graviter prius exequitur; indeque esse expositum periculo fractionis voti. Et hæc causa est justa, & sufficiens. Quòd verò requiratur causa, patet; quia, ut inquit Sanch. *cit. n.* 17. etiam si commutatio fiat in æquale bonum, nonnihil involvere dispensationis: nam dispensatur in rigore fidelitatis, quamvis solutio, & satisfactio, fiat in alia materia, quæ promissa non erat. Sunt tamen aliqui D. D. *n. præcedente cit.* qui ad commutationem requirunt causam executioni voti obstantem; ut si vovens ad peregrinandum, vel jejunandum, sit debilis. Sed hos authores benè impugnant Soar. *cit. n.* 5. *&* 10. & Sanch. *n.* 21. *&* 22.

127. Quarta resolutio; quamvis aliqui teneant, non requiri causam ad voti commutationem; quando commutatio fit à Regulari, virtute sui privilegii, ut docent Rodrig. Lopes, Bonacin. Henriq. & Bossius apud Leand. *cit. q.* 158. Probabilius tamen est oppositum: quia non est fidelis dispensator ille, qui absque ulla necessitate, offerret rem æqualem Domino suo. Addo, magis consentaneum esse fidelitati Deo debitæ, cùm nulla datur commutandi causa, solvere materiam promissam, quam aliam illius loco subrogatam. Et ita docent Sanch. Sylvestr. Sayr. Azor, Lessius, Ludovic. à Cruce, Trullench. Mald. quos citant, & sequuntur Dian. *part.* 2. *tract.* 16. *resol.* 10. Leand. *proxime.* Accedit Bard. *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 1. *n.* 34. His adductis resolutionibus.

128. Ad quæstionem in titulo propositam: Respondeo, ad commutationem faciendam in bonum æquale per Bullam satis esse pro causâ subsidium, sive eleemosynam, quæ pro commutatione traditur à Bullam habente, in subventionem locorum Africæ, & nulla alia requiritur causa, nisi petere commutationem. Et sic non datur commutatio sine causâ; & datur sine illa; quia ultra prædictam eleemosynam ob bonum commune elargitam, nulla alia requiritur causa. Sic etiam dicendum de commutatione, quæ fit virtute Jubilæi; nam opera præscripta in ipso Jubilæo executioni mandata, sufficiunt pro causâ, & nulla alia requiritur. Ita loquentes de Bullâ tenent expresè Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *de voto cap.* 19. *n.* 10. Sanch. *in decal. l.* 4. *cap.* 50. *n.* 19. *& cap.* 54 *n.* 5. Rodrig. *in addit. ad Bull.* §. 9. *n.* 107. Ludovic. à Cruce *in Bull. disp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 4. *n.* 4. Trullench. *ibidem l.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 13. *n.* 6. Henriq. *l.* 7. *de indulg. cap.* 30. *n.* 5. Garnic. *in Bull. pag.* 43. Basil. *in explic. Bull. manuscript.* §. *ult.* quos referunt, & sequuntur Bardi *loco cit.* Mend. *disp.* 26. *cap.* 18. *n.* 185. Barthol. à S. Faust. & alii, quos refert, & sequitur Dian. 1. *part. tract.* 11. *resol.* 39. *& part.* 2. *tract.* 16. *resol.* 10. accedunt Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 161. Tamborin. *in Bullam cap.* 13. §. 1. *n.* 7. Escobar *tom.* 1. *in Theologiâ moral. l.* 7. *n.* 271.

129. Si tamen commutatio voti fiat, virtute Bullæ, in aliquid minus, ut asserebat opinio *sect. præced. allata n.* 116. requiri aliam justam, & rationabilem causam, existimant Cordub. Vivald. & Bonacin. quos adducit, & amplectitur Bossius *de Jubil. sect.* 2. *casu* 26. *n.* 6. Escobar *proximè n.* 270. At oppositum tenendum est, si semel ea opinio admittatur; nam sufficit pro causâ subventio à confessario in commutatione voti assignata; & hac posita, nulla alia requiritur rationabilis causa. Ratio est, quia hanc designat S. Pontifex in votorum commutatione sine aliqua alia distinctione. Quare ad confessarium pertinet hanc eleemosynam designare juxta roventis facultates. Si verò commutatio fiat, virtute Jubilæi, etiam alia non requiritur causa, in eâ opinione; quia opera injuncta pro causâ designantur.

SECTIO XV.

An commutatio voti, virtute Bullæ, facienda sit in subventionem temporalem, an verò in Spiritualem?

130. EXpositores Bullæ Hispanæ non conveniunt in resolutione hujus quæstionis; quia in illorum Bullâ latina hæc dantur verba: *Et illis vota omnia (ultramarino Castitatis, & Religionis duntaxat exceptis) in aliquod subsidium hujus expeditionis per eundem confessarium commutari, &c.* At in Bullâ latina Lusitana cum aliqua mutatione inveniuntur, & sic habent: *Vota quæcumque ultramarino, Castitatis, & Religionis votis duntaxat exceptis, in subventionem prædictam, commutare licitè valeat.* Quæ, meo judicio, sunt clariora ad resolutionem. Propono opiniones juxta Bullam Hispanam, & postea proferam meum judicium, juxta utramque Bullam.

131. Prima sententia Expositorum hujus clausulæ Bullæ Hispanæ docet, totam commutationem debere fieri in subsidium temporale, nempe in aliquam aliam eleemosynam pecuniariam. Sic Aragon. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *Vers. Et ad argumentum*, Sot. *l.* 7. *de just. q.* 4. *art.* 3. *Vers. Rursus circa*, Lopes 2. *part. instruct. cap.* 9. *in fine*, Rodrig. *in Bull.* §. 9. *n.* 109. Navarr. *in summ. cap.* 12. *n.* 80. Vega. Cordub. Anglel. Petr. de Ledesm. apud Barthol. à S. Fausto. *in Thesaur. Religios. l.* 4. *q.* 75. quibus accedunt Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *disp. unic. de Bull. punct.* 9. *n.* 8. Tamborin. *de Bull. cap.* 13. §. 1. *n.* 11. & apud ipsum Galleg. *in Bull. claus.* 9. *dub.* 160. & Machad. & apud Escobar mox citandum Sanch. *in summ. l.* 4. *cap.* 54. *n.* 56. *&* 57. *& l.* 8. *de matr. disp.* 15. *n.* 1. Idem tenet, præscindendo à mente, & intentione Pontificis, Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 1. *n.* 116. Idem tuetur juxta Bullam Lusitanam *Costa q.* 73. *in fine primi vers.* Probatur à Galleg. & Tamborin. *locis citatis* ex declaratione facta à Commissario Generali anno 1642. quam affert ipse Galleg. expresè declarante, commutationem votorum omnino faciendam esse, vi Bullæ, in subsidium temporale, idque præcipit omnibus confessariis; sub pœnâ excommunicationis: cùm ergo Commissario ex jure competat dubia Bullæ declarare, & referunt prædicti authores ita declarasse; illius declaratione standum est.

132. Secunda sententia opposita asserit, commutationem hanc faciendam esse in subsidium Spirituale, nempe in jejunia, orationes, &c. Pro hac sententia citat Sanch. *infra* afferendus, Alphons. Deza, & Lamas; quibus addit Bardi *supra n.* 111. Anton. Gomes *in Bull. claus.* 10. *n.* 54. Probant, quia juxta Bullam, commutatio facienda est *in aliquod subsidium*: at spirituale subsidium, scilicet orationes, subsidium est.

133. Tertia sententia est media inter utranque: inquit

inquit enim, commutationem hanc posse fieri in subsidium, partim temporale, & partim spirituale. Ita Henriq. *l. 7. cap. 30. n. 6.* Sanch. *l. 4. decal. cap. 54. n. 58.* Soar. *tom. 2. de Relig. l. 6. de voto cap. 19. n. 18.* Villal. *tom. 1. tract. 27. claus. 9. §. 3. n. 38.* Dian. *part. 1. tract. 11. resol. 21.* Ludovic à Cruce *in Bull. disp. 1. cap. 6. dub. 2. n. 5.* Fernand. *in exam. Theol. mora. part. 3. cap. 9. sect. 11. §. 17. n. 1.* Faust. *ubi supra* Trullench. *in Bull. l. 1. §. 7. cap. 3. dub. 11. n. 2.* Mend. *disp. 26. cap. 17. n. 175. Et in appendic. disp. 5. cap. 16. à n. 153.* contra Galleg. ubi intendit satisfacere declarationi Commissarii Generalis. Eandem, ut probabiliorem, tenet Bardi *cit. n. 108.* & Escobar. *tom. 1. Theol. moral. l. 7. n. 685.* Fragos. *tom. 2. disp. 7. n. 30.* Abreus *l. 10. cap. 13. n. 546.* Portel in dubiis *Regul. Verb. Bulla Cruciata n. 2.* Lezan. *ibidem tom. 3. n. 34.* si attendamus ad finem, & intentum S. Pontificis; Probant aliqui ex citatis authoribus ex verbis ipsius Bullæ Latinæ Hispaniæ concessæ, *in aliquod subsidium*; at si dicat Pontifex, aliquam partem debere esse in subsidium belli; & sic eam videtur intelligere ipse Commissarius, dum in summario, sic ait: *Podra tambien el dicho confessor conmutarles &c. dando la limosna, que paresciere en favor, beneficio de S. Cruzada.* sic Mend. & alii. At hæc ratio rectè impugnatur à Bardi *cit. n. 114.*

134. Melius ergo probatur hac duplici ratione à Sanch. Escobar, & aliis. Prima, quia si tota commutatio fieri deberet in subsidium temporale, parvi curarent de commutatione per Bullam, & sic redundaret in damnum Bullæ, & finem intentum à S. Pontifice; qui vult, ut omnes suscipientes Bullam gaudeant omnibus suis privilegiis: contentus ergo præsumitur, ut quilibet pro votorum commutatione contribuat eleemosynam suis facultatibus proportionatam; ut si ex pinguioribus cumuletur quantitas pro Belli expeditione. Secunda, quia Bulla compositionis conceditur pro bonis incertis multo minori summâ, quàm est debita, ne debitores nimium graventur, & alliciantur ad illam sumendam: ergo etiam idem evenire potest in votorum commutatione.

135. Quarta demum sententia est illorum, qui dicunt vota pauperum posse commutari in subsidium Spirituale, si paupertas talis sit, ut nec parvam valeant erogare eleemosynam. Et hoc probabile judicant Lessius *l. 2. cap. 40. dub. 16. n. 109.* Trullench. *in Bullam l. 1. §. 7. cap. 3. dub. 11. n. 3.* Sanch. *loco cit.* Soar. *ubi supra n. 56.* Rodrig. & Raphael. de la Torre apud Dian. *supra*; quibus addo Mend. *supra cit. n. 178.* & apud illum Vivald. & Lamas tantùm quoad vota personalia. Idem tenet Bardi *cit. n. 119.* si exiguam eleemosynam erogare non possint; & Escobar. *supra cit. n. 688.* licèt probabiliorem judicet sententiam *n. 133.* allatam, & probabilem dicit Abreus *citat.* Lezan. proximè; aliqui tamen *ex citat.* authoribus addunt, tutius esse, aliquam ab ipsis exiguam erogari eleemosynam, ut partem commutationis; & partem reliquam per opera pia; at tutius loquitur Escobar, illos pauperes monendo, ut accedant ad Regulares, qui sine Bullæ indulto id onus exigentis, eam poterunt, in pia solùm opera commutare.

136. Hæc sunt placita Expositorum Bullæ Hispanæ, & illorum, quibus hæc clausula occurrit. Quid ego sentiam tam circa prædictam clausulam, quàm circa Bullam Lusitanam, paucis, per sequentes conclusiones, absolvam.

137. Dico primò: Juxta Bullam Lusitanam, & finem à Pontifice intentum, commutatio votorum, vi Bullæ, facienda est in subventionem temporalem, & non in alia pia opera. Hæc conclusio est contra authores citatos pro secunda, & tertia sententia, & contra Fagos. & Abreum citatos pro tertiâ exponentes hanc clausulam Bullæ Lusitanæ, defenditur tamen à sequentibus primam, & à Costa *ibi citato.* Probatur primò, ex verbis ipsius Bullæ latinæ allatis supra, *in subventionem prædictam* in quibus apparet, intentum S. Pontificis esse subvenire efficaciter per eleemosynas pecuniarias ex votorum commutationibus acquisitas locis Africanis: sed orationes, & alia opera pia non habent hanc efficaciam, quia non habent effectum infallibilem: ergo non comprehenduntur in subventione, in quam voto sunt commutanda. Major patet ex dictione *prædictam*, quæ refertur ad subventionem temporalem, de quâ antea dixerat: *Pro opibus, & facultatibus suis potuerint, subventionis auxilia ad effectum subventionis manutentionis militum præfactorum contulerint*, &c. cùm ergo S. Pontifex in nostrâ Bullâ exprimat subventionem temporalem, alia subventio Spiritualis, etiam in parte, locum habere nequit, ut opinabantur Abreus, & Fragos. *supra citati.*

138. Secundò probatur, quia ita declarat Commissarius Generalis in advertentiis ad Bullam, his verbis: *Osconfessores advirtam, que acommutaçam dos votos, que fizerem, hadeser em esmolas para a Cruzada, porque assim odispoem. S. Santidade:* cùm igitur ad Commissarium competat declarare Bullæ Cruciatæ dubia, ne in dubium vertatur, quòd in Bullâ est expressum, id Commissarius admonet, & declarat.

139. Tertiò, quia in Bullâ Hispanâ dictio, *aliquod* adjuncta ad *subsidium* præbuit occasionem aliquibus authoribus asserendi, sufficere in commutatione voti aliquam partem debere esse temporalem, & aliam Spiritualem, ut videre est apud Mend. *supra num. 176.* quod tamen impugnat Bardi *cit. n. 114.* existimans, dictionem *aliquod* ad aliud referri: nempe, in favorem expeditionis. In nostra tamen Bullâ, illa dictio non reperitur: ergo juxta illam nullum datur fundamentum, ad asserendum commutationem voti non debere esse totam in subventionem temporalem, nempe pecuniariam.

140. Hanc eandem resolutionem existimo tenendam esse, juxta Bullam Hispanam; quia id ita à Commissario Generali, cui competit dubia Cruciatæ declarare, declaratum fuit, ut docent Galleg. & Tamborin. *locis citatis*; & tenent citati pro primâ sententiâ.

141. Dico secundò: si attendamus ad finem intentum à S. Pontifice in prædictis verbis: commutatio in totum, & non in parte, facienda est in subventionem temporalem; quia ad oppositum nullum datur fundamentum, ut ex dictis Bullæ & Commissarii verbis apertè constat.

142. Nec etiam authoritas tot gravissimorum authorum, pro tertia sententia citatorum, eundem intentum probat, circa Bullam Hispanam, quæ sanè illam opinionem saltem extrinsecè redderet probabilem, nisi de novo superveniret expressa declaratio Commissarii Generalis Hispani; & post il-

nem. Sic expressè tenent juxta Bullam Lusitanam Abreus *de paroch. l.* 10. *n.* 549. Fragoso 2. *part. disp.* 7. *n.* 28. & juxta Bullam Hispanam, Henriq. Sanch. Homobon. Villal. Ascanius Tamborin. Joann. Sanch. Laym. Faull. Lavorius, Bossius. Philipp. de la Crus, Pelachus, Sanctarell. quos refert, & sequitur Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 45. *& part.* 2. *tract.* 2. *resolut.* 9. *& part.* 3. *tract.* 9. *resol.* 25. *&* 4 *part. tract.* 4. *resol.* 8. *& part.* 5. *tract.* 12. *resol.* 36. Bonac. Trullench. & alii, quos congerit, & sequitur Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 97. Quibus accedunt Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 1. *n.* 47. Mend. *disp.* 26. *cap.* 20. *n.* 201. Fr. Joseph. Mend. *sect.* 1. *n.* 153. *fol.* 83. Escob. *in Theol. moral. l.* 7. *n.* 682. Pro hac etiam sententia citari potest Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *de voto cap.* 16. *n.* 5. quatenus ait, commutationem fieri debere in ipsa confessione, quando privilegium commutandi vota conceditur, sub hac forma: *in foro pœnitentiæ, vel audita confessione*; at si id sufficienter non declaretur, sed solùm requiratur, ad eligendum confessarium approbatum, &c. tunc non esse restringendum usum hujus facultatis ad Sacramentum pœnitentiæ: cùm verò in nostra Bulla, nec etiam in Hispana, ea requiratur forma, sed electio confessarii ad vota commutanda, dicendum est, esse pro hac sententia.

169. Probatur ex ipsa Bulla Lusitana, quæ in hoc non discriminatur ab Hispana; quæ postquam expressit remissionem peccatorum, quam confessarius impendere poterat, addit: *vota quæcunque ultra marino, &c. commutare licitè possit.* Cùm verò hoc privilegium concedatur extra ea, quæ absolvuntur in confessione, & sine ullo respectu ad confessionem Sacramentalem, dicendum est, commutationem votorum à confessario posse obtineri extra confessionem.

170. Ut hæc tamen patefiant, dicendum est primò, commutationem debere fieri à confessario ab ordinario approbato; quia sic disponitur in ipsa Bulla; nam de illo loquitur, qui fuit electus ad absolvendum à peccatis, & censuris, qui ab ordinario esset approbatus, qui etiam possit vota commutare. Ita D. D. citat. Bardi *num.* 45. Mend. *n.* 198. Escobar. *n.* 416. & alii quos referunt.

171. Dicendum secundò, non esse necessarium, quòd confessarius, à quo petitur commutatio, sit idem, à quo vovens à peccatis in confessione fuit absolutus, sed sufficit, quòd ab ordinario sit approbatus. Sic D. D. *citati.*

172. Dicendum tertiò, non obstante, quòd Mend. ubi *supra num.* 199. & ex illo Mendes cit. *n.* 152. quamvis illum non citet, asserant simplicem Sacerdotem, qui pro articulo mortis censetur approbatus, saltem in absentia legitimi confessarii, non posse, virtute Bullæ, commutare vota moribundi; quia ab Ordinario non est approbatus, ut à Bulla requiritur. Oppositum existimo tenendum. Ratio est, quia Sacerdos simplex pro illo articulo ab Ordinario censetur approbatus; approbatus enim pro illo articulo ab Ecclesia, cujus caput, & ordinarius est S. Pontifex, ut constat *ex Trid. sess.* 13. *de Reform. cap.* 7. *de casuum reservat.*; cùm verò legitimè, & secundum jus, pro illo articulo ab Ordinario totius Orbis sit approbatus, potest, virtute Bullæ, vota moribundi commutare. Confirmatur quia si pro illo articulo moribundus à simplici Sacerdote à censuris reservatis, & non exceptis in nostra Bulla, virtute illius, absolvatur, si periculum mortis evadat, non tenetur superiori se præsentare, ut omnes supponunt; & tamen Sacerdos simplex solùm pro illo articulo censetur approbatus: ergo etiam ex eo quòd pro illo articulo censetur, & est approbatus, vota moribundi poterit commutare.

173. Ad fundamentum Rodrig. facilè respondent plures Expositores Bullæ Hispanæ, quos citavimus *dicta disp.* 17. *sect.* 7. negando, non posse absolvi censuras extra confessionem Sacramentalem. Quia tamen juxta Bullam Lusitanam asserimus, non posse, virtute Bullæ, absolvi censuras extra confessionem, respondeo, esse disparem rationem: quia id expressè dicitur in ipsa Bulla; ut videre est *citato loco*: at commutatio in illa conceditur, independenter ab ipsa confessione; ut constat ex ratione pro nostra sententia.

174. Ad id quod addit de confessariis Mendicantibus, qui non possunt, virtute suorum privilegiorum, dispensare, vel commutare vota extra confessionem. Respondeo, ideo esse, quia in iis privilegiis apponuntur pro forma, hæc verba: *in foro pœnitentiæ, vel auditis confessionibus*: at in Bulla Cruciatæ, pro forma commutationis votorum, ea verba non apponuntur; ut ex Soar *supra* dictum est. Addo, quòd in privilegiis saltem nostræ Societatis JESU, ea verba non inveniuntur, ut videre est in Bulla Pauli III. quæ incipit: *Dilectis filii salutem. pagina mihi* 21. ubi sine iis clausulis conceditur potestas commutandi vota, exceptis illis quinque Ultramarino, Visitationis Liminum Apostolorum B. Petri, & Pauli, ac S. Jacobi in Compostella, nec non Religionis, & Castitatis, quod etiam notavit Mend. ubi *supra n.* 205.

175. Cæterum scio, Leand. ubi *supra* cum Quintanaduen. & Ludovic. à Cruce, docere, non obstante dicta clausula in privilegiis Regularium apposita, posse fieri commutationem votorum extra Sacramentum confessionis; quia ea clausula non commutationem votorum, sed absolutionem à peccatis, & censuris respicit: illum tamen impugnat Mend. *cit. dicto n.* 205.

SECTIO XX.

An qui virtute Bullæ potest vota commutare, possit etiam illa dispensare; vel è contra, qui potest dispensare, possit etiam commutare?

176. DUo in præsenti titulo inquiruntur: primum, an sicut, vi Bullæ possunt vota commutari, ut hactenus dictum est, ita etiam possint dispensari? Affirmant Sotal. *de just. q.* 4. *vers. Post hæc*, Palacius *in* 4. *dist.* 38. *disp.* 3. *apud* Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *de voto cap.* 12. *n.* 4. Pro eadem opinione citat Leand. *tom.* 1. *tract* 5. *disp.* 14. *q.* 151. Sylvestr. Fabien. Card. Tolet. dum asserit, hos authores videri affirmare. Possunt tamen pro hac opinione asseri, omnes asserentes, virtute Bullæ, posse commutari vota in aliquid minus, quos citavimus *supra n.* 116. quia, ut inquit Soar. *cit.* quando commutatio extenditur ad minus, non fit sine magna dispensatione; quia tamen *citato loco* diximus, hanc per Bullam non concedi; non est de hac opinione curandum.

177. Dicendum ergo est, ex facultate concessa in Bulla ad vota commutanda, non concedi facultatem ad vota dispensanda. Ratio est, quia major est facultas ad dispensandum, quàm sit ad commutandum; quia per dispensationem tollitur vinculum voti; at per commutationem in aliud subrogatur: cùm ergo commutatio sit quid minus, non potest includere, quòd est majus: ergo concessa in Bullâ facultate ad commutanda vota, non censetur concessa ad illa dispensanda. Sic Soar. *cit.* Covarr. Sayr. Angles, & Lopes, quos affert, & sequitur Trullench. *in Bull. l. 1. §. 7. cap. 3. dub. 1. n. 7.* Fagund. Moure, Portel, Villal. Homob. Rodrig. Henriq. Sanch. Quintanaduen. quos referunt, & sequuntur Dian. *1. part. tract. 11. resol. 42.* Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 14. q. 191.* quibus accedunt Mend. *disp. 26. cap. 19. num. 196.* Bardi *part. 2. tract. 7. cap. à n. 49.* Abreus *de paroch. lib. 10. num. 545.* Tamborin. *in Bull. cap. 13. §. 1. n. 1.* Escobar. *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. num. 638.* Lezan. *in q. q. Regul. tom. 3. Verb. Bulla Cruciatæ n. 34.* & alii. Nec Sylvestr. Tabien. & Cardin. Tollet. allati à Leand. stant pro parte opposita; quia loquuntur de commutantibus vota ex potestate ordinaria, non delegata; qualis est, quæ in Bullâ conceditur, & de illis verum est, posse dispensare, qui possunt commutare; ut docet Sanch. *l. 4. decal. cap. 52. n. 1.*

178. Secundum inquirendum: An qui habet facultatem dispensandi in votis possit illa commutare? Negant Navarr. *in man. cap. 12. n. 79. & in §. in Levit. notab. 27. n. 1.* Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 18. quæst. 7.* Medin. *in summ. l. 2. cap. 1.* Valent. *in 22. disp. 6. q. 6. punct. 7. vers. Denique* Beja *part. 2. casu 9.* Sanch. *l. 8. de matrim. disp. 2. n. 15. & l. 4. decal. cap. 53. n. 4.* Monet. *de commutatione ult. volunt. cap. 5. n. 576.* Lavor. *de jubil. part. 2. cap. 27. n. 4.* Malder. *de virtut. tract. 10. cap. 14. de voto dubit. 11. §. 3. Inquirendum.* Merol. *tom. 2. disp. 4. cap. 6. dub. 2. corol. 5. n. 98.* Ludov. à Cruce *disp. 1. cap. 6. dub. 7. n. 10.* & alii.

179. Probatur primò, quia dispensatio, & commutatio sunt diversi actus: Ergo concessa facultate ad dispensandum, non censetur concessa ad commutandum. Antecedens ostenditur; quia commutatio non includitur in dispensatione, ut pars in toto.

180. Secundò probatur, quia etiam dato, quòd commutatio sit pars inclusa in dispensatione, adhuc non sequitur, quòd concessa facultate ad dispensandum, censeatur etiam concessa ad commutandum. Et hoc patet, nam ut, habens facultatem remittendi votum debitum, possit remittere partem, necesse est, ut ea facultas sit concessa absolutè, aut cum limitatione: Si primum certum est posse remittere totum, aut partem debiti, quia facultas concessa est absolutè; si secundum, etiam certum est, non posse remittere, nec totum debitum nec partem; quia non datur conditio, seu limitatio, sub qua fuit concessa remissio; sed facultas concessa ad dispensandum cum vovente: Ergo si hæc non detur; nec etiam in delegato ad dispensandum datur facultas ad dispensandum, vel votum commutandum.

181. Declaratur hoc exemplo dicta probatio: Si Dominus concedat Oeconomo facultatem absolutam condonandi alicui debitum; vel conditionatam, nempe si inveniat debitorem esse pauperem. Ex facultate absoluta potest, & partem, & totum debitum remittere: At ex facultate conditionata, solùm potest, & partem, & totum remittere, inventa paupertate; si verò paupertas non detur; nec partem, nec totum potest remittere: Ergo eodem modo in facultate dispensandi; Hæc, & alia plura affert Sanch. ad suam firmandam sententiam *locis citatis.*

182. Dicendum tamen est cum communiori, & probabiliori sententia, habentem facultatem dispensandi in votis, illa posse commutare. Ita Soto, Sylvest. Sâ. Card. Tolet. Trullench. Soar. Filliuc. Bonac. Basil. Pontius Laym. Less. Barbos. Sayr. Conrad. Arag. Henriq. Fâgund. Quintanaduen. Dian. & alii, quos afferunt & sequuntur Rossius *de jubil. sect. 2. casu 3. n. 4.* Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 14. q. 152.* Escob. ubi *supra n. 661.* dicens hanc sententiam verissimam. Accedunt Palud. Rodrig. Castr. Palao Villal. quos refert, & sectatur Bardi *part. 2. tract. 7. cap. 1. n. 66.* Ratio est, primò, quia facultas commutandi, continetur in facultate dispensandi, tanquam pars in suo toto, & tanquam minus in majori: Sed qui potest, quod plus est, potest etiam, quod est minus, *juxta regul. cui licet, quod plus est, licet utique quod minus est, de regul. jur. in 6.*

183. Secundò; qui enim habet facultatem remittendi alicui totum debitum, etiam illam habet ad remittendam illi partem. Accedit, quòd privilegium Principis est amplissimè interpretandum; quando nullum tertii datur præjudicium: Sed hoc non datur in dispensatione votorum: Ergo qui illa potest dispensare, potest & illa commutare.

184. Restat, respondere ad fundamenta oppositæ sententiæ: Ad primum enim *n.* 179. allatum, concedo dispensationem, & commutationem esse actus diversos, & inter se differe, ut totum à sua parte, & ut includens ab incluso: Cum verò totum, & includens concedatur; nempe facultas dispensandi; etiam censetur concessum inclusum, seu pars; nempe commutatio.

185. Ad secundum *n.* 180. adductum respondeo, negando, non sequi ex facultate concessa ad dispensandum, facultatem ad commutandum. Nec illius probatio oppositum convincit: Quia si facultas ex illis duobus modis, sumatur absolutè, cùm requirat causam ex parte debitoris, ut ei remittatur debitum, potest habens facultatem illud remittendi, illud remittere, vel in totum; vel in partem, pro suo libito: At si ea facultas concedatur cum limitatione, seu sub conditione, etiam certum est, deficiente conditione, non posse debitum remitti: Unde patet, facultatem absolutam ad remittendum debitum, non assimilari dispensationi; quæ semper conceditur sub conditione, seu limitatione, nempe intercedente causâ ad dispensandum, & sine illa est nulla dispensatio: Assimilatur verò facultati concessæ ad remittendum debitum sub conditione: & sic eâ data conditione ad dispensandum, potest eam habens facultatem, & remittere totum, & remittere partem; ut liquet in exemplo adducto; nam data ea paupertate, potest œconomus, & remittere totum debitum, si ea paupertas tanta sit, ut non permittat solam partem remittere; at si non sit totalis, sed partialis, poterit remittere partem. Alia à Sanch. dissoluta invenies apud Bardi *loco citato.*

SECTIO

litatis investigatione commutat vota, peccare mortaliter; quia in re gravi deficit, & est causa cultûs divini diminuendi; quam investigationem non solùm servare tenetur, quando vota, virtute alicujus privilegii, aut Jubilæi, sed etiam quando, vi Bullæ, commutantur; ut jam *supra* notavimus.

SECTIO XVII.

An confessarius teneatur commutare votum, virtute Bullæ, quando id à pœnitente petitur?

153. PRima sententia asserit, teneri confessarium, nullum habentem impedimentum, commutare votum, quando cognoscit, pœnitentem justam habere causam, ad eam commutationem petendam. Sic Aragon. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. Sayr. *in clau. Reg. l.* 6. *cap.* 12. *Vers. Postremò notandum.* Vivald. *in candel.* loquens de impedimento matrimonii, ratione voti *n.* 68. Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 54. *n.* 12. Ludovic. à Cruce *in Bull. disp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 1. *n.* 1. Sanctarell. *de Jubil. cap.* 8. *dub.* 2. Abreus *de paroch. l.* 10. *n.* 549. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 3. *n.* 298. Escobar *tom.* 1. *Theol. moral. l.* 7. *n.* 274. Barthol. à S. Faust. *in Thes. l.* 4. *q.* 53. Lezan. *in q. q.* Regul. *tom.* 3. *Verb.* Bulla Cruciatæ *n.* 34. Stunic. Chapeavilla, apud Castr. Palao citandum. Probant primò, quia confessarius, vi Bullæ, fit judex delegatus in favorem pœnitentis ad vota commutanda: sed Episcopus dicitur infidelis, *in cap. Quanto* 2. *q.* 5. denegans dispensationem subdito ex justa causâ petenti: ergo etiam confessarius Virtute Bullæ electus ad vota commutanda, denegans commutationem pœnitenti ex justa causâ petenti, dicetur infidelis, ac proinde peccabit.

154. Secundò probari potest; quia quando ex denegatâ dispensatione in voto, sequitur notabile damnum Spirituale voventi, tenetur superior ad dispensandum: ut docent Sanch. *de matr. l.* 3. *disp.* 10. *n.* 70. *& l.* 4. *decal. cap.* 46. *n.* 9. Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *de voto, cap.* 17. *n.* 21. Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 6. *punct.* 8. §. 2. *n.* 12. *in fine*, & alii, quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 7. *tract.* 1. *disp.* 17. *q.* 33. ergo etiam confessarius virtute Bullæ electus tenebitur ad votum commutandum, quando ex justa causâ id postulat pœnitens. Non declarant tamen prædicti authores, an hoc peccatum sit grave, aut leve, nisi Faustus *cit.* asserens, ad minus peccare venialiter confessarium. Addit etiam Sanch. *loco citato l.* 4. *decal. cap.* 54 *n.* 12. Si à Regulari confessario petatur commutatio, vi suorum privilegiorum, non teneri ad commutandum votum; quia non adstringitur uti suo privilegio.

155. Secunda sententia docet, non teneri prædictum confessarium ad vota commutanda. Sic Joann. Sanch. *in select. disp.* 14. *n.* 17. Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 6. *punct.* 8. §. 2. *n.* 12. Sic distinguens: vel confessarius acceptavit electionem ad dispensandum ex privilegio, quod habebat, aut quod ipse pœnitens habet, ut dispensetur: & in quolibet, si ipse confessarius acceptavit electionem, tenetur ad dispensandum; vel ipse confessarius non acceptavit electionem ad dispensandum; & sic non tenetur dispensare; etiamsi confessionem audiat; quia privilegium per Bullam concessum non est ad arctandum confessarium ad dispensandum, sed est ad dispensandum, si confessor voluerit; aliàs quilibet sacerdos approbatus requisitus per Bullam teneretur confessionem cujuslibet pœnitentis, qui illum requirit, auscultare. Sic Castr. Palao. Aliâ utitur distinctione Bardi. *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 1. *num.* 27. Sed quia hæ sententiæ videntur inter se coincidere. Dico per sequentes conclusiones, in quibus conveniant; & quid tenendum sit.

156. Dico primò: Confessarius sive proprius, sive delegatus, qui consentit electioni de se ipso factæ à pœnitente habente Bullam, tenetur ad commutanda vota, ad quæ commutanda, se obligavit; quæ obligatio, vel erit sub veniali, vel sub mortali: erit venialis, si pœnitenti nulla molestia sequatur, si ejus votum non commutetur; at erit mortalis, si magnâ afficiatur molestia; eo quod jam ab aliis confessariis fuit repulsus, & ob repulsam tristatur, & in periculo peccandi existit. Et in hoc casu tenetur confessarius consentire electioni. Ratio est, quia ad id charitas obligat. Et ita docent Joann. Sanch. *cit. n.* 17. *circa finem*, Castr. Palaus *citatus dicto n.* 12. *in fine*, Bardi *n.* 29.

157. Dico secundò: Absolutè loquendo, confessarius non tenetur commutare votum pœnitentis, virtute Bullæ, etiamsi ab eo fuisset electus ad audiendam suam confessionem; quia confessarius non constituitur delegatus necessarius ad vota commutanda, virtute Bullæ; sed illi ea conceditur facultas, si eâ uti voluerit, ut patet ex verbis ipsius Bullæ, ibi: *in subventionem prædictam commutare licitè possit.* Nec etiam manet obligatus, ex eo quòd ipsius pœnitentis audierit peccata; & teneatur eum absolvere; quia quid diversum est, commutare votum, & absolvere, nec unum in altero includitur; & quamvis consenserit electione ad peccata absolvenda, non tamen ad vota commutanda. Si tamen confessarius sit proprius ipsius pœnitentis, & ab ipso requisitus, irrationabiliter deneget commutationem, non erit excusandus à peccato; quia ex munere suo tenetur conferre ea, quæ ad profectum Spiritualem suæ ovis conducunt. Ita Bardi *citat. num.* 27 *& 32.*

158. Ego tamen existimo, ad idem teneri confessarium ab eo electum ad confessionem audiendam, data eâ rationabili causâ, cum hac tamen differentia, quòd proprius confessarius ad id tenetur ex justitia. Ita Mend. *disp.* 26. *cap.* 20. *n.* 208. & apud ipsum Salas, & Card. de Lug. Delegatus autem ex charitate. Sic Mend. *proximè n.* 210. quamvis id tantùm concedat in extrema necessitate; hoc tamen erit, ut peccet mortaliter, nam extra illam, data rationabili causa, erit veniale. Unde, si consideratis circumstantiis, proprius confessarius peccat mortaliter, vel venialiter, denegando commutationem justè petitam, etiam peccabit mortaliter, vel venialiter confessarius delegatus; quia etiam ex charitate tenetur ad profectum Spiritualem pœnitentis, ad cujus electionem audiendæ confessionis consensit.

159. Dico tertiò: si confessarius, sive proprius, sive delegatus non sit adeo peritus; & ne se exponat periculo errandi, quia nescit judicium ferre inter materiam voti, & æqualitatem commutatio-

SECTIO XXI.

An ſicut confeſſarius poteſt, virtute Bullæ, vota commutare, ita etiam poſſit commutare juramenta ſoli Deo facta.

186. UT certum ſuppono, ſicut aliquis poteſt in honorem Dei, Beatiſſimæ Virginis, aut alicujus Sancti aliquod bonum opus vovere; ita etiam poteſt in honorem ipſius Dei, Beatiſſimæ Deiparæ, aut alicujus Sancti, jurare idem bonum opus, v. g. Jurare omnibus feriis ſextis jejunare: Inquirimus igitur: An ſicut confeſſarius poteſt votum jejunandi, & ſimilia non reſervata, commutare; ita etiam poſſit commutare juramenta, circa eandem materiam votorum, Deo facta.

187. Negant Navarr. *in man. cap.* 27. *n.* 275. *Verſ. Decimo Sexto*; & *l.* 2. *n.* 9. Leſſ. *l.* 2. *de juſt. cap.* 42. *dub.* 12. *n.* 60. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 6. *q.* 6. *punct.* 4. Azor. *tom.* 1. *l.* 11. *cap.* 10. *quæſit.* 2. Bonacin. *in precept. decal. diſp.* 4. *q.* 2. *punct.* 7. *n.* 32. Petr. Ledeſm. *tom.* 2. *ſumm. tract.* 11. *cap.* 4. *q.* 41. *n.* 1. Barthol. à S. Fauſt. *in Theſ. Relig. l.* 4. *q* 41. *n.* 1. Boſſius *l.* 2. *cap.* 32. *dub.* 12. *n.* 60. & 62. Ludovic. à Cruce *in Bullam diſp.* 1. *cap.* 6. *dubit.* 5. *n.* 2. Sà *in aphor. Verb. Iuramentum n.* 32. *in* 2. *impreſſione correctâ*, & *Verb. Votum. n.* 16. licèt in primâ oppoſitum docuerit.

188. Probant primò; quia vota, & juramenta ſunt ſpecie diverſa: ergo quod diſponit Bulla circa commutationem voti, non cenſetur diſpoſitum circa commutationem juramenti.

189. Probant ſecundò; quia licèt privilegia Bullæ ſint amplianda; non debent tamen ampliari ultra verborum ſignificationem, ut colligitur *ex cap. porro de privil.* At ſi juramenta Deo facta poſſint, virtute Bullæ, commutari, privilegium ampliaretur ultra verborum ſignificationem: cùm in Bullâ ſolùm concedatur, ut confeſſarius vota, & non juramenta, commutet.

190. Probant tertiò; quia ſi S. Pontifex concedere vellet facultatem commutandi juramenta, id exprimeret; ut fecit Gregorius XIII. anno 1575. in Bullâ, quæ incipit: *Ad perpetuam rei &c.* extendendo in favorem Societatis JESU facultatem, quam à Paulo III. habebat, ad vota commutanda, de quâ *ſupra n.* 174. ad juramenta, abſque alterius præjudicio, commutanda: ergo cùm in Bullâ ſolùm fiat mentio de votorum commutatione, ſine majori fundamento, non eſt extendenda ad juramenta commutanda.

191. Dicendum tamen probabilius, facultatem conceſſam in Bullâ ad vota commutanda, extendendam eſſe ad juramenta Deo facta. Ita Henriq. *l.* 7. *cap.* 30. *n.* 5. Sà *Verb. Juramentum n.* 32. Aragon. 22. *q.* 86. *art.* 9. & *q.* 88. *art.* 12. Vivald. *part.* 3. *candel. cap.* 14. *n.* 1. Rodrig. *in ſumm. tom.* 1. *cap.* 192. *n.* 30. Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *de voto cap.* 14. *à n.* 6. Sayr. *in Clavi Regiâ l.* 5. *cap.* 8. *n.* 9. Sanch. *l.* 8. *de matr. diſp.* 2. *n.* 18. & *l.* 4. *decal. cap.* 53. *n.* 8. Moure *in exam. Theol. part.* 3. *cap.* 9. *ſect.* 2. §. 17. *n.* 2. Filliuc. *tract.* 26. *n.* 254. Leo *tract. de Jubil. part.* 2. *q.* 12. *n.* 68. Molfeſius *in ſumm. tom.* 1. *tract.* 11. *cap.* 15. *n.* 203. Villal. *tom.* 1. *tract.* 27. *claus.* 9. §. 3. *n.* 29. Fagund. *in* 2. *decal. præceptum. l.* 2. *cap.* 51. *n.* 13. Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 2. *n.* 3. Candid. *tom.* 2. *diſquis. Moral. diſquis.* 25. *art.* 4. *dub.* 1. & *diſq.* 26. *art.* 15. *dub.* 1. Laym. *l.* 4. *tract.* 3. *cap.* 11. *n.* 3. Boſſius *de Jubil. ſect.* 2. *caſ.* 9. 21. Baſil. Pontius *de matr. lib.* 8. *cap.* 11. *n.* 4. & 5. loquens de poteſtate delegatâ ad diſpenſandum in votis, & alii, quos referunt, & ſequuntur Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *reſol.* 41. & 3. *part. tract.* 5. *reſol.* 25. & 4. *part. tract.* 4. *reſol.* 19. & 5. *part. tract.* 11. *reſol.* 57. Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 1. *n.* 76. Leand. *part.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 14. *q.* 100. Mend. *diſp.* 26. *cap.* 5. *à n.* 31. Eſcobar. *in Theol. moral tom.* 1. *l.* 7. *n.* 664.

192. Suadetur primò ab aliquibus *ex regul. cui licet, quod plus eſt* 53. *de regul. jur. in* 6. ſed majus eſt vinculum voti, quàm vinculum juramenti. Ergo, qui habet poteſtatem commutandi vota, illam habet ad commutanda juramenta. Sed contra, quia regul. illa ſolùm militat, quando minus continetur in eo, quod eſt majus, tanquam pars in ſuo toto: At vinculum juramenti non continetur in vinculo voti, tanquam pars in ſuo toto: Ac proinde ex eâ regul. non probatur intentum.

193. Suadetur ſecundò; quia licet juramentum non includatur in voto, ut pars; virtute tamen includitur ipſum votum in juramento, quod ſit Deo, & non hominibus, quia juramentum includit promiſſionem Deo factam: Ergo conceſſa facultate ad commutanda vota, indirectè etiam conceditur ad commutanda juramenta. Sed contra, quia tunc aliquid probaret, quando facultas eſſet conceſſa ad commutanda juramenta, quæ virtute includunt vota; & non quando facultas eſt ad commutanda vota, ut in præſenti.

194. Suadetur tertiò, & efficacius *ex l. tantùm ff. de ſervo corrupt. l.* 1. *ff. de legat.* 1. *Gloſſ. in l. ſi quis ſervo C. de furt.* & *in cap. ſi poſtquam* §. *fin. de elect. in* 6. ubi diſpoſitum in uno æquiparatorum, cenſetur diſpoſitum in altero: & in æquiparatis idem etiam diſponitur per extenſionem; & de æquiparatis idem eſt judicium. Ut cum multis D. D. tenet Barbos. *de Axiomat. Jur. Axiom.* 14. *n.* 1. 2. & 3. ſed juramentum, & votum æquiparantur in ordine ad hoc privilegium commutandi vota; quia ſicut homo per votum ſoli Deo obligatur, ita etiam per juramentum ſoli Deo factum, ipſi ſoli Deo obligatur: ergo quod diſponitur in Bullâ circa commutationem votorum, cenſetur etiam diſpoſitum circa ea juramenta.

195. Hanc rationem, cùm ſit deducta ex jure, & apud D. D. accepta, exiſtimo probabiliſſimam, licèt Soar. non placeat, & illam impugnet: ſed illius authoritate non obſtante, eſt ratio efficaciſſima, ut rectè oſtendit Bardi; & alii authores ex illa hanc probant ſententiam.

196. Ad primum fundamentum oppoſitæ ſententiæ *n.* 188. reſpondetur, quamvis votum, & juramentum ſpecie diſtinguantur, æquiparantur tamen in eâ ratione utrique communi, nempe in promiſſione offerendi aliquid in obſequium, & honorem Dei; & quæ ſic æquiparantur, quamvis ſint inter ſe ſpecie diverſa, quod diſponitur de uno, de altero cenſetur diſpoſitum: ut ex variis exemplis conſtat; nempe ex facultate, quæ indulgetur clerico beneficiario, ut fructus lucretur in abſentiâ: ad hoc ut incumbat ſtudio Theologiæ quæ extenditur ad ſtudium juris canonici; quia hæ duæ ſcientiæ æquiparantur in jure; & ſic docet Panormit. Felin. *in cap. fin. de Magiſt.* Navarr. *in man. cap.* 25. *n.* 58. & alii; & privilegium comedendi ova in die-

bus

bus prohibitis, comprehendit lacticinia; quia æquiparantur; & sic in aliis multis: consequentia ergo negandæ est.

197. Ad secundum n. 189. respondetur, privilegia hoc loco debere extra verborum significationem ampliari, ut colligunt D. D. *ex dict. cap. Porro*; quia votum, & juramentum quoad commutationem, & dispensationem æquiparantur, & de æquiparatis idem est judicium, & dispositio, ut *supra* vidimus.

198. Ad tertium *n.* 190. respondendum est; multa privilegia concedi solere, pro majori conscientiæ quiete, maximè quando utrinque dantur oppositæ sententiæ, ut in aliis similibus plura invenimus exempla.

SECTIO XXII.

An vi Bullæ possit commutari votum juramento confirmatum?

199. SUppono ad hujus quæstionis explicationem, duplici modo posse concurrere votum cum juramento, circa eandem materiam, v. g. circa jejunium Sabbati: uno modo concomitanter, ita ut votum nullam connexionem habeat cum juramento de eodem jejunio emisso, nec juramentum cum ipso voto de eodem emisso jejunio: ut si voveas jejunium, & postea istius voti immemor, idem jures; vel memor; independenter tamen ab ipso voto emisso. Altero modo cum dependentia unius ab altero; ut si post votum jejunii emissum, illud juramento confirmes. Hoc supposito.

200. Negant absolutè, & sine prædicta distinctione Henriq. *l. 7. cap. 30. n. 5.* Azor. *tom. 2. l. 11. cap. 10. quæst. 1.* Less. *l. 2. cap. 40. dub. 11. n. 94.* Sayr. *in clavi Reg. l. 5. cap. 8. n. 9.* Aragon. 2. 2. *q.* 88. *art. 12. dict. 4.* Talent. *tom. 3. disp. 6. q. 6. punct. 4.* & alii, quos citat, & sequitur Sanch. *l. 8. de matr. disp. 2. n. 23. & l. 4. decal. cap. 53. n. 17.*

201. Alii juxta prædictam distinctionem asserunt, non posse commutari votum, & juramentum simul concurrentia, absque dependentia unius ab altero; posse verò commutari, si detur dependentia, aut subordinatio unius ab altero, nempe quando votum jejunii per juramentum confirmatur. Ita Sanch. proximè, & apud ipsum Rodrig. *in Bull. §. 9. n. 110.* Ludov. à Cruce *in Bull. disp. 1. cap. 6. dub. 6. n. 6.* Fagund. in 2. decal. præceptum *l. 2. cap. 50. num. 13.* Bonac. *tom. 2. disp. 4. q. 1. punct. 17. n. 11.* Candid. *disquis. 26. art. 16. dub. 11.* Sorb. *in compendio privil. Mendic. Verb. absolutio quoad Fratres, & seculares in annotat. conclus. 8.* Mend. *disp. 26. cap. 6. n. 73. in fine.*

202. Dicendum tamen probabilius; virtute Bullæ, vel jubilæi, posse vota juramento confirmata, & votum, & juramentum circa eandem materiam emissa, independenter unum ab altero commutari. Sic Soar. *tom. 2. de Relig. l. 6. cap. 14. n. 19.* Basil. Pontius *l. 8. de matr. cap. 11. n. 5.* Castr. Palao *tom. 3 tract. 14. disp. 3. punct. 1. n. 5.* Trullench. *in Bull. l. 1. §. 7. cap. 3. dub. 3. n. 4. & in decal. l. 2. cap. 2. dub. 4. n. 12.* Sâ *Verb. voti irritatio in primâ impressione ante correctionem.* Bossius *de jubil. sect. 2. casu 9. n. 11.* Quintanad. *de jubil. duplic. hebdomad. cap. 10. n. 15.* quos afferunt, & sequuntur Dian. *1. part. tract. 11. resol. 43. & 3. part. tract. 5. resol. 24. & 5. part. tract. 12. resol. 57. & part. 8. tract. 3. resol. 44.* Bardi *part. 2. tract. 7. cap. 1. n. 91. & 105.* Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 14. q. 101.* & probabile dicunt Fagund. Mend. *locis citat.* Gobat. *tom. 2. tract. 3. n. 287.* Escobar *in Theol. moral. tom. 1. lib. 7. n. 247.* de voto juramento confirmato, *& num. 667.* quando votum, & juramentum circa eandem materiam, independenter unum ab altero, sunt emissa.

203. Probatur prima pars; nempe votum juramento confirmatum posse virtute Bullæ commutari. Quia licèt hoc non sit decisum in summario Bullæ Lusitanæ, ut est decisum in summario Bullæ Hispanæ, per hæc verba: *Podra tambien eldicho confessor commutarles qualesquier votos, aunque sean hechos con juramento.* Ratio tamen adducta à Sanch. & aliis, id convincit: quia juramentum in hoc casu est accessorium voto: ergo commutato voto ex una in aliam materiam, corruet juramentum illi accessorium. Confirmatur, quia si quis emisit votum perpetuæ castitatis, & illud postea juramento confirmavit, ita ut juramentum accessoriè se habeat; & habita à S. Pontifice dispensatione voti, nulla facta mentione de eo juramento, dispensatio est valida, quia extincto voto, juramentum etiam tanquam accessorium extinguitur, ut rectè notat Soar. *citat. dicto lib. 6. de voto, cap. 14. num. 25. & 26.* & Sanch. *l. 4. decal. cap. 53. n. 22.*

204. Secunda pars ostenditur, scilicet posse, vi Bullæ, commutari votum, & juramentum concurrentia circa eandem materiam, & absque dependentia, & subordinatione unius ad alterum. Et probatur destruendo fundamentum oppositæ sententiæ; quia unum vinculum ob conjunctionem alterius non mutat suam naturam: sed ut vidimus *sect. præcedente*, juramentum Deo factum potest, virtute Bullæ, commutari: ergo etiam poterit commutari, quando cum voto circa eandem materiam conjungitur: per accidens enim se habet ista conjunctio. Confirmatur, in habente facultatem absolvendi à censuris: quamvis enim plures concurrant absque connexione inter se, sive divisim, sive conjunctim, qui potest absolvere ab una ex potestate delegata, potest etiam ab aliis absolvere.

205. Dices primò: duo vincula simul juncta, quamvis æquiparata, sunt quid majus, quàm sit unum vinculum; nam re ipsâ sunt duo independentia: sed in Bullâ solùm datur facultas ad commutandum unum vinculum, sive sit voti, sive juramenti: ergo si independenter unum ab altero, circa eandem materiam, concurrant, non possunt commutari. Major probatur ex materia matrimonii: nam quando duo impedimenta simul concurrunt ad matrimonium contrahendum; ex eo quod vinculum sit strictius, dispensatio est difficilior. Et invalida, si taceatur unum impedimentum cum alio simul concurrens, quia concessa dispensatione ad unum, non censetur concessa ad alterum non expressum; ut docet Sanch. *l. 8. de matrim. disp. 23. à n. 2.* & ita ex stylo curiæ practicatur: ergo idem dicendum in commutatione voti, & juramenti simul, & independenter concurrentium.

206. Respondeo, negando, illa duo vincula esse quid majus, quoad potestatem commutandi votum, & juramentum, simul conjuncta, & independenter concurrentia; quam sit quando non sunt con-

conjuncta: ut patet in exemplo adducto in confirmationem nostræ sententiæ; quia habens facultatem absolvendi ab excommunicationibus Pontifici reservatis, potest ex eadem facultate absolvere innodatum duplici, vel triplici excommunicatione conjuncta, sicut poterat divisim. Et hoc ex eadem ratione, quia conjunctio unius excommunicationis cum alia, non limitat potestatem delegatam, nec auget reservationem, ita ut non possit illas simul absolvere; & ita evenit in prædicta commutatione.

207. Ad probationem majoris respondetur, in eadem petitione exprimendum esse utrunque impedimentum, aliter enim invalida erit dispensatio; cùm ita disponat sententia, quæ ex stylo curiæ practicatur. Ex hoc autem nihil infertur contra nos: nam si etiam non exprimatur in commutationis petitione, & votum, & juramentum simul, utrumque non commutabitur; quamvis expressum sine alio, & utrumque simul possint commutari; quia nullum est jus, quod id prohibeat.

208. Ad minorem ejusdem argumenti respondeo, negando, in Bullâ non dari facultatem ad commutandum utrumque vinculum, sed tantùm vel voti, aut juramenti vinculum, quia sub nomine voti comprehenditur juramentum, ut *supra n.* 194. vidimus; ergo concessâ facultate ad commutandum votum, implicitè conceditur etiam ad commutandum juramentum, & utrumque simul concurrens; ut patet exemplis adductis.

209. Dices secundò: Juxta illud physicum axioma, virtus unita est fortior seipsâ dispersâ, & sic vinculum voti, & juramenti simul concurrentium est fortius, & strictius: ergo, ut sic non possunt, virtute Bullæ, commutari. Respondeo, illud axioma verificari in qualitatibus habentibus gradualem intentionem, ut est calor, & frigus; quorum gradus, quando sunt uniti, fortiùs agunt; & remissiùs, quando dispersi: at juramentum, & votum circa eandem materiam, non faciunt majorem obligationem, nec vinculum majus intensivè, sed tantùm extensivè: & sic extensivè dispersa, id est, unum ab alio independens, non manet vinculum fortius, nisi extensivè; quod non impedit commutationem; ut constat ex adductis exemplis, de facultate absolvendi à censuris, excommunicationibus, & dispensandi in irregularitatibus.

SECTIO XXIII.

Quænam vota, virtute Bullæ, possint commutari?

210. REsolutio hujus quæstionis est clara ex verbis ipsius Bullæ; in quâ conceditur confessario, ut possit licitè quæcunque vota commutare, exceptis Ultramarino, nempe peregrinationis Hierosolymitanæ, Castitatis, & Religionis; ex quâ exceptione sequitur, posse confessarium omnia alia vota commutare, sive sint realia, sive personalia, aut mixta; sive sint visitandi limina Apostolorum, sive corpus B. Jacobi Apostoli in Compostella, quæ duo vota licèt sint S. Pontifici reservata in Bulla non excipiuntur; ita Escobar *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *q.* 249. & D. D. communiter. Ratio est, quia exceptis illis tribus, omnia alia vota comprehenduntur in ea concessione. Quamvis hoc sit evidens, aliqua dantur vota non excepta, quæ, virtute Bullæ, non possunt commutari, & alia de quibus poterit esse dubitatio; in hac sect. videbimus, quæ non sint commutabilia, & illa, de quibus, an sint commutabilia, dubitari possit.

211. Dico primò: Non sunt commutabilia vota substantialia Religionis, & illis annexa, sive sint solemnia, sive simplicia (jam supra notavimus) non solùm per Bullam, sed nec per quodcunque aliud jubilæum, aut privilegium.

212. Dico secundò: Nec etiam possunt commutari per Bullam, vel aliquod jubilæum, vota, & juramenta, quibus confirmantur statuta Communitatum, Academiarum, Collegiorum, &c. Ita Sot. *de justit. l.* 8. *q.* 1. *art.* 9. *ad tertium vers. Tertium membrum.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 9. *quæst.* 4. Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 5. *n.* 8. & 12. Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 2. *n.* 16. licèt Sanch. *l.* 3. *decal. cap.* 19. *n.* 7. id limitet, quando statuta non sunt à S. Pontifice confirmata. Probatur primò, quia Bulla non conceditur communitatibus, sed personis particularibus. Secundò, quia ea juramenta cedunt in utilitatem tertii, & primò, & per se non fiunt in Dei honorem; ac proinde illius commutatio est in damnum tertii: at facultas commutandi non conceditur quando est in damnum tertii. Et ob eandem rationem commutari non possunt, virtute Bullæ, juramenta, quæ ab aliquibus Prælatis emittuntur, non alienandi bona Ecclesiastica, & similia, quia illorum relaxatio cedit in damnum tertii.

212. Dubium tamen sit primum: An si quis voveat, se non lusurum, sub pœnâ erogandi unum aureum determinatæ personæ, aut pauperibus, quoties luserit; & sæpè luserit, ita ut multorum aureorum sit debitor: potest ne hæc pœna pecuniaria, virtute Bullæ, commutari? Negant Navarr. *l.* 3. *Consil. tit. de voto Consil.* 32. *alias* 35. Graff. 1. *part. decis. l.* 2. *cap.* 28. *n.* 5. Sayr. *in Clavi Regia cap.* 12. *n.* 20. Azor. *tom.* 1. *l.* 11. *cap.* 18. *quæst.* 11. *in fine*, Lavorius *de jubil. part.* 2. *cap.* 17. *num.* 127. Vega 2. *part. summ. cap.* 126. *casu* 10. Probant, quia in Bullâ conceditur facultas commutandi vota, & non relaxandi pœnam ex voto immediatè ortam: & quid diversum est, votum commutare, & pœnam ex voto relaxare.

214. Dicendum tamen probabilius, posse dictam pœnam, virtute Bullæ, commutari. Ratio est, quia obligatio solvendi aureum pro qualibet vice, qua luserit, oritur ex voto conditionali; quæ non est major, adimpleta conditione, quàm si absolutè voveret dare unum, vel plures aureos pauperi determinato, aut pauperibus, sed potiùs est minor: sed hæc, virtute Bullæ, possunt commutari, ut statim videbimus: ergo etiam illa. Sic Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 52. *n.* 10. & *l.* 8. *de matr. disp.* 15. *n.* 14. Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *de voto cap.* 20. *n.* 19. Filliuc. Raphal. de la Torre, Leo, Malder. Joann. de la Cruz Villal. & Homobon. quos refert, sequitur Dian. 1. *part. tract.* 11. *resol.* 46. Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 8. *n.* 1. Ludovic. à Cruce *in exposit. Bull. disp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 15. *n.* 13. Candid. *disquis.* 24. *art.* 5. *dub.* 2. Bonacin. *tom.* 2. *in decal. disp.* 4. *q.* 1. *punct.* 7. §. 4. *num.* 18. Less. *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 6. *n.* 108. Bossius *de jubil. sect.* 2. *cas* 23. *n.* 1. Laym. *l.* 4. *tract.* 4. *cap.* 8. *n.* 26. Sanctarell. *cap.* 11. *dub.* 3. Faust. *l.* 4. *Thesaur. q.* 48. *de jubil. duplic. hebdomada cap.* 10. *num.* 4. Bardi *part.* 2. *tract.* 7.

cap. 2. *n* 13. Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 134.

215. Addunt aliqui ex prædictis authoribus, apud Bardi, posse prædictum votum commutari partim in eleemosynas, & partim in opera pia. Hoc tamen intelligendum est, si commutatio fiat, virtute jubilæi, sive ex potestate ordinaria, aut ex Regularium privilegiis; nam si commutatio fiat, virtute Bullæ, facienda est in eleemosynam ad subventionem locorum Africæ, juxta ea, quæ diximus *supra sect.* 15.

216. Ad fundamentum adversariorum *n.* 213. respondeo, illam obligationem esse ex voto, quod, adimpleta conditione, ad illam pœnam obligat. Adverto tamen cum aliquibus ex authoribus citatis, pro nostra sententia; quòd si vovens solùm petat commutationem voti prædicti pœnalis, vel absoluti de eleemosyna eroganda, eam petitionem non extendi ad pœnam jam debitam ex violatione illius voti. Quare si eam commutari velit, tenetur illam expressè postulare. Sic D. D. citat. apud Bardi *proxime n.* 14.

217. Ex dicto dubio primo oritur secundum, nempe: si S. Pontifex commutasset pecuniam jam debitam ex violatione voti, vel partem remisisset, & alteram solvendam reliquisset, poterit ne confessarius, virtute Bullæ, illam partem commutare in subventionem prædictam, vel virtute jubilæi, aut alicujus privilegii, vel potestatis ordinariæ, in alia opera pia, dummodo, quæ fit virtute Bullæ, fiat in eleemosynam pecuniariam? Respondeo, posse, quamvis in oppositum sint authores *supra citat.* in principio præcedentis dubii. Ratio est, quia per commutationem à S. Pontifice factam, pars solvenda ab eo relicta non est affecta reservatione: ergo sicut ante commutationem à Pontifice factam, poterat à prædictis potestatem habentibus commutari, sic etiam poterit post Pontificiam commutationem. Sic D. D. communiter; Soar. *cit.* *n.* 20. Sanch. Bonacin. Candid. *locis citat.* Trullench. *n.* 5. Bardi *n.* 15. Leand. *q.* 135.

218. Tertium dubium: An votum Deo factum in honorem ipsius Dei, vel alicujus Sancti, in utilitatem tamen alicujus tertii v. g. votum dandi calicem alicui determinatæ Ecclesiæ, vel dotem, aut eleemosynam alicui determinatæ personæ, possit virtute Bullæ commutari? Negant, posse commutari D. Anton. Rosella, Raynerius, Sarmientus apud Sanch. illico citandum. Primò, quia favore causæ piæ, valent donationes, & promissiones in absentia factæ, & sine acceptatione acquiritur jus ad illas per causam piam. Secundò, quia vovens potest compelli per judicem ad executionem, requisitus ab illo tertio, ut votum exequatur; ut cum pluribus docet Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 11. *n.* 19. ergo ex eo est, quia vovens ad id tenetur.

219. Longè tamen probabilius dicendum, posse commutari. Ratio est; quia votum illud factum est principaliter in honorem Dei, vel illius Sancti: ergo ipsi Deo, vel Sancto duntaxat obligatio acquiritur; & maximè, si ipsum votum non sit nomine Ecclesiæ ab ipsius Prælato, vel à paupere acceptatum. Ita Sanch. *lib.* 4. *decal. cap.* 41. *num.* 7. Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 9. *de voto cap.* 15. *à n.* 3. Trullensch. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 8. *n.* 2. Bossius *de jubil. sect.* 2. *cas.* 7. *n.* 2. Basil. Pont. de matr. *l.* 8. *cap.* 8. §. 1. *n.* 1. *& cap.* 20. *n.* 7. Henriq. Sâ Azor, Laym. Filliuc. Sayr. Cajet. Sylvestr. Angles, Graff. Rodrig. Leo. Joann. de la Cruz, Dandid. Ludovic. à Cruce, Barbos. quos asserunt, & sequuntur Dian. 1. *part. tract.* 11. *resol.* 47. Quintanduenas *de jubil. duplicis hebdom. cap.* 10. *num.* 12. Leand. *tom* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 132. Lezan. *in q. q. Regul. tom.* 3. *Verb. Bulla Cruciatæ num.* 34. Accedunt Bardi *part.* 1. *tract.* 7. *cap.* 1. *num.* 9. Fagund. *in.* 2. *decal. præceptum. lib.* 2. *cap.* 49. *num. &* 11. dum asserunt idem votum posse à vovente propria authoritate in melius commutari.

220. Ad primum contrariæ sententiæ fundamentum *n.* 218. habitum, respondetur cum Sanch. *l.* 1. *de matr. disp.* 6. *n.* 17. nullum acquiri jus causæ piæ; quia promissio, non causæ piæ, sed ipsi Deo est facta: & sicut alia vota, & promissiones soli Deo factæ, possunt commutari, virtute Bullæ, aut jubilæi; ita etiam prædictum votum Deo factum, in favorem tertii.

221. Ad secundum *eodem num.* 218. respondeo etiam cum Sanch. *lib.* 4. *decal. cap.* 11. *num.* 19. *citat.* & Soar. *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 6. negando, posse judicem compellere ventem ad executionem voti, per modum actionis: sed tantùm competit illi, in cujus favorem factum est votum, actio utilis implorandi Officii judicis, ut compellat ventem ad executionem voti: cui autem hæc sola competit actio, non habet jus ad rem per votum promissam; ut patet in Fratribus Minoribus, qui ad legata ipsis relicta possunt judicis Officium implorare; nullum tamen jus habent ad illa.

222. Ex hoc tertio oritur quartum: An prædictum votum possit, virtute Bullæ, commutari, si jam sit ab Ecclesiæ Prælato, vel ab illo determinato paupere acceptatum? Negat, ut quid certissimum, Leand. *supra q.* 133. & citat pro hac sententia Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 41. *n.* 13. asserentem nullum ex authoribus à se relatis de hoc dubitare. Sed non rectè, nam Sanch. *loco citato* loquitur de voto, non soli Deo facto, sed etiám cum adjuncta promissione illi tertio facta, & ab eo acceptata. Et de hoc nullus ex authoribus ab ipso Sanch. citatis, dubitat. Et hoc certissimum, quia illud votum per promissionem adjunctam tertio transit in contractum, & illi tertio acquiritur jus. Citat etiam Leand. pro eadem sententia Soar. *l.* 6. *de voto cap.* 15. Sed etiam malè; quia Soar. idem asserit, quod Sanch. ut statim videbimus. Citat etiam Henriq. *l.* 7. *cap.* 30. *n.* 5. sed hoc loco de hoc non agit puncto. Hanc tamen Leandri sententiam, ut probabiliorem tenet Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 8. *n.* 2. Fagund. *in* 2. *decal. præceptum. l.* 2. *cap.* 49. *n.* 11. & alii. Probat Leand. suam sententiam, quia per acceptationem jam jus est acquisitum illi Ecclesiæ, vel pauperi: ergo ipso invito remitti nequit.

223. Dicendum tamen probabilius, prædictum votum soli Deo factum, quamvis in utilitatem tertii, & ab eo acceptatum, posse, virtute Bullæ, commutari. Ita Cajet. & Petr. Navarr. apud. Leand. *proximè* Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *cap.* 15. *n.* 2. *&* 3. per hæc verba: *Si votum sit purum*, (purum dicit, quod tantùm sit Deo, ut distinxerat *n.* 2.) *dispensari, vel commutari potest ex justa causa per eandem potestatem, per quam dispensantur alia vota:* Et loquitur de voto, quod acceptatur, ut distinctione dixerat. Idem tenet cum Sanch. Cardin. de Lug. *tom.* 1. *de justit. disput.* 20. *num.* 93. his verbis: *Votum autem non dat tale ius, in quorum favorem vota emissa sicut, quando promissio non ipsis, sed soli Deo fit, quo casu, etiamsi ipsi præsentes essent, & acceptarent, nullum*

nullum jus acquirerent, & ipsis invitis, posset dispensatione, vel commutatione tolli illud votum, ut fatetur idem Sanch. *lib. 4. cap. 41. n. 14. &c.* Hæc Cardinalis; quæ autem asserit idem Sanch. videri possunt *cit. loco.* Accedit Castr. Palao *tom. 3. tract. 15. disp. 2. punct. 15. n. 2.* ibi: *Nec obstat, quòd vota sint facta in favorem tertii, nisi specialiter ipsi promissio facta sit, & ab eo acceptata: quia secluſa hac promissione, & acceptatione, jus tertio acquisitum non est, ac proinde solùm spectari debet, quod Deo creditori gratius sit, & tradit* Soar. *dict. cap. 18. n. 11.* Sayr. *in clavi Reg. l. 6. cap. 11. ult.* Lessius *l. 2. cap. 40. dub. 16. n. 104. in 2. editione* Sanch. *l. 4. cap. 41. n. 8. Hinc fit; si promiseris calicem dandum Ecclesiæ determinatæ, te posse alteri pauperiori tradere, nisi fortè promissionem non solum Deo, sed etiam ipsi Ecclesiæ direxeris, & ab ea fuerit acceptata: utrumque requiritur, ut benè dixit Lessius supra, & explicuit Basilius Legion. l. 8. de matr. cap. 8. n. 15.* Hæc Castr. Palao. Pro hac etiam sententia, videtur stare Dian. *part. 1. tract. 11. resol. 47. in fine*, citans Sanch. *dict. l. 4. decal. cap. 44. n. 12.* (in quo idem astruit) Bartholam à S. Faust. & alios. Et hanc sententiam videtur approbare. Tamborin. *l. 3. decal. cap. 17. §. 2. n. 15. & in Bull. cap. 13. §. 1. n. 28.* & Fagund. apud eundem Leand. & *loco citato decal.* & non improbabilem Trullench, *ubi supra*, quo loco non rectè pro sua sententia aliquos citat.

224. Ratio hujus sententiæ est, quia prædictum votum soli Deo factum est: ergo cùm solus Deus sit creditor, homo legitimè acceptare non potest: ergo licèt acceptetur ab Ecclesia determinata, vel à determinato paupere, adhuc per Bullam, vel jubilæum commutari potest. Secus dicendum, si votum Deo sit factum, & simul promissio Ecclesiæ determinatæ, aut determinato pauperi, & ab illis acceptatum, & in hoc sensu vera est sententia Leand. & ita docent D.D. quos supra citavimus. Ex prædicta ratione manet solutum fundamentum oppositæ sententiæ.

SECTIO XXIV.

Expenduntur alia vota, quæ, virtute Bullæ, possunt commutari.

225. IN hac quæstione sermo est de illis votis, quæ sine controversia inter authores possunt, virtute Bullæ, commutari; & erit tantùm de aliquibus, ex quibus prudens confessarius alia ad praxim poterit deducere.

226. Prima propositio sit, de voto assumendi Ordines Sacros; & certum est posse hoc votum, virtute Bullæ, commutari, (quidquid in contrarium dicat Sot. *l. 7. de just. q. 5. art. 3. coroll. 1.*) Ratio est, quia hoc votum non est Castitatis immediatè, sed cujusdam status, cui annexa est castitas: & cùm reservatio sit strictè interpretanda; hoc votum non dicitur reservatum. Ita Sanch. *l. 8. de matr. disp. 9. n. 13. & l. 4. cap. 50. num. 79.* Henriq. *l. 7. cap. 30. n. 6.* Sâ *Verb. Votum n. 30.* Azor. *tom. 1. l. 11. cap. 20. quæst. 9.* Costa *in Bull. q. 73. vers. Quinta propositio* Rodrig. *in Bull. §. 9. n. 122.* Soar. *tom. 2. de Relig. lib. 6. de voto cap. 21. n. 7. & cap. 24. n. 2.* Aragon. Navarr. Valent. Zerol. Homobon. & alii, quos refert, & sequitur Bossius *de jubil. sect. 2. cas. 20. n. 9.* Fagund. Trullench. Candid. & alii, quos congerunt, & sequuntur Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 14. q. 119.* Dian. *1. part. tract. 11. resol. 64.* & Bardi *part. 2. tract. 7. cap. 2. n. 4.* Mend. *disp. 26. cap. 10. n. 114.* Ex quo sequitur cum aliquibus ex citat. authoribus, hunc volentem non esse sacrilegum fornicando, nec privari petitione debiti, si cum eo voto matrimonium ineat, quamvis sit peccatum mortale, cum eo voto, matrimonium contrahere.

227. Secunda propositio: Virtute Bullæ potest commutari votum Castitatis diminutum: ut votum non nubendi, non peccandi cum Virgine, cum uxorata, cum certa, & determinata fœmina, non fornicandi, non se polluendi, non committendi actum externum venereum, non consentiendi cogitationibus internis inhonestis; nam quodlibet ex his votis non est perfectæ Castitatis; quod solùm est reservatum, & in Bullâ de exceptis. Sic Dian. *1. part. tract. 11. resol. 61.* & apud illum, Molfes. Graff. Ugolin. & alii plures, Quintanaduen. apud Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 14. q. 110. in fine.* Mend. *disp. 26. n. 113.* Tambor. *in Bull. cap. 13. §. 2. n. 3.* Gobat. *tom. 2. tract. 3. n. 313.* Escobar *tom. 1. in Theol. moral. l. 7. n. 297. & seqq.*

228. Si votum Castitatis sit diminutum quoad tempus; nempe si sit emissum ad tres, aut decem annos duntaxat, etiam, virtute Bullæ, potest commutari; quia cùm non sit perpetuum, non est reservatum. Ita cum Ledesm. Azor. Pallud. Sot. Navarr. Candid. Soar. Sanch. Fagund. & pluribus Leand. *proximè q. 111.* Mend. *disp. 26. cap. 10. n. 104.* Escobar *in Theol. moral. tom. 1. lib. 7. n. 286.* Secus dicendum, si emittatur ad centum annos; nam sic emissum judicatur perpetuum. Sic cum Trullench. & communi Mend. *citat. n. 105.* Et quid dicendum si homo centum annorum votum emitteret per quatuor annos? Respondeo esse judicandum ex illius viribus & dispositione; & juxta illas decernendum, an censeatur perpetuum, vel non; & si hoc secundum censeatur, virtute Bullæ potest commutari. Sic Mend. *loco cit.*

229. Tertia propositio: Quamvis votum castitatis diminutæ sit per partes emissum, & illæ partes simul sumptæ constituant perfectam, & integram castitatem, adhuc virtute Bullæ quodlibet sigillatim emissum potest commutari. Ratio est, quia singula non sunt reservata, quia sunt diminutæ castitatis; & sigillatim fuerunt emissa, ut supponimus, nempe unum ex illis, hodie, aliud cras, &c. Secus dicendum, si vovens in ultimo voto diminuto, simul omnia alia colligere voluit. Sic Quintanad. apud Leand. *proximè* Mend. *dict. disp. 26. n. 123.* Dian. *1. part. tract. 11. resol. 67.* & apud illum Sanch. *l. 4. decal. cap. 40. n. 68.* loquens de potestate Episcopi ad dispensandum in prædictis; & cum hic potest in iis dispensare, ita etiam illa poterit confessarius, virtute Bullæ, commutare; nam eadem potest quoad commutationem, quæ Episcopus quoad dispensationem jure Ordinario. Idem tenent Tamborin. *tract. de Bull. cap. 13. §. 2. num. 5. in fine.* Escobar *proximè n. 300.*

230. Quarta propositio: Votum Virginitatis si sumatur præcisè pro primo actu luxuriæ, per quem Virginitas deperditur, virtute Bullæ potest commutari. At si non constet, an vovens voluerit promittere abstinentiam tantùm à primo actu; tunc

præsumitur votum fuisse absolutæ, & integræ castitatis. Sic Sanch. *in summ. l. 4. cap. 21. n. 22. & l. 9. de matr. disp. 33. n. 6.* Trulench. in Bull. *l. 1. §. 7. cap. 3. dub. 15. n. 22.* Dian. *part. 1. tract. 11. resol. 60.* quos refert, & sequitur Bardi *part. 2. tract. 7. cap. 2. n. 7.* Bossius Sayr. Azor. Fagund. Quintanad. & alii, quos congerit & sectatur Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 14. q. 113.* Tamborin. *tract. de Bull. cap. 13. §. 2. n. 3.* Mend. *disp. 26. n. 106.* at *n. 107. 108.* Asserit si non constet de intentione voventis Virginitatem, standum esse communi modo vovendi, & loquendi: communis autem modus videtur esse promissionis abstinendi à primo actu venereo, quo Virginitas amittitur; quod etiam docuerat Portel. *Verb. votum n. 50.* quæ doctrina non displicet Gobat. *tom. 2. tract. 3. n. 312. Vers. Resp. sequentes.* Ex hâc ratione; quòd vota gratuita sunt benignè interpretanda, *cap. ex part. de Censibus.* Sed non est recedendum à resolutione prædicta: Quia per Virginitatem intelligitur omnimoda castitas; dummodo de voventis intentione oppositum non constet; quamvis oppositum non videatur omninò improbabile.

231. Quinta propositio: Votum castitatis conjugalis, quod non est annexum alicui statui Religioso; ut est annexum Equitibus Christi, S. Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ &c. Nec non Monialibus S. Benedicti, vulgò *da Encarnam*, & S. Jacobi vulgò *de Sanctos* in hac civitate degentibus, potest, virtute Bullæ, commutari, quia non est votum omnimodæ castitatis. Sic Trullench. *in Bull. l. 1. §. 7. cap. 3. dub. 15. n. 10.* Sanch. *l. 8. de matr. disp. 9. n. 4. & l. 4. decal. cap. 40. n. 50.* Ludovic. à Cruce, Less. quos refert, & sequitur Dian. *1. part. tract. 11. resol. 62.* Candid. Filliuc. Laym. Fagund. & alii, quos adducit, & sequitur Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 14. q. 114.* Mend. *disp. 26. n. 114.* Bardi *part. 2. tract. 7. cap. 2. n. 6.* Gobat. *proximè n. 313.* Escobar. *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 287.*

232. Sexta Propositio: Votum castitatis à conjuge emissum ante contractum matrimonium, vel post contractum matrimonium, sed ante consumationem, cum animo ingrediendi Religionem, per Bullam non potest commutari; quia per matrimonium, etiam non consumatum naturam non mutavit; & qui sic contraxit, mortaliter peccavit: potest tamen reddere debitum, propter jus bonâ fide ab altero conjuge acquisitum: non tamen potest petere. Potest tamen hic ab Episcopo, vel à Mendicantibus dispensari ad petendum, juxta probabiliorem sententiam; At, virtute Bullæ, nec potest dispensari, ad petendum, nec etiam votum hoc commutari. Sic cum pluribus Dian. *1. part. tract. 12. resol. 66,* Leand. *proximè q. 117.* Tamborin. *tract. de Bull. cap. 13. §. 3. n. 1.* Escobar. *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 714. & n. 722.* citato Vivald. *in candel. part. 3. cap. 14. n. 41.* asserentem, posse confessarium, virtute Bullæ commutare votum ad petendum. Hoc tamen assertum Vivald. non est probabile; sicut nec probabile est, quod possit dictus confessarius dispensare in votis, in quibus ex jure communi dispensat Episcopus, ut inquit Escobar. *dicto n. 724.* Quia in Bullâ nulla datur facultas ad dispensandum in votis, sed tantùm ad non excepta commutanda.

233. Septima propositio: Sequentia vota Castitatis emissa post contractum matrimonium possunt per Bullam commutari: Scilicet, primum: votum non petendi debitum. Sic Leand. *supra q. 115.* & apud illum Sanch. Trullench. Candid. Bossius Fagund. & Dian. *1. part. tract. 11. resol. 58.* & Bardi *ubi supra n. 6. in fine.* Secundum, si emittatur votum castitatis absque consensu alterius conjugis. Ita Sanch. *l. 8. de matr. disp. 11. n. 4.* Dian. *proximè resol. 70.* Ludovic. à Cruce, Candid. & alii, quos refert, & sequitur Leand. *cit. q. 116.* Tamborin. *tract. de Bullâ cap. 13. §. 3. n. 2.* Mend. *disp. 26. n. 119.* Tertium, si emittatur votum castitatis de licentiâ alterius conjugis. Sic Tamborin. *proximè* Gobat *mox citandus.* Quartum, si idem votum emittatur ab utroque, sine mutuâ licentiâ. Idem Tamborin. *citat.* Gobat. *tom. 2. tract. 3. n. 314.* Ratio prædictorum est, quia ea vota non sunt perfectæ castitatis.

234. Octava propositio: Si votum castitatis emittatur ab utroque conjuge de mutua licentia, non potest, virtute Bullæ, commutari; quia est votum adæquatum, & omnimodæ castitatis, obligatque ad non petendum, ac etiam ad non reddendum debitum; quia ex mutua licentia, & consensu per modum contractûs habito, uterque conjux jure suo cessit. Ita docent Mend. *disp. 26. n. 122.* & apud illum Sanch. *l. 8 de matrim. disp. 11. n. 10.* Fagund. *in 2. decal. præceptum l. 2. cap. 42. à. n. 21.* & Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 1. q. 118.* & apud illum Candid. Henriq. Trullench. Rodrig. Sayr. & alii, quibus accedit Tamborin. *tract. de Bull. cap. 13. §. 3. n. 2.*

235. Addit tamen Sanch. *l. 9. de matrimonio disp. 37. n. 15.* & ex illo Tambor. *proximè n. 2. in fine*, si post mutuum illud castitatis votum simplex emissum, sibi remittant, & acceptent mutuam cessionem juris petendi, & reddendi debitum, in quo graviter peccant, tenebit tamen remissio; & deinceps tenebitur uterque reddere. Quo posito, cùm non remaneat votum integræ castitatis, poterit, virtute Bullæ, commutari. At si uterque conjux emittant votum de communi consensu, se neque petituros, nec reddituros debitum, per Bullam, aut jubilæum potest commutari, quia non est perfectæ castitatis; nec peccabunt contra votum, si adulterium committant, vel dissoluto matrimonio, si cum altero contrahant. Sic Gobat. *supra.*

236. Nona propositio: Si quis emittat votum castitatis absolutæ cum expressa intentione, ut ea promissio ad mortale non obliget, sed solùm ad veniale, poterit hoc votum, virtute Bullæ, commutari. Ratio est, quia hoc votum non est perfectum, nec reservatum: nam votum perfectum gravem obligationem inducit. Idem dicendum de simili voto Religionis, aut peregrinationis Ultramarinæ emisso. Ita Dian. *part. 1. tract. 11. resol. 72.* cum Bonac. *de leg. disp. 4. q. 2. punct. 7. §. 4. n. 20.* & Mend. *dict. disp. 26. n. 124.* Trullench, Castr. Palao, Bossius, quos refert Bardi *part. 2. tract. 7. cap. 2. n. 111.* Escobar. *in Theol. Moral. tom. 1. l. 7. n. 252.* Gobat. *tom. 2. tract. 3. n. 316. vers. 3. idem dic.* Lezan. *in q. q. Regul. tom. 4. Verb. Votum n. 13.*

237. Quamvis Basil. Pont. *l. 5. de matr. cap. 9. in fine*, & alii defendant non esse in potestate voventis, quòd votum obliget sub mortali, aut veniali; & alii docent tale votum esse invalidum. Sed Soar. *l. 4. de voto cap. 4.* rectè probat, posse obligare sub Veniali; si id expresè intendat vovens: Vide etiam Leand. *tom. tract. 1. disp. 17. q. 126.* ubi asserit, posse dispensare Episcopum in eo voto. Et si Episcopus illud potest jure Ordinario dispensare; etiam per Bullam potest commutari.

238. Dei

238. Decima propositio: Votum servandi paupertatem extra Religionem potest, virtute Bullæ, commutari; quia non est reservatum. Sic Acosta *q. 73. Vers. Quarta propositio.* Henriq. *l. 7. cap. 30. n. 6.* Soar. *tom. 2. de Relig. l. 6. de voto cap. 21. n. 9.* Trullench. *in Bull. l. 1. §. 7. cap. 3. dub. 14. n. 5.* Bard. *part. 2. tract. 7. cap. 2. n. 11.* Escobar *proximè n. 278.* Idem dicendum de voto obedientiæ alicui emisso extra Religionem, & inserviendi alicui Hospitali, aut alicui domui Religiosæ. Sic Trullench. *dict. cap. 3. dub. 16. n. 10.* Bardi *proximè n. 10.* & cum pluribus Leand. *ubi supra q. 124.*

SECTIO XXV.

An vota conditionalia pœnalia Ultramarinum, Castitatis, & Religionis, virtute Bullæ valeant commutari?

239. VIdimus *supra*, hæc tria vota excipi à facultate, quæ in Bulla conceditur confessario, ad vota commutanda; quia tamen hæc tria vota emitti possunt aliquando cum aliquâ circumstantiâ, qua posita, meritò dubitari potest, an votum maneat reservatum, & in exceptione comprehensum. De his ergo votis cum aliquibus qualitatibus, & circumstantiis emissis inquirendum est, an virtute Bullæ possint commutari? Et primò de his votis agimus in hac sect. quando sunt conditionalia pœnalia.

240. Hæc autem vota dupliciter possunt emitti: Primò, si quis voveat aliquam actionem, v. g. non ludere; at si ludat, in pœnam promittit castitatem, aut Religionem, aut peregrinationem Hierosolymitanam. Secundò, si quis non voveat aliquam actionem; in pœnam tamen illius transgressionis vovet aliquòd ex tribus votis; v. g. *Nolo Ludere; quòd si ludam: Voveo Castitatem, aut Religionem.* In his duobus vovendi modis datur hoc discrimen; quòd in primo, si ludat, peccat; quia ex voto non ludendi tenebatur non ludere; & insuper tenetur ad pœnam, nempe ad servandam castitatem, vel ingrediendam Religionem, ut promittit; in secundo; si ludat, non peccat, quia id non vovit, at post ludum, tenetur ad servandam Castitatem, vel ingrediendum Religionem; quam vovit.

241. Aliud discrimen invenerunt aliqui existimantes, prædicta vota solùm primo modo dicenda esse pœnalia, non autem secundo: sic Navarr. *in summ. cap. 12. n. 43.* Azor *tom. 1. l. 11. cap. 20. quæst. 13.* & alii. Communiter tamen, utroque modo dicuntur pœnalia; quia utroque modo vovens sibi præscribit pœnam; & per accidens est, quòd votum in secundo modo cadat solùm super pœnam, & in primo super materiam voti, & ipsam pœnam. Sic Sanch. *l. 8. de matr. disp. 10. n. 2.* Sot. *l. 7. de just. q. 2. art. 1. ad quartum.* Gomes *in Bull. claus. 10. n. 99.* & alii, quos refert, & sequitur Bardi *part. 2. tract. 7. cap. 2. n. 19.* His præsuppositis.

242. Tres in hac quæstione dantur sententiæ. Prima absolutè negat, posse prædicta tria vota pœnalia, virtute Bullæ, commutari. Ita nonnulli, quos tacito nomine refert Philiarch. *de Offic. Sacerdot. tom. 1. part. 2. l. 3. cap. 22. Vers. penultimo*; quam æquè probabilem existimat, ac oppositas. Probatur primò; quia votum commutari non potest, antequam existat: sed antequam pœna incurratur, votum pœnale non existit: ergo commutari non potest. Major ostenditur, quia sicut actus pœnitentiæ necessariò debet supponere culpam, circa quam versatur; ita etiam commutatio debet necessariò supponere votum, circa quod versatur: at quando votum existit pœnale, cùm jam pœna sit incursa, votum est absolutum; quia pœnâ incursâ, in absolutum transiit; & cùm votum absolutum Pontifici sit reservatum, & in Bullâ exceptum, commutari non potest.

243. Secundò probatur; quia si quis in pœnam peccati à se commissi, v. g. hesterna die, voveat castitatem, aut Religionem; vel nunc proponat emissurum in casu, quo fuerit mortale; non poterit, virtute Bullæ, hoc votum commutari: ut docent Sanch. *l. 8. de matr. disp. 10. n. 14. & l. 4. decal. cap. 40. n. 88.* Soar. *tom. 2. de Relig. l. 6. de voto cap. 24. n. 11. & cap. 23. n. 8.* Bossius *de Jubil. sect. 2. casu. 10. n. 19.* Mend. *disp. 26. n. 96.* Bonac. Trullench. quos refert, & sequitur Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 14. q. 127.* ergo idem dicendum de voto emisso ante peccatum commissum, seu ante pœnæ incursionem.

244. Secunda sententia utitur distinctione: asserit enim, illa tria vota ante pœnæ incursionem, posse virtute Bullæ commutari; quia adhuc non sunt reservata: at post incursionem pœnæ non posse; quia jam manent S. Pontifici reservata. Ita Sebastianus à Costa *in Bullam q. 73. Vers. Tertia propositio*, Rodrig. *in Bull. §. 9. n. 124.* Sot. *lib. 7. de just. q. 2. art. 1. ad quartum*, & *q. 4. art. 3.* Covarr. *in cap. Quamvis pactum, part. 1. §. 3. n. 12. de pactis in 6.* Azor *tom. 1. l. 11. cap. 10. quæst. 3.* Basil. Legion. *l. 7. de matr. cap. 9. n. 10.* Graff. Lessius, Angles, Gutiere; & alii apud Leand. *proximè q. 128.* Escobar *in Theol. Moral. tom. 1. l. 7. n. 673.* Probatur à Sebastiano à Costâ, quia ante impletam conditionem, votum, quod datur, non est reservatum, & potest commutari, & votum Religionis est illi accessorium sequens naturam sui principalis, juxta *Regul. Accessorium, de reg. jurir in 6. l. Cum principali ff. eodem titulo*, & sic non est etiam reservatum; sicut non est suum principale: At post impletam conditionem, votum Religionis non est accessorium, vel aliud non ludendi, v. g. suum principale; sed est absolutum, & reservatum; & sic non potest, virtute Bullæ, commutari.

245. Tertia demum sententia est probabilior, asseritque, hujusmodi vota posse virtute Bullæ, aut Jubilæi, commutari, sive ante, sive post pœnam incursam; illam defendunt Sanch. *l. 8. de matr. disp. 10. n. 8. & l. 4. decal. cap. 40. n. 91.* Soar. *tom. 2. de Relig. l. 6. de voto cap. 23. n. 1.* Castr. Palao *tom. 3. tract. 15. disp. 2. punct. 11. n. 6.* Dian. *1. part. tract. 11. resol. 53.* Basil. Legionens. *in tract. de Bull. man. script. §. ult. n. 1.* quem cum aliis refert, & sequitur Mend. *disp. 26. à n. 92.* eandem tuentur Cardin. Tolet. *in summ. l. 4. cap. 18. n. 11.* Medin. Lopes, Vivald. Arag. Gomes, Sayr. Petr. de Ledesm. Joann. & Ludovic. à Cruce, Candid. Boss. Barbos. Trullench. Alcan. Tambor. Bartholam. à S. Faust. Bonacin. Leo, Sanctarell. Lavor. Leo, Henriq. Sâ, Laym. Villal. Moure, & alii, quos refert, & sequitur Leand. *supra*, qui-

bus accedunt Rodrig. *tom.* 1. *q.* 9. *Regul. q.* 63. *art.* 7. mutans Sententiam, quam in Bull. docuerat, Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap. n.* 23. Tambor. *tract. de Bull. cap.* 13. §. 2. *n.* 5. Lezan. *tom.* 3. *Verb. Votum n.* 13. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 3. *n.* 317.

246. Fundamentum hujus sententiæ est; quia votorum reservatio est odiosa: ergo restringenda est ad vota in sui emissione perfecta: sed vota, quæ includunt voluntatem fugiendi obligationem voti, non sunt in sui emissione perfecta; quia non emittuntur ex amore servandæ castitatis, aut ex devotione ingrediendi Religionem, sed tanquam odiosa, & pœnæ, ad fugiendum ludum, aut aliquod evitandum peccatum: ergo cùm deficiant à perfectione voti, non censentur reservata.

247. Ad primam probationem pro primâ sententia *n.* 242. allatam, respondeo, negando majorem: nam ex eo quòd conditio non sit purificata, nec pœna incursa, non benè infertur negatio voti; sed solùm potest inferri non dari obligationem ad votum exequendum: ut patet in contractibus, in quibus ponitur pœna resilientibus; qui antequam resiliant, sunt obligati; non tamen tenentur ad pœnam, antequam resiliant.

248. Ad secundam, nego consequentiam: diversa ratio est; quia votum, quod emittitur post peccatum commissum est absolutum, & emittitur ex amore castitatis, aut ingrediendi Religionem, ut sic offerat Deo compensationem injuriæ contra Deum illatæ: Deinde conditio, quæ proponitur in alio casu, non est contingens, nec suspendit consensum, sive ignoretur, sive sciatur: cùm ergo votum semper sit absolutum independens ab eâ conditione, semper est reservatum: at quando votum emittitur ante peccatum commissum, vel sub conditione contingenti; non emittitur ex amore castitatis, aut ingrediendi Religionem; sed ut vovens perterritus timore pœnæ impositæ fugiat culpam; & sic cùm deficiat votum pœnalæ à suâ perfectione, non manet reservatum; nam solùm censetur reservatum, quod est in suo esse perfectum, ut ostendimus in ratione, pro nostra sententiâ.

249. Ad fundamentum addctum à Sebastian. à Costa, pro secunda sententiâ *n.* 144. respondeo, concedendo, post impletam conditionem votum manere absolutum; nego tamen esse reservatum; quia id votum in sui origine deficiebat à perfectione voti: ut ostendimus: & cum eo defectu, & imperfectione, transit in absolutum; & cùm reservatio sit odiosa, non comprehendit votum cum eâ imperfectione emissum.

SECTIO XXVI.

An vota Ultramarinum, castitatis, & Religionis possint, virtute Bullæ, commutari, quando sunt conditionalia?

250. POst vota pœnalia, quæ etiam conditionalia dicuntur, sequitur, ut dicamus de votis prædictis, quando sunt purè conditionalia. Vota igitur purè conditionalia illa dicuntur, quæ à vovente emittuntur sub conditione, quæ suspendit executionem voti usque ad impletam conditionem; quæ si deficiat ad voti executionem, non tenetur voto: perfectâ verò conditione, & à Deo obtento beneficio, quod ab eo sperabatur, in recompensationem, ad votum obligatur: v. g. si quis aliquo gravi morbo opprimatur, vel aliquo alio periculo sit oppressus, & ex affectu acquirendæ sanitatis, vel periculi fugiendi, sic voveat: *Voveo Castitatem, si sanitatem impetrabo:* vel *Voveo Religionem, si ab hoc periculo liber evadam, &c.* hoc votum est merè conditionale explicatum per illam particulam: *si.*

251. Adverto tamen, particulam *si* non semper significare conditionem, sed tempus; & æquivalet particulæ *Quando*, ut si hoc modo aliquis voveat: *Si pater meus obierit; si mea soror honestè nupserit; si ab hoc morbo evasero: promitto perpetuam castitatem, vel Religionem ingrediendo, vel ire Hierosolymam.* Si enim particula in iis votis apposita referatur ad tempus, & faciat hunc sensum: post mortem patris mei promitto ingredi Religionem; quando mea soror honestè nupserit, promitto castitatem: Quando convaluero, promitto ire Hierosolymam; tunc cùm hæc vota sint absoluta, pro determinato tempore exequenda, non possunt, virtute Bullæ, commutari, nec per Jubilæum, aut privilegia Regularium, aut authoritate Episcopi; quia particula si non significat conditionem, sed notat tempus: at si in prædictis votis particula si significet conditionem, & non tempus; & faciat hunc sensum: Si prædicta mihi Deus concesserit; voveo castitatem, Religionem, aut ire Hierosolymam; tunc idem dicendum de illis, ac de meris, & puris conditionatis, ut mox dicemus. Et ita docent Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 2. *n.* 27. Mend. *disp.* 26. *cap.* 7. *n.* 27. Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 13. §. 2. *n.* 11. & cum Sanch. Soar. Candid. Trullench. & aliis Leand. *tom. tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 129.

252. In præsenti igitur inquirimus: An vota purè, & strictè conditionata, circa materiam S. Pontifici reservatam, possint per Bullam, aut privilegium Regularium aut jubilæum commutari? Et tres circunferuntur opiniones; sicut in præcedenti, de voto pœnali. Prima absolutè negat, sive ante, sive post conditionem impletam. Ita Azor. *tom.* 1. *l.* 11. *cap.* 19. *quæst.* 13. Soto *l.* 7. *de just. q.* 2. *art.* 1. *ad quartum* Cordub. *in summ. q.* 152. Navarr. *in manuali cap.* 12. *n.* 43. Guttier. *in q. q. canon. l.* 2. *cap.* 22. *n. ult.* Aragon. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *Vers. si quis autem*, Valent. *ibidem disp.* 6. *q.* 6. *punct.* 7. *Vers. Item possunt*, Rodrig. *in Bull.* §. 9. *n.* 125. Sanctarell. *de Jubil. cap.* 12. *dub.* 2. Barbos. *de potest. Episcopi alleg.* 37. *n.* 6. & alii.

253. Secunda opinio distinguit; asseritque, posse prædicta vota commutari, per Bullam, privilegia Regularium, & Episcopum, ante impletam conditionem, non verò post illam impletam. Sic Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *de voto cap.* 22. *n.* 11. Less. *l.* 2. *de just. cap.* 40. *dub.* 3. *n.* 109. *casu septimo*, Sayr. *in clavi Regiâ l.* 7. *cap.* 11. *n.* 67. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 26. *n.* 269. Basil. Pontius *l.* 8. *de matr. cap.* 7. *n.* 7. & alii apud Leand. *supra q.* 130. Escobar *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 676. Fundamenta harum opinionum, *infra* adducentur.

254. Tertia opinio tuetur, posse hujusmodi vota ante, & post impletam conditionem commutari tum per Bullam, tum per Jubilæum, privilegia Mendicantium, & Episcopi potestatem. Sic sustinent Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 10. *n.* 13. *& l.* 4. *decal. cap.* 40. *n.* 99. Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 3. *n.* 7. *& n.* 9. Anton. Gom. *in Bull. claus.* 10. *n.*

10. *n.* 99. Card. Tolet *in instruct. l.* 4. *cap.* 18. *n.* 11. Dian. *in Bull. part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 54. Bossius *de Jubil. sect.* 2. *casu.* 10. *n.* 35. Quintanaduen. *de Jubil. duplicis hebdomadæ cap.* 11. *n.* 2. Leand. ubi *supra q.* 131. & apud ipsum Petr. de Ledesm. Sanctarell. Faust. Malder. Victoria, & alii, quibus adde Mend. *disp.* 26. *cap.* 7. *à n.* 86. Barbi ubi *supra n.* 36. Tambor. *tract. de Bull. cap.* 13. §. 2. *n.* 4. Castr. Palao *tom.* 3. *tract.* 15. *disp.* 2. *punct.* 12. *n.* 15. Moya *in select. tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 1. *q* 2. *n.* 3. Gobat *tom.* 2. *tract.* 3. *n.* 319.

255. Hæc tertia opinio est probabilior, & communior, licèt Soar. *supra* dicat, secundam sententiam esse communem; hoc tamen hodie non est verum, ut ex authoribus pro utraque, apertè constat. Probatur hæc tertia opinio; quia ante conditionem impletam, vota castitatis, & Religionis non sunt absoluta: ergo possunt commutari. Si verò conditio jam sit purificata, & adimpleta sit; adhuc vota possunt commutari; quod ostendo; quia quamvis hæc vota tantam non habeant imperfectionem, quanta reperitur in voto conditionali pœnali, non tamen sunt libera ab imperfectione: sed cùm reservatio sit odiosa, non censetur includere vota aliquo modo imperfecta, sed tantùm ea, quæ sunt in suo esse perfecta, ut jam *supra* ostendimus. Quod verò hæc vota purè conditionalia non sint libera ab imperfectione, probatur; quia vovens sub conditione non movetur ad votum, v. g. Castitatis emittendum, ex amore divini cultus, sed ex amore, & affectu rei importatæ sub conditione; v. g. ex amore sanitatis recuperandæ, vel evitandi periculum, quod sibi imminere prævidit: Quare hic vovens potiùs exoptat sanitatem recuperare, quàm Castitatis observantiam, aut Religionem ingredi, & si morbo non laboraret, vel id periculum non immineret, ea vota non emitteret: cùm ergo hæc vota, post impletam conditionem, adhuc in radice secum habeant hanc imperfectionem, reservata non censentur; quia non sunt ab omni imperfectione immunia.

256. Notandum tamen est primò cum Soar. *cit. dict. l.* 6. *de voto cap.* 23. *n.* 9. Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 10. *n.* 14. *& l.* 4. *decal. cap.* 30. *n.* 88. Bardi. ubi *supra n.* 33. Mend. *dict. disp.* 26. *n.* 91. & aliis, votum ex tribus prædictis, sub conditione de præterito, aut præsenti emissum: v. g. si pater meus tali die liber evasit à tali periculo, vel si eum nunc domi inveniam, voveo castitatem, aut Religionem, non posse, per Bullam, commutari; quia hæc vota sunt absoluta, & independentia ab eventu contingenti; cum verò sint de materiâ reservata, reservata existunt.

257. Notandum secundò cum Sanch. *cit. in decal. cap.* 40. *n.* 95. Bardi *n.* 34. dicta vota emissa sub conditione de futuro necessariâ, v. g. *voveo castitatem, si sol cras oriatur*, non posse per Bullam commutari; quia hæc vota censentur absoluta; quia cùm conditio est certò futura, habetur pro impletâ, & votum statim obligat.

258. Notandum tertiò; si aliquod ex tribus votis emittatur sub conditione de futuro impossibili; *ut voveo Castitatem*, v. g. *si eras cælum manu tetigero*, votum est ipso facto irritum. Ratio est, quia vovens non intendit se obligare, nisi eâ positâ conditione; & conditio impossibilis non habetur pro non adjecta, nisi in solo matrimonio, & ultimis voluntatibus ex jure humano; & non in aliis. Sic Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 23. *n.* 8. cum Molin. *tom.* 1. *de just. disp.* 206. *column.* 4. *concluf.* 1. *in fine.* contra aliquos. Idem tenet Bardi ubi *supra n.* 35.

259. Objicies primò pro primâ opinione *n.* 252. allata. Vota purè conditionalia, & vota pœnalia conditionalia non conveniunt inter se; quia in votis pœnalibus res promissa proponitur voluntati, ut odiosa in illum finem, nimirum ut voluntas deterrita à voto abstineat à peccato, ne votum in pœnam incurrat: at in votis purè conditionalibus res promissa non proponitur voluntati, ut odiosa, sed ut Deo grata; ut vovens per id votum à Deo obtineat, quod exoptat: ergo quamvis vota pœnalia possint per Bullam commutari, non possunt tamen purè conditionalia. Respondeo ad antecedens, quamvis vota purè conditionalia, & vota pœnalia in omnibus non conveniant, ut probat argumentum; convenire tamen in aliâ ratione, quòd non emittantur ex amore rei promissæ, & cultus divini, in quâ multo deficiunt à perfectione voti; & cùm sint strictè interpretanda; non comprehenduntur in reservatione, quæ censetur comprehendere tantùm vota perfecta.

260. Objicies secundò cum Soar. pro secunda opinione *n.* 253. adductâ: In quacumque humana promissione, & in omni alio contractu, sive matrimonii, sponsalium, exemptionis, venditionis, &c. impletâ conditione; & obligatio, & contractus manet absolutè perfectus: sed votum conditionale est veluti quidam contractus, cùm vovens offerat Deo rem gratam, si ipse Deus concedat gratiam, quam ipse vovens ab eo postulat: ergo posita à Deo conditione, ipsum votum, & illius obligatio manent in suo esse perfecta; ergo & reservata. Respondeo primò, concedendo majorem, & negando minorem; quia votum conditionale non est contractus cum Deo; nam de ratione contractus est mutua obligatio: at ex parte Dei, ex voto conditionali nulla datur obligatio. Quia tamen hæc solutio potest pati aliquam instantiam.

261. Respondeo secundò, concedendo, in contractibus, & in votis ab initio conditionatis, adimpleta conditione, obligationem contrahi, & sicut ipsos contractus, ita & vota esse perfecta; at nego consensum, ex quo resultat obligatio, esse perfectum; quia ut vidimus *supra*; vovens non movetur ad castitatem, v. g. vovendam, ex amore ipsius Castitatis, sed ex affectu obtinendi sanitatem: quòd vero obligatio tam in contractibus, quàm in votis conditionatis, sit perfecta, & æqualis, non reddit consensum perfectum; quia in votis reservatis attenditur ad consensum perfectum, aut imperfectum, & non ad obligationem; nam vota ab impuberibus emissa, eo quòd consensus non sit perfectus, possunt irritari ab iis, qui super illis habent potestatem dominativam: ergo cùm detur consensus imperfectus in votis conditionalibus, poterunt commutari.

262. Instabis: Si quis intuitu commoditatum temporalium, vel intuitu honoris, voveat Religionem, votum hoc erit ex motivo imperfecto: & tamen hoc votum in omnium sententia est reservatum: ergo etiam licèt consensus ex motivo obtinendæ sanitatis sit imperfectus, votum ex eo motivo erit reservatum. Respondeo, negando consequentiam. Ratio est, quia imperfectio, quæ obstat reservationi, non est illa, quæ datur in motivo, quo voluntas ad votum emittendum movetur, sed est illa, quæ formaliter est imbibita in ipso actu vovendi, quatenus non emittitur cum omnimoda firmitate ex parte ipsius voventis; cùm essentialiter dependeat ab eventu futuro; at votum, quod emittitur intuitu commoditatum tem-

temporalium, ex parte voventis cum omnimodâ firmitate emittitur. Sic Bardi ubi *supra num.* 47.

SECTIO XXVII.

An virtute Bullæ, possint commutari juramenta observandi castitatem, ingrediendi Religionem, & Peregrinationis Hierosolymitanæ?

263. AGimus de his juramentis absque conditione emissis, nam si sub conditione emittantur, idem de illis statuendum, quod de votis conditionatis *supra* dictum fuit.

264. De his ergo absolutè sumptis, prima sententia tenet, posse virtute Bullæ, aut Jubilæi, commutari. Ita Tabien. *in summ. Verb. Jurare q.* 20. *n.* 21. Petr. de Ledesm. *in summ. tom.* 2. *tract.* 11. *de voto cap.* 2. *dub.* 2. *post* 6. *conclus.* & insinuat Navarr. *l.* 2. *consil. tit. de jure jur. cons.* 3. *in priori editione n.* 4. *&* 5. & in posteriori *consil.* 1. & probabilem, ac securam in praxi dicunt Quintanad. *de Jubil. duplic. hebdomadæ cap.* 2. *n.* 18. Mend. & Leand. statum citandi, & non improbabilem judicat Ægid. Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 5. *n.* 13. & Dian. 5. *part. tract.* 12. *ref.* 59. post Alphons. de Leone. Probant primò, quia reservatio, cùm sit odiosa, est restringenda *cap. Odia, de regul. jur. in* 6. sed in Bullâ solùm excipiuntur illa tria vota, & non juramenta: ergo possunt commutari. Secundò, quia obligatio voti est major obligatione juramenti, ut docet D. Thom. 2. 2. *q.* 89. *art.* 8. Ergo quamvis illa tria vota non possint commutari, poterunt juramenta.

265. Secunda tamen, & tenenda sententia asserit, prædicta juramenta esse reservata, sicut ipsa vota. Sic Cajet. 2. 2. *q.* 89. *art.* 9. Sotus *de just. q.* 1. *art.* 9. Aragon. *q.* 88. *art.* 12. Rodrig. *in summ. tom.* 2. *cap.* 100. *n.* 3. Azor. *tom.* 1. *l.* 11. *cap.* 10. *quæst.* 3. Valent. *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 7. *part.* 4. Carolin. Tolet. *l.* 4. *cap.* 14. *n.* 2. Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 5. *n.* 4. *&* *l.* 2. *decal. cap.* 2. *dub.* 47. *n.* 6. Laym. *l.* 4. *tract.* 3. *cap.* 11. *n.* 4. Fagund. *in* 2. *decal. præceptum l.* 2. *cap.* 42. *n.* 4. Basil. Pont. *de matr. l.* 8. *cap.* 11. *n.* 3. Quintanad. ubi *supra*, Bossius *de Jubil. sect.* 2. *cas.* 9. *n.* 5. Dian. 4. *part. tract.* 4. *resol.* 69. *&* 5. *part. tract.* 12. *resol.* 59. Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 106. Mend. *disp.* 26. *cap.* 6. *n.* 82. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 3. *n.* 323. Escobar. *tom.* 1. *in Theol. moral. l.* 7. *n.* 250. Hanc sententiam sequitur ex Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 13. *n.* 4. *&* 5. Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 2. *n.* 55. cum hoc tamen discrimine, quòd si in casu raro, juramenta Deo facta non contineant votum, quia non continent promissionem; ut si quis juret ingressum Religionis aliquo labore oppressus, tunc inquit, speculativè, & methaphysicè sumptum hoc votum, posse virtute Bullæ commutari: At si sumatur juramentum, prout est promissorium, & continens votum, non posse virtute Bullæ commutari. Sed quidquid sit de his speculationibus, & distinctionibus methaphysicis, quæ jam Trullunch. & Fagund. non placuerunt.

266. Probo juramenta circa prædicta, scilicet Castitatem, Religionem, & Peregrinationem Hierosolymitanam, si Deo sint facta, ut diximus *supra sect.* 21. non posse virtute Bullæ commutari; quia ut ostendimus *sect. citat.* æquiparatorum eadem est dispositio, & judicium: Sed votum, & juramentum, æquiparantur, quoad commutationem: ut ibi etiam ostendimus: Ergo si vota absoluta, & perfecta, circa prædicta tria, non possunt commutari, virtute Bullæ, quia in illa excipiuntur, ita etiam, circa eadem, non poterunt juramenta commutari. Probatur secundò, & communiter à citatis authoribus: Quia juramentum promissorium Deo tantùm factum in se implicitè continet votum: Sed votum circa tria prædicta, non potest commutari, virtute Bullæ: Ergo nec ipsa juramenta.

267. Ex hâc ratione, & dictis *sect cit.* non admitto, posse virtute Bullæ juramentum Deo factum, prout præscindit à juramento promissorio, commutari: sive id juramentum sit circa materiam trium votorum prædictorum, sive circa alias, de quibus in illâ Sect. Ratio est, quia ideo concedimus, juramenta Deo tantùm facta posse virtute Bullæ commutari; quia æquiparatio datur in votis, & juramentis Deo factis. Sed hæc ratio cessat, si à juramentis Deo factis præscindamus id, quod continent sub ratione promissori: ergo per Bullam non possunt commutari: nam ad ea juramenta commutanda in Bullâ nulla datur facultas.

268. Ad primum fundamentum primæ sententia *n.* 264. adductum, respondeo concedendo majorem, & negando minorem; quia jurmamenta, ut vidimus, includunt vota: ergo si vota sunt reservata, circa illa tria in titulo proposita, etiam juramenta Deo facta, erunt reservata; & si æquiparatorum eadem est dispositio; quod in Bullâ disponitur, circa commutationem votorum, disponitur etiam circa commutationem juramentorum Deo emissorum. Et ex hâc ratione patet etiam solutio ad secundum.

SECTIO XXVIII.

An vi Bullæ possit commutari votum disjunctivum, cujus una pars est reservata, & altera non?

269. APpono exemplum: emittit quis hoc votum: Aut servandi castitatem, aut jejunandi ter in hebdomadâ. Prima pars, nempe; castitas, est reservata; non autem secunda nempe: jejunare ter in hebdomadâ? Et in primis certum est, votum disjunctivum, cujus utraque pars est reservata, nempe votum Castitatis, aut Religionis, non posse, virtute Bullæ, commutari. Ratio est, quia quæcumque pars eligatur, sive sit castitas, sive ingredi Religionem, est reservata: ergo neutrum commutari potest. Ita Soar. *tom.* 2. *de relig. l.* 6. *de voto cap.* 24. 2. Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 40. *n.* 42. *in fine* Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 2. *n.* 66. Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 13. §. 3. *n.* 6. & alii.

270. Inquirimus ergo primò: Quando una pars est reservata, & altera minimè, ut in exemplo adducto; an possit hoc votum, quoad utranque partem, commutari? Respondeo affirmativè; &

vè.; & probatur, quia vovens potest partem non reservatam eligere: *juxta Reg. in alternativis, de Regul. jur. in 6.* ergo cùm in ejus arbitrio sit, partem non reservatam eligere, confessarius id votum, virtute Bullæ, poterit commutare. Ita Azor *tom.* 1. *l.* 11. *cap.* 19. *quæst.* 10. Sayr. *in clavi Reg. lib.* 6. *cap.* 11. *n.* 62. Soar. *proximè n.* 1. Sanch. *citat. dist. num.* 42. Less. *l.* 2. *de just. cap.* 40. *dub.* 13. *n.* 106. Dian. 1. *part. tract.* 11. *resol.* 63. & apud ipsum Reginald. Molfes. Filliuc. Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 141. & apud illum Bossius, Basilius, Leo, Candid. Lavorius, Bonac. Laym. Fagund. Malder. & alii. Bardi *supra n.* 65. Mend. *disp.* 26. *cap.* 10. *num.* 115. Tamborin. *proximè* Gobat. *tom.* 2. *tract.* 3. *n.* 317. Lezan. *in q. q. Regul. tom.* 4. *Verb. Votum n.* 13.

271. Inquires secundò: An si pars non reservata voti disjunctivi, effecta sit impossibilis; quia vovens est omnino impotens ad jejunandum; potest tamen servare castitatem, valet ne hoc votum, quoad hanc partem, per Bullam, commutari? Negat Bonac. *in decal. disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 7. §. 4. *n.* 18. *vers. sed contrarium*; & probabile dicunt Filliuc. & Leo apud Leand. mox citandum. Probat, quia materia, circa quam votum versatur, scilicet Castitas, est reservata: ergo data impossibilitate ad alteram partem, tenetur ad Castitatem reservatam.

272. Dicendum tamen est cum communi D. D. sententiâ, posse id votum Castitatis per Bullam commutari. Ratio est, quia votum emissum à vovente, nunquam ex natura sua, & per se, obligavit voventem ad partem reservatam, nec à principio fuit reservatum: ergo ex eo quòd pars non reservata reddita sit impossibilis, ad reservatam non obligatur, ex natura ipsius voti intrinseca, sed tantùm per accidens, ex eo quòd jam non detur alia pars: at obligatio per accidens suborta ex voto potest commutari. Ita defendunt Soar. *dict. cap.* 24. *n.* 4. malè citatus pro contraria sententia à Gobat *tom.* 2. *tract.* 3. *n.* 317. Sanch. *supra num.* 44. Trullench. *in Bull. disp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 15. *n.* 6. Dian. 1. *part. tract.* 11. *resol.* 74. *& 4. part. tract.* 4. *resol.* 202. Leand. ubi *supra q.* 142. & apud ipsum Bossius Laym. & alii Mend. *disp.* 26. *num.* 125. Bardi *citat. n.* 73. Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 13. §. 3. *n.* 7. *in fine.* Castr. Palao *tom.* 3. *tract.* 15. *disp.* 2. *punct.* 11. *n.* 6. Gobat *proximè*, Escobar. *in Theol. moral. tom.* 1. *tom.* 1. *l.* 7. *n.* 733. & alii.

273. Ad rationem Bonacin. respondetur, materiam illam esse reservatam, quando votum de illa primò, & per se fuisset emissum; quod non datur in præsenti; sicut diximus de voto pœnali, & purè conditionato, quod, post adimpletam conditionem, potest commutari, ex eo quòd à principio non fuit perfectum; & à fortiori in præsenti idem dicendum, propter rationem assignatam.

274. Inquires tertiò: An post electionem factam partis reservatæ, nempe Castitatis, possit hoc votum, quod à principio fuit disjunctivum partis reservatæ, virtute Bullæ, commutari? Negant Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 9. *n.* 14. *& in summ. l.* 4. *cap.* 40. *n.* 43. Azor. *tom.* 1. *l.* 11. *cap.* 20. *quæst.* 10. Sayr. *in clav. Regiâ l.* 6. *cap.* 11. *n.* 62. Sanctarell. *de jubil. q.* 8. *sect.* 1. *n.* 92. *vers. Dixi ante.* Bonacin. *in* 2. *decal. præcept. disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 7. §. 4. *vers. Dixi modo.* Fagund. *ibidem lib.* 2. *cap.* 43. *num.* 8. Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 14. *n.* 6. *& in decal. l.* 2. *cap.* 2. *dub.* 39. *n.* 14. Ludovic. à Cruce *disp.* 1. *dub.* 11. *n.* 6. & alii; citatur etiam pro hâc sententiâ Soar. à Sanch. & à Leand. sed non rectè, ut statim videbimus. Ratio hujus sententiæ est: quia in alternativis, ubi debitor unam partem elegit, & creditori illam notam fecit, non potest amplius resilire, juxta *regul. quod semel placuit, amplius displicere non potuit, de regul. jur. in* 6. sed vovens in voto disjunctivo, jam elegit partem reservatam, nempe castitatem, & Deus creditor, qui corda norit, id acceptavit: ergo cùm pars electa sit reservata, per Bullam, aut Jubilæum, commutari nequit. Hæc sententia est maximè probabilis.

275. Probabilius tamen mihi videtur, posse dictam partem à vovente electam, virtute Bullæ, commutari; dummodo vovens illam de novo non promittat. Sed tantùm sistat in proposito exequendi votum materiæ reservatæ. Ratio est, quia determinatio ad aliquod Dei obsequium exhibendum, de se non est obligatio; sicut propositum ejusdem obsequii obligatio non est; si aliunde obligatio non sit: ergo si vovens se determinet per electionem ad partem reservatam, nempe ad Castitatem, de novo non vovendo, nullo alio vinculo manet devinctus, nisi illo, quo antea erat per votum disjunctivum, quod emisit: ergo cùm antea hoc votum non esset incommutabile per Bullam, ut vidimus, nec etiam post determinationem electionis erit incommutabile. Ita sentiunt Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *de voto cap.* 24. *n.* 3. Gobat *tom.* 2. *tract.* 3. *n.* 317. Escobar. *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 706. Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 2. *n.* 70. & apud ipsum Malder 2. 2, *tract.* 10. *cap.* 5. *dub.* 10. *n.* 4. *casu* 4. Laym. *l.* 4. *tract.* 4. *cap.* 8. *n.* 12. Cast. Palao *tom.* 3. *tract.* 15. *disp.* 2. *punct.* 11. *n.* 6. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 26. *cap.* 10. *n.* 272. non benè citatus à Dian. Leand. & Mendo propositâ sententiâ, ut rectè notavit idem Bardi *citat.* Defendunt etiam nostram sententiam Leand. *cit. q.* 143. & apud illum Bossius, & Trullench. qui *loco cit.* in Bull. illam tantùm dicit non improbabilem; & probabilem Dian. 1. *part. tract.* 11. *resol.* 65. & multùm probabiliorem Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 13. §. 3. *n.* 7. *Vers. Non esse reservatum.*

276. Ad rationem pro contrariâ sententiâ respondetur, in humanis debitorem, in alternativis, non posse resilire, si unam partem elegit; & ita in voto disjunctivo; nam si unam partem vovens elegit, ad illam tenetur, & hoc probat illa ratio: at dicimus, hanc partem electam, & obligationem ad illam, posse à creditore commutari: & sic potest votum illud commutari per Bullam; quia per illam electionem, vel determinationem illius, vovens de novo non obligatur; & quæ antea debatur obligatio, poterat per Bullam commutari, & sic potest post electionem; nec aliud probat regula juris allata: *Quod semel placuit*; quia, ut ait Glos. *in dict. regulam*, potest quis, pœnitere in omnibus casibus, in quibus à jure permittitur pœnitere, & variare: cùm ergo possit vovens variare, & mutare suum votum, virtute Bullæ, ut ostendimus, confessarius commutationem facere potest.

SECTIO XXIX.

An virtute Bullæ, commutari possit materia, in quam S. Pontifex votum reservatum commutavit?

277. EMisit quis votum Castitatis, vel Religionis, aut aliud ex reservatis S. Pontifici, & ab eo obtinuit dispensationem; qui & loco voti reservati illi imposuit materiam non reservatam, ut jejunia, preces, & confessiones menstruas: Inquirimus ergo: An confessarius, virtute Cruciatæ, aut jubilæi, possit commutare illa jejunia, preces, & confessiones menstruas? Negant apud Sanch. mox citandum, Archidiaconus, Bellamora, & alii Neoterici, & Zanard. *in direct. Theolog. part.* 2. *cap.* 33. Azor. *tom.* 1. *l.* 11. *cap.* 18. *quæst.* 11. Probatur primò, quia materia, in quam votum reservatum commutatur, etiam est reservata, juxta illud juris axioma: *Subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur. l. si eum §. qui injuriarum ff. si quis caut. l.* 18. *hæc ratio ff. si quis testam. liber l. unica §.* 1. *C. de rei uxoriæ act. §. fuerat, justit. de action. cap. Ecclesia* 1. *ut lite pendente*, & ex aliis juribus, & D. D. apud Barbos. *de Axiomat. Juris. axioma* 213. Sed jejunia, orationes, & menstruæ confessiones subrogantur in locum castitatis, Religionis &c. Ergo si hæc sunt reservata, etiam sunt jejunia &c. Secundò quia pœna à superiore imposita, non potest per inferiorem commutari: Ergo nec poterit commutari materia ab inferiori, in quam votum reservatum à Pontifice fuit commutatum.

278. Dicendum tamen est, posse virtute Bullæ commutari, maximè si commutatio fuit facta à Papa in foro conscientiæ, & interiori: Ratio est, quia illud votum Castitatis, Religionis &c. Solùm est reservatum ratione materiæ: Sed materia loco illius subrogata non est reservata, videlicet jejunia, preces, & confessiones: ergo virtute Bullæ, aut Jubilæi, possunt commutari. Ita Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 9. *n.* 20. *& in summ. l.* 4. *cap.* 40. *n.* 49. Soar. *tom. de Relig. l.* 6. *de voto cap.* 20. *n.* 15. Fagund. *in* 2. *decal. precept. l.* 2. *cap.* 43. *n.* 18. Joan. Sanch. *in select. disp.* 14. *n.* 14. Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 3 *dub.* 14. *n.* 7. Bossius *de Jubil. sect.* 2. *cas.* 2. *n.* 2. Ludovic. & Joann. à Cruce Villal. & alii plurimi, quos congerit & sequitur Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 144. Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 2. *n.* 79. Mend. *disp.* 26. *cap.* 11. *n.* 126. Tambor. *tract. de Bull. cap.* 13. §. 3. *n.* 8. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 3. *n.* 322. *Vers. IV.* Escobar. *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 727.

279. Ad primum fundamentum contrariæ sententiæ *n.* 277. respondeo primò, illud axioma verificari, quando subrogatum est æquale in omnibus, cui subrogatur, ut cum pluribus tenet Barbos. *cit. n.* 1. *& 3.* at materia in quam votum à S. Pontifice commutatur, in omnibus non æquatur materiæ voti reservati, ut ex se patet. Respondeo secundò, illud axioma non habere locum in pœnalibus, & odiosis, ut cum Seraphin. *decis.* 537. *n.* 4. tenet idem Barbos. *cit. n.* 6. at reservatio, ut sæpè diximus, est odiosa: ergo in illa non habet locum.

280. Ad secundum ibi respondeo, negando consequentiam: diversa ratio est, quia pœna à superiore imposita involvit præceptum ipsius superioris; quod ab inferiore commutari non potest: at commutatio non involvit præceptum superioris; nam licèt ipsum votum fuisset authoritate Pontificis commutatum, non tamen prohibet, quòd materia, in quam fuit commutatum, non possit authoritate Bullæ, aut Jubilei, commutari.

281. Et quid dicendum, si vovens per multum tempus omisit jejunium, preces, & menstruas confessiones, in quæ S. Pontifex commutavit votum Castitatis, aut Religionis, reviviscit ne hoc votum Castitatis, aut Religionis? Affirmat Rodrig. *in addit. ad §.* 9. *Bull. n.* 118. & apud ipsum Sot. *l.* 7. *de just. q.* 2. *art.* 1. *ad tertium* Aragon. 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. *ad* 2. Vega *in summ. tom.* 2. *cap.* 119. *casu* 97. & alii. Probant, quia votum fuit commutatum sub conditione executionis rei subrogatæ: ergo si hæc, nempe jejunia, preces &c. culpabiliter non exequantur, reviviscit votum.

282. Probabilius tamen dicendum, non reviviscere cum Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 9. *n.* 21. Fagund. *in* 2. *decal. precept. l.* 2. *cap.* 43. *n.* 20. Sayr. *in clavi Reg. l.* 6. *cap.* 12. *n.* 24. Azor. *tom.* 1. *l.* 11. *cap.* 19. *quæst.* 10. Lessius *l.* 2. *de just. cap.* 40. *dub.* 11. *n.* 97. Trullench. in Bull. *l.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 14. *n.* 9. Faust. *in Thes. l.* 4. *q.* 77. Ludovic. à Cruce *in Bull. disp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 16. *n.* 12. quos affert, & sequitur Bardi ubi *supra n.* 84. Escobar. *proximè n.* 709. Ratio est, quia votum per commutationem absolutam authoritate S. Pontificis factam fuit extinctum, & translatum ad aliam materiam non reservatam: ergo quamvis ea materia culpabiliter omittatur, in quo peccatum committitur, prius votum non redit, nec reviviscit.

283. Confirmatur hæc sententia, quia si, virtute Bullæ commutetur votum aliquod ex non reservatis, hoc modo: *Ex tunc tibi hoc votum commuto in aliam materiam, quam postea tibi designabo*; vovens manet liber ab executione prioris voti, eo tempore intermedio dum materia designatur, ut rectè docent contra Rodrig. *cit. n.* 115. *Vers. Alia secunda* & fr. Joseph. Mendes *in Bull. fol.* 81. *n.* 151. Doctissimus Mendo *disp.* 26. *n.* 165. *& in append. disp.* 5. *n.* 171. Dian. *par.* 1. *tract.* 11. *resol.* 52. Leand. ubi *supra q.* 139. cum Sanch. Trullench. Bossio, Fagund. Candid. & aliis, quibus accedunt, Gobat. *tom.* 2. *tract.* 3. *n.* 305. Escobar. *supra n.* 253. ex ea ratione, quia prius votum jam est extinctum, per commutationem factam à confessario, licèt materia, loco illius voti, adhuc non sit designata: ergo à fortiori in nostro casu prius votum erit extinctum, in quo materia loco illius jam est subrogata.

284. Ad fundamentum contrariæ sententiæ *n.* 281. allatum, respondeo, negando antecedens; quia sine ea conditione votum fuit commutatum: nam si cum illa commutaretur, cùm non sit data executioni, teneretur vovens redire ad prius votum, sive culpabiliter, sive inculpabiliter conditionem non apponeret, ut rectè notavit Sanch. contra Rodrig.

SECTIO

SECTIO XXX.

An factâ voti commutatione, licitum sit voventi, omissa commutatione, ad prius votum redire?

285. PRima sententia negat; quando votum commutatum fuit in melius; id tamen concedit, quando in minus, vel æquale fuit commutatum. Ita Soar. *tom.* 2. *de relig. l.* 6. *de voto cap.* 20. *n.* 1. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 26. *n.* 288. Reginald. *in praxi l.* 10. *n.* 362. Raphael de la Torre 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *disp.* 5. *n.* 12. Probant, quia commutatio habet vim novi voti: Ergo si commutatio facta fuit in melius ad primum votum redire non potest. Confirmatur ex contractibus humanis: nam si ex partium consensu melioretur obligatio in favorem creditoris, non potest debitor resilire ab hâc ad primam obligationem propriâ authoritate: ergo etiam idem dicendum de voto, quod ex consensu voventis commutatum fuit in melius.

286. Secunda sententia absolutè affirmat, illam tuentur Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 9. *n.* 21. *& l.* 4. *decal. cap.* 55. *n.* 26. Castr. Palao *tom.* 3. *tract.* 15. *disp.* 2. *punct.* 18. *n.* 10. Bonacin. *in decal. disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 7. §. 7. *n.* 20. Quintanad. *de Jubil. dupl. hebdomada cap.* 11. *n.* 29. Azor. Sayr. Less. Candid. Malder. quos referunt, & sequuntur Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 85. *&* 2. *part. tract.* 16. *resol.* 8. Fagund. *in* 2. *decal. præcept. l.* 2. *cap.* 50. *n.* 18. Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 149. Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 2. *n.* 89. Escobar. *in Theol. moral. tom.* 1. *n.* 282. & alii. Probatur, quia commutatio voti fit in gratiam, & favorem voventis: Sed unicuique licitum est cedere suo favori: ergo licitum est voventi redire ad primum votum.

187. Hanc sententiam existimo amplectendam in commutationibus, quæ fiunt, virtute Bullæ, jubilæi, aut privilegii Regularium; non tamen in illis, quæ fiunt in melius authoritate propriâ, ut vidimus *supra n.* 198. Ratio est, quia commutatio voti censetur favor, quando, virtute Bullæ, &c. commutatur; at quando quis propriâ authoritate suum commutat votum in melius, non est favor in commutatione; sed loco minoris boni vovens elegit spontaneè id, quod melius est. Sic cum Gordon. Mend. *disp.* 26 *n.* 42. *&* 154.

288. Ad rationem primæ sententiæ *n.* 285. respondeo, negando antecedens; quia commutatio non habet vim novi voti, cùm solùm sit translatio unius materiæ ad aliam; at si hæc in melius fiat authoritate propriâ, est veluti quædam electio voti disiunctivi, quod factâ electione non potest variari: nam votum videtur habere hanc in se imbibitam conditionem: nisi in melius commutetur, ut ex jure videtur colligi, in locis citatis *dict. n.* 98.

289. Ad confirmationem adductam de contractibus humanis respondeo, ibi dari novum contractum in favorem creditoris, à quo resilire non licet illo renuente, quia à debitore ita fuit acceptum: at commutatio voti, quando fit virtute Bullæ, vel jubilæi, fit in favorem voventis, & non Dei creditoris, & sic potest regredi ad prius votum: Secus dicendum, quando commutatio fit in melius authoritate propria; nam tunc ea commutatio fit in majus Dei obsequium, & cultum; & sic non licet ad prius votum redire. Et sic videtur sentire Bard. *cit. n.* 63. *in fine* cum Sanch. & Ludov. à Cruce, dum asserit: si vovens renuntiet in commutatione prædicto favori, & acceptet commutationem ad divinum cultum augendum; tunc non posse redire ad primum votum, quod totum datur, quando commutatio authoritate propria fit in melius.

290. Inquirimus autem: An in præsenti casu, quo quis, omissa commutatione, rediit ad prius votum, possit iterum authoritate propriâ, relicto, seu omisso priori voto, redire ad commutationem, quam reliquit? Soar. *cit. dict. l.* 6. *de voto cap.* 20. *n.* 13. Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 55. *n.* 29. negant; quia renuntiando commutationem, virtualiter, & implicitè videtur emittere votum circa priorem materiam commutatam, & cùm sit iterum voto prioris materiæ ligatus, non potest ad commutationem omissam redire: at si hæc omissa commutatio sit melior priori voto, tunc ad illam redire potest; quia unicuique licitum est suum votum in melius commutare.

291. Melius tamen affirmandum, existimo cum Castr. Palao. *tom.* 3. *tract.* 15. *disp. punct.* 18. *n.* 11. *in fine.* & apud ipsum Lessius *l.* 2. *de just. cap.* 40. *dub.* 16. *in fine n.* 111. in secundâ editione, quibus accedunt Escobar. *proximè, & n.* 283. Bardi *ubi supra n.* 99. & apud ipsum Merol. *in moral. Theol. tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 30. *n.* 483. Villal. *tom.* 1. *tract.* 27. *claus.* 9. §. 2. *n.* 34. Ratio est, quia non constat de voto in renuntiatione commutationis implicitè emisso, quando ad priorem materiam fuit regressus, nec id præsumitur de vovente; quia nullus vovens præsumitur se impeditum velle reddere, ne amplius utatur suâ commutatione; & sic etiam in dubio est interpretandum; nam voti vinculum est odiosum.

SECTIO XXXI.

An virtute Bullæ, possit aliquod ex tribus votis exceptis aliquando commutari?

292. EX jure communi *in cap. multa, de voto, & Extravag. Et si Dominici* 2. *de pœnit.* & remissionis. Colligunt D. D. quinque esse vota S. Pontifici reservata: Votum Religionis, Castitatis, Peregrinationis Hierosolymitanæ, Peregrinationis ad limina Apostolorum, & Peregrinationis ad Compostellam. In his nec Legatus à latere, nec Episcopus, nec Regulares possunt dispensare, nec illa commutare. Vide Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 40. *n.* 2. *&* *cap.* 52. *n.* 2. Lezan. *in q. q. Regul. tom.* 4. *Verb. Votum n.* 10. in Bullâ verò Cruciatæ excipiuntur hæc tria: Votum Castitatis, Religionis, & Ultramarinum, id est Peregrinationis Hierosolymitanæ, ut jam supra notavimus; aliæ duæ peregrinationes ad limina Apostolorum, & Compostellam possunt virtute Bullæ commutari. Hoc supposito.

293. Quærimus primò: An tria vota, quæ in Bullâ excipiuntur, virtute Bullæ possint in opus evidenter melius commutari: v. g. emisit quis votum Peregrinationis Hierosolymitanæ, quod est unum extribus in Bullæ exceptis, & vult illud, virtute Bullæ, in melius, & præstantius commutare, mittendo propriis expensis in subventionem locorum Africæ ducentos milites, vel centenos equestres,

stres, & simul viginti millia aureorum, quæ subventio est sine dubio commutatio in melius? Affirmant Cajet. *in summ. Verb. votum cap. ultim.* Arag. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *in explicatione articuli*, Sayr. *in clav. Reg. l.* 6. *cap.* 12. *n.* 14. Valent. *in* 2. 2. *disp.* 6. *punct.* 7. *Vers. Hac ipsâ ratione.* Probant, quia Papa quando sibi reservat alicujus voti commutationem, intelligendus est, dummodo res sit dubia, nam si certum est esse meliorem, benè poterit fieri commutatio privata authoritate.

294. Hanc sententiam quatenus asserit, propriâ authoritate posse quempiam suum votum reservatum in melius commutare, probabilem putat Tanred. *part.* 1. *tract.* 3. *de voto disp.* 6. *quæres* 2. *fol.* 492. quem refert, & sequitur Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 13. §. 3. *n.* 12. *in fine.* Et probant, quia melius semper à Deo acceptatur.

295. Si illis objicias: votum reservatum ex tribus exceptis, virtute Bullæ, Jubilæi, aut per privilegium Mendicantium non potest commutari: ergo nec propria authoritate. Respondent, esse disparitatem, quia potestas commutandi vota, per Bullam, Jubilæum, aut privilegia Mendicantium, fundatur in jurisdictione concessâ à Pontifice; quæ non conceditur quoad illa tria reservata per Bullam, & quoad quinque *supra* relata, per privilegia Mendicantium: at potestas commutandi in melius, authoritate propria, fundatur in acceptione Dei, qui semper præsumitur meliori bono esse contentus.

296. Existimo tamen tanquam certum, virtute Bullæ, aut Jubilæi, aut per privilegium Mendicantium, non posse etiam in evidenter melius vota reservata commutari. Ita docent Soto *l.* 7. *de just. q.* 4. *art.* 3. *col.* 4. *Vers. at verò quando.* Tabien. *Verb. Dispensatio q.* 9. *n.* 11. Azor. *tom.* 1. *l.* 11. *cap.* 18. *quæst.* 4. Lessius *l.* 2. *cap.* 40. *dub.* 13. *n.* 104. *fine.* Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *de voto cap.* 21. *n.* 17. Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 52. *n.* 4. Ludovic. à Cruce *in Bull. disp.* 1. *cap.* 8. *dub.* 2. *n.* 21. Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 2. *n.* 104. Tambor. *tract. de Bull. cap.* 13. §. 3. *n.* 12. Leand. *part.* 7. *tract.* 1. *disp.* 18. *q.* 17. Ratio est, quia ad hæc vota nulla datur in Bullâ facultas commutandi, quamvis commutatio sit in bonum melius, & præstantius: illa enim sibi reservat S. Pontifex, dum illa in Bullâ excipit.

297. Nec etiam authoritate propria votum reservatum potest in melius commutari, ut cum Castr. Palao, & aliis, quos citat, diximus *supra n.* 97. ubi excepi statum Religiosum; nam per professionem solemnem, tam vota reservata, quàm non reservata extinguntur; nec unquam revivisce re possunt, & sic omnia in eum statum commutantur, ita disponente textu *In cap. Scripturæ, de voto*, ibi: *reus fractæ voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam mutasse dicitur Religionis observantiam commutare.* Sanch. dict. *cap.* 52. *n.* 6. Less. *l.* 2. *cap.* 40. *dub.* 16. *n.* 106. *in* 2. *editione*, Castr. Palao *tom.* 3. *tract.* 15. *disp.* 2. *punct.* 15. *n.* 2. *Vers. Dixi nisi.* Bardi ubi *supra n.* 108. Tamborin. *l.* 3. *decal. cap.* 16. §. 5. *n.* 4. Leand. *supra q.* 18.

298. Nec ratio adducta *n.* 294. à Taneredo, & aliis, oppositum convincit; quia licèt ex commutationes, pensatis omnibus, & arbitrio boni viri, existimentur quid melius, & secundùm se absolutè gratius; & semper præsumatur Deum meliori bono semper esse contentum: hoc autem est contra communem D. D. sensum, contra praxim, & consuetudinem fidelium; qui si sint ligati aliquo ex prædictis votis reservatis, & velint ab illo se eximere, ad S. Pontificem recurrunt.

299. Inquires secundò: An prædicta tria vota in Bullâ excepta, si emissa sint ex levi metu ab extrinseco incusso, ad aliquod ex his votis extorquendum, possint, virtute Bullæ, commutari? Et non loquimur, quando votum fuit emissum ex metu gravi ab extrinseco incusso, sive justè, sive injustè: nam de hoc diximus *supra n.* 3. esse invalidum cum communiori sententiâ. De voto igitur reservato ex metu levi ab extrinseco incusso, procedit inquisitio. Et supponto, hoc votum esse validum, ut probabilius docet Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 3. *n.* 24. cum pluribus, quos ibi citat, contra Navarr. quod etiam, ut probabile, cum Dian. docet Escobar *in Theol. moral. l.* 7. *n.* 730. quo supposito.

300. Prima sententia asserit, hoc votum esse reservatum. Sic Lavor. *de jubil.* 2. *part. cap.* 27. *n.* 187. Sylvest. *Verb. Votum* 4. *q. & n.* 4. Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *de vot. cap.* 26. *n.* 4. Movetur, quia nullo jure, & ratione oppositum cavetur; nam metus levis ad summum causat involuntarium secundùm quid; quod non sufficit ad eximendum votum à reservatione; sicut illud non eximit ab eo, quòd sit voluntarium simpliciter, & validum. Confirmatur, quia etiam non cadent reservata vota emissa ob periculum mortis, & naufragii; quia etiam sæpè sunt involuntaria secundùm quid, quia non emitterentur, si illud periculum non adesset; & parum refert, hæc vota non esse emissa ex metu directè incusso ad votum extorquendum; nam per hunc metum solùm additur ratio injustæ; quæ est impertinens ad votum, & nihil refert ad reservationem. Sic Soar.

301. Secunda tamen, & probabilior sententia tenet, tale votum non esse reservatum. Ratio est, quia reservatio cùm sit odiosa, ut sæpè diximus, est restringenda: ergo solùm intelligenda est de illis votis quæ à vovente sponcanè emittuntur; & non à metu incusso à causâ libera ad eum votum extorquendum. Sic Angles *Verb. Votum* 4. *n.* 9. Sanch. *l.* 4. *summ. cap.* 40. *n.* 30. & 31. Bonacin. *in decal. disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 7. §. 4. *n.* 17. Bossius *de Jubil. sect.* 2. *cas.* 14. *n.* 3. Ludovic. à Cruce *in Bull. disp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 3. *n.* 16. Trullench. *ibidem l.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub. in fine.* Castr. Palao *tom.* 3. *tract.* 15. *disp.* 2. *punct.* 12. *n.* 11. Mend. *disp.* 26. *cap.* 2. *n.* 22. Faust. Candid. Leo, Navarr. Henriq. Laym. & alii, quos referunt, & sequuntur Dian. 1. *part. tract.* 11. *resol.* 73. Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 2. *n.* 115. Leand. 1. *part. tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 107. & *part.* 7. *tract.* 1. *disp.* 17. *q.* 94. His addo Gobat *tom.* 2. *tract.* 3. *n.* 316. Escobar *proximè*, Lezan. *in q. q. Regul. tom.* 4. *Verb. Votum n.* 12.

302. Ex hac sententiâ sequitur, votum ex metu levi incusso ab extrinseco ad extorquendum votum Castitatis, Religionis, aut Peregrinationis Hierosolymitanæ, posse, virtute Bullæ, Jubilæi, aut privilegium Regularium commutari, quia non est reservatum.

303. Ad fundamentum Soar. *n.* 300. respondeo, licèt nullum detur jus, quod oppositum suadeat, nullum etiam datur in quo Soar. sententia innitatur: datur tamen pro nostra sententiâ ratio sufficiens; quia non censetur Pontifex velle comprehendere vota per injuriam extorta, dum illa reservat, nam ratione injuriæ valdè deficiunt ab ea perfectione, quam requirit reservatio. Ad confirmationem

firmationem datur disparitas, inter votum emissum ob metum incussum à causâ intrinseca ob periculum mortis, aut naufragii, & inter votum emissum ob metum incussum à causa extrinseca: nam in illo vovens à nemine impellitur ad votum emittendum, sed votum eligit sponte, ut medium ad evitandum periculum mortis, aut naufragii: at in hoc, in quo intervenit injuria, impellitur ad votum à causa extrinseca; & non sponte à propria voluntate ad votum emittendum movetur.

SECTIO XXXII.

An aliquæ qualitates, aut circumstantiæ voti Ultramarini possint virtute Bullæ commutari?

304. DE voto Castitatis diximus *supra sect.* 24. de Ultramarino in præsenti expendimus. Et circa hoc, quod est idem, ac votum Peregrinationis Hierosolymæ, certum est primò, qualitatem voto Hierosolymitanæ Peregrinationis annexam posse virtute Bullæ commutari; ut si fuit Peregrinationis pedestris, vel mendicando, vel sine magno comitatu. Ratio est, quia substantia hujus voti, & non qualitates reservantur: ergo si remanet substantia, qualitates possunt commutari. Sic expressè Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 17. *n.* 3. *& lib.* 2. *decal. cap.* 1. *dub.* 49. Ludovic. à Cruce *in Bull. disp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 15. *n.* 1. Dian. 1. *parte tract.* 11. *resol.* 83. Bard. *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 2. *n.* 151. Tamborin. *tract. de Bulla cap.* 13. §. 2. *n.* 10. Escobar. *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 311. Accedunt omnes illi, qui docent, posse Episcopum dispensare in qualitatibus dictæ Peregrinationi annexis; ut sunt Basæus, Ascanius, Tamborin. Bonacin. & alii, quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 7. *tract.* 1. *disp.* 17. *q.* 110. nam per Bullam possunt omnia vota commutari, quæ Episcopus jure ordinario potest dispensare.

305. Secundò est certum, posse per Bullam commutari votum applicandi debita incerta in subsidium terræ Sanctæ. Ratio est quia hoc votum non est reservatum; nec oppositum statuitur *in cap. magna devotionis, de voto*; nam ille textus loquitur de voto in subsidium terræ Sanctæ personale accepta cruce. Ita Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 40. *n.* 8. Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *de voto cap.* 21. *n.* 13. Trullench. *citat. num.* 2. Bardi *proximè n.* 149. Escobar *supra num.* 714. contra Angel. Tabien. Sylvestr. Rotell. Sayr. & alios apud citatos authores.

307. Tertiò, certum est, posse virtute Bullæ commutari votum assumendi Crucem in quacunque expeditione, quam Pontifex fecerit. Ratio est, quia nullo jure, aut consuetudine ostendi potest hoc votum esse reservatum. Sic Sanch. *proximè n.* 9. Soar. *in* 12. Bossius *de triplici jubil. sect.* 2. *casu.* 8. *num.* 12. Bardi *n.* 155. contra Hostiens. Henricum, & Abulens. apud Sanch.

307. Quartò, etiam certum est votum peregrinationis ad templum Beatæ Virginis Lauretanæ posse virtute Bullæ commutari; quia nullo jure, aut consuetudine ostenditur esse S. Pontifici reservatum; & dato quòd esset, non comprehenditur sub voto Ultramarinæ; quia per votum Ultramarinum solum intelligitur peregrinatio Hierosolymitana, quæ fiebat per transeundo mare Mediterraneum. Sic Sanch. *dict. cap.* 40. *n.* 10. Soar. *dict. cap.* 21. *n.* 14. Azor. *tom.* 1. *l.* 11. *cap.* 20. *quæst.* 3. Trullench. *dict. dub.* 17. *n.* 6. Escobar *supra num.* 314. Lezan. *in q. q. Regul. tom.* 4. *Verb. votum n.* 10. contra Navarr. Sorb. Henriq. Sâ, Rodrig. apud Sanch.

308. Quintò, etiam virtute Bullæ commutari potest votum Peregrinationis Hierosolymitanæ, si emittatur ob alium finem honestum, & pium, ut ad ibi sua peccata cum viro Religioso confitenda; vel ad suo parenti ibi morbo laboranti interviendum, & non ob finem visitandi loca sacra. Ratio est, quia reservatio, cùm sit odiosa, non est intelligenda, nisi de visitandis illis sacris locis. Sic Sanch. *dict. cap.* 40. *n.* 77. Fagund. *in* 2. *decal. præcept. l.* 2. *cap.* 43. *n.* 14. Faust. *in Thesib. l.* 3. *q.* 101. Castr. Palao *tom.* 3. *tract.* 15. *disp.* 2. *punct.* 11. *n.* 3. Bardi *dict. cap.* 2. *n.* 153. Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 13. §. 2. *n.* 8.

309. Dubium tamen est: An votum Ultramarinum reservatum intelligi debeat de eo, quod sit in subsidium terræ Sanctæ, an etiam de eo, quod sit causa devotionis, nempe ad visitanda illa sancta loca? solùm reservari hoc votum, quando sit in subsidium terræ sanctæ, existimant Abbas, Panormitan. Vivald. Sâ, Graffis apud Bardi, & Escobar mox citandos, quod colligunt *ex cap. quod super his, cap. ex multa, de voto*, in quibus textibus id votum reservatur; quando fit in subsidium, & redemptionem illorum locorum.

310. Dicendum tamen cum communi D. D. hoc votum reservari, tum quando emittitur in dictum subsidium, tum quando fit causâ devotionis; nam licèt de hoc secundo expressè non habeatur reservatio, consuetudo tamen universalis Ecclesiæ hanc reservationem etiam extendit ad votum causâ devotionis emissum. Ita Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 40. *n.* 6. *in fine*, & apud illum D. Thom. Valent. Petr. de Ledesm. & alii Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *de voto cap.* 21. *n.* 4. *&* 5. Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 17. *n.* 1. Lessius *l.* 2. *de justit. cap.* 40. *dub.* 13. *n.* 104. Ludov. à Cruce *in Bull. disp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 15. *n.* 4. Bossius *de tripl. jubil. sect.* 2. *casu* 8. *n.* 10. Bardi *supra n.* 147. & apud ipsum Sylvestr. Navarr. Azor, Sayr. idem tenet Escobar *citat. n.* 712. Lezan. *in q. q. Regul. tom.* 4. *verb. votum n.* 16. *in fine.* & alii. Cùm verò hoc votum utroque modo sit reservatum, & in Bullâ excipiatur, virtute illius non potest commutari.

SECTIO XXXIII.

An aliquæ qualitates, aut circumstantiæ voti Religionis, virtute Bullæ, possint commutari?

311. RESTAT dicendum de alio reservato; nempe de voto Religionis. Et circa hoc votum alia veniunt inquirenda; primum sit: An votum Religionis possit commutari, virtute Bullæ, quoad tempus præscriptum à vovente, nempe ut differatur illius executio. Negat Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *de voto cap.* 26. *n.* 11. *&* 12. & id tantùm concedit in casu, quo non detur aditus ad Pontificem, & tunc docet, posse dispensare Episcopum. Cum Soar. ex parte consentit Sayrus *in clavi l.* 6.

cap. 11. *n.* 66. ex Angles in floribus *part.* 2. *q. unica de voto art.* 8. *difficult.* 9. *conclus.* 4. dum asserunt, posse Episcopum declarare, voti executionem ob legitimam causam esse differendam. Probat Soar. quia circumstantia temporis multùm attingit substantiam voti; nam si ad annum per dispensationem differatur executio; etiam per aliam ad alium annum differetur; & sic successivè differendo voti executionem, votum frustrabitur.

312. Probabilius tamen affirmandum, posse id votum quoad circumstantiam dilationis temporis commutari: dummodo ea dilatio non sit tanta, ut detur periculum in statum incidendi, ut vovens reddatur impotens ad votum implendum. Ratio est manifesta, quia hæc commutatio non est in substantia voti, sed in quadam circumstantia illi extrinseca: ergo si hæ in votis reservatis possunt commutari, virtute Bullæ, ut tenet Castr. Palao cum communi *infra* citandus, etiam hæc temporis; dum non datur prædictum periculum. Ita Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 9. *n.* 19. & *in summ. l.* 4. *cap.* 40. *num.* 76. Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 16. *num.* 9. Ludovic. à Cruce *in expos. Bull. disp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 12. *n.* 6. Fagund. *in* 2. *decal. præcept. lib.* 2. *cap.* 43. *n.* 13. Castr. Palao *tom.* 3. *tract.* 15. *disp.* 2. *punct.* 11. *n.* 4. Basil. Pontius *l.* 8. *de matr. cap.* 8. *n.* 27. Bossius *de tripl. jubil. sect.* 2. *casu* 19. *n.* 4. Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 2. *n.* 176. Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 80. Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 148. Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 13. §. 3. *n.* 3. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 3. *n.* 319. Escobar *in Theol. moral. lib.* 7. *n.* 745. Molfes. Malder. Faust. & alii, quos citant. fundamentum Soar. ex dictis manet solutum.

313. Inquires secundò: An virtute Bullæ commutari possit votum Religionis strictoris in laxiorem? Respondeo, contra Navarr. & Lopes apud Leand. citandum, posse. Ita expressè Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 9. *n.* 17. *& disp.* 15. *n.* 5. *& l.* 4. *decal. cap.* 40. *n.* 74. Trullench. *proximè citat. n.* 7. Dian. *dict. tract.* 11. *resol.* 55. Ludovic. à Cruce *dict. cap.* 6. *dub.* 11. *n.* 9. Fagund. *dict. cap.* 43. *n.* 12. Bardi *citat. n.* 172. Leand. *dict. disp.* 14. *q.* 125. Mend. *disp.* 26. *n.* 135. Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 13. §. 3. Gobat *proximè.* Escobar *nuper citat. num.* 305. & apud ipsum Azor, Less. & Henriq. Idem tenet Lezan. *in q. q. Regul. tom.* 4. *verb. votum*, dum asserit in illo posse Episcopum dispensare. Ratio est, quia hæc commutatio non est circa substantiam ipsius voti, sed circa quandam circumstantiam ipsi voto annexam, quæ ut *supra* vidimus, commutari potest; hoc tamen intellige dummodò, in laxiori Religione vigeat religiosa observantia.

414. Dices: Commutatio, quæ fit virtute Bullæ, debet fieri in subventionem temporalem, pro defensione locorum Africæ: ergo votum strictioris Religionis non potest commutari in laxiorem. Respondeo negando consequentiam, quia potest confessarius designare eleemosynam juxta facultates voventis, & juxta ea, quæ *supra* diximus, in eleemosynam congruentem: nam virtute Bullæ aliter non potest fieri commutatio juxta superius *dict. sect.* 15. quidquid in oppositum aliqui autument.

315. Inquires tertiò: An votum perseverandi in Religione, virtute Bullæ possit commutari? Respondeo, posse, prout contradistinguitur à voto illam ingrediendi, quod S. Pontifici est reservatum. Ratio est, quia sic est quædam qualitas addita voto Religionis reservato: ergo cùm reservatio sit odiosa, non est extendenda ad votum non reservatum; sed potius restringenda ad votum ingrediendi Religionem. Antecedens ostenditur, nam quando aliquis vovet Religionem, huic voto satisfacit, ingrediendo Religionem; & si ab illâ, experimento facto, exeat justè, vel justè dimittatur, voto jam satisfecit: ergo votum perseverandi in Religione aliquid distinctum est à voto Religionis reservato.

316. Dixi: *prout votum contradistinguitur à voto illam ingrediendi*; nam si hoc votum perseverandi in Religione accipiatur prout includit votum ingrediendi Religionem, tunc quoad hanc partem commutari non potest; quia ut sic est reservatum, & in Bulla exceptum: potest tamen commutari, quoad aliam partem; nempe perseverandi in Religione; quia ut sic est quid additum voto Religionis reservato; quæ additio, cùm sit quædam voti qualitas, aut circumstantia, potest commutari. Sic expressè docent Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 15. *n.* 4. Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 15. *n.* 7. Dian. 1. *part. tract.* 11. *resol.* 79. Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 2. *n.* 169. & 170. Mend. *disp.* 26. *n.* 136. Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 147. Gobat *supra*, Escobar *citat. n.* 304. & 742. Et loquentes de Episcopo, quoad potestatem idem votum dispensandi, asserunt Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 49. *n.* 75. Malder. *in* 2. 2. *tract.* 10. *cap.* 5. *dub.* 10. *n.* 8. Molfesius *in summ. tom.* 1. *tract.* 11. *cap.* 15 *n.* 147. Et loquentes de Jubilæo, idem affirmant Sanctarell. *de Jubil. cap.* 10. *dub.* 4. Bossius *de tripl. Jubil. sect.* 2. *cas.* 19. *n.* 2. Leo *de Jubil. part.* 2. *q.* 13. *sect.* 3. *n.* 114. Fagund. *in* 2. *decal. præcept. l.* 2. *cap.* 43. *n.* 9. & alii apud citatos D. D. At non posse votum perseverandi in Religione virtute Bullæ commutari, docent Azor. Valent. Sylvest. & Rodrig. apud Escobar *n.* 740. sed prædicta sententia communis, est probabilior.

317. Inquires quartò: An votum ingrediendi Religionem ad probandum, num sibi placeat, possit virtute Bullæ commutari? Respondeo, non posse. Ratio est, quia est verum votum Religionis; nec ea conditio illud reddit conditionatum, nec etiam diminutum; nam ea conditio tacitè includitur in voto Religionis, ex dispensatione juris. Sic Candid. *disquis.* 25. *art.* 14. *dub.* 15. quem refert, & sequitur Leand. *supra n.* 123. & loquens de dispensatione Episcopi, *tom.* 7. *tract.* 1. *disp.* 17. *q.* 98.

318. Inquires quintò: An votum Religionis Ordinum Militarium possit, virtute Bullæ, commutari? Respondeo primò: Votum Religionis Melitentium non potest commutari; quia est vera Religio cum tribus votis substantialibus à S. Pontifice approbata. Ita Sanch. *lib.* 8. *de matr. disp.* 9. *n.* 16. *& l.* 4. *decal. cap.* 40. *n.* 73. Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 77. Bossius *de tripl. jubil. sect.* 2. *cas.* 19. *n.* 9. Bardi *proximè n.* 182. Mendo *disp.* 26. *n.* 132. Leo, Fagund. Candid. Trullench. & alii, quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *q.* 120. quibus addo Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 13. §. 3. *n.* 5. A Costa *in Bull. q.* 73. & alii quos refert, & sequitur Escobar ubi *supra n.* 736. contra alios, quorum sententiam improbabilem judicat.

319. Respondeo secundò: Votum Religionis Equitum Christi, S. Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ, Montesæ, &c. virtute Bullæ potest commu-

tari.

tari. Ratio est, quia dubium est, an sint verè Religiones, cum pro utraque parte militent oppositæ D. D. opiniones; & in dubio non tenet reservatio, cùm sit odiosa, ut cum Soar. Fagund. Ascan. Tamborin. tenet Leand. *tom. 7. tract. 1. disp. 17. q. 112.* & in præsenti casu. Sic expressè docent Soto. *l. 7. de justit. q. 5. art. 3.* & cum Sanch. Dian. *proximè resol. 78.* & cum Joann. Sanch. Fagund. Candid. & aliis Leand. *nuper citat. q. 121.* Bardi ubi *supra dict. n. 182.* Mend. *disp. 26. n. 133.* Tamborin. *dict. n. 5.* & alii quos referunt.

320. Commutari etiam potest, virtute Bullæ, votum Religionis Monialium Militarium in hac urbe degentium, scilicet monasteriorum de Sanctis, & Incarnatione; quia non est rigorosa, & vera Religio; nam votum Castitatis, quod profitentur, non est de omnimoda Castitate, sed solùm de conjugali; & sic quamvis in communitate vivant, sub opinione manet, an sit vera Religio; ut docent de ordinibus Militaribus supra dictis, authores eâdem ratione; non desunt tamen D. D. apud Escobar ubi *supra num. 737.* qui oppositum opinentur.

321. Secus dicendum de voto Religionis Ordinum Militarium, quam profitentur Regulares ex his ordinibus: scilicet Ordinis Christi, quos dicimus *de Thomar*, & Fratres S. Benedicti de Avis, & D. Jacobi de Palmellâ; nam hi sunt verè Religiosi in omnium sententiâ; ac proinde votum ingrediendi hos ordines est reservatum, & per Bullam çommutari non potest. Sic Mendo. *in appendic. ad Bullam disp. 2. cap. 32. n. 168.* Tamborin. *tract. de Bull. cap. 13. §. 3. n. 5. in fine.*

322. Ex dictis sequitur primò, votum ingrediendi Religionem non approbatam à S. Pontifice posse, virtute Bullæ, commutari; quia non approbata non est propria Religio. Sic Sanch. *de matr. l. 8. disp. 9. n. 15. & l. 4. summ. cap. 40. n. 71.* Lessl. *l. 2. cap. 40. dub. 18. n. 123.* Soar. *tom. 2. de Relig. l. 6. de voto cap. 21. n. 8.* Sayr. *in clavi Reg. l. 6. cap. 11. n. 64.* Basil. Legionens. *l. 8. de matr. cap. 8. n. 22.* Castr. Palao *tom. 3. tract. 13. disp. 2. punct. 11. n. 2.* Bartholam. à S. Faust. *in Thes. l. 3. q. 69.* Bardi *part. 2. tract. 7. cap. 2. n 183.* Mendo *disp. 26. cap. 12. n. 130.* Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 14. q. 122.* Escobar *citat. n. 309.* Lezan. *in 323. q. q. Regul. tom. 4. Verb. Votum n. 14.* cum Reginald. & alii plures, quos citant.

323. Secundò sequitur, posse per Bullam commutari votum assumendi habitum Eremitarum, aut fœminarum, quæ vulgò *Beatæ* appellantur; etiamsi illi, & hæ aggregatim habitent, & omnes votum hujus status emittant. Quia cùm non sit votum Religionis approbatæ, reservatum non est. Ita Mendo, Bardi, *n. 184.* Sayr. Candid. Sanch. Soar. Sayr. Trullench. Escobar supra allatus *n. 308.* Lezan. *proximè* & alii *locis citatis*, & apud Leand. *nuper citat. & tom. 7. tract. 1. disp. 1. q. 97.* dum asserit, posse Episcopum hoc votum dispensare; nam ut sæpè diximus, vota quæ potest Episcopus jure ordinario dispensare, possunt per Bullam, aut Jubilæum commutari, ut videre est apud Gobat *tom. 2. tract. 3. n. 320.* quæ intelligenda sunt juxta dicenda *infra n. 333.*

SECTIO XXXIV.

An virtute Bullæ, commutari possint hæc tria vota reservata, quando ex urgenti necessitate, illa potest Episcopus dispensare?

324. IN primis suppono ex authoribus, nonnullos dari casus, in quibus potest Episcopus in aliquibus ex his tribus votis dispensare. Sic de voto Castitatis perpetuæ, aut Religionis, asserit Leand. *tom. 7. tract. 1. disp. 17. q. 117.* docere communiter D. D. & id certissimum pronuntiat. Doctores apud ipsum citati, sunt Sanch. *l. 8. de matr. disp. 9. n. 22. & l. 4. decal. cap. 40. n. 34.* Less. Petr. de Ledesm. Soar. Navarr. Henriq. Basilius, Trullench. Dian. Fagund. & alii, quos affert *tom. 2. de matrim. tract. 9. disp. 24. q. 21.* quibus addit Castr. Palao *tom. 3. tract. 15. disp. 2. de voto punct. 12. n. 4.* Bossium, & Tambor. Et enumerat sequentes casus.

325. Primum, posse dispensare, ut certum, cum habente votum Castitatis, aut Religionis, qui virginem violavit, & gravidam effecit, & non aliter, nisi illam ducendo, potest illius Virginis fama, & honor reparari; nec dispensatio Pontificia expectari potest; quia ex dilatâ dispensatione timetur à consanguineis impedium iri matrimonium, aut aliud grave scandalum; & citat D. D. *proximè* allatos.

326. Secundum, quando habens votum Castitatis, est morti proximus, & nisi fœminam duceret, relinqueret filios illegitimos; & citat pro hoc secundo casu Soar. Sanch. Castr. Palao. Tamborin. & Trullench. *q. 119.*

327. Tertium, si habenti votum Castitatis imineat periculum, seu rationabilis timor sæpè violandi votum; si Papæ expectetur dispensatio; & citat Castr. Palaum, & Tamborin. *q. 121.*

328. Quartum, quando in dictis tribus votis Ultramarino, Castitatis, & Religionis, urget necessitas postulans dispensationem; & pro paupertate, aut alia causâ non potest adiri Pontifex; & citat Soar. & Sanch. Palacium, & Petr. Ledesm. quamvis addat, hos D. D. advertere posse, huic necessitati subveniri, non dispensando, sed voti executionem suspendendo, quod in ea necessitate potest Episcopus. Sic *q. 122.* Et ex his aliqua adducunt etiam Bardi *part. 2. tract. 7. cap. 2. n. 132.* Moya *tom. 1. in select. tract. 2. disp. 1. q. 2. à n. 8.* usque *ad* 14. Gobat. *tom. 2. tract. 3. n. 321.* Lezan. *in q. q. Regul. tom. 4. Verb. votum n. 12.* & posse in prædictis Episcopum dispensare, etiamsi Nuntius possit adiri, docet idem Leand. cum Sanch. Soar. Avila, & aliis, *quæst. sequent. 123.* Hoc supposito.

329. Inquirimus: An in prædictis casibus possint ea vota reservata per Bullam commutari à Confessario electo? Pro parte affirmativa hæc militat ratio: Confessarius virtute Bullæ electus potest commutare omnia vota, quæ jure ordinario potest Episcopus dispensare, ut docent communiter D. D. apud Moyam *cit. n. 8.* & Bardi *n. 133.* Sed Episcopus dispensat in prædictis jure ordinario; nempe per facultatem antiquam, quam secundùm

jus

jus antiquum habebat ante reservationem Pontificiam ; quæ non videtur auferre jurisdictionem, & potestatem ab Episcopis in prædictis casibus : ergo in eisdem poterit confessarius ea vota commutare. Ita sentiunt Pasqualig. *de Jubil. q.* 306. cujus verba refert Moya *cit. n.* 16. cujus opinionem probabilem existimat Bossius *de tripl. jubil. sect.* 2. *cas.* 20. *n.* 25. dum contrariam, quam sequitur, appellat veriorem ; illam etiam tenent alii, quos tacito nomine refert. Rodrig. *in Bull.* §. 9. *n.* 118. Idem tenent Crousers. *in regul. S. Francisci cap.* 7. *lect.* 29. *fol.* 85. Fr. Ludovic. à Concept. *in exam. veritatis tom.* 1. *tract.* 1. *de matr. casu.* 30. *fol.* 102. Fr. Leand. à Murciâ in reg. S. Francisci *cap.* 7. *q.* 7. §. 2. *n.* 56. Fr. Francisc. Pichon. *in tract. matrimonii, disp.* 6. *cap.* 2. *sect.* 3. *n.* 136. *fol.* 396. omnes hi apud Moy. *citat. à n.* 16. *usque ad finem.*

330. Et hi postremi loquentes de privilegiis Regularium asserunt, posse illorum Prælatos, & confessarios ab illis deputatos prædicta vota reservata commutare, quando in illis Episcopi possunt dispensare. Unde etiam à fortiori dicerent, confessarios virtute Bullæ, aut Jubilæi, illa vota posse commutare ; quia sicut ea vota excipiuntur in privilegiis Regularium, ita etiam excipiuntur in Bulla Cruciatæ, & Jubilæo, & si non cerentur excepta in privilegiis Regularium in casu urgentis necessitatis, ita etiam eadem concurrente necessitate, non excipientur in Bulla, & Jubilæo, & hoc confirmatur, quia prædicti authores putant ea vota in casu urgentis necessitatis non esse reservata ; & cùm per Bullam, & Jubilæum confessarii possint vota non reservata, etiam possunt prædicta, commutare.

331. Dicendum tamen est cum communissima sententia, non posse confessarium virtute Bullæ electum, nec per Jubilæum, nec Regulares per sua privilegia commutare tria vota in Bulla excepta, etiam in casu urgentissimæ necessitatis, in quo Episcopus illa potest dispensare. Sic docent Soar. *dict. l.* 6. *de voto cap.* 26. *n.* 18. Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 15. *n.* 10. Basil. Pontius *l.* 8. *de matr. cap.* 10. *n.* 11. Rodrig. *supra citat. & in q. q. Regul. tom.* 1. *q.* 63. *art.* 6. Bossius *proxime* Laym. Henriq. Mirand. & alii, quos affert, & sequitur Lezan. *in summ. tom.* 3. *Verb. Bulla Cruciatæ n.* 36. *in fine, & tom.* 4. *Verb. votum n.* 21. quibus addo Dian. *part.* 6. *tract.* 6. *resol.* 50. Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 2. *n.* 136. Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 13. §. 3. *n.* 14. Moya *tom.* 1. *in select. tract.* 2. *q.* 2. §. *à n.* 12. Gobat *tom.* 2. *tract.* 3. *num.* 321. Escobar *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 285. *in fine* Ludovic. à Cruce *disp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 11. *n.* 2.

332. Ratio est, quia jurisdictio, quæ delegatur confessariis per Bullam electis, non extenditur ad casus in ipsa Bulla exceptos ; quamvis ad illos commutandos detur urgens necessitas ; nam potestas delegata non extenditur ultra casus concessos, nec de casu ad casum non expressum ; ut videre est apud Sanch. *l.* 3. *de matr. disp.* 35. *n.* 9. ergo cùm à commutatione votorum excipiantur in Bulla vota Ultramarinum, Castitatis, & Religiosis, ad illa commutanda, etiam in casu magnæ necessitatis non extenditur facultas in Bullâ concessa. Hæc ratio probat, etiam non posse vota excepta per jubilæum, vel per privilegia Regularium ab illis commutari, data etiam eâ urgente necessitate.

333. Quare non est certum illud principium, quo nititur contraria sententia : confessarii, virtute Bullæ, aut Jubilæi, & Regulares per sua privilegia possunt commutare omnia vota, quæ Episcopus jure ordinario potest dispensare. Quia si esset certum, non solùm probabilis, sed certissima esset opposita sententia. Etsi id principium sæpius ab authoribus asseratur, & à nobis in locis, intelligendum est de commutatione votorum, quæ ordinariè, & regulariter loquendo Episcopus dispensare potest ; non verò de illis, quæ dispensat ex quâdam urgente necessitate, de tacita Pontificis licentia.

334. Addo, etiam dato, quòd illa tria vota, in casu urgentissimæ necessitatis, non sint reservata, adhuc per Bullam, jubilæum, aut privilegia Regularium non posse commutari ; quia in Bulla non datur facultas ad omnia vota non reservata, aut reservata Episcopis, commutanda : sed tantùm conceditur facultas delegata ad vota quæcumque, Ultramarino, Castitatis, & Religionis votis duntaxat exceptis, &c. cùm ergo facultas delegata non extendatur ad commutanda vota excepta, sive illa sint reservata, sive non, non possunt, virtute Bullæ, commutari.

SECTIO XXXV.

An virtute Bullæ, possint commutari dicta tria vota excepta, quando ab habente potestatem dominativam possunt irritari ?

335. Vidimus *supra à n.* 22. posse parentes, tutores, maritos, & dominos aliquando voto filiorum impuberum, pupillorum, uxorum, & servorum irritare ; nunc quærimus : An quando tria vota Ultramarinum, Castitatis, & Religionis possunt à prædictis irritari, possit confessarius virtute Bullæ electus eadem vota commutare ? Affirmat Guttierr. *in q. q. canonic. l.* 2. *cap.* 22. *n.* 49. illius ratio est ; quia dicta vota sunt irritabilia à parentibus, tutoribus, viris, & dominis : ergo à fortiori erunt dispensabilia ab Episcopo : ergo si hoc concedatur ; etiam concedere debemus posse per Bullam commutari.

336. Dicendum tamen est cum certissimâ sententia, non posse ea vota per Bullam, aut Jubilæum, commutari, nec ab Episcopo dispensari. Ratio est, quia non rectè infertur à potestate irritandi potestas commutandi, vel dispensandi vota : nam potestas irritandi vota fundatur in dominio, quod pater habet super voluntatem filii impuberis, tutor super voluntatem pupilli, vir, & Dominus super voluntates uxoris, & servi : at potestas commutandi, & dispensandi vota, fundatur in jurisdictione Spirituali, quam habent in suos subditos Prælati : S. verò Pontifex non tollit potestatem dominativam, quam prædicti habent in subditos ; tollit tamen jurisdictionem à Prælatis inferioribus, ne commutent, aut dispensent prædicta vota : ergo quamvis parentes, tutores, &c. possint ea vota irritare, non benè infertur, quòd illa possint Episcopi dispensare, aut confessarii per Bullam, aut Jubilæum commutare. Ita asserunt Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 9. *n.* 4. *& l.* 4. *decal. cap.* 40. *n.* 27. *& 28.* Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *de voto cap.* 26.

26. *n.* 3. Malder. 22. *tract.* 10. *cap.* 5. *dub.* 10. *n.* 11. Castr. Palao *tom.* 3. *tract.* 15. *disp.* 2. *punct.* 12. *n.* 11. Faust. *in Thes. l.* 3. *q.* 57. Dian. 1. *part. tract.* 11. *resol.* 84. Bossius *de tripl. Jubil. sect.* 2. *casu.* 15. *n.* 2. Bardi *part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 2. *n.* 131. Mend. *disp.* 16. *n.* 134. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 3. *n.* 316. *in fine.* Escobar *in Theol. moral. l.* 7. *n.* 748. & alii.

DISPUTATIO XXII.

De privilegio comedendi carnes, ova, & lacticinia per Bullam concesso?

1. PRivilegium, quod in nostra Bulla sequitur explicandum, est circa esum carnium, ovorum, & Lacticiniorum; quod his verbis conceditur: *Praterea indulgemus, ut dicto anno durante, carnibus de consilio utriusque medici, temporibus jejuniorum, tam quadragesimalium, quam quorumcumque dierum totius anniversi, ac pro eorum libito ovis, & lacticiniis; ita quod, qui carnes comederint, servata in cæteris jejunii Ecclesiastici formâ, dicto jejunio satisfeciss censeantur.* Quæ verba in summario sic vertit Commissarius: *Item concede, durando odito anno, em os dias de jejum, assi da Quaresma, como em outros quaesquer de todo o anno, possam de conselho do medico, e confessor comer carne, divremente ouos, e conssas deleite, comtal declaracam, que osque comerem carne, satisfacam com a obrigacam do jejum, seguarda rem em tudo mais a forma do jejum Ecclesiastico.* Sic Commissarius.

2. Duo, includit privilegium: primum, edere carnes in diebus vetitis de consilio utriusque medici; secundum, edere ova, & lacticinia. In neutro convenit nostra Bulla cum Hispanâ; circa primum videbitur discrimen *infra n.* 10. Circa secundum, etiam non parvum datur discrimen, quia ab hoc privilegio vescendi ova, & lacticinia in Bulla Hispana communi, excipiuntur Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & alii inferiores Prælati, necnon omnes Regulares, & omnes presbyteri sæculares nisi sint sexagenarii, vel ordinum Militarium Regulares; hisamen, licèt non omnibus, succurritur per aliam Bullam, erogatâ aliâ eleemosyna, pro diebus Quadragesimæ usque ad majorem hebdomadam: At qui accipit Bullam Lusitanam, videlicet illius summarium, cujuscumque sit status, aut dignitatis, aliâ non erogata eleemosyna, potest ova, & lacticinia pro suo libito edere in omnibus Quadragesimæ diebus. Aliud discrimen est, quod accipientes Bullam in Hispania, extra illam hoc non possunt uti privilegio; at accipientes summarium Bullæ Lusitanæ ubique terrarum hoc possunt uti privilegio; dummodo cesset scandalum. Hæc, & alia plura in hac disputatione elucidabuntur.

SECTIO I.

Quid concedatur in Bulla circa esum carnium, supra jus commune?

3. IN præsenti clausulâ duo conceduntur, ut jam notavimus; primum circa carnium comestionem in diebus prohibitis; secundum circa ova, & lacticinia. De primo nunc agimus, & postea de secundo tractandum. Et quoad tituli quæstionem. Existimavit Riccius in addit. *ad* §. 6. *Bull. n.* 2. & Anton. Gomes *in Bull. clauf.* 7. *n.* 7. nullum circa comestionem carnium concedi privilegium, supra jus commune; sed tantùm per illud sedantur conscientiæ scrupulosæ, ut sæpius fieri solet à S. S. Pontificibus.

4. Et hoc probari potest: quia, vel Petrus est certus se posse comedere carnes ob infirmitatem, vel est incertus: si est certus, & de legitima causa constat, præscindendo à Bulla, potest tutâ conscientiâ illas comedere, ut tenet communis sententia cum Azor *tom.* 1. *l.* 7. *cap.* 12. *quæst.* 3. Sanch. *tom.* 2. *consil. l.* 5. *cap.* 1. *dub.* 5. *in fine*, & apud ipsum. Sylvest. D. Anton. & Angles, Quintanaduen. *tom.* 2. *de præceptis Eccles. tract.* 9. *singul.* 1. *num.* 1. & apud illum Bonac. & Trullench. Idem tenet. Mend. *in Bull. disp.* 17. *num.* 4. Si verò sit incertus, seu dubius, & Medicus solus corporalis dicat, posse comedere carnes; etiam illas sine Bulla potest comedere tutâ conscientiâ; ut tenet Sanch. *proximè cit.* Quintanaduen. *n.* 3.

5. Si autem Medicus dubitet de indigentia ad carnes comedendas, aliqui probabile putant posse Petrum illas comedere propter periculum infirmitatis grave, cui exponitur illas non comedendo. Sic Caramuel. *l.* 3. *Theol. moral. n.* 2395. quem refert, & sequitur Tambor. *l.* 1. *decal. cap.* 3. §. 7. *Verb. Jejunium, n.* 2. *& tract. de Bull. cap.* 8. §. 1. *n.* 1. *in fine:* ergo per hanc concessionem comedendi carnes diebus prohibitis, nihil aliud in Bulla conceditur; nisi privilegium ad conscientias sedendas.

6. Dicendum tamen est, per privilegium in Bullâ concessum ad carnes comedendas concedi duo valdè utilia, supra jus commune, aut consuetudinem universaliter receptam. Primum est, quando datur dubium comedendi carnes. Secundum, ut impleatur præceptum, & consequenter jejunii meritum: non tamen in his duobus conveniunt expositores Bullæ Hispanæ. Probatur, quoad primum, quia in dubio comedendi carnes diebus prohibitis, docent communiter D. D. recurrendum esse ad Episcopum, ut dispensat; & in ejus absentia ad parochum, & consuetudo obtinuit, etiam præsente Episcopo, & ejus Vicario, ut parochus dispenset; ut videre est apud D. Thom. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 3. *art.* 2. *ad ultimum, & 2.* 2. *q.* 147. *art.* 4. & ibi Cajet. Joann. Sanch. *in select. disp.* 51. Ludovic. Lopes *cap.* 6. *de Bull. & 2. part. instructor. cap.* 112. Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 4. *dub.* 1. *n.* 5. Azor *tom.* 1. *l.* 7. *à cap.* 17. Henriq. *l.* 7. *de indulg. cap.* 13. *à n.* 12. Fagund. *in* 4. *Ecclesia præcept.* & alii, quos referunt, & sequuntur Mendo *disp.* 17. *n.* 4. Pascalig. *decis.* 387. *n.* 3. apud Quintanad. *tom.* 2. *dict. tract.* 9. *singul.* 2. *n.* 6 Sed virtute Bullæ cessant

hæ dispensationes; quia sufficit consilium medici, & confessarii, ut patet ex ipsa Bulla: ergo valdè utile emolumentum concedit Bulla, dum liberat fideles ad recurrendum ad Episcopum, aut parochum pro dispensatione.

7. Addo cum Quintanad. *cit. n.* 3. Lopes *supra* minorem requiri causam ad comedendas carnes, virtute hujus privilegii, quàm requireretur sine Bulla, quod non displicet Bardi *part.* 2. *tract.* 3. *cap.* 1. *n.* 12. *in fine.* Hoc primum emolumentum, & utilitatem sentiunt concedi per Bullam, Henriq. *l.* 7. *cap.* 13. *n.* 12. Rodrig. *in addit ad* §. 6. *Bull. n.* 1. *in fine.* Joann. Sanch. *in select. disp.* 51. *à n.* 6. Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 4. *dub.* 1. *n.* 6. Ludovic. à Cruce *in exposit. Bull. disp.* 1. *cap.* 5. *dub.* 9. Villal. Anton. Gom. Lopes, Dian; & alii, quos citatos referunt, & sectantur Mend. *disp.* 17. *n.* 6. Bardi 2. *part. tract.* 3. *cap.* 1. *n.* 12. Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 8. §. 1. *n.* 2. Mendes *in Theol. moral. seu in Bull. fol.* 27. *n.* 63. *in principio* Quintanaduen. ubi *supra n.* 3. Escobar *in Theol. moral. l.* 7. *n.* 102.

8. Secunda utilitas, quæ supra jus commune, provenit ex hoc privilegio est, quòd ille, qui ex Consilio utriusque medici vescitur carnes in diebus jejunii, servando in reliquis formam jejunii, (nempe comedendo semel usque ad satietatem, & sumendo collationem serotinam) censeatur implere præceptum jejunii, & per consequens ipsum meritum jejunii. Ita habetur expressè in Bulla, ibi: *Ita quòd qui carnes comederint, servatâ in cæteris jejunii Ecclesiastici formâ, dicto jejunio satisfeciſſe censeantur.* Hoc autem meritum, quod ita jejunans consequitur, non est illud, quod consistit in actione personali, prout hoc procedit ab homine existente in gratia, & ad gloriam ordinato, sed impropriè, prout meritum sumitur pro satisfactione pœnarum, ut aliquando à D. D. usurpatur; quia ut inquit, Henriq. *l.* 7. *cap.* 13. *n.* 13. voluntas efficax illius, & affectus obedientiæ, ita acceptatur ab Ecclesia, ac si jejunaret; ac proinde ait Rodrig. *cit. dict.* §. 6. *n.* 1. *in addit.* Ecclesiam huic concedere, & applicare de thesauro suo satisfactionem jejunio correspondentem, ac si revera jejunaret. Sic Rodrig. *cit.* Trullench. *supra n.* 10. Tambor. & Mendes *locis citatis* Escobar. *n.* 106.

9. Et quamvis de essentia jejunii sit abstinentia à carnibus, ut cum D. Thom. & aliis docent Soar. *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 70. *sect.* 2. Sanch. *l.* 5. *Consil. cap.* 1. *dub.* 29. *n.* 1. *&* 3. & etiam in casu extremæ necessitatis, si alius non detur cibus, ut ait idem Sanch. *n.* 4. Filliuc. Laym. Fagund. Pascalig. & alii plurimi, quos congerit, & sequitur Leand. *tom.* 3. *tract.* 5. *disp.* 2. *q* 3. & colligitur ex verbis Bullæ; potuit tamen S. Pontifex concedere habentibus Bullam, ut qui de Consilio utriusque Medici carnes ederent, satisfacerent jejunio, si in reliquis formam jejunii servent. Sic Costa *q.* 80. *in principio.*

10. In hac secunda utilitate, quæ juxta Bullam Lusitanam est sine controversia; juxta Bullam Hispanam, illius non conveniunt expositores. Ratio hujus discordiæ est, quia in Bullis latinis ab his expositoribus in principio suorum operum adductis, continetur illa clausula *supra allata: Ita quòd, qui carnes comederint*, &c. in aliis verò Bullis non continetur; quia post B. Pium V. illa clausula cessavit; & etiam hac non existente, adhuc eum discrimine non parvo procedunt. Videantur Trullench. *dict. l.* 1. §. 4. *dub.* 1. *n.* 10. *in fine*, Bardi *part.* 2. *tract.* 3. *cap.* 1. *n.* 9. Mend. *disp.* 17. *n.* 11. *in fine.* Tambor. *tract. de Bull. cap.* 8. §. 1. *n.* 2. etiam *in fine*, Rodrig. *in addit ad* §. *n.* 1. & alii. Ex quibus aliqui nobiscum idem sentiunt, alii verò dissentiunt.

11. Adverto tamen, hoc privilegium extendi ad ferias sextas, & Sabbata; quia licèt non exprimatur in Bulla, ratio quæ datur pro diebus jejunii, etiam militat in his diebus, juxta *regul. Cui licèt, quod est plus, licet utique, quod est minus, de regul. jur. in* 6. quæ etsi aliquas patiatur exceptiones, ut videre est apud Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 1. *à n.* 32. quando tamen majus, & minus sunt ejusdem generis, regula valens in majori militat etiam in minori, ut tenet idem Sanch. *n.* 39. ergo licèt Bulla solùm loquatur de diebus jejunii, in quibus prohibetur carnium esus, etiam extendi censetur ad ferias sextas, & Sabbata in quibus idem esus prohibetur.

SECTIO II.

Quisnam veniat nomine utriusque medici *in dicto privilegio edendi carnes?*

12. SUmmarium Bullæ Lusitanæ rectè explicat particulam utriusque medici, de Confessario, & Medico, quorum unus dicitur medicus Spiritualis, & alter temporalis; & horum consilio posito, S. Pontifex concedit dispensationem comedendi carnes; & quòd consilium accipiens satisfeciſſe jejunio censeatur, si in cæteris formam servet jejunii.

13. Ex hac commissarii declaratione, sequitur primò contra Bardi *part.* 2. *tract.* 3. *cap.* 1. *n.* 17. non sufficere ad hoc consilium quemlibet sacerdotem non approbatum ab ordinario loci, ubi datur consilium. Ratio est, quia sacerdos non approbatus non dicitur confessarius, ut declarat Commissarius: nec etiam juxta Bull. Latinam, in qua apponuntur verba: *Utriusque medici*, potest intelligi sacerdos non approbatus per medicum Spiritualem; quia sacerdos actu non approbatus non potest curare pœnitentes: ergo nomine *Medici Spiritualis* intelligi non potest.

14. Nec satisfacit, dicere Bardi sufficere, quòd sit ex ordine sacerdotali, cui annexa est potestas absolvendi; & sic habere capacitatem recipiendi jurisdictionem pro foro Sacramentali. Non inquam satisfacit, quia requiritur, quòd actu sit medicus Spiritualis, sicut requiritur, quod alter medicus actu sit medicus temporalis; & sicut in hoc non sufficit habere capacitatem, ut sit medicus temporalis, si illam actu non habeat; ita etiam non sufficit habere proximam capacitatem ad jurisdictionem Sacramentalem non approbatum, si actu approbatus non sit. Et ita sentiunt expositores Bullæ Hispanæ Trullench. *l.* 1. §. 4. *dub.* 1. *n.* 8. & apud illum Joann. Sanch. *in select. disp.* 51. *n.* 9. Villal. *tract.* 27. *claus.* 6. *n.* 2. Rodrig. *in addit. ad* §. 6. *Bull. n.* 1. quibus addo Mend. *disp.* 17. *n.* 7. *in fine*, & in appendic. *disp.* 2. *cap.* 8. *per totum* impugnans Bardi. Idem etiam tenent Galleg. *in Bull. cap.* 6. *dub.* 45. Escobar. *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 103.

15. Nec etiam satisfacit Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 8. §. 1. *n.* 3. approbans sententiam Bardi,

ex

ex ea ratione ; quia non approbatus ab ordinario potest absolvere à venialibus, & dici absolutè confessarius. Quia non rectè procedit, quia non approbatus non dicitur absolutè confessarius. Nam dictio *confessarius* sumitur pro eo, qui confessiones potest audire, & peccata mortalia absolvere. Adde sacerdoti simplici non permitti confessiones Venialium audire ; ut videre est in Decreto authoritate Innocentii XI. de Communione quotidiana prope finem à nobis adducto *disp. 11. post. num. 42.*

16. Secundò assero, hoc consilium posse dari extra confessionem, & à confessario non proprio ; quia hoc secundum à nullo jure requiritur ; & primum non exigitur à Bulla, quòd sit in ipso actu confessionis, ut exigitur in absolutione à censuris, ut *supra* suis in locis ostendimus ; & ita ex Henriq. docent Villal. *dict. clausul. 6. n. 2.* Joann. Sanch. Trullench. Ludovic. à Cruce Bardi *n. 15.* Mend. *dict. n. 7. & 8.* Tambor. *dict. n. 3.* Escob. *proxime* & alii *locis citat.*

17. Tertiò assero per medicum corporalem, illum intelligi, qui corporibus medendis deputatus est, nam hic in propria significatione venit nomine *Medicus.* Sic Trullench. ubi *supra n. 8. in principio*, Mend. *dict. disp. 17. n. 9.* Escobar *citat.* Tambor. *dict. §. 1. n. 4.* addens ad hoc consilium sufficere illum, qui nec est Doctor, nec scientiam medicinam profitens, sed homo, vel etiam mulier in medicando ægroto experta, quod mihi non displicet ; & id etiam admittit de viro experto, Mend. *ibi.* nec hoc etiam negabit de muliere similiter experta.

18. Displicet tamen Bardi dicens, requiri ad prædictum consilium medicum gradu Doctoratûs insignitum ; & in illius defectu, ex præsumpta S. Pontificis intentione, consilium hominis periti in arte satis esse. Movetur ex litteris, quæ emanant à Sede Apostolica pro foro interno cum clausula, ut ille, qui dispensaturus est, sit Doctor in sacra Theologia, aut jure canonico ; & si huic deficiat gradus, dispensatio erit nulla ; nisi adsit privilegium, ut habet nostra Societas JESU. Et hanc doctrinam, & dispositionem Pœnitentiariæ applicat Bardi ad casum præsentem, asserendo dictum consilium, deficiente qualitate Doctoris, non esse qualificatum, eo modo, quo petitur à Bulla ; & hæc sua singularis opinio sibi ipsi non solùm videtur tutior, sed juri conformior, & opposita (inquit) nescio, an sit tuta, & practicè probabilis.

19. Displicet tamen primò, quia ad expediendas illas dispensationes, pro foro interno à S. Pontifice exigitur illa qualitas Doctoris, per hæc verba in ipso diplomate scripta : *Docto viro confessori Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario :* at in Bulla hæc qualitas Doctoris in utroque medico non exigitur.

20. Secundò, quia si qualitas Doctoris requiritur in medico corporali, etiam requireretur in medico spirituali ; quia S. Pontifex in Bulla æqualiter, & sine aliqua distinctione exigit utriusque medici consilium : sed hæc qualitas non requiritur in medico spirituali, ut docet idem Bardi, imò asserit sufficere non approbatum : ergo etiam requiritur in Medico corporali.

21. Tertiò, quia si ex praxi expediendi litteras Apostolicas, pro foro interno, colligit Bardi, hunc medicum debere esse graduatum in aliqua Academia, etiam ex praxi earundem litterarum, debebat colligere, Medicum Spiritualem oportere esse confessarium, sicut ab iisdem litteris exigitur : sed Bardi asserit, sufficere non approbatum : ergo etiam quamvis ab iisdem litteris exigatur qualitas Doctoris, non ex eo rectè infert, quod etiam exigatur ab eo, qui dat consilium ad carnes comedendas.

22. Quartò displicet, quia ut omnes (& ipsemet) concedimus, quòd nec Medicus spiritualis, nec corporalis dispensant, nec dant licentiam comedendi carnes vi hujus privilegii : sed S. Pontifex est, qui dispensat per Bullam, posito, tanquam conditione, utriusque Medici consilio : at confessor ex litteris Apostolicis est, qui dispensat pro foro interno : ergo quamvis ad hunc confessarium à S. Pontifice exigatur qualitas gradûs Doctoris ; non exinde sequitur quòd etiam requiratur ad Medicum, nec ad utrumque. Ex his rationibus sequitur sententiam Bardi, tanquam singularem, esse rejiciendam, & oppositam, tanquam communem, esse tutam, & amplectendam.

23. Quartò assero, utrumque Medicum, & spiritualem, & corporalem dantes Consilium comedendi carnes, non debere suas onerare conscientias, inclinando se timore, vel amore in favorem petentis Consilium ; ut rectè sentiunt Trullench. *cit. n. 9.* Mend. *dict. n. 9.* Escobar *n. 104.* cum Joann. Sanch. Nec peccat petens Consilium illis proponendo causam dubiam comedendi carnes ; quia ad petentem non pertinet causam examinare, sed ad utrumque Medicum. Sic D. D. communiter apud Trullench. *citat.* Peccabit tamen petens Consilium, si excedat licentiam à Medicis concessam : si enim illi concedatur licentia comedendi carnes tantùm per tres, aut quatuor dies in singulis Quadragesimæ hebdomadis, vel in ipsis diebus solùm semel in die ; non potest petens in aliis diebus, vel in cœna carnibus uti. Et hoc tenentur Medici declarare juxta petentis exigentiam. Sic Joann. Sanch. *dict. disp. 51. n. 14. & 15.* Trullench. *dict. n. 9. in fine.*

24. Hoc privilegio gaudent omnes habentes Bullam, cujuscumque sint status ; aut dignitatis : tam intra, quàm extra Regna Portugalliæ : at juxta Bullam Hispanam primum certum non est, aliis affirmantibus, & negantibus aliis ; ut videre est apud Trullench. *l. 1. §. 4. dub. 2.* Escobar *n. 107.* affirmantes ; & apud Bardi. *part. 2. tract. 3. cap. 1. n. 27.* & Mend. *disp. 18. n. 23.* id negantes. Secundum autem certum est : nempe, non posse habentes Bullam Hispanam, extra Hispaniam hoc privilegio vescendi carnes de Consilio utriusque Medici gaudere. Sic Mend. *disp. 17. n. 13. & 14.* & constat ex ipsa Bulla Hispana.

SECTIO III.

An aliquis dispensatus ad carnes comedendas, & pro suo libito, aliquo die eas non comedens, sed pisces, aut ova, teneatur eo die jejunare ?

25. IN duplici sensu potest hæc quæstio agitari : In primo, quando dispensatio fuit facta ratione infirmitatis, aut debilitatis. Et in hoc sensu conveniunt authores, non teneri jejunare eo die, quo carnes non comedit ; etiam si jejunium ejus saluti conduceret. Ratio est, quia etiam si pro suo

libito eo die jejunii abstineat à carnibus, adhuc in eo existit debilitas, aut infirmitas, quæ cum à jejunio excusat. Ita Sanch. *l.* 5. *consil. cap.* 1. *dub.* 30. *n.* 3. Trullench. *l.* 3. *decal. cap.* 2. *dub.* 2. *n.* 7. Dian. *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 189. & *part.* 10. *tract.* 13. *resol.* 43. *in fine*, & Baucius apud illum. Lambran. alio nomine author casuum conscient. Bononien. annt 1638. *casu* 2. *Mense Januarii. vers. ad primum quæsitum*, Pasqualig. *de jejun. decis.* 268. Megal. *tom.* 2. *resol. Variar. resol.* 153. *n.* 5. Leand. *tom.* 3. *tract.* 5. *disp.* 8. *q.* 34. Bard. *part.* 2. *tract.* 3. *cap.* 1. *num.* 53. Mend. *in appendic. ad Bullam disp.* 2. *n.* 38. Tamborin. *l.* 4. *decal. cap.* 5. §. 1. *num.* 4.

26. In secundo sensu: scilicet, quando fuit dispensatus ad edendas carnes, ob præservationem alicujus infirmitatis futuræ, majus est dubium. Prima opinio docet non teneri ad jejunium, eo die, quo pro suo libito pisces, aut ova vult comedere. Ita Lambran. *citat. vers. Respondeo secundò*, Pasqualig. *proximè decis.* 269. *n.* 4. Leand. *nuper adductus q.* 35. Mend. *supra allatus n.* 40. impugnans Bard. Idem sentit, ut probabile Tamborin. *loco citato.* Addunt aliqui ex cit. authoribus, idem esse dicendum de habente votum ad jejunium, si sit dispensatus ad vescendas carnes ob eandem causam.

27. Probant, quia per dispensationem ad vescendas carnes die jejunii tollitur obligatio jejunandi, quæ stare non potest cum carnis manducatione: ergo cùm sit dispensatus ad jejunium, per dispensationem ei factam comedendi carnes poterit non jejunare.

28. Confirmatur primò, quia hic potest sine peccato, postquam comedit, pisces, & ova, comedere carnes, quin peccet contra jejunium; quia ad carnes est dispensatus, & simul potest comedere pisces, & carnes, ut statim videbimus: ergo etiam in cæna loco carnium, quas poterat comedere, comedere poterit ova, & pisces non jejunando: non enim dabitur major ratio.

29. Confirmatur secundò, quia hic fuit dispensatus ob præservationem alicujus infirmitatis futuræ, quam illi causare poterant cibi quadragesimales suæ saluti valdè nocivi: ergo die illo, quo abstinet à carnibus, jam in suo stomacho habet illam causam valdè nocivam infirmitatis; nempe illos cibos nocivos: ergo ut infirmus non tenetur ad jejunium; quia etsi peccet illos quadragesimales cibos comedendo, ad jejunium non obligatur. Hæc sententia est probabilis.

30. Secunda tamen est probabilior: asseritque, dispensatum ad vescendas carnes, ob præservationem alicujus infirmitatis futuræ, & non ob virium debilitatem, eo die, quo pro libito abstinet à carnibus, teneri ad jejunium; si ipse dies sit jejunii. Ita sentiunt Sanch. *l.* 4. *Consil. cap.* 1. *dub.* 30. *num.* 2. Trullench. *l.* 3. *decal. cap.* 2. *dub.* 2. *n.* 7. Megal. *tom.* 2. *resol. Variar. resol.* 153. *n.* 5. Dian. 4. *part. tract.* 4. *resol.* 189. & *part.* 9. *tract.* 6. *resol.* 11. & *part.* 10. *tract.* 13. *resolut.* 43. Bardi *part.* 2. *tract.* 3. *cap.* 1. *n.* 54. ubi oppositam judicat parùm probabilem, & non tutam; sed non rectè, habet enim graves authores, & ratione non destituitur, & hi illam tuentur, & in praxi probabilem, & tutam reddere possunt.

31. Probatur igitur nostra secunda sententia: quia ideo hic fuit dispensatus ad carnes vescendas, ut ex bono nutrimento evitaret infirmitatem futuram, & non ad recuperandas vires, quia erat robustus, & poterat pati afflictiones jejunii: ergo si ex comestione piscium, seu ovorum, non habet nutrimentum carnium, & habet vires ad jejunandum, ad jejunium tenetur; quia jam cessat finis dispensationis. Confirmatur, quia in tantùm erat hic liber à jejunio, in quantùm ponebat conditionem incompossibilem cum jejunio, nempe comestionem carnium: sed ea conditio in præsenti casu non apponitur: ergo ad jejunium tenetur.

32. Ad hoc fundamentum, & confirmationem respondet Mend. Ad fundamentum negando, cessare dispensationem; quia, etsi ratio motiva in casu particulari non apponatur, non ideo cessat dispensatio; quia si dispensatus in jejunio ob debilitatem aliqua die abstineat à carnibus, & cœna illi noceat; non peccat contra præceptum jejunii. Sed contra; quia hic adhuc in se retinet causam motivam dispensationis, quæ fuit debilitas; at in robusto, de quo loquimur, non comedente carnes; pro suo libito, cessat ratio motiva, quæ fuit bonum nutrimentum.

33. Ad confirmationem negat antecedens; quia in tantùm est liber à lege jejunii, in quantum dispensatio relaxavit ei obligationem adimplendi legem. Sed contra, quia in tantum ei per dispensationem relaxata fuit obligatio abstinendi à carnibus: ergo si aliquo die ab illis abstineat, jejunii lex non est ei relaxata. Ex his, & ratione pro secunda sententia patet solutio ad ea, quæ pro opposita sententia afferuntur.

SECTIO IV.

An virtute Bullæ dispensatus ad carnes teneatur illas comedens ad jejunium, si dies jejunii sit?

34. Occasionem hujus quæstionis nobis offert nostra Bulla, in qua dicitur, comedentes carnes in diebus jejunii de consilio utriusque medici satisfacere jejunio, si in cæteris servent formam jejunii Ecclesiastici: quæ consistit in unica comestione, ut tenent omnes D. D. ut videre est apud Leand. *tom.* 3. *tract.* 5. *disp.* 4. *q.* 1.

35. Ut quæstioni satisfiat, præmittendus est ille duplex sensus, de quo *sect. præcedenti num.* 25. Nam si quis fuit dispensatus ad vescendas carnes, ratione alicujus infirmitatis, aut debilitatis; dicendum est non teneri ad jejunium. Ratio est, quia habet justam causam excusantem à jejunio, nempe infirmitatem, aut virium debilitatem, & ad illas recuperandas indiget alimento, & refectione repetita. Ita à Costa *q.* 81. Escobar *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 497. Et Abreus *de paroch. l.* 10. *sect.* 8. *n.* 599. illam dicit magis conformem rationi, principiis juris, ac nostræ Bullæ. Et idem tenentur docere, quos citavimus *præcedente sect. in principio*; cùm eadem, & fortior sit ratio de his dispensatis, quando pro libito abstinent à carnibus, ac cùm ab illis non abstinent.

36. Cæteram si quis dispensatus ad carnes vescendas ob præservationem infirmitatis futuræ, quia pisces illi erant nocivi; dubitatione non caret quæstio, maximè juxta nostram Bullam. Et in hoc sensu teneri ad jejunium, existimant Medin. *de jejunio q.* 4. A Costa *proximè cit.* Bonacin. *tom.* 2. *disp. ult. de præcept. Eccles. q.* 1. *punct.* 2. *n.* 3. & apud ipsum Less. *lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 45. Filliuc.

tract.

tract. 29. cap. 3. n. 53. & 63. Navarr. *in summ. cap. 21. num. 22.* Reginald. *tom. 1. l. 4. cap. 14. n. 168.* Rodrig. *in Bull. §. 6. n. 4.* & alii; his accedunt Fernand. *in exam. Theol. moral. part. 3. cap. 6. §. 5. n. 3.* Petr. de Ceriedo *in q. 9 Canon. 40. n. 6.* Ortiz *in summ. cap. 19. n. 20.* quos refert Dian. *part. 1. tract. 9. resol. 25.* qui hanc sententiam dicit probabilem.

37. Probatur quia in jejunio duo præcepta distincta includuntur: Unum negativum, quod consistit in abstinentia à cibis vetitis, nempe à carnibus; alterum affirmativum, quo præcipitur unica comestio: Sed per Bullam censetur quis dispensatus ad primum, de consilio utriusque Medici, non tamen ad secundum; quia cum carnibus potest jejunare, unica tantùm comestione contentus, ut concedit Bulla: ergo ad jejunium tenetur.

38. Confirmatur, quia nemo deobligatur ab observantia alicujus præcepti, quando illud in parte potest adimplere: Sed nulla datur ratio, cur non possit impleri; quia forma jejunii non est physica, aut mathematica, sed partim ex præcepto, & partim ex consuetudine Ecclesiæ introducta; & S. Pontifex potest, & præcepta, & consuetudines Ecclesiasticas modificare, & de facto illas modificat, concedendo dispensatis ab eo, cùm datur consilium utriusque Medici comedendi carnes, ut simul satisfaciant jejunio: Deinde comestio carnis solùm conceditur dispensato ob detrimentum, quod ex piscium comestione nascitur, & non ob virium debilitatem; quia censetur robustus: ergo unica carnium comestione debet esse contentus, & sic satisfacere jejunio.

39. Neque dicas: Abstinentia à carnibus est de essentia jejunii, ut cum communi D. D. jam *supra* notavimus: ergo qui vescitur carnibus, jejunare non tenetur. Non inquam hoc dicas, quia cum comestione carnium stare potest jejunium: ut patet in eo, qui in extrema necessitate carnes edit, ex eo quòd alium non habet cibum; qui tenetur jejunare, ut ex Abulens. *cap. 6. Matthæi q. 171.* & Henriq. *l. 7. de indulg. cap. 13. n. 12.* tenet Sanch. *l. 5. consil. cap. 1. dub. 29. n. 4.* sic enim hic tenetur ad jejunium, non obstante carnium comestione, à fortiori ad jejunium tenebitur ille, qui ad commestionem carnis est dispensatus à S. Pontifice, per Consilium utriusque Medici, quando fuit dispensatus ob præservationem infirmitatis futuræ, & non ob infirmitatem, vel debilitatem virium. Hæc sententia mihi videtur valdè probabilis.

40. Probabilior tamen est opposita; & suadetur ex D. D. n. 9. allatis; Quia abstinentia à carnibus est de substantia jejunii: ergo qui ad illas comedendas dispensatur, dispensatur in jejunio. Et quamvis per Bullæ privilegium possit jejunio satisfacere, servando formam jejunii, ad id tamen non obligat privilegium. Ita Escobar. *supra n. 499.* & idem sentiunt de habente privilegium comedendi carnes die jejunii, Cajet. 2. 2. *q. 147. art. 8.* Lamas. *in summ. part. 3. cap. 4. §. 26.* Ledesm. *in summ. tom. 2. tract. 17. cap. 2. conclus. 5.* Joann. de la Cruz. *in direct. conscient. part. 1. precept. 4. art. 4. dub. 8. conclus. 3.* Gomes. *in Bull. claus. 7. n. 4.* Filliuc. *tract. 27. part. 2. cap. 3. n. 25.* Henriq. *l. 7. cap. 13. n. 12.* Azor. *part. 1. l. 8. cap. 10. quæst. 3.* Cardin. Tolet. *l. 7. cap. 3. n. 4.* & alii, quos refert, & sequitur Dian. *supra.*

41. Dices: qui habet Bullam, tenetur diebus festis audire missam tempore interdicti, ut cum communi sententia diximus *disp. 11. sect. 16. n. 110.* ex eâ ratione, quia per Bullam removetur impedimentum, quod dabatur ad illam audiendam sed etiam in præsenti removetur impedimentum quod datur ad jejunium cum comestione carnium; quia cum comestione carnium satisfit jejunio; ut in Bulla conceditur: Ergo sicut ille tenetur ad audiendam missam tempore interdicti, etiam tenebitur ad jejunium, comedendo carnes. Respondeo, negando consequentiam, dispar ratio est: Quia tempore interdicti, ablato impedimento per Bullam, nulla datur excusatio audiendi missam: ergo debet audiri: at per dispensationem comedendi carnes die jejunii, non tollitur, essentiam jejunii consistere in abstinentia à carnibus, licèt per Bullam concedatur servatâ formâ jejunii, jejunio satisfieri; quod quidem est magnum privilegium, juxta ea, quæ diximus *supra sect. 1. n. 8.* Hæc tamen concessio, cùm sit privilegium, non obligat dispensatum ad jejunium.

42. Ad fundamentum opinionis contrariæ *n. 37.* respondeo, concedendo illa duo præcepta in jejunio esse distincta, & negando, per Bullam censeri illam habentem dispensatum ad carnes, & non ad jejunium, in quantùm censetur dispensatus ad carnes comedendas; quòd autem concedatur meritum jejunii, si servetur in cæteris forma jejunii, hoc est privilegium, quod invitum non obligat.

43. Ad confirmationem *n. 38.* respondeo, negando, posse in parte adimplere præceptum jejunii, comedendo carnes; quia jejunium præcipitur sub forma abstinendi à carnibus, & cum unica comestione; & si una ex eis tantùm deficiat, corruit forma jejunii, sub qua jejunium præcipitur. Imò addit Bardi *part. 2. tract. 3. cap. 1. n. 31. in fine*, si quis vovisset jejunium in pane, & aqua, & sub hac forma illud servare nequeat, non teneri jejunare modo consueto; quia hoc modo jejunando, non servat formam jejunii in pane, & aqua, quod promisit.

44. Ad id quod adducit Sanch. ex Abulens. & Henriq. respondeo cum eodem Sanch. ibi verius esse non teneri jejunare; quia cùm abstinentia à carnibus sit de essentia jejunii; undecumque proveniat illarum manducatio, jejunium cum illis stare non potest.

SECTIO V.

An dispensatus ad carnes vescendas diebus prohibitis possit etiam comedere nocivas, & simul cum carnibus pisces.

45. QUoad primum, negat Joann. de la Crus. in director. consc. *part. 1. precepto 3. art. 14. dub. 8. n. 3.* Movetur, quia dispensatio non extenditur ad carnes saluti nocivas; nam ideo quispiam dispensatur ad carnes comedendas, quia pisces illi sunt nocivi: Sed caro porcina, & aliæ aliquorum animalium, seu altilium, ut pro comperto habet, illi sunt nocivæ: ergo illas comedere non potest; quia ad illas non extenditur dispensatio.

46. Communis sententia tenet, non peccare contra legem jejunii, quamvis peccet contra præceptum naturale temperantiæ, utendo cibo saluti suæ nocivo, vel graviter, vel leviter juxta quan-

titatem cibi, aut nocumenti corporalis. Ita Sanch. *l. 8. de matr. disp. 1. n. 39.* & clariùs *l. 4. decal. cap. 21. n. 57.* Joann. Sanch. *in select. disp. 51. n. 20.* Villal. *tract. 23. diff. 8. n. 11.* Trullench. *in Bull. l. 1. §. 4. dub. 2. n. 2. & in decal. l. 3. cap. 2. dub. 2. n. 9.* Vivald. *in supplem. ad candelab. cap. 11. n. 37.* Dian. *1. part. tract. 9. resol. 47.* Pasqualig. *de jejun. decis. 46. n. 4.* Bardi *part. 2. tract. 3. cap. 1. n. 44.* Tambor. *l. 4. decal. cap. 5. §. 1. n. 8.* & alii.

47. Probatur, non peccare contra legem jejunii, quæ prohibet comedere carnes: quia lex jejunii Ecclesiastici prohibet carnes: sed per dispensationem ad comedendas carnes cessat hæc lex in dispensato: ergo quamvis comedat carnes nocivas, nempe lardum, leporem, hædum, bovem, & alias in formis nocivas, contra legem Ecclesiasticam non peccabit. Peccabit tamen contra legem temperantiæ; quia tenetur abstinere ab his, quæ saluti propriæ sunt nociva, quia propriæ vitæ non est dominus; si tamen hæc nociva sumantur in parva quantitate ad appetitum excitandum, tunc non peccabit contra legem temperantiæ; ut ex Henriq. tenet Dian. *citat.*

48. Ad rationem, pro sententia Joan. de la Cruz. *n. 45.* respondeo, dispensationem non extendi primariò, & per se ad carnes nocivas; quia primariò fuit is dispensatus ad certum genus carnium, v. g. ad gallinas, aut arietem: At secundariò ad nocivas extenditur; quia cùm prohibitio Ecclesiæ sit individua omnium carnium, concessa dispensatio ad certum genus censetur etiam concessa ad omnes alias, quamvis nocivas; & cessante præcepto quoad unum genus carnium, cessat etiam quoad omnes.

49. Circa secundum in titulo propositum, sunt aliqui docentes, esse peccatum comedere in eodem prandio simul carnes, & pisces. Sic Navarr. *l. 3. consil. tit. de observant. jejunii in antiquis cons. 5.* Graff. *in decis. part. 1. l. 2. cap. 37. n. 59.* Lavor. *de Jubil. par. 1. cap. 20. n. 2.* Probant, quia vel potest comedere pisces absque notabili damno, vel non: Si potest, malè fuit dispensatus ad carnes, si secundum, peccat illos concedendo. Addit tamen Navarr. non esse mortale, si parum piscis comedat, quia parùm ei nocebit; sed veniale, quia superfluè, & cum aliquo damno id parum comedit.

50. Rodrig. tamen *in Bull. §. 6. n. 5.* asserit, dispensatum ad vescendas carnes, eo quòd pisces illi sunt nocivi, non posse illos comedere, nisi sit ad excitandum appetitum; & addit posse simul cum carnibus comedere unam trutam, vel aliud piscatum æquè sanum, ac ipsam carnem.

51. Communis sententia tenet, posse dispensatum ad carnes manducandas, simul cum illis comedere pisces. Sic Henriq. *l. 7. cap. 13. n. 13.* Angles. *in floribus q. 9. de jejunio art. 1. diff. 6.* Azor. *tom. 1. l. 7. cap. 10. quæst. 5.* Villal. *in summ. tom. 1. tract. 23. dub. 8. n. 10.* Fagund. *in 4. præcept. Eccles. l. 1. cap. 2. n. 18.* Filliuc. *tract. 27. part. 2. cap. 3. n. 55.* Trullench. *l. 3. decal. cap. 2. dub. 2. n. 9.* Pasqualig. *de jejun. decis. 47.* Dian. *part. 1. tract. 9. resol. 26. & part. 3. tract. 2. resol. 70. Vers. Nota etiam,* Vega. *tom. 1. cap. 4. casu 17.* A Costa *in Bull. q. 80. Vers. si autem quæras.* Reginald. *tom. 1. l. 4. cap. 14. n. 168.* Nugn. *in addit. ad 3. part. tom. 2. tract. de Bull. §. 8. dub. 4.* Fernand. *in exam. Theol. moral. part. 3. cap. 9. §. 5. n. 3.* Ortiz *in summ. cap. 19. n. 18. & 19.* Tambor. *l. 4. decal. cap. 5. §. 1. n. 6.* Mend. *disp. 17. n. 2.* Bardi *part. 2. tract. 3. cap. 1. n. 47.* Quintanad. *tom. 2. tract. 9. singul. 2. n. 28. & 9.* Escobar. *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 108.* & Sanch. *l. 5. consilio cap. 1. dub. 14. n. 6.* idem asserit; additque, peccare peccato gulæ, si pisces ei noceant, vel si superfluè illos comedat, vel peccato scandali, si alios in hoc scandaliset; vel si fortè aliquod sit statutum, quod prohibeat, quòd simul hæc comedantur; & *n. 7.* etiam addit, in prædictis non peccare, si parum piscis simul comedat ad excitandum appetitum; at si hoc excitamento non indigeret, peccare.

52. Hæc sententia est probabilior. Et suadetur, quia pisces non prohibentur vesci ab Ecclesia illis, qui sunt dispensati ad carnes manducandas, sive ob debilitatem, aut infirmitatem, aut præservationem mali futuri: ergo si simul ab his dispensatis comedantur pisces cum carnibus, non peccant contra præceptum Ecclesiæ, ut per se patet; unde solùm peccabunt contra præceptum naturale temperantiæ, si pisces sint nocivi, eo modo, quo à Sanch. & aliis *supra* explicatur. Et ex hac nostra ratione, patet solutio ad fundamentum Navarri: nam si pisces sanitati sunt nocivi, non peccat dispensatus contra præceptum Ecclesiæ, sed solùm contra temperantiam.

SECTIO VI.

An ova, & lacticinia sint ipso jure prohibita sub mortali, in jejuniis Quadragesimæ?

53. POst privilegium comedendi carnes de Consilio utriusque medici, sequitur, ut dicamus de privilegio comedendi ova, & lacticiniis temporibus jejuniorum quadragesimalium, & aliorum totius anni. Præmittendæ tamen sunt aliquæ quæstiones, ex quibus prænoscamus, quæ contra jus commune per Bullam concedantur.

54. Inquirimus igitur primò: An ova, & lacticinia per jus commune sint prohibita sub peccato mortali in jejuniis quadragesimæ? Prima sententia asserit non esse prohibita sub peccato mortali, sed tantùm sub veniali; ita Dominicus *in cap. Denique 6. & ult. dict. 4.* Glos. *in eodem cap. Denique.* Palatius *supra Cajet. in summ. verb. jejunium cap. 4.* Innocent. *in rubric. de observatione jejunii*, Ferdinand. Peres, Jacobus de Geyneros, Baptista Fragos. omnes in manuscriptis, Allegon. *in dict. cap. Denique Gratian. ad finem dicti cap.* item Academiæ Conimbricensis, & Eborensis D. D. & omnes ferè Episcopi hujus Regni, & celebriores Doctores, & Magistri Salmanticenses, & Complutenses, quos refert, & sequitur Fagund. *in 4. Eccles. præcept. l. 1. cap. 2. n. 6 10. & 12. in l. edit. & in 2. Lugdunens. anno 1632. late à n. 15. usque ad 36.* His accedunt Pellizar. *tom. 1. tract. 5. cap. 5. n. 19.* Fr. Ludovic. à Concept. & D. D. Franciscus Verde, quos refert Amedæus apud Moyam *tom. 1. in select. tract. 6. disp. 5. q. 2. n. 5.* Pro hac etiam sententia citari potest Pasqualig. *in praxi jejun. decis. 71.* apud Leand. *tom. 3. tract. 5. disp. 3. q. 2.* nam licèt ipse Pasqualig. asserat non esse recedendam à contraria sententia, propter authoritatem D. D. qui illam sequuntur; illam tamen probat variis rationibus, quas non solvit,

vit, cum solvat contrarias. Idem videtur sentire Tamborin. *l. 4. decal. cap. 5. §. 1. n. 23.* & probabilem dicit Mend. *in flatera opinion. Benig. dissert. 8. quæst. 3. num. 14.* saltem ob authoritatem D. D.

55. Probant primò, quia si in aliquo jure hæc ovorum, aut lacticiniorum daretur prohibitio, esset *in cap. Denique 6. ult. distinct. 4.* per hæc verba: *Par autem est, ut quibus diebus à carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam carnis trahunt originem, jejunemus.* A lacte, videlicet, caseo, & ovis: sed dictio *par est* non importat præceptum; quia significat æquum, & justum, ut ibi explicat Glossa & Barbos. *de diction. 244. n. 2.* quæ non est præceptum: ergo ipso jure non prohibentur ova, & lacticinia.

56. Neque dicas, etiam prohiberi in 6. Synodo Constantinopolitana generali anno 681. in qua canon. 56. dicitur: *Accepimus in Armeniorum regione, & in aliis locis in Sabbatis, & Dominicis Sanctæ quadragesimæ, quosdam ova, & caseum comedere; visum est ergo, ut omnis Dei Ecclesia, quæ est in universo terrarum orbe, unum ordinem sequens, jejunium perficiat, & abstineant, sicut ab omni mactabili, sic & ab ovis, & caseo: quæ quidem sunt fructus, & fœtus eorum à quibus abstinemus. Si autem hoc non servaverint, si sunt clerici deponantur, si laici, segregentur.*

57. Non enim hoc dicas; quia hic textus nullius est authoritatis, cùm hos canones ediderint peculiares quidam Episcopi non omnino Catholici: ex eo quòd asserant, Ecclesiam Constantinopolitanam esse supra Romanam, ut docent Azor. *tom. 2. l. 1. cap. 16.* Tamborin. *proximè dict. n. 23. in fine.* Canus *de locis cap. ult.* Turrian. *l. de canonib. sexta Synodi*, Sanch. *l. 5. consil. cap. 1. dub. 19. n. 1.* Pasqualig *supra*, Sot. Surius, Banèz, Cardin. Bellarmin. quos affert, & sequitur Barbos. *in collect. in 1. part. Decreti cap. sextum n. 2. & 3.* & latè Baronius *tom. 8. anno 622. fol. 611. & sequentibus.*

58. Probant secundò: *ex cap. Rogationes, de consecrat. dist. 3.* ubi dicitur triduo litaniarum, esse jejunandum, & quadragesimalibus cibis utendum: sed in illis tribus diebus, quando jejunium in illis servabatur, licitè ova, & lacticinia vescebantur, quia juxta communem sententiam non sunt de jure prohibita extra quadragesimam: ergo etiam nunc in quadragesima non sunt jure prohibita.

59. Probant tertiò, quia non sunt multiplicanda præcepta sub mortali, nec extendenda, nisi de illis in jure, vel sacris canonibus clarè constat, *juxta regul. Odia sunt restringenda, &c. Pœna coercenda, &c. Benignior in pœnis est interpretatio facienda, &c. de Regul. vir. in. 6.* Sed in jure non datur clarè præceptum sub mortali abstinendi ab ovis, & lacticiniis in quadragesima: ergo non est dicendum, dari id præceptum.

60. His, & aliis, quæ à prædictis authoribus adducuntur, non obstantibus, dicendum est, ex prædicto *cap Denique*, ova, & lacticinia esse prohibita sub mortali in jejuniis Quadragesimæ. Moveor primò; quia ad cognoscendam obligationem legis sub mortali, aut veniali, maximè attendenda est D. D. interpretatio, ut docent Soar. *l. 6. de legib. cap. 1. n. 5.* Baldell. *in Theol. moral. l. 5. disp. 22. n. 7.* & alii, sed D. D. communiter dicunt *cap. Denique* continere præceptum sub mortali, abstinendi ab ovis, & lacticiniis tempore Quadragesimæ: Ergo hac interpretatione standum est, dum alia legis conditoris, vel successoris non datur, cùm illius sit interpretari, cujus est condere.

61. Secundò, quia authores oppositæ sententiæ maximè Fagund. concedunt in dicto *cap. denique*, prohiberi ova, & lacticinia in Quadragesima: ergo si prohibentur, non est sub veniali, nam materia est gravis, sed sub mortali. Hæc ratio, quæ est efficax contra Fagund. non est contra Pasqualig. qui *n. 10.* asserit, in eo capite *Denique* nullum dari præceptum, sed in eo proponi, quod est conveniens. Sed contra hoc dictum stat communis D. D. interpretatio, ut dixi *n. precedente.*

62. Tertiò, & efficaciter, quia illius est legem interpretare authenticè, cujus est condere: ergo Ecclesia habet potestatem interpretandi suas leges authenticè. Sed Ecclesia tanquam interpretationem legitimam designavit consuetudinem, *in cap. cùm dilectus, de consuetudine:* ibi: *Consuetudo est optima legum interpres* & consonat jus civile *in l. Imperator ff. de legibus:* Ergo interpretatio ex consuetudine est authentica: ergo si detur consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in quadragesima, rectè infertur *cap. denique* obligari sub mortali ad illa non comedenda: sed hæc consuetudo datur: quia S. Pontifex Alexander VII. in suo decreto die 18. Martii anni 1666. hanc damnavit propositionem: *Non est evidens, quòd consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget:* Ergo si datur consuetudo, ut certo datur, ut patet ex damnatione dictæ propositionis, ex jure *in cap. denique* datur obligatio non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima; quia consuetudo, quæ datur, hoc jus sic est interpretata. Vide Soar. *de legibus cap. 17.* Cardin. *in select. tract. 3. disp. 23. a n. 19.* Moya *etiam in select. tom. tract. 6. disp. 5. q. n. 5.*

63. Hanc communem sententiam secuti sunt septem supra 30. D. D. quos refert, & sequitur Pasqualig. *supra cis. dict. decis. 71.* & alii plures, quos referunt, & sequuntur Joann. Sanch. *in select. disp. 51. n. 18.* Leand. *tom. 3. tract. 5. disp. 3. q. 2.* Bossius *de jubil. sect. 4. cas. 18. n. 20.* quibus addo à Costa *in Bull. q. 97. vers. Cibi autem* Bardi *part. 2. tract. 3. cap. 2. sect. 1. per totam* Mend. *in Bull. disp. 18. n. 1. & 28. & in flatera, dissert. 8 à n. 11.* Mendes *in Bull. fol. 30. n. 65.* & alii. Ad fundamenta oppositæ sententiæ facilè respondetur ex dictis in hac tertia ratione, pro communi, & nostra sententia.

SECTIO VII.

An ex ipso jure communi sint prohibita ova, & lacticinia in diebus Dominicis quadragesimæ?

64. CIrca hanc quæstionem duplex circumfertur sententia, prima asserit, non esse prohibita ipso jure ova, & lacticinia in diebus Dominicis quadragesimæ. Sic Gomer *in Bull. clausul. 7. n. 7.* Lamas 3. *part. Methodi cap. 5. §. 26. pag. 50.* Cordub. *in summ. q. 268.* Pasqualig. *in praxi jejun. decis. 72.* D. Didacus Narbon. *tom. de ætate, anno 60. q. 3. n. 3. & 4.* Machad. *in summ. l. 2. part. 4. tract. 3. docum. 4. n. 4.* diluit,

cens, hanc opinionem esse communem, sed non rectè: quos omnes citatos sequitur Leand. *tom. 3. tract. 5. disp. 3. q. 7.* Escobar. *in summ. moral. tract. 1. Examen. 17. cap. 3.* at *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. 502.* oppositam defendit esse veriorem, & hanc satis probabilem judicat. Hanc etiam tuentur Mend. *in Bull. disp. 18. n. 26. & in appendic. disp. 2. cap. 12. per totum, & disp. 5 cap. 4. etiam per totum.* Joan. Henriq. *in q. q. practicis sect 46. q. 8.* Martin. de S. Joseph. *in monit. confess. tom. 1. l. 2. de jejuniis tract. 4.* & non esse improbabilem, asserunt Trullench. *l. 3. decal. disp. 2. dub. 2. n. 3.* Ludovic. à Cruce *in Bullam cap. 5. dub. 18. n 5.* Mendes. *fol. 30. n. 65.* & non esse damnandam, dicunt Joann. Sanch. *in select. disp. 11. n. 25.* Dian. 1. *part. tract. 11. resol. 5. &* Lezan. *tom. 3. Verb. Bulla Cruciatæ n. 16.* ut probabilem illam sequitur.

65. Probant, *ex cap. Denique, 6. dist. 4.* in quo excluduntur dies Dominici Quadragesimæ ab abstinentia lacticiniorum: ergo cum in hoc textu excipiantur lacticinia, & alius non detur in quo præcipiatur abstinentia ab ovis, & lacticiniis, per jus non sunt prohibita. Antecedens, in quo est tota difficultas, probatur ex verbis ipsius capitis: nam Episcopus Anglorum quæsivit à Pontifice Gregorio, an Quadragesimalis abstinentia servanda esset in Dominicis Quadragesimæ? Et Pontifex respondet negativè, etiam quoad carnes, per hæc verba: *De ipsa verò die Dominica hæsitamus, quidnam dicendum sit, cùm omnes, & laici, & seculares illâ die plus solitò cæteris diebus accuratiùs cibos carnium appetant, & nisi novâ quadam aviditate, usque ad medias noctes se ingurgitent, non aliter se hujus sacri temporis observationem suscipere putant, quod utique non rationi, sed voluptati, imò cuidam mentis cæcitati adscribendum est. Unde nec à tali consuetudine averti possunt; & ideo cum venia suo ingenio relinquendi sunt, ne fortè pejores existant, si in tali consuetudine prohibeantur, ut enim ait Salomon, qui multum emungit, elicis sanguinem.* Cùm ergo S. Pontifex diebus Dominicis carnes non prohibeat, etiam non prohibet ova, & lacticinia.

66. Probant secundò ex eodem *cap Denique*; quia, ut inquit Glossa. Interrogatus fuit S. Pontifex in tertia part. hujus capitis: An tempore jejuniorum sit abstinendum ab ovis, caseo, & lacte? Et respondet Gregorius, quod sic. Ex qua responsione, sic stabilitur hæc sententia: Dies Dominici Quadragesimæ non sunt dies jejunii: ergo per *cap. Denique*, in illis non prohibentur ova, & lacticinia.

67. Nihilominus probabiliorem existimo secundam sententiam asserentem, ova, & lacticinia in Dominicis Quadragesimæ esse prohibita ipso jure *in cap. Denique.* Ita sentiunt Sanch. *l. 4. decal. cap. 11. n 53. & l. 5. consil. cap. 1. dub. 19. n. 3.* Joann. Sanch. Trullench. Ludovic. à Cruce, Lezan. Mendez *supra citati.* Et ipse Lezan. etiam verb. jejunium *n. 3.* Palat. Cajet. Angles Henriq. Covarr. Villal. Vega. Lopes. Barbos. apud Leand. *super* Dian. *proximè citat. & part. 3. tract. 6. resol. 8. vers. Notandum. 3. & part. 10. tract. 11. resol. 46.* Escobar. *proximè citatus.*

68. Probatur primò à Sanch. quia in dict. *cap. Denique*, prohibentur ova, & lacticinia in Quadragesima: at dies Dominici sunt dies Quadragesimæ, ut constat *ex cap. Quadragesima, de consec. dist. 5.* ubi dicitur. *Diebus Quadragesimæ esse jejunandum, præter dies Dominicos.* Hoc tamen fundamentum non est efficax; quia ut ait Gloss. *in 3. part. illius capitis*, S. Pontifex non fuit interrogatus, an in diebus Quadragesimæ sit abstinendum ab ovis, & lacticiniis? Sed an tempore jejuniorum, sit abstinendum ab ovis, & lacticiniis: at dies Dominici non sunt dies jejuniorum.

69. Probatur secundò à Joann. Sanch. Trullench. & Bardi; quia in dicto *cap. Denique*, sermo erat de Quadragesima, & in illis diebus declarat S. Pontifex, in quibus abstinemus à carnibus, ab omnibus quoque, quæ sementinam à carnibus trahunt originem, jejunemus, à lacte videlicet, caseo, & ovis: at abstinemus non solùm in diebus jejuniorum, sed etiam in Dominicis Quadragesimæ. Sed hæc ratio etiam non conficit intentum; quia interrogatio Episcopi non fuit de diebus Dominicis, sed de diebus jejuniorum, ut *supra* notavimus. Et dato quòd ova, & lacticinia prohiberentur; quia dies Dominici sunt dies abstinentiæ à carnibus, id non provenit ex ipso *cap. Denique*, in quo diebus Dominicis permittitur edere carnes, ut vidimus *supra*, & statim in solutione fundamenti primi, pro prima sententia, videbimus.

70. Probo igitur hanc sententiam, quia Sacra Congregatio S. Officii, & S. Congregatio Indicis mandarunt, expungi primam sententiam à quodam libro: quod factum fuit, teste Dian. *part. 10. tract. 11. resol. 46.* & cùm fidem præstet Dianæ. Mend. *citat. dict. disp. 5. appendicis cap. 4. n. 33.* ego etiam illi do fidem.

71. Ratione probatur; quia textus *in cap. Denique*, jam supponebat illicitam comestionem carnium à laicis etiam exercitam in diebus Dominicis. Et quamvis illam permittat Pontifex; non illam excusat à culpa, ut ostendam *n. sequenti.* Et cùm sermo sit de Dominicis Quadragesimæ, & in tertia parte hujus textûs S. Pontifex respondeat; in diebus, quibus abstinemus à carnibus, ab omnibus quoque, quæ sementinam à carnibus trahunt originem, debere nos jejunare. Evidenter sequitur ipso jure in Dominicis diebus debere nos abstinere à lacticiniis; non quidem immediatè id statuendo, sed ex consequentia. Nam respondendo ad jejunia de quibus interrogatus fuerat juxta glossam, doctrinam exhibuit circa dies Dominicas; & ideo non dicit, Diebus, in quibus jejunamus, *sed in quibus à carnibus abstinemus.*

72. Ad primum fundamentum primæ, & contrariæ sententiæ *num. 63.* respondet Bardi *num. 52.* S. Pontificem solùm loquutum fuisse de Dominica Quinquagesimæ, in qua incipiebat jejunium; & circa ova, & lacticinia pro Dominicis Quadragesimæ nihil disposuit in ea secunda parte illius textus, sed in tertia; in qua statuit, ut in diebus Quadragesimæ, in quibus abstinemus à carnibus, abstinemus etiam à lacticiniis.

73. Sed illum impugnat Mend. & rectè, quia in Dominica Quinquagesimæ, tam laici, quàm clerici carnes vescebantur, & in ea die nihil mali imputat laicis illas comedentibus, sed in Dominicis Quadragesimæ; quia olim solitum erat his diebus carnes vesci; & id ostendunt verba Pontificis: *non aliter se hujus sacri temporis observationem suscipere putant.* Et quamvis S. Pontifex in tertia parte textus, asserat, debere nos jejunare à lacticiniis, in iis diebus, in quibus abstinemus à carnibus interrogatus fuerat de diebus jejunii, ut inquit Gloss. ibi: *Quærebatur an tempore jejuniorum abstinendum sit ab ovis, caseo, & lacte?* Respondet Gregorius quòd sic, &c. Unde constat de Dominicis

minicis Quinquagesimæ non fuisse responsum; nec dispositionem, de Dominicis Quadragesimæ immediatè, sed per consequentiam.

74. Addit Bardi *num.* 52. permissionem Pontificis non reddere actum vescendi carnes licitum. Et sic loquitur Bardi de Dominica Quinquagesimæ; non rectè loquitur, quia in hac Dominica semper fuit licitum laicis edere carnes; si verò de Dominicis Quadragesimæ, non benè impugnatur à P. Mend. nam verba textus: *cum venia suo ingenio reliquendi sunt*, non sonant actum licitum: nam S. Pontifex per illam dictionem *cum venia* intelligit veniam pœnæ, ut expressè Gloss. ibi *Verb. Venia*, & non veniam culpæ; nam permissio comestionis carnium diebus Dominicis Quadragesimæ illam comestionem non reddebat licitam; ut rectè notavit ex Gloss. & Navarr. *l.* 3. *Consil. de empt. & vendit. consil.* 15. *ad* 11. quæstione. Barbos. *in collect. ad dict. cap. Denique, in fine.* Ad secundum patet solutio ex ratione pro nostra sententia.

SECTIO VIII.

An ex vi juris communis ova, & lacticinia sint prohibita in jejuniis, extra Quadragesimam?

75. NOnnullis placet resolutio affirmativa, inter quos est Anton. Gom. *in Bull. claustul. 7. num.* 3. Covarr. 4. *Variar. cap.* 20. *num.* 15. Alachad. *lib.* 2. *summ. part.* 4. *tract.* 3. *docum.* 4. *n.* 3. & alii apud ipsum. Probari potest, quia *ex textu, & Gloss. in cap. Denique* 6. *dist.* 4. *& can.* 56. *Sexta Synodi Constantinopolitana*, & Barbos. *in collectan. ad dictum cap. Denique*, constat prohiberi ova, & lacticinia in diebus jejuniorum, & non in Quadragesimæ diebus tantùm. Et ratio est, quia *juxta Gloss. in dict. cap. Denique*, in tertia parte ejusdem cap. S. Pontifex fuit quæsitus, *an tempore jejuniorum sit abstinendum ab ovis, caseo, & lacte?* Et respondet Gregorius, *quòd sic: quia sicut à carnibus, ita ab omnibus, quæ trahunt sementinam originem carnis, est abstinendum:* cùm ergo nulla fiat mentio de jejuniis Quadragesimæ; & ratio S. Pontificis sit pro omnibus jejuniis indiscriminatim, ad omnia extenditur dispositio textus.

76. Confirmatur, quia in quarta parte ejusdem *cap. Denique*, S. Pontifex fuit quæsitus; (ut tenet Gloss. ibidem) *an piscibus in Quadragesima sit utendum?* Si ergo in hac parte expressit Quadragesimam, & non in tertiâ, benè colligitur Sermonem in tertia fuisse de omnibus jejuniis totius anni, & omnia includere ipsum jus. Et hoc patet; quia quando in aliquo Brevi, fit expressio unius causæ, vel speciei, & non alterius; hanc alteram non solùm non includit ipsum Breve, sed imò illam excludit; ut tenet cum Calderin. Abbat. & Cardin. Thusc. Barbos. *de Axiom. juris, Axiom.* 199. *dum.* 7. Sed interrogatione Augustini ad Gregorium in tertia parte dicti cap. de jejuniis, non exprimitur Quadragesima; & in quarta exprimitur; evidens ergo est, dispositionem S. Pontificis circa prohibitionem ovorum, & Lacticiniorum fuisse pro jejuniis totius anni, & non tantùm pro jejuniis Quadragesimæ. Ex his rationibus hæc sententia mihi videtur ex jure probabilior.

77. Cæterum cùm opposita sit inter D. D. communis, ab illa non est recedendum. Probatur, quia omnes ferè Doctores, quos pro hac sententia citavimus, & pro antecedente allati, fatentur uno ore, Sermonem prædicti textus fuisse tantùm de jejuniis Quadragesimæ, & non de aliis extra illam: ergo dispositio juris circa prohibitionem ovorum, & lacticiniorum, solùm comprehendit jejunia Quadragesimalia, & non alia. Ita sentiunt Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 11. *n.* 52. *& l.* 5. *consil. cap.* 1. *dub.* 20. *n.* 2. & apud illum D. Thom. Durand. Viguer. Cordub. Medin. Cajet. Rosel. Angel. Turrecrem. Gabriel, Navarr. Abulens. Richard. D. Anton. Henriq. Sâ, Sylvestr. Rosel. Et Trullench. *in Bull. lib.* 1. 5. 4. *dub.* 3. *n.* 3. & apud ipsum Less. Reginald. Filliuc. Bonacin. Villal. Ludovic. à Cruce, & alii. Alios plures afferunt, & sequuntur Joann. Sanch. *in select. disp.* 51. *n.* 18. Pasqual. *in praxi jejunii, decis.* 68. *n.* 2. Leand. *tom.* 3. *tract.* 5. *disp.* 3. *q.* 4. Escobar *in Theol. moral. tom.* 3. *l.* 7. *n.* 113. Lezan. *in q. q. Regul. tom.* 3. *Verb. jejunium. n.* 3.

78. Ex hac sententia infertur primò, ova & Lacticinia non esse prohibita ipso jure, nec etiam consuetudine in Lusitania, in feriis sextis, & Sabbatis. Probatur quòd non sint jure prohibita, quia nullum in toto jure invenitur præceptum abstinendi ab ovis, & Lacticiniis in his diebus. Ita inquiunt Pasqualig. *in praxi jejunii decis.* 79. Leand. *proximè q.* 11. & apud illos D. Thom. Henriq. Ludovic. à Cruce, & quamplurimi, contra Richard. Tabien. Firmian. & alios. Circa consuetudinem Hispaniæ, id docent Sanch. *l.* 5. *consil. cap.* 1. *dub.* 21. *n.* 2. & Escobar *proximè*. Et idem etiam dicendum de Lusitania, eam non dari consuetudinem abstinendi ab ovis, & Lacticiniis ex eadem ratione, quam affert Sanch. pro Hispania, quia consuetudo debet esse inducta à majori parte populi; at major pars populi communiter habet Bullas, & qui Bulla carent, sunt pauci, & pauperiores. Et absolutè non esse prohibita ova, & Lacticinia nullâ generali lege, vel consuetudine extra Quadragesimam tenet Gobat *tom.* 2. *tract.* 5. *cap.* 23. *n.* 236.

79. Infertur secundò; quamvis olim fuissent prohibita ova, & lacticinia in tribus diebus Rogationum sub mortali, ut constat *ex cap. Rogationes, de consecr. distinct.* 3. ubi indictum erat jejunium in cibis quadragesimalibus; consuetudine tamen id sublatum est, sicut sublatum est jejunium: remanlit tamen consuetudo, abstinendi à carnibus sub mortali. Et in Lusitania datur præceptum in omnibus Diœcesibus, jejunandi feria quarta dictarum Rogationum in honorem Venerabilis Christi Domini Ascensionis. Vide D. D. citat. maximè Leand. *dict. q.* 11. *&* 12. & Pasqualig. *decis. citat.*

SECTIO IX.

An ova, & lacticinia ex vi consuetudinis sint prohibita in jejuniis Quadragesimæ?

80. AD explicationem hujus quæstionis supponendum est, in aliquibus Provinciis, & Diœcesibus, ob piscium inopiam, vel aliam rationem sufficientem, introductam esse consuetudinem comedendi ova, & lacticinia in jejuniis, & diebus Dominicis Quadragesimæ; ut aliqui testantur authores. De Diœcesi Eborensi, id fatetur Sebastianus à Costa *in Bullam q. 79. vers. Cibi autem, prope finem*; ibi: *juxta quam* (id est consuetudinem) *in Diœcesi Eborensi, jam licitum est omnibus diebus jejunii, etiam Quadragesimæ, comedere ova, & lacticinia. Nam bonæ memoriæ Theotonius Archiepiscopus testimonium instrumento exploratum habuit, per quadraginta annorum spatium, & ultra, hanc consuetudinem esse inveteratam.* Sic à Costa. De eadem Diœcesi idem affirmant Fagund. *in 4. Eccles. præcept. lib. 1. cap. 2. n. 11. in fine.* Abreus de Paroch. *l. 10. n. 601.* Benedictis Pereyra *tom. 2. Promptuar. Theol. moral. tract. 35. n. 751.* licèt addat, hanc consuetudinem esse in locis ejusdem Diœcesis mediterraneis.

81. Idem astruit Fagund. *citat.* de Diœcesibus. Visensi, Ægydensi, vulgò *Guarda*; in quibus ob penuriam piscium, etiam in jejuniis Quadragesimæ, ova, & lacticinia vescuntur. Et idem, ob eandem causam, affirmare poterat de Diœcesi Mirandensi. Et de Diœcesi Agydensi, extat Constit. Synodal. *infra n. 108.* afferenda, quæ expresè declarat, non dari in illa eam consuetudinem.

82. De hac autem Ulyssiponensi Diœcesi circa ovorum, & lacticiniorum esum, sic disponunt Constit. Synodal. *l. 2. tit. 3. decret. 1. §. 2. vers. Eporque aprobiçam dos ovos, econzas deleite, ainda notempo da quaresma, he somente Ecclesiastica, esepo de tirar, emoderar, per costume legitimamente prescripto, com tolerancia, epermissam dos Pralados, como esta tirada em muitos Bispados deste Reyno. Declaramos que nos lugares deste Arcebispado, nam so nosque estiverem mau longe dos portos domar, mastambem nos outros onde ouver costume demais dequarenta annos desecomerem ovos, econzas deleite na Quaresma, edim de jejum sepossa guardar otal costume, comendose asditas couzas sem peccado.* Sic Constit. Synodal.

83. Et dari eandem consuetudinem, vescendi ova, & lacticinia in jejuniis, & Dominicis Quadragesimæ in Principatu Asturiarum de Hispania, in parte Galleciæ, & Brittania, asserit Mend. *in Bull. disp. 18. n. 5. in fine.*

84. Eadem consuetudo viget in Belgio, exceptis paucis diebus, testibus Less. *l. 4. cap. 2. n. 8.* Amic. *in curs. Theol. tom. 5. disp. 5. sect. 16. n. 359.* Jacobo Marcant. *in q. q. Pastor. part. 2. cap. 5. q. 1.* apud Dian. *part. 1. tract. 9. resol. 21. & part. 9. tract. 8. resol. 66. vers. confirmantur.* Idem tenet Mend. *proximè* Moya. *tom. 1. in select. tract. 6. disp. 3. q. 2. n. 6. in fine.* Idem testantur de Germania Less. Amic. & Marcantius *locis citat.* apud Dian. *dictâ part. 9. tract. 8. resol. 66.* quibus addo Moya *super citat.* Laym. *l. 4. tract. 8. cap. 1. n. 3.* Taner. *tom. 3. disp. 3. n. 88.* hos duos postremò cit. refert, & sequitur Gobat *tom. 2. tract. 5. cap. 23. n. 238.* Arriag. *tom. 5. disp. 57. n. 20.* inquit in multis partibus in Quadragesimæ diebus, licere in prandio vesci ovis & lacticiniis. Idem inquit Villalob. *tract. 23. de jejunio diff. 8. n. 2.*

85. Et circa Indias Occidentales, videri potest Avendan. *in Thesaur. Indico. tit. 5. n. 226 & seqq.* In quibus, non obstante sui Commissarii declaratione, & pœnâ excommunicationis confessariis impositâ ipso facto, ut pœnitentibus aperirent, abstinentiam ab ovis, & lacticiniis obligare in Indiis sub mortali, docet, & asserit, propter legitimam consuetudinem ibi introductam, non obligare præceptum, nec declarationem, & pœnam à suo Commissario impositam.

86. Ex dictis nota, in multis locis, & Diœcesibus, sublatam esse, per consuetudinem legitimè introductam, prohibitionem comedendi ova, & lacticinia in jejuniis, & Dominicis Quadragesimæ; ut etiam notavit Doctissimus Sebastian de Abreu *ubi supra*, per hæc verba: *Nota verò, ova, & lacticima licere, ex præscripta consuetudine, in multis locis; & in hac Eborensi Diœcesi, in qua, & ubi fuerit similis consuetudo, licitè edi possunt, etiam in Quadragesima sine Bulla.* His suppositis.

87. Inquirimus: An ova, & lacticinia ex consuetudine, in jejuniis Quadragesimæ, sint prohibita? Pro parte negativa citat Leand. *part. 3. tract. 5. disp. 3. q. 3.* Fagund. *in Ecclesia præceptum l. 1. cap. n. 11.* Quatenus asserit difficillimum esse scire ubi, & quibus locis obliget consuetudo ad non comedenda ova, & lacticinia in jejuniis Quadragesimæ. At ex his verbis non rectè arguit, Leand. Fagund. esse pro parte negativa. Ratio est, quia dicta verba id non indicant: nam nescire in quibus locis detur consuetudo comedendi, vel non comedendi ova, in jejuniis Quadragesimæ, non est negare consuetudinem illa non comedendi. Accedit, quòd Fagund. ante dicta verba, dixerat: ubi consuetudo fuerit ova, & lacticinia non edendi, contra ipsum jus obligare consuetudinem: existimavit enim, ut vidimus *supra n. 54.* ova, & lacticinia sub peccato mortali ex ipso jure non esse prohibita. Iis quæ docuit Fagund. subscribit Pellizar. *tom. 1. tract. 5. cap. 5. n. 21.* Inclinat tamen Tamborin. *l. 4. decal. cap. 5. §. 1. n. 24.* dum asserit ex aliis, non adesse eam consuetudinem, ut videntur probare ea, quæ adduximus *supra n. 78.* Valq. *part. 2. tom. 2. disp. 177. cap. 5. num. 54.* & Sanch. *ibi citat.* de consuetudine pro Hispaniis, in quibus, cùm major fidelium pars Bullam accipiat, allegari non potest consuetudo contra ova, & lacticinia; at licet Tamborin. dubius manet, expectat tamen declarationem Pontificis, & de suo nec affirmat, nec negat, dari eam consuetudinem. Et dari eam consuetudinem comedendi ova; & lacticinia in aliquibus locis supponit Fragos. *tom. 2. disp. 9. §. 3. n. 23.*

88. Communis tamen sententia est pro parte affirmativa; asseritque, dari consuetudinem abstinendi ab ovis, & lacticiniis, in jejuniis Quadragesimæ. Sic Leand. *ubi supra*, citans Dian. *part. 3. tract. 6. resol. 80.* sed non rectè; nam ibi Dian. non de consuetudine, sed de jure abstinendi ab ovis, & lacticiniis in jejuniis Quadragesimæ agit. Id tamen docuit *part. 9. tract. 8. resolut. 66. vers. Dicendum est.* Idem etiam tenent

Au-

Ausonius *in summ. Diæn. Verb. jejunium num.* 58. Lezan. *in summ. tom.* 3. *Verb. jejunium. n.* 3. *in principio.* Et expresè idem defendunt Moya *tom.* 1. *in select. tract.* 6. *disp.* 5. *q.* 2. *n.* 5. Carden. etiam *in suis select. tract.* 3. *disp.* 23. *cap.* 3. *à num.* 115. Aliqui ex his authoribus, inquiunt, hanc consuetudinem esse universalem.

89. Existimo, tamen dicendum, dari consuetudinem abstinendi ab ovis, & lacticiniis, in jejuniis Quadragesimæ: non tamen hodie viget hæc consuetudo in omnibus Provinciis, & Diœcesibus. Prima pars probatur, quia præceptum abstinendi ab ovis, & lacticiniis latum *in cap. Denique citat.* fuit quædam explicatio consuetudinis, quæ antea dabatur abstinentiæ à dictis cibis in Quadragesima, ut colligitur *ex capit. Rogationes, de consecrat. dist.* 3. Sed hæc consuetudo adhuc hodie viget pluribus in locis; ut videre est apud D. D. *n. præcedente citatos.* Secunda pars ostenditur; quia ut vidimus *supra num.* 80. *& sequentibus*, hæc consuetudo est abrogata in aliquibus Provinciis, & Diœcesibus, ac proinde in illis non obligat.

90. Ratio est, quia sicut consuetudo potest inducere legem, quæ obliget; ita etiam potest, & ipsam consuetudinem, & legem humanam abrogare, ut non obliget; ut communiter docent Theol. cum D. Thom. *in lib.* 2. *q.* 97. *art.* 3. Canonist. *in cap. ult. de consuetudine*, & Legistæ *in lib. de quibus ff. de legibus:* sed consuetudo potest introducere legem abstinendi ab ovis, & lacticiniis in jejuniis extra Quadragesimam; quamvis non sit lex, quæ ad eam abstinentiam obliget extra Quadragesimam; ut docent D. D. Less. *l.* 4. *cap.* 2. *n.* 8. Leand. *tom.* 3. *tract.* 5. *disp.* 3. *q.* 5. & alii apud ipsum: ergo etiam poterit legem abrogare, ut non obliget. Minor, quæ est circa quæstionem de facto, ostenditur; quia ut inquit Bonac. *tom* 2. *disp. ult. de præcept. Eccles. q.* 1. *punct.* 2. *n.* 2. comedentem Romæ ova, & lacticinia, in jejuniis extra Quadragesimam, graviter peccare, quia hujusmodi consuetudo ibi recepta est. Et de aliis locis idem docet Less. *proximè*, & alii. De consequentia etiam constat ex dictis *à num.* 80. ubi vidimus variis in locis, ob consuetudinem legitimè introductam, licere comedere ova, & lacticinia in jejuniis Quadragesimæ sine Bullâ.

SECTIO X.

An evidens sit, dari consuetudinem non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima?

91. PArtem negantem videntur amplecti Caramuel. *in Coment. ad Regul. S. Benedicti n.* 1354. & D. D. Franciscus Verde *in Apolog. pro Caramuelis Theologiâ fundament. q.* 12. *num.* 618. apud Cardin. *in disp. select. disp.* 23. *cap.* 4. *n.* 32. Et licèt D. Verde hanc minuat sententiam, dicit tamen, aliis discutiendam relinquere.

92. Probat: Illa consuetudo obligat evidenter quæ evidenter est introducta cum animo obligandi: sed prædicta consuetudo non est evidenter introducta cum animo obligandi: ergo prædicta consuetudo non obligat. Majorem supponit ut certam; quia, inquit, factum in dubio non præsumitur, & pro libertate standum est. Minorem probat primò: quia illud est evidenter introductum cum animo obligandi, quod potest colligi ex motivis per se notis, & moraliter evidentibus, arguentibus talem animum obligandi: at in hac consuetudine, non possunt assignari talia motiva.

93. Probat secundò eandem minorem; quia illa consuetudo obligat evidenter, quæ introducta est cum animo obligandi, de qua constat evidenter, quòd non sit introducta per errorem: sed in casu nostro, non constat evidenter prædictam consuetudinem non esse introductam per errorem: nam quòd omnes servent consuetudinem, potest esse ex eodem errore, ex quo credunt, obligatos se esse. Nec, quia docti, & timorati ita sentiunt de transgressoribus, colligitur fundamentum pro opposito; quia id existimant in jure expressum; quod multi docuerunt D. D. quod non ita docent, quia ita sentiunt, cùm multi unum scribant, & aliud sentiant, ut dixit Lacides, &c.

94. Nec etiam est argumentum, quia superiores puniunt transgressores, quia primò id faciunt politicè. Secundò ad manutenendum rigorem Ecclesiasticæ disciplinæ, & fundati in contraria sententia: non est ergo evidens, talem consuetudinem obligare: cùm non possit assignari principium evidens, ex quo obligatio colligatur. Sic D. Verde.

95. Pars tamen affirmans tenenda est, ut certa; quia Alexander VII. sua Constit. edita 18. Martii anni 1666. damnavit, ut minimum tanquam scandalosam, hanc propositionem, quæ ex damnatis ab eodem S. Pontifice est trigesima secunda: *Non est evidens, quòd consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget:* Sed ex damnatione hujus propositionis, sequitur hæc opposita: *Evidens est, quòd consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima, obliget:* Si ergo propositio damnata est falsa, ut revera est, alia opposita est vera; nam ex duabus contradictoriis, ut sunt prædictæ propositiones, una est vera, & altera est falsa. Alia plura videri possunt apud Carden. *citat. à n.* 44.

96. Ex damnatione dictæ propositionis sequitur, non esse licitum edere ova, & lacticinia in Dominicis Quadragesimæ, etiamsi ipsum jus id non prohibeat; ut aliqui opinantur, ut vidimus *supra num.* 64. Ratio est, quia si datur consuetudo illa non comedendi in dictis diebus; evidens est, consuetudinem obligare ad illa non comedenda, quia S. Pontifex damnat prædictam propositionem, quæ nomine *Quadragesimæ* non solùm comprehendit dies jejunii, sed etiam dies Dominicas ipsius Quadragesimæ.

97. Dices primò: Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Non est evidens, quòd consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget:* Ergo vult hanc consuetudinem obligare pro omnibus Provinciis, & Diœcesibus, nullis exceptis: Ergo hac data damnatione, obligat consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima, [illegible] in illis Provinciis, & Diœcesibus designat[illegible] *à num.* 80. *usque ad* 86. non obstante, [illegible] in illis non detur consuetudo abstinendi à dictis cibis.

98. Respondeo, S. Pontificem, in damnatione illius propositionis, velle, & significare, quod consuetudo obliget in locis, ubi ea datur consuetudo abstinendi ab iis cibis in Quadragesima, & non

in aliis, in quibus ea non reperitur consuetudo; ut patet ex damnatione dictæ propositionis, in qua damnatur opinio eorum, qui astruebant dari quidem eam consuetudinem non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima, at negabant, esse evidens, quòd obligaret; ut vidimus in opposita sententia, & rationibus pro illa allatis *à n.* 91. at non intendit, quòd ea consuetudo obliget in Provinciis, & locis ubi non datur, imò contraria introducta est; ut rectè notavit Gobat *tom.* 2. *tract.* 5. *cap.* 33. *n.* 240. loquens de dicta propositione, per hæc verba: *Quæ quidem censura minimè ferit consuetudinem vescendi libere in Quadragesima ovis, atque lacticiniis, quam vigere in multis Germaniæ Diœcesibus, notavi superius, etenim Alexander loquitur solùm de consuetudine non vescendi recepta, non autem de vescendi: a tam diversis autem nulla valet illatio.*

99. Dices secundò: Ut consuetudo comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima non obliget, debet esse associata approbatione, aut imperio Prælati, ut tenet Valq. *tom.* 2. *in* 1. 2. *disp.* 177. *cap.* 2. & 3. Basil. Pont. *l.* 6. *de matr. cap.* 6. *n.* 7. & alii: sed de prædictis omnibus locis *à n.* 80. *relatis*, non constat, eam consuetudinem vescendi liberè ova, & lacticinia, fuisse à Prælatis approbatam: Ergo in locis, in quibus non constat de ea approbatione, omnes tenentur ad consuetudinem Universalem.

100. Respondeo primò; quamvis ea opinio sit probabilis; probabilior, & communior est opposita non requirens expressam Prælati approbationem, sed eo inscio, habere vim consuetudinem: ut docent Sanch. *l.* 7. *de matr. disp.* 4. *n.* 11. Soar. *l.* 1. *de legibus cap.* 13. *à n.* 11. Salas *ibid. disp.* 19. *à sect.* 3. Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 3. *punct.* 2. §. 4. *n.* 3. & apud ipsum Bonac. Azor. Panormit. Rochus de Curt. & alii innumeri; quibus addo Carden. *in disp. select. tract.* 3. *disp.* 23. *cap.* 5. *n.* 70.

101. Respondeo secundò, sufficere tacitam approbationem Prælati, ut consuetudo vim habeat; ut expressè habetur *in l. de quibus ff. de legib.* ibi: *Rectissimè receptum est, ut leges non solùm suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium, per desuetudinem abrogentur.* Et hanc tacitam approbationem, vel etiam expressam constat dari pro locis, seu aliquibus Diœcesibus Portugaliæ, ut supra notavimus *à n.* 80.

102. Dices tertiò: Ut consuetudo comedendi ova, & lacticinia, introducta in dictis Provinciis, aut Diœcesibus sit licita, debet esse rationabilis, nempe introducta ob necessitatem, bonis, & licitis actibus, ut constat *ex Cap. fin. de consuetud.* ubi inquit Gregorius IX. *licet etiam longæ consuetudinis non sit vilis authoritas, non tamen est usque adeo valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legitimè sit præscripta:* At in prædictis Provinciis, & Diœcesibus non constat de rationabilis consuetudinis introductione.

103. Respondeo primò, consuetudinem, quando incipit, irrationabilem incipere; quia adversatur [illegible] comedendi ova, & lacticinia in Quadr[illegible]; at si multo tempore perseverat, redditur [illegible]abilis; quia jam in illis Provinciis, & diœcesibus expediens est; ne ultra culpa progrediatur, & ne fideles ad observantiam rei difficilis tanto tempore adstringantur. Et in hoc sensu debet accipi prædictus textus; ut in simili illum accipit Dian. *part.* 1. *tract.* 9. *resol.* 21. cum Sanch. *l.* 7. *de matr. disp.* 4. *n.* 24. Soar. *l.* 7. *de legib. cap.* 18. *n.* 2. Valent. *tom.* 2. *disp.* 7. *q.* 5. *punct.* 8. & aliis; quibus addo Cast. Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 3. *punct.* 2. §. 1. *n.* 3. Bonacin. *de legibus disp.* 1. *q.* 1. *punct. ult. n.* 45. & 46.

104. Respondeo secundò (& est alius sensus illius textus) consuetudinem, ut sit rationabilis, non requirere, ut sit incæpta bonis, & licitis actibus; nam actus in principio semper sunt illiciti, donec consuetudo illos excuset, abrogatâ jam lege, ut *supra* dicebamus. Censetur autem consuetudo irrationabilis, si juri divino, aut naturali opponatur; ut docent Gerson. 3. *part. tract. de vit. spirit. sect.* 4. *corollar.* 13 *alphabet* 62. *lett.* Gabriel. *in* 4. *dist.* 42. *q.* 1. *art.* 3. *dub.* 6. Navarr. *l.* 3. *consil. de censur. in* 1. *edit. consil.* 7. *n.* 3. *in posteriori consil.* 3. *n.* 3. quos refert Dian. *proximè*; quibus accedit Bardi *in Bull. part.* 2. *tract.* 3. *cap.* 3. *n.* 4. cùm ergo consuetudo comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima, non sit contra jus divinum, aut naturale, irrationabilis dici non potest. Aliæ expositiones ad dictum textum videri possunt, apud Glos. *ad idem cap.* & alios D. D. quos refert Castr. Palao *cit. n.* 1.

105. Dices quartò: Hæc consuetudo comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima, non probatur, esse introducta, & legitimè præscripta in Principatu Asturiarum, parte Galleciæ, & in aliquibus Portugaliæ Diœcesibus? quia in his locis viget Bulla continuata per nonaginta, & plures annos; & cùm major pars populi communiter Bullam suscipiat, non potuit, consuetudinem comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima, introducere; quòd erat necessarium ad legitimam, & præscriptam consuetudinem; ut cum communi D. D. & Soar. & Salas tenet Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 3. *punct.* 3. *n.* 5. Ergo cùm hæc consuetudo non potuit introduci, non potest dici, quòd in prædictis locis detur consuetudo comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima.

106. Probatur antecedens; quia ex eadem ratione, quòd major pars populi Bullam accipiat, contendunt Sanch. *l.* 5. *consil. cap.* 1. *dub.* 21. *n.* 2. Valq. *tom.* 2. *in* 1. 2. *disp.* 177. *cap.* 6. *n.* 55. & alii, non posse introduci consuetudinem abstinendi ab ovis, lacticiniis in diebus jejunii, & feriis sextis, extra Quadragesimam in Hispania: Ergo etiam è contra, probari non potest, inductam esse consuetudinem abrogantem legem latam, in *cap. Denique cit.* & universalem consuetudinem, quæ ante illam annorum quantitatem in Ecclesia Universali introducta erat, abstinendi ab ovis, & lacticiniis in Quadragesima in quibus non dabatur Bulla continuata in Hispania, aut Lusitania: Ergo qui Bullam non accipiunt tenentur ad dictam legem, & consuetudinem servandam; nam cùm sit minor populi pars, nec legem, nec consuetudinem universalem poterant abrogare.

107. Respondeo, negando antecedens & illius probationis consequentiam saltem quoad Diœceses Portugaliæ, de quibus dicitur, non habere consuetudinem abstinendi ab ovis, & lacticiniis in Quadragesima; quia ante concessiones Bullæ continuatas, in illis Diœcesibus vigebat consuetudo illa comedendi; ut constat ex declaratione facta pro Eborensi Diœcesi ab Archiepiscopo D. D. Theotonio, de qua *supra n.* 10. quæ fuit facta ante annum 1608. in quo typis mandata fuit declaratio Bullæ à Sebastiano à Costa de Andrade illum referente, & Bulla in his Regnis continuari incepit ab anno 1591. ut constat ex Bulla Gregorii XIV. initio hujus operis inscripta.

108. Idem

108. Idem etiam constat de Diœcesi Ægydensi, vulgò *Guarda*, in cujus *Constit. Synodal. l. 2. tit. 2. cap. 3. typis mandatis anno* 1621. ita disponitur: *Asimdaque conforme adireito beprohibido comer ovos, leite, coutras couzas delle notempo da Quaresma; com tudo achamos, que o costume im memorial tem introduzido neste Bispado, poderemse comer estas couzas no sobre dito tempo. O qual costume declaramos por racional, elegitimo pellas rezoens emque se funda; e que conforme aelle, em nosso Bispado sepodem comer ovos, queijo, leite coutras couzas delle nos dias da Quaresma sem escrupulo de peccado; assim como sepodem comer asditas couzas nas sextas, feiras, e sabbados do anno, enos outros dias de jejum fora da Quaresma, enos mais dias emque beprohibido comerse carne.* Et idem dicendum de aliis Diœcesibus hujus Regni, in quibus ea datur consuetudo, & Prælatorum declaratio.

SECTIO XI.

An consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima, obliget sub peccato mortali, aut Veniali?

109. QUæres, sub quo peccato, obliget dicta consuetudo? Et certum est, sub peccato obligare in iis locis, in quibus datur consuetudo prædicta non vescendi; ut constat ex damnatione supra dictæ propositionis: *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & Lacticinia in Quadragesima, obliget.* Quo supposito.

110. Prima sententia tenet, probabile esse dictam consuetudinem obligare sub veniali. Ita cùm Fagund. Fr. Ludovic. à Concept. *tom. 1. Examin. Verit. tract. 1. casu 4. n. 4. fol. mihi* 13. Castr. Palao *tom. 7. tract. 30. disp. 3. punct. 2. §. 1. n. 9.* & post damnatam ab Alexand. VII. dictam propositionem, eandem sententiam, ut probabilem, sustinuerunt Mend. *in flater. benign. Opinion. dissert. 8. q. 3. n. 14.* Benedict. Pereyr. *in Promptuar. Theol. moral. tom. 2. tract. 35. n. 752. Vers. si loquamur*, exponentes propositionem damnatam de peccati Venialis obligatione. Probatio hujus sententiæ *infra n.* 114. *&* 115. adducetur.

111. Secunda sententia tenet, hanc consuetudinem obligare sub mortali. Ita communiter D. D. Leand. *tom. 3. tract. 5. disp. 3. q. 3.* Dian. *part. 9. tract. 8. resol. 66. Vers: Dicendum est itaque*, Castr. Palao, Mend. Pereyra *locis citatis*, qui hanc tuentur sententiam, ut probabiliorem. Et post damnatam dictam propositionem, eandem ut certam amplectuntur Carden. *in disp. select. tract 3. disp. 23. cap. 5. à n.* 115. Moya *tom. 1. q. q. select. tract. 6. disp. 5. q. 2. n. 5. & 6.*

112. Tertia demum sententia est Gobat. *tom. 2. tract. 5. cap. 23. n. 237.* mediâ incedentis viâ, post damnationem supra dictæ propositionis: Asserit enim, non esse generatim admittendam primam sententiam *n. 110. allatam*, quam dicit Fagundezii, nec secundam, *n. precedente*, quam dicit Palai, sed consulendus est usus in unaquaque Diœcesi vigens; an in illa, consuetudo sit peccati mortalis; nempe, an vigeat rigor ille (ut verbis utar Gobat) de quo Palaus; an illa lenitas (nempe consuetudo peccati venialis) de qua Fagund. Fundamentum quo nititur *n. 118.* asseretur.

113. Ex his tribus sententiis, libenter amplector secundam. Et dari consuetudinem abstinendi ab ovis, & Lacticiniis, tempore Quadragesimæ, vidimus *supra n.* 89. Quòd verò hæc consuetudo obliget sub peccato mortali, ostenditur; quia posità consuetudine, & dato præcepto, ejus gravitas, vel levitas ex objecto colligitur: sed abstinentia ab ovis, & Lacticiniis est materia, & objectum grave: ergo præceptum, & consuetudo sub peccato gravi, & mortali obligat.

114. Confirmatur hæc sententia à Moya *supra n. 6.* quia Alexander VII. in suo decreto *supra cit.* & propositione ab eo damnatâ statuit, quòd consuetudo abstinendi ab ovis, & Lacticiniis in Quadragesima, obligat: ergo qui hanc obligationem de peccato veniali exponeret, audiendus non esset; & ut menti Pontifici contraveniens, puniri deberet.

115. Huic tamen censuræ Doctissimi Moyæ non assentio, (licèt veram existimem sententiam, quam confirmat, & amplectitur, & ego (ut *n.* 113. fateor) primò. Quia S. Pontifex in damnatione supra dictæ propositionis non exprimit obligationem, sub qua consuetudo obliget, sed tantùm obligare: sed damnatio dictæ propositionis, & aliarum, est odiosa; ergo ab aliquo, ut vidimus *n.* 110. absque punitionis timore, poterat restringi, ad obligationem peccati venialis; licet melius ageret, si ad peccatum mortale eam ampliaret, ut communiter ab authoribus ampliatur.

116. Secundò, quia consuetudo est optima legum interpres, ut vidimus ex ipso jure *n. 62.* sed ipsum jus *in cap. Denique citat.* obligat sub peccato veniali, ut plures docuerunt, quos adduximus *supra n. 54.* & oppositum, nempe obligare sub peccato mortali, inquit ipse Moya ubi *supra n. 5.* non esse adeo certum, quia pro veniali militant graves Theologi, & celebres Universitates: (quamvis pro mortali stet communis sententia, quam *supra n. 60.* sequuti fuimus) si ergo non est certum; & certum est, consuetudinem esse authenticam legis interpretem, ut probat, & ostendit Carden. ubi *supra dicta disp. 23. n. 20.* & testatur ipsum jus jam supra adductum, quod consuetudinem interpretatur, ut ab ipsis Theologis ipsum jus interpretatur, timere non potest punitionem à S. Pontifice.

117. Fateor tamen ex damnatione à S. Pontifice latâ, videri certum consuetudinem abstinendi ab ovis, & Lacticiniis tempore Quædragesimæ, obligare sub mortali, ex eo quod obligatio sit in materiâ gravi, ut diximus, & sequimur; at ex verbis S. Pontificis, dictam propositionem damnantis, & à nobis dictis, non videtur habere locum Moyæ assertum, quoad censuram.

118. Dices pro tertia sententia Gobat; si quod generale præceptum existit abstinendi ab ovis, & Lacticiniis tempore Quadragesimæ, potuit in uno Episcopatu, seu Provinciâ recipi sub peccato mortali, & in alio, seu alia Provinciâ sub peccato veniali: ergo nec secunda, nec prima sententia, sic generatim sunt accipiendæ, ita ut una obliget tantùm ad veniale, & altera ad mortale. Respondeo, si constaret certò per declarationem Prælatorum, aut usu de tali consuetudine sub veniali, aut mortali, ita esse sentiendum; sicut constat de consuetudine non abstinendi tempore Quadragesimæ in aliquibus Provinciis, ut *supra* notavimus; at cùm

certò constat dari consuetudinem abstinendi pro eo tempore à dictis cibis, & materia illius sit gravis; dicendum est in iis locis, in quibus viget, obligare ad mortale, & non tantùm ad veniale, quandiu non datur declaratio Prælati asserentis in talibus Provinciis, consuetudinem non obligare, nisi sub veniali.

SECTIO XII.

Quale privilegium circa esum ovorum, & Lacticinionum, & quibus personis, per Bullam concedatur?

119. ABsque controversia certum est, omnes sumentes summarium Bullæ Lusitanæ posse, in omnibus jejuniis Quadragesimæ, & aliis extra illam, pro suo libito vesci ovis, & Lacticiniis, sive sint Archiepiscopi, sive Episcopi, Regulares, aut Presbyteri sæculares; quia Bulla Latina nullos excludit. Et hoc privilegio possunt uti, non solùm in Lusitania, sed etiam ubique terrarum; quia privilegium est personale, & sequitur personam, & à S. Pontifice conceditur, sine aliqua loci limitatione. Quod etiam notarunt aliqui Bullæ Hispanæ expositores, ut Emmanuel Rodrig. Lusitanus *in addit. ad §. 6. Bullæ n.* 13. quamvis fateatur, se non vidisse Bullam Plumbeam Lusitanam, sed tantùm Summarium, Trullench. *in expos. Bullæ l.* 1. §. 4. *dub.* 6. *n.* 5. Mend. *disp.* 18. *cap.* 2. *n.* 11.

120. Secus dicendum de sumentibus summarium Bullæ communis Hispanæ; quia hoc privilegium non conceditur per illam Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Regularibus, & Presbyteris sæcularibus; nec aliis, dum extra Hispaniam existunt, ut constat ex ipsa Bulla Hispana plumbea, & traditur ab illius expositoribus. Et hac de causa non immorabimur in quæstionibus, quæ, circa has limitationes, & Bullam Lacticiniorum ab Urbano VIII. prædictis exceptis concessam, ab ipsis expositoribus tractantur; quæ Bulla Urbani non habet vigorem, nisi pro eisdemmet locis, in quibus Bulla communis, & universalis promulgatur.

121. Ut quis hoc privilegio Bullæ Lusitanæ gaudeat, non indiget consilio utriusque medici; quia hoc tantùm requiritur ad edendas carnes, ut vidimus *sect.* 1. *&* 2. & non ad ova, & Lacticinia, quæ in dictis jejunii diebus pro libito conceduntur. Secus dicendum, juxta Bullam Hispanam; nam si prædicti excepti, annum sexagesimum non attigerunt, & adversâ valetudine sint oppressi, de consilio utriusque medici, ova, & Lacticinia comedere possunt; quia sic non tantùm carnes, sed etiam illa licèt comedere. Sic cum Pasqualig. Trullench. & Filliuc. Leand. *tom.* 3. *tract.* 5. *disp.* 2. *q.* 31. Supersunt tamen aliqua dubia, hoc loco resolvenda.

122. Primum est: An virtute Bullæ possint edi in diebus Dominicis Quadragesimæ, ova, & Lacticinia? Et ratio dubitandi est; quia in nostra Bulla Latina, & summario, solùm conceditur privilegium ad hæc comedenda in diebus jejunii Quadragesimæ, & aliis totius anni: at dies Dominici Quadragesimæ non sunt dies jejunii. Respondeo tamen, hoc privilegium extendi ad dies Dominicos Quadragesimæ, quia cui licèt, quod est plus, licèt utique, quod est minus; ut habetur *in reg. cui licèt, de regul. juris in* 6. & nos jam notavimus in simili, *supra n.* 11.

123. Dubium secundum: An sacerdos Castellanus, qui accedit ad hoc Regnum, & summarium accepit Bullæ Lusitanæ, possit ubique comedere ova, & lacticinia, in diebus jejunis Quadragesimæ, & totius anni? Et videtur, non posse in Castella, quia Commissarius Generalis Hispanus revocat privilegia alterius Bullæ Cruciatæ: Ergo pro locis, in quibus Bulla Hispana promulgatur, censetur Bulla Lusitana revocata, pro illis, qui illam in Lusitania acceperunt.

124. Dicendum tamen est, posse uti ubique, & etiam in Castella privilegiis omnibus Bullæ Lusitanæ. Ratio est, quia non solùm omnes commorantes, sed etiam omnes declinantes ad hæc Regna, & dominia Portugaliæ, possunt Bullam accipere; ut habetur in extentione facta ad nostram Bullam à Paulo V. quam extendunt usque adhuc alii S. S. Pontifices: Ergo si presbyter, vel quicunque alius declinet ad hæc Regna, & summarium Bullæ accipiat, poterit ubique terrarum illius uti privilegiis, nec non privilegio lacticiniorum, & ovorum sine ulla limitatione loci, & temporis; quia absque illa, id concedit S. Pontifex omnibus Bullam Lusitanam sumentibus. Et quod dicimus de presbytero Castellano, dicendum etiam est de omnibus aliis, sive sint Regulares, sive non; sive Galli, Itali, &c. nam omnes possunt pro libito hoc privilegio sine dicta limitatione gaudere; & aliis, ac si essent in Lusitania, eo modo, quo in Bulla conceditur, & à nobis jam est dictum, & *infra* dicendum.

125. Nec obstat. pro locis Hispaniæ revocatio facta à Commissario Hispano: quia ut docent Rodrig. & Trullench. *locis citatis*, Commissarius solùm revocat Bullas Cruciatas antecedentes, quæ à B. Pio V. non fuerunt revocatæ, & adhuc suum habent valorem: & has authoritate ejusdem B. Pii V. & successorum revocat Commissarius Hispanus, & non Bullam Cruciatæ Lusitanam, si ab aliquibus Hispanis, aut Castellanis sint acceptæ. Sic D. D. *citati*.

126. Dubium tertium: An Lusitanus habens Bullam possit ubique prædicto uti privilegio? Respondeo, posse, ut patet ex dictis: debet tamen abstinere ab illo, ubi detur scandalum, sit velit hoc uti privilegio; quod scandalum cessare poterit, declarando se habere Bullam Lusitanam, quæ sine limitatione loci, & temporis concedit privilegium comedendi ova, & lacticinia, tam in Quadragesima, quàm in aliis totius anni jejuniis.

SECTIO XIII.

Quænam veniant nomine ovorum, & lacticinionum.

127. CUm in hoc privilegio concedatur esus ovorum, & lacticiniorum in jejuniis Quadragesimæ, & extra illam; operæ pretium est, scire, quæ comprehendantur sub nomine quorumcunque. Et circa ova, dubitari potest de illis, qui adhuc existunt intra Gallinam & non sunt albumine circumvoluta, & vocantur ova nonnata? Respondeo, ea ova esse in substantia ova, minus ta-

men

men perfecta: cùm verò in substantiâ, ab aliis ovis non differant, bonè possunt edi in diebus prohibitis ab illis, qui habent Bullam, vel ubi datur consuetudo legitima illa comedendi. Sic Dian. *part.* 3. *tract.* 6. *resol.* 80. *Vers. Notandum est etiam &* Tamborin. *l.* 4. *decal. cap.* 3. §. 1. *n.* 19. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 5. *cap.* 23. Bard. *part.* 2. *tract.* 3. *cap.* 3. *n.* 36. qui tamen excipit ab his ovis ovicula illa exigua ad instar racini, quæ sunt affixa illi nervorum racemo; quia adhuc retinent sanguinis naturam. Oppositum tamen puto, quia quamvis ea ovicula sint exigua, sunt ejusdem naturæ, & substantiæ cum aliis ovis intra Gallinam existentibus: Affero tamen, illum racemum, cui ea ova sunt affixa, non venire nomine ovorum; quia totus est carneus. Ita Tamborin. *locis citatis.*

128. Circa Lacticinia: Respondeo, nomine *Lacticiniorum* venire omnia illa, quæ ex lacte sunt constata: & sic venit ipsum lac, caseus, butyrum &c. Dubium tamen est primum, de sagimine Lusitanè *unto de porco*, quod aliquando sumitur pro lardo nos verò illud sumimus, prout à lardo distinguitur: nam lardum significat carnem porcinam crassiorem, & pinguiorem, quam Lusitanè dicimus: *Toucinho de porco.* Sumpto ergo sagimine in significatione propriè dicta, & præcisa consuetudine, quam dari in multis Siciliæ civitatibus, & oppidis pro feriis sextis, Sabbatis, dicunt Dian. *part.* 1. *tract.* 9. *resol.* 20. *Vers. Quod verò* Bardi *part.* 2. *tract.* 3. *cap.* 3. *n.* 6. & in Regnis Peru & Gallæciæ affirmat Henriq. *l.* 7. *cap.* 13. *in Gloss. lit.* 1. Quibus addo in Portugalia Provinciam Interamensem, in qua propter olei penuriam introductus est usus sagiminis in omnibus diebus carnem prohibentibus dummodo non sint Quadragesimæ. Asserit tamen Leand. *tom.* 3. *tract.* 3. *disp.* 2. *q.* 37. licitum esse usum sagiminis in illis diebus, in quibus esus carnis est prohibitus, in Regnis, & oppidis in quibus est penuria olei, & alii non suppetunt cibi præter herbas, & legumina, & apud ipsum Graff. & Laym. quod probabile censeo. Videri etiam potest Gobat. *tom.* 2. *tract.* 5. *cap.* 23. *n.* 226. Asserens, licitum esse usum sagiminis ex consuetudine, & authoritate D. D. His suppositis.

129. Procedit dubium de aliis diebus, & locis, in quibus ea consuetudo non est Legitime introducta: An scilicet in diebus, quibus virtute Bullæ licitum est comedere ova, & lacticinia, liceat etiam, virtute illius, usus sagiminis porcini, aut aliorum animalium, nempe Gallinacei, bovini, ac similium? Partem affirmantem de sagimine suino tuentur Gloss. *in cap.* 33. *q.* 2. *Verb. Carnem*, ubi inquit: *sagimen permittit, quando ova permittuntur, & in cap. Presbyter dist.* 82. *Verb. Sagimine*, ibi: licet comedere de sagimine illis diebus, quibus ova, & caseum licet comedere. Eandem sequitur Sylvest. *Verb. Jejunium q* 5. *n.* 16. Berthacin. & Aviles apud Henriq. *l.* 7. *cap.* 13. *n.* 11. Dian. *part.* 1. *tract.* 9. *resol* 21. *Vers. quod verò.* Alios citant pro hac sententia Mend. *in flater. benign. Opin. dissert.* 8. *n.* 17. Gobat. *ubi supra*, & Pasquelig. *in praxi jejunii decis.* 74. *n.* 4. ubi id extendit ad sagimen aliorum animalium; idem de quocunque sagimine videtur sentire Laym. *l.* 4. *tract.* 8. *cap* 1. *n.* 5. idem ut probabile, & juri conformius, tenet Bard. *part.* 2. *tract.* 3. *cap.* 3. *n.* 12. *&* *n.* 23. *&* 24. de sagimine aliorum animalium negat propter consuetudinem oppositam.

103. Probatur hæc sententia primò ex Aristot. *l.* 2. *de gener. cap.* 18. *&* *cap.* 19. ubi inquit, pinguedinem non esse carnem, sed excrementum; quod ostendit *in problemat. sect.* 5. *q.* 4. quia pinguedo concalefacta liquescit, non tamen caro: si ergo pinguedo non est caro, sed excrementum, Licitum erit illam comedere, quia ab Ecclesia in feriis sextis, & Sabbatis, solùm prohibetur caro, & præceptum ad alia non debet ampliari.

131. Probatur secundò, quia virtute Bullæ, Licitum est in diebus vetitis, ova, & Lacticinia edere: sed sagimen sub Lacticiniis continetur. Et probant quia sementinam ducit originem à carne, ut etiam ducunt Lacticinia.

132. Si his authoribus opponas: Etiam sanguis non est caro; & tamen, virtute Bullæ, non potest comedi in illis diebus, in quibus, virtute Bullæ, possunt edi Lacticinia: ergo etiam licèt sagimen non sit caro, non poterit edi, virtute Bullæ, in illis diebus, in quibus per Bullam, Lacticinia licent. Major, & minor admittitur à citatis authoribus; & negant consequentiam, assignando diversam rationem, primò: quia major connexio datur inter carnem, & sanguinem, quàm inter sagimen, & carnem: nam sanguis est proxima dispositio ad carnem, & dicitur pars animalis viventis, quatenus illo alitur: at sagimen, seu pinguedo est merum excrementum, & non necessarium ad vitam sustentandam. Secundò, quia dato quòd eadem sit ratio de sagimine, & sanguine physicè loquendo: moraliter tamen est valdè diversa; quia in aliquibus locis introducta est consuetudo Legitimè præscripta vescendi sagimine non verò sanguine: at si in aliqua regione esset introducta consuetudo comedendi sanguinem, etiam illius usus concederetur in illis diebus, in quibus Lacticiniis vescimur. Sic Bardi *cit. n.* 32.

133. His non obstantibus, partem negantem existimo esse tenendam; illam defendunt Rodrig. *in Bull.* §. 6. *n.* 1. *in fine.* Tabien. *Verb. Jejunium n.* 7. Vivald. *in supplem. Candel. cap.* 11. *de jejunio Quadragesimali n.* 39. Henriq. *l.* 7. *cap.* 13. *n.* 11. *in fine.* Villal. *in summ. tom.* 1. *tract.* 23. *difficult.* 8. *n.* 16. Ludovic. à Cruce *in Bull. disp.* 1. *cap.* 5. *dub.* 16. *n.* 4. Trulleneh. *l.* 3. *decal. cap.* 2. *dub.* 2. *n* 8. Filliuc. *tract* 27. *part.* 2. *n.* 61. omnes apud Bardi *cit. n.* 10. quibus accedunt Medina, Vega, Anton. Gom. Graff. Fagund. Sylv. Bassæus Sanch. Laym. quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 3. *tract.* 5. *disp.* 2. *q.* 35. His addo Mend. *in Bull. disp.* 18. *n.* 12. & *in appendic. disp.* 2. *cap.* 14. *per totum*, & *in flatera benign. opin. dissert.* 8. *n.* 18. Tambor. *l.* 4. *decal. cap.* 5. §. 1. *n.* 14. quamvis oppositam probabilem pronuntiet *n.* 16.

134. Probatur, sagimen virtute Bullæ non posse edi diebus, carnem prohibentibus; quia venit nomine *carnis*, quod ostenditur, ex persuasione hominum, qui ab illo abstinent in diebus vetitis, existimantium esse carnem, & non venire in concessione ovorum, & Lacticiniorum. Confirmatur, quia si sagiminis esus esset licitus, virtute Bullæ, ab ipsa Bulla debebat exprimi: at non exprimitur: ergo per illam illius usus non est Licitus, quorumcumque animalium sit.

135. Ex hac ratione constat primò à fortiori, Lardum in diebus vetitis nec virtute Bullæ posse edi; quia in omnium existimatione est caro; & ex Aristot. *supra cit.* constat, quia calefactum non Liquescit. Ita Fagund. *in ultima edit. Lugdunens. edita anno* 1632. *in* 4. *Eccles. præcept. l.* 1. *cap.* 2. *n.* 49. Mend. *in appendic. loco citat.* & alii.

136. Con-

136. Constat secundò ex eadem ratione, sanguinem esse carnem in omnium existimatione, & pro ea haberi. Ita D D. Leand. *cit. n.* 34. Mend. *loco appendicis n.* 80. ipse Barbi *cit.* quidquid in oppositum tenuissent Felin. Annanias *in cap. consuluit, de Judæis*: & alii apud Leand. *citat.* ergo nec virtute Bullæ in diebus prohibitis potest vesci.

137. Tertiò, constat ex eadem ratione, in diebus vetitis, non esse Licitum jus carnium, quia licèt non sit caro, in se continet ipsum sagimen carnis lique factum, vel partes carnis substantiales. Ita Henriq. *citat.* Leand. Gobat *ubi supra n.* 225. & apud ipsum Laym. & Pasqualig. damnantes jusculum ex carnibus bibentes, & olera unâ cum carne cocta comedentes. Idem dic endum dedem ullis, nervis, &c. animalium, quia sunt illius partes.

138. Ad primum fundamentum contrarium *n.* 130. deductum ex Aristol. asserente, pinguedinem non esse carnem, respondeo, licèt in rigore, non sit caro, non inde sequi, posse illâ uti in diebus, quibus caro prohibetur; nam etiam sanguis in rigore non est caro, & tamen, ut adversarii concedunt, in iis diebus, illo non licet uti. Et si sanguis dicitur pars animalis, etiam pinguedo pars animalis dicitur, & semper pro carne est habita, quod sufficit, ut non sit licita in diebus prohibitis, & ut ab Ecclesia prohibeatur.

139. Ad secundum *n.* 131. respondeo, negando, sagimen sub lacticiniis contineri; quia non ducit sementinam originem à carne, ut Lacticinia; sed est caro, ex qua animal, ut ex partibus componitur, & pro carne communiter habetur.

140. Nec Glossa *in cap. Admonere, & in cap. Presbyter supra n.* 129. *allata*, oppositum convincit, quatenus asserit, cum ovis, & Lacticiniis permitti sagimen: nam in iis textibus agebatur de marito injustè occidente uxorem, & Presbytero fornicario, quibus pœnitentibus concedebatur, posse uti in Dominicis, & præcipuis festivitatibus, usu sagiminis, simul cum ovis, & Lacticiniis; & sic remittebatur illis pœna, cùm in illis diebus, non esset lex Ecclesiastica, quæ carnem prohiberet, & sic illis indulgentia comedendi sanguinem, sagimen, ova, & Lacticinia, concedebatur, ex qua remissione, non potest argui, quando ex aliquo privilegio, aut Bulla conceduntur Lacticinia, concedi etiam sagimen.

SECTIO XIV.

An pueri ante septennium indigeant Bulla ad comedenda ova, & Lacticinia in diebus prohibitis, si jam habeant usum rationis?

141. NOn indigere Bulla ad vescenda ova, & Lacticinia, in diebus vetitis, pueros usque ad duodecimum annum, existimant Sot. *in 4. dist. 12. q. 1. art. 11. ad primum*, & *dist. 18. q. 1. art. 3. ad finem corporis*, Marcus Serra *in 1. 2. tom. 2. q. 96. art. 1.* apud Dian. *part. 11. tract. 2. resol. 56.* Alii ajunt, non obligari pueros ante septennium, etiamsi habeant usum rationis, ad abstinendum à cibis prohibitis; ac proinde non indigere Bullâ, ad prædicta comedenda, tenentur asserere. Sic Joann. Sanch. *in select. disp. 51. n. 31. in fine* Pasqualig. *in praxi jejunii decis. 50. n. 2.* Joan. Henriq. *in q. q. practic. sect. 16. q. 19. n. 47.* Martin. de S. Joseph *in Man. confess. tom. 1. l. 2. tract. 3. de jejunio n. 4.* Antonius de Escobar. *in Theol. Moral. tract 5. exam. 13. part. cept 4. cap. 3. n. 52.* (at *tom. 1. Theol. moral. l. 7. n. 115.* inquit, post septennium pueros indigere Bullâ, ut tempore Quadragesimæ possint ovis, & lacticiniis uti; at antea, innuit, non posse.) D. Didacus de Narbona *de ætate, anno 7. q. 6. n. 3. in fine* D. Joann. Escobar. *de utroque foro art. 6. n. 34.* Dian. *4 part. tract. 3. resol. 52. & part. 11. citat. loco.* Eandem sententiam, ut probabilem defendit Bardi *part. 2. tract. 3. cap. 4. n. 10.* Huic sententiæ favent Ledesm. *2. part. 4. q. 17. art. 6. dub. 2.* Henriq *l. 13. cap. 49. n. 2. in Gloss. litt. Al.* quatenus dicunt consuetudinem habere, ut parùm post usum rationis, lacticinia pueris in diebus vetitis dentur. Et D. Antonius *2. part. tit. 9. cap. 8. §. 2.* Quintanad. *tom. 2. tract. 9. singul. 4. n. 1.* cum aliis, quos citat.

142. Probatur à Bardi, quia attendendum ad id, quod est per se & non ad id, quod est per accidens: sicuti ante vigesimum primum annum non obligat præceptum jejunii: nam communiter ante illam ætatem natura exigit alimentum frequentius, quòd si illud non exigeret, adhuc non tenebitur, ante illam ætatem jejunare; quia id est per accidens: ergo sic in præsenti casu.

143. Recedendum tamen non est à contraria sententia, quæ tenet pueros habentes usum rationis, etiamsi illis perveniat ante septennium, non posse vesci carnibus, & lacticiniis diebus vetitis. Sic Sanch. *l. 1. decal. cap. 12. n. 6.* Azor *tom. l. 7. cap. 29. q. 6.* Meroll. *tom. 2. disp. 4. cap. 3. n. 4. 84.* Castr. Palo *tom. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 24. §. 2. n. 5.* quos refert, & ut probabiliore sequitur Bardi *proximè n. 7.* quibus accedunt Villal. *1. part. tract. 23. diff. 8. n. 7. in fine*, Trullench. *in Bull. l. 1. §. 4. dub. 2. n. 4. & l. 3. decal. cap. 2. dub. 2. n. 11. & dub. 6. n. 1.* Dian. *1. part. tract. 9. resol. 42.* (quamvis *in prædictis locis* oppositum exprese doceat) Baldell. *in Theol. moral. l. 5. disp. 30. n. 8.* Laym. Fagund. Sâ Soar. Salas, & alii, quos asserunt, & sequuntur Leand. *tom. 3. tract. 5. disp. 2. q. 42.* Busembaus *in Medull. Theol. moral. l. 1. tract. 2. cap. 2. dub. 1. n. 3.* Mend. *in appendic. ad Bullam disp. 2. cap. 15. per totum*, & *in statera benign. opin. differt. 8. n. 19.* Tambor *tract. de Bull. cap. 8. §. 4. n. 21.* ubi utranque opinionem judicat probabilem.

144. Ratio est, quia lex Ecclesiastica; quoad culpam, obligat omnes habentes usum rationis: ergo si pueri ante septennium polleant usu rationis, ad leges Ecclesiasticas obligantur: Ergo etiam ad abstinendum ab ovis, & lacticiniis, in diebus prohibitis; quia est lex, quæ omnes ad id obligat. Dixi *quoad culpam*, quia quoad pœnas, nempe censuras, de facto non ligantur, dum pubertatem non consequuntur. Ita cum Soar. Vasq. Cordub. Soto, Azor. Henriq. Granad. Sâ Dian. & aliis Leand. *tom. 4. tract. 1. disp. 2. q. 12. & part. 1. tract. 5. disp. 3. q. 57. & tract. 7. disp. 3. q. 9.*

145. Ad fundamentum *n.* 142. Bardi, respondeo, attendendum esse id, quod est per se, & non id quod est per accidens; at qui habet usum rationis, per se est capax culpæ, & per se est etiam capax obligationis. Et si hoc non est per se, sed per accidens; etiam puer post septennium, qui non habet usum ra-

rationis obligabitur ad abstinendum à carnibus, ovis, & lacticiniis, quia per se in ea ætate obligatur, & per accidens est, quòd usum rationis non habeat: Quod tamen Bardi non concedet.

146. Ad exemplum, respondeo, negando consequentiam: dispar ratio est: quia vigesimus primus annus completus designatus est ab Ecclesia, ut quis ad jejunia teneatur: Ergo quamvis ante eam ætatem, quis non indigeat alimento, adhuc ad jejunium non tenetur; quia non habet ætatem ad jejunium requisitam: at ut quis præceptis Ecclesiæ obediat, non est designatum septennium, sed requiritur usus rationis: ergo si ante septennium puer habens usum rationis, tenetur ad confessionem, & abstinendum opere servili, diebus festis, ut fatetur Bardi; etiam tenebitur ad abstinendum ovis, & lacticiniis; nam hoc sicut alia præcepta requirunt rationis compotem.

147. Inquires: An si dubium sit, an puer polleat usu rationis, liceat illi ministrari ova, & lacticinia, in diebus prohibitis, sine Bulla? Respondeo cum distinctione: nam vel puer complevit septennium, vel non: Si complevit, non licet illi, sine Bulla, ministrari carnes, ova, & lacticinia; quia ex communiter contingentibus præsumitur habere usum rationis. Si verò septennium non complevit, tunc libertas stat pro ætate infantili; & ova, & lacticinia, sine Bulla, illi porrigi possunt. Sic *l. si infanti C. de jure delib. cap. Juvenis de sponsal. cap. litteras, cap. accessit, de sponsal. impub.* & D. D. Castr. Palao *tom. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 24. §. 24. §. 2. n. 5. in fine*, Bardi ibi *supra n. 15.* Tambor. *tract. de Bull. cap. 8. §. 4. n. 22.* & alii, quos citat.

SECTIO XV.

An pauperes, agricolæ, iter agentes, & alii possint comedere ova, & lacticinia in jejuniis Quadragesimæ, sine Bulla.

148. DIco primò: Sine Bulla, edere possunt ova, & lacticinia in Quadragesima Pauperes ostiatim mendicantes, si aliis cibis careant. Sic Sanch. *l. 5. consil. cap. 1. dub. 19. n. 5.* Rodrig. *tom. 1. summ. cap 23. in fine*, Trullench. *in decal. l. 3. cap. 2. dub. 7. n. 6.* Pasqualig. *in praxi jejun. decis. 82.* Henriq.; & Medina, quos congerit, & sequitur Leand. *tom. 3. tract. 5. disp. 3. q. 15.* Bardi *part. 2. tract. 3. cap. 4. n. 17.* Quintanad. *tom. 2. tract. 9. singul. 4. n. 2.* & alii.

149. Dico secundò: Agricolæ, & alii pauperes existentes in locis, ubi non sunt pisces; vel si sunt, pecunias ad eos emendos non habent, cùm propter penuriam piscium, magno pretio sint, possunt ova, & lacticinia in Quadragesima comedere, sine Bulla, & illa subministrare suis domesticis, & operariis. Probatur quia sunt pauperes. Sic Sanch. *cit. n. 4.* Henriq. *l. 7. cap. 13. n. 9.* Trullench. *ubi supra* Pasqualig. *decis 83. n. 1.* Bardi *n. 18. 19. & 20.* Quintanaduen. *singul. 3. n. 4.* ubi id extendit ad communitates Regularium.

150. At oppositum docet Leand. *super cit. q. 26.* ex ea ratione, quia agricolæ, & cæteri pauperes, quamvis non habeant pisces, habent tamen sufficiens alimentum pauperum rusticorum, ex herbis, leguminibus: & fructibus constans: At si ex his cibis non possunt conficere sufficiens prandium ad suam sustentationem; tunc eis licitum erit, uti ovis, & lacticiniis, in diebus prohibitis; & citat Sanch. *ubi supra* Machad. *tom. 2. summ. l. 6. part. 8. tract. 9. docum. 2. n. 3.*

151. Hanc sententiam reputo veram, si per unum diem duntaxat essent illis cibis alendi: At per continuos dies non est sufficiens alimentum; quia illi cibi non ita sunt substantiales, aut sufficientes, præcipuè in Quadragesima per aliquos dies continuos, ut ex Sanch. & Angles. tenet Quintanaduen. *ubi supra n. 4.* Addo, hos agricolas, & personas pauperes, si habent legumina pro prandio, non habere communiter herbas; & si has habeant, non habent illa; & sic in defectu piscium recentium, sive sale conditorum, possunt sine Bulla uti ovis, & lacticiniis.

152. Dico tertiò: Iter agentes, etiamsi divites sint, possunt sine Bulla comedere ova, & lacticinia, si in itinere non inveniant pisces, quos emant. Et hujus ratio est, quia præceptum jejunii arctius obligat, quàm præceptum abstinendi ab ovis, & lacticiniis: Ergo, ut servent jejunium, sine Bulla, possunt comedere ova, & lacticinia. Unde asserit Leand. à Murcia *in Regul. S. Francisci cap. 3. q. 11. n. 4.* Regulares, qui non habent sufficiens prandium ad jejunium, posse comedere ova, & lacticinia, etiamsi panem, legumina, & fructus habeant; quia cum his tantùm non obligat jejunium. Et ita hanc nostram conclusionem docent Sanch. *citat. dub. 19. n. 6.* aliàs 7. Pasqualig. *cit. decis 84.* Leand. *q. 17.* Quintanaduen. *loco citato.*

153. Dico quartò: Habentes duas fistulas, vel unam tantùm, purgativas, vulgò *fontes*, possunt comedere ova, & lacticinia diebus prohibitis, sine Bulla. Ratio est, quia ex usu piscium possunt timere inflamationem. Et idem dicendum de omnibus aliis, qui hac de causa experti sunt aliquod detrimentum ex piscium comestione. Sic Quintanaduen. *cit. sing. 6. n. 1.* & *singul. 5.* excusat etiam alios ab esu lacticiniorum, & ovorum: scilicet musicos, cantores; ut vocis suavitatem, & integritatem conservent.

DISPUTATIO XXIII.

De Commissarii Bullæ Cruciatæ facultatibus.

1. HActenus egimus de privilegiis per Bullam Cruciatæ vivis fidelibus concessam; restat ut dicamus de peculiaribus facultatibus, quæ Commissario Generali, ejusque subdelegatis à S. Pontifice, & à serenissimo Principe, jam Portugalliæ Rege, conceduntur: in hac disputatione omittemus ea, quæ ad incertorum compositionem pertinent, commodiùs de illis agendum loco abhis facultatibus separato; ex eo quod etiam separata ab alia communi habetur Bulla. In præsenti erit sermo, tam de his facultatibus, quæ pertinent ad forum conscien-

riæ, quàm contentiosum, & ad jurisdictionem gratiosam, seu voluntariam, ut vocant, ut in progressu disputationis videbimus.

2. Quia tamen clausula, quæ ordine Bullæ sequitur explicanda, etiam ad potestatem Commissarii expectat, ut est inquirere de pœnis ab ordinariis impositis, quæ ad Cruciatam pertinent, & contra eos, qui in præjudicium hujus eleemosynæ aliquid fecerint, procedere; in hac disputatione illa comprehendam, & ab illa exordium capiam, ut ab ordine, quem hactenus secutus sum, non recedam. Hæc igitur sic habet: *Caterum universos, & singulos Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum ordinarios Regnorum, & dominiorum prædictorum enixè rogamus, eisque, in virtute S. Obedientiæ, præcipimus, ut omnes pœnas pecuniarias, etiam loco corporalium, durante ipso anno ab ipsis erogandas, seu exigendas huic pio operi omnino debeant applicare, prout nos eas omnes de quarum quantitate illorum assertioni omnino stetur: ipsorum tamen conscientias super hoc oneramus, thesauro ejusdem subventionis ex nunc, prout ex tunc applicamus.* Et mox, post hanc ad Bullam eleemosynæ designationem, addit S. Pontifex hæc verba. *Eisque* (id est Commissario) *facultatem tribuimus, ut liberè, & licitè possit, super hujusmodi pœnis ab ordinariis impositis, inquirere; & contra eos, qui in præjudicium hujus eleemosynæ aliquid fecerint, procedere.* Quæ clausula in summario non continetur. Aliæ facultates, quæ Commissario conceduntur, suis in locis adducentur. Hæc allata clausula habetur etiam in Bulla Hispana cum aliqua verborum mutatione; ex qua diversa placita oriri possunt, ut videbitur *Sect. 1. n. 6. & 11. & sect. 2. n. 23.*

§. I.

De primâ Commissarii facultate inquirendi de Ordinariis non applicantibus pœnas pecuniarias, ad Bullam, & contra eos procedendi.

SECTIO I.

Quinam in præsenti clausula veniant nomine Ordinarii?

3. Ante resolutionem sciendum est, Commissarium Generalem, quamvis sit supremus judex Tribunalis Cruciatæ, non vocari Præsidem, sed Commissarium: primò; quia sicut ille, qui alicui aliquam concedit, vel committit potestatem ad aliquem, vel aliquos effectus, dicitur committens, seu concedens; ita ille, cui potestas committitur, dicitur Commissarius; sicut ille, qui alicui donat, vel legat aliquam rem, dicitur donans, vel legans; & cui res donatur, vel legatur, dicitur donatarius, vel legatarius; ita etiam, qui acceptat potestatem ad aliquid exequendum, dicitur Commissarius. Secundò, non vocatur Præses Cruciatæ, sed Commissarius, quia nomen *Præses* dignitatem, & excellentiam importat; at nomen *Commissarius*, humilitatem: vir autem Ecclesiasticus ea, quæ redolent mundi fastum, despicit; humilia autem à longè cognoscit, & amplectitur. Hæc de hoc nominis etymologia affert Bardi *in Bull. part. 3. tract. 1. cap. 1. n. 1.* ex Peres de Lara, in quo solùm, ut inquit, illam explanatam reperit; at illam etiam ex eodem Larare fert Trulleneh. *in Cruciat. l. 2. in principio.*

4. Nunc ad quæstionem propositam; quæres primò: An nomine *Ordinarii* veniant Legati Apostolici & Nuntii eorumque auditores? Venire existimant Costa *q.* 83. Bardi *part. 2. tract. 8. cap. 2. n.* 32. Probat Costa; quia sunt Ordinarii, ut D. D. probant *ex Gloss. in cap. Ordinarii, de off. judic. Ordinarii in b. & ex Gloss. in Clement. 2. de offic. Ordinarii*: cùm ergo Bulla dicat, omnes Ordinarios teneri pœnas pecuniarias Bullæ applicare, ad id tenentur Legati Apostolici, Nuntii, & eorum auditores.

5. Oppositum tamen mihi videtur verius: Primò, quia non exprimuntur in verbis Bullæ in principio disp. allatis: cùm specificentur Archiepiscopi, & Episcopi, & post horum specificationem, alii locorum Ordinarii: ergo cùm non exprimantur, & exprimantur post Episcopos, Ordinarii, non censentur venire Legati Apostolici, & Nuntii hoc loco, nomine *Ordinarii*: si enim loco *Ordinarii* venirent, primo loco essent exprimendi. Confirmatur, quia Commissario conceditur facultas inquirendi, & procedendi contra hujusmodi Ordinarios, si aliquid in præjudicium hujus eleemosynæ fecerint; & non est præsumendum S. Pontificem contra suos Legatos, aut Nuntios, hanc potestatem concedere: ergo si in his non includantur, nec etiam in aliis. Et ita habet consuetudo introducta, quamvis Acosta asserat esse usurpatam; vel ad hoc habere speciale indultum à sede Apostolica.

6. Hoc etiam reputo, juxta Bullam Hispanam; quamvis in ea ponantur Ordinarii ante Archiepiscopos, & Episcopos, ibi: *Item omnes Ordinarii Episcopi, & Archiepiscopi &c.* primò quia in ea verificantur aliæ rationes assignatæ: Deinde sicut in Bulla Lusitana S. Pontifex incipit à majori dignitate, & progreditur ad minores; sic in Bulla Hispana incipit à minoribus, & progreditur ad majores. Nec fundamentum oppositum contrarium probat; quia concedimus, Legatos, Nuntios, & eorum auditores venire nomine *Ordinarii*; at in præsenti clausula non veniunt, propter allatas rationes. Et ita in praxi observatur.

Quæres secundò: An veniant nomine *Ordinarii* in præsenti clausula Archiepiscopi, Episcopi, Capitulum sede Vacante, Prælati ordinum Militarium Christi, & S. Joannis Cratensis, & ejusdem Ordinis Vicarius Generalis; nec non Diœcesum Gubernatores, & Priores, Abbatesque jurisdictionem quasi Episcopalem habentes: Respondeo venire, quia habent in suis Diœcesibus, & territoriis jurisdictionem Ordinariam. Sic omnes. *Costa q.* 84. Trullench. *in Bull. l. 2. §. 1. n. 3.* Bardi *super citat. n.* 33, 34. *& 36.* Mend. *disp. 37. cap. 1. n. 2.* Fragos. *tom. 2. disp. 7. de Bull. Cruciat. n. 35.*

8. Quæres tertiò: An nomine *Ordinarii* veniant etiam in præsenti Conservatores? Omnes negant de illis, qui dati sunt à S. Pontifice ad aliquos tuendos à manifestis injuriis, & violentis, judiciali non utentibus indagine: nam hi non sunt judices Ordinarii, sed delegati; quia illis non competit jurisdictio ratione officii, sed ratione delegationis. De quibus *cap. 1. & Prud. de offic. judic. delegat. in b.* & Glos. *ibi verb. Conservatores in principio*, & ibidem D. D. Joann. Andr. Sylvestr. Valasc. Campanil. Azor, Melin. quos refert, & sequitur Fragos. *proximè vers. ex hac resolutione.* De his etiam Trident. *sess. 14. cap. 5. de reformat.*

9. Si verò conservatores habeant jurisdictio-

dictionem Ordinariam, ut habent conservatores Academiæ Eborensis à B. Pio V. per indultum in forma brevis datum 25 Maii anno 1568. ut videre est, apud Costam, & Fragos. *locis citatis*, & Academiæ Conimbricensis; nec non conservatores Regularium in causis, in quibus Regulares rei extiterint; ut expressè constat ex Bulla Gregorii XV. quæ incipit: *Sanctissimus in Christo Pater*, edita 20. Septembris anni 1621. quam referunt Barbos. *de potest. Episcopi allegat.* 106. *n.* 55. Fragos. *tom.* 2. *disp.* 12. §. 6. *à n.* 118. D. D. autem, qui docent, hos Conservatores in dictis causis esse judices ordinarios, sunt Guttier. *in practic. q. q. l.* 3. *q.* 10. *pag. mihi* 70. fr. Emman. Rodrig. *in q. q. regul. tom.* 1. *q.* 65. *art.* 13. Barbos. *cit. proxime Vers. in supra dicta Constitutione, & in collect. ad Trident. sess.* 14. *cap.* 5. *de reformat. n.* 2. Fragos. *nuper citat. in dicta Bulla n.* 122. Pellizar. *in man. Regul. tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 8. *à n.* 120. ubi alia affert notabilia ad hunc intentum. Videri etiam potest Molin. *tom.* 6. *de just. disp.* 29. *n.* 1. De his igitur Conservatoribus, asserunt Costa *q.* 87. *in fine*, Bardi *ubi supra n.* 33. Fragos. *cit. dict. disp.* 7. *de Bulla Cruciat. n.* 35. *Vers. Ex hac resolutione*, teneri dictas pœnas pecuniarias ad Bullam applicare; quia sic sunt judices Ordinarii comprehensi in Bulla.

10. Dicendum tamen probabilius, juxta nostram Bullam Lusitanam, non teneri. Moveor ex verbis ipsius Bullæ; quæ tantùm loquuntur de Ordinariis locorum, ibi: *Aliosque locorum ordinarios*, & quamvis dicti conservatores sint judices Ordinarii, non tamen sunt locorum Ordinarii: nam nomine istorum solùm veniunt, qui habent jurisdictionem Episcopalem, vel quasi Episcopalem, ut videre est apud Barbos. *de Appellat. utrisque jur. Appellat.* 177. *n.* 6. & ita intelliguntur verba: *locorum Ordinarii* in Conc. Trident. *sess.* 7. *cap.* 8. *de sacram. confirm.* apud Barbos. *in collect. ad hunc locum n.* 27. & D. D. ab eo citatos in utroque loco: ergo quamvis conservatores sint judices Ordinarii; cùm tamen non habeant jura Episcopalia nomine *locorum Ordinarii* non veniunt, in hoc Bullæ loco.

11. Dixi: *juxta nostram Bullam Lusitanam*: nam juxta Bullam Hispanam, potest esse major dubitatio, quia in illa non apponitur dictio *locorum*, sed tantùm: *omnes ordinarii*; quæ verba cùm sint indefinita videntur comprehendere omnes habentes jurisdictionem ordinariam, juxta materiam sibi proportionabilem, quod juribus, & D. D. confirmat Barbos. *cit. de Appellat. n.* 1. quod placet Bardi *cit. n.* 30. At si licet, dubia unius Bullæ Cruciatæ per aliam Bullam interpretari, in qua res expressa reperitur: possunt hæc verba Bulla Hispanæ per Lusitanam interpretari; quia in Bulla Lusitana habentur cum majori expressione. Sed Bullæ Hispanæ explicatio, ad me non pertinet.

12. Quæres quartò: An veniant etiam nomine *Ordinarii* judices delegati? Respondeo non venire; quia in Bulla non est sermo de delegatis; sed de Ordinariis. Ita Costa *q.* 82. *Vers. Tertia conclusio.* Fragos. *part.* 2. *disp.* 7. *de Bull. Cruciat. n.* 35. *Vers. Ex hac resolutione.* Bardi *ubi supra n.* 35. licèt dicat, non deesse aliquem, qui hos judices nomine *Ordinarii* venire censeat.

13. Quæres quintò: An sub hoc præcepto applicandi pœnas pecuniarias in subventionem Bullæ, comprehendatur ipse Bullæ Commissarius Generalis? Negat Fragos. *ubi supra*, quia Commissarius non est Judex Ordinarius, sed delegatus. Idem tenet Costa *q.* 88. addit verò ex consuetudine, & convenientiâ, debere Commissarios has pœnas applicare; & hoc ipsum suis injungere Commissariis subdelegatis; ut suo exemplo, Ordinarii ad pœnarum applicationem alliciantur; quod refert Bardi, nec approbans, nec reprobans.

SECTIO II.

An Ordinarii, si non applicent Bullæ pœnas pecuniarias peccant mortaliter, & teneantur ad restitutionem?

14. Circa primum, sine controversia est, peccare mortaliter Ordinarios locorum, si non applicent Cruciatæ præfatas pœnas: quia id illis præcipitur, in virtute S. obedientiæ, & in materia gravi: Sed quando res aliqua ita præcipitur, & materia est capax, transgressores peccant mortaliter, ut colligitur *ex Clem. exivi*, §. *cùm autem de verbor. signific.* & docent Navarr. *de indulg. notab.* 32. *n.* 51. Sylvest. *Verb. præceptum q.* 2. & D. D. communiter: Ergo si Ordinarii locorum non applicent præfatas pœnas pecuniarias, peccant mortaliter. Sic defendunt *Costa q.* 89. *in fine*, Villal. *tract.* 27. *clausul.* 13. *n.* 23. Trullench. *l.* 2. §. 1. *n.* 4. Frag. *tom.* 2. *disp.* 7. *de Bulla Cruciat. n.* 35. Mend. *disp.* 37. *n.* 4. Bardi *part.* 2. *tract.* 8. *cap.* 2. *n.* 34.

15. Addo primò cum Mendo *loco citato*, si Ordinarius loci votum emisisset obedientiæ, & præcepto prædicto non obediret, ejus inobedientiam esse sacrilegium, quippe est contra votum. Nam licèt in peccato furti contra septimum decalogi præceptum non detur sacrilegium, si res furata non sit sacra, vel è loco sacro non furata, juxta ea, quæ diximus *supra disp.* 18. *à n.* 183. quia obedientia omnibus peccatis communis, in eo imbibitur, sicut in aliis peccatis; si tamen per votum, obedientia specialis debeatur præcipienti, non solùm committitur peccatum contra præceptum non furandi, sed etiam contra votum obedientiæ. Et patet in hoc exemplo: Si superior præciperet religioso subdito, in virtute sanctæ Obedientiæ, auditionem missæ in die festo: vel quis emisisset votum adiendi missam eo die: si illam non audiret, non solùm peccaret mortaliter contra præceptum audiendi missam die festo, sed etiam committeret sacrilegium contra votum obedientiæ, aut votum emissum: Ergo etiamsi Ordinarius loci habens votum obedientiæ non applicaret pœnas pecuniarias Bullæ, non solùm peccaret lethaliter, sed etiam committeret sacrilegium, quia delinqueret contra duas virtutes: nempe contra præceptum Pontificis, & contra votum obedientiæ.

16. Addo secundò, etiam non applicando dictas pœnas, committere peccatum furti; quia pœnæ pecuniariæ ab Ordinariis locorum impositæ ex nunc, pro ut ex tunc, sunt à S. Pontifice thesauro Bullæ applicatæ: Est enim S. Pontifex administrator, & dispensator fidelis bonorum quomodocunque Ecclesiasticorum; ergo jam sunt Bullæ: ergo earum ablatio, invito domino, est peccatum furti. Sic Mend. *citat.*

17. Ex hoc, sequitur resolutio affirmativa, circa secundum in titulo propositum: nempe, teneri Ordinarios Locorum, & eorum officiales ad restitutionem dictarum pœnarum pecuniariarum, si illas cum effectu non applicent thesauro Bullæ, quia S. Pontifex ex nunc pro tunc eas in subventionem locorum Africæ applicat, & appropriat. Sic Costa *loco nuper citato* Rodrig. *in Bull.* §. 13. *n.* 10. Villal. *dict. tract.* 27. *claus.* 23. Trullench. *dict. l.* 2. *in Bull.* §. 1. *n.* 4. Fragos. Bardi. & Illend. *locis citat.*

18. Inquires adhuc primò: An Ordinarii locorum peccent mortaliter, si pœnas pecuniarias reis minuant, vel absolutè nullas infligant, ut ad Cruciatam non proveniant? Respondeo affirmativè; quia est fraus iniqua, & pravus animus erga sanctam adeo subventionem, pro defensione locorum Africæ. Si tamen non in odium Cruciatæ, sed ob alias rationabiles causas, pœnas semper corporales, & non aliquas pecuniarias infligant; non peccarent: dummodo à jure, vel à superioribus Prælatis, pro aliquibus criminibus non sit determinata aliqua pœna pecuniaria: quia sic utuntur jure suo, & reis infligunt pœnam corporalem suis delictis proportionatam; & S. Pontifex non præcipit, ut pœnam imponant pecuniariam, sed ut impositum Bullæ applicent. Sic Mead. *ubi supra n.* 5.

19. Inquires secundò: An si Ordinarii locorum, sive ex pravo animo in Cruciatam, sive alias ob causas, reis pœnas pecuniarias non injungant, teneantur ad restitutionem earum pœnarum pecuniariarum, quæ si injungerentur, ad Cruciatam pertinerent? Respondeo cum distinctione, vel enim illæ pœnæ pecuniariæ ablatæ, vel diminutæ infra æquitatem, erant à jure taxatæ, vel non: si hoc secundum, non tenentur ad restitutionem: primò, quia restitutio solùm debetur de pœnis pecuniariis impositis: at hic, ut supponimus, nullæ impositæ fuerunt, secundò, quia non fuit causa damni sua sententia; quia illis liberum erat imponere pœnam pecuniariam, vel corporalem; & hanc inflixerunt: & quamvis peccassent ex malo animo in Bullam; proferendo sententiam justam, suo satisfecerunt muneri; & non apparet, ex quo ad restitutionem teneantur.

20. Si primum nempe; si pœnæ pecuniariæ erant à jure, vel à Prælato illi crimini determinatæ, & judex Ordinarius illas minuit, vel abstulit, tenetur ad restitutionem; quia illas non poterat minuere, nec auferre; ut tenent Azor, Clavis Regia, Sylvestr. Angel. Armill. Menoch. Farinac. quos refert, & sequitur Dicastill. *tom.* 1. *de just. l.* 1. *tract.* 1. *disp.* 5. *dub.* 5. Sed debentur parti læsæ, cui jus eas applicavit, ut ipse Castill. inquit *n.* 100. ergo cùm S. Pontifex eas pœnas pecuniarias applicavit Cruciatæ, illi debentur. Quare si Ordinarius eas pœnas alteri operi pio applicasset, adhuc tenetur ad restitutionem, quia hæc applicatio fuit rei alienæ facta alteri, invito domino, ac proinde compensari debet. Sic Mendo. *ubi supra à n.* 6.

21. Inquires tertiò: An Ordinarii locorum teneantur pœnas corporales mutare in pecuniarias, ut sic applicentur Cruciatæ? Non desunt officiales Cruciatæ, qui putant Ordinarios locorum ad id teneri; imò ad hoc censuris compelli posse. Oppositum tamen est dicendum; quia si concedatur, ut pœnæ corporales pecuniis redimantur, nunquam delinquentes sua delicta defererent: Quare pœna exilii, carceris, verborum &c. pecuniis non debent compensari, nisi data justâ, & rationabili causâ; & datâ hâc compensatione, hæc pœna pecuniaria ad Bullam pertinet. Sic Costa q. 88. *per totam* Fragos. *ubi supra dicto n.* 35. *in fine.*

22. Inquires quartò: An omnes pœnæ pecuniariæ ab Ordinariis locorum inflictæ sint Bullæ applicandæ? Costa q. 89. existimat, accusatorem non esse defraudandum eâ parte, quæ, non existente Bullâ, illi debebatur. Idem asserit de propinis, quæ ex his pœnis ante Bullam Ordinariis locorum donari solebant; quod consentaneum, & rationi congruum videtur.

23. Adverto tamen, Philippum Hispaniæ Regem III. concessisse Commissario, ut posset convenire cum Ordinariis, ut illis relaxetur medietas pecuniarum ex pœnis, & aliam applicarent Bullæ: quæ medietas Ordinariis relicta est pro accusatore, & aliis propinis, ut asserit Bardi ubi *supra n.* 41. Hæc tamen Regis concessio est tantùm pro Hispania, & illius dominiis, & non pro Lusitania; quia Hispaniæ Rex illam concessionem poterat pro suis Regnis in quibus subsidium Bullæ Regi traditur ad Bellum contra infideles: at pro Lusitania nec eam concessit, nec poterat, quia finis nostræ Bullæ eleemosynarum, sunt pro manutentione locorum Africæ, & illis traduntur, qui loca provident.

Inquires quintò: An dicta applicatio sit in Lusitania in usu? Respondeo esse in usu, & praxi observatur ab Ordinariis locorum, qui conveniunt de quota solvenda singulis annis, in quibus extat Bulla, & per nativitatem Domini à Bullæ Thesaurariis recuperatur.

SECTIO III.

An Commissarius Generalis possit inquirere, & procedere, super applicatione harum pœnarum, contra locorum Ordinarios?

25 Resolutio hujus quæstionis affirmativa constat ex Bulla, ubi dicitur à S. Pontifice Commissario facultatem tribui, *ut liberè, & licitè possit, super hujusmodi pœnis ab Ordinariis impositis, inquirere, & contra eos, qui in præjudicium hujus eleemosynæ aliquid fecerint, procedere.* Quare poterit Commissarius, inquirere de his pœnis pecuniariis, an sint applicatæ, vel non in Bullam, & procedere censuris contra rebelles, qui in præjudicium hujus eleemosynæ aliquid patraverint. Sic Escobar *tom.* 1. *Theol. moral. l.* 7. *n.* 359.

26. Cæterum notandum est primò, dictas pœnas pecuniarias paulatim injunctas, & postea conjunctas esse tradendas Bullæ Cruciatæ. Si tamen aliquis locavit has pœnas, pro certa quantitate in quolibet anno præscripta, anno elapso, ea quantitas tradenda est.

Notandum secundò, Commissarium, & illius ministros debere stare simplici asserto Ordinariorum, circa quantitatem, quæ de his pœnis fuit congesta; quia ita disponit S. Pontifex in Bulla, per hæc verba: *de quarum quantitate illorum assertioni omnino stetur.* Et sic ratio exigebat, ne fides debita Episcopis, & Ordinariis detrahatur. Si autem Episcopi, ac ordinarii assererent, minorem quantitatem, quàm congesta fuit, esse congestam, peccarent mortaliter, veritatem non propalando; nam

nam super hoc S. Pontifex conscientias illorum onerat; sic enim inquit: *ipsorum assertioni omnino stetur, ipsorum tamen conscientias super hoc oneramus.* Cùm ergo dictio *omnino* omnes indistinctè casus comprehendat, ut cum pluribus D. D. probat Barbos. *de diction. usu frequent. dict.* 240. *n.* 2. non debet Commissarius ulterius inquirere, aut procedere, sed stare Ordinariorum assertioni.

§. II.

De secunda facultate, quæ conceditur Commissario ad dispensandum in Irregularitate?

SECTIO IV.

Proponitur Bullæ clausula, & aliqua de Irregularitate.

28. OMissis, quæ pertinent ad Bullam compositionis, prosequitur Bulla ad facultatem Commissario concessam, ad dispensandum in Irregularitate contracta ab eo, qui censura ligatus Ordinis sacri actum exercuit, & sic habet: *Ac etiam super Irregularitate per eos, qui quibusvis Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis Ligati, missas, & alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebraverint, quomodolibet contractâ. Quòdque in ordinibus per eos aliàs tamen ritè susceptis, liberè, & licitè valeant, dispensare, omnemque inhabilitatis; & infamiæ maculam inde provenientem abolere.* Hæc facultas in summario non est transcripta.

29. Hæc clausula etiam reperitur in Bulla Hispana, non sine discrimine, ex eo quòd in illa videantur concessæ facultates ad non paucas Irregularitates à suo Commissario dispensandas, ex vi eorum verborum: *Et super aliâ ex illis, qualibet Irregularitate contractâ.* Quæ verba occasionem Expositoribus Bullæ Hispanæ præbuerunt eundi in varias sententias, aliquibus existimantibus, debere intelligi ea verba, & clausulam, ut habetur in Bulla Lusitana, ut Rodrig. *in addit. ad* §. 13. *Bull. n.* 9. & Villal. *part.* 1. *tract.* 27. *clausul.* 13. *n.* 10. quamvis aliqui negant hoc esse assertum ab his authoribus; id etiam docuit doctus Recentior apud Bardi *part.* 3. *tract.* 2. *cap.* 1. *n.* 7. Alii tamen communiter, ut dicit Bardi, asserunt, Commissarium Hispanum posse dispensare in omnibus Irregularitatibus non exceptis in ipsa Bulla Hispana; quia est amplior Lusitanâ; quæ nec prædicta verba, nec exceptiones continet. Quidquid ergo sit de Bulla Hispana; quæ sanè latè ab illius Expositoribus declaratur; ut videre est apud citat. & Escobar *in Thol. Moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 365.

30. Ad explicationem nostræ Bullæ, circa dictam facultatem, breviter aliqua præmitto. Primum, *Irregularitatem esse canonicum impedimentum prohibens promotionem ad ordines, & eorum usum.* Sic D. D. communiter, nam licèt in verbis differant, in hac definitione conveniunt. Vide Soar. *tom.* 5. *de censuris disp.* 40. *sect.* 1. *n.* 2. Secundum, circa divisionem Irregularitatis, vide quæ diximus *supra disp.* 17. *sect.* 23. & plures casus in quibus incurritur: vide *disp.* 18. *à n.* 499. Leand. *tom.* 5. *de Irregul. tract.* 1. *disp.* 1. *q.* 3.

31. Secundò præmittendum, non solùm esse irregularem, qui ligatus censura, sive excommunicationis, vel suspensionis, aut interdicti, missam celebrat; sed etiam qui majori excommunicatione ligatus exercet solemniter, & ex Officio actum proprium Ordinis majoris, quem habet: ut constat, saltem implicitè, *ex cap. Si quis Episcop.* 2. 11. *q.* 3. *cap.* 1. *de sentent. & re judic. in* 6. *cap. is cui de sentent. Excommun. etiam in* 6. & D. D. cum communi sententia apud Leand. *tom.* 5. *de irregul. tract.* 2. *disp.* 21. *q.* 2. Unde censura ligatus, ministrans Sacramentum Eucharistiæ, aut pœnitentiæ, manet irregularis, etiamsi excommunicatio, aut delictum sit occultum, & etiamsi absolutio ob culpam pœnitentis sit invalida. Idem de Sacerdote censurato, qui benedicit paramenta, cereos, aquam, vestes, fruges, olivas, nuptias, mulierem post partum; vel similes actiones exercet ad Ordinem Sacerdotalem pertinentes. Sic omnes D. D. apud Leand. *cit. q.* 9. *&* 10. & tenent Bonac. *disp.* 7. *de censur. q.* 1. *punct.* 5. *num.* 6. *&* 7. Mend. *in Bull. disp.* 37. *n.* 53. *in fine.* Secus dicendum de habente excommunicationem, & recitante privatim horas canonicas, dicente: *Dominus vobiscum.* Sic Soar. *de censur. disp.* 12. *sect.* 2. *n.* 13. malè citat. à Dian. *part.* 4. *tract.* 2. *resol.* 94. pro opposita sententia, ut videre est apud Leand. *proximè q.* 16. qui cum Villal. Filliuc. Bonac. & aliis, hoc nostrum tenet assertum.

32. Tertiò præmittendum, non esse irregularem, qui ligatus censura exercet solemniter actus minorum Ordinum; quod licèt sit contra Leand. *citat. q.* 3. & alios, quos refert; traditur à Villal. *tract.* 21. *diff.* 14. *n.* 1. Avil. *de censur. part.* 7. *disp.* 9. *sect.* 2. *dub.* 3. Mend. *supra*, Bonac. Gibalin. Corneio apud Leand. *proximè.*

33. Quartò præmittendum, non esse irregularem, qui existimans se censura esse ligatum, cùm realiter non sit, prædicta exercet; quia irregularitas non infligitur ob censuram fictam, sed veram, adversus prædicta exercentem. Ita cum Mercero Mend. *ubi supra n.* 54. Si verò dubitet, an sit censurâ ligatus, adhibitâque diligentiâ, & deposito dubio, etiamsi postea constet, se esse excommunicatum, suspensum, aut interdictum, non manet irregularis; quia supponimus, prædicta sic exercentem peccatum mortale non commisisse. Ita Bonac. *citat. q.* 3. *de irregul. punct.* 5. *num.* 2. Sayr. Henriq. & alii, quos afferunt, & sequuntur Dian. 5. *part. tract.* 9. *resol.* 94. Leand. *ubi supra q.* 19. Mend. *loco citato.*

34. Quintò præmittendum, irregularem ex celebratione missæ, vel exercitio prædictorum cum censura, non posse de novo aliquod obtinere beneficium, etiam simplex, nec pensionem Ecclesiasticam; collationemque ei factam, non solùm esse illicitam, sed etiam invalidam. Sic Covarr. Henriq. Avil. Soar. Sayr. Bonac. Less. Reginald. Garcia, Cochier, Sanch. Parisius Luysius, Ægid. Villal. Navarr. quos referunt, & sequuntur Mend. *cit. n.* 55. Leand. *tom.* 5. *de irregul. tract.* 1. *disp.* 3. *q.* 11. *&* 12. Quæ sententia, cùm sit probabilior, & communis, tenenda est in utroque foro: Probabilis tamen est opposita asserens, esse solùm illicitam, & pro foro interno, satis securam: quam defendunt Castr. Palao *tom.* 6. *de censur. punct.* 5. *n.* 7. Bauny *de irregul. q.* 2. *&* 5. Hurt. *disp.* 1. *de irregul. diff.* 5. *n.* 21. Laym. Felin. & alii, quos sequitur, & refert Dian. 4. *part. tract.* 2. *resol.* 79. & congerit Leand. *nuper allatus.* Et probabilem dicunt Soar. Filliuc. Coninch. & alii apud citat.

Quare juxta hanc sententiam beneficiarius, aut pensionarius suos faciunt fructus: at non juxta primam sententiam. Sic Leand. *supra allatus q.* 15.

35. Sextò præmittendum, confessarium virtute Bullæ electum non posse in prædicta irregularitate dispensare, nec ab illa absolvere, ut diximus *dicta disp.* 17. *sect.* 23. *à n.* 211. His præmissis; videndum est, quid possit Commissarius ex facultate sibi concessa, in dicta clausula.

SECTIO V.

In quibus irregularitatibus valeat Commissarius dispensare?

36. EX verbis allatis *in principio sectionis præcedentis*, constat, Commissarium Cruciatæ solùm posse dispensare eam irregularitatem, quæ fuit contracta ex eo, quòd quis censurâ aliquâ Ecclesiasticâ, sive excommunicationis, vel suspensionis, aut interdicti ligatus, missam, aut alia divina officia celebraverit, aut Ordinis Sacri actum exercuerit; non tamen in contemptum clavium. Sic Costa *q.* 97. *vers. Quibus positis*; & Expositores Bullæ Hispanæ mox citandi, quatenus nobis conveniunt in hac clausula. Addo, etiam posse dispensare eam, quæ fuit contracta ab eo, qui ea divina exercuit, dum erat aliquâ sententiâ Ecclesiasticâ, aut aliis pœnis, & pœnâ suspensionis merè pœnali punitus. Vide, quæ diximus *supra disp.* 17. *à n.* 185. Ad hujus tamen facultatis intelligentiam, aliquas oportet dubitationes exponere.

37. Quæres primò: Qui casus comprehendantur sub celebratione divinorum officiorum, dum dicitur, *& alia divina officia celebraverint.* Respondeo, comprehendi illum, qui tanquam hebdomadarius cantat in choro; Diaconum cum stola, & Subdiaconum cum manipulo solemniter Evangelium, & Epistolam canentes; sacerdotem solemniter baptisantem, aut confessiones Sacramentaliter excipientem; vel sponsos benedicentem, & his similia, ut diximus *supra n.* 31. & remissivè *d.* 11. *n.* 5. in quibus censuratus Irregularitatem ex delicto incurrit. Ita Bardi *in Bull. part.* 3. *tract.* 2. *cap.* 1. *n.* 4. Et circa exercitium Ordinis sacri, Trullench. *ibid. l.* 2. §. 3. *dub.* 1. *n.* 2. Henriq. *l.* 7. *de indulg. cap.* 13. *n.* 1. Mend. *disp.* 37. *n.* 53. Escobar. *in Theol. moral. l.* 7. *n.* 365. & alii communiter, & cum his irregularibus potest Commissarius dispensare.

38. Quæres secundò: An Commissarius possit dispensare in prædictis Irregularitatibus, non solùm pro foro interno, sed etiam pro foro externo? Respondeo, posse pro utroque foro. Ita Costa *cit. Vers. secunda conclusio*, & expositores Bullæ Hispanæ Henriq. *l.* 7. *de indulg. cap.* 13. *n.* 5. Rodrig. *id addit ad* §. 13. *n.* 1. Trullench. *in expos. Bull. l.* 2. §. 3. *dub.* 1. *n.* 4. & apud ipsum Avil. *part.* 7. *disp.* 10. *dub.* 5. Cast. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *de Bull. punct.* 11. *n.* 4. Escobar *proximè n.* 366. Villal. *tract.* 27. *claus.* 11. *n.* 6. Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 115. *Vers. igitur ex his*; quibus addo Bardi *part.* 3. *tract.* 2. *cap.* 1. *n.* 22. Mend. *disp.* 37. *n.* 47. Fr. Joseph. Mend. *in Theol. moral. fol.* 228. *n.* 7. Ratio est clara ex Verbis Bullæ Lusitanæ, in quibus conceditur facultas dispensandi in dictis Irregularitatibus, ibi: *quomodolibet contractâ:* sed dictio *quomodolibet* cùm sit universalis, comprehendit omnes casus, & omnia continet, ut cum D. D. tenet Barbos. *de diction. usu frequent. dict.* 330. *n.* 1. & 10. ergo in præsenti comprehendit Irregularitates, sive sint occultæ, sive publicæ, & notæ. Unde juxta hanc dictionem adeo generalem nullum excludentem casum, dico etiam comprehendi facultatem, dispensandi in dictis Irregularitatibus; etiamsi delicta sint deducta ad forum contentiosum.

39. Probatur ulterius, quòd ista dispensatio sit valida pro foro externo; quippe id satis manifestant verba Bullæ, ibi: *omnemque inhabilitatis, & infamiæ maculam inde provenientem abolere:* sed si dispensatio non esset valida, pro foro exteriori, non diceretur, Commissarium aboleviss omnem infamiæ maculam, cùm adhuc remaneret pro foro exteriori: ergo ut omnem infamiæ maculam ex dictis Irregularitatibus provenientem auferat, dispensatio valet pro foro externo. Et ita habere praxim, asserit à Costa *supra citat.* Expositores Bullæ Hispanæ aliter probant hanc facultatem, pro foro externo, ut videre est apud citatos. Sed non ita clarè, ut juxta nostram Bullam, ostendimus.

40. Ex hac resolutione sequitur primò, majorem facultatem concedi Commissario, quàm Episcopis *in Trid. sess.* 24. *cap.* 6. *de Reform.* quoad dispensationem dictarum Irregularitatum; quia Episcopi solùm possunt dispensare in dictis Irregularitatibus, quando fuerint occultæ, & non deductæ ad forum contentiosum: at Commissarius etiam potest, quando sunt publicæ; ut *supra citati* D. D. notarunt, & quando sunt deductæ ad forum contentiosum; ut juxta nostram Bullam indicavimus. Lege dicenda *in fine n. sequentis.*

41. Secundò sequitur, posse Commissarium dispensato in aliqua Irregularitate tradere Litteras, in quibus ea dispensatio pro foro externo contineatur; & in eo foro proderit. Et sic factum, referunt Vivald. *cit.* à Rodrig. *supra* Trullench. *loco proximè citato*, Mend. *dict. disp.* 37. *n.* 47. *in fine* Bardi *ubi supra n.* 23. addens, quamvis hæc dispensatio pro foro contentioso prosit, posse judicem ob delictum patratum delinquentem punire: quia dispensatio illum non eximit à pœna debita, sed solum tollit Irregularitatem; ne in futurum valeat, aut, ut Irregularem se gerat; quod verum habet.

42. Quæres tertiò: An Commissarius, si sit confessor approbatus, possit intra confessionem Sacramentalem hanc præstare dispensationem? Respondeo cum distinctione: posse, ut Commissarium, & sic dare pœnitenti litteras dispensationis, si ab illo petantur: non tamen potest, ut confessarius dispensare in aliqua ex dictis Irregularitatibus; quia sic nullam habet facultatem ad dispensandum in illis, ut vidimus *disp.* 17. *sect.* 23. *à n.* 214. Et ita sentiunt Rodrig. *in addit. ad* §. 13. *n.* 2. Trullench. *ubi supra*, Bardi *n.* 24. Mend. *n.* 48.

43. Quæres quartò: An Commissarius dispensare possit in aliqua ex prædictis Irregularitatibus cum absente; vel cum illo, qui tacito nomine per alium petit dispensationem? Respondeo, posse cum utroque: cum absente; quia ideo non posset; quia hæc dispensatio non potest dari extra confessionem: ut potest, ut constat: ergo cum absente potest dispensare. Sic Bardi *proximè* & cum illo, qui, tacito nomine, per alium postulat dispensationem, quia ad hanc dispensationem, nec præsentia, nec cognitio personæ requiritur; ut patet ex aliis

dispen-

dispensationibus, maximè Sacræ pœnitentiariæ, quæ non requirunt, ut nomen petentis dispensationem, expressè manifestetur, sed tacito nomine expediuntur: Sic Bardi *citat. n.* 27.

44. Quæres quintò: An Commissarius Generalis possit uti dicta facultate cum Regularibus exemptis? Respondeo cum distinctione, posse; si Regulares ad id licentiam habeant à suo superiore. Et in hoc omnes conveniunt. Si verò, nulla habita licentia, Regularis recurrat ad Commissarium, pro hac dispensatione? Respondeo, etiam posse cum illo dispensare Commissarium, dummodo aliquod non detur privilegium Pontificium suæ Religioni concessum, quod id prohibeat. Ratio est, quia Commissarius est delegatus Pontificis, & facultatem ad hanc dispensationem limitatam non habet: ergo quando Regularis illi sponte se submittit, cum illo poterit dispensare. Sic Trullench. *l.* 2. *expos. Bull.* §. 3. *dub.* 1. *n.* 3. Bardi *ubi supra n.* 25. Mend. *disp.* 37. *n.* 46.

45. Dixi: *dummodo aliquod non detur privilegium Pontificium suæ Religioni concessum, quod id prohibeat:* De quo valdè dubitat Mend. *citat.* quia existimat nullum esse privilegium, quod hanc prohibitionem inferat. At certum est dari, Religioni nostræ Societatis JESU à Gregorio XIII. die tertia Maii anni 1575. concessum; ut videre est *in Compendio nostrorum privilegiorum. Verb. Gratiarum usus* §. 2. in quo statuitur, non posse personas Societatis JESU absque expressa licentia superiorum eorundem, uti facultatibus, quæ continentur in Bulla Cruciatæ, confessionalibus, aut aliis quibusvis Apostolicis indultis, quomodocumque hactenus concessis, & in posterum concedendis. Declarat præterea, posse superiorem, dum hujusmodi licentiam concedit, eam limitare ad usum unius, aut alterius facultatis, & prohibere usum reliquarum, etiam in eadem Bulla, aut indulto contentarum. Bardi *ubi supra n.* 26.

46. Sed contra insurgit Mend. *in appendic. ad Bullam disp.* 3. *n.* 16. asserendo, hanc prohibitionem tendere ad usum Bullæ, in ordine ad absolutionem à casibus reservatis; vel si in ordine ad alia, erit ad ea, quæ ad confessionem spectant, qualis non est hæc dispensatio; & idem videtur sentire Avendanus *in Thesauro Indic. tit.* 5. *n.* 266. Et *n.* 270. inquit Bullam Gregorii XIII. intelligi debere de his, quæ Regularem disciplinam videntur relaxare: cùm verò pet prædictam dispensationem disciplina regularis non relaxetur; ibi non venit prohibita.

47. At contrarium constat: Quia Gregorius XIII. utitur in hac prohibitione his verbis: *facultatibus, quæ continentur in Bulla Cruciatæ:* at nomine *facultatibus*, venit etiam dicta dispensatio, quæ quidem in Bulla Cruciatæ continetur.

48. Quæres sextò: An Commissarius dispensare possit in irregularitate, quam quis contraxit, ex eo quòd celebravit, aut actum Ordinis Sacri exercuit, cum esset ligatus censura suspensionis; quia Ordines Sacros ante legitimam ætatem suscepit, vel extra tempora fuit Ordinatus; quæ suspensio in eum fulminatur, *in Extravag.* Pii II. quæ incipit: *Cum ex Sacrorum*, & tenent omnes D.D. Soar. *tom.* 5. *de cens. disp.* 31. *sect.* 1. *à num.* 22. Castr. Palao *tom.* 6. *de censur. disp.* 4. *punct.* 10. §. 1. *n.* 6. alii, quos congerit, & sequitur Leand. *tom.* 4. *de censur. tract.* 4. *disp.* 4. *disp.* 4. *q.* 3. Respondeo, posse; quia hæc irregularitas fuit contracta, ex eo quòd celebravit missam, aut alia divina Officia exercuit: sed ad hanc dispensationem Commissario conceditur facultas, ut ex verbis Bullæ *supra allatis* constat: ergo. Ita Sebastian. à Costa *q.* 97. *in fine.*

49. Idem arbitror, dicendum de eo, qui ab alieno Episcopo, sine licentia proprii, scienter Sacris fuit initiatus, & sine absolutione à suspensione, in ordine sic suscepto administravit, & mansit irregularis, ut constat *ex Extravag.* Pii II. *citat.* & *Trident. sess.* 6. *cap.* 5. *& sess.* 14. *cap.* 2. *& sess.* 23. *de Reformat. cap.* 8. & D.D. Castr. Palao *proximè n.* 4. Barbos. *de potest. Episcop. alleg.* 8. *num.* 10. & aliis apud Leand. *citat. q.* 14. Quia hanc irregularitatem contraxit, ex eo quòd cum censura celebravit; & in illa Commissarius, juxta dicta, potest dispensare.

50. Quæres septimò: An valida sit in aliqua ex prædictis irregularitatibus dispensatio, si à Commissario non imponatur compositio pecuniaria in subventionem locorum Africæ? Respondeo, non esse invalidam; quia in nostra Bulla ea conceditur facultas, sine ea conditione: ergo si à Pontifice non apponitur, nec à nobis necessariò est apponenda. Fateor tamen, Commissarium aliquam debere dispensato injungere; quia finis concedendi hanc facultatem Commissario fuit, ut subventio ad locorum Africæ augeretur; & hæc sufficit ratio, ut dicta compositio dispensato injungatur. Dixi, *eam dispensationem non esse invalidam:* nam Expositores Bullæ Hispanæ, judicantes esse invalidam, ut Trullench. *dicto lib.* 2. §. 3. *dub.* 1. *n.* 4. *in fine.* Mendo *disp.* 37. *n.* 40. & expressè *n.* 48. fundantur in verbis Bullæ Hispanæ, in quibus dispensatio cum compositione conjungitur ibi: *Dispensandi, & componendi:* at in nostra Bulla nulla fit mentio compositionis. Quamvis enim post Bullæ allata verba *n.* 28. fiat mentio compositionis; est illius, quæ à Commissario fieri potest, cum prædictis irregularibus, super indebita fructuum perceptione, ut constat ex ipso Bullæ textu.

51. Quæres octavò: An Commissarius possit dispensare in prædicta irregularitate, quando ex contemptu clavium fuit incursa? Respondeo, non posse; quia sic expressè habetur in Bulla: *Non tamen in contemptum clavium celebraverint.* Et ita docent Expositores Bullæ Hispanæ, in qua etiam eademmet dantur verba; Rodrig. *in addit. ad* §. 13. *Bull. n.* 5. Villal. *tract.* 27. *clausul.* 11. *n.* 7. Bardi *part.* 3. *tract.* 2. *cap.* 1. *n.* 20. Mend. *disp.* 37. *n.* 51. & *in appendic. disp.* 3. *à n.* 14. Trullench. *proximè n.* 5.

52. Tunc autem quis in contemptum clavium operatur, quando parvi pendet censuras, eas existimando indiscretas, & intolerabiles; & Prælato formaliter nolendo obedire. Dupliciter enim potest quis frangere præceptum superioris; primò si ex fragilitate, ira, aut concupiscentia, & simili affectu, movetur ad exequendam rem contra præceptum, & sic non operatur in contemptum. Secundò, quando formaliter quis movetur contra obedientiam parvi pendens censuras Ecclesiasticas, quæ interdicunt celebrare missam, & alia divina Officia; aut directè nolens obedire, aut Ecclesiæ jurisdictioni se submittere; & sic operando dicitur operari in contemptum; & non potest in irregularitate sic contracta à Commissario dispensari.

53. De infamia, & inhabilitate, quæ contrahitur ex dicta irregularitate, jam *supra* diximus, posse aboleri à Commissario. De compositione

fructuum

fructuum indebitè perceptorum, propter dictam irregularitatem commodiùs dicemus *infra* cùm de Bulla compositionis.

34. Adverto, Commissarium Hispanum habere, præter aliquas irregularitates, in quibus potest dispensare, facultatem dispensandi in foro conscientiæ cum illis, qui primo, & secundo gradu affinitatis ex fornicatione ortæ, contraxerunt; dummodo alter contrahentium impedimentum ignorasset; prolemque susceptam, & suscipiendam legitimam decernere. Item in superveniente simili affinitatis impedimento dispensare potest, ut facti affines debitum petere possint: quæ cùm nostro Commissario non concedantur, non est cur in his immoremur.

§. III.

De tertia facultate Commissario concessa ad suspendendas, & revalidandas gratias, & indulgentias.

SECTIO VI.

Proponitur Bullæ clausula, & quas gratias, & indulgentias suspendat.

55. PRosequitur Bulla Latina, ad tertiam facultatem Commissario concessam, & sic tenet: *Et ad effectum præmissorum duntaxat omnes similes, aut dissimiles indulgentias, ac peccatorum remissiones à nobis, & dicta sede, vel ejus authoritate, quibusvis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, Piis locis, Universitatibus, Confraternitatibus, & singularibus personis, in Regnis, & Dominiis prædictis, etiam in favorem Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, etiamsi clausulas aliquas, contra suspensionem hujusmodi, facientes, continerent; ita ut interim, quæ publicata fuerint, etiam communiter, vel divisim nulli hominum suffragari: sed nec sub pœnis pecuniariis, ac etiam sub invocatione auxilii brachii secularis prædicari, aut aliàs publicari, nec alia quævis, præterquam pro subventione manutentionis militum hujusmodi suffragia postulari possint, ad dictum triennium duntaxat suspendere.*

56. Ad finem hujus clausulæ derogatoriæ Bullæ Gregorii XIV. ipse S. Pontifex omnes facultates, indulta, consuetudines, & privilegia supra dictis locis, & personis particularibus concessa, in contrarium obstantia, revocat, solitâ clausula, *non obstantibus*, exceptis facultatibus Mendicantibus concessis, per hæc verba: *Præterquam facultatis Mendicantium Ordinum superioribus, quoad suorum ordinum Fratres.* At in extensione ejusdem Bullæ facta ab aliquibus successoribus, hæc exceptio ponitur statim, post suspensionem supra dictam, ut à Commissario in Bullæ summario, sicut in Bulla Hispana apponitur; quod sanè non diversum ingerit discrimen, ut ex *infra* dicendis apparebit.

57. Commissarius autem in summario, sic gratiarum suspensionem pronuntiat: *Por quanto S. Santidade concede a nos Francisco Correa de Lacerda do Conselho de S. A. seu secretario de Estado, e Commissario Geral Apostolico da Bulla da S. Cruzada, nestes Reynos, e senhorios de Portugal, &c. poder de suspender todas, equaesquer indulgentias concedidas por sua santidade, pella see Apostolica, E por sua authoridade a estes Reynos, e senhorios de Portugal. Nos uzando dodito poder, e authoridade Apostolica, suspendemos, e avemos por suspensas, durando odito anno todas as semelhantes, edesemethantes indulgencias, eremissoens de peccados, que aquaesquer Igrejas, Mosteiros, Lugares pios, Universidades, Collegios, Confrarias, epessoas particulares forem concedidas, em os sobre ditos Reynos, esenhorios, ainda que sejam em favor da Basilica dos Principes dos Apostolos de Roma, eposto que tenham algnas clausulas, que façam contra esta suspensam; de modo quenenhuma pessoa possa gozar, nem ganhar graças, indulgentias, nem faculdades (tirando as faculdades concedidas aos superiores das Ordens dos Mendicantes, pera com os Religiosos dasditas Ordens somente) aqual suspensam nam havera lugar nas pessoas que tomarem esta Bulla.*

58. Ubi adverte, Commissarium Generalem revalidare dictas indulgentias, gratias, & facultates, quoad illas personas, quæ summarium Bullæ acceperint, circa quod asserit à Costa *q.* 99. in illo concedi, ut decursis aliquibus mensibus, habentes Bullam lucrentur reliquas indulgentias: ita ut semper in publicatione illarum adjiciatur clausula: *Dummodo sanctam habeant Cruciatam.* Quod in praxi partim habet verum, nempe hoc ultimum; non primum; nam si quis mox post Bullæ promulgationem, accipiat Bullam, quin aliqui decurrant menses, indulgentias à Commissario suspensas lucrabitur, ut inquit ipse Commissarius. Nec etiam habet verum quod hæc revalidatio, ut ab illo describitur, in Bulla Gregorii contineatur, ut Legenti patebit: quia nullo modo in illa continetur, nisi aliquis sic velit explicare hæc verba, *ad effectum præmissorum duntaxat*, in principio clausulæ suspensionis adducta. Habet tamen Commissarius facultatem revalidandi præfatas indulgentias, & gratias ex Bulla Clementis VIII. ut *infra* videbimus *n.* 264. Hæc eadem facultas datur in Bulla Hispana, cum expressa potestate revalidandi easdem gratias in favorem illorum, qui Bullam accipiunt.

59. Finis hujus suspensionis est, ne aliqui se abstineant à sumenda Bulla, contenti cum indulgentiis, & aliis gratiis, quæ conceduntur Monasteriis, Ecclesiis, &c. Quam si accipiant, etiam hæ, quæ his locis particularibus conceduntur, pro ipsis, & non pro aliis, qui illam non accipiunt, à Commissario revalidantur. Hæc facultas suspendendi indulgentias, est amplissima; quia etiam extenditur ad Brevia; si aliquas habeant clausulas facientes contra hanc suspensionem. Non ita tamen est intelligenda, ut non possit reperiri clausula, contra quam nihil faciat prædicta suspensio: nam ut inquit Bardi *part.* 3. *tract.* 1. *cap.* 1. *n.* 7. hoc asserere, esset error; nam ex eo asserto sequeretur, Pontificem non posse concedere indulgentiam ita firmam, quæ per Bullam non possit suspendi: quia omnes, sicut etiam illæ, quæ continentur in Bulla Cruciatæ, dependent à Libera S. Pontificis authoritate; qui potest omnes, & aliquam ad sui beneplacitum revocare, aut modificare. Intelligenda ergo hæc est facultas Commissario concessa, juxta tenorem Bullæ, & clausulas revocatorias quæ non omnes indulgentias, indulta, & facultates revocant, sed tantùm illas, & illa, quæ sunt concessa locis, & personis particularibus, quibuscumque

clausulis

clausulis sint concessa: ideo enim S. Pontifex in clausula derogatoria post expressionem locorum, & personarum particularium, usus est his verbis: *illis alias in suo robore permansuris*, quæ in hæc subjecta materia, sunt verba limitationem, & diminutionem importantia; ut clariùs ex resolutione aliquorum casuum apparebit.

60. Ex his adverte primò, universalitatem hujus suspensionis esse, quoad loca, Universitates, confraternitates &c. & singulares personas, in Regnis, & dominiis Portugalliæ degentes, durante anno publicationis, ut constat ex allatis verbis, initio hujus sectionis. Unde si in aliquo loco non publicetur Bulla, mox finito anno naturali, potest quis gratis gaudere, quæ non fuerunt suspensæ, dum altera Bulla non publicatur eo loco; quia finito anno, expirat Bulla. Vide quæ diximus de duratione Bullæ *disp. 3. sect. 3. 4. & 5.*

61. Adverte secundò, ex vi concessionis hujus facultatis, prædictas gratias non suspendi; quia in prædictis verbis, nullum datur verbum, per quod suspendantur; sed confertur Commissario facultas ad illas suspendendas: Quòd si Commissarius de facto illas non suspendat, suspensæ non manebunt. Quare Commissarius in fine summarii illas, durante anno publicationis, suspendit, ut vidimus in verbis summarii allatis. Nunc descendamus ad illas, quas ex prædicta facultate Commissarius suspendit, & primò quoad sæculares, deinceps quoad Regulares.

SECTIO VII.

An privilegia in corpore juris inserta, vel consuetudine introducta, a Commissario suspendantur?

62. Circa primum Bardi *part. 3. tract. 1. cap. 2. n. 4.* utitur distinctione: asseritque, privilegia qualificata inserta in corpore juris non suspendi, sed tantùm ea, quæ non sunt qualificata. Et illa ab eo dicuntur qualificata, quæ habent clausulam, ut non possint revocari, nisi de illis fiat expressa mentio: & non qualificata, quæ hanc clausulam non habent. Probat primam partem; quia privilegia qualificata habent clausulam derogatoriam, & resistentem; ac proinde per Commissarium non suspenduntur. Secundam etiam probat, quia privilegia non qualificata, cùm sint in corpore juris, censentur non ignorari à Principe, sed conservari in scrutinio sui pectoris, ut dicitur *Cap. 1. de constit. in 6.* & aliquos adducit D.D. loquentes de privilegiis non qualificatis.

63. Non est tamen recedendum à communi opinione asserente, non suspendi dicta privilegia, sive sint similia, sive dissimilia illis, quæ in Cruciata conceduntur. Sic Rodrig. *in Bullam §. 12. n. 12.* Fernand. *in exam. Theol. moral. part. 3. cap. 9. sect. 11.* Villal. *tract. 27. claus. 12. à n. 14.* Castr. Palao *tom. 4. tract. 25. de Bull. punct. 10. n. 4.* Trullench. *in Bull. l. 1. §. 9. dub. 1. n. 6.* Dian. *part. 1. tract. 11. resol. 87.* Mend. *disp. 29. n. 10. in appendice disp. 3. à n. 2.* Tamborin. *tract. de Bull. cap. 14. §. 1. n. 5.* & apud ipsum Galleg. idem tenent Escobar *tom. 1. in Theol. moral. l. 7. n. 346.* Abreus *de paroch. l. 10. n. 610.* & alii. Ratio est, quia per clausulam generalem non suspenduntur ea, quæ in jure continentur, nisi eorum fiat expressa mentio: ut docet Barthol. communiter receptus *in Extravag. ad reprimendum, Verb. non obstantibus, n. 11.* & plures D.D. quos refert Barbos. *de clausul. usu frequentioribus, clausul. 83. n. 1.* at de his in suspensione non fit expressa mentio. Confirmatur, quia Commissarius solùm valet suspendere ea, quæ speciali Pontificis authoritate conceduntur: atque in jure communi continentur, quamvis sint authoritate Pontificis concessa, sunt tamen authoritate publica, & veluti communi, quæ non veniunt suspendenda, nisi exprimantur.

64. Ex hac sententia sequitur, posse clericos, etiam initiatos minoribus, tempore interdicti, absque Bulla, interesse divinis, quia in jure id eis est concessum. Et ex eadem ratione, Prælati Religionum possunt concedere litteras confraternitatis admittentes suos benefactores ad bonorum communitatis, & Religionis participationem. Et idem dicendum de aliis privilegiis, quæ in jure communi continentur: sic Rodrig. *cit. & §. 7. n. 18.* Villal. *ubi supra n. 15. & 16.* Mend. *disp. 29. n. 12.* Escobar *citat.* Dian. *part. 1. tract. 11. resol. 87.* Trullench. & Abreus *locis citat.* & alii.

63. Ad fundamentum Bardi *n. 62.* dum asserit, suspendi privilegia non qualificata inserta in corpore juris, quia censentur non ignorari à Principe, sed conservari in scrutinio sui pectoris; respondeo, non suspendi. Ratio est, quia S. Pontifex per Bullam non intendit, quòd suspendantur, quæ in jure communi continentur, sive sint qualificata, sive non: Et id manifestè cernitur; quia quando aliquis à reservatis absolvitur in articulo mortis, absque Bulla, confessor non examinat, an hoc privilegium sit qualificatum, aut non; & semper absolvit, ut debet. Idem de aliis privilegiis, quæ in corpore juris continentur, observat ipsa praxis.

66. Quoad secundum in titulo sectionis propositum; nempe de privilegiis, quæ ipsa consuetudine sunt introducta? Respondet Bardi *ubi supra n. 4.* per suspensionem prædictam suspendi consuetudinem Cruciatæ contrariam; quia cùm consuetudo habeat se tanquam lex, quæ per posteriorem legem contrariam abrogatur; sic etiam & consuetudo, quæ se habet, ut lex, per Cruciatam suspendetur.

67. Sed rectè impugnatur à Mend. *in appendic. disp. 3. n. 4.* quia si per Bullam non suspenduntur privilegia inserta in jure communi; quia jus commune non suspenditur; ita etiam nec consuetudo, quæ jure communi æquiparatur, suspendetur. Et patet, nam privilegio edendi ova, & lacticinia in Quadragesima in Bulla concesso similis est omnino introducta consuetudo, in aliquibus Provinciis, & Diœcesibus, ut Asturicâ, parte Galleciæ, & in aliis, ut vidimus disp. præcedente à *n. 82.* & tamen hæc consuetudo non suspenditur per Bullam, ut fatetur ipse Bardi *part. 2. tract. 3. cap. 3. n. 6.* & ideo absque Bulla possunt edi ova, & lacticinia in eis Provinciis; ut ipsa praxis observat; & ipse Mend. testatur de Principatu Asturico, in quo residebat, quando Bullæ elucidationem componebat: ergo idem dicendum de aliis consuetudinibus.

68. Impugnari etiam potest, ex alio capite; quia per Bullam, suspenduntur ea privilegia, quæ immediatè à Papa sunt concessa: ut constat ex ipsa Bulla; sed privilegia à consuetudine introducta non sunt immediatè concessa à S. Pontifice: sed inducta à populo: ergo per Bullam non suspenduntur.

69. Urget ulterius pro sententia Bardi clausula derogatoria nostræ Bullæ, ubi dicitur ad finem Bullæ latinæ: *Non obstantibus Constitutionibus, & consuetudinibus, &c.* ergo per Bullam Lusitanam consuetudines suspenduntur, si dentur in Ecclesiis, Monasteriis, Universitatibus, singularibus personis, &c Bullæ dispositioni contrariæ. Si respondeas, S. Pontificem loqui de consuetudinibus, quas habent prædicta loca, Universitates, & personæ particulares ad prædicta privilegia in Bulla contenta; quando non sunt immemoriales; nam hæ non censentur sublatæ per hanc suspensionem, nisi de iis expressa fiat mentio, ut tenent super viginti D. D. apud Barbos. *de clausul. usu frequent. clausul. 87. n. 8.* at in clausulis derogatoriis nostræ Bullæ non fit de aliqua consuetudine introducta in prædictis locis, Universitatibus, & personis singularibus, expressa mentio: ergo per clausulam generalem non consuetudines immemoriales, sed tantùm non immemoriales censentur sublatæ.

70. Non inquam hæc respondeas, quia in dicta clausula derogatoria nostræ Bullæ adduntur hæc verba: *Quibus omnibus etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, habenda foret præsentibus litteris mentio specialis, tenores huiusmodi pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, &c.* Sed in Constit. seu Bullis in quibus apponitur hæc clausula derogatoria, tolluntur ea, de quibus specialis fieri debebat mentio; ut cum Menochio, & aliis tenet Barbos. cit. clausul. 43. *n.* 2. ergo omnis consuetudo sive immemorialis, sive non, censetur per Bullam suspensa.

71. Hoc non obstante, etiam amplector opinionem communem asserentem, per Commissarium non suspendi consuetudinem approbatam, quæ vim legis habet, sic omnes quos *supra* citavimus, in eisdem locis, quibus addo Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 14. §. 1. *n.* 15. & apud ipsum Galleg. Ratio est primò quia sicut lex in ipso jure inserta non suspenditur, ut vidimus *n.* 63. ita etiam consuetudo, quæ est altera lex. Secundò, quia per Commissarium solùm suspenduntur, quæ sunt immediatè à S. Pontifice concessa, ut constat ex ipsa Bulla: at privilegia consuetudine introducta non sunt à S. Pontifice immediatè concessa. Unde si in aliqua Diœcesi, vel Provincia, introducta est legitimè consuetudo edendi ova, & lacticinia in Quadragesima, hæc non suspenditur per Bullam ut jam *supra* notavimus; & sic de aliis consuetudinibus dicendum est, si fortè in Regno, vel in aliquibus illius Provinciis, seu dominiis sint legitimè introductæ.

72. Nec hæ consuetudines in nostra Bulla suspenduntur per clausulam derogatoriam ad finem Bullæ in qua de more solito derogantur, ad effectum præmissum, constitutiones, ordinationes Apostolicæ, Statuta, Consuetudines, indulta, privilegia, indulgentiæ, facultates, &c. Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, Universitatibus, personis particularibus, &c. concessa: quod est valdè diversum ab illis privilegiis, quæ ipsa consuetudo legitimè in aliquibus locis, aut Provinciis introduxit; & sic, patet solutio ad ultimum argumentum, quod pro consuetudine attulimus *n.* 69.

SECTIO VIII.

An indulgentiæ, seu facultates ab Episcopis concessæ, per Bullam suspendantur; & quid de similibus, vel dissimilibus facultatibus?

73. Quoad primum statuo, non suspendi per Bullam indulgentias, & facultates, quæ ab Episcopis conceduntur. Ita D. D. communiter, Rodrig. *in addit. ad Bull.* §. 12. *n.* 10. Villal. *tract.* 27. *clausul.* 12. *n.* 17. Navarr. *de indulg. notabil.* 27. *n.* 12. *& notabil* 28. *n.* 12. Trullench. *l.* 1. §. 9. *dub.* 1. *n.* 5. Mend. *disp.* 29. *n.* 13. Tambor. *tract. de Bull. cap.* 14. §. 1. *à n.* 6. Henriq. *l.* 7 *de indulg. cap.* 29. *n.* 2. Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *de Bull. punct.* 10. *n.* 3. Escobar *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 345. & alii. Probatur primò ex ipsa Bulla, quæ tantummodo suspendit gratias, & facultates immediatè à Sede Apostolica, aut ejus authoritate emanatas; & non quæ ab aliis Prælatis inferioribus concedi possunt; ibi: *A nobis, & dicta sede, vel ejus authoritate quibuscumque Ecclesiis, &c.* Sed indulgentiæ, & facultates ab Episcopis concessæ non emanant à S. Pontifice immediatè, nec ab ejus authoritate: ergo non suspenduntur. Dixi: *nec ab ejus authoritate:* quippe, quamvis sint concessæ Episcopis à S. S. Pontificibus facultates concedendi indulgentias; hæc tamen facultas horum officio, & dignitati est annexa, ideoque dicitur ordinaria; & sic indulgentiæ, quas concedunt, non dicuntur à Sede Apostolica immediatè emanare.

74. Probatur secundò, quia facultates, quæ hîc suspenduntur, sunt quæ conceduntur locis, & personis singularibus; at facultates, & gratiæ, quæ Episcopis à S. S. Pontificibus conceduntur, non sunt concessæ locis, & personis singularibus, sed dignitati Episcopali.

75. Ex his sequitur primò, Jubilea, quæ aliquando à S. S. Pontificibus Episcopis conceduntur, in adeptione alicujus Diœcesis, pro suis suffraganeis, suspendi per Bullam, quia immediatè à S. Pontifice sunt concessa, & loco singulari; nempe suæ Ecclesiæ cathedrali: si autem non pro Ecclesia singulari, sed pro toto Episcopatu concederentur, existimo non comprehendi in suspensione; quia indulgentiæ, quæ suspenduntur, sunt concessæ locis particularibus, scilicet Universitatibus, Confraternitatibus, &c. nec non singularibus personis: at prædicta Jubilæa, quamvis immediatè dimanent à Sede Apostolica: non tamen sunt concessa locis, & personis singularibus; quod etiam requirebatur, ut per Bullam, suspensa remanerent; sic enim Jubilæum duplicis hebdomadæ immediatè à S. Pontifice emanat: & tamen ex eo, quòd non concedatur locis particularibus, & personis singularibus, per Bullam non suspenditur, ut *infra* videbimus. Et in hoc sensu intelligendus est Mend. *proximè citat.* dum asserit: si Episcopus, aut quivis alius, ut Sedis Apostolicæ delegatus, gratias, aut facultates indulgeret, ad quas concedendas non haberet jurisdictionem ordinariam, suspendi per Bullam; nam sine prædicta distinctione, assertum Mend. non ita est certum, ut supponit.

76. Secundò sequitur, facultates dispensandi, &

& commutandi vota, & absolvendi à reservatis, quas habent Episcopi; sive eæ facultates illis sint concessæ ipso jure, sive ex consuetudine, sive quando has facultates, ex urgentibus causis, ut delegati Apostolici concedunt, per Bullam non suspendi: quia illis non sunt concessæ, ut singularibus personis, sed dignitati illorum Episcopali sunt annexæ.

77. Tertiò sequitur, non suspendi per Bullam facultates, quas habent Episcopi publicandi indulgentias, quas jure communi, & potestate ordinaria concedere, aut publicare possunt. Ratio est, quia Bulla solùm prohibet publicari, & prædicari eas, quæ à Sede Apostolica immediatè emanant. Sic Henriq. *l. 7 de indulg. cap. 29. n. 2. in fine*; & *in Gloss. Litt. K.* Mend. *ubi supra n.* 14. inferens, etiam non suspendi per Bullam facultates, quas alii Prælati, ut Abbates exempti, & similes concedere valent. Potest etiam Prælatus Regularis indulgentias ordini, vel alicui superiori per Papam concessas, pro subditis, aut familiaribus, promulgare; quia talis facultas per Cruciatam non revocatur: excipit enim facultates datas superioribus Mendicantibus, quoad suos. Ita cum Henriq. & Rodrig. Escobar *supra n.* 350.

78. Circa secundum in titulo propositum, cùm per Bullam suspendantur omnes similes, aut dissimiles indulgentiæ, ac peccatorum remissiones à Sede Apostolica locis particularibus, & personis singularibus concessæ, eo modo quo præscribunt Bullæ verba initio præcedentis Sectionis allata; inquirendum venit, quæ per dicta verba censeantur suspensa: Respondeo, intelligi suspensas omnes indulgentias, & peccatorum remissiones, quæ sunt similes, vel dissimiles illis, quæ in Bulla conceduntur: quia si hæ non suspendantur, Bullæ expeditionem retardabunt, & impedient; nam fideles his contenti de Bulla non curarent. Non suspenduntur tamen illæ indulgentiæ, & peccatorum remissiones, quæ omnino sunt dissimiles illis, quæ in Bulla continentur; ut sunt v. g. facultas testandi, missas celebrandi cum altari portatili, ingrediendi monasteria Monialium: nam sunt omnino dissimiles illis, quas Bulla concedit: suspenduntur verò illæ, quæ aliquo modo, seu quoad modum executionis, sunt dissimiles iis, quæ in Bulla conceduntur. Exemplum sit: si S. Pontifex alicui cederet privilegium celebrandi duabus horis post meridiem: privilegium hoc, seu indulgentia aliquo modo dicitur dissimilis illi, quæ à Commissario conceditur personis nobilibus, per horam unam post meridiem; si verò illud privilegium esset ad horam, post meridiem, tunc foret omnino simile illi, quod in Bulla habetur. Sic de aliis indulgentiis, & remissionibus peccatorum, quæ habentur in Bulla, discurrere possumus. Sic communiter D. D. juxta Bullam Hispanam Rodrig. *in explicat. Bull. §. 12. n. 1. in medio* Ludovic. à Cruce *disp. 1. cap. 9. dub. 1. n. 3.* Trullench. *in Bull. l. 1. §. 9. dub. 1. n. 4.* Bardi *part. 3. tract. 1. cap. 2. n. 4. post medium* Tamborin. *tract. de Bull. cap. 14. §. 1. n. 8.*

79. In intelligentia prædictorum verborum nobiscum convenit Escobar *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 344.* cum illo tamen non convenio, in duplici exemplo ab eo in confirmationem allato. Primum est de indulgentia non plenaria; quæ verò suspenditur per prædicta verba: *omnes similes, aut dissimiles indulgentias*, juxta Bullam Hispanam, in qua conceditur similis indulgentia; non verò juxta Bullam Lusitanam, in qua non conceditur similis, nec etiam dissimilis indulgentia, modo explicato, ut *n. sequenti* videbimus. Non convenio etiam in altero, quod affert, exemplo: nempe in privilegio, quod Mendicantes habent, ob concessionem factam prædicatorum Religioni, ut possint in suis templis, tempore interdicti, ad sepulturam admittere usque ad quindecim sæcularium cadavera, sine pompa. Et per prædicta verba, suspendi hoc privilegium, inquit Escobar, *loco citato.* Hoc tamen verum non reputo, primò; quia per prædicta verba: *omnes similes, aut dissimiles indulgentias, &c.* solùm suspenduntur indulgentiæ similes, aut dissimiles concessæ Ecclesiis, Monasteriis, &c. scilicet locis, aut personis particularibus, ut ex ipsa clausula *in principio Sectionis 6.* allata apertè constat; at prædictum privilegium non est concessum locis, aut personis particularibus, qualis non est Religio P. P. Prædicatorum; secundò, quia ex prædictis verbis *loco citat.* adductis, constat, ibi solùm suspendi omnes similes, aut dissimiles indulgentias, ac peccatorum remissiones; at dictum privilegium, nec venit nomine *indulgentiæ* strictè sumptæ, nec nomine *peccatorum remissionum*, ut etiam clarè constat: ergo per Bullam Lusitanam non censetur dictum privilegium suspensum. Per Bullam verò Hispanam stat etiam probatio prima; non tamen secunda ob diversitatem utriusque clausulæ verborum.

80. Ex dictis *n.* 78. infero, non suspendi per Bullam Lusitanam indulgentias partiales, ut 40. Septem, quatuor annorum, & similium. Ratio est, quia Bulla ad effectum præmissorum, duntaxat suspendit omnes similes, aut dissimiles indulgentias, ac peccatorum remissiones: sed indulgentiæ partiales, ac peccatorum remissiones, non sunt similes, aut dissimiles illis, quæ continentur in Bulla Lusitana: ergo per illam non suspenduntur. Minor ostenditur, non sunt similes, nam in Bulla Lusitana nulla conceditur indulgentia partialis; & non sunt dissimiles; quia ut *supra* diximus cum communi, & omnibus authoribus, in Bulla non suspenduntur indulgentiæ, & peccatorum remissiones omnino dissimiles, sed tantùm dissimiles quoad modum, seu in aliquo dissimiles: sed indulgentiæ partiales sunt omnino dissimiles, & non tantùm dissimiles quoad modum, indulgentiis plenariis, quæ in Bulla Lusitana conceduntur: ergo ex ipsa Bulla constat, indulgentias partiales non suspendi. Secus dicendum de Bulla Hispana; quia in illa indulgentiæ partiales conceduntur.

SECTIO IX.

An Jubilæum duplicis hebdomadæ, aut indulgentiæ concessæ gratis benedictis, Imaginibus, calculis, &c. per Cruciatam suspendantur?

81. S. Pontifices aliquando concedere solent Jubilæum duplicis hebdomadæ cuncto populo Christiano, præsertim in principio suorum Pontificatuum. Inquirimus ergo primò: An hoc Jubilæum suspendatur, per Bullam, quod idem est, ac inquirere, an absque Bulla possit acquiri? Respondeo,

pondeo, non suspendi, & sine Bulla posse acquiri. Sic D. D. communiter Fragos. *tom.* 2. *disp.* 6. *de Jubil. particul.* §. 5. *n.* 69. Quintanad. *in Labell. de hoc Jubil. cap.* 27. *n.* 10. Mend. *disp.* 29. *n.* 8. & 20. Tambor. *tract. de Bull. cap.* 14. §. 1. *n.* 11. & apud ipsum Galleg. & Abreus *de Parœcb. l.* 10. *n.* 609. Illustrissimus Rodericus à Cunâ *de Jubil. cap.* 4. *à n.* 17. Portel *tom.* 2. *resp. moral. casu* 6. Probatur, quia in Bulla suspenduntur indulgentiæ locis particularibus, & singularibus personis concessæ: sed hoc Jubilæum non conceditur locis particularibus, & singularibus personis, sed omnibus totius Orbis fidelibus: ergo hoc Jubilæum non suspenditur: ergo absque Bulla potest acquiri.

82. Inquires secundò: An suspendantur indulgentiæ, quas possunt fideles acquirere, exhibentes aliquod opus pium, dum habent Rosaria, numismata sacra, imagines, coronas, grana benedicta, &c. quibus Sanctissim. D. N. Innocentius XI. illas affixit, & S. Pontifex Clemens X. in Canonisatione S. S. Francisci de Borja, Ludovic. Beltrandi, Rosæ Virginis, &c. vel alia de causa alii S. S. Pontifices. De quibus videri potest Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *à n.* 363.

83. Prima sententia absolutè docet, suspendi per Bullam. Sic Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *punct.* 10. *n.* 7. Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 9. *dub.* 1. *n.* 2. Bardi *part.* 3. *tract.* 1. *cap.* 1. *n.* 6. Mend. *disp.* 29. *n.* 36. Escobar. *in Theol. moral. l.* 7. *n.* 342. Lezan. *in summ. tom.* 3. *Verb. Bulla Cruciatæ n.* 40. Probant, quia ex una parte hæ indulgentiæ impediunt usum Cruciatæ; & ex alia continentur sub indulgentiis, quæ singularibus personis conceduntur.

84. Secunda sententia sic distinguit: Vel hæ indulgentiæ sunt concessæ, ad instantiam Superiorum Ordinum Mendicantium ad suos Religiosos, & sæculares: et sic concessæ possunt Religiosi illis gaudere sine Bulla, quia ad illos non suspenduntur: at non possunt sæculares absque Bullâ; quia ad illos suspenduntur in Bulla; vel non sunt concessæ ad instantiam Superiorum Mendicantium, sed omnibus fidelibus, & sic concessæ, sine Bulla nequeunt acquiri. Sic Rodrig. *in Bull.* §. 12. *n.* 11. *in secundo dubio.* Villal. *tract.* 27. *clausul.* 12. *n.* 23. Salas *in manuscriptis in Cruciat. q.* 25. *post medium*, apud Castr. Palao *ubi supra.*

85. Tertia sententia communior, & probabilior absolutè negat, dictas indulgentias suspendi per Bullam; & concedit eas sine illa à fidelibus posse lucrari. Sic Ludov. à Cruce *inexposit. Bull. disp.* 1. *cap.* 9. *dub.* 1. *n.* 13. Vincentius Riccius *in addit. ad* §. 12. *n.* 2. quos refert Bardi, & illam probabilem fatetur *loco citato*; illis etiam addo Tamborin. *ubi supra num.* 10. Quintanaduen. *tom.* 1. *tract.* 3. *appendic. n.* 2. & inclinat *tract.* 9. *appendic. dub.* 6. *n.* 3. quamvis dicat, se non audere à prima sententia discedere, propter praxim. Ratio hujus verioris sententiæ est: quia in Bulla suspenduntur indulgentiæ locis particularibus, & singularibus personis concessæ, ut patet ex Bulla, & tenent D. D. sed prædictæ indulgentiæ, nec sunt concessæ locis particularibus, nec etiam immediatè personis, nec ullo modo personis singularibus: ergo per Bullam non censentur suspensæ.

86. Probatur minor. quoad secundam partem, (de prima enim constat, quia non sunt particularibus locis concessæ) nam privilegium, quod immediatè alicui rei affigitur, non dicitur personale, sed reale, ut tenet Gobat *tom.* 2. *tract.* 4. *num.* 363. per hæc verba: *indulgentia realis ea est, quæ alicui rei v. g. Imagini, Rosario, Grano, &c. affigitur, & ita adhæret, ut non obtineatur, nisi per aliquem illius rei usum, aut præsentiam*; tenent etiam Soar. *de pœnit. disp.* 32. *sect.* 1. *n.* 3. Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 4. *punct.* 2. §. 1. *n.* 1. Cardin. de Lug. *de pœnit. disp.* 27. *sect.* 8. *n.* 130. apud Quintanaduen. *supra, dicto dub.* 6. *num.* 5. Sed prædictæ ita se habent: ergo cùm immediatè rebus sint affixæ, immediatè personis non conceduntur; aliter enim essent personales, & non reales

87. Tertia pars ejusdem minoris ostenditur, quia indulgentiæ affixæ Rosariis, Coronis, Crucibus, Numismatibus, &c. non dicuntur concessæ singularibus personis, sed dictis Rosariis, Coronis, &c. ut dicitur à S. S. Pontificibus, in titulis, pro eisdem indulgentis; sic enim habet forma concessionis à Sanctiss. D. N. Innocentio XI. Romæ typis data, anno 1681. *Forma dell' indulgenze, che la santità di nostro signore Papa Innocenzo XI. concede alle Corone, Rosarii, Croci, e immagineste d'oro, od'argento, od'altro metallo, dette volgarmente medaglie, ultimamente stabilita per ridurre ad una diverse forme già usate*; ut etiam statim videbimus in titulo Decreti Alexandri VII. & in Decreto S. Congregationis, pro Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis 12. Martii anni 1678. ubi prope finem, dicuntur Indulgentiæ concessæ Rosariis, Coronis, &c. & passim eodem ferè modo, loquuntur authores; videatur Gobat *proximè citat. n.* 364. & *n.* 366. ergo si rebus immediatè conceduntur, non sunt immediatè personis concessæ. Et quamvis per usum illius Rosarii, Coronæ, &c. dicantur indulgentiæ personis concessæ; non sunt tamen concessæ aliquibus singularibus personis, sed omnibus Christi fidelibus sub conditione; si illa Rosaria, Coronas, Numismata, grana, &c. habuerint: ergo cùm singularibus personis non sint concessæ, per Bullam non suspenduntur.

88. Confirmatur, quia suspensio indulgentiarum, in Bulla habita, est odiosa: ergo non est extendenda ad personas, quæ immediatè, & directè in ea suspensione non comprehenduntur. Antecedens ab omnibus admittitur; consequentia etiam negati nequit, ut ostendo: quia ut *supra n.* 73. cum communi D. D. diximus, per Bullam non suspendunur indulgentiæ, quæ ab Episcopis conceduntur, ex eo quod à S. Pontifice immediatè non emanant, licèt emanant immediatè; quia in Bulla suspenduntur eæ, quæ à S. Pontifice, & Sede Apostolica, vel ejus authoritate, immediatè sunt concessæ: sed indulgentiæ concessæ Rosariis, Coronis, Granis, Numismatibus, &c. non immediatè, sed tantùm mediatè sunt concessæ personis: ergo licèt suspendantur indulgentiæ personis singularibus concessæ, non suspenduntur eæ, quæ mediatè dictis personis conceduntur.

89. Dices: Privilegium reale durat toto tempore, quo durat res, cui annectitur, *S. Imperatores ff. de publican.* & tradunt D. D. quos referunt, & sequuntur Soar. & Castr. Palao *locis citatis*: sed indulgentiæ dictis Rosariis, Coronis, Calculis, Granis, Numismatibus annexæ cum personis finiuntur, & personam non transeunt; ergo non sunt reales, sed potius personales dicentur: ergo ut tales, per Bullam suspenduntur. Minor constat ex Decreto Alexandri VII. Februarii 6. anni 1667. edito, apud Gobat *tom.* 2. *tract.* 4. *n.* 678. Quod ita habet.

DE

DECLARATIO.

Decretum Sanctissimi D. N. Alexandri Papæ VII. super indulgentiis, quæ tam à Sanctitate sua, quàm ab ejus Prædecessoribus Coronis, Rosariis, Granis, Calculis, Crucibus, Numismatibus, Medallis, vulgò nuncupatis, & Sacris imaginibus benedictis hactenus concessa sunt, & in posterum à Sanctitate sua concedentur.

90. SAnctissimus D. N. Alexander Papa VII. declarat, ac decernit, quòd quæcunque Coronæ, Rosaria, Grana, ac calculi, Cruces, Numismata, Medallia, vulgò nuncupata, & Sacræ Imagines, sive sint S. Caroli Borromæi, sive quinque Sanctorum à felic. record. Gregor. XV. Pontifi. Maxim. in Sanctorum numerum relatorum, sive quæcunque aliæ cum indulgentiis à Romanis Pontificibus, Sanctitatis suæ Prædecessoribus benedictæ, & concessæ, quæ quidem in hunc usque diem distributæ sunt, non transeunt personam illorum, quia ea de præsenti obtinent; neque commodari, aut etiam precariò dari possint, & quæ à Sanctitate sua concessa sunt, vel in posterum concedentur, non transeant similiter personam illorum, quibus ab eodem Sanctissimo concessæ fuerint, vel quibus à prædictis, de ordine ejusdem sactissimi prima vice distributæ fuerint; ita ut à nemine aliis commodari, vel precariò concedi possint: alioquin careant indulgentiis concessis. Et quantùm attinet ad Coronas, Rosaria, Grana, Calculos, Cruces, Numismata, Medallia, vulgò nuncupata, & sacras imagines cum indulgentiis ab iisdem Sanctitatis suæ Prædecessoribus benedictas, & concessas, quæ in hodiernum usque diem, effectum sortitæ non sunt, id est nulli hactenus distributæ sunt, nemini uti benedictæ, deinceps distribui possint; quòd si de facto distribuantur, careant indulgentiis jam concessis. Ac alicui ex rebus præmissis, ut præfertur, benedictis perditæ, altera pro ea subrogari, nullo modo, possit; quacunque concessione in contrarium non obstante, etiamsi de ea specialis, & expressa mentio facienda esset; cui per præsentes Sanctitas sua derogavit, & derogatum esse voluit. Datum Romæ die 6. feb. 1667. Pontificatûs ejusdem Sanctissimi D. N. anno secundo. Sic decretum. Ex quo sequitur rectè consequentia: nam si indulgentiæ semper rebus prædictis simul, & personis sunt annexæ, non reales, sed personales, & singulares sunt dicendæ.

91. Respondeo, negando consequentiam; imò ex hac dispositione S. Pontificis, infertur, esse has indulgentias reales, & non personales; nam si hæc non daretur dispositio, poterant dictæ imagines, Coronæ &c. aliis commodari, & finitâ, seu mortuâ personâ, ea res benedicta erat distributa, alteri relinqui: quia deratione privilegii realis est, quòd sit perpetuum, & duret dum res est in suo esse: at cùm S. Pontifex ita statuit, sua dispositione standum est.

92. Cæterum cùm Alexander VII. solùm loquatur de indulgentiis ab Antecessoribus, vel à se ipso concessis, vel in posterum concedendis; ut constat ex ipso Decreto, non videtur, hoc Decretum extendi ad indulgentias, quas ejus successores concedent; si in concessione non instituant novam formulam, vel non confirment Alexandrinam. Ratio est, quia supradictum Decretum, utpote odiosum, non debet ampliari ad indulgentias dictis Rosariis, Coronis &c. concessas; quas Successores in posterum concedent. Attamen, quia in dubio, Pontifices censentur vestigia suorum Antecessorum sequi, standum est declarationi Alexandrinæ; & id confirmat Verbum *Declaratio* in principio prædicti Decreti positum: Declaratio autem extenditur etiam ad futura, ut cum Soar. *tom. 4. de relig. tract. 10. l. 3. cap. 4. n. 1.* Sylvestr. & Navarr. Gobat. *tom. 2. tract. 4. n. 328.*

93. Adverto tamen, Innocentium XI. in formula harum indulgentiarum; quarum titulum *supra n. 87.* adducimus, stylum Alexandri secutum fuisse, referentem omnia, quæ Alexander in sua declaratione disposuerat. Et eundem stylum amplexi sunt in formula suarum indulgentiarum, Clemens IX. ut inquit Gobat *citat. n. 695. in fine*, & Clemens X. in indulgentiis, de quibus fit mentio *supra n. 82.* Ad illa, quæ supra *n. 83. & 84.* pro prima, & secunda sententia adversarii adducebant, patet solutio ex dictis, pro nostra, *an. 85.* Et ad eam partem, quæ pro prima sententia afferebant, dicentes, prædictas indulgentias impedire usum Cruciatæ, vide solutionem infra *n. 104.* ubi circa aliam controversiam, idem solvitur argumentum.

94. Observandum tamen est, omnes indulgentias concessas, ante Decretum Clementis VIII. Latum die 9. Januarii 1597. Coronis, Rosariis, Granis, seu Calculis, Crucibus, & Imaginibus sacris, esse nullius roboris, & momenti, ut per ea verba, declaravit S. Congregatio pro Indulgentiis, & Reliq. præpotita, die 7. Martii 1678. Quam declarationem approbavit, & inviolatè servari jussit S. S. D. N. Innocent. XI. vide Gobat *tom. 2. tract. 4. n. 365. & 383.* ubi de his loquitur, & explicat Decretum Alexandri VII. *supra* allatum.

SECTIO X.

An jubilæa à Pio IV. concessa Diœcesi Ulyssiponensi, in festivitatibus Natalitii Domini, Spiritûs S. Assumptionis B. Virginis, & omnium Sanctorum, & in earum octavis, per Bullam suspendantur?

95. PIus IV. anno 1565. Augusti 21. à solicitudine edoctus, quam ad suos subditos erga sacramenta confessionis, & sacræ Eucharistiæ Rex Sebastianus, & Cardinalis Henricus habebant, concessit omnibus, & singulis utriusque sexus fidelibus commorantibus, & degentibus in civitate, & Diœcesi Ulyssiponensi, vel ad illam declinantibus; qui verè contriti, & confessi devotè sacrum receperint Eucharistiam, in festivitatibus Nativitatis Domini nostri JESU CHRISTI, Spiritûs sancti, nec non Assumptionis B. Virginis Mariæ, & omnium sanctorum, aut in qualibet die intra earum festivitatum octavas, & ante, vel post communionem in aliqua Ecclesia, Oratorio, vel Capella ejusdem Civitatis, vel Diœcesis, aliquas devotas preces ad Deum pro sanctæ Romanæ, & universalis Ecclesiæ prospero statu,

& conservatione, hæresum extirpatione, paceque inter Christianos Principes confovenda, & alias prout cujusque suggeret devotio, piè effuderint, authoritate Apostolicâ, tenore præsentium, indulgentiam plenariam, & remissionem omnium peccatorum, in forma jubilæi, misericorditer in Domino concedit, & impertitur.

96. Concedit etiam S. Pontifex in his litteris perpetuò duraturis, ut prædicti fideles possint eligere confessarium sæcularem, vel Regularem ab Ordinario approbatum; qui eos potest absolvere ab omnibus peccatis, Ordinario, & sedi Apostolicæ reservatis, exceptis, quæ in Bulla Cœnæ Domini continentur: salutari pœnitentiâ injunctâ, habita tamen prius Licentiâ Ordinarii, quoad casus reservatos. Qui confessarii virtute harum litterarum, vota omnia commutare poterunt in alia opera pia, exceptis Castitatis, & Religionis, nec non peregrinationis Hierosolymitanæ, Romanæ, & Compostellanæ: non tamen in his litteris conceditur facultas, in irregularitatibus dispensandi. Hoc posito.

97. Inquirimus: An hæ indulgentiæ, & facultates per Bullam Cruciatæ suspendantur? Pro parte affirmativa facit primò, quia hæ indulgentiæ impediunt aliquo modo usum Cruciatæ; nam fideles Diœcesis Vlyssiponensis, & ad illam declinantes, his indulgentiis contenti, Bullam Cruciatæ non accipient. Secundò, quia indulgentiæ, & facultates in his litteris concessæ sunt similes quædam, & aliæ dissimiles, quoad modum, illis, quæ in Cruciata continentur; & in Cruciata suspenduntur omnes similes, aut dissimiles indulgentiæ à sede Apostolica concessæ. Tertiò quia Commissarius in advertentiis ad illos, qui Bullam accipiunt sic asserit: *Por virtude desta Bulla* (id est per Cruciatam) *se suspendem todas as mais Bullas, graças, indulgencias, emen huma pessoa pode gozar dellas: mas tomando esta da Cruzada, goza desto das asmais*: ergo per Bullam Cruciatæ, Bulla prædicta Pii IV. suspensa manet, si Cruciata non sumatur.

98. Neque dicas, per Bullam Pii IV. derogari expressè Cruciatæ, ut patet ex Bulla ejusdem Pii IV. Lusitano idiomate transcripta, *in Constit. hujus Vlyssiponensis Diœcesis l. 1. tit. §. 4. decreto 3. à fol. 74.* (nam Latino, illam nec illius & transumptum invenire potui) quæ ad finem clausulæ derogatoriæ sic habet: *As quaes determinamos, denen huma maneira, emtempo algum, serem comprehendidas, emquaesquer revogaçoens, suspensoens, limitacoens derogacoens desemellantes, ou nam semelhantes indulgencias, egra, cas evo utres contrarias disposicoens tambem per nos, eper nossos successores Romanos Pontifices, ou pella sede Apostolica canonicamente, ende effeito pello tempo concedidas por quaesquer, equanto quer por urgentissimas enecessarias causas (ainda que seiam em favor da fabrica da Igreja do Principe dos Apostolos de Roma, ed a santa Cruzada, edagnerra contra os infieis, ea instancia do Emperador, Reys, Raynhas, Duques, eo utros Principes, ou de motu proprio, ou por qualquer outro modo) mas sempre seram dellas exceptadas; equantas vezes emanarem. tantas serem restituidas no primeiro, evaledissimo estado, ede novo concedidas, e por tais avidas, E approveitar aos mesmos fieis Christaos.* Et cum hæ litteræ sint perpetuò valituræ, illis standum est. Non inquam hoc dicas, quia Bulla Cruciatæ etiam habet clausulam derogatoriam amplissimam, ut videre est in ipsa Bulla initio hujus operis allata; & cùm sit novissima, illi standum est.

99. His non obstantibus existimo, non suspendi per Cruciatam indulgentias, & facultates in Bulla Pii VI. omnibus Christi fidelibus Diœcesis Ulyssiponensis, & ad illam pro illarum consecutione declinantibus, concessas: ac proinde posse ab illis, absque Bulla Cruciatæ lucrari.

100. Moveor primò, quia in Bulla suspenduntur indulgentiæ, ac peccatorum remissiones, quæ sunt concessæ singularibus locis, nempe Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, & piis locis, Universitatibus, confraternitatibus, & singularibus personis: sed indulgentiæ prædictæ à Pio IV. concessæ, sub nullo ex his comprehenduntur: Ergo à Bulla non sunt suspensæ. Minor probatur, quia non comprehenduntur sub locis particularibus à Bulla allatis: nam illæ indulgentiæ comprehenduntur, sub locis particularibus, quæ homini conceduntur, dependenter à certo loco, cui indulgentia est affixa, ut sunt indulgentiæ, quæ Ecclesiis, sacellis, & oratoriis conceduntur, ut inquit Gobat *tom. 2. tract. 4. part. 2. cap. 6. n. 314.* sed indulgentiæ à Pio IV. non sunt affixæ alicui loco particulari: Ergo non censentur comprehensæ, in suspensione Bullæ.

101. Nec etiam comprehenduntur sub illis, quæ personis singularibus conceduntur: nam hæ quasi inhærent personæ. Unde sequitur illa notissima regula juris: *Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona.* Vide Soar. *tom. 4. in 3. part. de pœnit. disp. 32. sect. 1. n. 3.* Gobat. *tom. 2. tract. 3. n. 461.* cùm ergo indulgentiæ à Pio IV. non ita concedantur, non sunt concessæ personis singularibus.

102. Nec etiam sub nomine Confraternitatis comprehenduntur; ut patet; nec *Universitatis*, nam sub hujus appellatione venit illa pars Urbis, in qua studiorum gymnasia celebrantur, & Academia dicitur: ut invenies apud Benedict. Pereir. *in Elucidario n. 230.* & supponitur, apud Barbos. *de Appell. verborum appell. 275. n. 1.* cùm ergo in suspensis à Bulla non comprehendantur indulgentiæ à Pio IV. concessæ, absque Bulla lucrari possunt.

103. Moveor secundò; quia ideo Jubilæum duplicis hebdomadæ, quo omnibus Christi fidelibus à S. Pontifice aliquando conceditur, non censetur per Bullam suspensum, quia non conceditur locis particularibus, nempe Ecclesiis, Sacellis, Piis locis &c. aut singularibus personis, ut videmus *supra n. 81.* cum communi D. D. sed etiam hoc Jubilæum Pii IV. non conceditur determinatis locis, & personis: ut patet ex verbis ejusdem Pii IV. *Atodos e acada hum dos fieis Cristaos, homens e molheres moradores dadita Cidade, e Diœcesi, ea outros sobre ditos, que em cada hum anno* &c. quæ continentur in Jubilæo duplicis hebdomadæ. Sic in Jubilæis ab Innocentio X. 11. Martii anni 1648. & Paulo V. Idibus Januarii anni 1619. editis ibi: *Cæteris vero omnibus, & singulis fidelibus extra Urbem existentibus; in quibus suis civitatibus terris, & locis* &c. ergo per Bullam non suspenditur, sicut non suspenditur Jubilæum duplicis hebdomadæ.

104. Nec rationes *n. 97. adductæ* pro parte affirmativa, oppositum convincunt: non prima, quia hoc Pii IV. Jubilæum Bullæ Cruciatæ usum non impedit; primò, quia in Bulla Cruciatæ dantur aliæ plures facultates, ad quas hoc Jubilæum,

se non extendit. Secundò, quia sine illa non possunt acquiri aliæ plenariæ indulgentiæ, quæ locis piis particularibus, & singularibus personis sunt concessæ; & sæpius à Pontificibus conceduntur. Tertiò, quia per hoc Jubilæum, non possunt absolvi reservata Ordinario, & sedi Apostolicæ absque licentia ipsius Ordinarii; nec illa non excepta, quæ in Bulla Cœnæ continentur; & sic de aliis, quæ ex decursu hujus operis constant.

105. Ad secundam respondeo, negando, per Bullam suspendi omnes similes & dissimiles indulgentias, utcunque concessas, sed illas duntaxat, quæ sunt similes aut dissimiles illis, quæ locis particularibus, & personis singularibus sunt concessæ: at hæ Pii IV. non ita se habent ut notavimus *à. n.* 100.

106. Ad tertiam respondeo, verba Commissarii in advertentiis ad Bullam debere intelligi de Bullis, indulgentiis, & gratiis, quæ sunt concessæ locis, personis determinatis, & singularibus; nam has potest suspendere, secundùm facultatem sibi in Bulla concessam: non verò de aliis; ad quas suspendendas facultatem non habet, ut vidimus *n* 59. nec ea Commissarii verba in Bulla Latina continentur; quare in alio sensu, non possunt intelligi, ut *infra* latiùs ostendetur.

107. Ad solutionem, quæ datur ad argumentum *n.* 98. respondeo, mihi probabile videri, clausulam derogatoriam Bullæ Pii IV. Bullæ Cruciatæ non derogare: imò ab hujus derogatoria derogari; quia habet clausulam derogantem clausulis illi derogantibus, ibi: *Etiam si clausulas aliquas contra suspensionem hujusmodi facientes continerent*: cùm tamen hac Cruciatæ clausula derogatoria solùm referatur ad indulgentias, & peccatorum remissiones, quæ conceduntur locis particularibus, & personis singularibus, non derogat Bullæ Pii IV. quæ ad hæc determinata loca, aut personas singulares non est concessa, sed ad omnes, & singulas personas utriusque sexus, commorantes, & degentes in Diœcesi Ulyssiponensi; necnon ad omnes ad hunc effectum ad illam declinantes.

108. Dixi: *Mihi probabile videri, clausulam derogatoriam Bullæ Pii IV. Bullæ Cruciatæ non derogare: Imò ab hujus derogatoria derogari.* Quia oppositum probabilius videtur. Ratio est, quia Pius IV. non ignorabat clausulas derogatorias apponi consuetas in Bulla Cruciatæ; & suâ derogatoria intendit hanc Cruciatæ derogare; quia tamen sciebat singulis annis Bullam Cruciatæ promulgari; & omnibus aliis, quæ contra illam faciebant, derogare; addidit in sua derogatoria, hæc verba contra Cruciatæ derogationes: *Mas siempre seram dellas exceptuadas*, hoc est à derogatoriis etiam Cruciatæ, *Quantas vezes emanarem*, id est derogatæ fuerint, *tantas vezes seram restituidas noprimeiro, evadelissimo estado, ede novo concedidas, eportais avidas, a approveitar Aos mesmos fieis Christiaos.* Cùm ergo Pius IV. suam Bullam de novo concedat, ubi primum à Cruciata fuerit revocata; nunquam Cruciata censetur hac Bullâ Pii IV. novissima; & post quascunque clausulas derogatorias, Bulla Pii IV. post illas, mox redit ad eundem statum, ac si de novo concederetur; ut de facto ab eodem Pontifice conceditur, in prædictis verbis.

109. Ad consequutionem hujus Jubilæi Pii IV. in dictis quatuor festivitatibus, & diebus infra, & in iplarum octaviis inclusivè, videri possunt ea, quæ diximus *disp.* 14. *& sequentibus*, de electione confessarii ab Ordinario approbati, de confessione, & constitione requisita, de absolutione à reservatis, si ab Ordinario prius habeatur licentia; ut ab hoc jubilæo requiritur; de commutatione votorum vide *disp.* 21. Et cùm hoc Jubilæum absque personarum limitatione à Pio IV. concedatur; & cùm sit sine præjudicio tertii, & in favorem animarum concessum, est ampliandum, & non restringendum, juxta superius dicta. Illo igitur possunt gaudere Regulares, & Moniales, cum hac tamen admonitione, ut si fortè reservata habeant, priùs licentiam à suo Ordinario obtineant, ut ab illis absolvantur; nam Pius, quamvis concedat absolutionem à sibi, & ordinario reservatis, exceptis in Bulla Cœnæ Domini contentis, requirit tamen, ut prius obtineatur licentia ab Ordinario. Ordinarius autem in hac materia Regularium est Generalis, Provincialis, & superior localis, totius monasterii habens regimen. Sic D. D. communiter.

SECTIO XI.

An gratia liberandi animam à Purgatorio concessa Altari privilegiato per Bullam Cruciatæ suspendatur.

110. PRima sententia affirmat, suspendi. Sic Fernand. *in exam. Theol. moral. part.* 3. *cap.* 9. *sect.* 11. §. 19. *n.* 2. Rodrig. §. 12. *n.* 4. Villal. *tract.* 27. *clauf.* 12. *n.* 3. quos refert, & sequitur Dian. 1. *part. tract.* 11. *resol* 86. Idem tenent Ludovic. à Cruce *disp.* 1. *cap.* 9. *dub.* 2. *n.* 10. Escobar. *exam.* 17. *n.* 130. *Verf. suspenditur*, Bardi *part.* 3. *tract.* 1. *cap.* 4. *n.* 13. Mend. *disp.* 29. *n.* 29. Avendanus verò *in Thesauro Indic. tract.* 5. *n.* 294. *in fine*, inquit, hanc rem esse incertam, ideoque Bullæ acceptione securitatem esse conquirendam. Probant, quia per Commissarium, facultate sibi facta à Bulla, suspenduntur indulgentiæ Monasteriis, Ecclesiis, & piis locis concessæ, sed Altare privilegiatum venit nomine Monasterii, si est in Monasterio, & Ecclesiæ, aut pii loci si est in aliqua Ecclesia, aut Capella: Ergo per Commissarium, censetur Altare privilegiatum suspensum.

111. Secunda sententia mediâ incedit viâ: asserit enim Religiosum celebrantem pro anima Religiosi sui Ordinis non indigere Bullâ: secus si celebret pro anima alicujus sæcularis, vel Religiosi alterius Ordinis. Sic tenet expressè Bardi *supra num.* 14. Rodrig. *in Bull.* §. 12. *n.* 4. *verf. Delodicho, in fine*; in casu, quo Altare privilegatium fuit concessum Superioribus Mendicantium pro suis fratribus, & sæcularibus. Idem tenet Trullench. *l.* 1. *Bull.* §. 9. *dub.* 3. *n.* 10. Ratio hujus sententiæ esse potest, quia in Bulla excipiuntur facultates Ordinum Mendicantium superioribus concessæ, quoad eorum fratres: sed nomine *Fratrum* veniunt non solùm vivi, sed etiam defuncti: nam verè dicimus, multos Fratres S. Dominici, S. Francisci, Societatis JESU esse in cœlo; sic enim S. Agatha Sororem suam vocavit S. Luciam, S. Basiliscus Fratrem S. Joannem Chrysostomum, & Christus Dominus, post resurrectionem suam, Fratres vocavit Apostolos *Joann.* 20. *n.* 17. *Vade ad Fratres meos, &c.* cùm ergo sæcularis Frater non sit, quia dum

vivus

vivus eo non insigniebatur nomine, indulgentia Altaris privilegiati illi applicari non potest, nisi ab habente Bullam Cruciatæ.

112. Tertia demum sententia, quam veriorem existimo, docet per Commissarium non suspendi gratiam liberandi animam, Altari privilegiato concessam, ideoque posse sine Bulla indulgentiam pro anima defuncti acquiri. Sic Trullench. *ubi supra dub. 4. n. 3.* sibi contrarius Quintanaduenâs *tom. 1. in appendic. tract. 1. dub. 15. n. 7. & 8.* Lezan. *tom. 3. Verb. Altare n. 16. & Verb. Bulla Cruciata n. 41.* Tamborin. *tract. de Bull. cap. 14. §. 1. n. 13.* & apud illum Galleg. *in Bullam clausul. 12. dub. 175.* Escobar. *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 799.* & apud illum Villal. *tract. 27. clausul. 12. n. 13.* Gobat. *tom. 2. tract. 4. n. 676.* Dian. mutans sententiam *part. 9. tract. 2. resol. 22.* ubi illam dicit probabilem, ut antea etiam dixerat *in addit. post. 3. part. resol. 22.* & apud ipsum Carrill. *in expos. Bull. defunctorum part. 2. cap. 9. in fine*, nec non probabilem fatetur Bardi *supra*.

113. Non eisdem, sed variis rationibus, ab authoribus hæc stabilitur sententia. Probatur à Trullench. quia per S. Pontificem suspenduntur indulgentiæ, pro quibus revalidandis potest accipi Bulla: sed revalidatio respicit vivos, & non defunctos; ut expressè patet ex verbis nostri Commissarii in Summario, ibi: *Aqual suspensam, nam aucra lugar naspessoas que tomarem esta Bulla:* cùm ergo defuncti hanc non possint accipere Bullam, in illos locum non habet suspensio.

114. Sed contra, nam hâc gratiâ liberandi animam à Purgatorio gaudent vivi; nam respectu illorum est gratia, quatenus hoc suffragium præstare possunt animabus suorum parentum, consanguineorum, amicorum, & benefactorum: cùm ergo respectu vivorum sit gratia, sicut illis hæc gratia per Bullam suspenditur, ita etiam acceptâ Bullâ illis revalidatur. Aliter hoc impugnat Bardi, *ubi supra n. 16.* Sed non rectè, quia Bulla non revalidatur pro defunctis, qui illam accipere nequeunt, sed tantùm pro vivis, quibus hæc facultas conceditur, licèt sit in utilitatem defunctorum.

115. Alii aliter probant: Nempe, quia indulgentia Altaris privilegiati non suspenditur per Jubilæum anni Sancti, ut cum Castr. Palao Laym. Bordon. Lezana, Quintanad. tenet. Dian. *part. 9. tract. 2. resol. 23.* & cum Peyrin. & Alphons. de Leone Gobat *tom. 2. tract. 3. num. 45.* & tamen suspensio jubilæi anni Sancti est generalis: ergo etiam quamvis Bullæ suspensio sit generalis, quoad loca pia, &c. non suspendet gratiam Altari privilegiato concessam. Sed contra, quia Anno Sancto suspenduntur indulgentiæ pro vivis tantùm, ut hac occasione promptiores fiant ad Romam proficiscendum, ut ibi illas lucrentur: at hæc ratio non militat in defunctis.

116. Probo igitur hanc sententiam, quia per Bullam suspenduntur indulgentiæ, ac remissiones peccatorum concessæ Monasteriis, Ecclesiis, locis piis, personis singularibus, &c. Sed Altare privilegiatum non venit hic nomine Ecclesiæ, aut loci pii, nec animæ defunctorum nomine singularium personarum: ergo. Probo minorem quoad primam partem, scilicet Altare privilegiatum non venire nomine Ecclesiæ, aut loci pii: nam suspensio indulgentiarum in hac materia est odiosa, utpote revocatoria Indulgentiarum, quæ Ecclesiis, & locis piis erant concessæ: ergo in hac materia, restrictio facienda est, juxta proprium verborum sensum: sed in proprio verborum sensu, Altare privilegiatum non est Ecclesia, nec locus pius, sed quid diversum, ut clarè constat ex Brevibus pro Altaribus privilegiatis, ubi cum distinctione loquuntur de Altaribus, & Ecclesiis; & nos *supra disp. 10. sect. 5. n. 71.* Vide etiam Gavant. *in man. Episcop. Verb. Altare.*

117. Probo minorem, quoad secundam partem: Nam animæ defunctorum, non veniunt nomine *singularium personarum* secundùm communem compellationem, neque secundùm exactam Philosophiam: nam Physicè, & etiam Methaphysicè loquendo (quidquid dicat Galleg.) anima non est, nec dici potest completè, & absolutè persona, quamvis suam partialem habeat subsistentiam: cum igitur Altare privilegiatum expressè non veniat nomine Ecclesiæ, aut loci pii, nec anima defuncti nomine *personæ singularis*, non comprehendantur in suspensione, non est cur ad illa, suspensionem ampliemus. Ex hoc fundamento patet solutio ad probationem primæ sententiæ, quæ nobis tantùm adversatur.

111. Datâ tamen primâ sententiâ, quæ quidem probabilis est. Inquires, quis indigeat Bullâ, ut anima defuncti per missam in Altari privilegiato à Purgatorio Liberetur; qui celebrat, an qui facit celebrare, an verò uterque? Rodrig. §. 12. *n. 4.* insinuat, requiri Bullam in faciente celebrare: nam inquit, sæcularem teneri Bullam vivorum accipere, ut indulgentia in Altari privilegiato Religiosorum concessa defuncto prosit. Idem tenet Ludovic. à Cruce apud Mend. *mox citandum.* At Bardi *part. 3. tract. 1. cap. 4. n. 20.* ait, sufficere, ut alteruter illam habeat; quia unusquisque jus habet per Bullam ad applicandam indulgentiam, quando defunctis est concessa.

119. Dicendum tamen probabilius, requiri Bullam in celebrante, & non in faciente celebrare. Sic Trullench. *in Bull. l. 1. §. 9. dub. 4. n. 2. in fine*, & cum illo, & cum Ludovic. à Cruce *disp. 1. cap. 9. dub. 2. n. 11.* Escobar. *citat. num. 802.* Mend. *disp. 29. num. 30.* citans pro hac sententia Rodrig. *proximè* pro faciente celebrare allatum. Ratio est quia ille lucratur indulgentiam pro defuncto Altari privilegiato concessam, qui missam pro eo defuncto in eo altari celebrat; & non ille, qui facit celebrare: ergo qui celebrat, Bullam habere debet, & non ille, qui facit celebrare.

120. Antecedens constat ex formula, qua conceditur hæc indulgentia: quæ habetur *infra disp. 26. sect. 17. n. 162.* ibi: *Ut quadocunque Sacerdos aliquis ejusdem Ecclesiæ duntaxat, missam defunctorum in die Commemorationis defunctorum, & singulis diebus intra octavam illius, ac feriâ, secunda cujuslibet hebdomadæ, pro anima cujuscunque fidelium defunctorum, ad præfatum altare celebrabit, anima ipsa de Thesauro, per modum suffragii, indulgentiam consequatur, &c.* Ergo Sacerdos celebrans, & non faciens celebrare, Bullam requirit. Quæ autem missa sit dicenda, vide citatum locum à *n. 179.*

SECTIO

SECTIO XII.

Elucidatur exceptio Regularium à suspensione suarum facultatum, quoad fratres, & quibus gaudeant facultatibus.

121. IN Bulla Gregorii XIV. non excipiuntur facultates Regularium, post suspensiones factas locis determinatis, & singularibus personis, sed ad finem Bullæ in clausula derogatoria incipiente: *Non obstantibus*, ut jam notavimus *initio sect. 6. hujus disputationis*; in summario tamen immediatè fit, post dictas suspensiones, & in aliquorum S. S. Pontificum extensionibus, ad Bullam Gregorii XIV. ut etiam fit in Bulla Hispana, & ejus summario. Hæc exceptio Regularium fit in nostra Bulla Latina, per hæc verba: *Præterquam facultates concessas Mendicantium Ordinum superioribus, quoad suorum Ordinum Fratres.* Et in Bulla Hispana, per hæc: *Exceptis tamen concessis Ordinum Mendicantium superioribus, quoad eorum Fratres tantùm*, & hæc discrimina locorum circa Bullam Lusitanam, quoad exceptionem, in idem videntur coincidere; ut ostendunt extensiones aliquorum S. S. Pontificum, ad Bullam Gregorii XIV. & transcriptio Commissarii in summario, & publicatio, quam Commissarius Generalis D. D. Franciscus de Bragança in suspensione gratiarum Latinis verbis anno 1611. edidit; qui post suspensionem in Bulla allatam, immediatè retulit exceptionem Regularium, per eademmet verba, quæ habentur in Bulla Hispana. Et ex dicendis constabit, quàm parvi momenti sit hæc verborum variatio. Ut tamen exactè, quæ ad hanc exceptionem attinent, intelligantur.

122. Supponendum est, facultates Regularium esse in triplici differentia: in prima continentur indulgentiæ, quæ ipsis à S. S. Pontificibus concessæ sunt; in secunda, quæ illis, & eorum Ecclesiis sunt impertitæ, pro omnibus Christi fidelibus. In tertia facultates, & privilegia, quæ immediatè in favorem Religionis tantummodò sunt concessa. Ut hæc clariora maneant.

123. Advertendum est primò circa primam differentiam, S. Pontificem Paulum V. anno 1606. die 23. Maii in Bulla, quæ incipit: *Romanus Pontifex*, & vigesimâ primâ inter alias hujus Pontificis, apud Cherubin. *tom* 3. *Bullar.* revocasse omnes, & singulas indulgentias per antecessores suos concessas omnibus Regularibus cujuscumque instituti, & sexus, illasque annullasse; & eadem Bullâ loco abrogatarum, alias de novo concessit, quas hic appono ad aliquorum consolationem intrà, aut extra claustra degentium de licentia suorum superiorum, eo Ordine, & tenore, quo dantur in citat. Constit.

124. I. Omnibus Christi fidelibus, qui canonicè, & juxta Ordines cujuslibet Religionis, & Constit. Apostolicam, habitum Regularem à legitimis superioribus, causâ profitendi, in illo susceperint, die primo eorum ingressus in ipsam Religionem; si verè pœnitentes, & confessi, Sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam concedit.

II. Cuilibet Novitio, qui pœnitens, & confessus, ac sacrâ communione refectus fuerit, post completum probationis annum, professionem emiserit; etiam plenariam.

III. Cuilibet Religioso intra claustrum Monasterii viventi; qui in festo principali sui ordinis confessus, ac sacrâ communione refectus fuerit, aut missam celebraverit, & pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac S. M. Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderit; etiam plenariam.

IV. In cujuslibet mortis articulo, si pariter verè pœnitens, & confessus, ac sacrâ communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus nomen JESU ore, si poterit, sin autem corde, devotè invocaverit; etiam plenariam.

V. Qui verò ad Presbyteratus Ordinem promotus, & confessus, primam missam celebraverit, nec non etiam iis Religiosis, qui pariter confessi, ac communione refecti, eidem missæ interfuerint, aut ipso die missæ celebrabunt, etiam plenariam.

VI. Si verò Religiosi, qui de suorum Superiorum licentia à negotiis per decem dies alieni, in Cella commorabuntur, aut ab aliorum conversatione separati, in piorum Librorum Lectione, & aliarum rerum Spiritualium considerationi operam dederint, addendo sæpe considerationes, & meditationes mysteriorum fidei catholicæ, divinorum beneficiorum, 4. novissimorum, Passionis D. N. JESU Christi, & aliorum exercitiorum, orationum jaculatoriarum, aut vocalium, saltem per duas horas in diem, & noctem, orationibus mentalibus sese exercendo; faciendo eodem tempore confessionem generalem, aut annualem, vel ordinariam, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, aut missam celebraverint, toties pro quolibet prædictorum exercitiorum, plenariam similiter omnium peccatorum suorum, & remissionem misericorditer in Domino concedit.

VII. Iidem Religiosi intra claustra viventes, qui suam Ecclesiam devotè visitaverint, & ut præfertur, oraverint, consequentur eâdem indulgentias, quas visitando Ecclesias Urbis, & extra eam, diebus stationum, consequuntur in omnibus diebus, perinde, ac si ipsas Urbis Ecclesias visitassent.

VIII. Omnibus Religiosis intra claustra, ut supra viventibus, qui quinquies Orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam ante altare eorum Ecclesiæ dixerint in quolibet die; quinque annos, & totidem de indulgentia concedit.

IX. Iis, qui de suorum superiorum Licentia in itinere existentes, aut extra claustra degentes, tanquam Prædicatores, & lectores, quinquies eandem Orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam, ante quodlibet altare similiter dixerint, etiam quinque annos, & totidem Quadragenas.

X. Eisdem Religiosis, qui per mensem integrum, singulis diebus, spatio mediæ horæ, orationem mentalem fecerint; ac confessi, ac sacrâ communione ultima Dominicâ mensis hujusmodi refecti fuerint, sexaginta annos, & totidem Quadragenas.

XI. Qui contrito corde, & pœnitentes, eorum culpas, & peccata, ac imperfectiones, in capitulis culparum, accusabunt, & spiritualiter communi-

cabunt, & exercitium virtutum facientes, tres annos, & totidem Quadragenas.

XII. Iis, quotcscunque de licentia S. Pontificis, & suorum superiorum in ditiones, & terras infidelium, aut hæreticorum ad concionandum, aut Catholicos docendum, vel infideles, & hæreticos ipsos ad fidem convertendum, & Ecclesiæ gremio reducendum, missi fuerint; si pœnitentes, & confessi, ac Sacrâ communione refecti fuerint, vel missam celebraverint, ut melius ad hujusmodi opus se parare valeant, pro duobus vicibus, videlicet, quando itineri se accinxerint, & quando in Provinciam, ubi prædicta opera eis exercenda erunt, ingressi fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem elargitur.

XIII. Cùm superior in visitationibus generalibus, Orationes Quadraginta horarum, pro bono visitationis progressu, collocare voluerit; iis Religiosis, qui dictis orationibus, saltem spatio duarum horarum, in diverso tempore interfuerint, & ibi pro Principum Christianorum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, & S. M. Ecclesiæ exaltatione, necnon disciplinæ, & observantiæ Regularis augmento, pias ad Deum, ut supra dictum est, preces effuderint, si confessi, & Sacrâ communione refecti fuerint, aut missam celebraverint, plenariam similiter omnium peccatorum indulgentiam, & remissionem, ut præfertur, concedit.

125. Hæ indulgentiæ habentur expositæ apud Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 4. *appendic. à dub.* 1. Pellizar. *tom.* 2. *man. tract.* 8. *cap.* 5. *à n.* 179. Gobat *tom.* 2. *tract.* 4. *part.* 2. *cap.* 27. Moyam *in q. q. select. tom.* 2. *tract.* 3. *disp.* 4. *q.* 8. exponentem, quæ sint, vel non sint, per dictam Constit. revocatæ, & alios, quos hi citant. Et *supra* aliqua diximus *disp.* 10. *sect.* 4. *à n.* 52. *& sect.* 5. *n.* 66. Addunt tamen prædicti authores, per hanc Pauli V. Constitut. non manere revocatas indulgentias, quæ fuerunt concessæ Regularibus, pro articulo mortis, aut pro animabus Purgatorii. Sic Pellizar. *citat. num.* 181. citans Peyrin. asserentem ita declarasse Paulum V. die 23. Februar. 1609. de indulgentiis pro defunctis concessis; & de concessis pro articulo mortis, Urbanum VIII. anno Jubilæi. Idem tenent Leon. apud ipsum Pellizar. Lezan. *tom.* 3. *Verb. indulgentia n.* 11. *&* 12. Dian. *part.* 4. *tract.* 9. *resol.* 21. quos refert, & sequitur Gobat *dict. tom.* 2. *tract.* 4 *n.* 647. Idem tenet Moya *citat. n.* 21. *&* 22. de indulgentiis concessis pro animabus Purgatorii.

126. Hic tamen observandum est, Hieronim. Rodrig. *in q. Regul. q.* 77. *n.* 45. apud Dian. *part.* 4. *tract.* 4. *resolut.* 20. & Moyam *in select. tom.* 2. *tract.* 3. *disp.* 4. *q.* 8. *num.* 1. aliosque censuisse, indulgentias omnes à Paulo V. revocatas, & annullatas fuisse eodem anno, & ab eodem Pontifice restitutas. Hæc tamen sententia Hieron. Rodrig. & nonnullorum sustinenda non est; quia inter propositiones damnatas ab Alexandro VII. est hæc loco 37. *Indulgentia concessa Regularibus. & revocata à Paulo V. hodie sunt revalidata.* Et ante hanc damnationem, hoc judicarunt docti Religiosi, & D. D. Academiæ Eborensis, quos citans, docet Portel *in dub. Regul. Verb. indulgentia n.* 12. §. *secundum principale.* Dian. *proxime*, & post damnationem Gobat *ubi supra num.* 543. Et prædictas indulgentias, ante Paulum V. concessas Regularibus esse nullius roboris, & pariter momenti, declaravit S. Congregatio, additâ approbatione, & præcepto inviolatæ observationis ab Innocentio XI. die 7. Martii anno 1678. per hæc verba: *vel ante Breve Pauli V. quod incipit: Romanus Pontifex, editum* 23. *Maii anno* 1606. *personis Regularibus, quarumcunque Religionum, & Ordinum etiam Mendicantium... nullius esse roboris, & momenti pariter declarat.* Hæc de prima differentia indulgentiarum, pro Regularibus.

127. Adverte secundò, circa secundam differentiam, multas, & varias Ecclesiis Regularium esse concessas indulgentias, tum partiales, tum plenarias, ut ex specialibus constat. De partialibus videri possunt Pellizar. *tom.* 2. *Manual. tract.* 8. *cap.* 5. *à n.* 236. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *à n.* 561. & alii, quos citant. De plenariis, etiam plures Regularium Ecclesiis sunt concessæ: ut indulgentia Porciunculæ Ecclesiis Ordinis S. Francisci, de qua videri possunt Quintanaduen. *tom.* 1. *tract.* 5. *appendic. dub.* 1. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *à n.* 350. Communionis Generalis singulis mensibus, & triduo Bacchanalium Ecclesiis Societatis JESU, de quibus videri possunt *citat. authores.* Quintanaduen. *tract.* 1. *&* 2. *appendic.* Gobat. *loco citat. à n.* 355. & eisdem, pro festivitatibus S. Ignatii, & S. Francisci Xvaerii, & pro die Sanctissimi nominis JESU die primâ Januarii. Et aliæ aliis Regularium Ecclesiis à S. S. Pontificibus ad instantiam superiorum sunt concessæ.

128. Indulgentiæ, quæ promiscuè sunt concessæ Regularibus, & sæcularibus, necnon eorum Ecclesiis; per Constit. Pauli V. non sunt revocatæ: quia solùm revocantur, quæ directè, & immediatè Regularibus sunt concessæ, & non ea, quæ sunt concessæ eorum Ecclesiis pro sæcularibus. Sic Quintanaduen. *tom.* 1. *tract.* 4. *appendic. dub.* 2. Portel *in dub. Regul. Verb. indulgentia n.* 3. Rodrig. *in addit. ad summ. tom.* 3. *cap.* 11. *n. unic.* Pellizar. *in man. tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 5. *num.* 219. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *n.* 546. *vers. ideo Bulla*; & apud illum Bonagratia *in summula Verb. indulgentia n.* 223. Moya *supra n.* 18. In his visitationibus Ecclesiarum, in Regularium festivitatibus, venit nomine *Ecclesiæ*, Oratorium, juxta indultum ab Urbano VIII. factum Patribus Capucinis, ut cum Bonagratia *proximè* tenet Gobat *loco citato.* Vide quæ diximus *supra disp.* 3. *n.* 17. quoad alias indulgentiarum concessiones.

129. Adverte tertiò, circa tertiam differentiam: Regularium Superioribus esse concessas aliquas facultates, & privilegia, non solùm quoad suos Fratres, sed etiam quoad sæculares; & his ultimis etiam gaudent Fratres; ut sunt facultates absolvendi ab aliquibus S. Pontifici, extra Bullam Cœnæ, reservatis, commutandi, & dispensandi vota, quæ Episcopi commutare, & dispensare valent, ut *supra* diximus; celebrandi solemniter certis diebus, etiam tempore interdicti, & alias habent hujusmodi facultates, ut videre est apud Henriq. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 23. His animadversis,

SECTIO

SECTIO XIII.

An per Bullam Cruciatæ suspendantur indulgentiæ Regularibus concessæ?

130. SErmo est de indulgentiis concessis à Paulo V. quas adducimus *supra n.* 124. & aliis, si fortè aliquæ post Paulum à Successoribus sunt Regularibus concessæ, circa quas videatur Moya *ubi supra n.* 23. asserens cum Hieron. Rodrig. & Portel. aliquas fuisse concessas à dicto Paulo, post dictam Constit. & Urbano VIII. Et omnes indulgentias Regularibus concessas, per Cruciatam suspendi, docuit sine sufficienti fundamento Costa *in Expos. Bulla Lusitana q.* 108. Probat primò, quia S. Pontifex in clausula revocatoria excipit facultates Mendicantium: at in jure, sub vocabulo *facultates* indulgentiæ non comprehenduntur, ut patet ex duplici *Extravag. Sixti IV. de pœnit. & remiss. Gregorii XIII.* in quibus hi S. S. Pontifices suspendentes in anno Sancto varias facultates, ipsas indulgentias, tanquam à facultatibus specialiter distinctas, suspenderunt; quod rectè. (ut inquit) notavit Navarr. *de Jubil. notabil.* 24. & 33.

131. Secundò probat ex tenore nostræ Bullæ, in qua S. Pontifex, postquàm revocavit omnes indulgentias, & facultates, postea non excipit quidem indulgentias Mendicantium, sed nominatim solùm facultates superioribus eorundum concessas.

132. Tertiò denique probat ex Brevi Romæ dato die 28. Augusti anno 1591. per quod S. Pontifex Card. Alberto committit, ut inter alias personas definiret: quanta eleemosyna pro Bulla Cruciatæ à Mendicantibus esset eroganda: unde supponit Mendicantium indulgentias esse suspensas per Bullam: nam si non essent suspensæ, cùm sint amplissimæ, Bulla non indigebant.

133. His tamen non obstantibus, ut certum assero, indulgentias prædictas non suspendi per Bullam Cruciatæ; imò posse Regulares omnes, nec non Moniales illis sine Bulla gaudere. Sic docent Rodrig. *in Bullam* §. 12. *n.* 5. Nunùs *in* 3. *part. tom.* 2. *tract. de Bulla* §. 14. Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 88. Villal. *tract.* 27. *clausul.* 12. *n.* 10. Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 9. *dub.* 3. *n.* 2. Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 5. *n.* 209. Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *punct.* 10. *n.* 6. Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 4. *appendic. dub.* 11. *n.* 5. Bardi *part.* 3. *tract.* 1. *cap.* 3. *n.* 3. Mend. *disp.* 19. *n.* 43. Abreus *de Parochi. l.* 10. *n.* 613. Tamborin. *tract. de Bull. Cruciatæ, cap.* 14. §. 2. *num.* 4. Ludovic. à Cruce *in Bull. disp.* 1. *cap.* 9. *dub.* 1. *n.* 6. Joann. à Cruce *in epit. l.* 2. *cap.* 7. *dub.* 3. *conclus.* 2. Cardin. de Lug. *de pœnit. disp.* 20. *n.* 172. Soar. *tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *tract.* 8. *cap.* 16. *n.* 40. Escobar. *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 353. Lezan. *in summ. tom.* 3. *Verb. Bulla Cruciatæ n.* 39. Avendanùs *in Thesaur. Indic. tract.* 5. *n.* 212. quamvis post medium, dicat hanc rem esse incertam, ac propterea Religiosis expedire Bullam sumere.

134. Hanc resolutionem probant aliqui expositores Bullæ Hispanæ, ex verbis suæ Bullæ, quæ se extendunt ad omnia in suspensione comprehensa, quæ sunt: *Item prædicto Commissario, & Receptori generali datur facultas, ut suspendere possit, dicto anno durante, omnes similes, vel dissimiles indulgentias, & facultates ab eisdem, & Sede Apostolicâ, &c.* & his subjunguntur: *exceptis tamen concessis Ordinum Mendicantium superioribus quoad eorum fratres tantùm.* Ubi dictio *exceptis* generaliter, & absque addito, aut restrictione apposita cadit super omnia illa, quæ præcesserant, & quæ à S. Pontifice suspendi permittuntur: atqui non solùm facultates, sed etiam indulgentiæ præcesserant in suspensione: ergo tam indulgentiæ, quàm facultates Ordinum Mendicantium superioribus concessæ, quoad eorum Fratres, excipiuntur: quia absque fundamento dici potest, vocem *exceptis* cadere supra facultates, & non supra indulgentias. Hæc ratio sanè probat intentum contra Costam.

135. At cùm Sebastian. à Costa solùm nitatur, ad suam stabiliendam sententiam, non verbis Bullæ Hispanæ, sed tantùm Lusitanæ, in qua sunt diversa, quæ præmittuntur suspendi, & suspenduntur; alia investiganda est ratio; quia tamen Bullæ Hispanæ Expositores non rectè existimarunt, hanc Costæ probationem deductam ex vocibus: *præterquam facultates concessas*, est contra suam Bullam, nisi sunt nomine *facultates* non solùm comprehendere in exceptione alias diversas facultates ab indulgentiis, sed etiam ipsas indulgentias.

136. Probatur ergo nostra Conclusio ex Bulla Gregorii XIV. quam successores prorogant, extendunt, & ampliant, primò ex suspensione, in qua solùm suspendi permittit, *omnes similes, ac dissimiles indulgentias, ac peccatorum remissiones à Sede Apostolica, vel ejus authoritate, concessas quibusvis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, Piis locis, Universitatibus, Confraternitatibus, & singularibus personis:* sed indulgentiæ prædictæ à Paulo V. vel à successoribus concessæ omnibus Regularibus, non sunt concessæ dictis locis particularibus, nec singularibus personis, sed omnibus Regularibus, ut constat ex Bulla Pauli V. *supra citat. n.* 142. ibi, *in fine: Quæ indulgentias vult Sanctitas sua, ut omnes, etiam concessæ sint omnibus Religiosis, Monialibus, Regularibus, cujuscunque Regulæ approbatæ, & intra claustra cum tribus votis solemnibus viventibus, & perpetuam clausuram servantibus, tam ordinariis locorum, quàm Regularibus cujuscunque Ordinis, Regulæ, & instituti subjectis, suffragari: Præsentibus perpetuis temporibus duraturis, &c.* Ergo indulgentiæ Regularibus concessæ per Bullam Cruciatæ non suspenduntur.

137. Probatur secundò eadem conclusio ex clausula derogatoria, ex qua Sebastian. à Costa suam probavit sententiam. In qua ad effectum præmissum, revocantur expresè privilegia, indulta, indulgentiæ, facultates, & Litteræ Apostolicæ concessæ quibuscunque Ecclesiis, etiam Cathedralibus, & Metropolitanis, nec non Monasteriis, & Conventibus, etiam Mendicantium, & aliorum Ordinum & Militarium, illorumque superioribus, & personis: Universitatibus, Collegiis; sub quibuscunque tenoribus sint concessa; & in fine excipiuntur facultates Regularibus concessæ, per hæc verba: *Præterquam facultates concessas Mendicantium Ordinum superioribus, quoad suorum Ordinum Fratres.* Ex qua clausula ostenditur ratio pro nostra resolutione. In hac derogatione, quamvis exprimantur indulgentiæ, & facultates: & S. Pon-

tifex solùm excipiat facultates concessas Mendicantium Ordinum Superioribus, quoad suos Fratres; & non indulgentias, non censetur revocare indulgentias superioribus Ordinum Mendicantium quoad suos Fratres, nec alias quascunque Religionibus concessas. Quia solùm revocat indulgentias, facultates, indulta, privilegia, &c. concessæ Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, Universitatibus, Collegiis, Superioribus, & personis singularibus: sed nomine *Ecclesiarum Monasteriorum, &c.* non veniunt Religiones, quibus à S. S. Pontificibus indulgentiæ conceduntur: ergo per clausulam derogatoriam, Regularibus indulgentiæ concessæ non revocantur. Hæc magis patebunt ex responsione ad secundam rationem à Costa.

138. Probatur tertiò eadem conclusio ex sequenti declaratione, quam fideliter transcripsi ex prototypo, quem ex Originali transtulit P. Didacus Pereyra Collegii S. Antani Ulyssiponensis, & postea Collegii, & Academiæ Eborensis Rector, observato in Librario Magistri Theologiæ moralis dicti Collegii S. Antani, sic habente.

Capitulo de huma carta do P. Geral Claudio Aquaviva pera o P. Manoel de Sequeira Vice-Provincial de 30. de Agosto de 1593.

139. Entendemos aver ayalgunos Padres, que tienen pera si, que la Bula de la Cruzada impida nuestras indulgencias, y privilegios. Estaduda pornos ser preguntada de Castilla algunas vezes, hezimos estudiar, y consultamos al Cardenal Contarelo, que entonses era Datario, e respondio que la Bula noquitava, ni revocava las gracias concedidas aqualquer Religion: mas que solamente las concedidas a Monasterios, Lugares pios, y personas particulares, assi Reglares, como seglares. Demodo que los nuestros gozan denuestras indulgencias, y privilegios, assi pera confus personas, como pera las de fuera en aquello que tenemos privilegio, como en absolver, &c. de la misma manera como senâ vivera Bula de Cruzada. Y si el Summario della, que por allà corre, tiene alguna clausula, que pareca derogar esto; entendase, que no es de Bula, si no error del que la saca, y interpreta dessa manera. Porque el Cardenal nos diola copia del original de la dicha Bula, y del no colligimos tal conclusion. Sic capitulum litterarum.

Hanc doctrinam ex eodem fundamento secuti sunt Castrus Palaus *tom. 4. tract. 25. punct. 10. n. 6.* Tamborin. *tract. de Bull. cap. 14. §. 2. n. 6. & sequenti* Soar. Lusitan. *de pœnit. tract. 7. n. 357.* Escobar *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 807.* & alii. Et præscindendo ab hac ratione deductâ à locis particularibus, & singularibus personis; & loquendo juxta suspensionem à Bulla factam; in cujus fine, aliqui S. S. Pontifices, & ipse Commissarius statim ponunt exceptionem Regularium, per eadem verba, quibus ponitur in clausula derogatoria, *Præterquam facultates concessas mendicantium ordinum superioribus, quoad suorum ordinum fratres.* Aperè sequitur, non suspendi indulgentias Regularibus concessas. Ratio est, quia in suspensione solùm referuntur omnes similes, ac dissimiles indulgentiæ, ac peccatorum remissiones; & de facultatibus nulla sit mentio: si ergo per facultates exceptas, quoad Regulares, intelliguntur indulgentiæ, ac remissiones peccatorum (ut debet intelligi) habemus intentum, nempe quòd indulgentiæ Regularibus concessæ non manent suspensæ: si verò non intelligantur, cùm in suspensione non fiat mentio facultatum, nihil censetur exceptum, quoad Regulares, per dicta verba exceptionis, quod non est dicendum.

140. Nec rationes à Sebastian. à Costa *à n. 130. allata* oppositum probant, non prima deducta ex dictis Extravag. quia ad illam respondeo, dato quod *in dictis Extravag.* indulgentiæ contradistinguantur à facultatibus; & sub facultatibus non comprehendantur indulgentiæ, nihil contra nos; quia in Bullæ suspensione, solùm comprehenduntur indulgentiæ, & remissiones peccatorum, quæ sunt concessæ determinatis locis, & personis singularibus: indulgentiæ verò, peccatorum remissiones, & facultates, quæ sunt concessæ Regularibus, non sunt concessæ locis particularibus, nec singularibus personis, nec ipsæ indulgentiæ, ut distinctæ in clausula revocatoria. Addo Navarr. non docere, indulgentias esse quid distinctum à facultatibus; imò illo *notab. 33.* inquit nomine *facultatum* comprehendi indulgentias, ut etiam notarunt Quintanaduen. *tom. 1. appendic. tract. 4. dub. 12. n. 1.* Bardi *ubi supra n. 3. & ex citatis n. 133.* non pauci quos *infra n. 142.* adducemus.

141. Ad secundam rationem respondeo, non rectè inferri, ex tenore nostræ Bullæ, post revocationem indulgentiarum, & facultatum solùm, & nominatim, excipi facultates superioribus Mendicantium concessas, quoad eorum Fratres; de qua revocatione jam diximus *supra n. 137.* & aliis in locis. Et ut plenius intelligatur, advertendum est: S. Pontificem Gregorium XIV. in suspensione indulgentiarum, & remissionum peccatorum facta locis determinatis, & singularibus personis, nullam fecisse in nostra Bulla mentionem, de exceptione facultatum ordinum Mendicantium superioribus concessarum, quoad suos fratres; nec erat necessaria; quia quæ illis tantùm conceduntur, non sunt concessæ locis, & personis particularibus: at ad finem Bullæ in clausula derogatoria abrogat consuetudines, privilegia, indulta, indulgentias, & facultates quomodolibet concessas Ecclesiis, etiam cathedralibus, & Metropolitanis, nec non Monasteriis, & Conventibus tam virorum, quàm mulierum, etiam Mendicantium, & personis, Universitatibus, etiam studiorum Generalium, & Collegiis, tam Regularium, quàm sæcularium personarum. Et post hanc derogationem, apponit Regularium exceptionem, per dicta verba, *præterquam facultates concessas Mendicantium Ordinum superioribus, quoad suorum Ordinum Fratres.* Si igitur S. Pontifex in hac derogatione solùm comprehendit prædicta concessa locis particularibus, & personis singularibus, & ab his excipit facultates Ordinum Mendicantium superioribus concessas, quoad suorum Ordinum Fratres, signum est evidens, non comprehendisse prædicta, quæ non erant concessa locis particularibus, & personis singularibus, sed omnibus Religiosis, vel eorum superioribus independenter à locis, & personis particularibus. Non rectè ergo infert Sebastianus à Costa ab hac exceptione non posse Regulares indulgentiis toti ordini concessis gaudere.

142. Imò contra Costam, sic arguo: si in derogatione facta est mentio consuetudinum, privilegiorum, indultorum, indulgentiarum, & facultatum; cur asserit solùm indulgentias Regularium per Bullam suspendi: nam ut cohærenter procederet, debebat etiam asserere, suspendi consuetudines, privilegia, & indulta, & non solùm

lùm in indulgentias ; nam S. Pontifex poſt harum ſuſpenſiones, poſtea ſolùm excepit facultates ſuperioribus quoad ſuos fratres conceſſas : ſed dictus Coſta *q.* 105. ſub nomine *facultatum* non comprehendit qualcumque alias facultates, quæ in favorem Religioſorum ſunt conceſſæ, ut poteſtas diſpenſandi in aliquibus votis, in jejuniis, in cibis prohibitis, & in aliis multis, quæ (ut inquit) videri poſſunt apud authorem compendii. Si ergo hæc privilegia, & indulta, non obſtante, quòd contineantur in derogatione, non veniunt nomine *facultatum*, quæ in exceptione continentur ; quia ſunt in favorem Religioſorum, cur etiam nomine *facultatum* non venient indulgentiæ, quia etiam ſunt in favorem Religioſorum ? Et venire ſub eo nomine indulgentias, docent Bardi *ubi ſupra dict. n.* 3. Ludovic. à Cruce, Trullench. & alii apud Tamborin. *dicto cap.* 14. §. 2. *n.* 4. quos citatos amplectitur.

143. Ad tertiam rationem Coſtæ reſpondeo, motivum, quod habuit Gregorius XIV. (& non Clemens VIII. ut invenitur apud Bardi *ſupra n.* 6. dicentem ſibi hoc motivum latere) ad commiſſionem hanc faciendam Archiduci Auſtriæ hujus Regni gubernatori, & Sedis Apoſtolicæ in his Regnis Legato à Latere, fuiſſe ; ut definiret eleemoſynas, quas pro Bulla unuſquiſque erogare deberet, quæ in Bulla ipſius Pontificis nec erant definitæ, nec alicui commiſſa facultas, ut eas deſignaret ; ſed tantùm, ut qui multas opes haberet, multum, ſeu abundanter tribueret, & qui exiguas, exiguum etiam pro Bulla impertiret : cùmque hæc indeterminatio dubios animos, ad acquirendas Bullæ facultates, relinqueret ; dicto Archiduci Cardinali hanc commiſſionem legavit ; quam verbo ad verbum præmiſi *ſupra initio diſputationis* 5. Et inter varios ſtatus, qui ibi numerantur ; de Regularibus etiam fit mentio, qui etiam poſſunt Bullam accipere, ut etiam diximus *diſp.* 2. *ſect.* 5.

144. Ex hac tamen commiſſione Cardinali facta, & ex deſignatione Eleemoſynæ pro Regularibus, nullum poteſt oriri fundamentum pro ſententia Coſtæ ; imo firmum pro noſtra. Ratio eſt, quia ibi in recenſione ſtatuum, qui pro Bulla Eleemoſynam erogare debebant cùm S. Pontifex pervenit ad Regulares, his utitur verbis : *ac loca etiam Regularium, & Mendicantium, tam fœminarum, quàm maſculorum, Clerici item* &c. Quæ tamen ut intelligantur, ſupponendum eſt, docere D. D. loca, & communitates Bullam non accipere, ſed particulares perſonas alicujus loci, aut communitatis, ut tenent Trullench. *in Bullam l.* 1. §. 9. *dub.* 4. *n.* 2. Mend. *in appendic. diſp.* 3. *n.* 11. & omnes : At licèt de facto ita ſit, juxta prædictum Breve, oppoſitum poterat evenire ; nam S. Pontificis Gregorii intentio fuit, quòd Eleemoſynæ pro capitularibus, & Religionis deſignandæ non deſignarentur pro ſingulis, ſed pro capitulis, & Regularium conventibus : & pro his communitatibus deſignatæ, & largitæ, potuiſſent illarum communitatum perſonæ, Bullæ Cruciatæ privilegiis gaudere ; ſic colligitur ex verbis citati Brevis : ibi : *Tibi facultatem tribuimus, ut quantum S. R. E. Cardinales, Primates, Patriarchæ, Epiſcopi, Rex, Regis filii, Principes, Duces, Marchiones, Comites, Capitula Eccleſiarum, Monaſteria, ac loca etiam Regularium, & Mendicantium, tam fœminarum, quàm maſculorum, clerici item* &c. ergo juxta hanc diſpoſitionem, quæ non ſupponebat ſummarium pro ſingulis diſtribuendum, poterant dictæ Communitates eleemoſynam deſignatam elargiri, & ſingulæ illarum perſonæ Bullæ privilegiis gaudere. At Commiſſarius, & illius anteceſſores, ſicut non pro dignitatibus, ita etiam non pro communitatibus in Brevi allatis, ſed pro ſingulis perſonis ſummarium accipientibus, eleemoſynam deſignarunt, ut vidimus *dictâ diſp.* 5. à. *n.* 4. Quare nec ex prædicto Brevi, nec à deſignatione à Commiſſario facta pro Regularibus, poteſt inferri, Regulares indigere Bullâ ad conſequendas indulgentias Religionibus conceſſas ; quia aliæ in Bulla conceduntur indulgentiæ, & privilegia à S. S. Pontificibus non prohibita conſequi, quæ ut acquirantur, Bulla requiritur.

145. Dices pro ſententia Coſtæ : In ſuſpenſione indulgentiarum, & remiſſionum peccatum non fuit neceſſarium fieri mentionem in Bulla Gregorii XIV. exceptionis facultatum ordinum Mendicantium ſuperiorum conceſſarum, quoad ſuos fratres ; quia quæ ſuſpenduntur ſunt illa, quæ locis determinatis, & ſingularibus perſonis ſunt conceſſa, & quæ ſuperioribus quoad ſuos fratres conceduntur, ſunt conceſſa Religionibus & non locis determinatis, nec perſonis ſingularibus ; ergo etiam ſupervacanea eſt exceptio, quæ ab eodem Gregorio fit in clauſula derogatoria, circa facultates conceſſas ſuperioribus Mendicantium, quoad ſuos fratres ; & per conſequens, quæ fit ab aliquibus S. S. Pontificibus, & ab ipſo Commiſſario, ſtatim poſt ſuſpenſionem indulgentiarum, ac peccatorum remiſſionum. Antecedens à nobis fuit admiſſum *n.* 141. Conſequentia patet : quia ſicut in ſuſpenſione indulgentiarum, ac peccatorum remiſſionum ſolùm ſuſpenduntur illa, quæ ſunt conceſſa locis determinatis, & ſingularibus perſonis ; ita etiam in clauſula derogatoria ſolùm derogantur indulgentiæ, indulta, privilegia, &c. conceſſa locis determinatis, & perſonis ſingularibus : ergo ſupervacanea eſt dicta exceptio, & ex illa Regularibus nullum provenit emolumentum, aut privilegium.

146. Reſpondeo, negando utramque conſequentiam : Non enim erat neceſſaria in Bulla Gregorii exceptio Regularium, poſt ſuſpenſionem indulgentiarum, quia ab eo facienda erat in clauſula derogatoria ; & quando ad aliquibus Pontificibus fit poſt dictam ſuſpenſionem, & ab ipſo Commiſſario, non fit in clauſula derogatoria ; & quocunque in loco fiat, ſemper videtur eandem habere vim. Et quamvis in uno, vel altero loco fiat, & in uno ſuſpendat, & in altero deroget indulgentiis &c. conceſſis locis determinatis, & ſingularibus perſonis ; adhuc eſt magnum privilegium, exceptio facta ſuper facultatibus ſuperioribus Mendicantium conceſſis, quoad ſuos fratres : quia ex vi illius poſſunt Regulares gaudere indulgentiis conceſſis ſuis Eccleſiis, ſeu Monaſteriis ad inſtantiam ſuorum ſuperiorum, pro omnibus fidelibus, non obſtantibus, quòd ſint loca : Nam hæ indulgentiæ pro ſæcularibus per Bullam ſuſpenduntur, & pro Regularibus excipiuntur, quando ipſæ indulgentiæ ſuperioribus aut Religionibus Mendicantium fuerunt conceſſæ. Ita docent Joann. à Cruce *epit. l.* 1. *cap.* 6. *dub.* 12. *concluſ.* 5. *& doctiſſimi Salmanticenſes ab eo relati*, Ludovic. à Cruce *in Bull. diſp.* 1. *cap.* 9. *dub.* 1. *n.* 9. Navarr. *de Jubil. notabil.* 33. Mirand. *in manual. q.* 45. *art.* 7. quos citat, & ſequitur Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 3. *appendic. dub.* 12. *n.* 1. Lezan. *tom.* 2. *q. q. Regul. cap.* 1. *n.* 59. *in fine* idem videtur ſentire Bardi *in Bull. part.* 3. *tract.* 1. *cap.* 4. *n.* 13. *&* 14. Et ſentiunt Rodrig. Villal. Sallas. Caſtr.

Palao, quos adducimus *supra n.* 84. Quatenus docent, indulgentias concessas Granis, Numismatibus, Rosariis &c. ad instantiam superiorum Mendicantium, absque Bulla Religiosis suis fratribus, non tamen sine illa, sæcularibus prodesse. Et his constat, verba excipientia facultates, superioribus Mendicantium concessas, non esse supervacanea, sed ipsis Regularibus maximæ utilitatis. De hac tamen quæstione redibit sermo *à n.* 152.

SECTIO XIV.

An indulgentiæ personales, aut locales communes sæcularibus, & Regularibus suspendantur per Bullam?

147. QUoad primum, fingamus casum: S. Pontifex cuidam Religioso Mendicanti quandam concessit indulgentiam, hic autem jam est in loco, in quo Bulla quotannis promulgatur, & suspenduntur omnes indulgentiæ personales; quæritur, an hæc huic Mendicanti concessa maneat etiam suspensa? Respondeo cum distinctione: vel enim ea indulgentia fuit concessa pro articulo mortis, vel pro alio die extra illum articulum: si primum, existimo non suspendi per Bullam juxta declarationem Urbani VIII. pro anno Sancto, & D. D. quos citavimus *supra sect. XII. n.* 125.

148. At si concessio fuit pro alio die extra eum articulum, Avendanûs probabile existimat non suspendi per Bullam. Probat primò *ex illa juris regul. in 6. Oportet beneficium Principis esse mansurum*: at S. Pontifex Regulari Mendicanti indulgentiam concedit: ergo per Bullam non debet statim suspendi; nec est id credendum, voluisse S. Pontificem, quando indulgentiam concessit.

149. Nec est, contra hoc assertum, dicendum, quòd hæc indulgentia non est concessa superiori, pro illo Regulari; quia Bulla dum excipit facultates concessas superioribus, quoad eorum fratres, loquitur de eo, quod frequenter fit; quòd non tollit, eas facultates immediatè ipsis Religiosis, & Religioni fieri posse; ut constat ex citat. Constit. Pauli V. in qua indulgentiæ ab ipso de novo concessæ, non superioribus, quoad suos fratres, sed ipsis fratribus immediatè sine superiorum mentione conceduntur, ibi: *Quæ indulgentia, vult Sanctitas sua, ut omnes etiam concessa sint omnibus Religiosis, Monialibus, Regularibus cujusvis regulæ approbatæ &c.* ergo quamvis S. Pontifex in Bulla loquatur de facultatibus ordinum Mendicantium superioribus concessis, quoad suos fratres, locutus fuit juxta ordinariam concedendi formam; non tamen ad illam suæ dispositionis decretum voluit adstringere; quia solùm, & præcipuè Mendicantium favorem spectavit, ut suæ facultates, & indulgentiæ non cessent; ut pro certo statuit Escobar *tract.* 1. *examin.* 17. *cap.* 4. §. *legista*: ergo cùm S. Pontifex, in concedenda indulgentia singulari personæ Regulari, favorem illius spectasset, quamvis de illius superiore mentionem non fecisset, per Bullam non remanet suspensa, sicut non remaneret, si superiori concederetur pro illo Regulari suo subdito, quia hoc in Bulla excipitur.

150. Quamvis existimem hanc Avendan. sententiam valde probabilem, & tutam ex rationibus allatis, non tamen discedo à communi opinione; quia in Bulla expressè suspenduntur indulgentiæ personis singularibus concessæ: cùm igitur illa indulgentia sit à S. Pontifice singulari personæ Regulari concessa, per Bullam manet suspensa. Ita Trullench. *l.* 1. §. 9. *dub.* 3. *n.* 3. Bardi *part.* 3. *tract.* 1. *cap.* 3. *n.* 7. Mend. *disp.* 29. *n.* 41. Escobar *in Theol. moral. l.* 7. *n.* 355.

151. Ad fundamentum contrarium uno verbo respondetur, non habere locum regulam juris, quando datur expressa suspensio; ad aliud de exceptione, quæ majorem vim infert. Respondeo, non extendi ad concessiones factas personis singularibus, sed ad alias, quæ vel omnibus Religiosis immediatè, vel superioribus, quoad illos conceduntur.

152. Circa secundum, inquirimus: An suspendantur per Bullam indulgentiæ, & jubilæa, quæ à S. Pontifice conceduntur Monasteriis, & Ecclesiis Regularium, pro omnibus illas visitantibus in suorum Fundatorum, aut Titularium festivitatibus, & aliorum Sactorum, ac festivitatum? Et certum est suspendi, quoad sæculares; si tamen Bullam recipiant pro illis revalidantur. Sic constat expressè à suspensione facta, virtute Bullæ, & ex praxi, nam quando præ foribus Ecclesiæ harum indulgentiarum, & jubilæorum notitiæ præfiguntur; semper solet subjungi: *Dummodo habeatur Bulla Cruciatæ*; & tenent D. D. Ludovic. à Cruce *disp.* 1. *cap.* 9. *dub.* 2. *n.* 10. Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 9. *dub.* 3. *n.* 10. Rodrig. §. 12. *n.* 4. Villal. *clausul.* 12. *n.* 3. *in tract.* 27. quos refert, & sequitur Bard. *part.* 3. *tract.* 1. *cap.* 4. *n.* 13. quibus accedit Mend. *disp.* 23. *n.* 60. & alii communiter.

153. Suspendi etiam pro ipsis Regularibus, tenentur dicere illos, qui sentiunt in exceptione pro Regularibus facta non venire indulgentias nomine *facultatum*, de quibus tantùm fit expressa mentio, ibi: *præterquàm facultates concessas Ordinum Mendicantium superioribus quoad suorum ordinum fratres*; ut docuit Costa *q.* 108. & alii. Et hanc rem esse dubiam, opinatur Avendan. *in Thesaur. indulg. tract.* 5. *n.* 284. *in fine*, ut etiam *supra* notavimus.

154. Ego tamen existimo, certum esse non suspendi dictas indulgentias per Bullam; ac proinde posse Regulares illis absque Bulla gaudere. Ut hoc probem suppono per *facultates*, in exceptione facta pro Regularibus Mendicantibus intelligi indulgentias, ut cum communi D. D. contra Costam vidimus *supra n.* 140. *in fine*, & *n.* 142. *etiam in fine*. Quo supposito. Probo, quia in clausula derogatoria, ad finem Bullæ abrogantur indulgentiæ, & facultates Ecclesiis, Monasteriis, & locis determinatis concessæ; & excipiuntur concessæ superioribus Mendicantium quoad suos subditos, ut patet ex allatis verbis *n. præcedenti*: sed indulgentiæ concessæ Ecclesiis Mendicantium, illis sunt concessæ ad instantiam suorum Superiorum; ergo non comprehenduntur in derogatione. Idem à fortiori probatur, si exceptio fiat post suspensionem, ut fit ab aliquibus S. Pontificibus, & à Commissariis: ut vidimus *supra n.* 139. *vers. Hanc doctrinam*.

155. Confirmatur, quia si illa exceptio non operatur, quòd Religiosi possint gaudere illis indulgentiis, nihil videtur operari: nam indulgentiæ toti Religioni concessæ, cùm non sint concessæ locis, & determinatis personis, nihil circa illas operatur derogatio, aut suspensio; quia derogatio, sive

sive suspensio solùm loquitur de indulgentiis locis determinatis, & personis singularibus concessis: ergo ut aliquid operetur, intelligi debet de indulgentiis, quæ determinatis Ecclesiis Regularium sunt concessæ, quoad omnes Christi fideles, ad instantiam superiorum; nam sic intelligitur eas indulgentias manere suspensas per Bullam, quoad sæculares, & non quoad Regulares, qui excipiuntur: & ita docent D. D. *citat. n.* 146. *& citandi n.* 158.

156. Dices: Verba illa exceptionis, quoad suorum ordinum fratres; possunt intelligi de indulgentiis, quæ Ecclesiis sunt concessæ, & simul Ordinum Mendicantium superioribus, pro suis fratribus tantùm: ergo non debent intelligi de illis, quæ omnibus fidelibus sunt concessæ in Ecclesiis Regularium ad instantiam superiorum.

157. Respondeo primò, negando antecedens, quia in exceptione facta in Bulla Gregorii XIV. & extensionibus aliquorum S. S. Pontificum, ac ipsius Commissarii, pro Regularibus, non apponitur illa dictio *tantum*, quæ est taxativa, ut apponitur in Bulla Hispana, videlicet: *Quoad eorum fratres tantùm.* Unde quamvis juxta Bullam Hispanam eum sensum possit habere: at juxta Bullam Lusitanam illum non habet; quia exceptio est amplianda, cùm non detur à quo restringatur.

158. Respondeo secundò, etiam juxta Bullam Hispanam, illam dictionem *tantùm* posse accipi, prout cadit supra ipsos fratres tantùm, qui duntaxat excipiuntur; & non circa ipsas indulgentias; nam licèt pro omnibus sint concessæ; quoad Regulares, non excipiuntur; cùm suis superioribus pro omnibus fidelibus sint concessæ, in eorum Ecclesiis. Et hanc sententiam amplectuntur D. D. Ludovic. à Cruce *disp.* 1. *cap.* 9. *dub.* 1. *n.* 9. Miranda in man. *q.* 45. *art.* 7. & alii quos affert, & sequitur Quintanad *tom.* 1. *tract.* 4. *appendic. dub.* 12. *n.* 1. Quibus addo *Rodrig.* §. 12. *n.* 4. Villal. *tract.* 27. *clausul.* 12. *n.* 3. Mend. *disp.* 29. *n.* 60. Et alii pro nostra Bulla possint citari, qui id negant juxta Bullam Hispanam; eo quòd in exceptione in illa facta apponatur dictio *tantùm* quæ in Bulla Lusitana non apponitur; ut videre est apud Avendan. *ubi supra.*

159. Adverto pro coronide istius Sectionis, per Bullam Pauli V. *supra allatam n.* 124. non revocari indulgentias, quæ sunt concessæ Ecclesiis Regularibus pro omnibus Christi fidelibus visitantibus in aliquibus festivitatibus eas Ecclesias; ut cum Quintanad. *tract.* 4. *appendic. dub.* 13. *n.* 2. & 3. Bonagratia *in summul. verb. indulgentia n.* 221. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *n.* 546 *vers. ideo Bulla*, Moya *tom.* 2. *in q. q. Selectis tract.* 3. *disp* 4. *q.* 8. *n.* 18.

SECTIO XV.

An privilegia Regularibus concessa ad absolvendum sæculares ab aliquibus reservatis, & dispensanda, aut commutanda vota, per Bullam suspendantur?

160. PRima sententia est affirmativa, illam sustinent Costa *q.* 105. *vers. Duobus igitur modis in fine*, Rodrig. *in Bull.* §. 12. *n.* 4. Navarr. *l.* 5. *consilior. in poster. edit. de pœnit. consil.* 16. *n.* 1. Lopes *de clavibus cap.* 2. Trullench. *in exposit. Bull. l.* 1. §. 9. *dub.* 3. *n.* 8. & probabilem fatetur Bardi *part.* 3. *tract.* 1. *cap.* 4. *n.* 11. *in fine*, & *n.* 21. absolutè defendit, per Bullam suspendi privilegium aliquibus Regularium Ordinibus concessum, per quod possunt in aliqua solemnitate, non obstante interdicto, pulsare campanas ad populum in Ecclesia congregandum, administrare Sacramenta, & mortuos sepelire.

161. Probant, quia per Bullam suspenduntur privilegia concessa quibusvis Ecclesiis, Monasteriis, Piis locis, & singularibus personis: sed suspensis privilegiis concessis Monasteriis, suspenduntur privilegia, etiam eorum personis concessa, ergo. Confirmatur, quia per Bullam solùm excipiuntur facultates concessæ Ordinum Mendicantium superioribus, in ordine ad suos fratres tantùm: sed dictio *tantùm*, cùm sit taxativa includit id, quod exprimit, & excludit omne non expressum, ut cum pluribus Barbos. *de diction. usu frequent. dict.* 401. ergo cùm includat Regulares, quoad sæculares suspensa manebit.

162. Secunda tamen sententia tenenda est docens, per Bullam non suspendi prædicta Regularium privilegia; atque adeo posse sine Bulla illis uti, etiamsi absolvendi, aut dispensandi Bullâ careant. Sic Rodrig. *in addit. ad Bull.* §. 12. *an.* 1. mutans sententiam, quam docuerat *in explicat. Bull. loco citat.* Henriq. Ledesm. Joann. de la Cruz, & Graff. quos referunt, & sequuntur Dian. 1. *part. tract.* 11. *resol.* 100. Cardin. de Lug. *de pœnit. disp.* 20. *n.* 146. Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 12. *q.* 57. Item Villal. *tract.* 27. *clausul.* 12. *n.* 1. Leonard. Less *l.* 2. *de just. cap.* 41. *n.* 60. Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 54. *n.* 62. Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *de Bulla punct.* 10. *n.* 9. Escobar *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 808. Soar. Lusit. *de panit. tract.* 7. *n.* 357. Abreus *de Paroch. l.* 10. *n.* 612. Fragos. *tom.* 2. *disp.* 7. *de Bull. n.* 23. Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 1. *n.* 120. Lezan. *in q. q. Regul. tom.* 2. *cap.* 2. *n.* 59. Mend. *disp.* 29. *à n.* 62. & *in appendic. disp.* 3. *à n.* 5. Item Magistri Salmantic. Medin. Banés, & plures alii, quos refert Henriq. *l.* 7. *de Indulg. cap.* 28. *n.* 7. *in Gloss. Litt.* 2. & probabilem dicit Bardi *Loco supra citat.* Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 14. §. 2. *n.* 6. *& seqq.* utranque sententiam probabilem existimans.

163. Non conveniunt citati authores in assignanda ratione pro hac sententia: aliquas impugnat Bardi, nullam tamen assignat. Mendo etiam Latè eam optimis rationibus probat, eâ tamen ab eo omissa, quæ hanc sententiam efficaciùs, & evi-

dens

dentiùs probat: illâ verò utuntur Castr. Palao, Soar. Lusitan. Escobar. Lezana, & Tamborin. *Locis citatis jam supra.* Et sic habet: in Bulla suspenduntur, aut revocantur facultates, & indulta, quæ sunt concessa Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, Piis Locis, & singularibus personis, ut ex ipsa Bulla apertè constat: sed Facultates absolvendi, dispensandi, aut vota commutandi; nec non indulta pulsandi campanas &c. non sunt concessa uni Monasterio, aut alicui pio loco, at alicui singulari personæ, sed toti ordini Religioso: ergo per Bullam non suspenduntur. Confirmatur primò, quia ex eadem ratione, vidimus *supra*, Jubilæum duplicis hebdomadæ, indulgentias Regularibus concessas non suspendi per Bullam, quia non determinatis locis, nec singularibus personis conceduntur, sed omnibus fidelibus, & cunctis Religiosis. Confirmatur secundò, quia suspensio, seu clausula revocatoria in Bulla allata est stricti juris: Ergo restringi, & non ampliari debet.

164. Et ex hac ratione patet solutio ad fundamentum Trulleneh. & aliorum. Ad confirmationem, etiam eadem applicanda est solutio, juxta Bullam Hispanam, in qua invenitur illa dictio *tantùm*: nam juxta Bullam Lusitanam nullam habet vim, cùm in illa ea dictio non apponatur, ut jam notavimus *n.* 159. Ad id, quod Bardi asserit, de suspensione privilegiorum aliquibus Regularium ordinibus, tempore interdicti, factâ. Respondeo eâdem ratione, negando ea indulta suspendi; quia non uni, vel alteri monasterio sunt concessa, sed toti Ordini Religioso. Et de illius inconsequentia, videri potest Mend. *cit. in appendic.* quem sequitur Tamborin. *cit. n.* 8. & cohærenter; quia id tantùm fatetur probabiliter.

SECTIO XVI.

An facultates, & gratiæ Ordinum non Mendicantium per Bullam suspendantur?

165. SUppono primò, Ordines Mendicantium esse quatuor, ex ipso jure, *in cap. unic. de Relig. domib. in 6.* nempe Carmelitarum, S. Augustini, S. Dominici, & S. Francisci; & ex Bullis particularibus alii dicti sunt à S. S. Pontificibus Mendicantes, inter quos ex declaratione B. Pii V. sunt Minimi S. Francisci de Paula, & nostra Societas JESU, per Bullam, quæ incipit: *Dum indefesse* anno 1571. & Fratres fervorum; apud Escobar. *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 353.

166. Suppono secundò, ordines non Mendicantes, qui privilegia Mendicantium non communicant, (si fortè aliqui dentur) non gaudere exceptionis Bullæ privilegio, etiam quoad suos Religiosos; quia cùm non sint Mendicantes, nec eorum privilegia per communicationem habeant, non comprehenduntur in exceptione per Bullam facta, quoad Mendicantes. Tota difficultas est de non Mendicantibus, qui tamen cum Mendicantibus in privilegiis communicant, ut sunt ferè omnes Religiones.

167. Et suspendi eorum privilegia per Bullam defendunt Henriq. *l.* 7. *de indulg. cap.* 22. *n.* 4. *in Gloss. litt. T.* Vallerus *in different. utriusque fori Verb. absolutio n.* 45. Trullench. *in expos. Bull. l.* 1. §. 9. *dub.* 3. *n.* 2. Escobar. *nuper citat. n.* 35. Citatur etiam pro hac sententia Rodrig. *in Bull.* §. 12. *n.* 5. ille verò pro utraque parte, proponit rationes; nihil tamen determinat. Moventur prædicti authores, quia Bulla solùm excipit Mendicantes, ibi: *præterquam facultates concessas Mendicantium Ordinum superioribus quoad suorum ordinum fratres*: Exceptio enim firmat regulam in contrarium.

168. Neque dicas: Ordines non Mendicantes gaudent privilegiis ordinum Mendicantium: Ergo etiam gaudent hoc privilegio exceptionis; quod per Bullam Mendicantibus conceditur: Non inquam hoc dicas; quia, inquiunt Escobar. & Trullench. si hoc privilegio exceptionis gauderent, frustratoria esset suspensio, quæ per Bullam fit circa ordines non Mendicantes.

169. Communis tamen sententia tuetur, non suspendi per Bullam privilegia ordinum non Mendicantium. Ratio est, quia hi ordines, sine aliqua exceptione communicant in omnibus privilegiis cum Mendicantibus: Ergo si hoc, quod illis in Bulla conceditur, non gauderent, non communicarent in omnibus privilegiis: Confirmatur, quia non datur major ratio, cur aliis fruantur, & non hoc: nam quamvis in eo Bullæ privilegio non includantur per exceptionem Mendicantium, includuntur tamen, quia privilegium habent gaudendi omnibus gratiis, & privilegiis, quibus gaudent ipsi Mendicantes. Et cùm hæc sententia sit favorabilior, & quotidianæ praxi conformior; & ejus ratio optima, tenenda est. Et ita eam amplectuntur Sebastian. à Cost. *q.* 105. *in fine*, Villal. *tract.* 27. *clausul.* 12. *n.* 11. Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 89. Bardi *part.* 3. *tract.* 1. *cap.* 3. *n.* 10. Mend. *disp.* 26. *à n.* 48. Escobar. *ubi supra n.* 105 tibi contrarius Lezan. *in summ. tom.* 3. *Verb. Bulla Cruciatæ n.* 38. Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 14. §. 2. *n.* 1. Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *de Bull. punct.* 10. *n.* 11. *prope finem* Quintanad. *tom* 1. *tract.* 4. *appendic. dub.* 12. *n.* 8. & 10. Abreus *de Paroch. l.* 10. *n.* 614. Avendan. *in Thesaur. Indic. tract.* 5. *n.* 286. Licèt n. sequenti asserat inter hæc opinionum incerta Bullam sumi debere, & sanè prudentissimè, & non scrupulosè, juxta quæ diximus *disp. à n.* 79. ad indulgentias lucrandas non latis esse sequi opinionem probabilem, si fortè opinio illa rei ipsa vera non sit. Ad fundamentum oppositum patet ex allata ratione solutio.

170. Dices adhuc pro contraria sententia: Ordines non Mendicantes verè non sunt Mendicantes: ergo cùm excipiantur Mendicantes à suspensione facultatum, quoad suos fratres, non censentur non Mendicantes excepti: si enim S. Pontifex illos vellet excipere, id sanè expressisset: Sciebat enim, illos omnes privilegiis Mendicantium gaudere. Respondeo primò, non Mendicantes, licèt non sint Mendicantes re ipsa, esse tamen Mendicantes per æquivalentiam, quatenus valent omnibus frui Mendicantium privilegiis; & cum à S. Pontifice non excludantur expressè ab hoc privilegio per Bullam concesso, illo frui possunt: nam S. Pontifex optimè novit illis omnibus privilegiis Mendicantibus concessis frui posse; & dum expressè ab hoc privilegio illos non excludit, in illo illos includit. Respondeo secundò privilegia, indulgentias, & alias facultates, quæ omnibus Religiosis sunt concessæ manere in suo vigore, & illis gaudere posse non Mendicantes, quia cùm non sint concessæ locis deter-

determinatis, & singularibus personis, per Bullam non suspenduntur, ut *à n.* 135. dictum manet.

SECTIO XVII.

An Monialium privilegia per Bullam Cruciatæ suspendantur.

171. REspondeo non suspendi, si Moniales sint ex ordinibus Mendicantibus. Sic contra aliquos docent D. D. communiter, Rodrig. *in explic. Bull.* §. 11. *n.* 7. Sebastian. à Costa *q.* 105. *in fine*, Ludovic. à Cruce *disp.* 1. *cap.* 9. *dub.* 4. *n.* 3. Villal. *tract.* 27. *clausul.* 12. *n.* 13. Trullench. *in Bull. l.* 1. §. 9. *dub.* 3. *n.* 5. Nunûs *in* 3. *part. tom.* 2. *tract. de Bull.* §. 13. Dian. 1. *part. tract.* 11. *resol.* 88. *in fine*, Bard. *part.* 3. *tract.* 1. *cap.* 3. *n.* 14. Mend. *disp.* 29. *n.* 52. Avendan. *in Thesaur. Indic. tract.* 5. *n.* 288. Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 14. §. 2. *n.* 2. Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 4. *appendic. dub.* 12. *n.* 9. Abreus *de Paroch. l.* 10. *n.* 613.

172. Probatur, quia Pontifices concedunt omnibus Monialibus cujuscumque Ordinis communicationem omnium privilegiorum cum Regularibus, quorum Ordinem profitentur; ut constat ex Bulla Leonis X. quæ incipit: *Dudum per nos edita* anno 1519. die 10. Decembris, & ex Bulla Clementis VIII. anno 1596. die 5. Martii, data fratribus Eremitarum S. Augustini, quarum verba refert Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 8. *singul.* 16. & tenent Soar. *de legib. l.* 8. *cap.* 10. *n.* 7. Rodrig. *tom.* 1. *q.* 13. *art.* 22. & alii quos citatos amplectitur Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 1. *n.* 72. Ex quibus infertur, si in concessione privilegii dicatur: *Viris Religiosis illud concedi*, eo possunt Moniales gaudere; dummodo privilegium Monialibus possit accommodari, ut tuentur Felin. *in cap. de Monialibus, de sentent. excomm.* Fuscus *de visit. l.* 2. *cap.* 18. *n.* 62. Barbos. *de jure universo cap.* 43. *n.* 14. Mend. *de Ordin. milit. disquis.* 14. *n.* 43. Pellizar. *loco citato:* cùm ergo in Bulla excipiantur facultates ordinum Mendicantium superioribus concessæ, quoad suos fratres; etiam eorundum ordinum Moniales manent exceptæ.

173. Confirmatur ex juris principiis: nam hæres ex testatore obstrictus ad aliquid fratribus restituendum, tenetur etiam sororibus restituere. Sic D. D. communiter *in cap. Raymundus Vers. declaratio, de testam. l. Lucius* §. *quæsitum ff. de legib.* Vide Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 4. *punct.* 12. *n.* 11. ubi inquit, nomine *Religiosorum* venire Religiosas illius Ordinis, in privilegiis concessis ipsi Ordini, & alia plura ad hoc intentum, cum exceptionibus ex prædicto juris principio: Igitur privilegium exceptionis, quo gaudent Mendicantes in Bulla, gaudent etiam eorum Moniales.

174. Idem dicendum de illis, quæ sunt ordinum non Mendicantium: nam possunt uti facultatibus, & gratiis sine Bulla, ut possunt Regulares sui ordinis non Mendicantes, juxta quæ diximus, *sect. præcedenti*; quod licèt sit contra D. D. ibi pro contraria sententia allatos; defenditur verò ab aliis, quos ibi pro nostra citavimus.

175. An verò hæc resolutio extendenda sit ad Tertiarias, quæ vota Religionis, Castitatis, & obedientiæ in manibus suorum Prælatorum emittunt: non tamen in congregatione vivunt? Affirmat Rodrig. §. 12. *n.* 8. & videntur approbare Trullench. in Bull. *l.* 1. §. 9. *dub.* 3. *n.* 6. Mend. *disp.* 29. *n.* 57. & 58. Ex hac ratione, quia communicant in privilegiis cum Religiosis ipsius Ordinis; etsi verè Religiosæ non sint.

176. Dicendum tamen est, has Tertiarias non comprehendi in exceptione Bullæ; ac proinde indigere Bulla, ut privilegiis, & gratiis Religioni concessis frui possint, si aliqua eis sint concessa. Ratio est, quia cùm non sint Religiosæ, nec veram professionem emittant, venire nequeunt nomine *fratrum* in facultatibus concessis superioribus, quoad suorum Ordinum fratres: Aliàs dicamus, quòd etiam Tertiarii, & Tertiariæ conjugati veniant nomine *fratrum* (quod non conceditur.) Et licèt gaudeant facultatibus, & gratiis Ordinis, ut supponitur ex Rodrig. cùm nomine *fratrum* non veniant, privilegio Bullæ non gaudent. Et hanc assertionem tenent Avendan. & Tamborin. *locis citatis*, & Villal. Ludovic. à Cruce apud eundum Tamborinum.

SECTIO XVIII.

Quid veniat nomine fratrum *in exceptione pro Regularibus facta?*

177. EXcipiuntur in suspensione Bullæ privilegia Ordinum Mendicantium superioribus concessa, quoad suorum Ordinum fratres. Insurgit igitur dubitatio, quinam veniant nomine *fratrum*. Respondeo, venire omnes Religiosos ordinum Mendicantium professos, etiamsi vulgari idiomate *frades* non nuncupentur, ut non nuncupantur Religiosi Societatis JESU & alii, ex aliquibus sacris ordinibus, & Religionibus. Et non solùm sub eo nomine veniunt solemniter professi, verum etiam personæ nostræ Societatis, quæ post biennium novitiatûs tria vota substantialia simplicia emiserunt; quia sunt verè Religiosi, ut declaravit Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit: *Ascendente Domino* &c.

178. Inquires primò: An etiam veniant Novitii ordinum Mendicantium? Respondeo affirmativè; quia in favorabilibus veniunt sub nomine *Religiosorum*; & fratres, ac religiosi appellantur, & omnibus Religionis privilegiis gaudent; si eorum statui non repugnent, vel expresè pro professis sint concessa: ut docent Soar. *tom.* 4. *de Relig. l.* 9. *cap.* 1. *n.* 18. Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 39. *n.* 17. & alii: Sed hæc exceptio facta in Bulla, est privilegium novitiis favorabile: ergo illo gaudent. Sic Rodrig. *in Bull.* §. 12. *dub.* 2. licèt addat, *si Novitii voluntatem habeant perseverandi*; Ludovic. à Cruce *disp.* 1. *cap.* 9. *dub.* 5. *n.* 2. Trullench. *l.* 1. §. 9. *dub.* 3. *n.* 4. Bardi *part.* 3. *tract.* 1. *cap.* 3. *n.* 17. Mendo *disp.* 29. *n.* 44. Avendan. *in Thesaur. Indic. tract.* 5. *n.* 285. Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 14. §. 2. *n.* 3. Abreus *de Paroch. l.* 10. *n.* 613. Costa *q.* 105. *in fine*, & Escobar. *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 805. ambo cum eadem limitatione Rodrig. quæ Bard. non placet; & meritò; quia animus recedendi à Religione non solvit Novitium à statu Novitiatûs, nec à privilegiis Religionis:

ergo quamvis animum habeat recedendi, dum non recedit, privilegiis gaudet Religionis.

179. Inquires secundò: An Donati veniant etiam, quoad hanc exceptionem nomine *Fratrum*? Respondeo negativè, quia non sunt verè Religiosi, nec etiam, ut Novitii: ergo privilegiis Religionis gaudere nequeunt. Et quamvis communi usu Religiosorum, vocentur Fratres, non tamen eo modo, quo in Bulla exprimitur, nam in illa dicitur, quoad suorum Ordinum Fratres; & Fratres vocantur propriè, qui Religionis sunt propriè filii, quales non sunt oblati, nec Donati, sed famuli filiorum, seu Fratrum. Quare ut indulgentiis, & facultatibus Ordinis gaudeant, debent sumere Bullam. Sic Rodrig. Ludovic. à Cruce, Villal. quos refert, & sequitur Bardi *part.* 3. *tract.* 1. *cap.* 3. *n.* 18. Mend. *disp.* 29. *n.* 44. Avendan. *in Thesaur. Indic. tract.* 5. *n.* 285. & alii. Hos authores intellige de illis facultatibus, & indulgentiis exceptis in Bulla, ut de illis de quibus *n.* 152. & aliis, ut ex dictis infertur.

180. Inquires tertiò: An gratiæ, & facultates, quæ immediatè à S.S. Pontificibus conceduntur ipsis Religiosis, sine eorum Superiorum mentione, suspendantur per Bullam? Et ratio dubitandi est, quia per Bullam excipiuntur facultates Superioribus concessæ, quoad suos Fratres: ergo si ipsis Fratribus immediatè sint concessæ, per Bullam censentur suspensæ.

181. Hâc non obstante ratione, respondeo, non suspendi per Bullam, quia S. Pontifex excipiendo facultates Superioribus concessas, procedit juxta communem modum expediendi facultates, & privilegia Religionum; quæ passim conceduntur Superioribus, ad suos Religiosos. Hoc tamen non tollit, quòd excipiantur etiam ea, quæ immediatè, sine mentione Superiorum, ipsis Religiosis conceduntur. Et hujus ratio est, quia intentio S. Pontificis in hac exceptione est, favere Religionibus; & quòd sua privilegia non comprehendantur in suspensione Bullæ, & sic in ea suspensione non solùm non includuntur facultates Superioribus ad suos Religiosos concessæ, sed nec illæ, quæ immediatè ipsis Religiosis conceduntur.

182. Accedit, quòd concessio, quæ fit ipsis Religiosis, absque Superiorum mentione, ab ipsis Superioribus acceptatur, & suis Religiosis illam manifestant; & sic dicuntur facultates Superioribus concessæ. Ita cum Escobar. *in Theol. moral. tract.* 1. *examin.* 17. *cap.* 4. §. *Legista* Avendan. *in Thesaur. Indic. tract.* 5. *n.* 283. Mend. *disp.* 29. *n.* 39. Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 14. §. 2. *num.* 5. & alii.

SECTIO XIX.

An durante anno promulgationis Bullæ, possint aliæ prædicari, vel publicari indulgentiæ, aut eleemosynæ peti?

183. AD præsentem Commissarii facultatem, quam hactenus exposuimus, pertinent hæ quæstiones, ut ex verbis allatis *initio sectionis* 6. constat, & ex summario, per hæc verba: *Nem sepoderam publicar emgeral, em especial*, (intellige indulgentias) *nem pedir outras esmolas, senam pera ajuda da sustentaçam, e defensam destes lugares de Africa, em todo o dito anno, da publicacam desta Bulla em diante; e isto sob pena dedouzentos cruzados, applicados pera este effeito, e de procedermos contra aspessoas, que o contrario fizerem, como nos parecer justiça.* Sic Commissarius.

184. In præsenti suspenduntur, seu prohibentur duo, durante anno Bullæ publicationis: Primum prædicari, aut publicari indulgentias, aut facultates à Sede Apostolica emanantes, concessas Monasteriis, Ecclesiis, Hospitalibus, Piis locis, Universitatibus, Confraternitatibus, & singularibus personis. Sic de eadem facultate, quam habet Bulla Hispana, sentiunt Rodrig. *in addit. ad* 12. §. *num.* 10. Trullench. *lib.* 1. §. 9. *dub.* 1. *num.* 9. Escobar. *in Theol. moral. tom.* 1. *lib.* 7. *num.* 349. & apud ipsum Peres *lib.* 1. *pag.* 137. & in hoc sensu intelligenda sunt verba Commissarii, in advertent. ad Bullam sumentes, ibi: *Durante o anno da publicaçam desta Bula, nam sepodem publicar outras Bullas em Geral, ou especial, &c.*

185. Circa hanc primam prohibitionem, quæres primò: An Prælati Regulares, non obstante hac suspensione, seu prohibitione, publicare possint indulgentias à Sede Apostolica concessas pro suis subditis? Respondeo posse; quia in Bulla excipiuntur facultates concessæ Ordinum Mendicantium Superioribus, quoad suos Fratres. Sic Rodrig. & Trullench. *loco citatis*, Henriq. *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 28. *num.* 2. in Gloss. Litt. Escobar. *proximè n.* 350.

186. Quæres secundò: An Episcopi possint publicare illas indulgentias, quas juxta juris dispositionem concedere valent? Respondeo affirmativè, quia solùm prohibentur per Bullam prædicari illæ indulgentiæ, quæ immediatè emanant à Sede Apostolica. Sic Henriq. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 29. *n.* 2. Rodrig. *cit. dict. n.* 10. *in fine*, Trullench. *proximè.*

187. Quæres tertiò: Quæ potestas hîc Commissario per Bullam concedatur? Respondeo, concedi potestatem examinandi quascunque gratias, ac indulgentias à Sede Apostolica expeditas, ut non publicentur, nisi prius ad id licentiam concesserit. Sic Mend. *disp.* 29. *num.* 7. Trullench. *ubi supra* Escobar. *supra num.* 351. cum Peres. Non potest tamen Commissarius indulgentias, Jubilæa, & alias similes facultates promulgare, nisi prius ab Episcopo examinentur, ut decernit Concil. Trident. *sess.* 21. *de Reformat. cap.* 9. & antiquitùs dem statuerunt aliqui S. S. Pontifices, ut Alexander anno 1403. die 27. Julii, & alii. Ita Trullench. & Mend. *locis citatis.* Adverto, Peres de Lara *in tom. trium. grat. lib.* 2. *fol.* 133. afferre Pragmaticam à Philippo II. editam ex concessione Alexandri, ad Bullam Hispanam, in qua fit mentio de his examinibus; quia tamen hæc ad me non attinent, sufficit prædicta ad nostrum intentum attigisse.

188. Secundum, quod hîc prohibetur est, ne aliæ eleemosynæ exigantur pro fabrica Ecclesiarum, Confraternitatum, Monasteriorum, &c. aut aliàs pro redemptione captivorum; quod intelligit Sebastian. à Costa *q.* 100. quando solemniter petuntur, putà cum instrumentis. Et inquit, ita observari in praxi, habitâ Commissarii facultate, qui facta compositione, vel gratis, concedebat facultatem Confraternitatibus, vel aliis piis locis, eleemo-

synas

synas exigendi; sic olim erat praxis; at hâc tempestate, jam ea praxis non viget, ut accepi. Habet tamen Commissarius, in advertent. ad sumentos Bullam circa has Eleemosynas, hæc verba: *Nem pedir outras esmolas sob pretexto de gracas, e indulgentias salvo pera ajuda da sustentaçam, edefensam dos lugares de Africa.* Et cùm hæ cum Bulla promulgentur, poterit Commissarius, quos invenerit delinquentes, punire. Certum tamen est, non prohiberi, nec suspendi Eleemosynas, quæ à Religiosis Mendicantibus, & aliis pauperibus ostiatim exiguntur.

§. IV.

De aliis Commissarii facultatibus.

SECTIO XX.

De facultate Commissarii Generalis subdelegandi alios Commissarios.

189. PRosequitur Bulla ad quartam Commissarii Generalis faculatem, & sic procedit: *Alios Commissarios ad singulas hujusmodi Provincias per ordinarios locorum, quorum etiam conscientias oneramus, præviâ maturâ deliberatione approbandos, cum simili, aut limitatâ facultate, ac etiam pro collectione pecuniarum constituere Notarios item, quorum operâ utendum erit, ab ipsius Ordinariis, in quibus illi deputandi erunt, itidem approbandos, vel jam approbatos, deputare tabelliones, ac quoslibet alios, ad exhibitionem quorumcunque instrumentorum, ac scripturarum ad hoc negotium pertinentium, compellere, & quibus inhibendum erit, etiam inhibere.* hæc eadem facultas conceditur Commissario Hispano in sua Bulla; & si majori verborum extensione; in substantia videntur convenire, ut ex dicendis constabit.

190. Ad horum intelligentiam, supponendum est judicem, vel esse ordinarium, vel delegatum: Judex Ordinarius est, qui ex suo munere jurisdictionem exercet. Unde non solus supremus, sed etiam, qui ab illo derivantur, sunt Ordinarii; si ex proprio munere ad id creato, ac constituto, jurisdictionem exercent. Delegatus est, qui non ex proprio munere, sed ex commissione mediata, vel inmediata, alterius, qui id habet ex proprio munere, jurisdictionem exercet. Ex quo fit, quòd delegatus alienâ jurisdictione utitur, nihil in ea parte habent proprium *l. 1. §. qui mandata, & l. si pater ff. de Offic. ejus, cui mandat. est jurisdictio.* Delegatus non potest subdelegare, nisi sit Delegatus Principis, ut Papæ, Regis, aut alterius supremæ potestatis: ut habetur *l. 2. judic. C. de judiciis cap. Quoniam Apostolica do Offic. delegat.* & aliis juribus. De his videri possunt Molin. *tom. 6. disp. 8. 14. & 15.* Fragos. *tom. 1. disp. 10. à n. 97.* Hoc supposito.

191. Commissarius Generalis est delegatus S. Pontificis, quia non ex proprio munere, sed ex commissione illius, exercet ea, quæ immediatè ei circa Bullam committuntur. Et quamvis possit ex dictis subdelegare; at tamen illi expresè subdelegatio committitur; quæ subdelegatio dicitur delegatio mediata; quia Commissarii ab eo deputati mediatè jurisdictionem accipiunt à S. Pontifice, qui ex suo munere jurisdictionem habet ordinariam.

192. Hi autem Commissarii, quos in singulis Provinciis Commissarius Generalis sibi substituit, eandem habent potestatem, quam habet ipse Commissarius Generalis; non præcisè ex vi subdelegationis, sed ex libera Commissarii Generalis voluntate; quia sicut similem eis subdelegat, limitatam poterat subdelegare; ut constat ex verbis ipsius Bullæ: *cum similis, & limitata facultate.* Illis tamen excipit facultatem faciendi compositionem super his, quæ excedunt valorem ducentorum regalium; nam usque ad hanc summam per Bullas fit compositio; & pro majori ad Commissarium Generalem est recurrendum; ut ex ipsa Bulla compositionis constat. Quam hi subdelegati, quos Commissarios Provinciales dicere possumus, habent eandem facultatem cum Commissario Generali, quantùm ad causas ad expeditionem Bullæ concernentes; sive sint civiles, sive criminales; possuntque inhibere quoscunque judices Ecclesiasticos, & seculares à cognitione causarum, negotiorum concernentium, & dependentium à Cruciata, & per censuras Ecclesiasticas, & pœnas, contra eos procedere. Sic eriam constat ex verbis *supra* allatis: *Et quibus inhibendum erit: inhibere.* Possunt etiam hi Provinciales Commissarii in irregularitatibus, in quibus potest Commissarius Generalis, dispensare; & alia exercere, juxta commissionem sibi ipsis à Commissario Generali traditam.

193. Hi autem Commissarii Provinciales non possunt hanc eandem potestatem aliis, vel alicui tertio subdelegare; nam subdelegatus non potest causam sibi commissam alteri committere *Gloss. in cap. super quæstionem §. porro Vers. transfert, de offic. delegat.* Fragos. *ubi supra n. 132.* & alii apud ipsum. Si tamen Commissarius Generalis Commissario Provinciali à se in India Orientali, aut Brasilia deputato concedat, ut valeat per singulas Diœceses nominare, seu eligere Commissarios particulares, seu in locis, in quibus ipse necessarium judicabit; quibus ipse Commissarius Generalis facultatem exercendi munus Commissarii concedit. Tunc hi nominati, seu electi à Commissario Provinciali Indiano, seu Brasiliano, validè munus Commissarii particularis exercent, quia non ipse Commissarius Provincialis subdelegat, sed tantùm nominat, & eligit; & Commissarius Generalis est, qui potestatem concedit. Hæc dicta sunt juxta doctrinam Sanch. *l. 3. de matrim. disp. 31. n. 18.* Tamborin. *l. 8. de matrim. tract. 2. cap. 5. n. 2.* & apud ipsum Basil. Pont. *l. 5. de matr. cap. 26. n. 108.* Merol. *tom. 3. disp. 7. cap. 4.* in aliis Materus, & Tamborin. in hac eadem.

194. Datur etiam in allatis verbis Commissario Generali facultas constituendi notarios, quorum opera in colligendis pecuniis Cruciatæ utatur.

195. Dubium tamen sit primum: An dicti Commissarii Provinciales necessariò sint approbandi à locorum Ordinariis? Sebastian. à Costa *q. 102.* asserit non esse approbandos ab Ordinariis, quando Commissarius habet perfectam, plenamque notitiam personæ eligendæ ad id munus. Probat, quia sciendum est, illam clausulam adjectam esse, *si & in quantum*, ut eo modo Commissarius Generalis possit habere perfectam notitiam canonicorum, seu Dignitatum, qui possunt assumi ad Commissarios subdelegatos: cùm ergo Commissarius Generalis hanc perfectam notitiam aliunde ha-

beat, sine approbatione Episcopi illos poterit eligere.

196. Dicendum tamen existimo, non posse Commissarium Generalem deputare Commissarios Provinciales, quin prius ab Ordinariis Locorum approbentur. Sic Mend. *disp.* 37. *n.* 15. Tambor. *l.* 8. *de matr. tract.* 2. *cap.* 5. *n.* 12. *in fine.* Ratio est, quia S. Pontifex, sub ea conditione, concedit Commissario eam subdelegationem; & conscientias Ordinariorum onerat, ut prævia maturâ deliberatione, approbentur: ergo ut capaces reddantur, ad jurisdictionem circa Bullæ expeditiones exercendam; ab Ordinario debent esse approbati. Nec Costa oppositum probat, quia clausula, *si & in quantum* non invenitur in verbis *supra* allatis.

197. Secundum dubium: An etiam notarii à Commissario Generali constituendi debeant ab Ordinariis Locorum priùs approbari? Affirmat absolutè Mend. *Loco citat.* Dicendum tamen cum Costa *dict. q.* 102. *vers. Quoniam verò*, non esse approbandos, & examinandos ab Ordinariis Locorum; si constituendi à Commissario Generali jam ab Ordinario Loci sint approbati: nam sic eligit approbatos ab Ordinario, & consonant verba Bullæ præfata: *Vel approbatos deputare tabelliones, ac quos libet alios.* At si denuo eligantur, seu creentur ad hoc munus, ab Ordinario approbandi erunt. Cùm verò notarii & tabelliones ad hoc intentum non multum differant; si sufficit, quòd hi jam fuissent approbati, etiam sufficiet, quòd illi fuissent. Et sic tenere praxim, inquit *Costa. citat.*

198. Circa illa verba: *ac quoslibet aliis ad exhibitionem quorumcunque instrumentorum, ac scripturarum, ad hoc negotium, compellere* &c. Advertè, posse Commissarium Generalem quoscumque Notarios, & Tabelliones, qui testamenta receperunt, & alios quoscunque, qui testamenta, & scripturas ad Bullæ negotium pertinentes retinent, compellere; ut ea exhibeant, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, sic constat ex allatis verbis.

199. Advertendum etiam hic est, Bullam Hispaniam in præsenti facultate addere hæc verba: *Neque possit Commissarius Generalis prædictus coram alio, quàm nobis; neque ab eo deputandi, possint coram alio, quàm ipso Commissario, pro re ad hoc munus pertinente, quandiu illis negotiis vacaverint, in judicium trahi. Possit tamen à Locorum Ordinariis, quibus subierint, si ibi deliquerint, coerceri, & puniri.* Hæc tamen non reperiuntur in Bulla Lusitana.

200. Cæterum quamvis in ea non dentur, Commissarius Generalis coram nullo, nisi coram S. Pontifice, potest convenire; quia ab illo, quæ concernunt ad Bullam, illi sunt specialiter commissa, & privativè censentur commissa; per textum *in cap. studuisti, de offic. Legati.* Sic Cabed. *part.* 2. *decis.* 13. *n.* 6. Fragos. *tom.* 2. *disp.* 10. §. 5. *n.* 153. & si alius se immisceat, etiam si sit Legatus à latere; ab illo acta erunt nulla. Frag. *cit. n.* 37. & alii apud ipsum, & *infra* latius de hac facultate.

201. Nec etiam ab ipso Commissario deputati possunt coram alio judice, pro rebus ad Bullam concernentibus, comparere; etiam si sit Nuncius Apostolicus; quia uterque est immediatè S. Pontifici Delegatus, super rebus diversis, absque jurisdictionis subordinatione. Et quilibet Delegatus in aliqua causa consequenter recipit potestatem ad omnia: quæ ad eam causam pertinent; ut colligunt D. D. *ex cap. præterea 5. de offic. & potest. judicis de leg.* apud Barbos. *in collect. ad dict. cap. tum. 1. n. 1. & 2.* & tenet etiam Fragos. *tom. 2. de regim. reip. Christian. disp. 11. n. 69.* ergo deputati à Commissario coram illo debent comparere, in causis ad Bullam concernentibus.

202. Potest etiam punire delinquentes in Cruciatam; ac etiam coram ipso falsò jurantes, vel aliter delinquentes. *Argum. L. Nullum penitus C. de testib. sacrd. Consil.* 42. *n.* 18. Julius Clar. *in praxi l.* 5. §. *fin. q.* 39. *vers. sed quæro, nunquid, prope finem*, & alii apud Barbos. *in collect. ad cit. L. Nullum n.* 5. de his tamen *infra* redibit sermo. Super aliis rebus poterit Commissarius Generalis, & Commissarii Provinciales, cæterique officiales Cruciatæ, coram propriis judicibus, convenire. Mend. *disp.* 37. *n.* 16. ex his infertur prædicta verba ad abundantiam esse apposita in Bulla Hispana, & quamvis desint in Bulla Lusitana, in illa, juxta jus commune, & D. D. deberé, ut apposita reputari.

SECTIO XXI.

Quinam concionatores ad publicationem Cruciatæ à Commissario Generali eligendi sunt?

203. ORdine Bullæ sequitur electio concionatorum, per hæc verba: *Præsentium verò publicatio, non nisi per probos, & idoneos Prædicatores presbyteros sæculares, vel Ordinum etiam Mendicantium Regularis observantiæ professores, ex his, qui à locorum Ordinariis approbati, etsi Regulares fuerint, per eundem Commissarium à Provincialibus singulorum Ordinum hujusmodi petendos, & recipiendos, quorum Provincialium conscientiam oneramus, eisque in virtute S. Obedientiæ injungimus, ut hujusmodi prædicatores idoneos, integrisque moribus proponant; quibus etiam in hujusmodi obedientiæ virtute injungatur, ut nihil aliud tanquam à nobis concessum proponant, nisi quod præsentibus Litteris est expressum. In locis verò pauperibus, per proprios Parochos hoc publicationis munus fiat: Omnibus autem Prædicatoribus per quotas alimenta constituì, prohibemus;* Et post pauca: adduntur hæc verba: *Postremò auditores ad prædicta, per Prædicatores, hortari permittimus; ut dare intelligant nos neminem ad quidquam præstandum, vel elargiendum cogere, sed tantummodo eorum devotionem, & charitatem ad id excitare, hortarique; & rogare.* Hæc non inveni in Bulla Hispania apud ejus expositores, & præcipuè apud Mend. qui illam initio sui operis præfixit. Multa tamen ad hoc intentum affert Perez de Lara *in Compendio trium gratiarum l.* 2. *pag.* 215. *& seqq.* Circa prædicta verba, hæc sunt advertenda.

204. Primum, Commissarium Generalem posse eligere, ad publicationem Bullæ concionatores probos, & idoneos tam sæculares, quàm Regulares ex iis, qui ab ordinariis locorum sunt approbati: juxta ea quæ habentur *in Trident. sess.* 5. *de reformat. cap.* 2. cum hac tamen differentia, quòd Regulares per Commissarium à suis Provincialibus

bus sunt petendi, & recipiendi: existimo tamen, in praxi non observari; quia concionatores ad hoc munus electi ad concionandum jam à suis Provincialibus cententur designati. In oppidis verò pauperibus, potest hoc munus publicationis, fieri per ipsos Parochos. In Hispania verò præcipitur, ut Bulla prædicetur per concionatores sæculares, aut Regulares ab Ordinario approbatos, in omnibus oppidis; quæ ad minimum sexaginta habeant vicinos, ut videre est apud Perez de Lara *cit. pag.* 216. *n.* 3.

205. Secundò advertendum, Provinciales Commissario Generali teneri proponere, sub culpa gravi, Concionatores idoneos, & integris moribus, ab Ordinarioque approbatos: nam S Pontifex super hoc conscientias suas onerat; idque in virtute S. Obedientiæ mandat.

206. Tertiò advertendum, dictis concionatoribus, in virtute S. Obedientiæ à S. Pontifice injungi, ut nihil aliud auditoribus prædicent, nisi quod expressè continetur in hac Bulla. Quare concionatores tenentur gratias, indulgentias, & facultates Cruciatæ exponere, facultatesque præcipuas Commissarii ad Bullam pertinentes; ad quæ multum juvabit, ipsos concionatores expositionem Bullæ recolere. Debentque enixè auditores hortari, ut Bullam accipiant, ne tam ingenti animarum utilitate priventur: ad quæ oportebit legere, & ad memoriam reducere exhortationem, quæ ad hoc munus Commissarii compegerunt, & typis mandarunt, quæ pro titulo habet: *Exhortaçam*; In qua alia scitu digna reperiuntur. Et hoc etiam paucis post verbis à S. Pontifice admonetur.

207. Quartò advertendum, in dictis verbis, hujusmodi concionatoribus prohiberi, ad sustentationem dari certam quotam alimentorum; ne similes illis quæstoribus eleemosynarum reddantur; quos reprobat, & expellit *Conc. Trident. cit. sess.* 5. *cap.* 2. *in fine.* Asserit tamen *Costa q.* 103. posse his Bullæ Prædicatoribus, per modum eleemosynæ, à Commissariis congrua assignari salaria, pro illis diebus, quibus in prædicatione Bullæ fuerint occupati; quod consentaneum mihi videtur, ut praxis ipsa observat.

SECTIO XXII.

De facultate Commissarii Generalis suspendendi interdictum, dum Bulla publicatur.

208. SEquitur facultas Commissario concessa, quando Bulla in aliqua Civitate, vel oppido promulgatur, ut possit interdictum suspendere in hunc tenorem: *Quòd si locus, ubi publicatio hujusmodi facienda erit, subjaceat interdicto, Commissarius ipse illud octo ante dierum spatio suspendere.* Commissarius autem hac utens facultate, in summario illud suspendit, per hæc verba: *Por esta mesma authoridade Apostolica suspendemos o interdicto, que ouver em qualquer lugar onde se publicar esta Bulla oito dias antes.* Hæc eadem facultas Commissario Hispano, majori cum amplitudine in sua Bulla conceditur: nam potest per octo dies antea, & post, suspendere interdictum. Circa hujusmodi facultatem.

209. Quæres primò: An virtute hujus facultatis, seu prædicti mandati, suspendatur à Commissario omne interdictum, sive sit Locale, sive personale, aut mixtum? Respondeo, non suspendi interdictum personale particulare. Sic Mend. *disp.* 30. *n.* 12. *& disp.* 37. *n.* 19. Ratio est, quia S. Pontifex solùm loquitur de loco, in quo facienda est publicatio: ergo solùm de Locali, sive sit generale, sive speciale, intelligitur suspensio. Nam interdictum personale unius, vel alterius personæ, non obest publicationi Bullæ; Satis enim est, ad illius solemnitatem, ut non detur interdictum in eo oppido, aut parochia, ubi Bulla publicatur.

210. Si tamen interdictum sit personale generale, quia omnes personæ civitatis, oppidi, aut parochiæ sunt personaliter interdictæ, est majus dubium. Et pro parte negativa stat, quia S. Pontifex inquit, *si locus subjaceat interdicto*; ergo si locus non est interdictus; quamvis omnes personæ illius sint interdictæ, bene potest fieri Bullæ publicatio, cum solemnitate debita.

211. Mend. *cit. disp.* 30. *n.* 14. *& disp.* 37. *n.* 19. qui solus ex aliis Expositoribus hanc clausulam discussit, existimat posse Commissarium Generalem interdictum personale Generale suspendere. Et movetur primò, ex verbis Bullæ Hispanæ: *Quòd si in loco, ubi erit facienda publicatio, fuerit interdictum, possit hujusmodi interdictum per octo dies antea, & post, suspendere.* Sed quando datur in aliquo oppido interdictum personale generale, datur interdictum in eo loco; hoc est non Locale; quia locus non est interdictus omnes incolas illius loci comprehendens; & cùm omnes personæ illius oppidi sint interdictæ, verum est dari interdictum in eo loco.

212. Secundò movetur, quia ad præsens intentum, idem est esse in eo oppido, in quo facienda est Bullæ publicatio, interdictum personale generale, ac esse Locale; quia si nulla persona potest in Ecclesiam non interdictam ingredi ad officia solemnia; quibus Bulla publicatur, nec valet recipere Sacramenta; omnino impediretur Bullæ publicatio: ergo Commissarius illud interdictum potest suspendere; quia ad præsens, idem est, interdictum esse Locale, ac esse personale generale.

213. Ad hujus dubii resolutionem, suppono primò cum Trullench. *in exposit. Bull. l.* 1. 5. 1. *dub.* 10. *n.* 2. Bardi *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 6. *n.* 3. & aliis, quos secuti sumus *disp.* 4. *sect.* 1. *in principio*, publicationem Bullæ consistere in ea, quæ fit per solemnem, & publicam processionem; & non in illa, quæ fit per concionatorem ad hoc munus electum.

214. Suppono secundò, hanc processionem solemnem constare ex clero, Religiosis, parochis, crucibus præcedentibus, & populo.

215. Suppono tertiò, *ex cap. præmittimus, de sentent. excommun.* & ex materia de censur. esse prohibitum personis specialiter, & generaliter interdictis, interesse divinis officiis; & nomine divini officii, venire quæ primò, & per se, ordinem sacrum requirunt; ut tenent Soar. *de censur. disp.* 34. *sect.* 3. *n.* 7. Sayr. Avil. Bonacin. & alii, quos referunt, & sequuntur Castr. Palao *part.* 6. *tract.* 29. *disp.* 5. *punct.* 4. 9. 2. *n.* 1. Leand. *tom.* 4. *tract.* 5. *disp.* 5. *q.* 44. Ex quo colligitur, processionem, in qua constitit publicatio Bullæ, spectare ad divina officia, tum ex solemnitate actionis publicæ, & voce, seu cantu; tum ex apparatu, & vestimentis, quorum usus solùm licet ministris ordinatis, ut sunt

superpilicea, stola, & pluviale. Vide Soar. *dict. n. 7. in fine.* His suppositis.

216. Dico primò: Non potest Bulla publicari in oppido, ubi datur interdictum personale generale, nisi prius suspendatur. Ratio ex dictis est manifesta; quia processio solemnis, in qua consistit Bullæ publicatio, venit hic nomine *divini officii*, sed personæ illius oppidi sunt omnes interdictæ personaliter (ut supponitur) ergo illi interesse nequeunt.

217. Dico secundò: Si vera, aut probabilis est sententia Mend. loquentis juxta Bullam Hispanam, & dicentis, Commissarium Generalem posse suspendere interdictum personale generale, comprehendens omnes personas incolas civitatis, oppidi, aut Parochiæ; etiam probabile est juxta Bullam Lusitanam, posse Commissarium Generalem illud suspendere. Ratio est, quia in hoc interdictum obstat pariter solemnitati publicationis Bullæ, & bono communi populi Bullam accepturi.

218. Dico tertiò: Commissarius Generalis tam Bullæ Lusitanæ, quàm Hispanæ, non potest, suspendere interdictum generale personale comprehendens omnes incolas Civitatis, Oppidi, aut Parochiæ, ubi Bullæ publicatio est facienda. Probatur, non posse Commissarium Lusitanum; quia illi non conceditur ea facultas, nisi ad suspendendum interdictum locale: ut constat ex verbis Bullæ Latinæ: *quod si locus ubi publicatio hujusmodi facienda erit, subjaceat interdicto, Commissarius ipse illud octo, &c.* & ex Summario: *Por esta mesma authoridade Apostolica suspendemo ointerdicto que occuerem qualquer lugar, aonde se publicar esta Bulla, &c.* cùm ergo expressè sit sermo de interdicto locali, hoc tantùm sive sit generale, sive particulare, potest Commissarius suspendere, & non personale generale, nec etiam particulare.

219. Ostenditur etiam, non posse Commissarium Hispanum suspendere interdictum generale personale, contra Mend. & patet ex Bulla Latina Hispana, ibi: *Item quòd si in loco, ubi facienda erit publicatio, fuerit interdictum, possit hujusmodi interdictum, &c.* & ex summario Hispano, ibi: *suspendemos el interdicho, si lo huviere, en qualquer lugar, donde se hiziere la publicacion, &c.* in quibus locis expressè est sermo de interdicto locali: ergo sine fundamento, non est extendenda hæc potestas, ad non expressum interdictum personale.

220. Nec satisfacit, dicere Mend. Quando omnes personæ alicujus oppidi sunt interdictæ personaliter, absolutè potest dici, esse interdictum in eo loco: Nam hoc dicere, est falsum: quia si hoc est verum, quia personæ interdictæ sunt in eo loco, etiam verum esset, quando in eo loco datur interdictum personale particulare: quia ea persona interdicta est in eo loco: cùm ergo Mend. hoc non admittat, nec etiam aliud debet admittere.

221. Nec etiam aliquid probat alia ratio; nempe obstatio solemnitatis publicationis Bullæ, & boni communis populi Bullam accepturi; quia etiam cessatio à divinis obstat solemnitati publicationis Bullæ, & illi bono communi; & tamen non potest per Commissarium, sive Lusitanum, sive Hispanum, suspendi: ut concedit Mend. & nos mox dicemus. Et hujus ratio est; quia facultas Commissarii non extenditur ad non expressa: at interdictum personale generale nullo modo exprimitur in prædicta facultate.

222. Quæres secundò: An si in aliqua civitate, vel oppido, sint plures Ecclesiæ, aut Parochiæ, aut una tantùm, interdictæ; si Ecclesia, in qua facienda est publicatio Bullæ, non fuerit interdicta, possit Commissarius Generalis suspendere interdictum in aliis Ecclesiis, in quibus est latum? Respondeo, posse, & debere suspendere interdictum, quod datur in aliis Ecclesiis ejusdem civitatis, & oppidi. Ratio est, quia facultas conceditur ad suspendendum interdictum, si locus subjaceat interdicto: sed quando aliqua Ecclesia, vel Parochia civitatis, vel oppidi, in quo facienda est publicatio, est interdicta, datur interdictum in eo loco: ergo hoc interdictum est suspendendum: sic Mend. *disp. 30. n. 19.*

223. Quæres tertiò: Per quot dies duret suspensio interdicti facta per Commissarium Generalem? Respondeo, per novem: octo ante ipsam solemnem publicationem, & alium in ipso publicationis die; & sic dies novem conficiuntur. Hujus ratio est, quia in Bulla conceduntur octo dies, ante publicationem, per hæc verba: *Commissarius ipse illud octo ante dierum spatio suspendere.* Et cùm hæc suspensio interdicti sit propter diem solemnitatis publicationis, in ipso die etiam interdictum suspensum remanet: & cùm hæc ampliatio novem dierum ex Bulla rectè colligatur, nulla apparet ratio, cur ad octo tantùm illam restringamus. Et sic Bullæ Hispanæ facultatem extendit Mend. *citat. disp. 30. n. 2. & disp. 37. num. 23.* ad septemdecim dies. Quia in Bulla Hispana conceditur, ut Commissarius suspendat interdictum per octo dies antea, & totidem post publicationem: Si ergo ex verbis Bullæ Hispanæ; quæ de sexdecim diebus tantùm loquitur, fit extentio ad septemdecim ob diem publicationis intercedentem, à fortiori per nostram Bullam fiat ad novem; quia ante publicationem conceditur expressè, ut suspendatur per octo dies.

224. Quæres quartò: An factâ suspensione interdicti à Commissario, ut publicatio Bullæ solemniter agatur, fieri possint omnia alia, quæ tempore interdicti non licebant, v.g. in Ecclesiis celebrari missas, divina Officia, sepeliri mortuos, &c. Respondeo affirmativè, quia semel suspenso interdicto, nihil aliud obstat, ut omnia alia, quæ extra tempus interdicti fieri poterant, illo suspenso non liceant. Imò neminem alium à S. Pontifice posse suspendere interdictum quoad unum effectum, manente interdicto quoad alios, docet cum probabiliori sententia Castr. Palao *tom. 6. citat. disp. 5. punct. 7. §. 1. num. 3.* Persona tamen, ob quam, latum erat interdictum, manet, ut antea excommunicata, & nullo privilegio gaudet; nam suspenso interdicto, excommunicatio non suspenditur; quia diversa censura est excommunicatio ab interdicto; & hoc suspenso, illa non suspenditur.

225. Quæres quintò: An transactis dictis novem diebus, pro quibus interdictum à Commissario fuit suspensum, redeat iterum interdictum, sine alia nova actione, seu revalidatione judicis, qui illud tulit? Respondeo redire. Sic Mend. *disp. 30. n. 21.* Ratio est, quia interdictum non tollitur, sed tantùm suspenditur pro illis duntaxat novem diebus. Et patet ex suspensione facta *in cap. alma mater, de sentent. excommun. in 6.* pro quatuor præcipuis festivitatibus, quibus finitis, interdictum locale generale, quod fuit suspensum, iterum redit, sine alia revalidatione. Vide Castr. Pal. de his

suspen-

suspensionibus, si placet, *loco citat. punct.* 4. §. 2. *n.* 17. *& seqq.*

226. Quæres sextò: An Commissarius Generalis possit suspendere interdictum, à quocunque sit latum? Respondeo affirmativè, sive sit latum à S. Pontifice, sive à quocunque alio Delegato, vel Ordinario. Ratio est, quia illi conceditur hæc facultas indefinitè, sine aliqua limitatione: ergo non est cur ad aliquam restringatur. Sic Mend. *disp.* 37. *n.* 18.

227. Quæres septimò: An Commissarius Generalis possit suspendere cessationem à divinis, ut Bulla solemniter, ut solet, publicetur? Respondeo, non posse, quia verba facultatis solùm loquuntur de interdicto: Et ab interdicto ad cessationem à divinis non fit illatio. Sic Mend. *citat.* Neque dicas, finem suspendendi interdictum militare etiam in cessatione à divinis, nam illâ latâ, Bulla publicari non potest in loco, qui illi subjacet. Non inquam hoc dicas, quia concesso minori, non censetur concessum id, quod est majus: at major est interdicto cessatio à divinis, quæ est signum ingentis mœstitiæ Ecclesiæ, ob gravissimæ contumaciæ peccatum.

SECTIO XXIII.

De aliis facultatibus Commissario concessis, in favorem Cruciatæ.

228. PRosequitur Bulla Latina ad duas alias facultates, ad exequutionem eorum, quæ pertinent ad Bullam Cruciatæ. Prima sic est: *Idemque, & alii ab eo deputati compellere possint, etiam per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, habentes Scripturas ad præmissa pertinentes, ut eas exhibeant, ac pariter omnes, ut rationem earum rerum reddant, quæ in singulis Diœcesibus fidei eorum committentur, & quidquid à sponte dantibus fuerit in singulis Diœcesibus receptum, statim sibi consignari faciant.* Hæc clausula in aliquo convenit cum ea, de qua *supra n.* 198. in hac tamen, alia adduntur, quæ in citata non continebantur; quia tamen verba illius sunt clara, & nulla indigent expositione, ad sequentem progredior; ex qua hæc lucem accipiet.

229. Et sic habet: *Volumus etiam moneri omnes, quos contigerit habere pecunias, aut bona in hoc opus destinata, seu instrumenta, vel Scripturas aliquid continentes, quod ad hoc negotium principaliter, vel secundariò pertineat, ut debeant, sicut habuerint, statim cùm copiam Commissarii, vel ab eo deputati, habere poterunt, omnia ipsi Commissario, seu deputato propalare, sub eisdem pœnis pecuniariis, & in subsidium censuris Ecclesiasticis, quas Episcopi videlicet, & alii majores Prælati suspensionis à divinis, & interdicti ingressus Ecclesiarum; & alii verò omnes excommunicationis Latæ sententiæ, ipso facto, incurrant, quas solus Romanus Pontifex, excepto mortis articulo, valeat relaxare. Declarantes hos tales, si scienter aliquid prædictorum retinuerint, nullo modo harum litterarum, & gratiæ benèficio frui posse.* Hanc clausulam omissâ præcedente, vertit Commissarius in summario, hoc modo: *Item S. Sanctidadea mesma ha ordes aquelles, que tiverem em seu poder algum dinheiro, ou alguns bens destinados nesta obra, ou alguns papeis, ou Scripturas, que de alguma maneira sejam pertencentes ao mesmo effeito, que logo os entreguem, edescubram ao dito Commissario Geral, ou aseus deputados, tanto que de algum delles tiverem noticia sob a mesma pena pecuniaria, contras Ecclesiasticas censuras, das quais os Bispos, E outros Prelados majores encorreram nasuspensam dos officios, e interdicto ingressus Ecclesiarum; & odas as outras pessoas encorreram ipso facto em pena de Excommunham Lata sentencia. Dasquaes penas só por o Romano Pontifice poderam ser absoltas, excepto no artigo damorte. E declara S. Sanctiadde que estesnaes devendum a maneira possam gozar das gracas, e beneficios desta Bula, em quanto elles tiverem em seu poder, sabendo, alguma couza das sobreditas, &c.* Sic Commissarius. Hæc clausula habetur etiam in Bulla Hispana.

230. Circa illam, aliqua dubia veniunt exponenda: ad quæ supponendum est primò, in prædictis verbis, fulminari Excommunicationem, ipso facto (id significat verbum Latæ sententiæ) contra omnes habentes pecunias, instrumenta, Scripturas, aut bona ad Cruciatam pertinentia primariò, vel secundariò, si illa Commissario non propalent, vel deputato ab eo, cùm illorum copiam habere potuerint, cum hac tamen distinctione, quòd si fuerint Episcopi, aut alii majores Prælati; non excommunicationem, sed suspensionem à divinis, & interdictum ingressus Ecclesiarum incurrant.

231. Secundò supponendum, omnes, si prædictorum aliquid scienter retinuerint, non posse Bullæ privilegiis gaudere. His suppositis.

232. Primum dubium sit: Quid veniat nomine: *alii majores Prælati?* Respondet Mend. *disp.* 37. *n.* 28. venire omnes habentes jurisdictionem, quasi Episcopalem, & omnes illâ carentes, ut Prælati Religionum. Probat, quia verba: *Majores Prælati* in duplici sensu accipi possunt; in comparativo ad Episcopos; & sic veniunt Archiepiscopi, & Patriarchæ, quia sunt majores Prælati Episcopis. Vel in sensu non comparativo ad Episcopos, sed absolutè: nam omnes habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, & Prælati Religionum appellari solent absolutè *Majores Prælati.* Et cùm utrumque sensum possint habere verba: *Majores Prælati*, de hoc ultimo intelligenda sunt verba Bullæ; quia in illis attenditur dignitati Prælatorum, illos à cæteris separando: favor autem est extendendus, & non Limitandus ad solos Episcopos, Archiepiscopos, & Patriarchas. Confirmat, quia S. Pontifex in prædictis verbis expressit Episcopos; & sub nuncupatione eorum comprehenduntur Archiepiscopi, & Patriarchæ: ergo cùm addit, alios Prælatos majores, non Archiepiscopos, & Patriarchas includit, sed habentes jurisdictionem, quasi Episcopalem, & Prælatos Regulares.

233. Hæc tamen, quamvis ingeniosè, & favorabiliter dicta, mihi placere nequeunt; primò, quia Bulla in designatione harum pœnarum procedit juxta text. *in cap. quia Pontificali 2. de officio & potest. judic. delegat. in 6.* in quo disponitur, contra dignitate Pontificali prædictos, ob reverentiam illis debitam, esse prius à Judicibus, vel conservatoribus, si pœnas contra eos inferant, procedendum per ingressus Ecclesiæ, & sacerdotalis ministerii interdictum, quàm ad aliàs censuras deveniatur: cùm ergo Bulla vestigiis hujus textus procedat; de illis tantùm loquitur, qui Pontificali

dignitate

dignitate sunt prædicti, & non de aliis, ad quos sit extensio à Mend.

234. Addo, si Commissarius hanc non observet dispositionem, sed statim procedat ad eos excommunicandos, excommunicationem esse nullam; quia in Bulla hæc forma præscribitur. Secus dicendum, quando ea forma in aliquo rescripto non ponitur, & Judex delegatus statim procedit contra habentes Pontificalem dignitatem excommunicatione: nam licèt illicitè agat: excommunicatio tamen est valida; ut cum multis tenent Sayr. de censur. *l.* 12. *cap.* 12. *n.* 26. Barbos. *in collect. ad dict. cap. Quia Pontificalis n.*19. A qua autem censura ex prædictis, debent Judices in Episcopos exordiri, vide *infra n.* 253.

235. Secundò, quia verba *Majores Prælati* sumuntur contra eorum verum sensum; nam tantùm significant Archiepiscopos, Patriarchas, & Primates; nam hi sunt Majores dignitate Episcopis, & constat *ex Cap. quia periculosum, de sentent. excommun. in b.* in quo Episcopi, & superiores Prælati non incurrunt sententiam interdicti, vel suspensionis, nisi in ipsa fiat eorum expressa mentio: & cùm hæc dispositio sit favor, nomine *Superiores Prælati*, non veniunt habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, nec Prælati Regulares; ut notat Gloss. *in dict. cap. Verb. Superioribus*, quæ id tantùm intelligit de Archiepiscopis. Patriarch. & Primatibus. Et tamen S. Pontifex expresserat Episcopos, ibi: *Ut Episcopi, & alii superiores Prælati*, in quorum nuncupatione comprehenduntur Archiepiscopi, Patriarchæ, & Primates; attamen verba, *alii Superiores Prælati* solùm ad hos diriguntur, & non ad alios Prælatos, nam ut ait Gloss. *dict. cap. Verb. de Episcopis*; *quod de Episcopis exprimitur, veniunt Superiores, quia non inspicimus dignitatem, sed officium Pontificale.* Addit. Barbos. *in Collect. ad dict. cap. n.* 3. cum Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancel. Gloss.* 42. *n.* 19. contra Gloss. non solùm in favorabilibus, venire appellatione *Episcoporum*, Archiepiscopos, & Patriarchas, ut *in cit. textu*, sed etiam in materia stricta, & pœnali, nomine *Episcoporum* venire Patriarchas, & Archiepiscopos; & id etiam ostendit ex jure & D. D. ipse Barbos. *de appell. verbor. appell.* 89. *n.* 1. non potest ergo dici in verbis Bullæ præfatis, nomine *Majorum Prælatorum*; venire illos, qui officium non habent Pontificale, & non sunt majores Episcopis; rectè ergo sequitur dictionem *Majores* sumi in sensu comparativo, & non absoluto.

236. Tertiò, quia in pluribus Pontificum Bullis, regulariter loquendo, feruntur sententiæ interdicti ingressus Ecclesiarum, utpote Favorabiliores excommunicatione, in Episcopos; ut patet ex 11. casus quos refert Dian. *part.* 10. *tract.* 13. *resol.* 2. in alios verò qui dignitatem non habent Pontificiam, regulariter fertur sententia excommunicationis: ergo ex verbis Bullæ non potest colligi, pœnas suspensionis à divinis, & interdicti ingressus in Ecclesiam, esse Latas in illos, qui Pontificiam non habent dignitatem, quamvis sint potentes jurisdictione, quasi Episcopali, vel Prælati Regulares.

237. Dices pro Mend. Appellatione *Episcoporum* veniunt alii Prælati inferiores jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, ut docet Barbos. cum communi *Loco citato de appellat. n.* 18. & ostendit variis locis *Concil. Trident.* ergo etiam in præfatis verbis Bullæ. Respondeo antecedens esse verum, ubi fit mentio de Episcopis indesinitè, & sine ulla restrictiva, aut exclusiva dictione; quia sic reperiuntur intellecta plura loca *Concil. Trident.* at in præfatis verbis Bullæ, datur illa dictio *alii Majores Prælati* quæ est exclusiva inferiorum Prælatorum, ut patet *ex cap. Quia periculosum cit.* quod solùm comprehendit Majores Episcopo Prælatos, ut tenent D. D. apud Barbos. *de appellat. dict. n.* 1.

238. Ex his sequitur, in allatis verbis Bullæ, ferri suspensionem à divinis, & interdictum ab ingressu Ecclesiæ, contra Episcopos, & alios Majores Prælatos, nempe Archiepiscopos, Patriarchas, & Primates, si non exhibeant bona, & instrumenta ad Bullam spectantia: in alios verò Prælatos jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, & Prælatos Regulares, excommunicationem, ut in omnes alios, ferri. Ad rationes Mend. constat ex dictis, quid sit respondendum.

§. Unicus.

Alia dissolvuntur dubia.

239. SEcundum dubium: An ut incurrantur prædictæ censuræ, requiratur prævia monitio Commissarii; in qua monitione personæ nominatim, vel genericè exprimantur, cum clausula, quorum nomina, pro expressis habeantur, si intra terminum præfixum in monitorio, pecunias, bona, aut instrumenta ad Cruciatam primariò, aut secundariò pertinentia non exhibeant? Affirmant Sebastian. à Costa *q.* 104. Mend. *disp. 37. n.* 24. Ratio est quia id ita exprimitur in prædictis verbis S. Pontificis; *Volumus etiam moneri omnes* &c. ubi dictio *etiam* est copulativa facultatum, quas hactenus Commissario concesserat: ergo si præcedentes facultates à Commissario sunt monendæ, ut obligationis vim habeant, etiam à Commissario debet præcedere monitio, ut dictæ censuræ incurrantur.

240. Addit Costa hoc maximè juvare, eo quòd in summario Lusitano, nulla fit mentio hujus clausulæ; & fideles non tenentur scire censuras in Bulla Latina commonitas; & per publicationem Bullæ sine aliquo monitorio expresso generico, vel specifico, nulla censura incurritur.

241. Assentior prædictis authoribus, requiri ad incursum prædictarum censuratum monitionem: non enim incurruntur, nisi post monitionem à Commissario præstitam, & inobedientiam contumacem eorum, qui ejusmodi bona, & instrumenta non manifestant Commissario, vel ejus deputato. Et hæc monitio habetur in summario, ut constat ex verbis allatis initio hujus Sectionis, quæ omnibus manifestatur, cùm ipsa Bulla publicatur.

242. Et data hac monitione, adhuc dubito de incursu censuræ vi illius; & hujus ratio est, quia Commissarius asserit in summario, S. Sanctitatem hanc facere monitionem, ibi: *Item S. Sanctidade ame esta atodos aquelles quetiverem em seupoder &c.* Et Sanctitas sua in Bulla Latina inquit, hanc monitionem fieri debere per Commissarium, ibi: *Volumus etiam moneri omnes, quos contigerit habere pecunias &c.* Ex quibus verbis constat, S. Pontificem neminem monere: nam velle moneri, non est monere, ut liquet.

243. Dici tamen potest, aliquomodo has censuras esse Latas à S. Pontifice, ut ejus verbis appareat; illas tamen in Summario pronuntiat Commissa-

missarius, quod videtur sufficere; ut juxta Bullam Hispanam inquit Mend. *citat. n.* 29. Fatcor tamen in summario Hispano, me non invenisse hanc pronuntiationem, & juxta Bullam Lusitanam, ad has censuras debere præcedere monitionem per Commissarium, ut ex verbis Bullæ Latinæ dilucidè constat.

244. Tertium dubium: An data monitione, & inobedientia habentium pecunias, bona, aut instrumenta ad Cruciatam spectantia, incurrantur censuræ ipso facto; nempe excommunicatio, suspensio à divinis, & interdictum ab ingressu Ecclesiæ? Respondeo affirmativè, ut aperte constat ex verbis ipsius Bullæ latinæ; ibi: *Latæ sententiæ, ipso facto.* Quæ censuræ manent reservatæ ipsi S. Pontifici excepto mortis articulo, in quo possunt absolvi, observando ea, quæ diximus *supra disp. 6. n.* 42.

245. Quartum dubium: An non sola excommunicatio, sed etiam suspensio à divinis, & interdictum ab ingressu Ecclesiæ S. Pontifici reserventur? Respondeo utrumque reservari: sic constat ex his verbis: *Alii vero omnes excommunicationis latæ sententiæ, ipso facto, incurrant, quas solus Romanus Pontifex, excepto mortis articulo, relaxare valeat*; in quibus relativum *quas* non solùm refertur, ad excommunicationem immediatè appositam, sed etiam ad suspensionem à divinis, & interdictum Ecclesiæ: nam si solùm ad excommunicationem referretur, in numero singulari apponeretur relativum; quia in singulari tuit apposita excommunicatio; cum verò in plurali sit relativum *quas* positum, omnes eas censuras comprehendit reservatio, secus dicendum juxta Bullam Hispanam, in qua relativum est in numero singulari, ut notavit Mend. *disp. 37. n.* 31.

462. Quintum dubium: An Commissarius possit absolvere à prædictis censuris? Respondeo, non posse. Ratio est, quia illius jurisdictio est delegata, & illi conceditur à S. Pontifice, ut per monitorium liget dictis censuris habentes pecunias, bona, aut scripturas ad Cruciatam pertinentes; si illa omnia sibi, vel illi ab eo deputato, non manifestentur: at illarum absolutionem Pontifex sibi reservat. Unde hîc non habet locum illud axioma, qui potest ligare, potest etiam absolvere, deductum *ex cap. Verbum de pœnit. distinct.* 1. *cap. cùm inferior de majorit. & obed.* de quo Barbos. *de Axiom.* 1. *n.* 6.

247. Nec etiam hæc absolutio, virtute Bullæ, impertiri potest; non obstante; quòd in illa concedatur; quòd censuræ S. Pontifici reservatæ, dummodo non sint ex exceptis, possint, virtute illius, semel in vita, & in mortis articulo absolvi; & hæc non sint ex ibi exceptis. Quia S. Pontifex in præsenti negat expressè, hos tales retinentes aliquid prædictorum scienter beneficiis Bullæ frui posse.

248. Ex qua determinatione sequitur, non solùm beneficio absolutionis, sed nec ullo alio gaudere posse illos, qui prædicta scienter retinuerint; & Commissario, aut ejus deputato non manifestaverint. Quare hi tales, sive sint Episcopi, & alii majores Prælati, sive quicunque alii, non possunt indulgentias lucrari; confessarium eligere, aut cæteris Bullæ privilegiis gaudere: id enim expressè asserunt verba Pontificis: *Declarantes hos tales, si scienter aliquid prædictorum retinuerint, nullo modo harum litterarum, & gratia beneficio frui possit*; quæ verba cùm sint indefinita, omnes personas, & censuras prædictas includunt. Et optima ratio id suadet; quia par non est, ut Cruciatâ gaudeat, qui in ipsam Cruciatam delinquit; argumento deducto *ex cap. frustra de usur. Cap. immunitatem, de immunit. Eccles.*

249. Sextum dubium: An qui scienter retinuerunt bona Cruciatæ, & ob retentionem, prædictas censuras incurrerunt; si tamen restituant, possint virtute Bullæ absolvi, & illius privilegiis uti? Negat Mend. *dict. disp. 37. n.* 32. Probat ex verbis ipsius Bullæ: Nam S. Pontifex non ait, eum, qui retinet de præsenti, non posse privilegiis Bullæ gaudere; quin enim id exprimeret, incapax est, qui illa bona cum contumacia actu retinet, absolutionis, & indulgentiarum vivorum, quæ requirunt statum gratiæ: sed loquitur de præterito, retinuerint: sed qui jam restituerunt, titulum habent in retinuisse, ut non absolvantur, nec beneficiis Bullæ fruantur: ergo quamvis jam restituerint, non possunt beneficiis Bullæ frui.

250. Dicendum tamen existimo, post restitutionem factam, posse prædictos censuratos eligere confessarios, qui eos absolvant à prædictis censuris virtute Bullæ, & aliis Bullæ beneficiis uti. Ratio est, quia, ut inquit Mend. dictio *retinuerint*, potest habere sensum de præsenti, pro sua differentia temporis in futurum, nempe dum retineant: ergo si jam non retineant, sed restituant, possunt absolvi, & aliis privilegiis Bullæ gaudere. Et quamvis hic sensus à Mend. non admittatur, illum amplector, quia Commissarius Generalis in summario, juxta illum, sic ait: *Edeclara S. Santidade que estes taes de nen huma maneira, possam gozardas gracas, ebene ficos desta Bulla, emquanto elles retiverem em seu poder, sabendo, alguma cousa das sobre ditas.* Ubi nota dictionem *emquanto*, quæ est idem ac dum, quæ dictio *dum* est in fieri, & conditionem importat, ut ex juribus, & D. D. Barbos. *de dict. usu frequent dict. 94. n.* 5. & 6. cùm ergo retentio, jam non sit in fieri, sed per conditionem restitutionis jam ablata, possunt tales post restitutionem virtute Bullæ eligere confessarium, qui à censuris virtute Bullæ eos absolvat, & aliis Bullæ beneficiis gaudere.

251. Septimum dubium: Quid sit suspensio à divinis, quæ in allatis verbis, initio sectionis, imponitur Episcopis, & aliis Majoribus Prælatis? Respondeo, esse quandam censuram partialem suspensionis, per quam prohibetur illa ligatus celebrare, & administrare Sacramenta. Unde si celebret, vel aliquod administret Sacramentum, irregularitatem incurret. Non tamen privatur communibus Ecclesiæ suffragiis, nec fidelium consortio.

252. Octavum dubium: Quid sit interdictum ingressus Ecclesiarum? Respondeo, esse censuram, qua violata, irregularitas incurritur. Per illam prohibetur ingressus Ecclesiæ ad ibi celebrandum, vel ministrandum Sacramenta, aut officiis divinis assistendum. Non tamen prohibetur ingressus Ecclesiæ ad ibi privatim Orandum, tempore, quo non celebrantur divina officia. Circa hoc interdictum, seu censuram, plura videri possunt apud Castr. Palao *tom. 6. disp. 3. de cens. punct. 4. §. 4. per totum*, & Dian. *part. 10. tract. 13. resol. 2.* Leand. *tom. 4. tract. 5. de interdict. disp. 7. à q. 6.*

Barbos. *in collect. ad cap. Quia Pontificali, de Offic. & potest deleg. in 6.* ubi plures *citat. n. 7.*

253. Adverte cum Barbos. *cit.* ab hac censura debere judices exordiri in pœnis, seu coactionibus Episcopis inferendis, ut præcipitur *in cap. sanè 2. Vers. ita quod, de officis & potest. delegati in antiquis*; & de illa sæpè in jure fit mentio, modò sub nomine *interdicti*; modò sub nomine *suspensionis*, ut *in cap. ult. Vers. alioquin, de offic. Ordin. in 6. cap. Episcoporum de privilegiis ibidem & aliis.*

SECTIO XXIV.

De facultate Commissarii circa causas cæptas, & pendentes.

254. SEquitur in Bulla Latina facultas Commissarii Generalis, & ejus subdelegatorum, absolvendi negotia Bullæ cæpta, perinde, ac si annus non fuisset elapsus, per hæc verba: *Expleto autem triennio* (at juxta Pauli V. concessionem, lege expleto anno) *prædicto, volumus pariter gratias prædictas, & indulta omnia prædicta expirare, nihilque penitus ipsarum vigere fieri; causas tamen tunc cæptas, & pendentes, ad finem produci.* Hæc etiam clausula invenitur in Bulla Hispana.

255. Circa hanc clausulam, advertendum est, illam habere locum, quando expirante anno, alia non conceditur Bulla nam tunc possunt causæ inceptæ, & pendentes ad finem perduci: cùm verò S.S. Pontifices sine interruptione Bullam extendant; & Commissarius Generalis suam jurisdictionem delegatam retineat; non solum circa causas inceptas, sed etiam denuo advenientes, potest ad finem illas producere. Si tamen contingat in aliquo sequenti anno, Bullam non concedi, tunc procedit dicta Pontificis dispositio.

256. Dico primò: Commissarius Generalis, & ejus subdelegati, elapso tempore publicationis Bullæ, possunt causas cæptas, & non integras absolvere: sic patet ex illis verbis; *causas tamen tunc cæptas, & pendentes ad finem produci.* Quod etiam est secundum jus, & D. D. & ratione ostenditur; quia ubi cæptum est judicium, ibi finiri debet. Sic Fragos. *tom. 2. disp. 10. §. 5. n. 145.* & omnes. Si verò causæ non sint cæptæ, sed integræ, elapso anno, nequit Commissarius, nec ejus subdelegati de illis cognoscere; est etiam commune. Trullench. *in Bullam l. 2. §. 2. n. 3.* Quod etiam supponit Henriq. *l. 7. de indulg. cap. 11. n. 3. in Gloss. lit. H. in fine.* Escobar. *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 361.*

257. Dico secundò: Causæ cæptæ, seu non integræ, probabiliter nuncupantur, quæ à Commissario, vel ejus subdelegato fuerunt aliquo modo ad suam jurisdictionem adductæ, etiam non datâ partis citatione: ut cum pluribus Castr. Palao *tom. 1. tract. 3. disp. 4. punct. 16. §. 1. n. 10.* Probabilius tamen est, requiri partis citationem, ut tenent communiter D. D. cum Sanch. *l. 8. de matr. disp. 28. n. 10.* Vide etiam Barbos. *in Collect. Decretal. tom. 1. in cap. Iuxta undique de Offic. & potestate Judic. n. 2.*

258. Post hanc facultatem, prohibentur officiales Sanctæ Inquisitionis eligi in Commissarios, aut in prædicatores, aut ad quodcunque aliud ministerium S. Cruciatæ, per hæc verba: *Cùm verò non deceat, Officiales, seu Ministros officii Inquisitionis hæretica pravitatis, in aliis manifestam hæresim non sapientibus, occupari, aut detineri; prohibemus aliquem ejusdem Inquisitionis Officialem, seu ministrum in prædicatorem, ad ipsas præsentes litteras publicandas, assumi, vel etiam sub Commissarium, ad prædicta exigenda, vel aliàs ad gerenda, aut per tractanda hujusmodi negotia, quovismodo deputari.* Quæ verba cùm sint clara, alia non indigent declaratione.

259. Ad finem Bullæ ponitur clausula derogatoria, de qua satis diximus *supra* variis in locis. Non egimus in hac disp. de alia facultate, quam habet Commissarius Generalis, concedendi privilegium personis nobilibus, ut per horam ante lucem, & per horam post meridiem, missam celebrare possint, vel celebrari facere; quia de hac facultate latè tractatum fuit *supra disp. 13. per totam* ubi ad præsentem facultatem, plura videri possunt.

SECTIO XXV.

De aliis facultatibus Commissario Generali concessis.

260. POst Bullam Gregorii XIV. à quo Bulla Lusitana continuationem habere cæpit, emanavit ab eodem Pontifice facultas taxandi Eleemosynas pro sumentibus Bullam; quæ primò fuit commissa Archiduci Austriæ Alberto Cardinali Legato de latere, in his Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, quam de verbo ad verbum transcribimus *disp. 5. in principio.* Hæc facultas inseritur in Bulla plumbea Latina, post Gregorianam præfatam; & ex illa gaudent Commissarii prædictâ facultate ad taxandas eleemosynas in subventionem locorum Africæ. De vi hujus facultatis aliqua attigimus *supra sect. 13. n. 144.*

261. Aliquæ etiam inseruntur litteræ extensionis, quæ ab aliis S.S. Pontificibus emanârunt, in ipsa Bulla Latina, non tamen omnes: omnes tamen, in Archivo Cruciatæ asservantur; quia extensio novissima omnes concessas à Gregorio XIV. usque ad, hoc tempus, & prorogat, & comprehendit. In aliquibus autem reperiuntur aliquæ facultates Commissario Generali impertitæ. In Bulla extensionis ad sexennium Pauli V. expedita 16. Decembris 1609. conceditur Commissario Generali, ut singulis annis concessionis, omnes indulgentias, & gratias cum omnibus qualitatibus, conditionibus, declarationibus, clausulis, & decretis præmissis, publicare possit: Et ante hanc facultatem, solùm publicabatur singulis triennis, ut ex hac Bulla Pauli V. & ex Bullis Gregorii XIV. & Clementis VIII. est manifestum, pluribus in Locis illarum Bullarum. Quod sanè fuit magnum privilegium; nam plures gratiæ, quæ semel singulis trienniis poterant obtineri, per facultatem à Paulo V. primò concessam, & à successoribus extensam, possint eædem gratiæ, singulis annis, lucrari.

262. Alia

262. Alia facultas conceditur in extensionibus factis ad Bullam Gregorii XIV. à Clemente VIII. Paulo V. & aliis Successoribus, per hæc verba: *Commissario Generali nuper deputato plenam, & liberam in præmissis facultatem, & authoritatem tribuimus per se, vel per alium, seu alios, quos ad id idoneos duxerit, ad executionem præmissorum, & aliorum, juxta facultates concessas, omni & quacunque appellatione postposita, procedendi, aliaque faciendi, & exequendi, quæ in præmissis, circa ea necessaria fuerint, & quomodolibet opportuna.* Ex quibus verbis, facultatem habet Commissarius, ad exequutionem in Bulla præmissorum, faciendi ea; quæ ad eandem expressè in Bulla Hispana suo Commissario committuntur.

263. Ex dicta commissione habet Commissarius Generalis Lusitanus facultatem convertendi Bullam Latinam in vulgare idioma, non mutatâ illius substantiâ; & addendi nominatim, pro singulorum notitia, dies stationis totius anni, intra, & extra muros Almæ Urbis, & omnia hæc prælo mandandi, & alia, quæ necessaria, & opportuna sibi visa fuerint, ad Bullæ executionem.

264. Potest etiam interpretari ea, quæ continentur in Bulla, non tamen revocando decreta Pontificum; nam posita tali interpretatione, seu declaratione, declaratio Commissarii est nulla, ut cum Henriq. *in summ. l. 7. indulg. cap. 22. n. 3. in Gloss. litt. G. & H.* Bardi *part. 1. tract. 2. cap. 5. n. 48.* Portel. *tom. 2. resp. moral. casu 5. n. 14.* nec potest transcribere, quod in Bulla non invenitur, sic Castr. Palao *tom. 4. tract. 25. de Bull. punct. 8. §. 2. n. 5. & 8.* ubi sic inquit: *Non enim Commissario permissum est mutare privilegium Plumbea, cùm ex latino idiomate in vulgarem linguam vertit: quin imò, ut testatur Emman. Rodrig. dict. §. 6. n. 8. Navarr. cap. 27. n. 18. casum reservatum in Bulla cana incideret, si substantialem faceret mutationem.* Sic Palao.

265. Valet etiam Commissarius Generalis, virtute prædictæ facultatis, revalidare indulgentias concessas locis, & personis particularibus, pro illis, qui Bullam acceperunt, quæ facultas expressè datur in Bulla Hispana, non ita tamen expressè in Bulla latina Lusianiæ concessa. Illâ tamen utitur Commissarius, quia ad id habet facultatem ex Bulla extensionis Clementis VIII. & aliorum successorum, ut constat ex præfatis verbis *n.* 262. vel ex ipsa Gregorii XIV. Bulla, in qua initio suspensionis hæc dantur verba. *Et ad effectum præmissorum duntaxat, omnes similes, aut dissimiles &c.* cùm verò finis hujus suspensionis cesset in illis, qui Bullam accipiunt, meritò Commissarius, quoad illos, dictas indulgentias, & peccatorum remissiones non suspendit; imò asserit, quoad illos, illa revalidare. Alia, quæ ad facultates Commissarii attinent, *disp. sequenti* exponentur, & decursu hujus operis manent exposita.

DISPUTATIO XXIV.

De Tribunali, Privilegiis, & Ministris S. Cruciatæ.

1. HÆc etiam pertinent ad Bullam, quam suscepimus explicandam, & breviter dicam, quæ necessaria sunt ad hunc intentum, sine quibus hoc opus maneret defectuosum; ne ergo in illo aliquid desideretur; circa titulum aliquas instituo Sectiones, quæ necessariæ mihi visæ fuerunt.

SECTIO I.

An ad Tribunal Cruciatæ, aut ab illo appellari possit?

2. TRibunal S. Cruciatæ quod in hac Ulyssiponensi Civitate residet, constituitur ex tribus viris, virtute, litteris, & authoritate conspicuis, quos *Deputados* appellamus; illorum præses est Commissarius Generalis, qui sicut temporibus elapsis, extitere viri undequaque insignes, sic hodie non inferiores existunt. Inveniuntur in hoc Tribunali necessarii officiales, nempe Secretarius, & Scriba, Receptor Generalis, & receptionis Scriba, Quæstores duo, Fiscalis Cruciatæ, videlicet advocatus, in favorem ipsius Cruciatæ, adversus eos omnes, qui aliquid adversus Cruciatam expostulant, aut delinquunt; Janitor Tribunalis & negotiorum gestor.

3. Ad hoc Tribunal attinent negotia temporalia, quæ ad expeditionem Bullæ concernunt, Spiritualia enim per Commissarium agitantur sine Tribunali: Nam illi omnia primariò ad totum Bullæ negotium à S. Pontifice committuntur, ut ex dictis disput. præcedente est manifestum; Spiritualia tamen per seipsum exercentur: ut exigit recta regiminis ratio.

4. A sententiis latis, seu vi illata à sub Commissariis Provincialibus, potest apellari ad Commissarium Generalem, seu ad ejus Tribunal: Quia in rebus ad Bullam concernentibus Commissarius Generalis est Supremus Judex delegatus, & potest expedire omnia, quæ necessaria, & opportuna sibi visa fuerint. Et de hoc nulla potest esse dubitatio.

5. An verò ab ipso Commissario, seu ab ejus Tribunali, possit appellari ad Nuntium, seu ad Legatum à latere? Respondeo, in hac quæstione, extitisse maximam controversiam in hac Curia inter Illustrissimos Dominos Joannem Baptista Pallostum hujus Regni Collectorem, & post aliquos annos Eminentissimum Ecclesiæ Rom. Cardinalem, & D. D. Antonium Mascarenhas S. Cruciatæ Commissarium Generalem, in causa appellationis Reverendi Provisoris hujus Diœcesis Antonii Monizda Camara; qui cùm esset ab ipso Commissario, ut inobediens, excommunicatus declaratus, in puncto

ad Bullam concernente, à qua excommunicatione ad S. Sedem Apostolicam appellavit; & per Illustrissimum Collectorem à censura fuit absolutus dictus Provisor.

6. Ex his, orta fuit præsens quæstio; an à Commissario Cruciatæ ad Collectorem detur appellatio. Hujus resolutionem credo à S. Pontifice emanasse ad quem causa deducta fuit. Attamen cùm de illa mihi non constet, in medium proferam, quæ ab Universitatibus hujus Regni in favorem Commissarii Generalis adducta fuerunt; & postea, quæ in authoribus reperio. Alia, quæ in processu hujus controversiæ, evenerunt, videri possunt in Relatione ad Sum. Pontificem Urbanum VIII. quæ de hac, & aliis materiis ad Bullam pertinentibus, inter eosdem Dominos fuerunt mota; quam typis mandavit idem Bullæ Commissarius D. D. Antonius Mascarenhas, anno Domini 1626.

7. Probant Academici, non potuisse dictum Provisorem ad Collectorem appellare: Quia licèt ipse Provisor ad S. Sedem, vel ejus Delegatum appellasset, nec Collector, nec ejus Auditor de causa cognoscere valebant, & multò minus Commissarium inhibere, & ejus acta, ut irrita pronuntiare. Nec etiam Provisor excommunicatione ligatus, & declaratus per Commissarium Generalem, ab Illustrissimo Collectore absolvi poterat; ut ex sequentibus rationibus ostenditur.

8. Prima; quia Commissarius Generalis in rebus ad Bullam concernentibus, specialem, & privativam habet jurisdictionem *ex cap. 2. de offic. legat.* in quo Cœlestin. III. asserit, Legatum commissionem alii factam specialiter impedire non posse; quia ratione Commissionis, personam S. Pontificis repræsentat, qui omnes ordinarios superat; ut expressè constat *ex cap. Sanè 2. de offic. delegat. cap. pastoralis §. Præterea de Offic. judic. Ordinar.* & tenent Jacob. Ebrosius de offic. Vicarii *l. 2. q. 175. n. 1. & l. 3. q. 6. n. 3.* Lancellot. de attent. *part. 2. cap. 20. n. 73.* Menoch. de arbitr. *l. 1. q. 54. n. 27.* Et quamvis Collector in his Portugaliæ Regnis etiam personam S. Pontificis repræsentet; cùm sit Ordinarius, illius jurisdictio est ordinaria, & generalis; Commissarii verò specialis: Ergo juxta textum *in dicto cap. 2.* jurisdictio Collectoris per jurisdictionem Commissarii derogata extitit. Et hoc est certum, quoad primam instantiam.

9. Secunda ratio; Quia Commissarius Generalis Lusitanus eandem habet jurisdictionem, & potestatem, ac Commissarius Hispanus: Sed hic nullum alium habet superiorem, nisi S. Pontificem, cui immediatè subjicitur, non obstante, quòd ibi assistat Nuntius: Ergo etiam idem dicendum de Commissario Lusitano.

10. Dices pro Collectore, contra Academicos: Quando à Commissario Generali appellatur ad Sanctam Sedem Apostolicam, Collector, ut Legatus Apostolicus, potest de illa cognoscere; quia sub ea Appellatione, quoad hunc effectum, comprehenditur Collector, juxta textum *in cap. si Abbatem, & ibi Gloss. de electione, in 6. cap. bi qui 12. in fine de prabend. ibidem*; & hanc esse praxim hujus Regni tenentur Valasc. *tom. 1. consult. 62. n. 1.* Castr. *in praxi l. 3. cap. 2. §. 6. n. 15.* Et Scacia *de Appellat. q. 17. limit. 2. n. 66.* asserit, Legatum in partibus, per privilegium, posse cognoscere de appellationibus ad S. Pontificem, cujus vices gerit, interpositis; ut declarat Martha *in tract. de jurisdictione part. 2. cap. 53. n. 17. & 18.*

11. Respondent, hanc doctrinam limitari in Commissario Generali, & in rebus ad Cruciatam concernentibus; quia illarum cognitio ad illum privativè pertinet, ut *supra* dictum est; & Commissarii jurisdictio est immediata S. Pontifici, absque subordinatione Collectoris; ut sæpius à Rege, per plures Epistolas à seipso obsignatas, manifestatum est; & illi integra fides debetur, juxta textum *in cap. cum à nobis, ad finem, de testibus, & in Clem. 1. de probat.* cum aliis, & D. D. Esbrosio *dict. loco, l. 1. q. 64. n. 15. Gam. decis. 47. n. 1.* & aliis pluribus quos citant.

12. Accedit, quòd nullum pro contraria praxi datur exemplum; imò Collectores nunquam se immiscuerunt in causis ad Cruciatam pertinentibus, fatendo, se nullam habere jurisdictionem, etiam per viam appellationis; & hanc fuisse praxim, & usum ex antiquissimis temporibus; constare potest ex archivo Cruciatæ; etsi alia non darentur fundamenta; hoc sufficeret; arg. textus *in cap. cùm dilectus, de consuet. L. si de interpretatione ff. de Legibus*, cum aliis, de quibus Soar. *de Leg. l. 7. cap. 17. à n. 1. & 2. cum seqq.* Molin. *de primog. l. 2. cap. 6. n. 57.* Garcia *de benef. part. 1. cap. 5. num. 65.*

13. Additur, quòd si Collector de causis Cruciatæ sit cogniturus, & ad eum possit appellari, & ab eo inhiberi Commissarium progressiones suas, & executiones Bullæ impediente; id esset cum damno subventionis, & defensionis locorum Africæ, ad quæ S. Pontifex, ad instantiam Regis, Bullam concessit. Quod nullo modo vult; ut constat ex clausula, in Bullis solita opponi: *Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis*; & ex iis, quæ in simili clausula asserunt D. D. *in cap. cum aliquibus, de rescript. in 6.* ubi Dominicus *n. 1.* Franc. *n. 2.* cum aliis adductis, per Flamin. *de resign. l. 8. q. 7. n. 175. & l. 11. in præfatione n. 7.* Sanch. *de matr. l. 8. disp. 35. n. 17.*

14. Tertia ratio; quia ut judex alium possit inhibere, virtute appellationis ad eum interpositæ, requirit majorem jurisdictionem, inhibendo; ut per Lancellot. *dict. part. 2. cap. 20. n. 55. in præfatione*, juncta appellationis definitione, de qua D. D. *ad rubric. de Appellat.*; quam prosequuntur Scacia, & ab eo citati, *in dict. tract. de Appellat. q. 1. art. 1. à n. 1. cum seqq.* Rebuff. *in eodem tract. tom. 3. n. 1.* & expressè constat *ex l. 1. §. si quis ff. de appellat. & cap. anterior, 2. q. 6.* at Collector, respectu Commissarii, circa causas, & negotia Bullæ Cruciatæ, majorem non habet jurisdictionem: ergo quamvis, ad eum Provisor appellasset; Commissarium non poterat inhibere; nec annullare processus; & multò minus, Provisorem ab excommunicatione absolvere, cùm esset denuntiatus, juxta text. *in cap. Pastoralis. §. præterea, de offic. judic. Ordin.* ubi Abbas *n. 1.* & alii, quos referunt Jacobus Esbrosius *dict. l. 2. q. 175. n. 5. & 13. & l. 3. q. 6. n. 16. & 17.* Soar. *de Censur. disp. 7. sect. 2. per totam.*

15. Quarta ratio; quia potestas à S. Pontifice in Bulla Commissario concessa, circa causas, & Bullæ negotia, fuit cum clausula: *Omni, & quacumque appellatione remota*; & quamvis inter D. D. hæc clausula varias patiatur interpretationes; attamen omnium optima est, quòd censetur prohibita omnis appellatio, quantumvis legitima, & rationabilis, si à jure approbata non fuerit. Et sic intelligunt D. D. textum, *in cap. Pastoralis 53. in principio, de appellationibus*; sequuntur Lancellot. *dict. 2. part. cap. 12. limit. 8. n. 44.* Marques *in tract.*

tract. de commiſſion. cum clauſula, appellatione remota cap. 10. *n.* 18. Scacia *de appellat. q.* 16 *n.* 96. Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancell. gloſſ.* 9. §. 2. *num.* 257. Et quando dictus Proviſor Legitimam, & rationabilem cauſam habuiſſet, (quam non habuit, quia non apparuit, & fuit contumax) ad S. Pontificem, & non ad Collectorem, cui Commiſſarius Generalis non ſubditur, nec eo eſt ſuperior, interponere debebat appellationem.

16. Quinta ratio; quia dato, & non conceſſo, quòd dictus Proviſor legitimam, rationabilem, & jure approbatam cauſam habuiſſet ad appellandum à mandato Commiſſarii Generalis; & Collector, ut Legatus Sedis Apoſtolicæ, de ea appellatione cognoſcere potuiſſet, juxta praxim, de qua teſtantur Caſtr. & Valaſc. *locis citat.* non erat inhibendus Commiſſarius Generalis per Collectorem, & multò minus per Auditorem, cui cauſam commiſerat; quin prius de ea cognoſceret, an appellatio eſſet recipienda, aut non? ut ſtatuitur *in cap. Romana* §. *ſi autem, de appellat. in* 6. & innovatur *in Conc. Trident. ſeſſ.* 22. *de Reformat. cap.* 7. per quod omnis ſtylus, & conſuetudo, etiam immemorialis in contrarium revocatur Lancell. *dict. part.* 2. *cap.* 20. *n.* 120. Marth. *tract. de juriſdict.* 2. *part. cap.* 3. *n.* 2. Sic D. D. Academiæ Conimbricenſis. Quod ſentio in hac controverſia, per ſequentes concluſiones demonſtro.

17. Dico primò: Non datur appellatio à Commiſſario ad Collectorem, Nuntium, aut Legatum à Latere, in cauſis concernentibus ad Bullam; & ſic convenio cum D. D. Academicis. Ita expreſsè Mendo *diſput.* 37. *n.* 16. Trullench. *in Bull. l.* 2. §. 2. *n.* 5. *in fine.* Peres de Lar. *l.* 2. *pag.* 124. Eſcobar *in Theol. moral. lib.* 7. *n.* 363. Moveor primò, quia appellatio ſit à minore judice ad majorem; ut cum communi D. D. Fragoſ. *tom.* 1. *l.* 8. *diſp.* 24. §. 3. *n.* 24. Mendes à Caſtr. *in praxi* 1. *part. l.* 2. *cap.* 11. *n.* 9. Sed Delegatus S. Pontificis (qualis eſt Commiſſarius Generalis, in rebus ad Bullam concernentibus) eſt major omnibus aliis judicibus, infra Pontificem, *ex cap. ſanè* 2. *de officio de leg.* & D. D. Molin. *tom.* 6. *de juſtit. diſp.* 26. *n.* 1. Fragoſ. *tom.* 2. *diſp.* 10. §. 5. *n.* 153. & apud ipſum Narbona *de appellatione à Vicario ad Epiſcopum, part.* 1. *n.* 152. Barbol. *in Collect. ad dict. cap. Sanè* 2. *n.* 1. & alii plures apud ipſum: ergo à Commiſſario Generali, in rebus ad Bullam pertinentibus, nequit dari appellatio ad Nuntium, ſeu Legatum à latere; ſi hic ad id à S. Pontifice ſpecialem non habeat Commiſſionem.

18. Moveor ſecundò; quia Collector, Nuntius, aut Delegatus à latere, non poteſt ſe intromittere per appellationem ad ſe, vel ad Sanctam Sedem, provocatam, in cauſa alicui ſpecialiter à S. Pontifice delegata: ut conſtat *ex cap. ſtuduiſti, de Officio Legati.* & D. D. Mendes à Caſtro *in prax. Luſit.* 2. *part. l.* 2. *cap.* 1. *n.* 37. & apud ipſum Enriques Capicius *in ſumm. jur. Canon. tit.* 17. *l.* 1. §. *Nec poteſt Legatus.* Raynol. *obſervat.* 60. quibus accedit Fragoſ. *dict. tom.* 2. *diſput.* 10. §. 2. *n.* 38. & apud illum Venatorius *in analyſi methodica juris Pontificii l.* 1. *tit.* 1. *axiom.* 1. Lechius *de rep. Eccleſiaſt. de Statu Illuſtriſſ. Legati n.* 4. *ad finem Verſ. undecimò.* Anton. Cucch. *de Legatis Apoſtolicis, tit.* 5. *n.* 148. & alii: ſed cauſæ ad Bullam Cruciatæ concernentes ſunt Specialiter Commiſſario Generali delegatæ, ut conſtat ex Bullis Clementis VIII. Clementis IX. Pauli V. & aliorum, per hæc verba: *Omni, & quacumque appellatione poſtpoſita procedendi, aliaque faciendi, & exequendi, quæ in præmiſſis circa ea neceſſaria fuerint, & quomodolibet opportuna:* ergo in his nequit ſe intromittere Legatus à latere, per appellationem ad ſe delatam.

19. In prædictis verbis dictorum S. S. Pontificum: *omni, & quacumque appellatione poſtpoſitâ*, nota, per illa, omnes appellationes eſſe ſublatas, non ſolum in cauſa principali, ſed etiam in acceſſoria. Sic cum Scacia, Marquez, Barbol. *de Clauſul. uſu frequent. clauſul.* 9. *n.* 31.

20. Ex dictis ſequitur, Collectorem, Nuntium, aut Legatum à latere non poſſe, abſolvere excommunicatum à Commiſſario Generali. Sic Molin. *dict. tom.* 6. *diſp.* 26. *n.* 1. quamvis ejus juriſdictio jam expiraſſet, & Mendo *diſp.* 37. *n.* 34. & conſtat *ex cap. Paſtoralis*, §. *præterea de Officio Ordin.* & Barboſ. *in collect. ad dictum cap.* & §. *n.* 9. & *ſeqq.* cum aliis, quos citat.

21. Dico ſecundò: Per viam querelæ poteſt dari recurſus ad Nuntium, & Legatum à latere, in rebus concernentibus ad Bullam, & ſic declaratum fuiſſe invenio apud Authorem *Regiminis Cruciatæ* §. 15. In quibus autem caſibus ſit recipienda querela, vide *Ordin. l.* 5. *tit.* 117. vide etiam Cabed. *part.* 1. *deciſ.* 23. *n.* 5. & *part.* 2. *Areſt.* 28. ubi aſſerit, intentandam eſſe querelam, juxta judicem cauſæ. At hæc Regis diſpoſitio non habet locum, in cauſis Eccleſiaſticis ad Bullam concernentibus, niſi in caſu, quòd aliud à jure Eccleſiaſtico non diſponatur.

SECTIO II.

De privilegiis miniſtrorum Sanctæ Cruciatæ.

22. DE privilegiis, à S. Pontifice Commiſſario Generali, & ejus ſubdelegatis conceſſis, diximus, *diſp. præcedente per totam.* In præſenti, ſermo eſt de illis, quæ à Regibus, & Sereniſſimo Principe jam Portugaliæ Rege, Officialibus Cruciatæ ſunt conceſſa, de quibus extant varia diplomata, & Litteræ Regiæ. Quia tamen à Sereniſſimo Principe noviſſimè ſunt conceſſa, & innovata; de his ſpecialem narrationem facimus.

23. Primum, ex Litteris datis primo Julii 1673. mandat omnibus Judicibus, Conſulibus, Procuratoribus, & cæteris officialibus Senatus omnium Civitatum, Villarum, Conciliorum, & Oppidorum Portugaliæ Regnorum, & Dominiorum, ut requiſiti à quocunque Commiſſario, Theſaurario, aut executore, vel ab alio quocunque Miniſtro, & officiali Sanctæ Cruciatæ, eligant Receptores eleemoſynarum illorum, qui Bullas acceperunt. In aliis verò pagis, & Parochiis, ubi hic Senatus non extiterit, hæc electio, & nominatio facienda eſt à Priore, Rectore, aut Parocho ejuſdem Parochiæ, præſente Judice, aut Jurato ipſius pagi, aut Parochiæ; & ſi electi renuerint; ſub certa pœna pecuniaria, obſtringendi ſunt. Et inſuper, intra quindecim dies, in Curia apparebunt, rationem Commiſſario Generali reddentes illius muneris non admiſſi. Alia ibi præſcribuntur, ad executionem harum eleemoſynarum, quæ, ex inſtructione Commiſſariorum ad ipſos Receptores, patebunt.

24. Secundum privilegium constat ex alio Serenissimi Principis diplomate, dato 2. Julii 1672. in quo concedit omnibus S. Cruciatæ ministris, & officialibus, ut non possint, dum hoc munus exercent, à quocunque ad ulla alia munia, seu officia, aut ad bellum ire, compelli. Item illis concedit, ut omnibus aliis privilegiis, & immunitatibus, quibus Præfecti captivorum gaudent; uti, & gaudere valeant. Quia tamen Præfecti captivorum, qui Minores dicuntur, privilegiis non gaudent, si illorum bona constent, vel superent ducenta millia regalia: hoc est *duzentos milis*; Mandat Serenissimus Princeps, alio diplomate, hanc exceptionem, non esse observandam, erga Ministros, & officiales Sanctæ Cruciatæ: quia vult, & illis concedit, quamvis in suis bonis prædictam Summam adæquent, aut superent, ut privilegiis, & immunitatibus prædictorum fruantur.

25. Tertiò gaudent Officiales S. Cruciatæ; ut non obligentur ad bajulanda aliqua Castella, in Processionibus Solemnibus, quæ singulis annis in Civitatibus, & Villis horum Regnorum, aut Dominiorum fiunt: nec ad munus aliquod, qualecunque sit, in Concilio obeundum, sive judicis, Consulis, procuratoris, aut ædilis, nec non Receptoris cisarum, aut cujuscunque alius muneris; etiam non obstantibus Regni Ordinationibus, si in aliquo, ex prædictis, contrarium disponant. Item non possunt inviti obstringi, ut aliqui in suis Domibus, stabulis, aut cellariis habitent, vel hospitentur; nec ab illis, etiam ad tempus, auferri possunt stromata, supellectiles, nec equi, aut aliæ bestiæ ad onera portanda, nec eorum operarii, ad aliam quamcunque personam, sive sit Regis, Reginæ, aut Principum, in eo territorio, existentium. Quamvis enim, in his eventibus, aliis cessent privilegia: Princeps enim Serenissimus, illis nullum vult cessare; nisi in speciali, de illis fiat expressa mentio; quia vult, ut integrè observentur. Nec possunt obligari ad aliquam exactionem, hoc est *finta*, etiamsi bona ad illam habeant sufficientia; præterquam ad arma, & equum; nam ad hæc, si bona sint capacia, nullus à Serenissimo Principe eximitur. Nec etiam exempti redduntur ad contribuendum exactioni, quæ ab omnibus, ad fontes, pontes, & fines, seu extremitates suarum hæreditatum, fieri solent. Alia in eo diplomate includuntur privilegia, ad aliqua, quæ vel non sunt jam in praxi, vel in prædictis comprehenduntur.

26. Extant etiam duæ Epistolæ Regis Serenissimi, & Bonæ memoriæ Joannis IV. ad Gubernatores armorum, in quibus, illis strictè præcipit observantiam privilegiorum Cruciatæ, erga suos Officiales, ne Bulla patiatur damnum, & præjudicium, in illius eleemosynis colligendis, & in ipsis Bullis distribuendis.

27. Ut hæc tamen privilegia observentur; à Serenissimo Principe obstrictus Illustrissimus, & Reverendissimus Commissarius Generalis Franciscus Correa de Lacerda, omnibus Senatoribus, Prætoribus, Provisoribus, Judicibus, & omnibus aliis judicantibus, aut exercentibus in his Regnis, & Dominiis Portugaliæ, terrisque conquistis, sub pœnâ Quinquaginta aureorum, mandat, & præcipit, ut hæc privilegia, & diplomata Regia per se ipsum subscripta, servent, & inviolabiliter observare faciant: Et si secus faciant, ultra pœnam incursam ipsi Bullæ addictam, & de facto executioni mandatam, à Serenissimo Principe erit ea culpa, illis abominata, & in residentiis delata. Sic Commissarius authoritate Serenissimi Principis.

28. Aliud Serenissimi Principis datur decretum, ad armorum Gubernatores, & belli officiales, datum 3. Julii 1672. in quo illis, & aliis justitiæ, & gazæ Regiæ ministris, præcipitur; ut dicta privilegia curent observari. Et si Thesaurarii minores gravamen, ad Concilium Belli, interposuerint, de defectu observantiæ, ab aliquo ministro; illis vi hujus diplomatis refarciant.

29. Aliud extat diploma Serenissimi Principis datum 7. Novembris anni 1673. in quo præcipitur Provisoribus Comarcarum, ut privilegia, & immunitates Ministris, & officialibus Bullæ à Regibus concessa, exactè observare faciant.

SECTIO III.

An Commissarius Generalis, & alii subdelegati possint censuris procedere contra non servantes dicta privilegia?

30. HÆc quæstio est gravissima: Et posse dictum Commissarium Generalem, & ejus Commissarios subdelegatos, censuris compellere prædicta privilegia non servantes, vel eis resistentes, existimat. Mend. *disp.* 38. *num.* 56. probat, quia Commissarius habet jurisdictionem Ecclesiasticam à S. Pontifice concessam, ad executionem omnium, quæ ipsi ab eo committuntur, ad expeditionem Cruciatæ: sed privilegia, & exemptiones à Serenissimo Pincipe, & à Regibus concessa, sunt media necessaria ad consequendum finem expeditionis Bullæ: ergo Commissarius Generalis, aut sub Commissarii, ex jurisdictione Ecclesiastica, qua pollent possunt procedere censuris contra non observantes, vel resistentes dictis privilegiis. Major est certa, & constat ex Bullis Clementis VIII. Clementis IX. Pauli V. & aliorum Pontificum; ibi: *Ad executionem præmissorum, & aliorum, juxta facultates concessas, omni, & quacumque appellatione postposità, procedendi, aliaque faciendi, & exequendi, qua in præmissis, circa ea, necessaria fuerint, & quomodolibet opportuna.* Minor etiam videtur certa, quia privilegia, immunitates, & exemptiones à Regibus, & Serenissimo Principe concessa, gignunt majorem Bullæ venerationem; & Ministros, ac officiales Cruciatæ, ad sua munera obeunda, reddunt expeditiores; avertuntque impedimenta, quæ adversus eam expeditionem pullulare possent: Si ergo Commissarius, ex facultate S. Pontificis, potest procedere ad executionem, & expeditionem Bullæ, per media ad id necessaria, aut opportuna; ex eadem facultate, poterit censuras ferre contra impedientes, vel non servantes dicta privilegia; licet ea media sint à potestate sæculari concessa, & imperata.

31. Ex his sequitur conclusio evidenter, scilicet, posse Commissarium, & subdelegatos uti jurisdictione Pontificia, & Ecclesiastica, pro defensione privilegiorum sibi à Principe Sæculari concessorum; quia habent à Pontifice facultatem ad exequenda ea, quæ sunt media necessaria, aut opportuna ad meliorem Cruciatæ expeditionem. Unde pro ferendo contra impedientes Principis privilegia censuras; non potestate sæculari, sed Ecclesiastica utetur.

32. Op-

32. Oppoſitum tamen docet Gabriel Pereira *in man. Regia. l. 1. tit. 9. §. 12. cap. 8. n. 2. & 3.* apud D. Joann. Solorzano *mox citandum*, aſſeritque poſſe dictos Commiſſarios ſubdelegatos procedere contra eos, qui reſiſtunt, vel impediunt privilegiorum executionem; quæ à Principe Sæculari ſunt conceſſa, vel ea non ſervant: non tamen poſſe uti juriſdictione Eccleſiaſtica, illos mucrone excommunicationis, & aliis cenſuris Eccleſiaſticis feriendo; & ſic in hujus Regni Senatu refert deciſum. Et hujus ratio eſt, ait: *Nam eorum poteſtas non extenditur ad privilegia iiſdem exactoribus, data à Principe ſæculari, quorum obſervatio ſuis Miniſtris ſæcularibus commendatur; nec alia poteſtas Commiſſario indulta reperitur; & in hoc tanquam privatus procedit, cum notoria ſubditorum oppreſſione, arg. l. final ff. de juriſdict. omnium judic.* Huic ſententiæ ſubſcribit D. Joannes Solorzano *tom. 2. de jure Indiar. lib. 3. cap. 25. à n. 29.*

33. Et *n. 31.* id confirmat in Epiſcopo, qui ſimul eſt Dominus temporalis alicujus Villæ, aut loci; nam ſi de cauſis ſæcularibus cognoſcat, non excommunicatione, aut aliis cenſuris utitur, ſed temporaliter, & per judices ſæculares talem juriſdictionem exercet, ut per Covarr. *in pract. cap. 36. n. 6.* Borrel. *de Magiſtr. edict. l. 1. cap. 9. & de præſtant. Reg. Cathol. cap. 72. n. 2.* & ab ejus ſententia non ad Eccleſiaſticum, ſed ad judicem ſæcularem eſt appellandum: *cap. ſi duobus 7. §. denique de appellat. l. 8. tit. 3. l. 1. Recop.* Covarr. *pract. n. 2.* Bobad. *in polit. tom. 1. l. 2. cap. 17. n. 196. pag. 729.* Pax *de tenuta cap. 63. num. 6.* Carrer. *3. part. variar. cap. 13. n. 343.* Narbon. *l. 20. gloſſ. 22. n. 68.* Choppin. *lib. 1. Monaſtic. tit. 3. n. 19.* Cald. Pereyra. *Conſil. 5. n. 18.* Felicianus à Vega *in cap. clerici, de judic. num. 38.* Cutell. *in patrocin. pro Regia juriſdict. Inquiſit. ſæcul. conceſſa part. 1. controverſ. n. 171.* Beſold. *in tract. de pace cap. 5. n. 5.* & alii.

34. Idem de Rege, qui eſt dux, aut Comes, & appellatur ad Superiorem in Ducatu; ut tenent idem Solorzano *tom. 1. de jur. Indiar. l. 2. cap. 21. n. 13.* Bald. *in L. ſi quando, C. de appellationibus.* Hiſynger. *centur. 5. obſervat. 5.* Pente. *deciſ. 2.* Stephan. Gratian. *diſcept. forenſ. tom. 5. cap. 298. n. 49.* Valencuela *Conſil. 157. n. 81. vol. 2.* alios citans.

35. Inter has duas ſententias exiſtimo, ſententiam Mendo, juxta Bullam Hiſpanam, & juxta Luſitanam, à Gregorio XIV. indultam, eſſe valdè probabilem. At ſi loquamur juxta Luſitanam, adjunctâ extenſione Clementis VIII. Clementis IX, Pauli V. & aliorum S. S. Pontificum, de qua *ſupra n. 30.* in probatione pro ſententia Mend. illam reputo probabiliſſimam: nam data eſt extentione, Commiſſarius Generalis, & ejus ſubdelegati, poſſunt uti mediis neceſſariis, & opportunis ad expeditionem, & executionem Bullæ; & privilegia, immunitates, & exemptiones ſunt media neceſſaria, aut opportuna ad expeditionem Bullæ; ut teſtatur ipſe Commiſſarius Generalis relatus in diplomatibus *ſupra allatis ſect. 2.* dicens Sereniſſimo Principi, ſi non obſerventur privilegia prædictæ, ſe non invenire Miniſtros, & officiales ad eam expeditionem: quo poſito, Commiſſarius, in cenſuris ferendis adverſus eos, qui non obſervant, aut impediunt dicta Privilegia, non poteſtate Principis ſæcularis, ſed facultate ſibi à S. Pontifice conceſſa, utitur.

36. Nec rationes, in oppoſitum *à n. 32.* adductæ, probant intentum: non illa Gabrielis Pereyra; quia licèt poteſtas Commiſſarii non extendatur in ſpecie ad privilegia à Principe conceſſa, ut ab illo conceſſa: ad illa extenditur, quatenus à S. Pontifice illi conceditur, ut poſſit uti mediis neceſſariis, & opportunis ad expeditionem Bullæ; & ipſe Commiſſarius fatetur, hæc privilegia ad illam eſſe media neceſſaria, & oportuna.

37. Nec etiam, idem conficiunt confirmationes, in exemplis Epiſcopi, & Regis, juriſdictionem temporalem, & non Regiam exercentium, fundatæ: Nam ut tales, aliam non habent juriſdictionem, quâ uti poſſint: at Commiſſarius Generalis, circa non ſervantes, & impedientes dicta privilegia, uti poteſt juriſdictione Pontificia; quia illi à S. Pontifice indulgetur, ut poſſit uti mediis neceſſariis, & opportunis ad Bullæ executionem; & hæc privilegia cenſentur media neceſſaria, aut ſaltem opportuna, quod ſufficit.

38. Nec etiam eſt, contra hanc noſtram reſolutionem, id quod aſſerit Author Regiminis Cruciatæ §. 87. *in fine*, per hæc verba: *Porem nam uſará o Commiſſario Geral de cenſuras, e ſemellantes procedimentos, pera com ellas fazer guardar os ditos privilegios, que pera iſſo baſtaõ os poderes, que demi tem, ſem ſer neceſſario, valer ſe noſte capo, da juriſdiçam Apoſtolica.* Non enim eſt contra hanc noſtram reſolutionem; primò, quia id Regimen adhuc à Principe non eſt approbatum. Secundò, quia in illis verbis non negatur hæc poteſtas ferendi cenſuras Commiſſario; ſed dicitur ſufficere poteſtatem à Principe applicatam. Quod exiſtimo in praxi ſequendum: nam quando intentum benè obtinetur abſque cenſuris, ab illis omnino eſt abſtinendum: at ſi in aliquo caſu particulari hic finis, per potentiam Regis, non obtineatur; Commiſſarius ſuâ poteſtate Apoſtolicâ uti valebit.

SECTIO IV.

De Miniſtris S. Cruciatæ, & ſalariis eis aſſignatis.

39. INitio ſectionis primæ, recenſuimus Miniſtros ad Tribunal ſupremum S. Cruciatæ ſpectantes; quod Tribunal reſidet in hac Civitate Ulyſſiponenſi. Extra illam, per civitates, & Provincias hujus Regni, & Algarbiorum, unde viginti ſibi Commiſſarius Generalis ſubdelegatos Commiſſarios ſubſtituit, & alios in India Orientali, Braſilia, Inſulis Materiæ, & Acorum, Regnis Angolanis, Inſulis promontorii Viridis, vulgò *Cabo Verde*, & in Africa, Mazagano; omnes cum eadem facultate, quam habet. Illis tamen excipit facultatem faciendi compoſitiones; & hoc illis, concionatoribus, & aliis Bullæ officialibus prohibet, ſub pœnâ excommunicationis latæ ſententiæ; quia compoſitiones, vel per Bullas, vel cum ipſo Commiſſario, ſunt faciendæ; juxta diſpoſitionem in Summario Bullæ Compoſitionis. De hac exceptione, & prohibitione conſtat ex ipſo Summario in fine, *infra diſp. 25. num. 7.* adducendo. Poterat etiam facultatem illis à ſe conceſſam in aliis limitare; ut ex ipſa Bulla Latina conſtat; ibi: *alios Commiſſarios ad ſingulas hujus-*

hujusmodi Provincias... Cum simili, aut Limitata facultate, &c.

40. In his Provinciis, in quibus hos constituit Commissarios, etiam Thesaurarios majores, & Notarios deputat: Qui Thesaurarii Majores alios deputant, qui Minores dicuntur; ad quos pertinet, in singulis Villis, oppidis, & locis, in quibus habitationem, & domicilium habent, Bullas distribuere, & eleemosynas colligere. In hac Ulyssiponensi civitate, alios etiam Thesaurarios majores deputat, per quos Bullæ distribuuntur, & eleemosynæ colliguntur. Ad Thesaurarios Majores, extra Ulyssiponem, curare incumbit; ut publicatio Bullæ fiat Dominicâ ante primam adventus: Et statim, diebus festis sequentibus, in Villis, & oppidis sui districti: ut anno præcedente fuit publicatio.

41. Hi Thesauri ad sexennium, vel ad minus tempus, designantur; suis expensis omnia procedunt, tam in adducendis Bullis ex Ulyssipone, quàm ad deducendas ad oppida, in quibus sunt distribuendæ, nec non in salariis sub Commissario, notario, & eleemosynam concionatoribus solvendis: Quod onus ad designatos Ulyssipone non extenditur. Cùm autem reddunt rationem eleemosynæ collectæ, manifestare tenentur, Summaria Bullæ vivorum, & chyrographa, nec non Bullas compositionis, & defunctorum, quæ superfuerunt, ut ea summa minuatur ab illis, quas acceperunt. Si tamen numerus Bullarum ab ipsis acceptus finiatur; alias poterunt exposcere; ut eleemosynarum solutio sit tutior, fidejussores præstare debent, & ubicumque à Thesaurario Generali solutio exigitur, solvere tenentur. Hæc satis.

42. A collecta Bullarum eleemosyna, primo loco, ad fabricam D. Petri pro singulis annis, deducitur eleemosyna duodeviginti millia aureorum: secundò salaria ministrorum, & officialium Cruciatæ. Commissario Generali trecenta millia regalia Lusitania, vulgò *trescentos mil reis*, designantur, exiguum sanè salarium ad tantum onus, dignitatem, & personæ qualitatem. Aliis Commissariis regulariter viginti millia regalia Lusitana, hoc est *vinte mil reis*, tribuuntur; cuilibet ex tribus Deputatis aurei mille ducenti donantur; Secretario, & Notario executionum, centum millia regalia. Thesaurario, seu Quæstori Generali, octoginta; Notario, seu Scribæ receptionis, etiam octoginta. Duobus Quæstoribus ærariis, vulgò *Contadores*, utriq. Quadraginta millia; Advocato, seu Fiscali, viginti; administratori Typographiæ, Quadraginta millia regalia; Janitori Tribunalis, triginta; & idem, negotiorum gestori. Typographo pro quolibet fasciculo chartaceo, hoc est *por cada Vesma de Bullas impressas*, duo aurei præstantur.

43. Thesaurariis majoribus diœcesum, extra Ulyssiponem, eo quod omnes expensæ, in Bullis asportandis, & cæteræ designatæ *n.* 41. ad illos pertineant; conceditur, in qualibet Bulla, pro qua eleemosyna ab eo fuit collecta, decem regalia Lusitana, hoc est *dez reis*; quia tamen Ulyssipone domicilium habentes tot non habent sumptus, quatuor tantùm regalia eis impenduntur.

44. Reliquum, quod superest, traditur Quæstori Majori, seu Thesaurario Domus Ceitæ, ut juxta dispositionem S. Pontificis, in subventionem locorum Africæ expendatur. Et ad nullos alios fines hæ Bullarum eleemosynæ convertuntur. Si tamen aliquid supererit ex hac subventione, à S. Pontifice sumptibus classium horum Regnorum; pro defensione eorum marium, applicantur: cùm tamen eleemosynæ ex Bullis collectæ ordinariè sint octoginta millia aureorum, ad classes nunquam extenduntur: Imò ad Masaganum non sunt satis.

DISPUTATIO XXV.

De Bulla Compositionis.

1. QUoniam Bulla Compositionis Lusitano idiomate composita ex Bulla plumbea extrahitur; operæ pretium est transcribere ea, quæ ad hanc Bullam in illa materiam subministrant; ut ex illis clariùs appareant dicenda in hac disputatione; & sic eundem ordinem observamus, quem hactenus secuti sumus.

2. Circa hanc compositionem, tres distinctæ, & dispersæ reperiuntur concessiones in Bulla plumbea. Prima sic habet: *Volentesque, ut fructus beneficiorum, qui ad ratam omissionis horarum canonicarum illicitè percepti fuerint, pro dimidia parte, Ecclesiis, vel aliis locis Ecclesiasticis, quorum ratione horas prædictas recitare debebant, altera verò dimidia pars, in subventione manutentionis militum hujusmodi, integrè præstari, vel cum Commissario super hoc deputando componi; ita quòd compositione hujusmodi solutâ, sit componens à portione etiam, qua Ecclesiæ deberetur, integrè absolutus.*

3. Et post pauca, prosequitur secunda: *Et super illicitè habitis, ac dimidio Legatorum omnium, quæ propter malè ablata, facta sunt; si Legatarii per annum in exactione negligentes fuerint; ac illis etiam, quæ facta fuerunt, & dicto triennio durante* (Lege, dicto anno durante, ex concessione Pauli V. ut sæpe notavimus) *sient si Legatarii, adhibita per Commissarium diligentiâ, inveniri non poterunt. Ac etiam super malè ablatis, & per usurariam pravitatem, aut aliter malè acquisitis, dummodo in omnibus prædictis casibus, præterquam annalis negligentia, persona per Commissarium, & receptorem prædictum, non reperiantur, componere, ac ita debitores liberare.*

4. Et denique post facultatem Commissario concessam dispensandi super irregularitate contracta ab iis, qui Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis ligati missas, & alia divina Officia celebrarunt, addit tertiam, sic: *Et super indebita perceptione, fructuum Ecclesiasticorum, propterea facta, etiam componere.* Sic Bulla.

5. Ex his Commissarius Generalis Bullam Compositionis Ordinat, aliquosque assignat casus, in quibus compositio locum habet; plures tamen inveniuntur in summario Bullæ Hispanæ Compositionis. Cùm tamen hoc privilegium compositionis in ea non inveniatur adeo amplum, ut in Bulla Lusitana; ut decursu hujus disput. videbimus, dum de singulis casibus agemus, & specialiter *sect.* 26. omnes tamen casus, qui ab illo Commissario designantur, in suo summario Bullæ Compositionis, super quibus compositio fieri potest; à nostro Lusitano designari etiam poterant; quia ad id facultatem

tem habet; ut inquit Escobar *in Theol. morals tom. 1. l. 7. n. 394. in fine*: Summarium verò Bullæ Compositionis, sic est.

6. *Francisco Correa de Laterda, &c. Declaramos, que toda apessoa, que seachar obrigada arestituir bens das qualidades abaixo nomeadas, eder de esmola hum tostam, pera aditta obra pia, fique desobrigada desta restituiçam, ate contia de sinco mil reis; e sentindose obrigada a major restituiçam, que ados sinco mil reis; pella mesma authoridade Apostolica, avemos por bem, que tantas, quantas vezes tomar esta Bulla, eder a ditta esmola, fique livre de outra tanta restituiçam de sinco mil reis, ate contia de cem mil reis. E quem se sentir obrigado arestituiçam, que passe da ditta contia de cem mil reis; pagara dous tostoens porcada sinco mil reis, a respeito da contia, que passar de cem mil reis, ate duzentos mil reis. Epassando daqui, recorrera à nos, pera com nosco se compor; eos bens, emque podesser Lugar aditta composiçam, conforme o que S. Santidade determina, e declara, sao os seguintes.*

7. *Primeiramente, dos fructos dos beneficios Ecclesiasticos mal recebidos, por de feito venso rezar as horas Canonicas; ha S. Santidade por bem, que restituindose ametade delles as Igreias, ou Lugares Ecclesiasticos, por cuio respeito cerria obrigaçam derezar; a outra ametade, Sede por inteiro, pera este socorro dos Lugares de Africa; ou se faça sobre os taes fructos, composiçam; demaneira, que por ella possam osque assim se compuzerem, ficar tambem Livresda parte, que deviaõ à Igreia: Pelloque opoderam fazer sobre todos os ditos fructos, na forma por nos acima declarada. Item se poderam compor sobre os fructos Ecclesiasticos mal avidos, por estarem ligados com censuras, epenas, com que os nam podiam fazer seus. Item, sobre ametade detodos os Legados, que forem feitos, em descargos de conzas mal levadas, e acquiridas; se as pessoas aque sedeixam ditais Legados, forem negligentes, por hum anno, na cobrança delles. Item sobre quaesquer legados ja deixados, que durante a Bulla sedeixarem; esse os Legatarios senam poderem achar, feita primeiro diligencia; pello Commissario Geral, ou por seus subdelegados. Item sobre quaesquer bens mal avidos, Levados, ou acquiridos por onzena, ou por qualquer outro modo illicito, por qualquer forma, officio, contracto; com tanto, que feita adevida diligencia, senao ache, nem conste da pessoa, ou pessoas, a que sedeva fazer restituiçam, como muitas vezes acontece nas conzas, que se acham, se lhe nam sabe proprio dono, feita adevida diligencia; E nosque dum damno com ofeu gado, ou andando acaça; e nam thespode constar aquem; enos que vendem amvitos por falsos pezos, ou medidas, ou conzas falsificadas, ou mistutadas, etiam podem restetuir as mesmas pessoas, que defraudaram; com outros muitos cazos, que cada hum sentindose encarregado pode, e deve consultar com seu confessor, ou outras pessoas doutas, pias, e prudentes. E declaramos, que nam ha Lugar esta composiçam, nos bens mal avidos, ou acquiridos em confiança, ou esperança della; E que toda a pessoa, que quizar desta graça de se compor, sobre alguns bens, tomando a Bulla de composiçam, na forma sobredita, hadetomar premeiro a Bulla principal da Cruzada; porque de outra maneira, nam pode ter effeito agraça da composiçam. Emandamos sob pena de Excomunham major Lata sentenia, que nenhum Commissario, Pregador, Thesoureiro, ou Recebedor da Santa Cruzada, se entrometa a fazer, nem faça composicam alguma, em qualquer forma, que seia: pois a pessoa que tiver necessidade, de se compor, em major quantidade do contendo nesta Bulla, hade recorrer a Nos, como assima se declara. E osque se compuzerem na forma que aqui damos, tomaraõ esta Bulla impressa, escrevendo nella oseu nome, ovem Lugar dovome, sepera* Toam *por Letra demam, nam querendo as partes, que se declarem seus nomes, &c.* Ad hujus expositionem accedamus.

SECTIO I.

Qui possint Bullam Compositionis concedere?

8. HÆc quæstio procedit circa tria personarum genera. Circa S. Pontificem, circa Episcopum, & circa Principem temporalem Laicum. Sub Episcopo veniunt omnes habentes jurisdictionem quasi Episcopalem. Sub nomine Principis temporalis comprehenduntur Reges, & omnes alium superiorem temporalem non agnoscentes. Circa hæc tria genera personatum, sunt sequentia quæsita.

9. Inquires primò: An S. Pontifex Bullam compositionis possit concedere? Prima sententia negat; fundatur, quia S. Pontifex non est Dominus bonorum illorum, super quibus fit compositio: ergo sine voluntate dominorum, non valet compositionem indulgere. Sic aliqui apud Medin. *Codic. de restit. q. 3. casu.* 11.

10. Secunda Sententia affirmat, data rationabili causâ, & proportionata: at videtur docere, non esse proportionatam eleemosynam taxatam in summario Bullæ compositionis, cùm sit adeo exigua ad remissionem notabilem, quæ debetur. Sic dubitare videtur Sot. *in 4. dist. 21. q. 2. art. 4.* Banês *in 1. 2. q. 62. art. 5. dub. 8. conclus. 3.* & alii apud citandos.

11. Tertia sententia asserit, S. Pontificem posse compositionem concedere, & ad illam concedendam, habere rationabilem, & sufficientem causam. Sic docent plures, quos refert, & sequitur Henriq. *l. 7. de indulg. cap. 34. n. 5.* Sayr & Villal. quos affert, & sequitur Trullench. *in Bulla l. 3. dub. 1. n. 2.* Ludovic. à Cruc. *disp. 3. dub. 1. n. 10.* Card. de Lug. *tom. 1. de just., disp. 6. num. 150. & disp. 21. à n. 92.* Dicastill. *de just. & jur. tom. 1. l. 2. tract. 2. disp. 9. dub. 14. num. 371.* Bardi *part. 3. tract. 5. differt. 1. cap. 1. à num. 8.* Mendo *disp. 32. n. 2.* Castr. Palao *tom. 4. tract. 25. de Bulla Cruciat. punct. ult. §. 1. n. 4.* Escobar *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. num. 392.* & alii.

12. Hæc sententia est certissima. Probatur primò à posteriori, quia S. Pontifex ab hinc multis annis, Bullam compositionis concedit: Ergo impium est dicere, quòd tot Pontifices fecerunt, sine potestate fecisse. Secundò probatur, quia S. Pontifex est dispensator bonorum subditorum ad finem Spiritualem; ergo ex circunstantiis potest judicare, expedire ad bonum commune, quod pro minore quantitate condonetur major: si enim pro magna eleemosyna concederetur compositio, non curarent debitores de compositione per Bullam: at cùm videant ex parva eleemosyna liberari à magna obligatione,

tione, ad se componendos concurrunt. Tertiò probatur, quia etiam non deest causa pia, & proportionata ad compositionem faciendam; nam ex iis Eleemosynis, quamvis Levibus, consurgit magna quantitas ad subventionem locorum Africæ, quorum defensio in bonum commune fidei, & Religionis resultat. Aliæ rationes, quæ hic adduci poterant, videri possunt *disp.* 1. *n.* 28.

13. Dices: Pauperes sunt domini bonorum iniquè acquisitorum, quorum dominus ignoratur, ut constat *ex cap. Cùm tu de usur.* Ergo cum illis debeantur, super illis non potest fieri compositio. Respondeo, pauperes non esse dominos illorum bonorum ex jure naturali, aut divino; sed ex jure positivo: Cùm autem S. Pontifex sit conditor juris positivi Ecclesiastici; potest ex justissima, & honestissima causa, in illo dispensare; & concedere eorum bonorum compositionem. Ex dictis patet solutio ad rationes pro prima, & secunda sententia, adductas *n.* 11. & 12.

14. Inquires secundò: An Episcopus in sua Diœcesi possit Bullam compositionis concedere? Prima opinio tenet, posse. Sic Henriq. *l.* 7. *de indulg. cap.* 33. *n.* 4. Villal. *tom.* 1. *tract.* 29. *n.* 11. Trullench. in Bulla *l.* 3. *dub.* 1. *n.* 3. Dian. 4. *part. tract.* 4. *resol.* 112. Mend. *disp.* 32. *n.* 17. eandem videtur sequi. Bardi *part.* 3. *tract.* 5. *dissert.* 1. *cap.* 2. *n.* 3. & 4. quamvis expresse id concedat de jure naturali, & divino, & citat Ludovic. à Cruce *disp.* 3. *dub. n.* 4. Probant quia sicut S. Pontifex potest concedere Bullam compositionis, quia illi incumbit consulere conscientiis omnium fidelium incerta debentium; ita etiam Episcopo incumbit providere conscientiis suorum subditorum circa ea bona: Sed S. Pontifex, ut administrator bonorum, quæ in opera pia, vel in pauperes sunt distribuenda, ex præsumpta voluntate veri domini, concedit Bullam compositionis, ut proximè vidimus: Ergo etiam id poterit Episcopus.

15. Neque dicas, Episcopum nunquam has compositiones concessisse: Ergo signum est hanc potestatem non habere. Non inquam, hoc dicas; quia ex non facto non benè arguitur eas non posse facere. Aliter respondent Mend. *n.* 20. & Trullench. *loco cit.* nempe. Episcopum non posse facere eas compositiones de facto, ubi Bulla compositionis valet, quia illi prohibitum est: nam Commissarius compositiones aliter factas asserit fore irritas; ergo si hæc prohibitio non daretur, vel ignorantia, ac scrupulus eorum, qui nesciunt eam potestatem habere illam, posset concedere.

16. Secunda tamen, & negativa sententia mihi placet: Cum limitatione tamen *infra n.* 30. adducenda; illam defendunt Sylvest. *Verb. restitutio* 8. §. 8. Navarr. *de orat. notab.* 21. *n.* 62. *in fine* Rodrig. *in explicat Bulla compos. n.* 6. Castr. Palao *tom.* 4. *tract* 23. *de Bull. Cruciat. punct. ult.* §. 1. *n.* 5. Cardin. de Lug. *de just. & jur. disp.* 21. *n.* 107. Escob. *in Theol. morali tom.* 1. *l.* 7. *n.* 393. ex ea ratione, quia Commissarius Hispanus prohibet omnibus sub pœna excommunicationis facere compositiones; & si illas faciant, essent irritæ.

17. Sed hac omissa ratione, ex eo quòd in nostra Bulla non detur ea prohibitio, nec irritatio; nec illa sit efficax, ut *infra* videbimus; ex alio capite ostenditur: Quia si Episcopus possit concedere compositionem, ex eo esset; quia propter bonum commune potest disponere de bonis subditorum: Sed hoc est falsum, quia hic modus disponendi pertinet ad Rempub. vel ad Principem Supremum propter dominium altum, quod retinet ad suos subditos; vel etiam ad S. Pontificem, quatenus indirectè potest res temporales gubernare, quando ad bonum spirituale id est necessarium; vel possit compositionem concedere; quia illa debita incerta jam pertinent ad opera pia; quæ ex præsumta creditoris voluntate in illis sunt expendenda. At etiam hæc Episcopus non potest componere: Quia non potest alterare hanc creditoris præsumptam voluntatem: nam ad solam sedem Apostolicam pertinet, ut definitur *in Clem. quia contigit de Relig. domib*; ibi: *Cùm ea, quæ ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (salva Sedis Apostolicæ authoritate) converti*: Deinde jus positivum ea bona decernit esse pauperibus distribuenda; ut *in cap. Cùm tu de usuris cap. cum sanè* 14. *q.* 5. & aliis. Episcopus autem juri communi non potest contravenire, sed stare illius dispositioni. An verò possint compositionem concedere circa inventa; vide *infra n.* 30.

18. Ex his patet solutio ad fundamentum contrariæ sententiæ *n.* 14. non enim valet dicere: Sicut ad S. Pontificem incumbit omnium fidelium conscientiis consulere, ita etiam incumbit Episcopo: nam licèt hoc sit verum; non tamen inde sequitur; quòd sicut S. Pontifex potest concedere compositionem super bonis illicitè habitis; ita etiam possit Episcopus; quia hoc illi in jure communi à S. Pontifice est prohibitum, ut vidimus.

19. Nec verum reputo: Commissarium in verbis: *Mandamos com pena de excommunham maior lata sententia, que nenhum Commissario, Pregador, Thesoureiro, Recebedor da Santa Cruzada, se entrometa afazer, nem faça compoficam alguã em qualquer forma que seja, pois apessoa que tives necessidade em maior quantia deconteudo nesta Bulla, hade recorrer allos.* &c. prohibere Episcopis facere compositionem, ut existimavit Mendo *dict. disp.* 32. *à n.* 11. & Escobar. *proximè* ex similibus verbis, quæ dantur in Bulla Compositionis Hispana: Quibus adduntur hæc: *Y la composicion que de otra manera se hiziere, sera en si ninguna, Y de ningun effecto.* Quæ in Bulla compositionis Lusitana deficiunt; quia hæc verba non ad compositiones ab Episcopis, sed ad prædictos nominatos referuntur, sicut etiam excommunicatio lata, ut inquit Mend. non ad Episcopos, juxta ea, quæ diximus contra ipsum Mend. *disp.* 23. *n.* 225. Quare non ex eo capite sunt compositiones Episcopis prohibitæ, sed ex jure communi, ut *supra* ostendimus, & ideo si ab illis concederentur. essent irritæ, & nullius valoris.

20. Imò addo, si à jure communi Episcopi non prohiberentur compositiones concedere, non obstantibus prædictis verbis Commissarii Hispani, illas facere posse. Ratio est, quia Commissarius solùm potest impedire, seu suspendere illas gratias, & facultates, ad quas suspendendas, potestatem habet à Sum. Pontifice: at solùm habet potestatem, ad suspendendas, & impediendas eas, quæ à S. Pontifice, sede Apostolicâ vel ejus authoritate, immediatè sunt concessa locis, & personis particularibus; compositiones verò, quæ ab Episcopis, ut Episcopi sunt, concederentur; non à Sede Apostolicâ immediatè emanarent, sed ab Episcopis: Ergo, quæ ab Episcopis concederentur, à Commissario non possent impediri: nec suspendi. Ex eo ergo capite, quòd ex jure, illis sit prohibitum, concedere compositiones; dicendum est, illas non posse concedere Episcopos.

21. In-

21. Inquires tertiò: An Principes seculares supremi possint compositionem possidenti concedere? Ante resolutionem, supponendum est, bona incerta in duplici esse differentia; alia juste acquisita, vel absque fraude possessa; alia verò acquisita injustè, vel cum fraude possessa.

22. Hoc supposito: Tres invenio opiniones. Prima absolute affirmat, sive bona incerta sint justè acquisita, & absque fraude possessa, sive injustè acquisita, & cum fraude possessa. Sic Mend. *in Bulla disp.* 32. *à n.* 30. *usque ad* 38. idem videtur asserere Henriq. *l.* 7. *de indulgentiis cap.* 33. *n.* 3. dum idem affirmat sine aliqua distinctione; & probabile esse, posse Regem facere compositionem, tam super licitè, quàm super illicitè acquisitis, existimat Escobar *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 817. tametsi dicat, propter decentiam, libenter admittere non posse compositionem facere, super illicitè acquisitis.

23. Secunda opinio absolutè negat. Sic Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *de Bulla Cruciatæ punct. ult.* §. 1. *n.* 5. quia, stante lege Pontificia, *supra* allatâ, de rebus incertis, sive benè, sive malè acquisitis, non potest Rex compositionem concedere. Idem videtur sentire Bardi *part.* 3. *tract.* 5. *dissert.* 1. *cap.* 2. *n.* 8. quatenus inquit, non posse compositionem concedere, de debitis incertis, ex delicto; quia extant canones, per quos Pontifex statuit, quid sit faciendum, ut *supra* vidimus. De aliis verò, quæ ex delicto non sunt acquisita; licèt non habeamus legem canonicam; quæ ex illis disponat; extat tamen consuetudo, ut applicentur piis operibus; & cùm causa sit Spiritualis, ad S. Pontificem pertinet, cujus munus est, saluti fidelium providere, ut asserit Less. *l.* 2. *cap.* 14. *dub.* 6. *num.* 40.

24. Tertia demum opinio, distinctione utitur: Inquit enim, posse à Rege concedi compositionem de bonis incertis, licitè acquisitis; non tamen de illicitè habitis. Sic Ludovic. à Cruc. *disp.* 3. *dub.* 3. *num.* 2. Trullench. *in Bullam l.* 3. *dub.* 1. *n.* 4. Rodrig. *in Bulla compositionis* §. *unic. n.* 7. Dicastill. *tom.* 1. *de just. l.* 2. *tract.* 2. *disp.* 9. *dub.* 14. *num.* 371. Escobar *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 393. & apud illum Henriq. *l.* 7. *cap.* 3. *n.* 4. Villal. *tract.* 29. *n.* 10. Absolutè tamen negat absque licentia Pontificis.

25. Cardin. de Lug. *tom.* 1. *de just. disp.* 21. *n.* 109. alia utitur distinctione: Ait enim, utraque bona considerari posse in duplici statu: primò, quando datur spes illa restituendi vero domino; & quandiu dominus non vult, quòd in pios usus distribuantur: secundò, quando canon datur spes, & præsumitur Dominus velle, quod ad pios usus applicentur. In primo statu, inquit, factâ diligentia, posse Regem facere compositionem cum possessore rei incertæ. In secundo verò statu, non posse; nam res destinata ad res pias, non ad Principem sæcularem, sed ad Supremum Ecclesiæ Pastorem spectat; qui hanc sibi compositionem reservavit. Sic Cardin. de Lug.

26. In hac tanta opinionum varietate, judico, Regem posse concedere compositionem possessori, circa res inventas animatas, ut oves, & alia animantia mansueta, quorum Dominus, factâ diligentia, non invenitur, tam in his Portugalliæ Regnis, quàm in Hispania; non verò potest compositionem concedere, de aliis rebus incertis, sive sint illicitè, aut injustè, sive licitè, & justè acquisitis.

27. Prima pars ostenditur: Nempè, posse Regem, de his animantibus, compositionem concedere inventori: Ratio est, quia Rex, vel supremus Princeps potest, ad bonum commune, factâ diligentia, & non invento Domino, disponere de illis animantibus, ad utilitatem Reipublicæ; ut const. *ex Ordin. l.* 3. *tit.* 49. circa inventa, quæ vulgò vocantur *do Vente*, hoc est, de invento, de quibus diximus *disp.* 18. *sect.* 12. *n.* 278. & in Hispania *l.* 6. *&* 7. *nova recopil. tit.* 13. ergo etiam potest Rex, compositionem concedere. Sic docent Villal. *tract.* 29. *n.* 10. & apud ipsum Cordub. & Lopes, quibus accedit Turrian. *de just. disp.* 41. *dub.* 2. *n.* 5. *&* 6. quos referunt, & sectantur Mend. & Escobar *locis proximè citatis.*

28. Secunda pars probatur: Scilicet, non posse Principem compositionem concedere; de aliis bonis incertis, sive sint illicitè, sive injustè acquisitis: Quia de his bonis, extant canones, ut *supra* vidimus, in quibus S. Pontifex disponit, hæc bona esse pauperibus distribuenda. Cum verò hæc dispositio sit ad conscientiæ exonerationem, illi standum est.

29. Adverte, nomine *pauperum*, in illa canonum dispositione, venire alia, & quæcumque opera pia, ut tenent Petrus Navarr. *l.* 4. *de restit. cap.* 2. *n.* 40. Dicastill. *de justitia tom.* 1. *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 9. *n.* 397. Card. de Lug. *tom.* 1. *de just. disp.* 6. *sect.* 12. *n.* 148. *Vers. infero* 3. & alii communiter.

30. Si verò bona incerta sint licitè, & justè acquisita, non potest Princeps de illis compositionem concedere. Quia si juxta probabilem, & communem opinionem, inventor teneatur ad illa distribuenda pauperibus, vel locis piis, cùm non detur lex Pontificia, quæ de his disponat, & sit causa Spiritualis, ad Episcopum pertinet, de his disponere bonis; & potest de illis compositionem concedere. Ratio est, quia hunc casum plures Episcopi sibi reservant, ne distributio fiat per inventorem. Imò inventa jubentur tradi Provisori, coram notario sui Officii, & illo absente, ipsi Parocho: ut ab Ordinariis, in operibus piis, distribuantur. Unde hæc bona, quoad dispositionem, & distributionem, ad Principem sæcularem non pertinent. At cùm hæc inventa, juxta aliam opinionem, possunt ab inventore retineri, cum intentione domino ea tradendi, cùm comparuerit, tunc non datur locus compositioni. Hæ opiniones videri possunt *supra disp.* 18. *sect.* 12. *n.* 284. *& seqq.*

31. Ex hac resolutione constat, quid sit respondendum, ad oppositas sententias. Ad distinctionem Cardin. de Lug. rectè respondet Bardi *supra n.* 8. nam in primo statu, in quo datur spes inveniendi proprium dominum; nec Princeps sæcularis, nec etiam Ecclesiasticus potest compositionem concedere; quia hæc tantùm habet locum, quando nulla datur spes, proprium inveniendo dominum. Si verò detur secundus status à Cardinali consideratus; cùm præsumatur creditor velle, in ejus utilitatem spiritualem ea bona expendi, tunc non ad Principem sæcularem, sed ad Ecclesiasticum, ea compositio pertinet, eo modo, quo vidimus *proximè.*

32. Ex dictis in hac sectione sequitur, posse Commissarium Generalem bona incerta componere: Cùm enim sit ad hoc opus delegatus Pontificis, & Pontifex possit compositiones facere; sic etiam potest ejus delegatus. Et cùm habeat facultatem à S. Pontifice ad omnia, quæ fuerint necessaria,

ria, & opportuna ad expeditionem Bullæ; Bullas conficit Compositionis; quæ à Thesaurariis petentibus distribuuntur; & ipsis, pro singulis, eleemosyna erogatur. Dummodo quantitas componenda, non excedat eam, pro qua Bullæ conceduntur: ut *infra* videbimus. Nullus alius virtute Bullæ potest bonorum incertorum compositionem concedere; & si aliquis eam concedat, irrita erit compositio. Imò excommunicationem incurrent, ipso facto, sub Commissarii, Concionatores, Thesaurarii, & Receptores S. Cruciatæ, illam concedentes; ut expressè ex verbis *num.* 19. allatis constat.

SECTIO II.

Quænam conditiones requirantur, ut Bulla compositionis prodesse valeat?

33. NOnnullæ requiruntur conditiones, ut quis compositione uti valeat. Prima est, ut antequam componatur, vel Bullam accipiat compositionis, sumere debeat Bullæ summarium principale, seu ut dicitur, Bullam vivorum; aliàs non potest gaudere privilegio Compositionis, sic disponente, authoritate Pontificis, Commissario, in ipsa Bulla Compositionis, ibi: *Equetoda apessoa, que quizer gozar desta graça, desecompor sobre alguns bens, tomando a Bulla de Composiçam, na forma sobre dita, ha de tomar primeiro a Bulla principal da Cruzada; porque de outra maneira, nam pode ter effeito a graça da Composiçam.* Quod iterum admonet, in Advertent. ad Bullam accipientes, per hæc verba: *Toda apessoa, que se quizer compor, hade tomar primeiro a Bula da Cruzada, edespois a Bulla da Coupositam, porque sem ada Cruzada, the nam val ada Composiçam.*

34. Quidam tamen Bullas quasdam Compositionis accepit, quin prius Bullam vivorum, seu illius summarium accepisset; quia hanc conditionem necessariam ignorabat. Interrogavit, an post sumptionem Bullæ vivorum, teneatur iterum alias sumere Bullas Compositionis, si quidem, præceptæ, seu sumptæ ante Bullam vivorum, illi prodesse non poterant? Respondi, post acceptationem Summarii Bullæ communis vivorum, posse prædictas Bullas compositionis, ante dictum Summarium sumptas, post hujus acceptationem, illas cum fructu retinere. Ratio est, quia prima sumptio illarum Bullarum compositionis, ab illo non fuerunt validè acceptatæ; quia defuit conditio necessaria à Commissario requisita, nempè habere Summarium Bullæ communis vivorum: ergo cùm non fuissent, validè ab eo acceptatæ; illas poterat alteri applicare, qui jam haberet Summarium Bullæ communis; ut in simili diximus *supra disp. 6. num.* 29. de amico, vel patre, qui Bullam accepit, pro amico, vel filio, qui eam jam habebat: ergo si alteri eas Bullas compositionis potest applicare; etiam validè post sumptionem Summarii Bullæ communis, illas sibiipsi poterit applicare; ne Commissarius datis eleemosynis, pro illis Bullis compositionis, immeritò gaudeat.

35. Secunda conditio est; ut recipiatur hæc Bulla Compositionis impressa, nomine, & sigillo Commissarii Generalis signata; juxta *infra dicenda sect.* 9. Ratio est, quia id expressè admonet Commissarius, in ipsa Bulla Compositionis. Unde quamvis eleemosyna designata, pro qualibet Bulla, erogetur Receptori; si tamen hæc Bulla, vel tot correspondentes quantitati debitæ, non accipiantur, compositio non habebit effectum.

36. Quæres: An ut aliquis privilegiis Bullæ Compositionis fruatur, non solùm sit necessarium recipere, sed etiam conservare hoc Summarium Bullæ compositionis? Respondeo, aliquibus videri, esse necessarium, quia ea conditio apponitur in Bulla communi, & principali, ut vidimus *supra disp. 6. num.* 44. & hæc est illius pars.

37. Dicendum tamen est, non esse necessarium illud servare; primò, quia hoc onus non apponitur à Commissario: ergo non est imponendum illud recipientibus. Secundò, quia datur ratio cur sit necessarium conservare Summarium Bullæ communis, & Principalis, non verò ad conservandum Bullæ compositionis summarium. Et est hæc, quia in Bullæ communis & principalis summario, dantur multa privilegia, quæ habent tractum successivum pro toto anno; nam potest quis, durante anno, nunc uti hoc, & postea alio privilegio; & sic congruum fuit, ut id à Commissario mandaretur, ne aliquis in privilegiis erraret: at Summarium Bullæ compositionis, cùm unicam tantùm contineat gratiam, non habet tractum successivum, sed momentaneum; quod acceptum, statim suum causat effectum: unde potest rumpi, & aliquando erit utilius, ne peccatum manifestetur. Sic docent expositores Bullæ Hispanæ, *in* qua sicut in nostra, non præcipitur *hujus summarii* conservatio, Bard. *part.* 3. *tract.* 5. *dissert.* 1. *cap.* 2. *num.* 24. Mend. *disp.* 22. *num.* 52. Tamborin. *tract. de Bullâ cap.* 15. §. 5. *n.* 4.

38. Tertia conditio requisita est: ut in ipsa Bulla compositionis inscribatur nomen illius, qui compositionem intentat, sive expressè, sive confusè. Sic disponit Commissarius Generalis in ipsa Bulla compositionis, in hæc verba: *Eosque secomposerem na forma, que aqui damos, tomaram esta Bula impressa, escrevendo nella oseu nome, ou em lugar do nome, se pora Foam por letra demam; nam querendo as partes, que se declarem seus nomes.* De qua *disp.* 6. *n.* 69.

39. Quæres tamen: An habeat desideratum effectum Bulla compositionis, si in ea nomen componentis, nec expressè, nec confusè inscribatur? Et ratio dubitandi est, quia si in Summario Bullæ communis, nomen accipientis non inscribatur, illius gratiis, & privilegiis non fruitur; ut disponit Commissarius, in ipsa Bulla communi, & vidimus *disp.* 6. *n.* 60. Ergo cùm Bulla compositionis sit pars Bullæ communis, si in ea nomen componentis expressè, vel confusè non inscribatur, Bulla compositionis nullum sortiretur effectum.

40. Hâc non obstante patitate: Respondeo, si nomen sumentis Bullam compositionis, in ipsa Bulla non inscribatur, adhuc gaudere privilegio compositionis. Ratio est, quia quamvis à Commissario dicatur, ut in ipsa Bulla compositionis, nomen sumentis inscribatur, non tamen annullat, aut irritat compositionem; at irritat susceptionem Bullæ communis, si nomen illam sumentis, non inscribatur. Et sic docent Expositores Bullæ Hispanæ, eo quòd nec in Bulla Hispana communi, nec in Bulla compositionis, apponatur aliqua clausula irritans susceptionem, si nomen non scribatur. Vide Mend. *disp.* 21. *n.* 12. Esse tamen necessariò

cessariò inscribendum, judico, quia id præcipit Commissarius.

41. Ratio ergo, cur Commissarius Lusitanus præcepit, ut nomen scribatur, est ne distributor Bullarum alii eam Bullam præstet, accepta duplici Eleemosyna, pro eadem Bulla; cùm rationem reddat, per Bullas sibi traditas, & consumptas; huic verò fraudi occurritur, per inscriptionem nominis; & per inscriptionem nominis in confuso, nempe *Foam* consulit honori, & famæ componentis, cui convenit, ne peccatum illius manifestetur; quod inconveniens non datur, in accipiente Bullam communem: Quare in hac proprium nomen debet inscribi; in illa verò compositionis sufficit, quòd inscribatur *Foam*, si ita componenti placuerit.

42. Quarta conditio est, ut aliena non surripiantur ex confidentia istius Bullæ compositionis. Ita habetur expresè in ipsa Bulla compositionis, ibi: *Edeclaramos, que nam ha lugar esta composiçam nosbens mal avidos, ou acquinaridos em confiença, ou esperança della.* Hæc conditio non exprimitur in Bulla Latina Lusitana, ut Legenti patebit; nec etiam in Bulla Latina Hispana, ut rectè advertunt Mend. *disp.* 33. *n.* 41. Escobar. *in Theol. moral. tom.* 1. *lib.* 7. *n.* 428. Uterque tamen Commissarius illam apposuit in summario Bullæ compositionis; quia facultatem hanc declarandi ea quæ obscurè in Bulla Latina, latent; dummodo declaratio non sit contra verba, vel mentem Bullæ: Cùm ergo hæc declaratio non sit contraria menti Pontificis: & maximè sit necessaria; ab utroque Commissario meritò fuit apposita. Sic juxta Bullam Hispanam Mend. & Escob. *locis citatis* Rodrig. *cas.* 19. *n.* 75. & alii.

43. Quare non rectè. Abrev. *de Paroch. l.* 10. *cap.* 13. *n.* 564. *in fine*, hæc verba scribit: *Quamvis enim in nostra, id non caveatur*, (nempe, ut bona incerta habita in confidentiam,) *ut cavetur in Bulla Castellæ: Ratio postulat, ut ita fit, ne Bulla fiat vinculum iniquitatis. Non auderem tamen damnare compositionem suppositò, quòd non cavetur.* Hæc Abreu, sed non rectè, ut dixi; quia tam Bulla Lusitana, quàm Hispana Latina, & illarum summaria æquè procedunt: Ergo si omnes expositores Hispani ex verbis, quæ dantur in suo summario sentiunt, non prodesse Bullam compositionis, ad bona surrepta, aut quocunque modo occupata, in confidentia hujus privilegii, idem etiam dicendum, juxta Bullam Lusitanam. Non enim datur major ratio.

44. Notandum tamen est, licèt Bulla, seu privilegium compositionis non faveat surripienti ex confidentia, favere autem illi, qui cum confidentia hujus Bullæ surripit. Quid autem sit operari ex confidentia, aut cum confidentia, dixi *disp.* 15. *sect.* 82. *in principio.*

55. Ex hac quarta conditione, sequitur primò illum, qui ex confidentia Bullæ, occupavit bona aliena, quorum dominum ignorabat, posse per se vel per alium adire Commissarium Generalem, explicatâ suâ confidentiâ, & ab eo compositionem poscere. Ratio est, quia Commissarius si velit, potest, inspectis circunstantiis, & designatâ Eleemosynâ erogandâ, compositionem concedere; quia conditio, ex confidentia, non fuit à Sum. Pontifice in Bulla Latina, apposita; sed ipse Commissarius illam in summario Bullæ compositionis apposuit: Ergo in aliquo casu, illam tollere potest; quia in sua Lege, & prædecessorum dispensare potest. Additur, quòd illa conditio videtur esse appósita, ad expellendos eos, qui per confidentiam positivam, ea bona aliena habuerunt, & per Bullas se volunt componere: non verò ad illos, qui recurrunt ad Commissarium, ut cum ipso compositionem faciant. Sic tenent Mend. *dict. disp.* 53. *n.* 43.

46. Secundò sequitur, esse confidentiam, illam compositionem impedientem, quam quis habuit, dum aliena furatur ab illo, quem cognoscit: Sperat tamen, decursu temporis, esse ignorandum, ut per Bullam componi possit. Sic Mend *proximè*, Tamborin. *tract. de Bulla cap.* 18. §. *n.* 3. *vers. Esse etiam.*

47. Tertiò sequitur, non posse, uti Bulla compositionis illum hæredem, qui non vult solvere Legata, tempore debito, sed illa retinet, ut postea utatur Bulla compositionis. Ratio est, quia hoc non est solùm retinere, sed in radice est furari. Sic Tamborin. *proximè n.* 5. Quæ autem sint hæc Legata, dicemus *infra sect.* 29.

48. Quartò sequitur, illum, qui non statim restituit bona incerta pauperibus, aut locis piis, cùm possit, spe obtinendæ compositionis per Bullam, posse per illam componi. Ratio est, quia verba Commissarii, in Bulla compositionis solùm excludunt spem, & confidentiam in usurpatione, seu acceptatione injusta, & non in retentione. Sic Sebast. à Costa *q.* 92. Cardin. de Lug. *dict. disp.* 21. *n.* 137. Bardi *dict. part.* 3. *tract.* 5. *differt.* 1. *cap.* 2. *n.* 16. Tamborin. *ubi supra n.* 4. & apud illum Ludovic. à Cruce *disp.* 3. *dub.* 5. Escobar. *in Theol. Moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 396. & apud ipsum Rodrig. *hic n.* 75.

SECTIO III.

Quæ personæ Bullâ compositionis gaudere possint?

49. HUjus quæstionis resolutio dependet ab illa; a quibus Bulla communis, & principalis utiliter accipi possit? De qua *disp.* 2. *diximus*; nam omnes illi, qui eam sumere possunt utiliter, etiam eodem modo, hanc compositionis suscipere valent. Sic Rodrig. *in Bullam Compositionis n.* 12. Henriq. *l.* 7. *cap.* 34. *n.* 3. Trullench. *l.* 3. *dub.* 2. *n.* 1. Bardi *part.* 3. *tract.* 5. *differt.* 1. *cap.* 2. *n.* 11. Mend. *disp.* 33. *n.* 47. Escob. *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 395.

50. Ratio est, quia hæc Bulla compositionis est pars Bullæ communis: Ergo, qui illam possunt accipere, possunt etiam, Bullam compositionis. Quod tamen intellige, juxta *dicta sect. præcedente, n.* 33. & 42. nam non sufficit, posse Bullam communem, & principalem accipere, ut Bulla compositionis cum fructu accipiatur, sed requiritur ulterius, ut de facto Bulla communis, & principalis accipiatur; quidquid sit de Bulla Hispana, in qua non datur prima conditio, de qua *Sect. præcedente in principio*, ut ex citatis Expositoribus colligitur.

51. Ex his sequitur, quid sit dicendum de Catechumenis, de exteris, de absentibus, de Religiosis, & hæreticis; nam juxta dicta in ea *disp.* 2. constat, quid sit dicendum de Bulla compositionis, quoad illius fructum; & utilitatem: si enim Bulla communis non potest accipi cum fructu à prædictis, & de facto non accipitur; etiam cum fructu Bulla

compositionis non sumitur. Aliquas tamen conclusiones ex doctrina tradita in ea *disp.* 21. aperiò, claritatis gratia.

52. Dico primò: Ad Bullam compositionis accipiendam, non requiritur status gratiæ. Ratio est manifesta, quia per compositionem, non remittitur aliqua pœna, pro peccatis, debita: Ergo peccatum non obstat. Unde usurarii, & quicunque alii peccatores possunt, privilegio compositionis gaudere. Imò quicunque excommunicati: Quamvis enim aliquæ excipiantur excommunicationes, à quibus excommunicati, virtute Bullæ, non possunt absolvi, nulla tamen impedit compositionis privilegium.

53. Dico secundò: Si infantes, & amentes ex aliqua hæreditate, aliqua bona incerta habuerint, possunt tutores, aut curatores compositionem, super illis facere, per Bullas, vel cum Commissario, juxta illius dispositionem, & dicenda *infra Sect.* 9. Ad hanc tamen compositionem, non requiritur, quòd tutor, aut curator habeat Bullam communem, & principalem; quia non nomine proprio, sed pupilli, aut amentis compositionis negotium gerit; requiritur tamen, ut ipse pupillus, aut amens illam habeant, quia ad illos compositio spectat.

54. Dico tertiò: Quamvis absentes, & exteri non possint privilegio Bullæ compositionis gaudere, nisi ad hæc Regna, & dominia, in quibus publicatur Bulla, declinent, & ibi utramque Bullam, & communem, & compositionis accipiant: attamen Lusitani, & alii Regis Portugaliæ subditi, in alieno dominio, in Indiis orientalibus mercimonii causa, non tamen, animo ibi permanendi, degentes, nec non commorantes in Conquistis, & Mauritana Lingitina; nam sicut possunt accipere Bullam communem, & principalem, quin declinent ad Loca, ubi Bulla promulgatur, ut vidimus *disp.* 3. *Sect.* 5. & 6. ita etiam, quin ad ea Loca declinent, possunt, per alium, accipere Bullam compositionis, & illius frui privilegio; dummodo prius Bullam communem accipiant; ut vidimus *n.* 33.

55. Dico quartò: Omnes, qui pecunias, instrumenta, scripturas, aut aliqua alia bona, ad Cruciatam pertinentia, surripuerint, aut retinuerint scienter, & illa Commissario, aut ab eo deputatis, non propalarint, non possunt privilegio compositionis ad bona incerta, & alia in Bulla compositionis contenta, frui; Quia in Bulla Latina disponitur, & declaratur, hos tales non posse privilegiis ejusdem Bullæ gaudere: Unum autem privilegium est, compositio ab illicitè habitis &c. Quare non solùm indulgentiis, & absolutione gaudere non valent; ut asserit Commissarius, in advertentiis ad sumentes Bullam, per hæc verba; *E outro si sejam amo estados, que toda apessoa que furtar dinheiro da Cruzada, ou outra qualquer couza aella pertencente; alem da excommunham major, que incorre, conforme os Breves Apostolicos, Ihe nam vallem as indulgencias, que nella sua Santidade concede, nem os Confessores os podem absolver neste cazo, sem restituirem tudo, oquetiverem furtado*; Sed nec Bulla compositionis, nec aliis quibuscunque privilegiis, in Bulla contentis.

56. Dico quintò; Defunctus antequam obeat, utiliter potest jubere suo hæredi, vel alteri, tam in testamento, quàm extra illud, ut pro exoneratione suæ conscientiæ, tot Bullas sumat compositionis, juxta quantitatem, quam dominis debet incertis: aut tot accipiantur, quot ex consultatione sapientum, judicaverit, esse sumendas; si Bullam communem, & principalem habeat. Ita Henriques. *l.* 7. *cap.* 34. *n.* 3. Trullench. *in Bullam l.* 3. *dub.* 2. *n.* 1. Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 18. §. 7. *n.* 6. Escob. *ubi supra dict. n.* 395. Ratio est, quia vivus illas sumit per suum procuratorem, ad id destinatum, post suam mortem; sicut etiam potest vivus jubere alicui, ut Bullam, pro defunctis, suo nomine, sumat, ut *infra* dicemus, quod rite, & utiliùs faciet, sumendo illas, suo nomine.

57. Scio, Mend. *disp.* 33. *n.* 50. oppositum docere, motum ea ratione, qua *disp.* 4. *cap.* 5. docuerat, Bullam communem vivorum defuncto non prodesse, ad ullum effectum, nempe, ut absolvatur ab excommunicatione, aut tempore interdicti, in loco sacro sepeliatur. Hæc tamen ratio probat tantùm non posse alium pro defuncto cum fructu Bullas compositionis sumere; vel aliquam compositionem, nomine defuncti, cum Commissario facere; quando defunctus ante mortem id non jussit. Quod etiam concedimus cum Trullench. & Tamborino *cit. locis*: at non probat, quòd ipse defunctus, antequam obeat, habens Bullam vivorum, id non possit jubere, ut compositio fiat post mortem nomine ipsius: ut cum Rodrig. docet Escobar. *Loco cit.* Ratio est, quia hæc gratia compositionis ad vivos, & defunctos est communis; & non est ad absolutionem excommunicationis, quæ expressè est concessa pro vivis, Bullam habentibus; & idem est de sepultura, in loco Sacro, quæ tempore interdicti, conceditur illi expressè, qui vivus Bullam habebat; Sic etiam, qui habet Bullam vivorum, potest jubere suo hæredi, vel petere ab amico, ut post mortem, nomine suo, Bullam defunctorum accipiat, ut *disp. sequenti* dicetur.

58. Ex his infertur, non posse hæredem, aut testamentarium, aut quemlibet alium Bullas compositionis, pro defuncto, sumere; si ille dum vivus, id non jusserit; quia hoc beneficium, non defunctis, sed vivis conceditur, etiam in casu, quòd ipse sumens Bullas, & defunctus Bullam communem, & principalem vivorum habuissent. Poterit tamen ipse hæres, vel testamentarius, pro seipso, Bullas compositionis sumere, pro bonis incertis, à defuncto sibi relictis; dummodo Bullam communem vivorum habeat; quia sic super bonis incertis, cujus dominus sciri non potest, & apud se inveniuntur, componitur. Sic Trullench. & Tamborin. *locis cit.* de hoc tamen *infra* redibit. Sermo.

SECXIO IV.

An debitor, compositione utens per Bullas, aut cum Commissario, tutus maneat in conscientia.

59. Aliqui authores dubitarunt, de hac compositione; nam Henriques *l.* 7. *de indulgentiis cap.* 34. *n.* 6. *in fine*, inquit: *Quidam authores docti trepidant, & obmurmurant.* Et Sylvest. *in summ. Verb. Restitutio* 8. §. 8. cum D. Antonin. referente alios 2. *part. tit.* 2. *cap.* 6. negat, esse licitam compositionem; quando dubium est, an debitor possit restituere totum, apud Mend. *disp.* 33. *n.* 34. At Sylvest. id non asserit *cit. Loco*, sed

id

id ex Archid. refert. Sot. tamen *in 4. dist. 21. q. 21. art. 4.* videtur dubitare, & plus Ledesma; Navarr. *cap. 17. n. 83.* inquit, valere compositionem, si non sit indiscreta, ut si remittantur viginti, pro quatuor; & citat Cajetan. 2. 2. *q. 100. art. 1. ad 7.* asserentem, non manere tutum in conscientia usurarium, qui cum Papa componit quindecim, pro quatuor. Penâ ait, se divitem non absolvere, pro tam parva compositione, nisi restituat medietatem, aut ampliùs. Omnes hi authores citati inveniuntur apud Henriques *dict. cap. 34. n. 4. in Gloss. Lit. E.* & Villal. *tom. 1. tract. 29. n. 1.*

60. Dicendum tamen est, tutum manere in conscientia illum, qui per Bullas compositionis, modo *infra* tradito, aut cum Commissario, super debitis incertis, compositionem facit. Sic docent Henriq. *l. 7. cap. 34. n. 5.* Trullench. *in Bull. l. 3. dub. 3. n. 4.* Cardin de Lug. *de just. disp. 6. n. 150.* Dicastill. *tom. 1. de just. l. 2. tract. 2. disp. 9. n. 371.* Franciscus Amic. *tom. 5. de just. & jure disp. 61. dub. 12.* Mend. *disp. 33. n. 35.* Bard. *part. 3. tract. 5. dissert. 1. cap. 2. n. 8.* Idem tenet A Costa. *q. 90.* Escobar. *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 392.* & apud ipsum Sayr. *in clavi l. 10. tract. 5. cap. 2. n. 23.* Villal. *tract. 29. à n. 2.*

61. Probatur primò, ex communi praxi fidelium judicantium, se esse tutos in conscientia, cùm bona incerta componunt, virtute Bullæ compositionis, vel cum Commissario, & illis assentiunt docti, sapientes, & timorati confessarii; qui hac via illis faciliùs consulunt. Secundò probatur, quia Commissarius has compositiones concedit, authoritate S. Pontificis; & nefas est, negare, illum non posse concedere eam potestatem.

62. Tertiò, quia bona incerta, jure naturali, pertinent ad rempubl., ut tenet Soto *in 4. dist. 21. q. 2. art. 4.* Ergo per Principem, qui rempublicam gubernat, possunt, ad bonum ipsius reipublicæ, converti: Sed S. Pontifex est Princeps universalis reipublicæ Christianæ; Ergo sicut *in cap. Cum tu, de usuris*, Alexander III. ea bona pauperibus applicavit, ita etiam illa possunt alii Pontifices applicare, ad subventionem militum, qui Loca Africana ab hostibus fidei defendunt.

63. Dices: Hæc omnia esse vera: at compositio, quæ fit per Bullas, aut cum ipso Commissario, condonatur magna pars debitori, v. g. usurario, pro minori parte; quæ compositio non videtur discreta. Sic D. D. initio *Sect. cit.* maximè Sot. & Cajetan. Et hoc ostenditur, quia Dominus eorum bonorum eam compositionem non faceret: Ergo nec Princeps illam facere potest. Respondeo, eam compositionem esse discretam; primò, quia si non esset discreta, debitor non maneret tutus in conscientia, & deciperetur à Pontifice, inducente Commissarium, ad compositiones, quæ non reddunt debitores tutos in conscientia: Hoc autem dicere, non caret temeritatis nota.

64. Respondeo secundò, quamvis eleemosyna duorum argenteorum cum dimidio, hoc est *bum tostam* videatur modica, pro debito quinque millium regalium, hoc est *finco mil reis*; in se est maximè considerabilis; & ex illa summa magna congregari potest, ad pium opus. Accedit, quòd in designatione illius parvæ Eleemosynæ, utilitati fidelium consulitur: Nam cùm homines bona, quæ semel illicitè acquisierunt, difficilè restituant, data hac compositione, per illam parvam eleemosynam, faciliùs à retentione alieni liberantur; & ad Dei gratiam restituuntur. Sic Acosta. *q. 91. vers. Tertia conclusio*, & alii.

SECTIO V.

In quibus bonis incertis locum habeat compositio?

65. QUoniam solùm, pro bonis incertis, compositio conceditur; exponere oportet, quænam sint hæc bona incerta. Hæc autem bona, seu debita incerta dicuntur illa, quæ sunt sub alicuis dominio, dominus autem illorum ignoratur. Hæc autem sunt in duplici differentia: vel enim sunt habita illicitè, hoc est cum peccato: vel absque peccato; ac proinde habita licitè. Si sunt habita illicitè, ex jure communi debentur, vel Ecclesiæ, vel pauperibus, aut piis operibus; & super his bonis, conceditur compositio; quia cùm S. Pontifex sit horum bonorum administrator; potest compositionem concedere; & illam concedendi, facultatem Commissario præstat.

66. Unde quamvis in Bulla concedatur compositio, super medietate Legatorum, non ignorato Legatario, quando ipse per annum negligens fuit, in Legatis recuperandis: hæc tamen Legata in radice, sunt incerta; quia à testatore fuerunt relicta, in restitutionem bonorum incertorum, quæ debebat: Ergo solùm, pro bonis incertis, conceditur compositio.

67. Si autem bona incerta, sine peccato habeantur, aliqua utendum est distinctione: Nam vel ea bona incerta, ita se habent, ut eorum dominus, humano modo, inveniri non possit; ut est Thesaurus ita antiquus, ut de ejus domino, notitia haberi non valeat: de hoc enim non datur compositio, sed pertinet ad eos de quibus diximus *disp. 18. Sect. 12. n. 278. & seqq.* At si bona incerta sint ejus conditionis; ut quamvis de præsenti dominus ignoretur, illius tamen cognitio non excedit humanam facultatem, ut sunt inventa; juxta probabilem opinionem allatam *dicta disp. 18. Sect. 12. n. 289.* inventor, Bullâ Compositionis non indiget; quia post debitam diligentiam, domino non invento, ea bona ab inventore possunt retineri; cum intentione, ea reddendi domino, cùm comparuerit.

68. Et hæc sententia etiam Locum habet, quando ea bona ex Rege sunt addicta præfecto captivorum, ut in hoc Regno, existimo esse praxim; deductam *ex Ordin. l. 1. cit. 89. §. 1.* quia non obstantibus hac, & aliis dispositionibus, circa hæc bona, in Regnis Hispaniæ, asserunt Mend. *disp. 33. n. 19.* Tambor. *tract. de Bull. cap. 18. §. 1. n. 15.* non dari obligationem in conscientia, tradendi ea bona inventa illis, quibus à Pontifice, vel à Rege sunt applicata; ex ea ratione, quia inventor, juxta prædictam opinionem, ea bona inventa licitè retinere potest. Excommunicatio autem à Pontifice lata, & leges à Rege pro Regnis Hispaniæ, sunt intelligenda, juxta aliam opinionem; quæ certò est communis, & probabilissima: Ergo etiam idem dicendum de dispositione facta in hoc Regno, ut dicta bona præfecto captivorum tradantur.

69. Addunt tamen Trullench. in Bull. *lib. 3. cas. 14. n. 14. in decal. l. 7. sect. 3. cap. 9. dub. 5. n. 4.*

n. 4. & apud illum Salonius 2. 2. q. 66. art. 5. controv. 1. fol. 1316. Sayr. in clau. Reg. lib. 50. tract. 4. cap. 2. n. 32. quos sequitur Mend. proximè num. 23. Bardi part. 3. tract. 5. dissert. 2. cap. 5. n. 11. inventorem, qui hæc bona, ex vi prædictæ sententiæ, sibi applicavit, teneri comparente domino ea ipsi restituere, si transactum non sit tempus necessarium ad præscribendum, seu usucapiendum, juxta tempus à legibus definitum: at si post id tempus, dominus compareat, restitutionem illi non teneri. Probant, quia ante tempus præscriptionis, dominium rei inventæ erat apud proprium dominum; non verò post præscriptionem; quia jam ad inventorem est translatum.

70. Hæc tamen Doctrina mihi non videtur vera. Ratio, est quia ad legitimam præscriptionem, requiritur, ut res possideatur, ut sua ab habente illam, & non alterius nomine: at inventor, non nomine proprio illam possedit, sed nomine Domini comparentis; nempe, sub conditione, si dominus comparuerit, illi eam traditurus: quocumque ergo tempore, quo dominus compareat, illi ab inventore est tradenda. Sic Tamborin. ubi supra n. 17.

71. Hæc sunt dicta, juxta sententiam asserentem inventorem posse sibi prædicta bona retinere; nam si loquamur juxta communem sententiam docentem, illa bona inventa non posse retineri ab inventore, sed post exhibitam diligentiam, esse pauperibus distribuenda; adhuc est dubium, an possint per Bullam componi. Ratio dubitandi est: quia in Bulla Latina, solùm conceditur facultas Commissario, componendi bona illicitè acquisita; sed bona inventa, & deposita, quorum dominus ignoratur, non sunt illicitè acquisita: ergo per Bullam non possunt componi. Ita docent Sayr. in clauſ. Reg. l. 10. tract. 5. cap. 2. n. 30. Petr. Navarr. l. 4. de restit. cap. 21. dub. 9. n. 75. quos refert, & sequitur Fragos. tom. 2. disp. 7. n. 37.

72. Hàc nonobstante sententia, & ratione; dicendum est, ea inventa benè posse per Bullam componi. Sic Molin. tract. 2. disp. 748. n. 6. Trullench. in Bullam lib. 3. dub. 4. n. 2. in fine. Bardi part. 3. tract. 5. dissert. 2. cap. 5. num. 11. Mend. disp. 34. n. 177. in fine. Tamborin. tract. de Bull. cap. 18. §. 4. n. 18. Abreu de Paroch. lib. 10 n. 562. in fine. Escobar. in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 401. non tamen Sayr. ab eo citatus; quia videtur stare pro oppolita sententia, loco à Fragos. adducto. Eandem nostram docent alii communiter.

73. Ratio est, quia concedens, quod est majus, censetur concedere, quod est minus; sed S. Pontifex concedit facultatem Commissario, ad compositionem, super illicitè acquisitis: ergo etiam censetur eam concedere, super acquisitis licitè. Major, quamvis non semper valeat à majori ad minus; quando tamen datur eadem identitas rationis, valet; hîc tamen hæc datur identitas, ut jam supra diximus disp. 22. num. 122. dari in eo, qui est dispensatus in jejuniis quadragesimalibus ad ova edenda, censeri etiam dispensatus ad illa comedenda, in ejusdem Quadragesimæ Dominicis, & sic in similibus. Et hanc sententiam sequitur Commissarius, dum in Bulla Compositionis asserit, super his inventis, concedi compositionem, per hæc verba: *Como muitas vezes acontece nas confas que ſcacham, ſe the nam ſabe proprio dono ſeita a divida diligencia*; quod etiam disponit Commissarius Hispanus.

SECTIO VI.

Quis dicatur creditor incertus, ut licitè fiat compositio?

74. *Sectione præcedente*, diximus de incertitudine, prout se tenet ex parte rei; in præsenti, de eadem erit sermo, prout se tenet ex parte domini rei, cujus ratione, ipsa res dicitur incerta. Quæ ad hanc quæstionem pertinent, declarationem sequentia quæsita præstabunt.

75. Quæres primò: quæ diligentia requiratur, pro inveniendo domino rei, ut non invento, aut cognito, possit licitè fieri compositio? Respondeo, illam requiri, quam vir timoratus, consideratis quantitate, & qualitate rei, loci, & temporis, &c. apponeret in re sua. Diversa enim requiritur diligentia ad inveniendum dominum torquis, aut adamantis pretiosi, quàm ad dominum unius, aut alterius aurei. Adeoque in casibus particularibus, arbitrio prudentis viri, consideratis circumstantiis, diligentia mensuranda est.

76. Quæres secundò: A quo exhibenda sit hæc diligentia? Respondeo, esse exhibendam à Commissario, & receptore, quando legatarii non inveniuntur, & fit compositio, super legatis, & super illicitè habitis. Ita habetur expresse in Bulla Latina, & in summario Bullæ communis, & principalis: at in summario Bullæ compositionis aliqua datur distinctio: in compositione enim legatorum, non inventis legatariis, dicitur, diligentiam esse exhibendam à Commissario, vel ab eorum subdelegatis: in illicitè verò habitis, seu malè acquisitis, quorum domini ignorantur, asserit, componentem debere consulere suum confessarium, viros doctos, & prudentes. Et sic habet praxis.

77. In Bulla verò Latina Hispana, aliud est dispositum, circa hanc diligentiam; nam sufficit in dictis casibus, quòd constet per juramentum componentis, se creditorem non invenire. In praxi autem, quando compositio fit per Bullas; satis est, debitorem, seu componentem diligentiam fecisse. At si immediatè fiat compositio, cum ipso Commissario; à debitore, seu componente, juramentum exigit. Sic Trullench. l. 3. in Bullam casu 1. Tamborin. tract. de Bull. cap. 18. §. 5. n. 1. De aliis autem casibus, in quibus conceditur compositio diligentia prædicta non requiritur, ut infra constabit.

78. Quæres tertiò: An quando creditor est certus, quantitas autem debita, incerta, detur locus compositioni? Respondeo, non dari. Ratio est, quia compositio conceditur à S. Pontifice, quando creditor est incertus: in præsenti autem casu est certus. Quòd verò quantitas debita sit incerta, non est circumstantia cadens super creditorem, sed supra ipsam quantitatem; quæ pro qualitate dubii, est dividenda, inter creditorem, & debitorem. Ita Trullench. in Bull. l. 3. dub. 4. n. 6. cum Ludovic. à Cruce in expoſit. Bull. disp. 3. dub. 7. & dub. 1. n. 1. quibus addo Bard. part. 3. tract. 5. dissert. 1. cap. 1. n. 19.

79. At Tamborin. supra n. 5. ex Henriq. l. 5. de indulgen. cap. 13. §. 5. inquit (non rectè citato Henriq. id tamen docet loco mox citando quia eo loco nihil habet, circa hanc quæstionem,) debere debitorem, quando dubitat, an debeat decem, quin-

quindecim, aut viginti, aut nihil creditori, debere illi dare aliquid juxta prudens judicium, spectato dubio, & rei quantitate, & de reliquo componi; & rationem reddit, quia de eo, quod est reliquum verè nescitur dominus. Ab hoc asserto non multum distant Villal. *tom.* 1. *tract.* 29. *num.* 13. Henriq. *l.* 7. *de indulg. cap.* 33. *n.* 1. asserentes, aliqua parte verò Domino redditâ, de reliqua posse debitorem componi.

80. Hoc tamen non placet; quia dominus etiam quoad reliquum, etiam scitur; & solùm dubitatur de quantitate, & summa debita: ergo per Bullam non potest componi: quæ solùm compositionem concedit, quando dominus ignoratur; & non quando summa debita. Quare juxta regulas restitutionis, se debet componere cum creditore, & non per Bullam: Et si dubitat de tota summa, & facta diligentia, adhuc manet dubius, nihil debet restituere; quia melior est conditio possidentis; si autem est certus, de aliqua summa debita, & solùm dubitat, de quotâ quantitatis, juxta dubii qualitatem, debet restituere verò domino; quia jam possessio non stat pro debitore, sed pro creditore. Et nunquam, per Bullam potest componi, cùm certus sit dominus, ut dictum est.

81. Quæres quartò: An si post adhibitam diligentiam, constet, dominum rei illicitè acquisitæ, esse unum ex duobus, tribus, aut quatuor, fieri valeat compositio? Respondeo, non valere. Ita Henriq. *l.* 7. *de indulg. cap.* 35. *n.* 1. Sot. *l.* 4. *de just. q.* 7. *art.* 1. *in solut. ad* 3. *argumentum, versus finem.* Molin. *de just. tract.* 2. *disp.* 745. *n.* 2. Dicastill. *de just. & jur. l.* 2. *tract.* 2. *disp.* 9. *dub.* 14. *n.* 391. Trullench. *in Bull. l.* 3. *dub.* 4. *n.* 6. Bardi *part.* 3. *tract.* 5. *dissert.* 1. *cap.* 1. *n.* 18. Tamborin. *tract. de Bullâ cap.* 18. §. 5. *n.* 2.

82. Ratio est, quia non potest dici dominus incertus, quando constat, ad unum illorum rem pertinere. Quare pro ratione dubii inter eos est dividenda, aut illis tradenda, ut inquit Molin. cit. & Petrus Navarr. *l.* 4. *cap.* 2. *n.* 52. Rebell. *de oblig. just. l.* 2. *q.* 12. *sect.* 3. *n.* 22. & alii, ut inter ipsos, vel dividant pro quantitate dubii, transactionem, seu compositionem faciant. Si autem post hanc transactionem, aut divisionem factam, ex communi sensu, verus dominus innotescat, nihil illi debetur; quia per compositionem, seu transactionem fuit jus dubii quasi venditum. Sic Molin. *cit.* & Castr. Palao *tract.* 31. *de just. & jure disp. unic. punct.* 19. *n.* 1.

83. Si verò constet, dominium rei illicitè acquisitæ pertinere ad unum, ex decem, viginti, centum; tunc pensandæ sunt circumstantiæ humano, & morali modo à prudenti judicio, spectatâ personarum qualitate, rei quantitate, ut dominus discerni valeat. Si autem adhuc dubium persistat: existimo, adhuc non dari locum compositioni; sed res, per transactionem, & sortes, inter ipsos, circa quos dubium versatur, determinanda est, juxta ea, quæ ex Molin. *proximè* diximus.

84. Quæres quintò: An si aliquis, in aliqua civitate, aut oppido, plures defraudaverit in pondere, mensurâ, aut aquam admiscendo vino: ignorat tamen personas particulares, quibus damnum est illatum, potest Bullâ compositionis frui? Villal. *tract.* 29. *n.* 36. Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *de Bull. punct. ult.* §. 2. *n.* 15. asserunt, non esse locum compositioni. Probant, quia notum est, damnum datum esse illi civitati, aut oppido: ergo illis facienda est restitutio damni illati; faciendo, quòd pondus, aut mensura accrescat, vel in pretio decrescat.

85. Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 18. §. 5. *n.* 8. & apud illum Card. de Lug. *de just. disp.* 6. *sect.* 12. *n* 133. & Rodrig. *in declarat. Bullæ Compos. casu* 14. *in principio* sustinent, esse locum compositioni. Moventur, quia quando ex variis civibus, aut oppidanis, pars læsa est incerta, & non agnoscuntur, qui passi sunt damnum; ea bona illicitè acquisita debentur pauperibus, vel operibus piis; ergo super illis, per Bullam, potest fieri compositio.

86. Quamvis prædictas opiniones existimem probabiles, probabilius tamen mihi videtur, aliqua esse utendum distinctione: si enim sit conjectura, eosdem in ea taberna plus, minusve perseverare ementes, illis facienda est restitutio, auferendo de pretio; vel mensuram, seu pondus augendo; ita ut ad æqualitatem accedat restitutio: Si tamen de aliquibus defraudans recordetur, qui non ita continuatè accedunt ad emendum, illis debent suæ portiones servari. Aliquid tamen est servandum, de tota illa summa, quam defraudans restituere tenetur; quantùm æstimet pertinere ad illos, qui ignorantur, & non accedunt ad emendum; & hoc juxta arbitrium boni viri: & de hac parte, potest per Bullam, componi. Sic ex doctrina Molin. *dicto tract.* 2. *disp.* 745. *n.* 4. colligitur. Et in hoc sensu intelligo prædictas sententias, & verba Bullæ compositionis: *Enosque vendem ameitos, per falsos pezos, ou medidas, ou couzas falsificadas, ou misturadas; enam podem restituir as mesmas pessoas, que defraudaram.*

87. Cæterum, si damnum illatum est communitati, Urbi, aut oppido, vel confraternitati, accipiendo ab eorum cumulo aliquam pecuniam, vel eleemosynas; ipsi cumulo, & ipsis communitatibus facienda est restitutio: & de ipso illicitè accepto, fieri nequit compositio; quia non ignoratur dominus. Sic Cardin. de Lug. & Tamborin. *locis cit.*

SECTIO VII.

An quando dominus est certus, sed est absens, possit uti Bulla Compositionis?

88. IN hac quæstione conveniunt D. D. primò, non sufficere solam distantiam inter creditorem, & debitorem, ut detur compositio per Bullam; quia ubi datur debitor certus, non conceditur compositio.

89. Secundò conveniunt: quando ex pacto fuit conventum, ut res debita tradatur creditori existenti loco distante, expensis debitoris; ad id tenetur debitor, quamvis expensæ sint nimiæ.

90. Tertiò conveniunt; quando res debita, fuit illicitè habita, nempe per furtum, aut usuras teneri debitorem per suas expensas regulariter, si eas habeat, mittere illam ad creditorem, quamvis longissimè distantem. Sic Navarr. *in man. cap.* 27. *n.* 42. & 43. Fragos. *part.* 2. *disp.* 7. *n.* 41. Bardi *part.* 3. *tract.* 5. *dissert.* 1. *cap.* 1. *n.* 17. Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 18. §. 5. *n.* 4. Abreu *de Paroch. l.* 10. *n.* 565.

91. Dissidium tamen est: An quando res est

debita domino absenti, debitor tamen non tenetur propriis expensis illam mittere; & si illam mittat, majores sunt expensæ insumendæ, quàm ipsa res valeat, detur locus compositioni, per Bullam? Prima opinio negat. Ita Sot. *in* 4. *dist.* 21. *q.* 2. *art.* 4. Bardi *loco cit.* Probat Sot. quia hoc debitum non est absolutè, & simpliciter incertum, sed certum: per Bullam verò, solùm incertorum conceditur compositio. At Bardi id probat; quia licèt in multis circumstantiis debitor, propter nimiam distantiam, excusetur à restitutione, ut videre est, in materia restitutionis; & possit eam differre, usquedum occasionem habeat restituendi rem domino; si tamen nulla detur spes, quòd res valeat, ad Dominum pervenire; per Bullam nequit fieri compositio, sed pauperibus est eroganda, id enim probat ratio à Soto adducta.

92. Secunda tamen opinio est communis inter D. D. asseritque, posse prædictam rem per Bullam componi. Ita Ludovic. à Cruce *disp.* 3. *dub.* 6. Henriq. *l.* 7. *cap.* 33. *n.* 1. Rodrig. *in explicatione Bullæ compos. dub.* 2. Villal. *tract.* 29. *num.* 13. Trullench. *l.* 3. *dub.* 4. *n.* 6. Acost. *q.* 95. Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *de Bull. Cruciat. punct. ult. §.* 1. *n.* 2. Fragos. *tom.* 2. *disp.* 7. *de Bull. n.* 48. Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 18. §. 5. *n.* 4. Abreu. *de Paroch. l.* 10. *n.* 565. Escobar. *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *num.* 423. & probabilem dicit Bardi ubi *supra dict. num.* 17. *prope finem.* Probatur, quia cùm in præsenti casu, nulla detur spes, ut restitutio, ad Dominum pervenire valeat; debitum humano, & morali modo reputatur incertum: ergo per Bullam, componi potest.

93. Hanc secundam sententiam judico probabiliorem, & ultra prædictam rationem, hanc exhibeo: Bulla compositionis conceditur pro bonis, quæ debentur Ecclesiæ, pauperibus, aut piis operibus, ut certum supponit. Mend. *disp.* 33. *n.* 25. & docet Escobar *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *num.* 402. & apud ipsum Rodrig. §. *Unico n.* 34. *&* 46. Sed prædicta res, seu debitum, ad creditorem longissimè distantem, pertinens in circumstantiis, quibus nequit ad Dominum pervenire, debetur pauperibus, ut docent Scoto *in* 4. *dist.* 15. *q.* 2. *art.* 4. Richard. *ibidem* Covarr. *regul. peccatum part.* 2. §. 1. *n.* 3. Angles *in floribus* 4. *sentent. q.* 3. *de restit. art.* 2. *difficult.* 16. *conclus.* 2. Bardi *cit.* Card. de Lug. *de just. tom.* 1. *disp.* 31. *n.* 101. *Vers. cæterum*, & alii communiter; Ergo per Bullam potest componi.

94. Ut hæc tamen sententia locum habeat, dicendum est primò: Si debitum sit tanti momenti, ut præsumatur Domini voluntas, nolle dari pauperibus, nec componi per Cruciatam, retinendum est; donec detur aliqua opportuna occasio, in qua, sine sumptibus adeo magnis perveniat ad Dominum. Sic aliqui ex præcitat. authoribus, *ultimo loco citatis.*

95. Dicendum secundò: si bona debita, etiam illicitè acquisita, sint exigui valoris; non tamen ad Dominum pervenire possunt, nisi magnis expensis; tunc vel possunt pauperibus distribui, vel per Bullam componi. Sic Fragos. *cit. dictum.* 48.

96. Dicendum tertiò: Si bona sint illicitè acquisita, sive justè postea; & illorum Dominus non potest reperiri, nec illius hæredes; tunc potest per Bullam fieri compositio; quia cùm prudenter præsumatur, jam obiisse, & non inveniantur hæredes; illa bona sunt verè incerta; quia Dominus illorum ignoratur. Sic Bardi *dict. n.* 17. *in fine*: Idem dicendum quando hæres certus mortuus est, at hæredes inveniri non possunt. Ad fundamenta adducta *n.* 91. constat ex dictis, quid sit respondendum.

SECTIO VIII.

An facta compositione per Bullam, si Dominus compareat, obligetur componens ad restitutionem?

97. Hæc quæstio est gravissima, & authores in varias dividuntur sententias. Illas propono, & postea meam aperiam.

98. Prima sententia defendit, post diligentem inquisitionem verum Dominum inveniendi, & non invento, si compositio fiat per Bullam, & postea Dominus compareat, teneri compositum in foro conscientiæ omnia, super quibus, fuit compositus, si adhuc extent, Domino tradere; si verò jam sint consumpta, omne id, in quo factus est ditior. Sic Cæt. 22. *q.* 62. *art.* 6. Cordub. Covarr. & alii, quos refert, & sequitur Rodrig. *in Bull. Compositionis dub.* 6. *num.* 8. Villalob. *tract.* 29. *num.* 9. Ludov. à Cruce *in expos. Bull. disp.* 3. *dub.* 4. *num.* 2. Molin. *de just. tract.* 2. *disp.* 748. *num.* Fragos. *tom.* 2. *disp.* 7. *num.* 40. Et hanc sententiam esse tenendam, & consulendam, tenet Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *de Bull. Cruciat. punct. ult.* §. 1. *num.* 7. Fr. Joseph Mendes *sect.* 2. *de Bull. Compos. num.* 3. *fol.* 119. & apud ipsum Turrian *de just. disp.* 45. *dub.* 1. *n.* 18. Lessius, Nunús, & alii.

99. Probant, quia S. Pontifex per compositionem, nec intendit, nec intendere potest tollere jus alienum; quando ergo eam concedit compositionem, in Bulla, ea concessio intelligitur sub conditione, nempe: Si Dominus non comparuerit. Conveniunt tamen citati authores, non teneri debitorem, qui per Bullas se composuit, conferre Domino illas eleemosynas, quas dedit in receptione illarum Bullarum; ne aliàs compositio cedat in damnum illius, qui se componit. Sic Nunús *tom.* 2. *in* 3. *part. q.* 29. *dub.* 2. & alii.

100. Secunda sententia sustinet, comparente Domino, compositum manere liberum, in foro conscientiæ: si tamen in foro externo à Domino conveniatur, poterit à judice cogi, ut ea bona, sive justè, sive injustè acquisita, super quibus se composuit, persolvat. Et dum sententia, aut per judicem, aut per Commissarium tenetur in utroque foro ea bona Domino proprio tradere. Sic Escobar. *in Theol. moral. l.* 7. *n.* 404. *&* 820. idem etiam sustinent Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 18 §. 5. *n.* 10. *&* 11. Mendo *disp.* 33. *n.* 27 citantes pro hac sententia Henriq. *l.* 7. *de indulg. cap.* 34. *num.* 6. Acost. *in Bull.* 93. Trullench. *ibidem l.* 3. *dub.* 4. *num.* 6. Cardin. de Lug. *de just. tom.* 1. *disp.* 21. *sect.* 7. *num.* 105. & alios plures: sed non rectè; nam Henriq. Acost. & Cardin. de Lug. *locis citatis*, conveniunt cum asserto Mend. & Tambor. in parte 1. nempe; quòd compositus in foro conscientiæ sit liber, non tamen conveniunt in eo, quòd possit à judice cogi, ut ea bona, sub quibus fuit compositio, persolvat: Ut mox constabit *ex n.* 104. *& seqq.*

101. Pro-

101. Probant primò citat. authores hanc sententiam, quoad primam partem, nempe: Compositum manere liberum in foro conscientiæ. Primò, quia S. Pontifex est administrator bonorum temporalium, quando hæc concernunt bonum spirituale; sicut respublica, seu Princeps sæcularis, quando ea bona concernunt bonum publicum ipsius reipublicæ: sed respublica potest transferre dominia, mediâ præscriptione: ergo etiam S. Pontifex mediâ compositione.

102. Secundò probant; quia si compositus ea bona pauperibus distribuisset, (ut poterat) nihil deberetur domino comparenti: ergo idem dicendum, factâ compositione, per Bullam; quia illa bona jam sunt, per Bullam, divisa inter compositum, & subventionem locorum Africæ. Confirmant, quia S. Pontifex non concedit hanc compositionem, sub conditione, *si dominus non compareat*: nam ea conditio in Bulla non ponitur: & cùm privilegia Bullæ sint amplè, & non strictè interpretanda; absolutè, & non sub conditione, sunt intelligenda.

103. Probant secundam partem, nempe: Compositum posse cogi per judicem, ut rem justè, vel injustè acquisitam; & per Bullam compositam, reddat domino: quia compositio solùm facta fuit, pro foro conscientiæ: sicut etiam, per judicem cogitur justè compensatus, in vase argenteo; quòd aliam non habens viam, suas recuperandi pecunias, à debitore clam abstulit, ut domino tradat; cùm non habeat, pro foro externo, quo se defendat.

104. Tertia sententia est Henriq. *dict. l. 7. de indulg. cap. 24. n. 6.* absolutè asserentis, comparente domino, non teneri compositum per Bullam restituere rem, nec in foro conscientiæ, nec externo, nec per judicem ad id cogi posse: per hæc verba: *Possessor justa compositione, rem habitam non debet domino postea comparenti; quia resp. & Papa ex predicta causa donare, remittere, & transferre potest dominium absolutè in possessorem bona fide; sicut si hic ea incerta distribuisset minutatim in pauperes, aut si confessarius, seu Episcopus huic possessori, tanquam pauperi applicasset; non debetur restitutio domino comparenti: nec per judicem, compellet dominus, quamvis probet Petrum, res illas habuisse, & distribuisse; sic omnes intelligunt, non esse piam fraudem. Et in gloss. litt. E.* plures citat. In quibus verbis nota illa; *Nec per judicem, compellet dominus, quamvis probet; &c.* sentit ego Henriq. compositum per Bullam, non posse cogi à judice, ut rem habitam, comparenti domino persolvat: ergo quoad hanc partem, non benè citatur pro secunda sententia. Idem etiam docent Bannès 2. 2. *q. 6. art. 5. dub. 8.* apud Escobar. *cit. n.* 819. Abreu *de Paroch. l. 10. n. 336.* & alii, quos refert, & sequitur Bardi *part. 3. tract. 5. dissert. 1. cap. 3. n. 13.*

105. Quarta demum sententia convenit cum secunda, & tertia asserendo, compositum non teneri ea bona, in foro conscientiæ, domino comparenti persolvere. Et idem concedit pro foro externo, si constare possit in eodem foro, compositionem legitimè factam fuisse, & in hoc discriminatur à secunda (quamvis re ipsa videantur coincidere) Ita A Costa *q. 93. & 94. vers. Præterea*, per hæc verba: *Postquam Commissarius authoritate Pontificis, eum, qui componitur, à debito liberat; non relinquitur ille ulterius in aliquo foro obligatus ad obligationem debiti. Atque huc spectant diligentia, & examina, qua S. Pontifex jubet, ut præcedant compositiones per ipsos Commissarios faciendas; nam cum is, qui rite componitur, authoritate Commissarii in foro exteriori, liber maneat à debito; debet Commissarius præmittere judicialem indaginem, per testium instrumentum, ut sententia sua definitivâ judicet bona, de quibus fit compositio, cadere in compositionem, proindeque virtute illius debitorem liberum esse à restitutione.*

106. Idem tenet Cardin. de Lug. *tom. 1. de just. disp. 21. sect. 7. n. 105.* in hæc verba: *Infero secundò, hanc compositionem, si debito modo fiat; posse prodesse, non solùm pro foro interno; sed etiam pro foro externo.* Et post pauca, ad hoc intentum prosequitur: *Quod confirmari potest, quia pars illa, qua ipsi Cruciata applicatur à debitore, compositionem faciente, non videtur dubium, quòd si ex testimonio Commissarii legitimè constet datam fuisse; acceptabitur in foro externo, ut non ulterius; pro illa parte, vexetur. Si ergo de applicatione residui sibi à Pontifice, vel Commissario factâ, legitimè constet, cur non acceptari poterit, etiam in foro externo?*

107. Idem etiam statuit Castro Palao *tom. 4. tract. 25. de Bull. Cruciat. punct. ult. §. 1. n. 8.* quamvis *n. 9.* asserat, posse judicem, positâ informatione à Commissario facta, vel esto data non sit, judicare juxta opinionem, quæ sibi verior, aut probabilior visa fuerit; & sic si judicet, juxta primam sententiam, tenetur debitor, seu compositus, obedire. Quia præceptum non præsumptioni falsæ, sed probabili nititur.

108. Denique Bardi *part. 3. tract. 5 dissert. 1. cap. 1. n. 21.* existimat, si in foro externo constare possit, compositionem legitimè factam esse, pro foro externo, faveret composito, seu debitori: at non videt, quomodo id constare valeat: quia si compositio fuit facta per Bullas, nescitur intentio compositi; si per Commissarium, solùm constabit de substantia, non verò de debito, pro quo fuit compositio. Unde resolvit, has compositiones esse solùm pro foro conscientiæ. Et sic coincidit cum secunda sententia *n.* 100. His allatis sententiis, & D. D. placitis, quid tenendum sit, per sequentes conclusiones, aperiemus.

§. Unicus.

Aliquibus conclusionibus quæstio dirimitur.

109. Dico primò: In quacunque ex præfatis sententiis, certum est, compositum non teneri restituere domino comparenti eam partem, quam in subventionem locorum Africæ impendit. Ratio est jam assignata in prima sententia. Ita Nunùs Rodrig. Castr. Palao. Fragos. & alii *locis citatis.*

110. Dico secundò: Etiam certum est, nullam superesse obligationem restituendi domino comparenti; quæ post compositionem factam à composito, sunt consumpta; si ditior non fuit factus. Ratio est, quia factâ compositione bonâ fide, ea bona possedit, & consumpsit: at possessor bonæ fidei non tenetur restituere ea, quæ consumpsit, si in nihilo factus est ditior. Sic Rodrig. Villal. *cit.* Henriq. *l. 7. cap. 34. n. 4.* Castr. Palao *cit. n. 6.* & alii.

111. Dico tertiò: Etiam est certum, compositum esse liberum à restitutione, si post compositionem factam, tempus præscriptioni necessarium cur-

rit: Quia ubi datur bona fides, optimè potest dari præscriptio: ergo si de facto detur, non datur obligatio restituendi. Sic in præsenti Villal. *cit. dict. tract.* 29. *n.* 9. circa tempus ad præscriptionem requisitum, vide *Ordin. l.* 4. *tit.* 71. Molin. *tract.* 2. *disp.* 78.

112. Dico quartò: Qui per Bullam fuit compositus in foro conscientiæ, nihil tenetur restituere Domino comparenti. Hæc est contra authores citatos pro prima sententia; astruitur tamen à sectatoribus secundæ, tertiæ, & quartæ. Ratio est, quia S. Pontifex disponit de illis rebus, quando Dominus ignoratur: quin sit, per Bullam, absolutè, & sine conditione, *si dominus non compareat*: Ut ex dictis, & *cap. Cùm sit de Judic. & Cap. Cùm in, de usuris*, constat: ergo etiam per Bullam, potest disponere, sicut enim illa est causa pia, ita etiam hæc.

113. Dico quintò: Qui super bonis incertis, sive justè, sive injustè acquisitis, componitur per Bullas, nullâ facta diligentia per Commissarium, pro inveniendo domino; si hic postea compareat, potest per judicem cogi, ut illi reddat bona consumpta; & ex consumptis, id, in quo factus est ditior. Ratio est, quia licèt compositio per Bullam, prosit pro foro externo; quia S. Pontifex illam, pro illo etiam foro, concessit; cùm in compositione conditionem à S. Pontifice non observasset compositus, pro illo foro, jus non acquisivit: ergo tenetur judicis sententiæ stare. Qualis sit conditio à Pontifice, jam eam depromo.

114. Dico sextò: Qui cum Commissario, prætermittente judicialem diligentiam, & inquisitionem, pro inveniendo domino, per testium instrumentum, & sententiam definitivam, compositionem fecit; comparente domino, nihil illi tenetur restituere in utroque foro. Hanc resolutionem tenet Acolt. *cit.* & re ipsa tenent Card de Lug. & Bard. *supra* adducti. Ratio est, quia S. Pontifex in utroque foro, poterat de illis bonis disponere in bonum salutis, tam Domini non comparentis, quàm possessoris, ut ex dictis constat: Et de illis compositionem fecit per Commissarium; de qua constat juridicè; & de debito, pro quo, fuit facta: Ergo nulla datur ratio, cur non valeat, etiam pro foro externo.

115. Et hoc ostenditur; & probatur major, contra authores secundæ sententiæ. Quia Princeps sæcularis potest disponere, factâ sufficienti diligentia, de animantibus inventis, quorum Dominus ignoratur propter bonum commune, ut constat ex nostris *Ordin. l.* 3. *tit.* 94. in quo tit. disponitur, quòd animalia deperdita, & ab aliquo inventa, post quatuor menses continuos, in locis publicis, certis diebus, voce præconis publicata, si Dominus non compareat, intra illud tempus, applicentur publicano inventi, aut illi cui jus inventi convenerit: & si post illud tempus transactum Dominus animalium comparuerit, & ea in judicio petierit, non audiatur, ibi: *Nam serum excidas, non recebidos a tal demanda.* Idem habetur apud Hispanos *l.* 6. *cum sequentibus tit.* 13. *lib.* 6. *novæ recopilationis*; & has leges esse justas fatetur Molin. *dict. tract.* 2. *disp.* 749. Sed S. Pontifex etiam potest disponere, sicut Princeps sæcularis, de rebus omnibus, quorum Dominus ignoratur, ob bonum Spirituale: ergo cùm, per compositionem disponat mediante Commissario; compositio in utroque foro valebit; & si post illam compareat Dominus, non audietur.

116. Nec satisfacit dici, quod compositio in Bulla concessa, est tantùm pro foro conscientiæ: nam hoc gratis asseritur; nam si authores secundæ sententiæ id dicunt de authoribus primæ sententiæ, dum inquiunt, compositionem à S. Pontifice concessam esse sub conditione, *si Dominus non compareat*: Idem etiam dicetur, dum asserunt, esse solum pro foro interno: nam S. Pontifex, sicut illam concedit absolutè, & sine conditione, pro foro conscientiæ; ita etiam illam concedit absolutè, pro foro externo; quin compositionem limitet, pro foro solum conscientiæ: Et cùm id non limitet, & privilegia Bullæ sint amplè interpretanda; compositio, pro utroque foro, est intelligenda: si debito modo fiat, ut dictum est: nam aliud ex Bulla non potest colligi: ut cum Rodrig. docet Cardin. de Lug. *n.* 105. *prope finem.*

117. Dices: Si factâ diligentia debita ea bona incerta distribuantur pauperibus, vel locis piis, si res incerta apud illos in specie existat; comparens Dominus potest illam sibi vindicare; ut tenet Molin. *dict. tract.* 2. *disp.* 746. *in fine.* Laym. *in summ. l.* 3. *sect.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *in fine.* Castr. Palao *tom.* 7. *tract.* 31. *disp. unic. punct.* 19. *n.* 1. ergo etiam idem dicendum, si factâ legitimè compositione Dominus appareat. Respondeo primò, negando antecedens cum Sot. *l.* 5. *de just. q.* 3. *art.* 3. *ad secundum.* Ledesm. *part.* 4. *q.* 1. *art.* 5. Petr. Navarr. *l.* 4. *de restitut. cap.* 2. *n.* 45. quia pauperes, & loca pia eam rem non mutuò, sed in eleemosynam acceperunt.

118. Respondeo secundò ad antecedens; parum referre, quòd Dominium rei incertæ traderetur revocabiliter pauperibus, aut illis locis piis, ut dicunt, aut supponunt prædicti authores: Quia si ipsi pauperes eam rem, sibi ipsis applicatam, alteri tradidissent, vel vendidissent, non posset Dominus postea comparens, rem suam in specie existentem ab illo alio, vel tempore recuperare, etiam in foro externo, quia jam legitimè distracta fuerat; ut tenet ipse Molin. *loco citato*: ergo si irrevocabiliter illam rem incertam possunt distrahere, nullum præjudicium, aut parum, datur Domino, si ipsis pauperibus, aut locis piis, illius rei incertæ Dominium irrevocabiliter applicetur. Sic Cardin. de Lug. *dict. disp.* 21. *num.* 103. Ergo etiam non datur, si à Commissario irrevocabiliter applicetur.

119. Respondeo tertiò, concesso antecedente, negando consequentiam: diversa ratio est, quia in ea applicatione non constat servatam fuisse diligentiam requisitam, ac proinde Dominus poterit suam rem, ubicumque illam invenerit, sibi vendicare: At compositio, quæ fit per ipsum Commissarium, fuit facta, præcedente diligentia, à S. Pontifice requisita: Et sic per compositionem non revocabiliter, sed irrevocabiliter Dominium illius rei in compositum, fuit translatum.

SECTIO IX.

De taxa, & modo, quo fit compositio per Bullas, aut cum Commissario?

120. TRiplici modo fit compositio, solvendo eleemosynam à Commissario Generali taxatam; sive componentes sint divites, sive pauperes:

In compositione enim ad has non attenditur qualitas, sicut in sumentibus Bullas communes, & principales, attenditur; ut vidimus *disp.* 5. De hoc trifario modo componendi, dicendum est, per sequentes conclusiones; advertendo, primo, & secundo modo, compositionem fieri per Bullas; cum maximo tamen discrimine inter utrumque; ut statim apparebit. Tertio verò modo, fit compositio, non per Bullas, sed cum ipso Commissario Generali.

121. Dico primò: Compositio super bonis, quibus in Bulla conceditur compositio; primo modo, sic incipit fieri: si quis ex dictis bonis oneratum se esse conspicit debito non excedente quinque millia regalia Lusitana, hoc est *cinco mil reis*, Bullam unam tantùm compositionis accipiat, dando centum regalia Lusitana, hoc est *cem reis*, ad rationem unius, pro quinquaginta. At si debitum excedat quinque millia regalia, non tamen excedat decem millia: Tunc duplex Bulla compositionis, est accipienda, erogando pro illis ducenta regalia, hoc est *duzentos reis*. Et sic fit compositio usque ad centum millia regalia Lusitana: vulgo *cem mil reis*, servata ratione, dandi unum regale Lusitanum, pro quibuslibet quinquaginta regalibus Lusitanis. Unde si tantùm habes in debitis, super quibus, vis te componere, centum millia regalia; debes accipere viginti Bullas compositionis, erogando pro singulis centum regalia, quæ faciunt summam duorum millium regalium Lusitanorum, hoc est *de dous mil reis*, si verò tantùm debes Quinquaginta millia regalia; debes accipere decem Bullas compositionis; & pro singulis, erogare centum regalia, quæ conficiunt summam millium regalium Lusitanorum, hoc est: *de mil reis*.

122. Dico secundò: Si tamen ultra dicta centum millia regalia Lusitana debes adhuc aliquam summam, v. g. supra centum, aliqua millia usque ad quinque, decem, quindecim, viginti, usque ad alia centum millia regalia; non potes, recomponere, modo prædicto; Licèt per Bullas te possis componere. Et hic secundus modus componendi, à primo diversus, sic habet. Debes petere à Thesaurario, vel Quæstore Bullarum duas Bullas Compositionis, si tantùm debes usque ad quinque millia regalia, supra dicta centum millia regalia: Et sic procedes, pro singulis quinque millibus, usque ad altera centum millia regalia; cum hac tamen advertentia maximè necessaria. Quòd si pro primis centum millibus regalibus, quæ debebas; accepisti viginti Bullas, dando, pro singulis centum regalia, ad rationem unius, pro quinquaginta: Nunc pro secundis centum millibus regalibus, quæ supra centum altera millia debes: accipere teneris, ut compositionem Legitimam facias, pro singulis quinque millibus regalibus, duplicem Bullam compositionis, ad rationem unius regalis, pro viginti, & quinque regalibus Lusitanis: Unde, si pro primis centum millibus regalibus accepisti viginti Bullas compositionis; pro secundis centum, teneris sumere quadraginta: Nam in secundis centum, duplicatur eleemosyna, modo præfato. Ex his duobus modis componendi, satis liquet, non posse fieri compositionem per Bullas, quæ dictum numerum sexaginta Bullarum superent, nempe viginti pro primis centum millibus regalibus; & quadraginta, pro secundis centum. Nam apud distributorem Bullarum, non dantur Bullæ designatæ, & propriæ ad compositiones secundi centeni millium regaliorum, cum eleemosyna ducentorum regalium: Si enim hæ darentur, sicut possunt dari, tunc numerus Bullarum, pro utroque centeno, esset æqualis.

123. Dico tertiò: Si prædictus componens ultra ducenta millia regalia, de quibus prædictis duobus modis compositionem per Bullas fecit, adhuc alia debeat; super quibus compositionem facere debet, & vult; cùm jam, super his bonis incertis superadditis per Bullas se componere nequeat, recurrere debet ad Commissarium Generalem per se, vel per alium, & cum illo, & non alio, facere compositionem; qui ad suum arbitrium, eleemosynam pro summa, à debitore designata, & debita taxabit. Solet tamen taxare, ad rationem decem, pro quolibet centenario. Et ita debere fieri, affirmant Henriq. *l. 7. cap. 33. n. 1. litt. H.* Trullench. *l. 3. dub. 3. n. 3. in fine* Bard. *part. 3. tract. 5. dissert. 1. cap. 3. n. 5. in fine*, Avendanûs *in Thesaur Indulg. tract. 5. n. 231.* Escobar. *in Theol. moral. tom. 1. n. 399.* Hæc constant ex Bulla Compositionis initio disp. transcripta, excepta hac ultima eleemosynæ designatione; quæ cùm dependeat à Commissarii voluntate, poterit nunc majorem nunc minorem eleemosynam designare.

124. Et certè, quando compositio fit per Bullas, satis parvam designat: Nam designata, pro primis centum millibus regalibus, olim eodem modo erat à Commissario Hispano designata pro illis, qui per Bullas, se componebant: At crescentibus necessitatibus belli, eleemosynam auxit; & nunc pro bis mille maravedis duo regalia argentea, quæ olim, pro quinque millibus, erogabantur; & sic procedit in Hispania compositio, eâdem taxa, usque ad centum mille maravedis per Bullas, & non amplius: si quis enim majus onus sustinet, ad Commissarium recurrit; quæ summa, seu taxâ, designata, est superior à nostro Commissario præscripta: Ut ex dictis est manifestum. Et meritò hæc eleemosyna à nostro Commissario non augetur; nam licèt eleemosyna à Bulla Collecta, non sufficiat ad arcis Masaganî subventionem, nec attingat ad sumptus Classium, pro defensione marium horum Regnorum; cùm alia Loca Africana, quæ olim his eleemosynis auxiliabantur, sub nostri Serenissimi Principis defensione non existant; non adeo ut antea, erunt magni sumptus. Cæterum quamvis hic deficiat finis; alios poterunt in posterum justos, & Legitimos habere Commissarii Lusitani; ut eas augeant eleemosynas, ut Sectione sequente videbimus.

SECTIO X.

Dissolvuntur aliqua dubia circa taxam, & dispositionem prædictam?

125. INquires primò: An si quis, v. g. Petrus, debeat trecenta millia regalia, vulgò *trezentos, mil reis*, quorum dominus ignoratur; & velit se componere, virtute Bullæ communis, & Principalis, quam jam habet, possit se componere per Bullas, usque ad ducenta millia regalia, primo, & secundo modo *supra allatis n.* 121. & 122. & quoad alia centum, quæ ex debito restant, recurrere ad Commissarium; an verò teneatur, ut securus in conscientia maneat, pro toto illo de-

bito trecentorum millium regalium, cum Commissario compositionem facere? Teneri Petrum, compositionem facere cum Commissario, super illis trecentis millibus regalibus, & non posse super ducentis, per Bullas compositionis, existimat Sot. *in 4. dist. 21. q. 2. art. 4.* & idem videtur sentire Rodrig. *in Bulla Composit. n. 19. in fine, & n. 20.* quatenus asserit, generaliter, & sine distinctione, quando debitum excedit quantitatem, per Bullas componendam, recurrendum esse ad Commissarium. Et probari potest; quia compositio, quam Petrus, v. g. desiderat, excedit taxam à Commissario, pro Bullis Compositionis, designatam: Ergo pro tota illa summa, à qua eximi cupit per compositionem, ad Commissarium recurrere debet.

126. Aliter sentit Henriq. *l. 7. de indulgentiis cap. 34. n. 5. in principio*; ibi enim sic ait: *Tutius cum Commissario fit compositio; pro decima parte debiti; at si jam de præterito facta sit, pro duobus argenteis, tutus in conscientia esse potest.* Unde infertur, Henriq. existimare, esse tutius, compositionem fieri cum Commissario, pro quocunque debito; sive excedat, sive non, quantitatem ducentorum millium regalium Lusitanorum: Quia compositio, quæ fit cum Commissario, sit pro majori summa, nempe, ad rationem decem, pro centenario; seu ad rationem unius pro decem; at illa, quæ fit per Bullas, fit pro minori summa, videlicet: ad rationem unius pro quinquaginta, si debitum non excedat centum millia regalia Lusitana; vel ad rationem unius, pro quinque supra viginti, si excedat debitum centum millia regalia, & ducenta millia non excedat.

127. Adversus Henriq. insurgunt Trullench. *l. 3. in Bull. dub. 3. n. 4.* Escobar *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 400.* dicentes, utrunque modum componendi esse æquè tutum: Quia fit authoritate S. Pontificis, Commissario tradita; & modo faciliori, per Bullas, quia minori summa Liberatur componens, quàm si ad Commissarium recurrat. Quod sentio dico, per sequentes conclusiones.

128. Dico primò: Utroque modo potest Petrus componi, vel pro tota illa summa trecentorum millium regalium cum Commissario; vel super ducentis millibus, per Bullas, modo *supra n. 121. n. 122.* allato; & pro reliquis centum, ad Commissarium recurrere. Ratio primi est: Quia Commissarius, authoritate Pontificis, potest supra tota illa summa compositionem concedere, Electmosynam congruentem designando. Secundi ratio est; quia Petrus compositionem faciens, super ducentis millibus per Bullas, & pro reliquis centum recurrens ad Commissarium, non excedit facultatem à Commissario concessam: poterat quippe ille compositionem facere per Bullas, super illis ducentis millibus; & reliqua centum millia pauperibus, aut locis piis distribuere; Ergo etiam poterit, pro illis tantùm centum millibus ad Commissarium recurrere. Hæc conclusio est contra Sot. & Rodrig. *citatos*; docenturque à Cardin. de Lug. *tom. 1. de just. disp. 21. n. 140. & 141.* & apud illum D. D. Salamantic. Henriq. *l. 7. de indulg. cap. 33. n. 1.* Accedunt Bard. *in Bull. part. 3. tract. 5. differt. 1. cap. 3. n. 5.* Abrev. *de Paroch. l. 10. n. 563.* Mend. *disp. 32. n. 47. post medium* Avendanùs *in Thesaur. Indic. tract. 5. n. 231.*

229. Dico secundò: Tutior est compositio cum Commissario facta, pro majori summa, quàm per Bullas, erogando minorem. Hæc est contra Trullench. & Escobar *citatos*; defenditur verò à Henriq. *supra cit. dicto cap. 4. n. 5.* & à Avendan. *proximè n. 233.* Ostenditur primò, quia hæc sententia habet pro se multos authores, quos refert Henriq. *in Gloss. ad locum citat. n. 4. litt. T & Z.* qui valdè dubitant de compositione, quando fit pro minima summa, ut vidimus *supra sect. 4.* Secundò, quia indulgentia est certior, quæ majorem habet causam, ut jam notavimus, & communiter observant D. D.

130. Tertiò, quia annis præteritis in Hispania per Bullas concedebatur compositio, ad rationem unius pro quinquaginta, usque ad centum millia maravidina, ut hodie fit in Lusitania, quando compositio fit per Bullas, usque ad centum millia regalia Lusitana, ut vidimus *supra n. 121.* Hodie autem in Hispania fit pro majori summa: Nam pro compositione duorum millium maravitinorum, erogantur duo Regalia Castellana, quæ antea pro quinque millia elargiebantur: Ergo non ita conveniens erat illa annorum elapsorum: Nam (ut credo) doctissimorum consilio fuit aucta. Ad rationes, tam pro sententia Soti, quàm pro Trullench. adductas; constat ex dictis, quid sit respondendum.

131. Inquires secundò: Si Petrus v. g. se componat per Bullas super medietate Quadragentorum millium Regalium, intendens aliam medietatem pauperibus distribuere, juxta præscriptionem sacrorum canonum; sed post factam dictam compositionem, intentionem, quam habebat distribuendi aliam medietatem pauperibus, mutavit: potest ne etiam, per Bullas, hanc medietatem, quæ superfuit, componere? Respondeo, *non posse*: quia Commissarius non concedit compositionem per Bullas quoad excessum, supra ducentis millibus regalibus: Sed illa ducenta millia Regalia, quæ Petrus intendebat pauperibus distribuere, excedebant alia ducenta millia Regalia, quæ jam per Bullas fuerunt composita: Ergo quoad hunc excessum, supra illa ducenta millia, ad Commissarium, pro compositione, recurrendum est. Sic Bard. *supra n. 8.*

132. Inquires tertiò: Si Petrus verè, & realiter debeat dictam summam quadringentorum millium regalium; existimat tamen, & prudenter, se non debere, nisi tantùm ducenta millia regalia; super quibus modo prædicto, per Bullas, se potest componere, quin recurrat ad Commissarium; & de facto, per illas se composuit: At post aliquod tempus, aut annos, recordatur, se debere non solùm illa ducenta millia, super quibus, per Bullas, se composuit, sed etiam alia ducenta millia, vel centum millia, quæ tunc illi in mentem non venerunt: Inquirimus ergo, an possit se componere, super his ducentis, vel centis millibus regalibus, per Bullas, an teneatur per se, aut per alium recurrere ad Commissarium, ut compositionem faciat? Respondeo, teneri recurrere ad Commissarium, ut Legitimam compositionem faciat. Ratio est, quia quando per Bullas fuit compositus, super illis ducentis millibus regalibus, etiam erat debitor aliorum ducentorum, vel centorum millium Regalium, quamvis id invincibiliter non agnosceret; per Bullam verò non conceditur compositio ad excessum; qui realiter, & revera debetur, supra ducenta millia regalia: Cùm ergo illa essent debita, tempore compositionis, ad Commissarium est recurrendum, & cum illo facienda compositio, supra excessum. Sic Bard. ubi *supra n. 9.*

133. In-

133. Inquires quartò: An quando aliquis habet plura debita incerta ex diversis capitibus contracta, nempe ex usuris, venditione, furto &c. Quorum singula non excedunt summam, à Commissario designatam, per Bullas: Omnia tamen simul sumpta, excedunt, possit, pro singulis, per Bullas componi? Respondeo, non posse: Ita Cardin. de Lug. *tom. 1. de inst. disp. 21. n. 141.* Mend *disp. 32. n. 58.* Ratio est, quia compositio concessa à Pontifice, est super illicitè habitis, ex quocunque capite, vel quibuscunque personis incertis, debitis: Ergo si in his omnibus debitis, datur excessus, supra summam, per Bullas designatam; pro illo excessu, ad Commissarium Generalem est recurrendum, ut compositio fiat.

134. Inquires quintò: An si unus debeat duo millia regalia Lusitana, & alter tria millia dominis incertis, possint ambo simul unicam Bullam compositionis accipere, erogando Eleemosynam centum regalium, & sic liberari à prædictis debitis? Respondeo non posse quia unaquæque Bulla uni tantùm personæ conceditur; aliàs enim, etiam possunt duo, unam accipere Bullam communem vivorum, vel defunctorum, pro uno defuncto, quod est contra praxim, & mentem Commissarii; dum in eadem Bulla compositionis, loquitur de una duntaxat persona; ibi: *E porquanto vos N. desles de esmolas cem reis, ficaes desobrigado desses omis reis, pella maneira sobredita:* Non possunt ergo ambo, virtute ejusdem Bullæ, componi.

135. Secus dicendum, si alter eorum, debitum alterius supra se acciperet, volens eum à debito liberare, & pro illo restituere: Quia hoc modo, potest unam Bullam accipere; & sic satisfacere, componendo per Bullam utrunque debitum, ad quod, eademmet Bulla se extendit: Nec in hoc, aliqua fraus apparet, quia utitur jure suo; nec in Bullam, aliquid illicitum committitur. Sic Mend. *disp. 32. in fine.*

SECTIO XI.

Progreditur circa eandem taxam, an possit quis, componi per Bullas, super trecentis millibus regalibus, hoc, est anno sequenti?

136. INquires sextò: An si Petrus v. g. qui est debitor majoris summæ, quàm per Bullas, potest componi: Quia trecenta millia regalia habet in debitis incertis; possit hoc anno componi per Bullas, modo à Commissario designato; & differre ad annum sequentem compositionem reliquorum centum, & per Bullas, super iis etiam componi? Respondeo, non posse differre, sed tenetur cum Commissario compositionem facere; quoad illa centum: Nam unusquisque tenetur, restituere illico, ac potest: Si ergo beneficio restitutionis vult uti; illico debet componi, quoad totum debitum: compositio enim, Loco restitutionis, succedit; si autem statim, & pro eo anno non possit illa centum millia regalia restituere; potest differre ad annum sequentem, compositionem cum Commissario faciendam. Ratio est quia compositio, ut dictum est, succedit loco restitutionis: Ergo si non potest, eo anno restituere, non tenetur eo anno uti beneficio compositionis: beneficium enim compositionis, cùm sit privilegium, & gratia, illo utimur, quando volumus. Hæc doctrina est. Mend. *disp. 32. n. 51.* Avendani *in Thesaur. Indic. tract. 5. n. 332.*

137. Dices: Qui habet Bullam communem, & principalem, tempore interdicti tenetur ad audiendam missam; quia per Bullam sublatum est impedimentum adimplendi præceptum; ut cum communiori sententia dixinus *disp. 11. Sect. 16. n. 110.* Sed qui habet Bullam communem vivorum, per illam sublatum est impedimentum, quod habebat, non restituendi; quia Licèt non habeat illa centum millia, quæ debet, ut restituat: Habet tamen decimam partem, ut cum Commissario compositionem faciat: Ergo cùm compositio succedat, loco restitutionis, ad restitutionem per compositionem tenetur. Respondeo, hoc argumentum valdè probile reddere teneri prædictum, qui habet Bullam communem, ad compositionem faciendam cum Commissario. Dixi *si habeat Bullam communem vivorum*, quæ requiritur, ut conditio necessaria, juxta nostram Bullam ad compositionem, ut notavimus *supra n. 33.* Nam si illam non habeat, non tenetur illam accipere, ut compositionem faciat, sicut non tenetur, quis privilegium oratorii quærere, vel sacerdotem, ut in illo missam celebret, ut missam audiat.

138. Concessâ tamen majore, nego minorem: Quia non datur eadem paritas, in utroque casu; nam ut quis teneatur audire missam; solùm obstat impedimentum; cum verò hoc, per Bullam, tempore interdicti, tollatur; missam tenetur audire: At quamvis Bullam habeat vivorum, adhuc non est sublatum impedimentum, ad restituendum; quia adhuc illi opus est, uti alio privilegio, nempe beneficio compositionis; cum verò sit privilegium, non tenetur illo uti; sicut non tenetur accipere Bullas compositionis, quando est impotens ad restituendum; ut eo modo, quo potest, per privilegium, restituat; quia nullus tenetur privilegium quærere, ut præcepto restituendi satisfaciat; sicut non tenetur quærere privilegium oratorii, ut missam audiat. Vide Avendan. *cit.* qui in fine illius *n. 232.* oppositum videtur sentire; & quidem non solùm non improbabiliter, sed meo judicio, ut probabilius ob rationem adductam.

139. Si tamen compositio illorum centum millium regalium, quæ superfuerunt ex dictis ducentis millibus per Bullas compositis differatur ad annum sequentem, sive culpatè, sive inculpatè; Mend. *disp. 32. n. 51.* existimat posse fieri, per Bullas; quia praxis ita habet; & monentur, qui habent debita multis retro annis, ut possint per Bullas componi; quamvis culpatè non restituerint.

140. Hoc tamen non est admittendum, quia nec praxis, nec admonitio Commissarii datur ad bona, quæ superfuerunt ex compositione jam factâ, per Bullas: Nam ex forma compositionis, in ipsa Bulla compositionis contentâ, constat, compositionem per Bullas usque ad summam prædictam esse faciendam; & si aliquid supersit, adeatur Commissarius; ut cum illo fiat compositio, ad rationem decem pro centenario. Et si compositio dictorum centum millium regalium, quæ superfuerunt eo anno, in quo aliorum ducentorum millia, facta fuit compositio; eo anno per Bullas, non poterat fieri compositio; nec etiam in sequenti; quia forma compositionis data à Commissario est generalis,

lis, & ut jacet est intelligenda. Accedit, quia ille, qui culpatè distulit compositionem, ad annum sequentem, graviter peccavit contra justitiam: Ergo ex peccato nequit reportare commodum, componendo se minori summâ, per Bullas: Ergo anno sequenti, vel quandocunque compositionem velit facere; Commissarius adeundus est. Et hoc existimo verum, non solùm, quando culpatè differtur compositio dictorum bonorum; sed etiam quando inculpatè differtur: Nam forma compositionis à Commissario data, cùm sit generalis, de utrisque est intelligenda. Sic in utroque casu sentit Avendan. ubi *supra n.* 233.

SECTIO XII.

Recensentur casus, super quibus in Bullâ, conditur compositio.

141. IN Bulla Latina tria sunt loca distincta, super quibus, conceditur compositio; quos transcribimus initio hujus disputationis. Ex his tribus quinque decerpsit Commissarius casus, quos in Bulla Compositionis signat distinctos. Primus, ordine ipsius Bullæ, est; super fructibus Ecclesiasticorum beneficiorum, illicitè perceptis, propter horarum canonicarum omissionem. Secundus, super fructibus Ecclesiasticis malè habitis ob aliquam censuram, vel pœnam Ecclesiasticam, qua ligati erant illi, qui illos suos non fecerunt. Tertius, super meditate Legatorum, quæ ob malè oblata, vel acquisita, sunt facta; si Legatarii per annum, in exactione negligentes fuerint. Quartus, super Legatis quibuscunque quando Legatarii sunt incerti, vel non inveniuntur; facta priùs diligentiâ per Commissarium Generalem, vel subdelegatos. Quintus, super quibuscunque bonis, illicitè habitis, ablatis, sive acquisitis per usuram, vel quocunque alio modo illicito; dummodo factâ legitimâ diligentiâ, creditores non inveniantur.

142. Alii speciales casus, in dicta Bulla Compositionis, à Commissario designantur, majoris declarationis gratiâ; ut inventa, quorum dominus ignoratur, damnum alteri illatum, ratione proprii Officii, aut negotiationis; & debita facta diligentia de damnificato non constat ut sæpissimè contingit in damno per animalia, aut per venationem illato; & in illis, qui pluribus per mensuras, & falsa pondera, aut res falsificatas, aut aliis vendunt promiscuas, & defraudati notitiam habere nequeunt. Et denique, inquit Commissarius, in aliis multis casibus; in quibus aliquis restitutionis sentit onus, ob quæ, suum confessarium, aut alias personas doctas, & prudentes consulere debet. De his, eo ordine Bullæ, sigillatim, per sequentes Sectiones erit explicatio.

143. Primus tamen adverto, Commissarium Hispanum in summario suæ Bullæ compositionis, decem, & novem casus assignare, in quibus datur compositio: omnes deductos ex Bulla Latina, ad majorem claritatem; & non ex eo, quòd in illa expressè contineantur, nam quoad compositionem bonorum eadem facultates, quas Commissarius Lusitanus, obtinet; ut videbimus: Commissarius autem Lusitanus eas non ita explanavit; quia id congruentius per doctos, & prudentes confessarios habetur; & ad hos, componi volentes, remittit.

Primus casus Bullæ Compositionis.

SECTIO XIII.

Præmittuntur aliqua, ad compositionem fructuum beneficiorum Ecclesiasticorum, ex canonicarum horarum omissione.

244. HActenus dictum est de illis, quæ ad compositionem in communi erant necessaria; nunc ad casus particulares in Bulla Latina, & summario Bullæ compositionis contentos, descendimus. Primus est de compositione fructuum illicitè perceptorum, ob canonicarum horarum omissionem; ad cujus intelligentiam, præmitenda sunt aliqua, valde utilia, & opportuna.

145. Primum est. Omnes habentes beneficium Ecclesiasticum, propter peccatum mortale, quod committunt, non recitando horas canonicas, teneri ad restitutionem fructuum perceptorum; ut expressè constat *ex Concil. Lateranens. sub Leone X. sess. 9. §. statuimus.* Cujus Constitutionem postea declaravit, innovavit & auxit B. Pius V. in Constit. quæ incipit: *Ex proximo Lateranensi*, edita anno 1571. 12. Calend. Octobris, & ex communi sensu D. D. Vide Soar. *tom. 2. de Relig. l. 4. de horis canonicis cap.* 29. Bonacin. *tom. 1. disp. 1. de iis, quæ ad privatam & q. 5. punct. 2.* Castr. Palao *tom. 2. disp. 2. punct. 7.* Sanch. *l. 2. consil. cap. 2. dub. 81. & seqq* Pellizar. *tom. 1. tract. 5. cap. 8. n. 204.* Moya *tom. 1. in select. tract. 2. disp. 2. q. 4. n. 16.* & alios quos refert Leand. *part 6. tract. 8. disp. 7. quæst. 1.*

146. Secundò præmittendum, hanc restitutionem necessariò faciendam esse, ante sententiam, & ipso facto. Sic colligunt D. D. *ex cit. Concil. Lateranens.* & certiùs ex Constit. etiam cit. B. Pii V. Nec pars negativa, quam aliqui secuti sunt, apud Leand. *cit. q. 17.* & apud Moyam *tom. 2. in select. tract. 2. disp. 1. q. 6. n. 17.* Est probabilis, post Const. Alexandri VII. editam anno 1665. die 14. Septembris; in qua, ut minimum, tanquam scandalosam, hanc damnavit propositionem: *Restitutio à Pio V. imposita beneficiariis, non recitantibus, non debetur in conscientia, ante sententiam declaratoriam judicis, eo quòd sit pœna.* Quæ ex damnatis est vigesima. Ante hanc Alexandri Const. partem affirmativam tenuerunt D. D. communiter, quos congerunt, & sequuntur Leand. *cit.* & post. Constit. Alexandri, Moya *proximè cit.*

147. Tertiò, Beneficiatum non recitantem, intra sex primos menses à die possessionis beneficii, licèt peccet mortaliter, non teneri ad restitutionem fructus. Sic communis D. D. sententia, Lessius, Garcia, Sanch. & alii apud Leand. *dict. disp. 7. q. 5.* quamvis non pauci, apud eundem, oppositum teneant.

148. Quartò, habentem beneficium; licèt in aliquo litterarum studio, litteris det operam, teneri ad restitutionem fructuum, si per alium reciret; quia hoc onus est personale. Sic post damnationem propositionis, mox adducendæ, Moya *tom. 2. in select. tract 2. disp. 1. q. 6. n. 19.* Nec opinio opposita, quam sequuti sunt aliqui, apud Moyam citatum, est probabilis, quia Alexand. VII. sua Constit.

stit. *supra cit.* hanc damnavit opinionem: *Habens capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si per alium recitet.* Et est damnatorum 21. ut videre est apud Angel. à Lantusca, & Joann. Pauli. *in tom. 5. Bullarii, in Constit. hujus Pontificis 167.*

149. Quintò, non manere liberum à restitutione, beneficiarium; qui uno die omisit officium divinum, etiamsi altera die, duplicatum recitet. Quod licèt sit contra aliquos authores docentes, peccare quidem; at non teneri ad restitutionem; quos refert Leand. *ubi supra q. 15.* defenditur tamen, ut certum à D. D. communiter; quos præter Leand. *cit.* referunt, & sequuntur Dian *part. 2. tract. 12. de horis Canon. resolut. 24.* Pellizar. *tom. 1. tract. 5. cap. 8. n. 221.* dicentes, & rectè malè citari, pro opposita sententia. Soar. & Filliuc. qui non absolutè, sed attento jure naturali, & præciso jure positivo Conc. Lateran. & Bulla B. Pii V. id sustinuere.

150. Accedit Bardi *part. 3. tract. 5. dissert. 2. cap. 3. à n. 14* qui etiam non rectè citat prædictos Soar. & Filliuc. pro oppolita sententia: Nam Soar. sic absolvit *Num. 11. l. 4. de horis canon. cap. 29. Quapropter non dubito quin si quis velit, hoc modo restituere satisfaciat in toto rigore juris naturalis, & secluso jure positivo.* Sic Soar. Filliuc. *tract. 23. cap. 10. n. 307.* à Bardi *cit.* nihil de hoc puncto habet; sed in eo loquitur de illo, qui intra primos sex menses non recitavit; & docet, teneri jure naturali, ad aliquam restitutionem; quam etiam potest facere, *in Spiritualibus, ut in recitatione per idem tempus omissum, per recitationem aliorum officiorum, & similium.* Qui casus est valdè diversus. Quare hoc figmentum accepit Bardi à Bonacin. *tom. 1. disp. 1. de iis, quæ ad privatam &c. q. 5. punct. 2. n. 5.* vel ab aliquo, qui minus attentè legens; id his authoribus imposuit.

151. Sextò, certum est, obligari ad restitutionem fructuum non recitantem horas canonicas, habentem in fructibus beneficii valorem quadragiuta Cruciatorum, deductis expensis, in collatione eorum; & dempta Eleemosyna, quæ pro missis datur, ad quas obligatur beneficium. Sic Martin. de S. Joseph. *tom. 1. l. 1. tract. 7. n. 3.* Leand. *tom. 6. tract. 8. disp. 2. q. 112.* citans *q. 112.* Soar. Quintanad. Trullench. & alios. Unde si fructus non attingant tertiam partem sustentationis clerici pauperis, & moderatè viventis, non tenetur ad restitutionem, si non recitet. Tertia autem pars illa est, quæ accedit ad tertiam partem centum cruciatorum; quæ est sustentatio clerici moderatè viventis. Sic docent supra viginti D. D. apud Dian. *part. 12. tract. resol. 7. ques* sequitur Garcia *de beneficiis. part. 3. cap. 1. n. 7.* Moya *tom. 1. in q. q. select. tract. 2. disp. 2. q. 4. n. 13.* Mend. *disp. 34. n. 22. in fine.*

152. Septimò certum est, non satisfacere duorum dierum obligationi recitandi; qui in feria secunda, v. g. & tertia recitaret de communi unius martiris, sub ritu novem lectionum, & vesperè ante feriam tertiam, quando utrunque matutinum recitari posset, recitaret unum tantùm, volens cum illo satisfacere obligationi utriusque officii, & diei; quod fuit à Caramuele traditum, *in sua Theol. Fundam. 31. n. 753.* sed hoc est prohibitum, & sustineri non potest, maximè post Constit. Alexandri VII. latam 18. Martii anni 1666. in qua, ut minimum damnavit, ut scandalosam hanc propositionem, quæ inter damnatas est 35. nempe: *Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsenti & crastino.* Vide Carden. *in disput. select. disp. 34. cap. 1. & sequent.* Fr. Raym. Lumbier. *in suis fragmentis, fragm. uls. §. 11. à n. 791. vol. 656.* ubi de prædicta propositione damnata post decretum Alexandri.

SECTIO XIV.

Prosequitur eadem materia, de recitatione horarum, in ordine ad compositionem.

153. Quoniam compositio conceditur, quando beneficiarius suos non fecit fructus, ob omissionem horarum canonicarum; & dubitari possit de aliquibus casibus, an illos suos fecerit, quanvis recitasset; de his in hac sectione dicendum; & primò de illo, qui absque culpa non recitavit; deinde de aliis.

154. Inquires igitur primò: An qui, sine culpa mortali, omittit horas canonicas, teneatur ad restitutionem? Respondeo, non teneri. Sic constat ex Bull. B. Pii V. cit; ibi: *Legitimo cessante impedimento*: Ergo si detur legitimum impedimentum, ad non recitandum divinum officium non datur obligatio restituendi. Sic docent Sanch. *l. 2. cap. 2. dub. 86.* Soar. *tom. 2. de relig. l. 4. de horis Canon. cap. 30. n. 13.* Castr. Palao, Pellizar. Trullench. Villal. & alii, quos refert, & sequitur Leand. *tom. 6. tract. 8. disp. 7. q. 8.* Bardi *part. 3. tract. 5. dissert. 2. cap. 3. n. 9.* licèt aliqui pauci oppositum teneant apud Leand. Ex communi tamen sententia sequitur, non indigère compositione illum, qui ob infirmitatem, oblivionem invincibilem, aut aliud legitimum impedimentum, non recitavit.

155. Inquires secundò: An qui voluntariè distractus, horas canonicas recitavit, teneatur ad restitutionem? Respondeo cum communiori, veriori, & amplectenda sententia, teneri ad restitutionem. Rario est, quia D. D. communiter docent, peccare mortaliter sic recitantem; & præcepto non satisfacere; ut patet *ex cap. dolentes de celebrat. missar.* ubi dicitur, quòd divinum officium studiosè pariter & devotè recitetur. Sic Navarr. Sotus Soar. Vasq. Lessius, Sâ Bonac. Sanch. Marchin. Trullench. Mallet. Quintanaduenâs, Escobar. à Corr. Pellizar. & Leand. à Murcia, quos refert, & sequitur Leand. à Sacrament. *part. 2. tract. 6. disp. 13. q. 13. & part. 6. disp. 4. q. 2.* si ergo precepto non satisfecit, tenetur ad restitutionem. Et expresè teneri sic distractè recitantem, ad restitutionem, docent idem Leander à Sacram. *dicta part. 6. tract. 8. disp. 7. q. 18.* Castr. Palao *tom. 2. tract. 7. disp. 2. punct. 7. n. 7.* & apud ipsos Navarr. Bonacin. Lessius, Petr. Navarr. Garcia, Soar. & alii. Et cum hæc sententia sit communis rectè faciet beneficiarius, sit juxta illam, utatur beneficio compositionis. Sic Bardi *ubi supra n. 12.*

256. Probabile tamen est, prædictum recitantem sine attentione interna, & voluntariè distractum, si externè nihil operetur cum attentione interna incompossibile non peccare mortaliter. Sic tenent plures apud Dian. *part. 2. tract. 12. resol. 1. & part. 4. tract. 3. resol. 107.* & *part. 7. tract. 11. resol. 30.* Leand. Castr. Palao, & Bardi *locis cit.* quos sequuntur Valerius *in differens. utriusque fori. Verb. Horæ*

canonic. difficult. 1. ubi viginti D. D. citat. quibus, & cum aliis, idem defendit Illustriss. Acatius de Velasco Episcopus Oriolensis *tom.* 2. *resol. moral. Verb. Horas, resol.* 54. quos refert, & probabile fatetur Moya *tom.* 1. *in select. tract.* 2. *disp.* 2. *q.* 1. *n.* 9. Juxta hanc sententiam, quæ sanè est probabilis, ut plures, ex opposita sententia fatentur; dicendum est, recitantem voluntariè distractum non teneri ad restitutionem; quia sic satisfecit præcepto; ac proinde non indigere compositione.

157. Inquires tertiò: An teneatur, ad restitutionem fructus, beneficiarius, qui recitat unum officium, pro alio, v. g. de festo, loco officii ferialis? Communis, vera, & tenenda sententia asserit, teneri ad restitutionem. Ratio est, quia sic recitans non satisfacit præcepto recitandi horas canonicas; ut constat ex Bullâ B. Pii V. & Clementis VIII. in principio Breviarii præfixa: in Bulla autem B. Pii V. non est tantùm præceptum in genere, de recitando, sed de recitando tali die, de Sancto, & tali, de feria; quia hoc est, quod in forma præscripta à B. Pio V. continetur. Sic ut certum docent Soar. *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *cap.* 25. *n.* 14. *& cap.* 11. *n.* 6. Castr. Palao *tom.* 2. *tract.* 7. *disp.* 2. *punct.* 2. *n.* 18. Moya *tom.* 1. *in select. q. q. tract.* 2. *disp.* 2. *q.* 3. *n.* 3. *& seqq.* & apud illum; Cardin. Bellarminus, Bonacin. Reginald. Filliuc. & alii plures apud Dian. 1. *part. tract.* 12. *resol.* 3. & Leand. *tom.* 2. *tract.* 6. *de ordine, disp.* 13. *q.* 27. *& tom.* 6. *tract.* 8. *disp.* 3. *q.* 41. *& 42. & disp.* 7. *q* 24.

158. At satisfieri præcepto, recitando officium, v. g. de Sanctissima Trinitate, vel de aliquo Sancto, quando erat recitandum de Dominica, vel feria, non pauci docuerunt. Sic innumeri authores, quos referunt, & sequuntur Leand. & Dian. *locis citat.* Caramuel. *in Theol. fundam. fundam.* 53. *n.* 1108. Junipar. à Drepan. *in revocat. Urbani VIII. Constit. Viva vocis Oracul. disp.* 5. *q.* 2. *cap.* 3. *n.* 1. Illustriss. Acatius de Velasc. *tom.* 2. *Verb. Horas canonicas, resol.* 58. Thomas Hurt. *tom.* 1. *de resident. Sacram. tract. de resid. canonic. resol.* 7. *sub resol.* 10. *n.* 22. *fol.* 327. ubi supra viginti, & sex D. D. refert; hos, & alios citat Moya *supra n.* 1. *&* 2. Probant quia officium determinatum non est in præcepto; & si sub præcepto sit, dum recitatur officium pro officio, servatur præceptum, quoad substantiam: licèt non servetur, quoad modum. Unde si detur causa urgens, nullum erit peccatum; si verò non detur, erit peccatum veniale.

159. Si autem contra hos authores inferas: Ergo si iis diebus, in quibus recitandum est de feria, aut aliquo Sancto, recitetur officium Resurrectionis, non erit peccatum mortale; quia servatur præceptum, quoad substantiam; & si detur urgens causa, nullum erit peccatum; quia per illam evitatur peccatum veniale, quod sine illa datur. Totum concedit Leand. *tom.* 6. *tract.* 8. *disp.* 3. *q.* 43, 44. *&* 45. & Caramuel. *in Regul. D. Benedicti disp.* 109. *num.* 1387. *& disp.* 106. *num.* 1438. illius verba refert Dian. *part.* 7. *tract.* 11. *resol.* 7.

160. Idem tenent, sed cum Limitatione Fr. Ludovic. à Concept. 1. *part. examin. Theol. moral. tract.* 2. *de restit. casu* 6. *n.* 15. ubi asserit, esse falsum, asserere; non peccare mortaliter illum, qui in Quadragesima, & hebdomada Sancta, & Adventu recitaret de Resurrectione: Admittit tamen posse recitare idem officium à Pascha usque ad Adventum exclusivè; & à Nativitate Domini, usque ad Septuagesimam bis in qualibet hebdomada; dummodo non sit in diebus festivis, & hoc sine peccato mortali, & obligatione restitutionis.

161. Thomas Hurtadus adhuc Limitatiùs loquutus fuit *tom.* 1. *de resid. Sacra lib.* 5. *de resid. canon. resol.* 7. *sub resol.* 1. *n.* 7. nam asserit, peccare mortaliter, qui sine causa proponit, per duos menses continuos de Resurrectione recitare; at si sine hoc proposito, sed ex acedia, vel ut brevius dicat; judicans, melius esse dicere officium breve, quàm nullum, uno die; & post, alio recitet, & sic deinceps, ex passione, aut consuetudine ductus; judicat, quòd non peccat mortaliter.

162. Dicendum tamen est, has illationes non esse probabiles; nec etiam sententiam, ex qua fuerunt deductæ: Non sunt probabiles illationes, quia Alexander VII. anno 1666. die 10. Martii, hanc propositionem, ut minimum, tanquam scandalosam damnavit: *In die Palmarum recitans officium Paschale, satisfacit præcepto*; quæ ex damnatis est 34. & in simul ejus praxim, in virtute Sanctæ obedientiæ, prohibuit.

163. Nec etiam est probabilis sententia *n.* 158. allata, ex qua fuerunt hæ illationes deductæ: Ratio est, quia ex illa sequitur inevitabilis illatio, de recitatione officii Resurrectionis, in die Palmarum: Ut evidenter ostendit Moya *cit. dict. tract.* 2. *disp.* 2. *q.* 3. *à n.* 8. Cardin. *in disput. select. tract.* 4. *disp.* 33. *cap.* 6. *à n.* 101. & in aliis locis: Ergo ne concedamus illationem de officio Resurrectionis; dicendum est, sententiam de mutatione officii, pro alio officio, non esse veram; quatenus nititur *in illo* principio, quòd servetur substantia præcepti recitandi; quæ consistit in eo, quòd dicantur septem horæ canonicæ; & non in modo, seu qualitate; nempe, quòd hoc officium dicatur hodie, & aliud alio die, prout à B. Pio V. præscribitur.

164. Dices: S. Pontifex solùm condemnat mutationem officii Dominicæ Palmarum in officium Resurrectionis: sed damnatio est strictæ interpretationis: Ergo de solo die Palmarum intelligenda est, & non de aliis: Ergo non obstante damnatione, adhuc viget sententia asserens, posse in aliis diebus, recitantem, satisfacere præcepto, cum officio Resurrectionis; quia adhuc servatur præceptum, quoad substantiam, quamvis non servetur, quoad modum, & qualitatem.

165. Raymundus Lumbier, *in fragment. moral. tom. fragment. ultim.* §. 10. *n.* 788. *fol.* 655. asserit, post damnationem dictæ propositionis; se non audere condemnare ex toto, ut improbabile, illum; qui extra Quadragesimam, & tres Dominicas antecedentes, in casu urgenti, recitasset officium Resurrectionis: imò judicaret, casum urgentem illud reddere probabile; dum S. Pontifex oppositum non declaret; præciso tamen casu urgente, id non consuleret, ibi: *Si pueda complir fuera de esse tiempo* (nempe extra Quadragesimam, & tres præcedentes Dominicas) *con el precepto del rezo, elque rezare de Resurreccion, o de Pentecostes, si huviesse caso urgente, nome attreueria acondenarlo por del todo improbable: antes jusgaria, que la urgencia lo hazia probable, mientras su santidad no declare lo contrario. Pero en caso; que no fuesse apretado, tampoco me attreueria a aconsejarlo.* Ergo si casus esset urgens, Reverendissimus id consuluerat; quia existimat, sic satisfieri præcepto recitandi, quoad substantiam.

166. Ad argumentum tamen respondeo, licèt S. Pontifex solùm expresserit diem Palmarum in dam-

damnatione prædictæ propositionis, ex necessaria consequentia, deducitur; idem esse intelligendum in omnibus aliis anni diebus. Unde non rectè infert Lumbier, ex urgentissima causa non esse ex toto improbabile, posse recitari officium Resurrectionis in singulis anni diebus, exceptis Quadragesimalibus, & tribus Dominicis præcedentibus; quia si observatur præceptum, quoad substantiam, in his diebus ab eo concessis, recitando officium Paschale; ut ipse existimat, etiam observabitur, quoad substantiam in iis diebus ab eo excepto die Palmarum, in quo à S. Pontifice ea recitatio damnatur; quod tamen est apertè falsum, & post prædictam damnationem, absurdum.

167. His non immoror, quia sunt extra meum institutum, in quo tantùm laboro, in expositione Bullæ compositionis. Et præmitto ea tantùm, quæ ad compositionem ex omissione horarum inservire possunt. Videantur citati Moya, & Cardin. *cap. 5. dictæ disp.* 33. in quo ostendit, posse probabiliter unum officium canonicum, pro alio substitui, sine peccato mortali, nempe: quando datur parva mutatio, inter utrunque officium, scilicet: proprium diei, & substituti; & hanc assertionem, non ut absolutam, sed ut probabilem defendit.

168. Ex dictis in hoc quæsito sequitur, beneficiarium, qui mutavit unum officium pro alio, indigere compositionis beneficio; quia tenetur ad restitutionem; at si in ea mutatione officii intercedat parva mutatio; cùm probabiliter, juxta Cardenas, peccatum mortale non commiserit, ad compositionem probabiliter non obligatur; quia ad restitutionem probabiliter non tenetur; tutius tamen erit compositione uti.

169. Inquires quartò: An qui mentaliter, vel visu discurrendo per Breviarium, recitat officium canonicum, teneatur ad restitutionem? Respondeo ex jure communi, & secluso omni privilegio, teneri. Ratio est, quia non satisfecit præcepto recitandi: nam officium divinum voce, & non tantùm mente, est persolvendum, ut definitur *in Consil. Basiliens. sess.* 21. §. 2. Et defendunt D. D. Soar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 4. *de horis canon. cap.* 7. *n.* 2. & alii plures, quos affert, & sequitur Leand. *tom.* 6. *tract.* 8. *disp.* 4. *q.* 43. *&* 44. Licèt aliqui, apud ipsum, improbabiliter oppositum teneant; quibus adhæret Fr. Ludovic. à Concept. *tom.* 1. *examin. tract.* 2. *de restitut. casu* 6. *à. n.* 1.

170. An verò sit necessarium, ut privatim recitans, seipsum audiat, si non sit surdus? Affirmant communiter D. D. Castr. Palao *tom.* 2. *tract.* 7. *disp.* 2. *punct.* 3. *n.* 6. & alii, quos refert Leand. *proximè q.* 47. dicens cum pluribus, esse æquè probabile, sufficere vocis pronuntiationem, linguam, & labia movendo, quamvis ab ipso vox, nec audiatur, nec audiri possit.

SECTIO XV.

De modo, quo facienda est compositio à beneficiario, qui omisit horas canonicas recitare.

171. PRæmissis, quæ ad hunc primum casum Bullæ compositionis videbantur necessaria; nunc exponendum venit, quo modo hæc compositio, per Bullam fieri debeat; ad quam operæ pretium est, referre verba utriusque Bullæ. Bulla compositionis, sic habet: *Primeiramente dos fructos dos beneficios Ecclesiasticos mal recebidos, per de feito dinam rezar as horas canonicas, ha S. Santidade porbem, que restituindose ametade delles as Igrejas, ou lugares Ecclesiasticos, por cujo respeito corria obrigacam derezar, aoutra ametade se de por inteiro, pera este socorro dos Lugares de Africa; ouse fa ea, sobre todos os fructos, composicam de maneira, que per ella possam osque assim se compuserem, ficar tambem livres da parte, que se devia a Igreja, pello que opoderam fazer sobre todos osditos fructos, na forma por nos acima declarada.*

172. Verba verò Bullæ Latinæ sunt hæc: *Voluitesque, ut fructus beneficiorum, qui ad ratam omissionis horarum canonicarum illicitè percepti fuerint, pro dimidia parte, Ecclesiis, vel aliis locis Ecclesiasticis, quorum ratione horas prædictas recitare debebant: altera verò dimidia pars, in subventionem militum hujusmodi, integrè præstari; vel cum Commissario, super hoc deputando, componi; ita quòd compositione hujusmodi soluta, sit componens à portione etiam, qua Ecclesiæ deberetur, integrè absolutus.* Sic verba utriusque Bullæ.

273. Hæc compositio juxta Bullam Hispanam, non indiget explicatione; quia tam in Bulla Latina, quàm in summario Bullæ compositionis, expressè habetur, quòd compositio, quæ fit per Bullam, in illius commoditatem; eadem fiat cum Ecclesiis. Unde quando hæc fit compositio, tanta erogatur Eleemosyna Ecclesiæ, quanta Bullæ Elargitur; ut videre est apud Escobar. *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 406. Bardi *in Bull. part.* 3. *tract.* 5. *dissert.* 2. *cap.* 3. *n.* 1. & alios hujus Bullæ expositores. At juxta nostram Bullam, in qua tanta non reperitur expressio, authores Lusitani non conveniunt.

174. Sebastianus à Costa de Andrade in expositione Bullæ Lusitanæ *q.* 76. *in principio, & q.* 98. *in fine* existimat fructus beneficiorum, qui pro omissis horis percepti sunt, quoad dimidiam partem, esse dandos Ecclesiæ; & quoad alteram dimidietatem; aut esse dandos ab subventionem militum locorum Africæ, aut de illis esse faciendam compositionem cum Commissario. Unde juxta hunc doctorem, fieri nequit compositio, super omnibus fructibus, illicitè perceptis, ex emissione horarum; sed tantùm, super illorum medietate; nam alia medietas, in solidum fabricæ Ecclesiæ, in qua est situm beneficium, vel pauperibus impertienda est.

175. Fragos. *tom.* 2. *Regim. reip. Christ. l.* 2. *disp.* 7. *de Bulla Cruciat. n.* 41. alia incedit via (quam existimo, accepisse ab Expositoribus Bullæ Hispanæ, cum quibus cohæret, & non cum textu Bullæ Lusitanæ.) Asserit enim, super omnibus dictis fructibus, & duabus illorum medietatibus posse fieri compositionem per Bullam, juxta formam à Commissario designatam; cum hoc tamen discrimine; ut ultra summam datam pro qualibet Bulla compositionis, tantumdem detur fabricæ Ecclesiæ, cujus est beneficium; & aliter non fieri compositionem. Exemplum apponit: si enim assumpsisti viginti Bullas compositionis, & pro omnibus solvisti Thesaurario Bullæ Cruciatæ quinque aureos nostræ monetæ; totidem teneris reddere fabricæ Ecclesiæ, cujus est beneficium. Id tamen videtur probare ex decisione B. Pii V. à quo refert, fuisse decisum, ut Ecclesiis beneficiorum detur tanta Eleemosyna, quanta datur pro Bulla compositionis.

176. Abreus *de Paroch. l.* 10. *n.* 599. & ex eo Benedict. Pereyra *in Promptuario Theol. moral. tract.* 41. *n.* 1440. *in fine*, sustinent, posse fieri compositionem per Bullam, non solùm de alterâ medietate dictorum fructuum; sed etiam de medietate ad Ecclesiam spectante, modo à Commissario præscripto; de quo *supra Sect.* 9. *à n.* 121. quin aliqua pars Ecclesiæ præstetur.

177. Inter hos varios compositionis modos; hic *n. precedente* adductus, amplectendus est, juxta nostram Bullam Lusitanam: quem expono per sequentes conclusiones.

178. Dico primò: Compositio fructuum illicitè perceptorum, ob omissionem horarum canonicarum, possunt authoritate propriâ, ab habente Bullam principalem, pro medietate Ecclesiis, quibus de jure debentur, restitui; & alteram medietatem, in subventionem Locorum Africæ, impertiri. Sic expressè Bulla Latina; ibi, *Volentesque, ut fructus beneficiorum, qui ad ratam beneficiorum illicitè percepti fuerint, pro dimidia parte, Ecclesiis, vel aliis Locis Ecclesiasticis, quorum rationi horas prædictas recitare debebant: altera verò pars, in subventionem militum hujusmodi, integrè præstari.* Et concordat Summarium Bullæ compositionis. Quia tamen hic modus compositionis per Bullam, est sine commoditate componentis, cùm omnes restituat fructus, & privilegium vertitur tantùm in Commodum Cruciatæ, quod respicit S. Pontifex: alius assignatur, & Bullæ, & componenti utilis.

179. Dico secundò: Relicto prædicto modo ab eo, cui non placet; potest Beneficiarius, qui fructus non fecit suos, ob omissionem horarum canonicarum, componi alio modo, in Bulla compositionis præscripto, de quo diximus *supra Sect.* 9. non solùm supra medietate dictorum fructuum, sed etiam super medietate ad Ecclesiam, spectante. Hæc assertio est contra A Costa. Fragos. & diversa ab eo, quæ conceditur in Bulla Hispana: traditur tamen à D. D. Abreu, & Pereyra: & habetur expressè in Bulla Latina, ibi: *Vel cum Commissario, super hoc deputando componi; ita quòd compositione hujusmodi soluta, sit componens a portione etiam, quæ Ecclesiæ deberetur, integrè absolutus.* Ubi notentur verba, *compositione hujusmodi soluta*: Nam facta compositione, super iis fructibus, juxta formam à Commissario præscriptam & soluta eleemosyna, manet componens Liber etiam à medietate, quæ Ecclesiæ debebatur. Et sic exprimitur à Commissario in Bulla compositionis; ibi: *Ou se faça sobre os taes fructos composiçam de maneira, que possam ofque assi fecompuserem, ficar tambem Livres daparte, que deviam à Igreia. Pelloque opoderam fazer sobre todosos fructos, na forma, pornos acima declarada.*

180. Compositio hoc modo facta, est tuta, & Legitima. Ratio est, quia S. Pontifex, cùm sit supremus administrator bonorum, quæ debentur Ecclesiis, aut pauperibus, potest non solùm, super medietate fructuum illicitè perceptorum, ex omissione horarum canonicarum, compositionem concedere; sed etiam, super alia medietate; quæ Ecclesiæ, aut pauperibus deberetur. Si enim concedit compositionem, per Bullam Hispanam; dummodo tanta elargiatur Ecclesiæ eleemosyna, quanta Cruciatæ elargitur; etiam potest concedere, ut eleemosyna dictæ compositionis, in solidum Cruciatæ præstetur; quin aliqua Ecclesiæ elargiatur. Et de facto, ita in nostra Bulla concedit; ut ex ipso Bullæ textu, & à declaratione Commissarii, constat.

181. Restat, ut respondeamus ad id, quod in probationem suæ sententiæ adducebat Fragos. nam ad alia ab ipso; & à Costa allata, ex dictis patet, quid sit respondendum: Asserebat enim Fragos. esse decisum à B. Pio V. ut Ecclesiis beneficiorum detur tanta eleemosyna, quanta datur pro Bulla compositionis: Respondetur enim primò, non assignari à dicto locum, nec motum, in quo id sit decisum. Deinde certum est, non esse decisum in motu, qui incipit: *Ex proximè Lateranensi supra cit.* ut videre est apud Cherubin. *tom.* 2. *inter alios hujus S. Pontificis* 135. *fol.* 344. nec in alio, qui incipit: *Durum nimis*, apud eundem Cherubin. *Const.* 64 *fol.* 308. in quo etiam ea decisio non invenitur; & in his motibus poterat habere Locum: cùm verò non inveniatur, nec Locus certus designetur, non est cur recedamus à dispositione Commissarii, in Bulla compositionis allata, & à Bulla Latina recte deducta.

182. Respondetur secundò, dato, quòd ita fuisset decisum; adhuc S. Pontifex, non obstante ea decisione, aliud in nostra Bulla poterat disponere, ut disposuit. Nam etiam Sixtus IV. *in Extrav. de pœnit & remiss. cap.* 5. *Et si Dominici*, decidit, virtute Cruciatæ, non esse absolvendos certos casus, quos ibi refert; & tamen alii Pontifices, hac non obstante decisione, concedunt, per Bullam Hispanam, posse confessarios ab Ordinario approbatos, eorum aliquos absolvere: Ergo etiam, dato quòd ita fuisset decisum circa compositionem supra dictam, alii Pontifices successores aliud poterant disponere, ut disposuerunt.

SECTIO XVI.

An beneficiarius non recitans, compositionem, super omnibus fructibus, an super illorum parte, facere debeat?

183. UT beneficiarius agnoscere valeat quomodo, & super quibus fructibus, compositio Locum habeat, ventilanda est, hæc quæstio: An non recitans, teneatur omnes fructus restituere, pro rata omissionis recitationis? Prima sententia absolutè affirmat de omnibus beneficiariis, sive sint curati, sive non: Ita Soar. *tom.* 2. *de relig. l.* 4. *de horis canonic. cap.* 30. *n.* 6. Castr. Palao *tom.* 2. *tract.* 7. *disp.* 2. *punct.* 7. *n.* 8. Garcia *de benefic. part.* 3. *cap.* 1. *n.* 38. & 34. Navarr. Petrus Navarr. Azor. Valent. Vasq. Malder. Reginald. Paulus Squillas. Filliuc. Lorca, Nobar à Corro, apud Leand. à Sacram. *tom.* 6. *tract.* 8. *disp.* 7. *q.* 22. & in Bull. compositionis idem tenet Rodrig. *n.* 15.

184. Probant ex Bulla B. Pii V. supra cit. quæ incipit: *Ex proximo Lateranensi*, in qua B. S. Pontifex eodem modo, de beneficio cum cura, & sine cura loquitur, ibi: *Statuimus, ut qui horas omnes canonicas, uno, vel pluribus diebus, intermiserit, amittat omnes beneficii fructus, qui illi, vel illis diebus respondent, si quotidie dividerentur; qui verò matutinum tantum, dimidiam; qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam; qui horarum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei amittat.* Ergo si beneficiarius curatus tenetur omnes

nes fructus restituere, etiam alii beneficiarii. Idem etiam habetur *in Concil. Lateranens. cit. supra Sect.* 13. Et confirmatur ex verbo, quo utitur B. S. Pontifex, *Statuimus*, quod novi juris videtur esse inductivum, ut *in cap. Pastoralis, de judic. & in cap.* 1. *de offic. delegati*, & aliis, & D. D. quos refert Barbos. *de diction. utriusque jur. dict.* 384. *n.* 1. Sed non esset novi juris inductivum, si solùm privaret fructibus correspondentibus recitationi, & non aliis muneribus: Ergo omnibus privat.

185. Secundam, & negativam sententiam tenent non pauci D. D. asserentes, habentem beneficium curatum, vel aliquod, habens ministerium annexum, non teneri restituere omnes fructus illi diei correspondentes; sed tantùm eam partem, quæ correspondet obligationi, recitandi horas. Unde Episcopus, vel Parochus non recitans, obligatur ad restituendam, pro ratâ, quintam fructuum partem, & Canonicus ad quartam; alii verò beneficiarii; & capellani, ad tertiam partem: alias verò partes, ratione munerum, poterunt retinere. Sic docent Sylvius Homobon. Molfes. Fernand. Henriq. Sot. Medin. Petr. de Ledesm. Raphael de la Torre. Less. quos refert Dian. *part.* 1. *tract.* 12. *resol.* 8. ubi eam probabilem dicit: at 4 *part. tract.* 4. *resol.* 111. inquit in fine, de suo nihil dicere, nec ponere. Dictis authoribus addit sequentes Leand. *supra citat.* Trullench. Sanch. Rodrig. in summ. Ludovic. Lop. Veg. Zechus. Pellizar. Vasques. Bonac. Laym. Macign. Malet. & hanc sententiam, inquit Leand. attenta praxi, esse probabiliorem; quamvis attento jure Concil. Lateran. & Constit. B. Pii V. probabiliorem esse primam. His authoribus adddo Fragos. *tom.* 2. *l.* 2. *disp.* 7. *de Bull. Cruciata n.* 42. Moya *tom.* 1. *in q. q. select. tract.* 2. *disp.* 2. *q.* 4. *n.* 17. qui ultra citatos, alios referunt. Et probabilem dicit. Herman. Busenbaus *lib.* 4. *cap.* 2. *dubio* 2. *art.* 2. *n.* 3. addendo, Episcopos, & Pastores obligari ad restituendam tertiam, aut quartam partem fructuum omissioni correspondentium.

186. Probatur *ex Conc. sess.* 23. *cap.* 1. *de Reformat.* ubi de residentia Prælatorum in principio capitis dicitur: *Illis mandatum esse jure divino oves suas cognoscere, pro illis sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, & in cætera munia pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo, non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more, deserunt.* Ex quibus verbis Concilii, constat, ex quibus muneribus, & muniis Beneficiarii fructus, & reditus consequantur. Et infra §. *Siquis autem*: his imponit pœnam emissionis fructuum, per hæc verba: *Eum, pro ratâ temporis absentiæ, fructus suos non facere, nec tutâ conscientiâ, aliâ autem declaratione non sequutâ, illos sibi detinere posse.* Sic Concil.

187. Ex quibus verbis, & B. Pii V. Bullâ conficitur ratio: Si omnes fructus conceduntur, propter Officium divinum, dum beneficiarius est præsens; & si omittatur, omnes fructus amittuntur; juxta B. Pium V. Et si beneficiarius, pro ratâ temporis absentiæ, suos non facit fructus, cùm absens possit recitare; dicendum est hos textus, & dispositiones debere intelligi, pro ratâ munerum, ad quæ beneficiarius, ratione beneficii, tenetur. Unde si sit absens, amittit fructus absentiæ correspondentes; ut probabiliter judicat Bonacina *tom.* 1. *tract. de onere, & obligatione benefic. disp.* 5. *punct.* 4. *n.* 5. citans Possevin. & Barbos. Et si non recitet, debet restituere partem fructuum, recitationi correspondentium, ut D. D. *cit. supra.*

188. Primam, & secundam sententiam judico probabiles, primam tamen probabiliorem. Nec novum est, quòd eadem pœna duobus delictis imponatur; ut praxi ostenditur. Unde justè imponitur à Concil. Trident. & à B. Pio V. eadem pœna amissionis omnium fructuum, pro ratâ absenti, & non recitanti, quia tamen praxis, cum sapientum Consilio, temperant rigorem supra dictorum jurium; ut pro ratione munerum, sua detur portio beneficiario; poterit is se componere, per Bullam, supra illâ portione; quæ correspondet recitationi horarum, vel supra omnibus fructibus, si malit, ad majorem suæ conscientiæ quietem: nam licèt utraque sententia possit in praxi amplecti, prima tamen est probabilior.

189. Quæres tamen: An secunda sententia, *n.* 185. allata locum habeat, in beneficiario habente beneficium simplex, & in pensionario, qui tenetur ad recitationem Officii B. Virginis; & ex B. Pio V. in Constit. cit. ad restituendum tenentur, pro ratâ omissionis, ut alii beneficiarii? Henriq. *l.* 13. *de excommunic. cap.* 13. *n.* 2. *in Gloss. Littera V. & Z. & Y.* docet sufficere, quòd beneficiarius simplex, & pensionarius restituant tertiam partem fructuum; quia cum hac moderatione, praxis sapientum acceptavit novam, & rigidam constitutionem B. Pii V. & reliquas duas partes retinebunt ob titulum, ex causa, datum ob sua, aut parentum benè merita in Ecclesiam.

190. Hanc sententiam probabilem, & tutam dicit Trullench. in Bull. *l.* 3. *casu* 2. *n.* 3. & sequitur Mend. *disp.* 34. *n.* 25. & probabilem esse, inquit Fr. Antonius Baco *in summ. disp.* 35. *cap.* 9. Dian. *part.* 10. *tract.* 16. *resol.* 95. Illam improbare, non audet Moya, *ubi supra n.* 18. qui asserit illam videri tenere illos, quos *supra n.* 185. ex Dian. 1. *part. citata*, attulimus. Idem tenet cum Metin. Sanch. *lib.* 2. *Consil. cap.* 2. *dub.* 84. *n.* 6. tam de beneficiario habente beneficium simplex, quàm de habente pensionem, aut præstimonium: quamvis de hoc ultimo neget Metin. Ratio horum authorum est, quia sic recepta fuit Const. B. Pii V. Hæc sententia cùm tot, etiam graves authores habeat, non est improbabilis.

191. Attamen, illam fatentur improbabilem Castr. Palao, *ubi supra n.* 9. Malet. apud. Leand. *super cit. q.* 23. qui dum fatetur, oppositam esse certam, hanc existimare debet falsam. Et Lessius *l.* 2. *de just. cap.* 34. *dub.* 32. *n.* 177. illam vocat nimis laxam.

192. Et sanè sententia asserens, habentes beneficium simplex, pensionem, aut præstimonium, si omittant recitare, teneri ad restitutionem omnium fructuum omissioni correspondentium; est communis inter D. D. & pro se optimam habet rationem: quia ex nullo alio capite prædictos fructus, seu pensiones recipiunt, nisi ob recitationem: ergo si non recitent, omnes fructus, seu pensiones pro rata tenentur restituere. Et si beneficiarii ad eam restitutionem teneantur, quia horas omiserunt, rectè se gerent, si per Bullam, super omnibus fructibus, se componant.

SECTIO XVII.

An circa pensiones detur Compositio?

193. *Numero precedente* diximus, pensionarios teneri ad recitationem officii parvi B. Virginis; & si non recitent subjacêre ex citata Const. B. Pii V. ad amissionem fructuum, seu pensionis, pro rata. Dubitatio ergo est: an sicut beneficiarii, per Bullam se possunt componere, super fructibus illicitè habitis, ex omissione horarum canonicarum; ita etiam possint se componere pensionarii? Ratio dubitandi pro parte negativâ est; quia tam Bulla Latina, quàm Summarium Bullæ compositionis solùm de beneficiariis, & non de pensionariis mentionem faciunt: ergo privilegium, seu beneficium compositionis, ad non expressos, extendendum non est. Ut cum communi docet Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 4. *punct.* 12. *n.* 1. & nomine beneficiariorum, non venire pensionarios, asserunt plures D. D. apud Barbos. *de appell. utriusque juris, appell.* 32. *n.* 2.

194. Dicendum tamen mihi videtur, cum Mend. *disp.* 34. *n.* 28. hoc privilegium componendi, extendi ad pensionarios. Ratio est, quia in majori videtur esse concessum, quod est minus: sed in Bulla conceditur compositio, pro omissione officii majoris; ergo etiam censetur concessa pro omissione officii minoris. Et confirmatur, quia pensionarius potest loco officii parvi B. Virginis, satisfacere cum officio divino majoris; ut docent communiter D. D. ut videre est apud Dian. *part.* 10. *tract.* 16. *resol.* 95. ergo si ab eo omittatur, potest se componere: ergo etiam si omittatur ab eo officium parvum, poterit per Bullam compositionem facere.

195. Ad rationem dubitandi, respondeo; quamvis appellatione beneficiariorum, non veniant pensionarii; & Bulla loquatur de beneficiariis, & non de pensionariis; ubi tamen datur eadem identitas rationis eadem juris debet esse dispositio; ut citatis juribus, & D. D. tenet idem Barbos. *de axiomat. juris, axioma* 197. *n.* 2. addens cum pluribus, ubi ratio habet locum, etiam lex illum habere debet; sed in pensionariis datur eadem ratio, ut componantur; quæ datur in Bulla ad beneficiarios: ergo si hi per Bullam possunt componi in fructibus illicitè habitis ob omissionem horarum canonicarum, etiam pensionarii componi poterunt.

196. Ex hac identitate rationis diximus cum pluribus authoribus *disp.* 22. *n.* 122. privilegium edendi ova, & lacticinia in jejuniis Quadragesimæ, extendi ad illa comedenda in Dominicis ejusdem; & hac disp. *n.* 72. in fine, privilegium componendi super illicitè habitis, extendi ad compositionem, super inventis, quæ illicitè non sunt habita. Et tamen privilegium edendi ova in Dominus Quadragesimæ, & componendi, super licitè habitis, in Bulla non exprimitur.

SECTIO XVIII.

An super distributionibus concedatur compositio?

197. Hæc quæstio procedit de Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, sive Collegiatæ, illicitè accipientibus distributiones; quas, choro non assistentes accipere nequeunt. Et conveniunt D. D. non posse, super illis, compositionem facere. Sic Rodrig. *in explicat. Bullæ compositionis casu* 1. *dub.* 2. *n.* 16. Henriq. *l.* 7. *cap.* 36. *n.* 3. Acost. *q.* 76. *& 98. Vers. Deinde sciendum est.* Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *de Bull. punct. ult. n.* 3. Trullench. *in Bull. l.* 3. *casu* 2. *n.* 5. Ludovic. à Cruce *ibidem disp.* 3. *dub.* 8. Fragos. *tom.* 2. *l.* 2. *disp.* 7. *de Bulla n.* 46. Bard. *part.* 3. *tract.* 5. *dissert.* 2. *cap.* 3. *n.* 21. *& cap.* 4. *n.* 1. Mend. *disp.* 34. *n.* 33. Tambor. *tract. de Bull. cap.* 18. *§.* 4. *num.* 3. Abreus *de Paroch. l.* 10. *n.* 560. Card. de Lug. *tom.* 1. *de just. disp.* 21. *n.* 112. Turrian. *de just. disp.* 41. *dub.* 3. *n.* 6. Escobar. *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 407.

198. Ratio est, quia in Bulla non conceditur compositio, quando dantur certi creditores; sed distributiones habent certos creditores; nempe, interessentes choro, ex Bonifacio VIII. *in cap.* 1. *de clericis non residentibus in* 6. ibi: *statuimus, ut distributiones ipsæ quoque quotidianæ, in quibuscumque rebus consistant, canonicis, ac aliis beneficiatis, & clericis Ecclesiarum ipsarum, qui eisdem Ecclesiis adfuerunt, tribuantur*: & in Trident. *sess.* 24. *cap.* 12. *de Reformat*: Ergo in illis, compositio locum non habet.

199. Dubitabis: An coadiutores, qui habent certam portionem à canonicis coadiutis in congruam assignatam, teneantur ad horas canonicas? Affirmant aliqui Recentiores, apud Sanch. mox citandum; & tenet Acosta *q.* 76. *Vers. Coadiutores verò*, dicens, si omittant aliquas horas, perdere; hanc tamen amissionem non accrescere aliis canonicis, seu beneficiatis; sed deberi fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus; & super illa, posse per Bullam, aut cum Commissario componi.

200. Dicendum tamen est, hos Coadiutores, ex vi coadjutoriæ, non teneri ad horas, quamvis sedem habeant in choro, & vocem in capitulo. Probatur primò, quia Coadjutoria non est beneficium, ut omnes docent; ut videre est apud *Soar. tom.* 2. *de Relig. l.* 4. *de horis canon. cap.* 22. *n.* 19. & alios, quos citat; & obligatio recitandi, apud beneficiarium proprietarium remanet: ergo ad horas non tenentur: unum enim beneficium duos non obligat.

201. Probatur secundò, quia nec ad recitandum tenentur ex congruâ sibi à coadjutis assignatâ, nec aliis titulis; quia congruam recipiunt in stipendium sui laboris, quem subeunt ob proprietarium; & quamvis sedem habeant in choro, est post alios canonicos, & vocem in capitulo, ut adjutum in ea juvent. Sic Soar. *cit. & n.* 22. Sanch. *l.* 2. *consil. cap.* 2. *dub.* 64. Garcia Castr. Palao Trullench, & alii, quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 6. *tract.* 8. *disp.* 2. *q.* 77. *& seqq.* Ex hac sententia liquet, contra Acosta, dictos coadjutores, si non recitent, nec teneri ad restitutionem, nec indigere beneficio compositionis.

202. Du-

202. Dubitabis secundò: An dicti Coadjutores, saltem tanquam pensionarii, teneantur ad officium B. Virginis? Respondeo cum distinctione; si coadjutor propriam habeat pensionem, super beneficium; certum est teneri ad Officium B. Virginis; juxta Const. B. Pii V. supra citatam; nisi aliàs canonicum recitet; quia sic recipit talem pensionem, ut clericus, & ut coadjutor in spiritualibus. At si solùm recipiat ex fructibus beneficii aliquam sustentationem, per modum stipendii, non tenebitur; quia non comprehenditur sub motu B. Pii V. sed tantùm satisfacit suæ obligationi ministerium suum implendo. Sic Soar. *dict. cap.* 22. *n.* 22. *in fine*, & Leand. *cit. q.* 80. Quare si Coadjutores verè sint Pensionarii, modo dicto, & omittant officium; dicendum est teneri ad restitutionem; & posse per Bullam componi, ut jam *supra num.* 19. vidimus; non verò sint Coadjutores; & partem fructuum habeant, tanquam stipendium.

203. Tertiò dubitabis: An canonici, qui horas canonicas omittunt recitare, teneantur, ex fructibus principalibus, quos vocant *Grossam*, restituere fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus, aut ipsis canonicis? Respondeo, aliquos Recentiores cum Navarr. apud Sanch. *l.* 2. *Consil. cap.* 2. *dub.* 18. *n.* 7. docere, restitutionem eorum fructuum deberi canonicis, & non fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus. Et id, ex consuetudine observari in Cathedrali Eborensi, tenet Acosta *q.* 98. *Vers. Deinde & q.* 76. ubi asserit cum Navarr. regulariter loquendo, canonicos non facere compositionem; quia fructus, quos vocant *Grosso* etiam pertinent ad alios canonicos, & non ad fabricam Ecclesiæ, vel pauperes.

204. Dicendum tamen est, præcisâ consuetudine, si qua datur, in aliqua Ecclesia cathedrali, vel Collegiata; canonicos, si omittant horas canonicas, teneri ad restitutionem fructuum, quos appellant *Grosso*, fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus. Ita Sanch. *loco cit.* & ab eo consultus. Henriq. dixit sententiam Navarri esse falsam, & *l.* 7. *de indulg. cap.* 36. *n.* 3. *in Gloss. lit. V.* & Abreus *de Parœch. l.* 10. *n.* 561. Probatur primò, quia hæc pœna restituendi fabricæ, vel pauperibus imponitur *in Concil. Lateran. & Const. B. Pii V. supra cit.* omnibus non recitantibus, & expressè canonicis, ibi: *quilibet habens beneficium cum cura, vel sine illa*: ergo fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus, & non aliis canonicis facienda est. Secundò probatur, quia potest contingere, quòd canonicus, qui non recitavit, æquè ac alii, Ecclesiæ ministraverit: ergo æquum non est, ut aliis canonicis fiat restitutio.

205. Ex hac sententia sequitur, canonicum, qui omisit horas, posse se per Bullam componere; & debere; si nolit fructus ex *Grosso*, amissos Ecclesiæ, vel pauperibus restituere. Sic idem Sanch. *citat.*

206. Nullatenus tamen, si non recitet, & choro assistat, tenetur distributiones restituere: quia illas Lucrari docet Sanch. *cit. n.* 3. *& dub.* 101. Navarr. *in summ. Hispana. cap.* 28. *addit. ad n.* 133. *cap.* 25. & alii. Vide Leand. *dict. tract.* 8. *disp.* 6. *q.* 42. *&* 43. Tenetur tamen restituere *ex Grosso*, quia cum sola assistentia Lucrantur distributiones; ut colligitur *ex Trident. sess.* 21. *de Reform.* at cum sola assistentia, non satisfacit horarum recitationi, ut cum Pelliziario, & Tamborin. tenet Leand. *dict. q.* 42. Unde si non recitet, per Bullam potest se componere.

SECTIO XIX.

An compositio habeat locum, super fructibus amissis, ob non residentiam?

207. PRima sententia sustinet, posse non residentes componi per Bullam, sive sint Episcopi, sive quicumque alii curati, & animarum Pastores. Ita Thom. Hurt. *tom.* 1. *de Resident. l.* 4. *resol.* 17. *per totam*; quamvis *à n.* 24. asserat: Si praxis in Tribunali Cruciatæ vigeat, quòd nunquam facta sit compositio, ob non residentiam, illi standum esse; quia praxis, & stylus alicujus Curiæ, ut Lex, est inviolatè observanda; ut plures D. D. quos Latè congerit, & citat, tuentur. Eandem videtur innuere sine Limitatione, Hieron. Garcia *in summ. tract.* 2. *diffic.* 8. *dub.* 3. *n.* 10. dum inquit hæc verba: *Los Prelados, Parrochos si se ausentan, mas del tiempo, que les señala el derecho, es cierto, que deven restituir los fructos de la Grussa, como lo decido el Concil. Trident. sess.* 6. *cap.* 1. *de Reformat. Pero pues señala la fabrica, o pobres, parece, que desto podian haber composicion; lo contrario dicen algunos Doctores, pero non traben el fundamento.*

208. Probatur primò ab Hurt. ex ipsa Bulla compositionis, in qua sunt hæc verba: *Ac etiam super malè ablatis, & per usurariam pravitatem, aut aliter malè acquisitis; dummodo in omnibus prædictis casibus... personæ non reperiantur, componere, & ita debitores Liberare*: sed ex his verbis colligunt, & benè authores, posse uti compositione illum, qui habuit beneficium absque titulo; quia illud acquisivit simoniacè, vel dum erat publicè excommunicatus, & irregularis; quamvis in clausula non sit expressus: ergo etiam poterit, uti compositione Prælatus, aut quilibet Pastor, super fructibus illicitè perceptis, ob non residentiam; quia minus est delictum, quàm acquirere beneficium simoniacè.

209. Secundò probatur, quia sub prædicta clausula comprehenditur compositio, super fructibus, ob non residentiam Pastorum, quia fuit publicata post Concil. Trident. & videtur illi implicitè derogare; maximè, quia Concil. non Loquitur de Cruciata concessa Regibus Hispaniarum ob motivum excellens; scilicet, bellum adversus infideles, ad cujus derogationem requiritur expressa mentio; cùm privilegia Bullæ dentur, per modum contractus.

210. Tertiò, probatur, quia licèt in Bulla Cœnæ, in illius fine, & in Bulla Anni S. Jubilei, dentur clausulæ revocatoriæ, quæ clariores excogitari non possunt; non tamen revocant Bullam Cruciatæ, ut ostendimus *disp.* 1. *sect.* 13. *& sect.* 15. ex eo quòd Bulla concedatur per contractum: ergo etiam *in Concil. Trident. loco infra citando*, non revocatur privilegium compositionis super fructibus illicitè acquisitis, ob non residentiam; ex eo quòd privilegia Bullæ sunt data per contractum.

211. Quartò probatur, quia in Bulla expressè non excluditur compositio, super fructibus, ob non residentiam. Deinde fructus, ob non residentiam applicantur pauperibus, aut fabricæ Ecclesiæ, supra

pra quos, S. Pontifex habet plenum Dominium; & si velit, potest, super illis compositionem concedere: ergo illam censetur concedere, dum illam non excipit: si enim illam voluisset excipere, id exprimeret; sicut alias exceptiones expressit: scilicet, ne absolverentur aliqui casus in Bulla Cœnæ contentis, ut vidimus *disp.* 16. *in principio*, & ne commutarentur aliqua vota, ut etiam vidimus *disp.* 21. *n.* 1.

212. Si opponas contra hanc sententiam, S. Cardin. declarationem publicatam die 28. Martii anno 1585. quæ ab aliquibus authoribus, *infra citandis*, affertur; & sic habet: *non potest componi debita restitutio fructuum perceptorum vi Cruciatæ, vel aliarum facultatum post Concil.* Respondet Thomas Hurtad. post decretum Urbani VIII. esse revocatas declarationes Cardinalium, quæ non sint publicatæ, sub certa forma ab eo præscripta, de qua diximus *disp.* 1. *n.* 103. Et huic declarationi nullam esse dandam fidem, declaravit supremum fidei Concilium Hispanum die 7. Octobris, 1633. Quare præcisâ alia authentica declaratione, res non est omnino certa ex jure.

213. Non obstantibus fundamentis hujus sententiæ, quæ apud dictum Hurtadum non sunt infimæ notæ; ut ait, reputo, non esse admittendum; quia per ea fundamenta non fit satis Concil. Trident, quod hanc compositionem prohibet. Quod non censetur revocatum per Bullam Cruciatæ, post illud promulgatam. Imò si dentur aliquæ concessiones in Bulla Cruciatæ, aut in aliis Bullis, aut decretis, contra dispositionem Trident. non censentur concessæ, nisi de ipso Trident. expressa fiat mentio; nam S. Pontifex illi non intendit obsistere; ut docet Mend. mox citandus, & D. D. communiter. Et cùm Bulla Cruciatæ sit concessa post. Trident. nihil probat Hurtad. Et ex hoc patet non revocari Bullam Cruciatæ per annum S. Jubilei; quia illa conceditur, & promulgatur post Bullam concessam, ex dato contractu. Et Bulla Cœnæ, etiam privilegia Bullæ ad aliquas absolutiones non revocat, ex ea ratione, quam attulimus suprà *disp.* 1. *n.* 126.

214. Secunda sententia absolutè, & sine aliqua distinctione asserit, non posse fieri compositionem per Bullam, super fructibus, ob non residentiam, perceptis. Sic Cardin. de Lug. *tom.* 1. *de just. disp.* 21. *n.* 112. *vers. Adverte.* Fragos. *tom.* 2. *disp.* 7. *de Bull. Cruciat. n.* 45. Garcia de benef. *part.* 3. *cap.* 2. *n.* 26. Henriq. *l.* 7. *de indulg. cap.* 36. *n.* 3. Navarr. in Summ. *cap.* 25. *n.* 21. Rodrig. *in declar. hujus Bullæ casu* 1. *n.* 18. Bard. *part.* 3. *tract.* 5. *disserr.* 2. *cap.* 4. *n.* 2. Ludovic. à Cruce *in Bull. disp.* 2. *dub.* 8. *n.* 2. & alii.

215. Tertia sententia, quam probabiliorem, & sequendam censeo, distinctione utitur. Nam beneficia, quæ residentiam postulant, vel curam animarum habent, vel non: si primum, non possunt, uti Bullâ compositionis, beneficiarii super fructibus, ob non residentiam, perceptis. Sic docent Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *de Bull. punct. ult. n.* 3. Trullench. *in Bull. l.* 3. *casu* 2. *n.* 6. Mend. *disp.* 34. *n.* 34. Barb. *in collect. ad Trident. sess.* 23. *cap.* 1. *de reformat. cum pluribus n.* 21. Escobar. *in Theol. moral. tom.* 1. *n.* 408. & alii. Ratio est, quia Trident. *sess.* 23. *cap.* 1. §. *si quis*, in quo prohibetur hæc compositio per hæc verba: *Prohibitâ quacunque conventione, vel compositione, qua pro fructibus malè perceptis, appellatur, ex qua etiam prædicti fructus, in totum, aut pro parte ei remittantur: non obstantibus, quibuscunque privilegiis, cuicumque collegio, aut fabricæ concessis*, solùm loquitur de habentibus beneficia curata: Ergo Episcopi, & Parochi, & quicunque alii animarum curam habentes, si non resideant in suis Ecclesiis ultra peccatum mortale, suos non faciunt fructus, sed fabricæ Ecclesiæ, aut pauperibus sunt restituendi; nec per Bullam super illis possunt componi. Excipitur tamen à Trident. tempus, quo permittitur abesse, & designantur causæ, pro quibus potest esse licita absentia. Vide Barbos. *in cit. Locum Trid.* ubi enumerat causas, & qui teneantur ad residentiam.

216. Si secundum, scilicet, si beneficiati non habeant curam animarum, & ratione beneficii teneantur ad residentiam, non illis prohibetur, *in citato loco Trident.* componi per Bullam: Ergo si aliud non obstet impedimentum compositione uti possunt, si non residentes fructus perceperunt. Sic Trullench. *cit.* Loquens de fructibus beneficiorum simplicium, citans Sayr. *l.* 10. *tract.* 2. *cap.* 5. *n.* 23. *fol.* 784. & Mend. *cit. n.* 35. & rectè id extendit ad omnia beneficia non curata, ut canonicatus, capellanias, & alia, ad quorum fructus percipiendos residentia requiritur; & fructus aliunde aliis non accrescant residen ibus; nam si aliis accrescant, de illis non potest fieri compositio, sicut de distributionibus non potest, ut diximus *n.* 197.

217. Dices: In Bulla Latina derogantur clausulæ contra ipsam Bullam, ibi: *Etiamsi clausulas aliquas contra suspensionem hujusmodi facientes contineret*: Ergo non videtur stare dispositio *Trid.* contra compositionem ab ipsa Bulla concessam. Respondeo primò, per Bullam non derogari Trident. imò per Tridentinum, quæcunque privilegia derogantur, si contra ipsius dispositionem sint concessa: ut jam *supra* notavimus *n.* 213. nam si de illo non fiat expressa mentio, intentio S. Pontificis est, ut illi non derogetur. Respondeo secundò, illa verba Bullæ Latinæ esse intelligenda de locis, & personis particularibus, quibus aliquid est concessum cum derogatione ipsius Bullæ Cruciatæ: nam hoc per prædictam Bullæ clausulam, derogatur; ut jam alibi notavimus.

218. Ex supra tradita doctrina infertur, illum, qui ex pluribus beneficiis incompatibilibus fructus percepit, quod prohibetur, *in cap. multa, de præbend. & Extravag. Execrabilis, eodem tit.* non posse componi per Bullam super fructibus illorum beneficiorum, in quibus residentiam non facit; quia id prohibetur in Trid. *loco cit.* Et ita tenent, & declarasse Commissarium Hispanum, testantur aliqui. Sic Ludovic. à Cruce *in expos. Bull. disp. dub.* 8. *n.* 3. Trullench. *dict. lib.* 3. *casu* 2. *n.* 6. Cardin. de Lug. *disp.* 21. *n.* 112. *cit.* & apud ipsum Salas. Bard. *dict. cap.* 4. *n.* 5. Ratio est, quia, qui plura beneficia habet in uno tantùm potest residere: Ergo cùm ab aliis sit absens, illorum fructus non potest facere suos; ac proinde, nec super illis componi.

219. At Mend. proximè *n.* 36. id intelligit; & rectè, quando illa beneficia, in quibus non residit, habebant curam animarum *juxta Trid. cit.* vel fructus aliis residentibus accrescebant; *juxta dict. proximè n.* 21. nam super his dari non potest compositio: at si nec curam animarum, nec aliis residentibus, fructus accrescebant, benè poterit, super illis fieri compositio, ut dictum est *n.* 216.

220. Ad-

220. Adverte etiam ad calcem hujus Sectionis, non habere locum compositionem, in fructibus Hospitalium, quos eorum administratores perceperunt; quia præterquam quòd eorum creditor est certus, nempe, ipsum Hospitale; super his fructibus, negatur compositio, *in Trident. sess. 25. cap. 8. de reform. prope finem*, ibi: *Et prædictis nihilominus, etiam ad fructuum restitutionem, quos contra ipsorum hospitalium institutionem percepe-runt, qua nulla eis remissione, aut compositione indulgeatur, in foro conscientiæ, teneantur.* Et tenet Cardin. de Lug. *citat.*

221. Idem dicendum de distributionibus non interessentium, aut non recitantium, si alicui pio Loco ex distributiones applicentur: Nam cùm creditor sit certus, per Bullam non possunt componi: at ille pius locus habet se, in ea applicatione, ac chorus interessentes, quibus ex distributiones erant applicandæ, Sic Trullench. *cit. n.* 5. Mend. *n.* 38.

Secundus casus Bullæ Compositionis.

SECTIO XX.

An per Bullam, possint componi fructus malè percepti ab eo, qui canonicè beneficium non obtinuit?

222. HActenus de primo casu Bullæ compositionis; nunc ad secundum progredior, qui in Bulla compositionis, sic extat: *Item se poderam comper sobre os fructos Ecclesiasticos mal avidos, per estarem Ligados com censuras, penas, comque os nam podiam fazer seus.* In Bulla autem Latina, sic habetur: *Et super indebita perceptione fructuum Ecclesiasticorum propter ea facta etiam componere.* Ut hic casus rectè percipiatur advertendum est, hæc verba Latina esse apposita post concessionem Commissario factam, dispensandi cum illis, qui irregularitatem contraxerunt, eo quòd missas, aut divina officia celebrarunt Censuris, & pœnis Ecclesiasticis Ligati, ut jam *initio disp.* notavimus; in quibus verbis notandum venit, dictionem, *propterea* denotare ea, super quibus cadit compositio; quæ proximè erant dicta: Ut optimè explicat Commissarius per præfata verba. Ad illius tamen explicationem.

223. Supponendum primò, istam clausulam, non ita inveniri expressam in Bulla Hispana Latina: in illa enim, nec in Bulla compositionis exprimitur, ut possit dari compositio super indebita fructuum Ecclesiasticorum perceptione facta, ex eo quòd beneficiarii sunt censuris, aut aliis pœnis Ecclesiasticis, Ligati.

224. Supponendum secundò, dupliciter posse beneficiarios fructus malè, & indebitè percipere: primò, quando sine Legitimo titulo beneficia obtinuerunt. Quod pluribus modis contingere potest: putà, si absque Legitima ætate, si cum Simonia, si cum Bullis subreptitiis, si absque prima tonsura, si censuris, aut irregularitate Ligati existant; vel alio quocunque impedimento, de quibus videri potest. Castr. Palao *tom. 2. tract. 13. disp. 4. per totam.* Secundò possunt beneficiarii malè, & indebitè percipere fructus post Legitimam beneficii possessionem; si post illam in censuras incidant, si irregularitatem incurrant; vel alio juris impedimento, sint irretiti: His suppositis, in hac Sectione agendum est de compositione super fructibus malè perceptis, in primo sensu; in sequenti, de compositione super fructibus perceptis.

225. Inquirimus igitur: An virtute Bullæ possit fieri compositio, super fructibus perceptis ex beneficio invalidè obtento? Negat Cardin. de Lug. *tom. 1. de just. disp. 21. n. 113.* juxta Bullam Hispanam; & movetur quia, ut inquit, non videt clausulam, in ea Bulla, generalem, ratione cujus, compositio ad casus non contentos, sit extendenda: nam licèt in fine Bullæ compositionis, (intellige Hispanæ) nempe, *in §. 19.* apponatur clausula generalis, qua conceditur compositio super omnibus malè acquisitis, ex cujus vi, videtur, posse componi circa prædictos fructus malè perceptos; id intelligi debet, quando ignoratur ille, cui restitutio fieri debetur: at fructus ex beneficiis absque titulo canonico obtento, vel debentur Ecclesiæ, in qua est beneficium, vel successori: Ergo super illis, non habet locum compositio. Hæc sententia est probabilis.

226. Affirmant tamen communiter expositores Bullæ Hispanæ, Rodrig. *in declarat. Bull. compos. n. 16. vers. Notus*, Ludovic. à Cruce *disp. 3. dub. 7. n. 3.* Navarr. *de Spoliis §. 12. n. 2.* Hanc sententiam probabilem, & tutam in praxi existimat. Bard. *part. 3. tract. 5. dissert. 2. cap. 3. n. 26.* eam approbat Thom. Hurt. *tom. 1. de resident. l. 4. resol. 17. n. 4.* Eandem tenet Trullench. *l. 3. in Bull. cap. 2. n. 19.* at *n.* 21. illam limitat in eo, qui beneficium invalidè obtinuit, ex eo quòd illud acceperit existens in irregularitate contracta, ex simonia, ex homicidio voluntario, hæresi, apostasia, aut mala ordinum susceptione. Et Mend. *disp. 34. n. 42.* dictam sequitur sententiam, cum hac Limitatione, nempe, ubi non fuerit consuetudo, ut fructus, successori in beneficio, tradantur. Hæc sunt placita authorum juxta Bullæ Hispanæ explicationem: Quid ego sentio, juxta nostram Bullam, jam dico, per sequentes conclusiones.

227. Dico primò: Qui obtinuit beneficium absque Legitimo titulo, tenetur illud statim renuntiare, & pariter omnes fructus restituere, nisi bona fide illos acceperit, vel consumpserit, & exinde non factus sit ditior. Sic Bardi. *proximè n. 23.* Dian. *p. 11. tract. 5. resol. 2. vers. Ex quo fit*, Castr. Palao *tom. 6. disp. 2. punct. 11. n. 1. in fine*, & alii, qui licèt Loquantur de beneficio excommunicato collato; ratio, qua utuntur, ad omnes alios inhabiles extenditur. Quomodo autem se gerere debeat ille, qui sine infamia non potest beneficium deserere, non est hujus loci. Videantur Lessius. *l. 2. cap. 34. dub. 22. n. 122.* Dian. *proximè. Vers. Ratio est* & Marcus Paul. Leon. *in praxi, ad Litteras Majores Pœnitentiarii, part. 3. fol. 430. & seqq.* ubi affert formam hujusmodi dispensationum, & dubia circa illas resoluta.

228. Dico secundò: Per Bullam, non potest revalidari titulus beneficii; quia in illa, ad hoc, nulla datur facultas. Sic omnes, Mend. *nuper cit. n. 46.* Trullench. *cit. dist. n. 31. in fine.* Rodrig. *ubi supra* Bardi. *n. 24.* Aquo autem sit revalidandus, vide Lessium *loco cit.*

229. Dico tertiò: Super fructibus malè perceptis ab eo, qui invalidè titulum beneficii obtinuit, potest dari compositio. Probatur primò, quia ratio, qua fundantur Expositores Bullæ Hispanæ *citat. n.* 226. pro parte affirmativa, est quia Commissarius facultatem habet concedendi

compositionem, ad quæcunque malè, & illicitè habita; ut patet ex ipsa Bulla originali Latina, ibi: *Ac super illicitè habitis:* Sed in Originali Bullæ Lusitanæ dantur eadem verba; ibi: *Et super illicitè habitis:* ergo, ut dicti Expositores, nempe Rodrig. Trullench. Ludovic. à Cruce, Bardi, Mend. Thomas Hurtad. *locis citatis* concedunt, posse componi prædictos fructus malè perceptos, per Bullam, ab illis, qui Legitimum beneficii non obtinebant titulum; ita idem dicendum, juxta Bullam Lusitanam.

230. Probatur secundò, ex ipso originali Bullæ Lusitanæ: in quo conceditur compositio, super indebita perceptione fructuum Ecclesiasticorum, facta ab illis, qui censuris, & pœnis Ecclesiasticis, erant Ligati, *ut in principio hujus Sectionis vidimus:* Sed illi qui invalidè titulum beneficii obtinuerunt, ideo malè, & indebitè fructus percepernnt, quia Ligati censuris, & pœnis Ecclesiasticis, titulum Legitimum non sunt obtenti: ergo cùm ideo fructus indebitè perceperint, quia erant censuris, & pœnis Ecclesiasticis Ligati, per Bullam, possunt componi.

231. Neque dicas: Ideo fructus indebitè fuerunt percepti, quia non dabatur titulus canonicus beneficii, & non quia illos percipientes, erant censuris, & pœnis Ecclesiasticis Ligati: sed in Bulla, solùm conceditur compositio illis, qui erant censuris, & pœnis Ecclesiasticis Ligati; & non illis, qui illos fructus indebitè perceperunt, eo quòd titulum canonicum non habebant: Ergo quamvis illi, per Bullam possint componi, non tamen isti, carentes titulo Legitimo. Non inquam hoc dicas; quia respondeo primò, negando minorem, quia utroque modo, illicitè illi fructus fuerunt percepti, & habiti: in Bulla autem conceditur compositio, ad omnia illicitè habita; ut vidimus, ex ratione pro Bulla Hispana allata *n.* 229. quæ etiam juxta nostram Bullam habet eundem locum, ut ibi ostendimus. Respondeo secundò; ideo fructus indebitè fuêre percepti; quia percipientes, quando beneficia obtinuerunt, erant censuris, & pœnis Ecclesiasticis ligati. Unde semper verum est dicere fuisse fructus indebitè perceptos, ob censuras, & pœnas Ecclesiasticas.

232. Oppones adhuc primò, pro sententia Card. de Lug. & in part. pro illa Patris Mend. *n.* 223. *&* 224. *in fine*: Bulla compositionis non habet locum, quando dominus, cui facienda est restitutio, est certus: sed quando quis habet beneficium absque Legitimo titulo, dominus est certus: Ergo. Major constat ex ipsa Bulla. Minor ostenditur; quia beneficium, dum vacat, fructus obvenientes successori reservantur; ut patet *ex const. Julii III.* quæ incipit. *Cum sicut nobis nuper.* quæ ordine est 7. *in tom.* 1. Bullarii; vel sunt convertendi in utilitatem Ecclesiæ, in qua est situm beneficium, ut tenent Navarr. Sylvester, apud Trullench. *in Bull. l.* 3. *casu* 2. *n.* 9. *ex cap. præsenti de offic. ordin. in* 6. *& cap. quia sæpe, de election. eodem l.* 6. Et in hac Diœcesi observatur, quòd fructus successori reserventur; constitutis ab ordinario, œconomis, fideliter fructus colligentibus, & custodientibus: ut videre est *in Constit. Synodal. hujus Diœcesis Ulyssipponensis l.* 3. *tit.* 8. *decret.* 3. § 2. sed quando legitimus titulus ad beneficium non est obtentus, beneficium vacat: ergo cùm sit certus dominus, nempe, successor, vel Ecclesia, compositio fieri nequit.

233. Respondeo ad minorem: Quamvis dominus videatur certus, nempe Ecclesia; aut successor, non tamen habent jus, ad eos fructus, nisi dependeret à voluntate Pontificis; & in casu, quo de illis fructibus, ab eo non sit dispositum: cum verò à S. Pontifice aliter possit disponi: non obstat compositioni, illa domini certitudo. Ad majorem probationis quidquid sit; nam semper standum est consuetudini locorum approbatæ, ut rectè docet Soar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 4. *cap.* 53.

234. Ad minorem Respondeo, non eodem modo vacare beneficium, quando vacat per mortem; vel aliam justam causam; ac quando vacat, quia alius illigitimè beneficium obtinuit: nam in primo casu, vacat beneficium dè jure, & de facto; in secundo vacat de jure, & non de facto. Vide Castr. Palao *tom.* 2. *tract.* 13. *disp.* 6. *in principio*; & hoc supposito, distinguo minorem: quando Legitimus titulus, ad beneficium, non est obtentus, vacat beneficium ipso jure, & facto; nego minorem; vacat tantùm ipso jure, & non de facto; concedo minorem. Placuit ergo S. Pontifici, concedere compositionem, super fructibus, quando beneficium vacat ipso jure, & non de facto: Ut illam concedit, quando ad illum recurritur, pro revalidatione tituli beneficii sine Bulla, ut videre est apud. Leon. *supra cit. Verb. sibique fructus:* Et per Bullam, illam censetur etiam in præsenti concedere: Non autem illam concedit, quando de jure, & de facto beneficia vacant.

235. Addo si huic, qui beneficium habet absque Legitimo titulo, postea de novo titulus Legitimus à S. Pontifice, vel à potente confectatur; tunc poterit omnes fructus sibi retinere, *in iis locis, &* casibus, in quibus successori sunt *restituendi*; quia ille jam verus est successor; & hoc sustinent sine controversia D. D. Mend. *ubi supra n.* 47. *in fine* Bard. *cit. n.* 28. *etiam in fine*, & alii.

236. Oppones secundo: Si quis furetur ex fructibus beneficii ab eo, qui illud beneficium invalidè obtinuit; non potest se super ipsis fructibus, furto ablatis, componere: Ergo nec super ipsis fructibus ille, qui invalidè obtinuit, & possidet beneficium. Consequentia patet; quia tam injustè possidet fructus ille, qui eos furatus fuit, quàm ille, qui eos suos non fecit; eo quòd invalidè obtinuit, & possidet beneficium: Ergo si fur ille non potest uti Bulla compositionis, nec etiam iste injustè possidens; dicere autem, quòd ille fur possit se per Bullam componere, erit incredibile; & negare, non est cohærentia; quia bona ab utroque ablata, sunt aliena, & habent certum dominum, respectu utriusque, qui vel est successor, vel Ecclesia.

237. Respondeo, negando consequentiam: dispar ratio est, quia latroni constat, eum beneficiatum possidere eos fructos, & non posse eos ab illo furari. Et si certò ipsi Latroni constet, beneficiatum invalidè obtinuisse beneficium, & fructus non facere suos; adhuc potest præsumere, illum obtinere à S. Pontifice beneficii revalidationem. Et etiam dato, quòd certò cognoscat, hanc revalidationem non esse obtenturum: Adhuc ipse beneficiatus de facto beneficium possidet; quamvis de jure, illud non possideat; ut *proximè n.* 234. dictum est. Et hoc sufficit, ut non possit, uti, pro furto ablatis ab ipso beneficiario, compositione; sicut non potest, qui depositum furripuit à depositario, licèt depositi ignoret dominum, etiam factâ diligentiâ; quia tenetur illud tradere depositario, titulo depositi possidenti: hæ tamen

tamen rationes non militant in beneficiato, qui invalidè obtinuit beneficium, & habet illas, quæ sufficiunt ad justam compositionem, ut vidimus *n.* 229. *& seqq.*

238. Oppones tertiò pro Trullench. Limitatione: Commissarius non potest revalidare titulum, nec tollere irregularitatem, ex homicidio Voluntario, Simonia, hæresi, apostasia, aut ex mala ordinum susceptione, incuriam ab illis, qui invalidè beneficium obtinuerunt: Ergo etiam non potest, super illis fructibus, compositionem concedere. Respondeo, negando consequentiam: non enim benè arguit Trullench. ex impotentia revalidandi titulum, & dispensandi eas irregularitates, impotentiam ad compositionem: ut patet in pluribus exemplis: nam certum est, non posse Commissarium revalidare contractum illicitum usurarium; & tamen, super illicitè acquisitis, per usuras, potest compositionem concedere; non potest tollere excommunicationem Latam à S. Pontifice, vel ab Episcopo; potest tamen huic excommunicato compositionem impertire; & sic in aliis: Ratio ergo desumenda est ab iis, quæ à S. Pontifice illi conceduntur, vel non: conceditur enim ei, ut facere possit eam compositionem; non verò, ut possit eum titulum revalidare.

239. Ex dictis sequitur, suscipientem beneficium parochiale absque intentione recipiendi, intra annum, presbyterium, posse componi per Bullas, aut cum Commissario, super fructibus, durante eâ intentione, perceptis; quos suos non fecit, juxta textum *in cap. licet canon. de elect. in b.* de quo vide Castr. Palao *tom.* 2. *tract.* 13. *disp.* 4. *punct.* 7. *à n.* 3. Hujus ratio, est eadem, quam *supra n.* 229. *&* 238. assignavimus. Sic Bard. ubi *supra n.* 29. Trullench. *l.* 3. *in Bull. casu* 2. in fine, Ludovic. à Cruce *ibidem disp.* 3. *dub.* 7. *n.* 5. quamvis oppositum teneat Cardin. de Lug. *supra citat.*

SECTIO XXI.

An possidens beneficium, excommunicatione Ligatus, virtute Bullæ, componi valeat?

240. COnceditur in Bulla compositio, super fructibus malè perceptis ab iis, qui censuris, & pœnis Ecclesiasticis erant Ligati; quæ concessio non datur ita expressè in Bulla Hispana; quamvis illius Expositores ad illos eam extendant. Sectione præcedente egimus, de illis, qui invalidè ob eas censuras, & pœnas, obtinuerunt beneficia, & ob eam causam à censuris, & pœnis Ecclesiasticis ortam, fructus non faciebant suos. Nunc dicendum de iis, qui validè, & Legitimè beneficia obtinuerunt; at post illa obtenta, in censuras, & pœnas Ecclesiasticas inciderunt; ob quas fructus suos non fecerunt; & super his, compositionem, per Bullam, fieri desiderant; quod an possint? per sequentes demonstrabo sectiones; in præsenti tamen erit de excommunicato: idcirco.

241. Inquirimus: An dum beneficiarius Legitimè possidet beneficium, si excommunicationem incurrat, & illâ non obstante, percipiat fructus beneficii, illos faciat suos? Prima sententia affirmat, ipso jure, fructus non facere suos; qui tempori durationis excommunicationis correspondent. Idque probat *ex cap. Pastoralis, §. Verum de appellat.* in quo loquendo de excommunicato, inquit: *Illi proventus Ecclesiastici, meritò subtrahuntur, cui Ecclesia communio denegatur*; & sustinent Soar. *de censuris disp.* 13. *de censur. Sect.* 2. Garcia *de benef. part.* 7. *cap.* 13. *n.* 90. & alii, quos supra duodecim citat, & sequitur Leand. *tom.* 4. *tract.* 2. *disp.* 9. *q.* 28. quibus addi possunt alii plures, ab authoribus adducti mox citandis.

242. Juxta hanc sententiam quæ sanè est communis concedit S. Pontifex Commissario facultatem, ut possit componere dictos beneficiarios, super fructibus, quos suos non fecerunt, dum erant Ligati excommunicatione; sive essent tolerati, sive non tolerati: Hæc concessio manifestò constat, ex verbis Commissarii, in ipsa Bulla compositionis, *supra allatis*, ibi: *Item sepoderam compor sobre os fructos Ecclesiasticos mal auidos, por estarem Ligados com censuras, epenas comque os nam podiam fazer seus.* Quæ concessio est transcripta ex Bulla Latina: ut supra notavi, & supponit excommunicatum suos non facere fructus, ut tenet sententia communis proximè adducta. Idem tenent Bard. *part.* 3. *tract.* 5. *dissert.* 2. *cap.* 3. *n.* 30. Mend. *disp.* 34. *n.* 40. juxta Bullam Hispanam, in qua hæc concessio non est expressa, sicut in nostra Bulla, ut videre est apud Bard. *part.* 3 *tract.* 5 *dissert.* 2. *cap.* 3. *n.* 1. *in fine.*

243. Cæterum cùm secunda & negativa sententia, sit maximè probabilis, negans ipso jure, beneficiarium privari fructibus, ante sententiam judicis declaratoriam; dummodo per se, vel per alium exequatur onera, & officia beneficii; juxta illam, non indiget excommunicatus compositione; saltem ante sententiam judicis. Hanc sententiam defendunt Vasq. *de benef. cap.* 4. §. 3. *dub.* 4. *n.* 229. ut certissimam, Castr. Palao *tom.* 6. *disp.* 2. *de cens. punct.* 11. *n.* 4. *ut veriorem.* Gasp. Hurt. *de excomm. disp.* 6. *diff.* 1. *n.* 2. Bonac. *de cens. disp.* 2. *q.* 2. *punct.* 4. §. 2. *n.* Ægid. Coninch. *de cens. disp.* 14. *dub.* 9. *diff.* 3. *conclus.* 2. Laym. Præpos. Avil. Henriq. Navarr. Cand. & alii, quos citatos refert. Dian. 4. *part. tract.* 4. *resol.* 54. *& part.* 6. *tract.* 9. *resol.* 104. & apud Leand. *proximè.*

244. Ad textum *in cap. Pastoralis* respondent eam pœnam textum non inferre: nam verbum illud *subtrahuntur*, actionem spoliationis significat; quæ ab homine fit, non à Lege. Cùm ergo juxta hanc sententiam, necessaria non sit compositio, cùm tamen prima sententia sit tutior, & pro se graves habeat authores, poterit excommunicatus, ad majorem cautelam, per Bullam, vel cum Commissario, compositionem facere. Sic Bardi, & Mend. *citat.*

SECTIO XXII.

Quando suspensione Ligatus, compositione gaudere possit?

245. TUnc datur compositioni Locus, in suspensione Ligatis, quando illicitè, & malè, ob hanc censuram, vel pœnam Ecclesiasticam, in iis casibus, in quibus tantùm est pœna, ut vidimus *disp.* 15. *Sect.* 2. *in fine*, fructus

Ecclesiasticos beneficiarii perceperunt. In quibus autem casibus illos illicitè percipiant manifestabitur per sequentia quæsita.

246. Inquires primò: An beneficiarius, suspensione tantùm ab officio, innodatus; sive suspensio sit à jure, sive ab homine, licitè possit beneficii fructus suscipere? Negant. Valent. Paludan. Bernard. Diaz. Navarr. Glossa *in cap. Latores. Verb. ab officio, de cleric. excommunic. ministrante*, apud Castr. Palao *tom. 6. de cens. disp. 4. punct. 5. §. 1. n. 4.* existimantes, suspensum ab officio, esse etiam suspensum à beneficio; ac proinde fructus beneficii non posse percipere: Et id videntur probare; ex eo quòd beneficium officio sit accessorium: Ergo suspenso principali, nempe officio, censetur etiam suspensum accessorium, nempe, beneficium, juxta text. *in cap. final de rescrip. in 6. & regul. Accessorium, de regul. juris, in 6.*

247. Juxta hanc sententiam, quæ apud Canonistas reputatur vera, si suspensio ab officio sit ab homine, sive à jure, potest fieri compositio, super fructibus perceptis; quia in Bulla conceditur compositio in fructibus malè perceptis ab his, qui sunt censuris, Ligati; quia suos non faciunt fructus; dum in eo statu existunt: ut vidimus *supra n.* 242. suspensio autem est censura.

248. Cæterum, quia opposita sententia, nempe suspensum ab officio, non esse à beneficio suspensum, est communis, & verior, ut docent Sanch. *l. 3. de matrim. disp. 51. n. 21.* Soar. *de censur. disp. 26. sect. 3. n. 4.* Bonac. *in tom. 1. disp. 3. de suspensione punct. 2 n. 10.* Sayr. Avil. Filliuc. Ugolin. Villal. Laym. Henriq. Bauny. Barbos. Gaspar Hurt. & alii plures, quos referunt, & sequuntur Castr. Palao, ubi *supra* Dian. *part. 5. tract. 10. resol. 1.* Leand. *tom. 4. tract. 4. disp. 3. q. 4. & 5.* probant; quia suspensio ab officio, & suspensio à beneficio, ut distinctæ, feruntur in aliquibus textibus; ut *in cap. inter, de purgat. canonic. cap. quisquis de election. cap. quia sæpe*, eodem titulo, & aliis: Ergo suspensio ab officio non comprehendit suspensionem à beneficio: ergo suspensus ab officio licitè potest percipere beneficii fructus; si per se, vel per alium, illius oneribus satisfaciat; & sic juxta hanc sententiam compositione non indiget.

249. Ad fundamentum contrariæ sententiæ *n.* 246. allatum, respondetur, negando, beneficium esse officio accessorium; nam si ita esset in quibus dàtur officium, daretur beneficium: Quod est falsum; quia dantur plures, qui officium, non tamen beneficium habent.

250. Inquires secundò: An suspensus à beneficio possit percipere fructus beneficii, antequam ab illis per sententiam privetur? Communis sententia negat, & probat: quia suspensus ab officio, ante sententiam judicis, privatur ab omni actu officii: Ergo etiam suspensus à beneficio, ipso jure, privatur ab omnibus fructibus ipsius beneficii, antequam à judice per sententiam privetur. Ita docent plures, quos *initio sect. præcedentis citavimus*, quibus addo Castr. Palao *dict. disp. 4. punct. 5. §. 2. n. 6. in fine*, Leand. *dict. tom. 4. tract. 4. disp. 3. q. 27. & 28.* & apud ipsum Gasp. Hurt. Cornejo, & alii.

251. Probabile tamen est dictum suspensum à beneficio posse beneficii fructus percipere; dum ab illis per sententiam, non privatur. Sic Avil. *de censur. part. 2. cap. 6. disp. 6. dub. 1. conclus. 2.* Dian. *part. 5. tract. 10. resol. 3.* & apud illum Tener. *tom. 4. disp. 6. q. 10. dub. 7. n. 137.* Joann. Præpositi. *in 3. part. q. 2. n. 2.* & supponere videtur Fragos. *tom. 2. disp. 7. de Bull. Cruciatæ n. 47.* Et probari potest; quia ut vidimus *sect. præcedente*; probabile est excommunicatum non teneri fructus beneficii restituere, ante sententiam: Ergo etiam non tenetur suspensus, ante sententiam declaratoriam, fructus beneficii restituere.

252. Addunt prædicti authores, posse dictum suspensum à jure, tutâ conscientia, recipere omnes fructus, si Officio publico interfuerit. Et etiam si illis egeat ad se, suamque familiam sustentandam; secus dicendum, si sit suspensus ob contumaciam; quia nisi sit in extrema necessitate, fructibus Ecclesiasticis non est alendus; quia à contumacia, & à suspensione potest resipiscere, & absolutionem exigere. Sic alii plures apud Leand. *proxime q. 29.* qui in hoc ultimo cum illis convenit.

253. His allatis sententiis, cùm suspensus à beneficio, ipso jure à fructibus sit suspensus: illos tamen percepit, sive ante, sive post sententiam; potest super illis, per Bullas, & cum Commissario componi. Ratio est, quia in Bulla conceditur compositio, super fructibus malè perceptis, ob censuras: ut vidimus *supra n.* 242. sed prædictus suspensus à beneficio, sive ante sententiam, juxta communem, & tenendam opinionem; & post sententiam judicis, juxta omnes fructus malè percepit, in dicta suspensione existens: ergo super illis potest, & debet componi. Secus dicendum juxta aliam opinionem *n.* 250 allatam, & ante judicis sententiam.

254. Intellige tamen compositionem *faciendam*, post sententiam judicis, vel *juxta communem* sententiam *n.* 250. cum duplici limitatione: prima, si judex; per sententiam, illos fructus alicui pio loco applicavit; nam in hoc casu, non potest super illis fieri compositio; quia jam datur certus dominus à judice designatus. Secunda, quando fructus sibi, suæque familiæ ipse beneficiarius, ad se ipsos alendos assumpsit, non habentes unde se possint alere: nam in hoc casu non eget compositione. Sic de hac secunda limitatione tenet Fragos. *ubi supra*. Et ratio esse potest, quia in ea necessitate constitutus, non tenetur beneficiarius ad restitutionem: ut *supra n.* 252. cum aliquibus authoribus notavimus: Ergo eâ necessitate cessante; & quando jam potest, & tenetur restituere; poterit se componere.

255. Quod in hac Sectione dictum est de suspensione, prout est censura, dicendum etiam est de suspensione, quando est mera pœna. Quia quoad compositionem non datur inter utramque aliquod discrimen: Quippe S. Pontifex æquè concedit compositionem super fructus malè susceptos à censuris, ac pœnis Ecclesiasticis, Ligatis; ut constat *ex citato n.* 242. Quando autem suspensio dicatur pœna, & non censura, vide *disp. 15. sect. 2. in fine.*

SECTIO XXIII.

Quando interdicto Ligatus compositione uti valeat?

256. BEneficiarius specialiter interdictus, qui in propria persona est interdictus; vel qui causam dedit interdicto locali, & à fortiori; interdicto generali personali; non potest fructus recipere,

re, à censurâ est ligatus, qui correspondent Sacramentorum administrationi, juxta *dicta supra sect.* 16. Nam interdictus specialiter, per hanc censuram prohibetur; non solùm passivè recipere, sed etiam activè sacramenta administrare. Deinde prohibetur divinis interesse, & si fructus percipiat, his oneribus annexos, vel correspondentes, malè, & injustè illos percipit. Et hoc ostenditur; quia sic ut interdictus ab ingressu Ecclesiæ, non potest distributiones, quæ interessentibus conferuntur, percipere; quia privatur divinis officiis, ut docet Bonac. *tom. 1. tract. de iis quæ ad divin. offic. in chor., &c. disp. 2. q. 5. punct. 2. §. 4. n. 2. & 3.* supponit Barbos. *de Offic. & pot. Episc. part. alleg. 53. n. 176.* cum pluribus citatis; ita etiam beneficiarius specialiter interdictus prohibetur, recipere fructus iis oneribus correspondentes; quæ, per interdictum, illi prohibentur.

257. Si tamen dictos fructus percipiat; censeo, posse super illis, per Bullas, vel cum Commissario componi: dummodo ii fructus non sint à Judice alicui pio loco applicati; nec compositio fiat, super distributionibus. Ratio primi est, quia in Bulla sine aliqua limitatione, conceditur compositio, super fructibus malè perceptis ab iis, qui sunt censuris ligati: at prædictus beneficiarius malè illos percepit, existens censura interdicti Ligatus. Ratio secundi etiam ex dictis, *in hac disp.* patet; nam ubi certus reperitur Dominus, non datur compositio: quando verò à judice sunt determinato loco, vel à jure, determinatis personis bona applicata, datur certus Dominus.

258. Idem dicendum existimo, si beneficiarius sit interdictus, non sub ratione medicinæ, sed sub ratione pœnæ ob culpam præteritam: in quo eventu rationem non habet censuræ: nam in hoc casu, cùm videatur esse potius suspensio, quàm interdictum; idem quod de suspensione purè pœnâ *præcedente sectione n.* 255. diximus quoad compositionem, dicendum est de interdicto, quando merè pœna est.

259. De beneficiario, qui fuit causa, ut Ecclesia violaretur; quæ etiam *vulgo* dicitur interdicta; cùm ex eo, non incurrat privationem fructuum, non datur locus compositioni; nam adhuc potest suum exercere officium in alia Ecclesia, vel capella; dum propria non reconciliatur. Si tamen ante reconciliationem, in ea Ecclesia celebret; incurret suspensionem, juxta Azor. 2. *part. l. 10. cap. 26.* & Graf. apud Bonacin. *tom. 1. q. 4. de matr. punct. ult. n. 26.* qui rectè cum Soar. Sayr. Henriq. Et Trullench. tenet, nec suspensionem, nec irregularitatem incurrere; non solùm celebrando missam, sed etiam sepeliendo aliquem, vel persolvendo divina officia in ea Ecclesia: quia nullo in jure, ea pœna habetur expressa; & hæ pœnæ, nisi in jure exprimantur, non incurruntur.

SECTIO XXIV.

An beneficiarius irregularis compositione indigeat?

260. REsolutio hujus quæstionis dependet ab alia: An beneficiarius, ipso jure, & facto, per irregularitatem ex homicidio voluntario ortam, privetur beneficiis antea obtentis? Si enim illis privatur ipso jure, & facto; & non obstante irregularitate, beneficia retinet, & fructus percipit; vel illos debet restituere, vel per Bullas, aut cum Commissario componi; dum dispensationem non obtinet.

261. Et ipso jure, & facto, esse privatum beneficiis antea obtentis, docuerunt non pauci, apud authores citandos; ex eo fundamento, quòd Concil. Trident. *sess. 14. cap. 7. de Reform.* loquens de hac irregularitate, sic ait: *Qui sua voluntate homicidium perpetraverit, omni ordine, beneficio, & officio Ecclesiastico, perpetuò careat:* Si ergò ipso jure Trident. caret Ordine, beneficio, & officio; non requiritur sententia judicis, ut illis privetur.

262. Dicendum tamen est, ipso jure, & facto, non privari ante sententiam judicis condemnatoriam. Ita Castr. Palao *tom. 6. de censur. disp. 6. punct. 5. n. 9.* & apud ipsum Soar. *de censur. disp. 40. sect. 2. n. 15.* Navarr. *cap. 27. n. 249.* Henriq. *l. 14. cap. 2. n. 5.* Sayr. *l. 6. Thesauri cap. 2. n. 21.* Bonac. *tom. 1. disp. 7. de censur. punct. 4. n. 8.* Avila, Layman, Gasp. Hurt. Coninch. Ricius; accedit Leand. *tom. 5. de irregul. tract. 1. disp. 3. q. 13.* citans ultra allatos Bauny, Valentiam, Filliuc. Comejo, Machad. Villal. & Pellizarium.

263. Probant, quia hæc privatio nullo jure indicitur. Nam estò *in cap. 1. de homicidio, in 6.* ipso jure privetur beneficiis assassinus; & *in cap. cum secundum Leges, de hæret. in 6.* privetur hæreticus; & *in cap. siquis Episcopus 1. q. 1.* privetur Simoniacus; id non provenit ratione irregularitatis; sed ex delicto qualificato, & taliter perpetrato. Et quamvis in dictis textibus, privatio beneficii sit, ipso jure, Lata: nemo tamen tenetur beneficiis se spoliare, usque ad sententiam, saltem declaratoriam criminis; ut cum aliis tenent Soar. *sup. n. 17.* Castr. Palao *loco cit. in fin.*

264. Ad locum Trident. pro opposita sententia *n. 251.* adductum; respondent, ex Soar. Castr. Palao, & Leand. nihil per id decretum esse in hac parte innovatum. Quare verba allata, juxta ipsorum naturam, debent intelligi: nempe, ut carentia Ordinis, ipso jure, & facto, incurratur; alia verò, non nisi post sententiam judicis.

265. Ex hac sententia sequitur, beneficiarium assumentem coadjutorem, quem licitè assumere potest, ex causa adeo gravi; ut cum Soar. Navarr. Avil. Cordub. tenet Castr. Palao *cit. n. 11.* posse retinere beneficium, & fructus licitè percipere; & sic non indiget compositione; quam laudabiliter, si velit potest facere, juxta oppositam opinionem, quæ probabilitate non est destituta.

266. Dubitabis tamen: An post latam sententiam privationis beneficii, dictus beneficiarius indigeat compositione pro illo tempore, in quo existens irregularis fructus beneficii percepit? Respondeo, non indigere, si per se, vel per alium beneficii onera exercuit. Ratio est, quia habebat titulum beneficii; & per consequens jus ad fructus percipiendos. Et quod justè, & licitè, in hoc casu illos perceperit, sentiunt Soar. *cit. disp. 40. sect. 2. n. 20.* Castr. Palao *ubi supra n. 13.* Pellizar. *tom. 2. tract. 7. cap. 5. sect. 1. q. 13. Vers. Verum*, & alii, quos refert, & sequitur Leand. *ubi per cit. q. 14.*

Tertius, & quartus casus Bullæ compositionis.

SECTIO XXV.

De compositione super Legatis, per Legatarii negligentiam, unius anni spatio, non exacto.

267. TErtius casus Bullæ compositionis, sic extat in Bulla: *Item sobre ametade de todos os Legados, que forem feites, em descargo decouzas mal levadas, e acquiridas; se aspessoas, a que se deixaram ostaes Legados, forem negligentes por hum anno na cobrança delles.* Bulla verò Latina sic habet: *Ac dimidio Legatorum omnium, qua propter malè ablata, facta sunt, si Legatarii per annum, in exactione, negligentes fuerint.* Idem omnino habetur in Bulla Hispana.

268. Circa hunc casum, adverte primò, Legatum esse quandam donationem à defuncto relictam, & alicui ab hærede præstandam. Sic invenitur apud Bonac. *tom. 2. disp. 3. de contract. q. 17. punct. 8. §. 1. n. 1.* cùm verò Legata, de quibus in præsenti agimus, sint debitorum restitutio, non videntur nuncupari Legata; quia non sunt donationes; ut cum pluribus Solorzan. *de Indiar. gubern. l. 2. cap. 24. n. 123.* vide illum. Sed benè nuncupantur Legata, hoc loco; quia verbum *Lego* adhibetur aliquandò, ad significandum, quod per ultimam voluntatem relinquitur; ut constat ex *l. verbis, Legis ff. de verber. & rerum significat.* Et sic in præsenti, quòd venit nomine restitutionis, & alteri relinquitur, dicitur Legatum.

269. Secundò adverte, quod in præsenti, & in quarto casu disponitur, circa Legata; etiam ad fideicommissa, extenditur. Estò enim, quòd inter se distinguantur: nam fideicommissum est Legatum, quod fidei hæredis est commissum, ut alteri ab eo præstetur; at Legatum verbis directis Legatario relinquitur: ita tamen æquiparantur, ut parum, aut nihil inter se differant. *l. à Titio ff. de verber. oblig. l. illud ff. ad Leg. Aquiliam.* Fagund. *de just. l. 6. cap. 1. n. 17.*

270. Tertiò adverte, hujus casus compositionem super medietate Legatorum, posse solùm fieri ab hærede testatoris; & si hic hæres moriatur; ab eo, qui in ejus bonis successit: at compositio super medietate fidei commissi, solùm fieri potest ab eo, cui testator illud demandavit.

271. Quartò adverte, hanc compositionem concedi, quando dominus Legati est certus, & potest inveniri. Unde in aliis compositionibus semper requiritur, quòd dominus sit incertus, aut non possit inveniri: at in hoc fit exceptio, ibi: *Præterquam dicta annalis negligentia.* Ratio autem hujus concessionis est; quia licèt Legatarius jus in re acquisierit per mortem testatoris, ad illud Legatum; illud tamen jus adquisitum, non fuit perfectum; sed revocabile per S. Pontificem, intercedente justâ causâ: & justa causa intercedit, ad hanc compositionem concedendam in favorem Bullæ Cruciatæ, per negligentiam Legatarii, in exactione hujus Legati; & quòd bona ad hoc Legatum relicta, erant ex debitis incertis, super quibus, ipse testator, per Bullam, se componi poterat: cùm ergo hæc bona relicta sint, ad exonerandam conscientiam; S. Pontifex, datâ negligentiâ Legatarii, potest, de illis disponere, justa de causa; ne talium bonorum restitutio, pro tantum tempus differatur. Si autem Legatarius queratur, quòd medietate Legati privetur: sibi imputet; quia in causa fuit ejus negligentia. Sic Trullench. *in Bull. l. 3. casu 3. n. 2.* Fragos. *tom. 2. disp. 7. n. 47. vers. similiter.* Escobar. *in Theol. moral. tom. 1. lib. 7. n. 410. & 411.* citans Henriq. Rodrig. & Ludovic. à Cruce; Mend. *disp. 34. num. 54.* Bard. *part. 3. tract. 5. dissert. 2. cap. 4. n. 4.* impugnans Cardin. de Lug. qui aliam assignat rationem: at allata communiter ab omnibus admittitur.

272. Quintò adverte, negligentiam Legatarii annalem debere recenseri, non à die Legati in testamento relicti; nec à morte testatoris, sed à die, qua per hæredem, vel testamentarium Legatario denuntiatur fuisse ei à testatore relictum id Legatum: Si enim non innotescat, negligentiæ non erit reus. Sic A Cost. *q. 96.* Henriq. *l. 7. cap. 37. n. 1.* Mend. *cit. n. 56.* Bardi *supra n. 2.* His animadversis.

273. Compositio in præsenti casu, sic fieri debet: relinquit, v. g. quidam usurarius, vel aliis debitor, in restitutionem bonorum incertorum, ad exonerandam suam conscientiam mille aureos in suo testamento, ad maritandam quandam puellam, aut alicui pio loco; hæres verò, vel testamentarius certiorem fecit puellam Legatariam, aut pium locum, de legato à defuncto illi relicto: puella autem, aut pius locus, post hanc notitiam, negligentem se ostendit, illud Legatum non exigendo; nec de illo curando per annum integrum post dictam notitiam. Datâ hâc negligentiâ, potest hæres super meditate illius Legati, nempe, *super quingentis aureis*, per Bullam, se componere, eo modo, quo vidimus *supra sect. 9.* & si Legata excedant, in eâ meditate quantitatem, ad compositionem, per Bullas, faciendam, recurrat ad Commissarium: ut citato loco, dictum est: alia verò Legati medietas tradatur puellæ Legatariæ, vel pio loco.

274. Ex compositione, hoc modo facta, oritur hoc dubium: Si Legatum à testatore sit relictum pauperibus personis cujusdam confraternitatis, illis distribuendum ab illius procuratore: Procurator autem, post denuntiationem sibi factam, de legato, de illo non curavit, in quo negligens fuit, & causa, ut pauperes personæ aliam medietatem amitterent, eo quòd hæres compositionem, super illa, habuit; tenetur ne hic procurator ex suis bonis propriis hoc damnum dictis personis pauperibus resarcire?

275. Respondeo cum distinctione: Si procurator ex suo officio, & munere, vel stipendio; eam gerat procurationem; cùm ex justitia sit obligatus, tenetur ad resarciendum damnum, quod suâ negligentiâ illis pauperibus intulit; quia illius causa fuit; & ex munere suo tenebatur negligentiam tollere: at si non ex officio, nec ex stipendio ad curam gerendam, pro pauperibus illis personis, obligabatur; sed ex sola charitate, id munus gerebat; non tenetur ad damnum ex justitia restituendum; ex negligentia tamen contra charitatem, mortaliter deliquit. Ita Mend. *disp. 34. num. 57.* & quoad utrumque forum, vide Rebel. *de justitia part. 2. l. 17. q. unic. de obligat. quasi contract. num. 10. junct. n. 11.*

SECTIO XXVI.

De compositione super Legatis, quorum Legatarii ignorantur?

276. QUartus casus sic habetur in Bulla compositionis: *Item sobre quaesquer Legados ia deixados, ou que durante a Bulla se deixarem, seos Legatarios se nam puderem achar, feita primeiro diligencia, pello Commissario, ou por seus subdelegados.* Verba verò Bullæ Latinæ sunt: *Ac illos etiam, qua facta erunt, & dicto triennio durante* (lege dicto anno durante de extensione facta ab aliis Pontificibus) *fient, si Legatarii adhibitâ per Commissarium diligentiâ, inveniri non poterunt.*

277. Hic casus etiam habetur in Bulla Hispana; cum hac tamen differentia; quòd in Bulla Hispana, non requiritur, quòd diligentia fiat pro inveniendo Legatario à Commissario; sed tantùm requiritur, quòd præstetur juramentum de legatario non invento: At in Bulla Lusitana expressè requiritur; quòd diligentia pro inveniendo Legatario, à Commissario fiat; & Commissarius ad illam, suos sub-Commissarios subdelegat.

278. Dupliciter etiam differt hic quartus casus à tertio præcedente. Primò, quia in præcedente, non concedebatur compositio integra, pro Legato; sed pro medietate, eo quòd Legatarii sunt ignoti; secundò, in præcedenti casu tertiò, Legata erant in restitutionem malè acquisitorum: at in præsenti compositio extenditur ad omnia Legata, sive pia, sive profana, quorum Legatarii non inveniuntur, vel ignorantur.

279. Compositio extenditur etiam ad fidei commissa, ut *supra* notavimus; nam cum æquiparentur cum Legatis, quod disponitur circa unum æquiparatorum, ut vidimus *disp.* 21. *n.* 191. censetur etiam dispositum, circa aliud æquiparatum; & docent Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *disp. unic. de Bulla Cruciat. punct. ult. n.* 5. Escobar. *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 4. 12. citans Henriq. *lib.* 7. *cap. ult. n.* 3. Villal. *tract.* 29. *n.* 22. Accedit Mendo *disp.* 34. *n.* 64. extendens hanc doctrinam *n.* 65. ad donationes causâ mortis; cùm donatarius non comparet. Et rectè, quia bona donata, non comparente donatario, sunt incerta: in Bulla autem conceditur compositio ad bona, quorum dominus ignoratur.

280. Hic casus procedit de omnibus Legatis factis ante publicationem Bullæ, & durante illius publicatione, ut expressè habetur in verbis *n.* 66. *allatis.* Addo, quòd si diligentia, pro inveniendo Legatario, sit facta à Commissario, vel à subdelegatis, eo modo, quo vidimus *supra sect.* 8. *num.* 114. si postea compareat, nihil illi tenetur restituere; quòd licèt sit contra Mend. *cit. n.* 60. Fr. Joseph. Mend. *fol.* 127. *n.* 17. docetur tamen à citatis *dict. sect.* 8. *n.* 105. *& seqq.*

Quintus Casus Bullæ compositionis.

SECTIO XXVII.

Proponuntur aliquot differentiæ, inter Bullam Lusitanam, & Hispanam, & examinatur, an sit necessaria Commissarii inquisitio pro inveniendo Domino, ut Legitima, & valida sit compositio?

281. QUintus, & ultimus casus Bullæ compositionis: *Item sobre quaesquer bens mal avidos, Levados, ou acquiridos por onzena, ou qualquer outro modo illicito, per qualquer forma officio, ou trato, comtanto, que feita adevida diligencia, senam ache, nem conste dapessoa, ou pessoas, aquem se deva fazer restituicam; como muitas vezes acontence nas cousas, que se achem, se sethe nam sabe proprio dono, feita devida diligencia; e nosque dam damno cum seus gados, ou andando acaça, e nam the pode constar aquem; e aosque vendem amvitos por falsos pezos, ou medidas, ou couzas falsificadas, ou misturadas; e nam podem restituir as pessoas, aque defraudaram: e em outros muitos casos, que cada hum sentindose encarregado, pode, e deve consultar seu confessor, ou outras pessoas doutas, pias, e prudentes.* Bulla verò Latina sic est: *Ac etiam super malè ablatis, & per usurariam pravitatem, aut aliter malè acquisitis; dummodo in omnibus prædictis casibus, præterquam dicta annalis negligentia, persona per Commissarium, & receptorem prædictum, non reperiantur, componere, ac ita debitores Liberare.*

282. Hic casus Bullæ compositionis, quantùm ad verba Latina, invenitur etiam in Bulla Hispana, cum hac tamen differentia, quoad diligentiam faciendam, pro inveniendo domino, in hoc, & omnibus prædictis casibus, excepto tertio, *de quo sect.* 25. Quod in Bulla Hispana statur, juramento componentis, sic disponente ipsâ Bullâ: at in Bulla Lusitana disponitur, quòd hæc diligentia fiat à Commissario, & Receptore. Et inter Bullas compositionis, etiam non parvum datur discrimen: nam Commissarius Hispanus, ex iisdem verbis, quæ etiam in nostra dantur Bulla Latina, unde viginti casus decerpit: Commissarius autem Lusitanus, cùm majorem habeat facultatem, quinque tantùm annumerat.

283. Dixi, Commissarium Lusitanum, ad compositiones concedendas, majorem habere facultatem. Quia in Bulla Latina Lusitana expressè habentur omnes casus concessi in Bulla Hispana, & aliqui cum majori amplitudine, ut vidimus *sect.* 15. circa primum casum; & ultra, habetur expressè secundus casus, ut vidimus *sect.* 20. qui casus expressè non invenitur in Bulla Hispana. Non obstante autem illa majori casuum recensione in Summario Bullæ Hispanæ compositionis contentorum, quî ad confessariorum doctrinam prudentissimè à Commissario Hispano, sunt designata. Dicendum est, eos omnes habere locum, in Bulla compositionis Lusitana. Ratio est jam assignata; quia in Bulla Lusitana datur eadem concessio, quæ in Bulla Hispana.

284. Quæ-

284. Quæres igitur: An compositio, nulla præcedente diligentia à Commissario, vel receptore facta, pro inveniendo Legatario, vel domino rei componendæ; licèt facta à compositario, sit invalida? Pro parte affirmativa stat, quòd S. Pontifex, in hac concessione utitur dictione, *dummodo*, ibi: *Dummodo in omnibus præditis casibus, præterquam annalis negligentiæ, personæ, per Commissarium, & receptorem præditum, non reperiantur*: at dictio, *dummodo* importat conditionem; ut tenent plures, apud Barbos. *de diction. utriusque juris dict. 95. n. 3. & tribus seqq.* conditio autem, si non detur, vitiat actum, ut cum Barthol. & Rebuff. tenet. Sanch. *de matr. l. 3. disp. 33. n. 2. in fine.*

285. Dicendum tamen est, validam manere compositionem, quamvis diligentia, pro inveniendo domino, non fiat per Commissarium, & receptorem. Moveor, quia dictio *dummodo*, apposita, in dicta Pontificis concessione, importat ex sua propria natura modum, & non conditionem: ut tenet cum quinque supra viginti D. D. Barbos. *citat. num. 2.* quibus addo Sanch. *loco citat.* Et hoc habet verum, quando dictio *dummodo*, adjicitur actui perfecto, ut: *Do tibi hoc, dummodo hoc facias*: ut docet Sanch. *citat.* referens Tiraquell. & Molinari sed dictio *dummodo*, adjicitur actui perfecto in nostro casu; nam post facultatem Commissario concessam, componendi bona, in præcedentibus sectionibus, allata, adjicit S. Pontifex dictionem, ut ex dictis verbis apertè constat: ergo cùm dictio sic sumpta denotet modum, & non conditionem, non vitiat compositionem, nam modus illam non vitiat, ut sentit Sanch. *ubi supra* cum Barthol. & Rebuff.

286. Ad D. D. qui pro parte affirmativa sunt addùcti, respondeo, illos loqui, de dicta dictione, quando adjicitur actui imperfecto, ut videre est apud Barbos. *citat.* quando verò apponitur in Bulla, jam actus, seu concessio est perfecta.

287. Addo, quando compositio fit per Bullas, usque ad taxam à Commissario designatam *sect. 9.* vel cum ipso Commissario, pro foro conscientiæ, sufficere diligentiam in confessione factam à confessario, vel à viro docto, quando de unius, vel alterius consilio, compositiones fiunt: Confessarius enim, vel vir doctus ad hujus inquisitionis effectum, subdelegatus censetur Commissarii Generalis; ut ipsa praxis observat: & tenent Acosta *q. 94. prope finem*, Abreus *de Paroch. l. 10. n. 569.*

288. Major difficultas est, juxta Bullam Hispanam, si in compositione omittatur juramentum de diligentia facta pro inveniendo Domino, quod in compositione rei, cujus dominus ignoratur, à S. Pontifice requiritur. Et ratio difficultatis est, quia S. Pontifex utitur ablativo absoluto, ibi: *Præstito, per restituentem, juramento, de diligentia per eum facta, pro inveniendo Legatario, seu creditore*, &c. ablativus autem absolutus conditionem importat, *L. à testatore ff. de condit. & demonstr.* conditio autem formam, *L. qui heredi, & L. Mævius ff. eod. tit.* & cum Bald. Felin. Tiraquell. & aliis Sanch. *l. 3. de matr. disp. 5. num. 2.* ergo omissio juramenti, in compositionibus faciendis, illas reddit nullas; nam omissio formæ, actum reddit nullum *l. 1. in fine ff. de vent. inspic.* & D. D. communiter.

289. Hanc Bullæ Hispanæ dispositionem, asserunt Trullench. *l. 3. Bull. resp. primo Vers. circa hunc casum.* Mend. *disp. 34. n. 2.* esse intelligendam, quando compositio fit cum ipso Commissario Generali: secus si fiat, per Bullas, nam sic sufficit, quòd restituens sit tutus in sua conscientia de diligentia facta; quod confirmatur ex praxi confessariorum; qui id juramentum non exposcunt. Hæc tamen Responsio suam patitur difficultatem, nam parum refert, quòd confessarii juramentum non exposcant; quando S. Pontifex illud, ut conditionem, & formam ad Legitimam compositionem, exposcit. Sufficit tamen, quòd praxis interpretetur, id juramentum tolùm requiri, quando cum Commissario compositio fit.

290. Alia datur differentia inter Bullam compositionis Lusitanam, & Bullam compositionis Hispanam: Disponitur enim in una, & altera Bulla compositionis, non prodesse Bullam compositionis illis, qui ex confidentia illius, alienas surripiunt; de qua diximus *supra sect. 2. n. 42.* Differunt tamen in eo, quòd Commissarius Hispanus disponit, quòd dicta bona ex confidentia Bullæ accepta, seu surrepta; quorum Dominus ignoratur, non distribuantur pauperibus, vel alicui pio loco; sed integra sine aliqua diminutione in subsidium Bullæ dentur. At Commissarius Lusitanus nihil circa hæc bona disponis; & meritò, quia in Bulla Latina, ea non continetur facultas; sicut nec in Bulla Hispana: Quare talis surripiens ex confidentia Bullæ, Domino non comparente, ea bona, vel pauperibus, vel alicui pio loco, vel in subventionem locorum Africæ, applicare poterit.

291. His expositis, procedamus ad explicationem hujus quinti, & ultimi casus. Et primo loco exponemus illa, quæ à Commissario *exprimuntur*; & deinceps ad alias, ex ipsius *verbis* Bullæ Latinæ, illationes gradum faciemus: ut ex illis confessarii, quomodo se gerere debeant, cognoscant.

SECTIO XXVIII.

De compositione super usuris faciendâ.

292. Circa compositionem, super malè ablatis, & illicè acquisitis habetur expresè à Bulla Latina, & primò loco à Bulla compositionis ponitur Lucrum per usuras acquisitum; si illius lucri Dominus ignoretur: cùm enim hoc ad pauperes pertineat; pro conscientiæ exoneratione, super illo S. Pontifex compositionem concedit: nam quæ attinent ad exonerandam conscientiam, sub potestate Pontificis residet. Ut innotescat super quibus cadat compositio, aliqua summariè de usuris sunt præmittenda.

293. *Usura est Lucrum quæsitum ex mutuo, vi mutui.* Alia dicitur mentalis; quæ, solâ intentione habendi lucrum ex mutuo, committitur. Alia est realis, quæ, re ipsâ, committitur, accipiendo aliquid, extra sortem, pro mutuo. Alia est expressa; quæ expresso pacto fit, de habendo lucrum. Alia tacita; quæ tacitè pactum includit. Alia est palliata; quæ, sub pallio alterius contractus, nempe, venditionis, locationis, &c. committitur. Alia est clara; quando, scilicet, sine pallio, aut aliquo involucro, Lucrum ex mutuo exigitur.

294. Usura jure divino, est prohibita; & jus civile illam concedens, aut permittens, est correctum per jus canonicum, *in Clement. Unic. de usur. & toto titulo 19. l. 5. Decretal. de usur.* Videri possunt

possunt Sal. *tract. de usur.* Rebell. *de just. part.* 2. *l.* 8. *q.* 2. & alii. In illa non dari parvitatem materiæ, existimavit Alphons. de Leon. *de Offic. confess. part.* 1. *recolect.* 7. *n* 37. apud Dian. *part.* 5. *tract.* 5. *resol.* 30. Sed probabilius dicendum, dari; quia ejus malitia versatur circa justitiam: at in materia justitiæ datur parvitas materiæ; ut patet in furante obolum, vel inferente leve damnum. Sic Cardin. de Lug. *tom.* 2. *de just. disp.* 25. *n.* 252. Tamborin. *l.* 9. *de contract. tract.* 1. *cap.* 2. §. 2. *n.* 5. & inclinat. Dian. *cit.* licèt id cogitandum, relinquat.

295. Non est usura, accipere lucrum ex mutuo, ratione gratitudinis, quamvis eam mutuans speret, & intendat. Sic Molin. *disp.* 305. *Vers. Duabus nihilominus.* Less. *l.* 2. *cap.* 20. *num.* 38. Mend. *disp.* 34. *n.* 5. cum Sot. Rebell. & alii communiter.

296. Secus dicendum, si pactum ineas cum mutuatario, vel ab eo Scripturam exigas de ea gratitudine, aut aliquâ benevolentiâ: nam ad usuram, sufficit, quòd aliquid exigatur, tanquam debitum ex gratitudine, & benevolentia: Ratio est, quia sufficit quodcumque pactum initum, vel obligatio aliquid dandi ex benevolentia, & gratitudine duntaxat; ut contractus sit usurarius; quia sic, quod recipitur, non liberaliter recipitur, sed tanquam ex debito. Unde apud S. Luc. cap. 6. dicitur: *Mutuum date nihil inde sperantes:* quod intellige, tanquam debitum ex justitia, vel ex benevolentia, & gratitudine.

297. Unde Sanctiss. Dominus N. Innocentius XI. die 4. Martii anni 1679. ut minimum tanquam scandalosam, hanc damnavit propositionem: *Usura non est, dum ultra sortem, aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum; sed solùm si exigatur tanquam ex justitia debitum*; quæ ex damnatis est 42. Illam tamen docuerunt plures apud Less. *l.* 2. *cap.* 20. *num.* 56. & apud Fr. Raymund Lumbier *tom.* 3. *de notitia damnatorum propositian. ab Innoc. XI. num.* 1914. *fol.* 1182. & apud Mend. *proximè num.* 10. *in fine.* At tenet oppositum cum D. Thom. & communi.

298. Non est etiam usura aliquid ultra sortem, accipere à mutuatario, ratione damni emergentis ex mutuo; dummodo id manifestetur mutuatario; & reverâ mutuum sit causa ipsius damni; & lucrum, quod ultra sortem accipitur, non excedat damni valorem. Sic Rebell. *ubi supra à q.* 5. Mend. *proximè n.* 11. Tambor. *dicto l.* 9. *tract.* 1. *cap.* 3. §. 3. *à n.* 3. & alii.

299. Idem dicendum cum communiori sententia de lucro cessante, ratione ipsius mutui; si reverà ea pecunia, quæ mutuò datur, destinata sit negotiationi: si verò sit dubium, an sit destinata? Ad rationem dubii, lucrum est decernendum, ut tenet Tambor. *proximè* §. 4. *n.* 3. Debet etiam, de hoc lucro, mutuatarius admoneri; & tantùm debet exigi, quantùm spes illa lucri æstimatur. Sic Molin. *cit. dict. tract.* 2. *disp.* 316. *Vers. Hinc jam.* Mend. *cit.* Tambor. *n.* 5. & 6. & alii, apud ipsum.

300. Est certò usura, aliquid supra sortem exigere, pro obligatione non repetendi mutuum, intra certum tempus. Ratio est, quia obligatio non repetendi mutuum, est obligatio virtualiter mutuandi in posterum: sed pro obligatione, mutuandi in posterum, nihil extra sortem, potest exigi: ergo nec pro obligatione, non repetendi mutuum.

301. Quare oppositam sententiam, quam tenuerunt Petr. de Ledesm. Medin. Cælestin. Caramuel *in Theol. fundam.* 60. §. 1. *à num.* 1264. Fr. Philipp. de la Crus; & probabilem dixerunt Acarius de Velasc. Bertrand. Loth. & non improbabilem fassi sunt Trullench. Joann. Henriq. Basseus, & Serera apud Moya in q. q. *tom.* 1. *selectis tract.* 6. *disp.* 4. *de restit. q.* 6. *num.* 11. damnavit, ut minimum tanquam scandalosam, & prohibuit Alexander VII. secundo decreto 18. Martii, 1666. cujus propositionis damnatæ, hæc sunt verba: *Licitum est mutuanti, aliquid extra sortem exigere, si se obliget, ad non repetendam sortem, usque ad certum tempus.* Estque ex damnatis Quadragesima secunda.

302. Illius falsitatem post dictum decretum eruditè, & ingeniosè ostendunt Moya proximè à *num.* 12. Carden. *in disput. select. tract.* 1. *disp.* 9. *cap.* 10. *à num.* 159. *& cap.* 19. *n.* 320. Et ante hoc decretum, illam dixerunt novam, inauditam, & satis periculosam, viam usuris aperientem Molin. *tract.* 2. *disp.* 308. *Vers. est tamen opinio*, Layman, Turrian. Salas apud Dian. *part.* 1. *tract.* 8. *resol.* 48. qui in fine, inquit; aliis, an sit probabilis damnata opinio, relinquere: at *part.* 8. *tract.* 7. *resol.* 63. *& part.* 11. *tract.* 1. *resol.* 25. *Vers. Quero quartò*, illam improbat; & refellit. Accedit Card. de Lug. *tom.* 2. *de just. disp.* 25. *sect.* 3. *n.* 17. & alii apud citatos.

303. Est etiam certò usura, aliquid accipere extra sortem, pro carentia solatii, quam mutuans patitur, illam mutuando; ex eo quòd solatium habeat videndi suam pecuniam in arcâ; nam pro carentia pecuniæ, licèt pluris æstimetur præsens, quàm absens, non potest aliquid accipi. Ratio est, quia ea carentia ita est mutuo intrinseca, ut sine illa, mutuum esse nequeat. Et ex iis, quæ mutuo sunt intrinseca, nihil accipi potest.

304. Unde Innocentius XI. in decreto supra citato, damnavit tanquam scandalosam, ut minimum, propositionem sequentem; quæ ex damnatis ab hoc S. Pontifice, est Quadragesima prima, & sic habet: *Cùm numerata pecunia pretiosior sit numerandâ; & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid, ultra sortem à mutuatario exigere, & titulo ab usura excusari.*

305. Hæc propositio est Caram. *l.* 4. *Theol. moral. disp.* 14. *num.* 362. etsi Lumbier *ubi supra num.* 1911. *fol.* 1179. ex Gonet inquit, illam docere *l.* 2. *num.* 799. Vide tamen Dicastill. *l.* 2. *de just. tract.* 10. *disp.* 2. *dub.* 11. ubi fallitatem hujus opinionis, ante hoc decretum, demonstrat, & Dian. *p.* 9. *tract.* 6. *resol.* 24. quàm alios citat.

306. Ex his summariè dictis, & aliis apud Molin. Rebell. & Card. de Lug. *locis citatis* intelligitur, quando datur lucrum ex mutuo, extra sortem; quòd sit usurarium: Circa hoc igitur lucrum, quando mutuatarius ignoratur, conceditur per Bullam compositio, juxta conditiones *sect.* 2. *allatas.* Vide infra dicenda *à n.* 34.

SECTIO XXIX.

An judex compositione indigeat, super illicitè acquisitis?

307. POst compositionem super usuris, addit Commissarius in Bulla compositionis hæc verba: *Ou qualquer modo illicito per qualquer forma, officio, ou trato* &c. Quæ plures casus comprehendunt; qui à Commissario Hispano specificè exprimuntur, & non à Lusitano: Quia tamen ea verba ad illos, & alios referri possunt, de aliquibus agendum nobis est, per sequentes Sectiones; in præsenti à judice incipiemus; sive sit ordinarius, sive delegatus, sive Laicus, sive Ecclesiasticus, de omnibus enim procedit quæstio. Quia tamen ex hac plura deduci possunt dubia; illa per sequentia quæsita declarabimus.

308. Quæres primò: An judex, qui accepit pretium pro injusta sententia proferenda, pro dilatione causæ, in præjudicium partis, aut pro alia simili injustitia, possit, & debeat, super hoc pretio, illicitè accepto, per Bullam componi, aut illud possit retinere? Ante resolutionem supponendum est primò, damnum parti læsæ illatum, esse restituendum; nec in hac restitutione datur Locus compositioni; quia creditor est certus, & injustè vexatus.

309. Supponendum secundò; si judex post acceptam pecuniam, pro dictis actionibus injustis proferendis, illas tamen non protulit, nec executioni mandavit, tenetur, pecuniam acceptam restituere illi, qui eam dedit: nec per Bullam potest componi: Quia creditor est certus, & pecunia, sub conditione dictæ injustitiæ, data fuit; & conditione non apposita, dominium non amisit. His suppositis.

310. Ad quæsitum respondeo, communem sententiam docere, non teneri judicem pecuniam acceptam, per dictas injustitias commissas, restituere; sed posse illam retinere. Ita cum Navarr. & Petr. Navarr. Valent. Cardin. Tolet. Fragos. *tom.* 2. *disp.* 7. *n.* 49. & aliis pluribus Card. de Lug. *tom.* 1. *de just. disp.* 18. *n.* 54. Juxta hanc sententiam non est necessaria compositio; quia si eam pecuniam in foro conscientiæ, potest sibi retinere; non datur, super quo, compositio fiat. Sic Card. de Lug. *tom.* 1. *de just. disp.* 21. *n.* 121. Castro Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *disp. unic. punct. ult. n.* 6. Bardi *in Bull. part.* 3. *tract.* 5. *dissert.* 2. *cap.* 1. *n.* 4. Trullench. *l.* 3. *casu* 5. *n.* 4. Mend. *disp.* 34. *n.* 51. Escob. *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 413. & alii.

311. Et quid dicendum in sententia D. Antonin. *part.* 2. *tit.* 2. *cap.* 5. §. 2. Aragon. 2. 2. *q.* 62. *art.* 5. *in respons. ad* 2. *conclus.* 7. Medina *q.* 2. *de rest. dub.* 2. *conclus.* 4. & aliorum apud Mend. *proximè n.* 69. existimantium, accepta ante omnem sententiam, danda esse pauperibus? Respondeo, hanc sententiam esse probabilem, & juxta illam, potest judex ad tranquilitatem suæ conscientiæ, se per Bullam componere. Ita Castr. Palao; Fragos. *locis cit.* Bard. *n.* 5. Trullench. in Bull. *l.* 3. *casu* 5. *n.* 4. Mend. *dict. n.* 69. Cardin. de Lug. *n* 122. Escobar *proximè citatus.* Ratio est, quia quando bona sunt applicata pauperibus, super illis conceditur compositio, ut *supra* diximus.

312. Et quid statuendum in opinione docentium, accepta esse restituenda danti? Videtur dicendum non habere locum compositionem; quia datur creditor certus. Et ita docet Mend. *dict. disp.* 34. *n.* 70. *in fine*, & quidèm probabilius, ut *infra n.* 328. Probabile tamen est adhuc dari locum compositioni; quòd defenditur à Card. de Lug. *loco cit.* & à Bard. *n.* 5. Ratio est, quia qui dedit pecuniam non habet jus expeditum, ad illam repetendam: nam illi prohibetur restitutio, *in l. ubi autem & l. idem, si ob stuprum ff. de condit. ob turpem &c.* & in pœnam delicti potest S. Pontifex, & Princeps. Sæcularis dantem privare. Et data hac prohibitione, & privatione, illicitè acquisita sunt pauperibus applicanda ante sententiam; & sic possunt per Bullam componi.

313. Quæres secundò: An judex, qui accepit pecunias, ob justam sententiam ferendam, possit super illis se componere? Respondeo, cum distinctione: si pecuniæ fuerunt datæ ad redimendam vexationem, vel ne à parte contraria judex subornaretur, non potest, super illis, se componere; danti enim sunt restituendæ, quia dominium non amisit, cùm illud voluntariè à se non abdicaverit. Sic Fragos. *ubi supra Vers. secus dicendum*, Castro Palao *loco proximè citato.*

314. At si ex pecuniæ datæ fuerunt Liberaliter, ut judex eo munere motus, favorem danti præstaret, non datur locus compositioni, in sententia prohibente judicibus accipere aliquid contra leges, sic disponentes. Ut tenent communiter D. D. quos sequuntur Dom. Joann. Solozan. *tom.* 2. *de jure Indiar. l.* 4. *cap.* 4. *à n.* 17. Mend. *disp.* 34. *num.* 80.

315. In sententia verò docente, leges prohibentes munera, non impedire dominium eorum munerum, nisi solùm post sententiam; quam sequitur Fagund. *in præcept.* 8. *de cal. l.* 8. *cap.* 27. *n.* 8. & alii, quos citat; quibus adde Machad. *tom.* 2. *l.* 6. *part.* 2. *tract.* 1. *docum.* 9. *n.* 3. Tunc potest fieri compositio, ut tenet Castr. Palao *cit. & n.* 9. Villal. *tract.* 29. *n.* 27. At Trullench. *l.* 3. *casu* 5. *n.* 5. cum Rodrig. §. *Unic. cas.* 4. *n.* 3. asserit, non teneri judicem acceptum restituere, nec compositione indigere.

316. Quæres tertiò: An judex, qui ob administrationem justitiæ in causis spiritualibus, nempe matrimonialibus, beneficialibus, & ad Sacramenta pertinentibus, aliqua accepit, in quo Simoniam commisit, possit compositionem facere? Negant Rodrig. *in Bull. compos. n.* 27. Villal. *tract.* 29. *n.* 27. Henriq. *l.* 7. *cap.* 35. *n.* 4. Ludovic. à Cruce *in expos. Bull. disp.* 3. *dub.* 11. *n.* 5. Trullench. *cit. casu* 9. *n.* 5. & videtur consentire Bard. *part.* 3. *tract.* 5. *dissert.* 2. *cap.* 2. *n.* 15. Pobant, quia Simonia, quæ committitur in prædictis casibus, reddit incapacem recipientem ad retinenda accepta. Additur, quod ita videtur exprimere Commissarius Hispanus: Ergo compositione uti non potest.

317. Cæterum hæc procedunt juxta sententiam communem, quæ docet, hoc pretium, seu accepta, ante traditionem rei spiritualis, v. g. beneficii, debere restitui danti: ut sustinent Soar. Molin. Layman. Lessius, & alii, quos refert, & sequitur Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 1. *de Simon. q.* 7. *punct.* 3. *diffic.* 1. *n.* 2.

318. At non posse hoc pretium repeti à dante propter turpitudinem admissam, tenet cum Covarr. Castr.

Castr. Palao *tom.* 3. *tract.* 17. *disp.* 3. *de simon. punct.* 26. *n.* 3. Et esse restituendum Ecclesiæ, tenent Azor. *part.* 3. *l.* 12. *de simon. cap.* 20. *q.* 11. & alii apud Bonacin. *citat.* Et si hoc pretium sit acceptum, pro collatione, præsentatione, confirmatione, &c. beneficii jam traditi, restitutio facienda est Ecclesiæ, in qua est beneficium, ut constat *ex cap. de hoc, de simon.* & posse fieri pauperibus docent D. D. & cum D. Thom. Castr. Palao *cit. n.* 5.

319. His datis sententiis, existimo cum Castr. Pal. *tom.* 4. *tract.* 25. *disp. unic. punct. ult.* §. 2. *n.* 9. posse fieri compositionem, super acceptis, propter administrationem justitiæ, in causis spiritualibus; quia probabile est, non esse restituenda danti ob turpitudinem commissam; ob quam jure positivo, repetitio denegatur; & dati jure, & Dominio privatur; pauperibusque applicatur, & loco eorum compositio conceditur; ut *supra* jam probabiliter notavimus.

SECTIO XXX.

Præmittitur notitia duarum propositionum damnatarum circa sententias Judicum, in ordine ad compositionem.

320. QUoniam de judice sermonem incepimus, operæ pretium est, aliquam notitiam præbere de propositionibus, quæ à S. S. Pontificibus Alexandro VII. & Innocentio XI. damnatæ fuerunt, circa sententias à Judicibus prolatas; & exinde colligemus, quando compositio, in acceptis ab eis locum habeat.

321. Et incipiendo à Const. Alexandri VII. sæpius in hoc opere citatâ; hanc idem Pontifex damnavit propositionem, quæ ex damnatis in primo decreto est 26. illius verba sunt: *Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest judex pecuniam accipere, pro ferenda sententia, in favorem unius, præ alio.* Hanc propositionem docuerunt aliqui apud Fagund. *in decal.* 8. *præceq. l.* 8. *cap.* 26. *n.* 32. Oppositum tamen sequitur *n.* 34. & Tambor. *l.* 8. *decal. tract.* 3 *cap.* 7. §. 3. *n.* 13. Faber *in* 2. *part. Apologet. in german. doctr. Thom. Tambor. cap.* 14 *an.* 14. & alii plures; & post dictam Const. Carden. *in disp. select. tract.* 1. *disp.* 15. *n.* 152. P. Laym. Lumbier in fragment. *moral. n.* 756. *fol.* 641.

322. Quare judex, qui pretium, vel pecuniam accepit pro ferenda sententia, potius in favorem unius, quàm alterius litigantis, quando pro utroque æquè pugnabant sententiæ; non potest, super eo pretio, vel pecunia debetur illi, à quo fuit accepta; quia ex proprio munere, judex sententiam tenebatur, absque pecunia proferre; quia jam à Republica, seu Principe salarium habet: cùm verò creditor sit certus; compositio locum habere nequit.

323. Dubitabis tamen: An quando sententiæ, seu probationes ex parte facti, & ex parte juris sunt æquè probabiles, valeat judex, pro suo libito, uni potius, quàm alteri hæreditatem adjudicare? Respondeo breviter (nam hujus loci non est dubii resolutio) cum communi sententia esse dividendam, inter utrumque litigantem. Sic Salon. Banch. Sayr. Thom. Sanch. Soar. Salas; Villal. Ægid. Coninch. quos refert, & sequitur Castr. Palao *tom.* 3. *tract.* 1. *disp.* 2. *punct.* 10. *n.* 2. & Mend. *in stater. opinium dissertat.* 13. *q.* 15. *n.* 215. Moya *tom.* 2. *in select. tract.* 6. *disp.* 4 *q.* 1. *n.* 19. Quidquid in oppositum teneant Joann. Sanch. & Ledesm. apud citat.

324. Si tamen opinio probabilior ex parte juris faveat uni litigantium; & probabilior ex parte facti, alteri faveat, tunc existimat Castr. Pal. *cit. n.* 5. posse judicem, cui voluerit, hæreditatem applicare; citatque pro hac sententia, quam dicit communem, supra decem D. D. At probabilius existimo dividendam esse hæreditatem; ut tenent Bannès, Villal. Ægid. Coninch. & Soar. non distinguens de probabilitate facti, aut juris, sed absolutè inquit, esse dividendam. Hi ab eodem Castr. Pal. citantur *n.* 4. & alii à Fagund. quos refert & sequitur *l.* 8. *in octav. decal. præcept. cap.* 26. *num.* 33. & 34.

325. Semper tamen judex tenetur judicare juxta opinionem probabiliorem: nam Innocentius XI. in sua Const. quæ incipit: *Sanctissimus Dominus*, hanc propositionem, ut minimum, tanquam scandalosam damnavit: *Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem, etiam minus probabilem*, quæ est secunda, ex damnatis. Ex dictis constat minorem probabilitatem, vel posse provenire, ex parte juris, vel ex parte facti.

326. Et posse judicem, in judicando, sequi opinionem minus probabilem ex parte juris, relictâ probabiliori, defendit Dian. *part.* 2. *tract.* 13. *resol.* 3. & *part.* 9. *tract.* 8. *resol.* 62. & *part.* 11. *tract.* 2. *resol.* 60. in quibus locis plures pro se citat D. D. & ultimo, supra viginti, quibus alios plures addit Moya *tom.* 1. *in q. q. select. tract.* 1. *q.* 7. *à n.* 1. *usque ad* 9. Et idem posse juxta opinionem minus probabilem, ex parte facti, relictâ probabiliori, etiam plures docuerunt, ut videre est apud eundem Moya *cit. n.* 12.

327. Hæ tamen opiniones, ex prædicta damnatione manent improbabiles; & ante damnationem, illas improbabiles dixerunt non pauci. Cardin. de Lug. *tom.* 2. *de just. disp.* 37. *n.* 115. Bardi *tract. de conscient. discep.* 4. *cap.* 17. *n.* 10. & alii plures, quos refert, & sequitur Moya *ubi supra.* Vide etiam Carden. *in disp. select. tract.* 1. *disp.* 15. *cap.* 15. *per totum*, ubi hanc quæstionem, ante prædictæ propositionis damnationem, doctè, & ingeniosè, ut assolet, tractat, & defendit.

328. Cùm ergo judex obligetur judicare, juxta opinionem probabiliorem; si secundum minus probabilem judicet, ultra damnum parti illatum; si pro ea ferenda sententia, aliquod pretium accepit, videtur super illo non posse se componere; quia creditor est certus, & danti illud, tenetur restituere, juxtà opinionem Soti *de just. l.* 9. *q.* 8. *art.* 1. Bannès 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. Aragon. 2. 2. *q.* 100. *art.* 6. *Vers. ad secundum.* Rodrig. *tom.* 2. *summ. cap.* 66. *n.* 4. Villal. *tom.* 2. *tract.* 37. *difficult.* 40. *n.* 2. Castr. Palao *tom.* 3. *tract. ult. disp.* 3. *punct.* 26. *n.* 5. & aliorum apud ipsum, & Mend. *in Bull. disp.* 34. *n.* 84. *in fine* asserentium ante sententiam, restitutionem faciendam esse danti, & post sententiam, cui judex eam applicaverit. Vide tamen dicta *supra n.* 311. & 312. nam hic etiam videntur coincidere; cùm supra dicta sententia sit injusta. Vide tamen dicenda *infra n.* 330.

SECTIO XXXI.

Quando advocatus, testis, scriba, aut notarius possint, per Bullam, compositionem facere.

329. HI nominati continentur in verbis Bullæ compositionis, *initio sectionis* 29. *allatis*. Et uno verbo dicendum, advocatum, testem, & tabellionem, qui per actiones injustas, aliquid acceperunt, non teneri ad restitutionem, juxta sententiam satis communem asserentem, accepta ob turpem causam posse ab accipiente retineri, juxta dicta *n.* 310. & sic non datur locus compositioni; at juxta aliam opinionem docentem, acceptum ob turpem causam, esse distribuendum pauperibus; tunc sanum Consilium est, ut super illo, fiat compositio. Ita Villal. *tract.* 29. *n.* 24. Escobar *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 414. & alii.

330. Notandum verò est primò, si cliens, aut tabellio ignorat causam esse injustam, & testis, testimonium esse falsum, non posse, ab advocato, teste, & tabellione, fieri compositionem: nam cùm ignorantia expellat turpitudinem, non potest, acceptum ab illis retineri; sed tradendum est danti. Et cùm sit certus, compositio non habet locum. Semper tamen damnum ab illis illatum parti læsæ, est satisfaciendum. Sic cum Rodrig. Villal. Henriq. Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *de Bull. punct. ult.* §. 2. *num.* 8. Trullench. *in Bull. l.* 3. *casu* 6. 7. & 8. *num.* 4. Escobar *supra num.* 416. & alii.

331. Secundò notandum, advocatum posse patrocinare causam minus probabilem, admonito cliente, de minori probabilitate; aliàs tenebitur ad damna, inde sequuta. Nunquam tamen potest defendere causam injustam. Et si id faciat; tenetur, damna omnia restituere. Excusabitur tamen, si ex ignorantia inculpabili eam defendat. De his tamen, & aliis, quæ pertinent ad officium advocati, Vide Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 2. *punct.* 11. Fagund. *in præcept.* 8. *decal. lib.* 8. *cap.* 38. Cardin. de Lug. *tom.* 2. *de just. disp.* 41. Fragos. *tom.* 1. *l.* 5. *disp.* 13. §. 10. *à n.* 232.

332. Tertiò notandum, testem Legitimè, & juridicè interrogatum teneri dicere verum; etiam si dubitet, an judex Legitimè interroget, dummodo ipsi, aut tertiæ personæ, grave periculum non immineat, absque pernicie publica. Sic D. D. citandi præsertim Mendo, & apud ipsum Lessius *l.* 2. *de justit. cap.* 31. *dub.* 3. *n.* 10. Ad juramentum non sufficit certitudo moralis, quæ consurgit ex auditu, etiam viri gravissimi, si juramentum præstatur in judicio, aut contractibus. Secus dicendum, si extra judicium. Sic Sanch. *lib.* 3. *decal. cap.* 4. *num.* 13. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 4. *de juram. q.* 1. *punct.* 3. *n.* 7. Mend. *in Bull. disp.* 34. *n.* 114. Tambor. *l.* 3. *decal. cap.* 2. §. 1. *n.* 7. Alia plura de testibus ad utrumque forum spectantia, vide apud Fragos. *tom.* 1. *l.* 5. *disp.* 13.

333. Notandum quartò, tabellionem peccare, instrumenta falsa conficientem, nolentem instrumenta partibus manifestare, aut ea occultantem; vel si ea per compendium transcribat. Deinde peccat, si instrumenta usuraria, aut contra libertatem Ecclesiasticam conficiat. Sic Mend. *dict. disp.* 34. *n.* 123. De notariorum, & Tabellionum obligationibus, vide Fragos. *dicta disp.* 13. *à n.* 271.

334. Quintò notandum, advocatos, notarios, & alios justitiæ officiales, & ministros peccare, si ultra taxam, sui laboris, aliquid accipiant; quia quæ taxam excedunt, rationem pretii obtinere non possunt; nec super his compositio conceditur; quia debentur danti, qui fuit deceptus: Si verò illi restitutio fieri non potest, debet fieri pauperibus, & tunc habet locum compositio. Sic Rodrig. *de Bulla compositionis n.* 18. Villal. *tract.* 29. *n.* 18. Castr. Palao *dict. tract.* 25. *de Bull. punct. ult.* §. 2. *num.* 10. Mend. *disp.* 34. *n.* 141. Escobar. *tom.* 1. *l.* 7. *n.* 418.

335. Sextò notandum, quod dictum est, de advocatis, testibus, & tabellionibus, dicendum etiam est, de aliis ministris publicis, & personis privatis; si ob injustitiam faciendam, vel diligentiam præstandam, aliquid acceperunt; nam super sit acceptis, possunt se componere: quia quando accepta pauperibus sunt danda, compositio fieri potest: at si ea accepta, juxta dicta *sect.* 29. *n.* 310. possunt retineri; tunc compositio necessaria non est, nisi ex consilio, & ad majorem cautelam, ut eadem sect. dictum est.

SECTIO XXXII.

Quando mercatores, aut alii negotiatores possint uti compositione?

336. Asserit Commissarius, in hoc quinto casu, habere locum compositionem, in illicitè acquisitis, per quodcunque officium, negotiationem, aut commercium. Egimus de aliquibus officiis; nunc sermo erit de negotiatoribus, aut comercium exercentibus. Et certum est, damnum illatum per fraudem, & dolum in emptionibus, & venditionibus illi, qui damnum est passus, esse restituendum. Si tamen personæ læsæ inveniri non possunt; tunc datur locus compositioni: quia ea bona debentur pauperibus; vel piis locis sunt applicanda, juxta superius dicta: ergo cùm valdè pium sit, defendere loca Africana ab inimicis fidei, per Bullam, ad ea loca defendenda, concessam, potest fieri compositio. Sic Bard. *part. tract.* 5. *dissert.* 2. *cap.* 2. *n.* 36. Mend. *disp.* 34. *n.* 219. *in fine.*

337. Dico primò: Mercaturam exercentes, tenentur defectus mercium emptoribus manifestare; non solùm quando expressè, sed etiam quando tacitè emptores interrogant. Sic Mend. *proximè*, Tambor. *l.* 8. *decal. tract.* 3. *cap.* 7. §. 11. *n.* 33. Unde tenentur manifestare, ex quo loco merces sint allatæ; quando id ab emptore inquiritur, vel quando in mercibus est diversa bonitas ab ea, quæ exquiritur.

338. Dico secundò: Si venditores conspirent in pretium, (quæ conspiratio, dicitur monopolium) ita ut vendant super Legitimum, & rigorosum; & emptores, ut emant infra infimum, peccant cum onere restitutionis. Ratio est manifesta, quia pretium non ab illis, sed ex communi æstimatione, bona fide, præcisa fraude, debet pendere. Si tamen unus, vel alter ad dicta monopolia non concurrat, adhuc non potest vendere, aut emere merces dictis pretiis; quia cùm sint injusta, respectu conspirantium in illa, etiam injusta erunt, respectu

pectu unius, vel alterius, qui in illa pretia non conspiravit. Sic Rebell. *part.* 2. *l.* 9. *q.* 7. *num.* 5. Salas *de empt. dub.* 38. *n.* 6. Mend. *disp.* 35. *n.* 5. & alii, quidquid in oppositum teneat Reginald. *tom.* 2. *l.* 25. *cap.* 22. *n.* 330. & probabilem dicat Dian. 1. *parte tract.* 8. *resol.* 24. cum Bonac. & Turrian.

339. Dico tertiò: Qui minis, metu, aut fraude cogunt aliquos, ne emant vectigalia, aut officia, aut alias quascunque res, quæ sub hasta venduntur, ut ipsi infimo pretio illas emant, ad restitutionem tenentur. Si autem non cogant, sed rogent, ad restitutionem non obligantur. Sic cum Reginald. & aliis, Mend. *proximè n.* 7. Tambor. *supra* §. 4. & alii non pauci, quos congerit, & sequitur Dian. *dicta part.* 1. *tract.* 8. *resol.* 76. Non est tamen audiendus Caramuel apud Tambor. dum asserit, etiam si rogent, ut minore pretio, quàm sit infimus, emant. Si tamen, qui rogat per se, vel per alium, sit aliquis Dinasta, & rogatus, requisitusque Dinasta non sit, existimo ex communiter accidentibus, ipsam rogationem esse coactionem; ac proinde teneri ad restitutionem.

340. Dico quartò: Quando à Principe, vel republica pretium est taxatum; ipsa taxa est observanda, sub pœna restitutionis; quæ, cùm consistat in indivisibili, non habet supremum, medium, & infimum: Si verò non adsit taxa, potest pretium servari, juxta vulgares illos tres gradus; & juxta quodcunque, ex illis tribus pretiis, licita est venditio. Aliquas exceptiones, seu declarationes, quæ dantur circa taxam, vide apud Sanch. *lib.* 1. *Consil. cap.* 7. *dub.* 5. Tamborin. *proximè à num.* 19.

341. Dico quintò: Non est licitus mercatoribus contractus, qui Lusitanè vocatur *Trapassa*, de que *Ordin. l.* 4. *tit.* 67. §. 8. & Hispanè *Mohatra*, Italicè verò *Stocco*; qui contractus, re verâ, est mutuum cum usura: & prohibitus jure divino, Ecclesiastico, & civili Lusitano, & Hispano: ut videre est apud Rebell. *de just. part.* 2. *l.* 9. *q.* 7. *n.* 7. sub gravissimis pœnis: qui contractus, sic celebratur: vendit mercator summo pretio creditò merces illi, qui mutuum ab eo exigebat, & statim ab eo illas emit infimo pretio numeratâ pecuniâ. Hunc contractum esse licitum, cum duplici conditione, nempe, ut servetur justum pretium, & tollatur omne scandalum, docuerunt apud Dian. *part.* 1. *tract.* 8. *resol.* 38. Navarr. Petrus Navrrr. Homobonus Summ. Corona, Regius, & alii.

342. Hanc tamen sententiam damnat in sua Const. sæpius cit. ut minimum, tanquam scandalosam, Innocentius XI. dum inter alias propositiones, hanc, quæ est Quadragesima, prohibet, & damnat: *Contractus Mohatra licitus, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis, prævie inito, cum intentione lucri.* Ex illa sequitur hunc contractum esse illicitum, non solùm respectu ejusdem mercatoris, qui merces vendit, & reemit; sed etiam, si ex pacto, altera persona reemat: id enim videntur expresse ostendere verba, etiam respectu ejusdem personæ; nam dictio *etiam* cùm sit implicativa exprimit casum minus dubitabilem; ut est contractus ejusdem personæ, & implicat magis dubitabilem, qualis est contractus cùm altera persona, vel è contra; ut jam *supra* notavimus cum pluribus apud Barbos. *de diction. usu frequent. dict.* 112. *in principio.*

343. An verò prædicta damnatio extendatur ad casum, in quo præciso omni pacto explicito, aut implicito, reemendi viliori pretio, & absque spe lucri, mercator idem reemit, ut alii, ipso pretio viliori, emere poterant? Et hoc modo nullam esse injustitiam, docent Molin. Valent. Navarra, & alii, quos refert, & sequitur Dian. *super cit.* & alii apud Moyam *tom.* 1. *in qq. Select. tract.* 6. *disp.* 4. *q.* 6. *n.* 26. Et non extendi damnationem ad hunc casum, existimat fr. Raymund. Lumbier. *in notitia propos. damnat. ab Innocentio XI. n.* 1907. *fol.* 1177. quia in propositione fit expressa mentio de contractu: cùm verò juxta citatos authores, excludatur pactum expressum, & implicitum, non videtur ad illum extendi.

344. Ex dictis initio hujus Sectionis, & ex conclusionibus adductis, apparet; quando mercatores possunt uti compositione. De excercentibus mercaturam, in iis rebus, quæ consistunt in pondere, mensuræ, & adulterinis admixtionibus, diximus *Sect.* 6. *an.* 84.

SECTIO XXXIII.

De compositione super bonis inventis, & præsertim super bonis naufragantium.

345. POst mentionem factam à Commissario in Bulla compositionis, super illicitò habitis, per quamcunque formam, officium, aut negotiationem, agit de inventis, quorum dominus ignoratur. Hæc autem cui pertineant, explanavimus *disp.* 18. *Sect.* 12. *à n.* 284. Et quod attinet ad compositionem, vidimus, *hac disp. Sect.* 5. *n.* 72. Restat dicendum de bonis naufragantium, quando illorum dominus, post adhibitam diligentiam, non invenitur. Et circa hæc,

346. Supponendum est, duplicem latam esse excommunicationem in illos, qui bona naufragantium surripiunt. Prima fulminatur, in quarto canone Bullæ Cœnæ, S. Pontifici reservata. Secunda, nulli reservata, habetur *in cap. Excommunicationi, de raptoribus.* Has tamen non incurrunt, quando non datur raptus ejusmodi bonorum; quæ à propriis dominis censentur derelicta, ac derelicta; quod dignoscitur, tum ex natura, & conditione rei in mare projectæ; tum ex modo illam projiciendi: quia extra periculum tempestatis illam projecit, & post projectam, nec per se, nec per alium, de illa curat. Hæc tamen bona, si non compareat dominus, potest inventor sibi retinere, tanquam periculo empta; at si dominus compareat, tenetur inventori expensas, & laborem, arbitrio prudentum, aut confessarii, solvere. Sic cum Salon. Trullench. *in Bull. l.* 3. *casu.* 14. *n.* 16. Mend. *disp.* 34. *n.* 178. Vide Fragos. *tom.* 1. *l.* 3. *disp.* 5. *à n.* 16. ubi invenies multa, quæ ab his excommunicationibus excusant.

347. Idem dicendum de eo; qui, ut extremæ necessitati propriæ, vel alicujus proximi succurreret, aliquid ex naufragantium bonis caperet; idem de illo; qui cum probabili vitæ periculo curavit aliqua salvare; quæ sine dubio erant peritura. Idem de eo, qui ea bona caperet, ut uno domino ea restitueret; & de illo, qui ea rapuit ab eo, qui ea primò surripuit; & de eo, qui bona infidelium, aut hæreticorum raperet. Sic Trullench. *Loco cit.*

Mend. *proximè n.* 179. & apud ipsum Sayr. *in thesaur. l.* 3. *cap.* 8. Bonat. *tom.* 3. *disp.* 1. *punct.* 5. Salon. *in* 22. *q.* 66. *art.* 1. *contr.* 1. *in fine.* Hoc supposito.

348. Plures docent, super his bonis, naufragio perditis, domino non comparente, non posse dari compositionem. Sic Trullench. *ubi supra n.* 15. Bard. *part.* 3. *tract.* 5. *dissert.* 2. *cap.* 5. *n.* 12. Addunt que, hæc bona esse ab inventore tradenda Ordinario Loci; cujus munus est de illis disponere, & pro hac sententia citat Trullench. Sot. Cajet. & Conatarruv.

349. Cæterum Navarr. *l.* 4. *cap.* 20. *n.* 70. Mend. *cit. n.* 182. inquiunt, posse inventorem, post adhibitam sufficientem diligentiam, & non comparente domino, ea bona sibi retinere; quod admittit Trullench. in rebus parvi momenti, & non in aliis: nam si illa retineat, manet excommunicatus. Addit Mend. *loco cit.* inventorem, ut tutiùs procedat, esse admonendum; & de facto illum admonet, ut per Bullas se componat: cùm enim hæc bona pauperibus sint debita, & dominus non inveniatur, in illis habet locum compositio; & idem videtur sentire Tambor. *tract. de Bull. cap.* 18. §. 1. *n.* 14. Quod ego sentio, dico per sequentes conclusiones.

350. Dico primò: Si bona inventa in littore ex naufragio, vel ejecta à mari, sint inimicorum fidei orthodoxæ, aut aliorum, contra quos, hoc Regnum bellum gerit; aut piratarum, qui in mari piraticam vitam agunt, tam naves, quam eorum bona fiunt capientium, sive illorum dominus ignoretur, sive non: ita dicunt *Ordin. Lusit. l.* 2. *tit.* 32. §. 1. ibi: *Equando os navios soperderem forem de infieis, ou forem de outras pessoas, comquem tenhamos guerra, ovele Cossaicos, que andarem atoda aroupa; as couzas assim perdidas, seram daquelles, que as primeiro occuparem.* Sic Cabed. *part.* 2. *dec.* 34. *n.* 16. & 17. Barbos. *in remiss. ad dict. tit.* 32. §. 1. Fragos. *tom. de oblig. moder. reip. l.* 3. *disp.* 5. *n.* 16. *Vers. limitationem.* Unde super his inventis, & bonis naufragantium, cùm sint capientium, non indiget inventor Bullâ compositionis, ut illa tutâ conscientiâ sibi possit comparare, nam sine illa à Principe illi sunt applicata.

351. An autem idem dicendum sit de ipsis personis, quæ naufragium passi fuerunt, nempe de Mauris, qui in his littoribus ex naufragio salvantur? Respondeo etiam esse capientium. Ratio est, quia licèt Ordin. & D. D. de his non loquantur; eadem est ratio de illis, ac de aliis bonis, desumpta *ex l. postliminium* §. *in pace ff. de captiv. & post limin. recurs.* Et sic de his captivis, cùm sint capientium, super illis non datur compositio.

352. Dico secundò: Si bona naufragantium in his nostris littoribus inveniantur, & illorum dominus intra semestre, non reperiatur; debent tradi Præfecto captivorum loci, ubi ea bona fuerunt inventa; qui ea in commentariolis referret; ut quocunque tempore dominus comparuerit, illi, deductis expensis ex pecuniis redemptionis, solvat. Sic habetur expressè *in Ordin. tit. cit. in principio.* Hæc lex fundatur in opinione eorum, qui docent, hæc bona esse in opera pia applicanda; & pium valdè est, redimere captivos, & opus misericordiæ.

353. Dico tertiò: Hæc bona Ordinariis locorum necessariò non sunt tradenda. Hæc conclusio est contra Trullench. & Bard. quia ex praxi hujus Regni constat, tradi Præfecto captivorum. Et quamvis in omnibus hujus Regni Diœcesibus, sit casus reservatus, non tradere inventa designatis ab ordinario; de his inventis naufragantium, non intelligitur casus; cùm in oppositum sit praxis; & in citata Ordin. impositæ sint pœnæ gravissimæ transgressoribus.

354. Dico quartò: Si amittatur spes inveniendi dominum illorum bonorum benè potest inventor, super illis, componi; cum obligatione tamen comparenti domino illa tradendi. Et etiam potest, illa bona sibi retinere, absque compositione, cum eadem obligatione ea domino, cum comparuerit, tradendi. Hæc conclusio est Mend. & Tambor. *locis cit.* Et quòd possit, super ipsis bonis *seipsum* componere, probatur: quia ea bona, vel ejus pretium est pauperibus applicandum, ut expresè de illis docet Azor. *part.* 2. *l.* 11. *cap.* 6. *Vers. de hac excommunicatione fol. mihi* 1237. *in fine:* sed super bonis, quæ debentur pauperibus, S. Pontifex concedit compositionem per Bullam, ut ipsimet Trullench. & Bard. fatentur: ergo inventor potest per Bullam, se componere. Quod verò, si malit, non indigeat compositione, & illa bona possit retinere, Ostenditur; quia si alia bona possint ab inventore retineri, non comparente domino; etiam idem erit dicendum de inventis naufragantium: & quamvis juxta communem sententiam ad pauperes, & juxta legem hujus Regni debeant applicari ad redemptionem captivorum; juxta tamen satis probabilem sententiam, de qua *supra diximus disp.* 18. *n.* 289. potest ea sibi inventor *applicare*; dum non appareat dominus.

355. Dices, me non cohærenter loqui: nam *supra sect.* 8. *n.* 114. asserui, comparente domino rei, per Bullam compositæ; non teneri compositum ad aliquam restitutionem: Ergo nunc non cohærenter dico, bona naufragantium per Bullam composita, comparente domino, esse illi tradenda. Respondeo primò, esse tradenda domino comparenti, quia suppono compositionem istorum bonorum non fieri cum Commissario, sed per Bullas; & quando compositio sic fieri solet, comparente domino, bona inventa sunt illi tradenda, juxta ea quæ diximus *supra sect.* 8. *n.* 113.

356. Respondeo secundò, si compositio, super his bonis, cum Commissario fiat, facta ab illo diligentia pro inveniendo domino, eo modo quo diximus *dicta sect. & n.* 114. tunc comparente domino, nil illi est restituendum: quia si juxta Azor. *supra cit. dicto cap.* 6. *Vers. de hac excommunicatione*, dicentem, hæc bona, post publicam præconis vocem, & certam tempus elapsum, pauperibus esse distribuenda, à quibus comparente domino non possunt redimi: Sic etiam factâ diligentiâ eodem modo per Commissarium; & non reperto domino, illi postea comparenti, non sunt restituenda. Quia tamen ex hac diligentia in foro externo, facta cum testibus, potest præfectus captivorum notitiam habere; & sic per legem Regni exigere, ut bona illa naufragantium sibi tradantur, cum Obligatione illa tradendi domino reperto, ut lex disponit; sic etiam poterit Commissarius disponere, sicut enim captivorum redemptio, est opus valdè pium, sic etiam subventio locorum Africæ, ad quæ compositio applicatur, est opus valdè pium; & cùm prius ad suum Tribunal illa bona sint deducta, sic litem poterit determinare, & dirimere.

357. Dico quintò: Bona, in domo igne incensa

censa, inventa, sunt domino reddenda; si verò dominus non potest inveniri, habet locum compositio. Idem dicendum, quando post innundationes fluviorum, aliqua inveniuntur; quæ servari debent, ut domino comparenti reddantur: si autem factâ diligentia non compareat, vel ea bona ab eo habeantur pro derelictis, poterit inventor illas sibi applicare; donec dominus compareat, vel factâ diligentiâ, se per Bullam componere, juxta *superius dicta* de inventis. Sic Mend. *ubi supra n.* 183. licèt Trullench. *cit. n.* 17. id limitet rebus parvi momenti, & quæ habentur pro derelictis; sed ex dictis constat, sine limitatione aliquâ, modo dicto, posse fieri compositionem, vel ea bona retineri.

SECTIO XXXIV.

De compositione, super damnis, per venationem, vel animalia, illatis.

358. PRosequitur Bulla compositionis, in hæc verba: *Enos quedam damno com seus gados, ou andando acaça, enam lhe pode constar. aquem.* Conceditur in præsenti compositio illis, qui permittunt, ut sua animalia satis, & segetibus alienis pascantur, vel eis damnum inferant; & illis qui occasione venationis segetes, vineas, aut hortos conculcant, tam per se, quàm per equorum pedes vel alio quocumque modo, res alienas damnificant. Ad hanc compositionem licitè faciendam requiritur, quòd dominus illarum segetum, vinearum, aut hortorum ignoretur; & adhibitâ diligentiâ, & invento domino illi facienda est restitutio; si autem inveniri non potest, quod difficilè videtur, datur locus compositioni. Sic omnes. Videantur Rodrig. *in Bull. compos. cas.* 12. *à n.* 43. Trullench. *in expos. Bull. l.* 3. *cas.* 16. *n.* 2. Bard. *part.* 3. *tract.* 5. *dissert.* 2. *cap.* 2. *n.* 34. Mend. *disp.* 34. *n.* 188. In quibus autem casibus pascentes animalia, venatores, aut piscatores teneatur ad restitutionem, per sequentes conclusiones dicendum.

359. Dico primò: Qui in alieno prato, vel sylvâ, quæ sub dominio privatæ personæ, vel ex conductione inest, armenta depascit, vel herbam ad ea nutrienda colligit, vel ligna cædit, ex suo genere mortale peccatum committit, cum obligatione restituendi; quia contra justitiam delinquit. Sic Castr. Palao *tom.* 7. *tract.* 31. *disp. unic. punct.* 16. *n.* 4.

360. Dico secundò: Si sylva, aut mons sit alicujus oppidi, & illius incola in illius pascuis gregem depascat, herbam colligat, aut ligna cædat, contra populi edictum, nec mortale peccatum committit, nec ad restitutionem tenetur; etsi pœnis, per legem statutis subjaceat. Si Sot. Ludovic. Lop. Molin. Lessius, Layman. Rebell. quos refert, & sequitur Castr. Palao *proximè n.* 2. Mend. *in Bull disp.* 34. *n.* 193. *citans* Henriq. & Villal. At si ex iis notabile damnum ipsi populo sequatur, peccare mortaliter, existimat Castr. Palao, non tamen teneri ad restitutionem: at tamen & peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem, autumat Mend. uterque probabiliter; probabilius verò procedit Castr. Palao; quia si transgressor comprehendatur, pœnâ impositâ puniendus est. Adverte tamen non rectè citari Sanch. à Trullench. *tom.* 2. *decal. l.* 7. *dub.* 7. *n.* 2. dicente Sanch. *l.* 1. *consil. cap.* 5. *dub.* 1. *n.* 22. asserere, non esse peccatum veniale inferre damnum notabile cædendo ligna in sylva communi; nam Sanch. id non asserit, ut legenti illum *n.* 21. manifestè constabit.

361. Dico tertiò: Si sylva, aut pascua sint alterius populi vicini, & incolæ alterius, habentes propriam Sylvam, aut pascua, in vicinis pascant animalia, vel de sylva cædant ligna, nec mortaliter peccant, nec lethaliter delinquunt, quia damna similia à vicinis patiuntur; & compensatione reparantur. Ita Rodrig. *in Bull. comp. cas.* 12. *n.* 59. Mend. *n.* 195. Castr. Palao *cit. n.* 3. cum Molin. Less. Rebell. Laym, & Soto.

362. Dico quartò: Qui in Sylva non conclusa alicujus domini venatur, non tenetur ad restitutionem; quia cuniculi, & aliæ feræ, quæ à venatore ibi inveniuntur, censentur esse sub nullius dominio; ac proinde fiunt primi occupantis. Sic §. *Bestia, inst. de rerum divis.* & D. D. Henriq. *l.* 7. *de indulg. cap.* 35. *n.* 7. Rodrig. *proximè n.* 54. Mend. *supra n.* 190. citans ultra allatos, Sylvestr. & alios Summistas.

363. Si tamen venatio, seu piscatio fiat in prædio alieno concluso, vel lacu alicujus domini, ad restitutionem tenetur venator, aut piscator: quia & dominium habent ipsi cuniculi, feræ, & dominus prædii, & lacus jus habet impediendi in his locis venationem, & piscationem. Sis Molina *tract.* 2. *disp.* 51. Lessius *l.* 2. *de just. cap.* 5. *dub.* 9. *n.* 43. quos citat, & sequitur Castr. Palao *ubi supra punct.* 13. *n.* 4. accedit Mend. *disp.* 34. *n.* 190.

364. Dico quintò: Qui venatur in Sylva, vel monte à Principe sibi, vel alteri ad venandum reservato; illicitè agit. An verò peccet mortaliter, aut venialiter Less. *proximè n.* 44. existimat solùm peccare venialiter: si grave damnum non inferat. At Castr. Palao *ubi super n.* 3. cum Laym. *l.* 3. *summ. sect.* 6. *tract.* 1. *cap.* 5. *n.* 14. dicunt peccare mortaliter; non ex damno, quod ex ea venatione Principi, vel privato provenit; sed ex eo, quòd illius authoritas, & dominium contemnitur. Ex unius tamen, vel alterius feræ venatione, non datur obligatio restituendi. Imò Princeps de restitutione non curat, sed tantùm ut transgressores pœnas luant. Sic Molin. *disp.* 51. *Vers. Caterum.* Less. & Rebell. quos citatos refert, & sectetur Castr. Palao *ubi supra n.* 4. *in fine*, & sic habet praxis.

365. Dico sextò: Leges prohibentes venationem, quando feræ gravidæ sunt, vel piscationem, cum retibus minutissimis, cùm sint pœnales, non obligare in conscientia; nec ad restitutionem inquit Mend. *dicta disp.* 34. *n.* 192. ex communi doctrina, quam defendunt plures, quos sequitur Dian. *part.* 1. *tract.* 10. *resol.* 17. & 20. At oppositum tenent Soar. & Sanch. apud eundum Dian. Et in præsenti casu peccari, docet Castr. Palaus *dict. tom.* 7. *tract.* 31. *disp. unic. punct.* 14. *n.* 5. quamvis addat, rarò mortaliter. Vide illum.

366. Dico septimò: Directè invitare columbas alienas seminibus, aut thure, ad alia columbaria, est peccatum mortale; & datur obligatio restitutionis; nam columbaria sunt licita; & illis actionibus infertur damnum contra justitiam. Quare dum non constat columbas amisisse consuetudinem revertendi ad suum columbarium, capi non possunt; etiamsi ab

si ab illo absint; dummodo in Hispania à columbario distantia non sit ultra leucam. In Lusitania verò non est lex, quæ hanc distantiam præscribat; unde standum est consuetudine. Quam Rebell. *prima part. l.* 1. *q.* 14. *n.* 20. asserit, esse quingentorum, vel sexcentorum passuum, & ultra has distantias, posse licitè capi; quamvis Cordub. *in summ. q.* 121. credat, has leges esse permissivas; & nunquam excusare à restitutione. Oppositum tamen est commune ut defendit Castr. Palao *super cit. punct.* 15. *n.* 3. Mend. *dict. disp.* 34. *n.* 191. & apud illum Henriq. *lib* 7. *de indulg. cap.* 35. *n. Gloss. Litt. B.* excusans à restitutione illum, qui intra leucam aliquas columbas, ex non cicuribus, aucupatur.

367. Ex prædictis conclusionibus constare poterit, quando detur obligatio restituendi, in damnificatione animalium satis, & pascuis illatâ; in venatione, & piscatione, ubi ergo obligatio restituendi intercesserit, & dominus ignoretur, aut non appareat, post adhibitam sufficientem diligentiam, compositio fieri potest.

SECTIO XXXV.

De compositione, super rebus falsificatis, vel aliis deterioribus mixtis.

368. IN Bulla compositionis hæc sequuntur verba: *Ea osque vendem amuitos por falsos pezos, ou medidas, ou pouzas falsificadas, ou mesturadas, e nam podem restituir as pessoas a que defraudaram.* De venditoribus per falsa pondera, & mensuras, diximus *supra sect.* 6. *à n.* 84. superest dicendum de falsitate, quæ committitur, in aliis rebus; quæ venduntur.

369. Hæc falsitas tunc datur, quando una res venditur pro alia; quam alter non intendebat emere: ut constat de Pharmacopolis, qui non habentes, ab emptoribus expetita, alia non abimilis virtutis vendunt; ne dicatur, in suis officinis, aliqua deesse; & ideo illas minus frequentent. Alia datur falsitas, quando admiscetur res aliqua cum alia extranea; per quam deterior fit res illa, cui fit admixtio; venditur, ac si esset pura, v.g. si vino optimo, admisceas deterius; aut veteri misceas novum, si tritico puro, & mundo, misceas paleas, & alia inutilia, & inferiora; si argento, stannum, & sic de aliis. In his ergo casibus, in quibus committitur injustitia; & per consequens resultat obligatio restituendi, si damnificatus ignoretur, nec post adhibitam diligentiam appareat, datur locus compositioni.

370. Dico primò: Pharmacopola graviter peccat cum obligatione restituendi, vendendo unum, pro alio electuario non requisito. Primò, quia ementem decipit, vendendo aliam substantiam, quæ non expetebatur. Secundò, accipiendo certum pretium, pro medicamento incerto. Tertiò, offendendo infirmi salutem, tradendo unum electuarii genus, mandante medico, quoddam aliud diversum. Et quamvis Pharmacopolæ videatur electuarium, quod vendidit, non dissimile; cùm in se sit dissimile, & contra petitionem, & voluntatem ementis; venditio est nulla. Sic Mend. *disp.* 35. *n.* 20. Tambor. *l.* 8. *decal. tract.* 3. *cap.* 7. §. 11. *n.* 18. qui hoc limitat, quando Pharmacopola evidenter certò cognosceret, electuarium ab eo traditum, iisdem prorsus pollere virtutibus, ac electuarium expetitum. Cùm tamen hoc certum evidenter cognoscere non valeat; tenetur, re integrâ, hoc est, existente adhuc electuario tradito, contractum rescindere; reddendo totum pretium. Deinde certum est, teneri omnia resarcire damna, ex ea deceptione sequuta. Videatur Molin. *tom.* 4. *de just. tract.* 3. *disp.* 27. *in fine, & legem* 3. *ff. ad Leg. Cornel. de sicariis.*

371. Dico secundò: Argentarii licitè vendunt argentum, & aurum mixtum, cum eo metallo, quod dicitur *Liga*; & similiter ferrarii, ferrum mixtum, cum aliquibus arenæ granis; & fabri caldarii æs mixtum, cum modico ferro; & vinitores mustum, ad decoquendum, cui necessariò est miscenda modica aqua. Dummodo hæc tria observentur. Primò, quod ex arte sit necessarium. Secundò, quod sit consuetum. Tertiò, ut id sit in parva quantitate. At cæteræ mixtiones prohibentur; & ex illis obligatio resultat restituendi. Sic Azor. *tom.* 3. *l.* 8. *cap.* 23. *q.* 3. ex Cordub. *in summ. q.* 8. Tambor. *ubi supra n.* 6.

372. Dico tertiò: Vendentes triticum pretio à lege taxato, quin excedant; justè vendunt, quia taxa censetur justa: quæ tamen intelligitur posita tritico sano, incorrupto, vermibus non corroso, mundo, & puro, ut ex area asportatur. Et si ex iis aliqua deficiant, jam pretio taxato vendi non potest; sed prudentis arbitrio tantùm de pretio detrahendum est, quantùm minus valet. Sic Salas. *tract. de empt. & vendit. dub.* 11. & alii, quos refert, & sequitur Castr. Pal. *tom.* 32. *de just. commut. disp.* 5. *punct.* 6. *n.* 3.

373. Dubium tamen est: An si tritico mundo aliqua inutilia misceantur; & unico optimo, aliquod deterius; possint adhuc vendi pretio à lege taxato? Affirmant Ludovic. Lopes *part.* 2. *instr. conscient. cap.* 42. *alias* 192. Less. *l.* 2. *de just. cap.* 21. *dub.* 11. *n.* 85. Sot. apud citatos. Idem docent de vino optimo, cui admiscetur aliquod deterius, vel aqua, Bonac. *tom.* 2. *disp.* 3. *de contract. q.* 2. *punct.* 6. *n.* 17. & alii, quos referunt, sequuntur Dian. *part.* 1. *tract.* 8. *resol.* 51. Mend. *disp.* 34. *n.* 17. Probant, sic emptori nulla fit injuria; cùm illi tradatur triticum, aut vinum ejusdem bonitatis, ac cætera.

374. Quamvis hæc sententia videatur probabilis, in praxi non est admittenda; ne via fraudibus, & malitiis aperiatur. Ratio est, quia taxa est tritico ex area collecto, & vino ex torculari ad cellariam deducto, apposita: at iniquum est paleas, & alia tritico, & aliquod deterius, vel aquam, vino miscêre: ergo cum hac iniquitate, & malitia venditio licita esse non potest. Minor ostenditur, quia illæ mixtiones res taxatas deteriores reddunt; & non semel cum damno emptorum: ergo cùm non liceat, ex iniquitate pretium reportare; licitæ esse non possunt ex venditiones.

375. Salas *dict. tract. de empt. & vendit. dub.* 12. temperat sententiam, prædictam *n.* 373. *allatam*, ut tantùm locum habeat; quando triticum, & vinum non sunt lege taxata. Probat, quia illud mixtum, licèt ex malitia, est ejusdem bonitatis, ac illa, quæ communiter venduntur: ergo eodem pretio vendi possunt.

376. Nec cum hac limitatione Sal. existimo eam opinionem probabilem, quia rarò, vel nunquam, eâ factâ, admixtione, redditur ea res æqualis bonitatis; licet primo aspectu, ita videatur. Et ita sentiunt

tiunt Castr. Palao *dict. tom. 7. tract. 32. disp. 5. punct. 6. à n. 5.* & apud ipsum Rebell. *part. 2. de obligat. justit. lib. 9. q. 8. n. 17. & q. 9. n. 3. & q. 10. n. 10.* Medin. *l. 1. summ. §. 14.* Petr. de Ledesm. *2. part. summ. tract. 8. cap. 32. post. 7. conclus. diffic. 2.* Rodrig. *part. 2. cap. 79. n. 10.* Molin. *tract. 2. disp. 353. in fine.* Idem Salas. *tract. de empt. & vendit. dub. 12. num. 2.* & alii.

377. Ad fundamentum oppositæ sententiæ respondeo, negando, emptori non fieri injuriam; si enim non fieret, non esset puniendus adulterans; nam ubi non datur culpa, pœna non debetur: at ut inquit Less. *dict. dub. 11. num. 83.* puniendus est.

378. Dico quartò: Si post factam venditionem, venditor mixtionem faciat, peccabit mortaliter cum obligatione restituendi quod, ex ea mixtione, res vendita deterior redditur: quia tenetur eam reddere emptori, ut illam emit. Sic cum Rodrig. & Salas. Castr. Palao *proximè n. 7.* Idem dicendum, si venditor triticum, aut lanam, in loco humido, apponat; ut plures mensuras conficiat: quia sic minus reddit emptori, quàm reddere tenebatur. Sic cum *nuper citatis* Castr. Palao *loco cit.* Addens cum Salas, idem dicendum, si venditor ex industria in loco humido triticum non apponeret, sed in loco humido sit casu appositum; quia non solùm tenetur, de pretio detrahere, quod ex appositione eâdem accrevit; sed monere emptorem de eo defectu, ne volens triticum servare, corrumpatur. Ex dictis *initio sect.* constat, quomodo, & quando in his fieri debeat compositio.

SECTIO XXXVI.

De compositione simulatoris, super iis, quæ fictione illicitè acquisivit.

379. HUic ultimo quinto casui Bullæ compositionis, finem imposuit Commissarius, his verbis: *E em outros muitos casos, que cada hum sentindose encarregado, pode, e deve consultar com seu confessor, ou outras pessoas doutas, pias, e prudentes.* Cùm verò omnes casus, in quibus conceditur compositio, virtute illorum verborum, in Bulla Latina: *super illicitè habitis*, non possint à Commissario recenseri, addit prædicta verba in fine Bullæ compositionis; ut volentes per Bullam componi, confessarios, viros doctos, & prudentes consulant, à quibus edoceantur; quando se componere valeant, super malè ablatis, & illicitè acquisitis. Cùm enim ipsi confessarii teneantur pœnitentes de obligatione restituendi admonere; etiam dignoscere debent modos, quibus facilè, ab ea obligatione liberentur; non enim semper ad manum habere possunt viros doctos, & prudentes, ad quos illos mittant; ideoque aliquos casus extra numeratos à Commissario, qui frequentiùs occurrere possunt, in sequentibus sectionibus explanabo.

380. Primò occurrit casus, de illicitè acquisitis, per fictionem; quando quis simulat eam qualitatem, quam non habet; ut aliquem, vel aliquos moveat, ad illi præstanda ea, quæ nullo titulo ei debentur. Hoc sæpius contigit in eo, qui se finxit pauperem, consanguineum alicujus, vel sanctum, ut alius moveatur ad elargiendam eleemosynam, faciendam donationem, aut beneficium conferendum; & incipiendo a simulatore paupertatis.

381. Inquires primò: An qui, simulatâ paupertate, accipit eleemosynam; peccet, & teneatur ad restitutionem? Prima sententia negat de parvis, & quotidianis eleemosynis. Sic Sotus, Granad. & Fagundus; quos citat, & sequitur Dian. *part. 5. tract. 8. de eleemosyn. resol. 21. & parte 8. tract. 6. resol. 199.* licèt cum aliqua limitatione: in idem recidit Henriq. *l. 7. cap. 35. n. 5.* Fernand. *in exam. theol. moral. part. 1. cap. 16. §. 5. n. 3. & seqq.* dum asserunt, divitem simulantem paupertatem, non teneri ad restitutionem, accipiendo à multis tenues eleemosynas. Eandem videntur tenere Less. *lib. 2. de just. cap. 18. dub. ult. n. 132.* Ægid. Coninch. *disp. 27. dub. 6.* dum affirmant, pauperem fictum acquirere dominium eleemosynæ sibi elargitæ: Sed addunt, teneri deceptionem tollere; quia alium decepit, inducendo illum per fraudem, ad sibi donandum: Si autem, sublatâ deceptione, donans noluerit huic donationi consentire, teneri simulatorem acceptum reddere. At si hanc fraudem, seu fictionem, non potest donanti manifestare, nec acceptum restituere, asserunt dicti authores dictum simulatorem acceptum retinere, neque in pauperes, esse obligatum, expendere.

382. Secunda tamen, & tenenda sententia absolutè, & simpliciter docet, pauperes fictos, & peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem. Ita Scot. Alensis. Philipp. Taber, Navarr. apud. Dian. *nuper citat.* Medin. Adrian. Angel. Cajet. Vasq. & alii, quos refert, & sequitur Castr. Palao *tom. 1. tract. 6. 2. punct. 14. n. 5.* quibus accedunt Rodrig. *in Bull. compositionis §. unico casu 11. n. 49.* loquens de sanctitate fictâ; & idem dicendum de fictâ paupertate; Bard. *part. 3. tract. 5. dissert. 2. cap. 2. n. 25.* Mend. *disp. 34. n. 171.* Tamborin. *lib. 8. decal. tract. 4. cap. 1. §. 1. num. 2.* Ratio est, quia causa motiva, quâ quis movetur ad eleemosynam elargiendam, est paupertas, aut sanctitas: Ergo si paupertas, aut sanctitas, quâ quis motus fuit, non subsistat; dominium eleemosynæ non acquiritur; & resultat obligatio restituendi.

383. Inquires igitur secundò: Cui faciendæ est restitutio per dictum simulatorem? Prima opinio defendit, faciendam esse ipsis dantibus eleemosynas, si agnoscantur. Sic Sot. Less. Granad. Turrian. quos refert Dian. *dicta parte 5. tract. 8. resol. 22.* Medin. Viet. Penâ apud Henriq. *l. 7. de indulg. cap. 35. n. 5. in Gloss. litt. X.* Idem tenet Fernand. *supra cit.* si eleemosynæ non sint tenues, nam hæ aliis pauperibus sunt restituendæ.

384. Secunda opinio tenet, restitutionem faciendam esse pauperibus. Sic Henriq. *proximè, citans, in Gloss. litt. Y.* Navarr. & alios. Idem docent Ludovic. à Cruce *disp. 3. dub. 15. num. 2.* Trullench. *in Bull. lib. 3. casu 13. num. 2.* & apud Dian. *cit. loco, & part. 8. tract. 6. resol. 109.* Ludov. de S. Joann. Alens. Adrian. & alii. Villal. *tom. 1. tract. 22. diffic. 9. n. 4.* citans Joann. Andream. Hanc sententiam sequitur Bard. *part. 3. tract. 5. dissert. 2. cap. 2. num. 27.* quamvis illam limitet in casu, quo pauper ad eo magnam paupertatem fingit, ut donator eâ motus, eleemosynam elargiatur; quam non esset erogaturus, si ea non daretur fictio. Hanc etiam sententiam tutam existimat Mend. *disp. 34. num. 170.* ob authoritatem, eam docentium; licèt primam videatur sequi.

385. Tertia sententia autumat, restitutionem posse fieri, & danti, & pauperibus, cui simulatus pauper voluerit: Sic Valq. *de restit. cap.* 3. *dub. ult. n.* 24. Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 2. *punct.* 14. *n.* 7. Tambor. *l.* 8. *de cal. tract.* 4. *cap.* 1. §. 1. *num.* 5.

386. Omnes has sententias judico probabiles; probabilius tamen mihi videtur restitutionem eleemosynarum tenuium, quæ à dantibus solent erogari ostiatim petentibus, esse faciendam aliis pauperibus; aliarum verò eleemosynarum, quæ sunt majores, & non solent cuilibet pauperi erogari, teneri simulatum pauperem danti restituere. Ratio est, quia eleemosynæ tenues, jam ad pauperes donantes habebant determinatas: ergo per pauperes debent distribui: at aliæ majores eleemosynæ ad pauperes designatæ non erant; & illas illicitè, & invalidè acquisivit fictus pauper; quia donans solùm fuit motus à paupertate simulata, ad eam erogandam: ergo si causa motiva data non fuisset, erogata non esset ea eleemosyna: ergo danti facienda est restitutio. Et ita sentiunt plures ex citatis authoribus. Ex allatis sententiis respondeo per sequentes conclusiones ad titulum sectionis.

387. Dico primò: Pauper, qui ex eleemosynis quotidianis, sibi jam conflavit summam ducentorum aureorum; & deinceps curat aliis eleemosynis illam augere summam, & non tantùm exposcere, quibus in dies vivat; indiget Bullâ compositionis, super aliis eleemosynis acquisitis; quia per illam summam acquisitam jam videtur se excessisse fines paupertatis, juxta suam infimam conditionem; cùm ergo simulatâ paupertate eleemosynas acquirat, debet acquisitum pauperibus distribuere. Et cùm, super bonis, quæ debentur pauperibus possit se per Bullam componere, illâ indigebit; nisi malit, ea acquisita pauperibus, aut alicui loco pio tribuere.

388. Dico secundò: Qui simulantes paupertatem varias eleemosynas receperunt, possunt per Bullam se componere; qui juxta authores secundæ, & tertiæ sententiæ ea bona acquisita debent, aut possunt ea pauperibus applicare: ergo etiam super illis potest fieri compositio. Ut docent Trullench. *cit. n.* 1. Bard. *proximè num.* 29. Mend. *dict. disp.* 34. *num.* 169. & nos jam supra notavimus. Has duas conclusiones intellige, etiam in casu, in quo dominus, seu qui donavit eleemosynas, compareat.

389. Sed contra objicies: Commissarius in hoc quinto casu Bullæ compositionis, qui est de illicitè habitis, ut habetur in Bulla Latina, concedit compositionem, quando, cui debeat fieri restitutio, non compareat, ibi: *Com tanto, que feita adevida diligencia se nam ache, nem conste da pessoa, ou pessoas aque se deva fazer arestituiçam*; & hoc etiam repetit in aliis casibus; & in Bulla Latina idem astruitur, exceptâ compositione super Legatis, ex annuali negligentia, ut vidimus *supra sect.* 23. Cùm ergo S. Pontifex, & Commissarius non concedant facultatem componendi, super illicitè acquisitis, quando dominus, aut donator compareat; si ille in hoc præsenti casu est notus, non habet locum compositio. Hoc argumentum eandem habet vim contra Bullam Hispaniam, in qua eadem datur dispositio, tam à S. Pontifice, quàm à Commissario. Quare eodem modo, quo ejus expositores respondent ad argumentum, nos etiam respondere debemus.

390. Respondent Ludovic. à Cruce, Trullench. *locis citat.* Bard. *num.* 31. Mend. *num.* 196. Commissarium sequutum fuisse primam sententiam allatam *num.* 383. asserentem restitutionem faciendam esse danti, seu donatori; quando ipse compareat; at si non compareat concedit posse fieri per Bullam. Cæterùm quia plures authores, quos pro secunda, & tertia sententia citavimus, docent eas eleemosynas, etiamsi qui eas erogaverunt compareant, esse pauperibus distribuendas, & super bonis, quæ debentur pauperibus potest fieri compositio, cùm jam domini sint ignoti; benè sequitur, juxta dispositionem S. Pontificis, & Commissarii, licitè fieri compositio.

391. Inquires tertiò: An simulans consanguinitatem, & eadem causâ aliquid accipiens, possit uti Bullâ compositionis? Respondeo, non posse, si donator innotescat; quia illi facienda est restitutio. Ratio est, quia causa motiva non fuit tantùm paupertas, sed consanguinitas simul, & paupertas: cùm ergo consanguinitas non detur, donatio fuit nulla; & ideo donatori acceptum restituendum est. Sic Bardi *ubi supra n.* 32. Mend. *num.* 173. Quare non placet Ægid. Trullench. *cit. dict. casu* 13. *num.* 2. inquiens restitutionem faciendam esse pauperibus consanguineis ipsius dantis; nam quamvis consanguinitas in causa motiva conjungatur cum paupertate; non tamen conjungitur ad alios consangineos pauperes: diverlum enim motivum potuit habere ad hunc simulatum, quàm ad alios; ad quos non vult extendere suam donationem; ut regulariter ostenditur in divitibus; qui si aliquibus succurrant, non omnibus tamen consanguineis pauperibus volunt succurrere.

392. Inquires quartò: An qui obtinuit à Prælato licentiam petendi eleemosynas pro uno, vel duobus annis, possit hoc jus alteri locare? Negant Rodrig. *in Bull. compos.* §. *unic. casu* 11. *n.* 51. Cordub. *casu.* 98. Quod silicet, tenetur pretium locationis restituere pauperibus, vel componi per Bullam, quasi de turpi lucro.

393. Dicendum tamen probabilius, nec ad restitutionem, nec ad compositionem teneri. Ita Henriq. *l.* 7. *de indulg. cap.* 35. *num.* 5. *in fine.* Trullench. *in expos. Bull. l.* 3. *casu* 13. *num.* 4. *in fine.* Mend. *disp.* 34. *num.* 175. Ratio est, quia in jure non invenitur prohibita ea locatio, nec locans inhabilis sit, ut pretium accipiat, nec est contra intentionem Prælati licentiam concedentis; quæ fuit ut illius miseria sublevaretur; & per pretium locationis sublevatur; licèt minus, ac si per seipsum eleemosynas posceret.

394. Inquires quintò: An qui, simulatâ sanctitate, vel Doctrina; quam non habet, accepit beneficium, possit per Bullam componi? Respondeo, non posse; quia beneficia dantur absolutè, sine ea conditione; & sanctitas solùm est causa impulsiva, & non motiva, & finalis: quæ est idoneitas; quæ præsumitur inesse, nisi de oppositò constet. Attamen si est ineptus ad beneficium, & per simulatam sanctitatem, & peritiam, illud à conferente obtinuit; tenetur beneficium dimittere: quia illud retinendo, peccat mortaliter; & tenetur ad restitutionem fructuum malè perceptorum. Nunquam tamen potest componi super titulo beneficii. At si beneficium dignè administret; cùm ad id scientiam habeat sufficientem; quamvis ex simulata virtute, & scientia illud obtinuisset, potest illud retinere. Sic Henriq. *cit.* Rodrig. *proximè n.* 48. Ludovic. à Cruce *in Bull. disp.* 3. *dub.* 14. Trullench. *supra n.* 3. Card. de Lug. *tom.* 1. *de just. disp.* 21. *n.* 128. Bard.

pars.

part. 3. tract. 5. differt. 2. cap. 2. n. 33. Mend. *disp. 34. n. 176.* idem extendens ad eum, qui per simulatam peritiam aliquod munus, seu dignitatem etiam laicam obtinuisset, cujus rectæ administrationis est incapax; quæ omnia etiam admittit Fr. Joseph. *in Bull. compositi. interrogat. cap. 12. n. 57. fol. 141.*

SECTIO XXXVII.

De compositione super possessis, cujus dominus ignoratur, & de missis celebrandis, quando ignoratur à quo accepta fuerit eleemosyna.

395. QUoad primum variis modis potest res aliena ab aliquo possideri; vel quia in depositum à proprio domino illi tradita fuit; vel quia in mutuum, vel in pignus, vel per aliquem contractum, vel quasi contractum, ex iis per quos dominium non transfertur. Quocumque igitur modo, quo res apud aliquem extet; si is, factâ debitâ diligentiâ, dominum non inveniat; nec detur spes illum posse convenire, & ad talem statum sit deventum, ut ea res possessa distribuatur pauperibus, poterit tutâ conscientiâ uti Bullâ compositionis. Sic D. D. communiter Rodrig. *in explicat. Bull. composit. n. 1. & 2. & n. 75.* Bard. *part. 3. tract. 5. differt. 2. cap. 5. n. 13.* Mend. *disp. 34. n. 185.*

396. Exemplum primum sit in eo, qui profectus est in Indiam; & suam substantiam apud amicum depositam relinquit; & elapsis pluribus annis nulla datur spes, quòd sit venturus; nec de illo aliquod invenitur nuntium, nec eæ divitiæ ad illum mitti possunt; quia de eo nec habet mandatum; & ignoratur locus, & præsumitur mortuus, sua consideratâ ætate; tunc si nullus detur hæres potest hic depositarius per Bullam componi, aut cum Commissario juxta dicta *supra à n. 121.*

397. Secundum sit de eo; qui in quadam arca propriæ domus invenit pignus majoris æstimationis, quàm erat illa summa, pro qua pignorabatur: non tamen potest inveniri, cujus sit id pignus; tunc factâ debitâ diligentiâ, juxta prudentis arbitrium, & non invento domino, datur locus compositioni, super excessu, quem pignus habet super debitum, pro quo erat obligatum.

398. Cæterùm, si res alienæ authoritate judicis apud aliquem deponantur; dum cujus sint decernatur; quod in jure vocatur sequestrum, *L. sequester ff. de verb. signifi.* Tunc si dominus per sententiam à judice designetur, & hic dominus non compareat; non potest hic depositarius per Bullas se componere, quia judex fuit deponens, & de natura depositi est, ut totum deponenti tradatur. Si autem à judice constituatur depositarius, nomine domini, qui tunc non comparet, ut illi comparenti tradantur res depositæ. Tunc si, elapso debito tempore, & adhibitâ sufficienti diligentiâ, dominus nec compareat, nec possit inveniri, & careat hæredibus, poterit depositarius super illis bonis se componere, quia nomine veri domini extat depositarius. Vide Mend. *disp. 34. n. 186.* De qua autem, culpa teneatur depositarius in custodiendo deposito. Videantur Molin. *de just. tract. 2. disp. 527.* Rebell. *part. 2. lib. 16. q. unic. à n. 5.* & alii apud Dian. *1. part. tract. 8. resol. 74.*

399. Quoad secundam tituli sect. partem: Dico non dari locum compositioni, quando aliquis Sacerdos à diversis eleemosynas, pro missis celebrandis, accepit; non tamen recordatur, à quibus accepit, nec pro quibus missas sit applicaturus. Sic Trullench. *in exposit. Bull. lib. 3. casu 19. n. ult.* Ludovic. à Cruce *in Bull. disp. 3. dub. 16.* Mend. *disp. 35. n. 81.* Fr. Joseph. Mend. *de Bulla composit. interrog. 19. n. 88. fol. 152.* Tamborin. *tract. de Bull. cap. 18. §. 4. n. 9.* Ratio est, quia licèt non recordetur à quibus accepit eleemosynas: ea non recordatio eum non constituit rei incertæ possessorem, ad hoc ut per Bullam se possit componere. Nam missæ applicandæ non sunt incertæ, nec personæ pro quibus erant applicandæ: quia Deus, ad quem pertinet, earum missarum fructum concedere, illas personas scit, & cognoscit. Deinde sacrificium eodem modo prodest vivis, & defunctis, si Sacerdos illud offerat juxta intentionem eleemosynas erogantium: ergo ex nullo capite apparet incertitudo, ob quam fieri possit compositio.

SECTIO XXXIII.

De compositione super illicitè acquisitis per ludum.

400. POtest etiam compositio habere locum super acquisitis per ludum: nam passim ex illo pecuniæ non paucæ illicitè habentur. Ideoque quoties hæ malè acquisitæ debentur pauperibus, potest super illis fieri compositio. Nunquam tamen potest fieri, quando est certus ille, cui ratione ludi debetur restitutio. Ut ex sequentibus conclusionibus patefiet.

401. Dico primò: Qui lucratus aliquid, per fraudes contra leges ludi, tenetur ad restitutionem: non solùm illius, quod per illas lucratus fuit; sed etiam ad id, quod alius collusor, si fraudes abessent, lucratus fuisset. Sic D. D. communiter Tamborin. *lib. decal. tract. 2. cap. 9. §. 1. n. 6.* Et cum statim teneatur restituere amittenti, non datur locus compositioni; quæ non conceditur, quando creditor est certus: Si autem ignoretur, & factâ diligentiâ non inveniatur; tuta est compositio. Si autem fraudes sint secundùm leges ludi; tunc nec datur peccatum, nec obligatio restituendi, quod per illas lucratur: Sic cum Dicastill. *de just. lib. 2. tract. 18. disp. 5. dub. 3. num. 19.* & alii Dian. *part. 7. tract. 9. resol. 43.* Bard. *part. 3. tract. 5. differt. 2. cap. 2. num. 17.* Tambor. *super cit. n. 7.* Mend. *disp. 34. n. 156.*

402. Dico secundò: Qui ludo, per leges prohibito aliquid lucratur, non tenetur ad restitutionem: quia leges id non intendunt, vel in eo sensu non sunt acceptæ. Sic Salas *de contract. dub. 20. n. 6.* Mend. *disp. 34. n. 154.* Turrian. quem refert, & sequitur Cardin. de Lug. *tom. 1. de just. disp. 21. n. 127.* Qui autem ludi prohibeantur in hoc Regno: vide *Ordin. l. 5. tit. 82.* & sub quibus pœnis. Conceditur tamen in hoc casu amittenti actio repetendi solutum, *in l. alearum, Cod. de religios. & sumpt. funeral.* Rebell. *de just. oblig. part. 2. l. 12. q. 1. n. 7.* Unde in hoc casu non habet locum compositio. Si tamen aliquis ad

majorem conscientiæ pacem, velit se componere, poterit, quia aliqui authores; ut Paludanus apud Card. de Lug. *cit.* & Bard. *proximè n.* 19. dicunt, hoc lucrum esse pauperibus debitum.

403. Dico tertiò: Qui in peritiâ ludendi maximè excedit alteri collusori, ita ut detur moralis certitudo lucrandi, tenetur ad restitutionem; quia non servatur æqualitas. Sic Molin. *de just. tract.* 2. *disp.* 517. Cardin. de Lug. *tom.* 2. *de just. disp.* 31. *num.* 44. Dian. *part.* 7. *tract.* 3. *resol.* 29, & 30. Si autem excessus peritiæ sit nota alteri colludenti; adhuc peritus tenetur ad restitutionem; ut tenent Sanch. Salas, Villal. & alii plures, quos referunt, & sequuntur Mend. *disp.* 34. *num.* 157. & Dian. *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 186. quamvis *part.* 7. *tract.* 9. *resol.* 31. id limitet cum Card. de Lug. *proximè num.* 50. quando id lucrum Præsumitur spontanea donatio: Quæ præsumi potest, quando lucrum est parvum. Cùm verò hæc illicitè lucrata debeantur alteri colludenti, non potest super illis fieri compositio: si autem ignoretur, vel non reperiatur, locum habebit compositio.

404. Dico quartò: Qui ludit cum illis, qui alienare nequeunt id, quod ludo exponunt, tenetur ad restitutionem, si lucratus est. Quæ autem personæ alienare nequeant? Sunt filii familias, uxores, Religiosi, servi, &c. Et facienda est restitutio parentibus, maritis, Monasteriis, & Dominis, &c. Et sic super his non conceditur compositio; nisi in casu, quo post adhibitam diligentiam ignorentur. An verò alienare non valentes aliquam, & quotam quantitatem possint ludo exponere? Videantur Mend. *de jur. Academic. l.* 3. *num.* 139. Tambor. *l.* 8. *decal. tract.* 2. *cap.* 9. §. 1. *à n.* 18. Busembav. *in Medul. Theol. moral. l.* 3. *tract.* 5. *cap.* 3. *dub.* 13. Trullench. *in decal. l.* 7. *cap.* 12. & Mend. *in Bullam dict. disp.* 34. *à n.* 160. Lezan. *in summ. tom.* 4. *Verb. Ludus n.* 10. circa Regulares.

405. Dico quintò: Quando quis metu, aut coactione aliquem pertrahit ad ludum, si postea perdat, illi debet fieri restitutio. Ita communis sententia apud Dian. *part.* 2. *tract.* 17. *resol.* 37. & *part.* 4. *tract.* 4 *resol.* 169. & docent Sanch. *tom.* 2. *Consil. l.* 8. *cap.* 8. *dub.* 11. *n.* 3. Salas *de contr. ludi dub.* 6. Card. de Lug. *tom.* 2. *de just. disp.* 31. *à n.* 28. At satis probabiliter docent non teneri ad restitutionem, Bonac. Dicastill. Trullench. Hurt. quos refert, & sequitur Dian. *part.* 7. *tract.* 9. *resol.* 32 His datis sententiis, existimant Rodrig. *in Bull. compos. n.* 39. Ludovic. à Cruce *disp.* 15. *dub.* 13. *n.* 3. & alii debere lucrantem ob majorem suæ conscientiæ quietem super Bullam componere.

406. Sed rectè impugnantur à Bard. *supra n.* 20. Nam juxta hanc, ultimo loco, allatam sententiam, quæ negat obligationem restituendi, non est necessaria compositio: si verò loquantur, juxta communem sententiam, quæ ad restitutionem obligat; restituio facienda est coacto, & per metum ad ludum attracto: cùm verò non ignoretur, locus non datur compositioni: nam compositio, ut sæpiùs diximus, solùm conceditur, quando ignorant creditor; vel pauperibus res est distribuenda: Ideoque in præsenti casu, solùm habebit locum compositio, quando qui fuit coactus non potest inveniri, & stante primâ sententiâ, quæ sanè est communis. Et stante secunda, non indiget compositione; quia sic non tenetur ad restitutionem: & potest lucrum acquisitum retineri: ut citati docent authores.

407. Dico sextò: si quis ludat, sive creditò, sive numeratâ pecuniâ, cum animo non solvendi, quod amiserit; & alter collusor id ignoret. Non posse retinere, quod lucratus fuerit, docent Dicastill. *de just. l.* 2. *tract.* 18. *disp.* 1. *dub.* 3. *n.* 25. ex Molin. & Tambor. *l.* 8. *decal. tract.* 2. *cap.* 9. §. 1. *n.* 14. Idem tenent Reginald. *tom.* 1. *l.* 10. *cap.* 25. *n.* 288. Less. *l.* 2. *cap.* 26. *n.* 3. apud Dian. *part.* 7. *tract.* 9. *resol.* 25. At oppositum est probabile; ut tenent Hurt. *de contr. disp.* 8. *difficult.* 5. Sanch. *in Consil. tom.* 1. *l.* 1. *cap.* 8. *dub.* 5. *n.* 2. Cardin. de Lug. *tom.* 2. *de just. disp.* 31. *n.* 53. & *sequentibus*, quos refert, & sequitur Dian. *supra cit.* quibus accedit Mend. *disp.* 34. *n.* 158. Moya. *tom.* 2. *q. q. selectar. tract.* 6. *disp.* 2. *q.* 3. *à n.* 2. cum aliqua distinctione, ut videre est *n.* 9. Ratio est, quia ea intentio non requiritur ad valorem contractûs; sed ea, cujus est capax. Et quamvis alter collusor eam intentionem non habeat, potest habere eam, cujus contractus capax est. Vide *citatos.*

408. Ex hac opinione sequitur non indigere hunc collusorem Bullâ compositionis; quia juxta illam potest retinere, quod fuit lucratus; si autem juxta primam sententiam, quæ est communis, velit se gerere; tenetur lucrum alteri collusori restituere; si autem ignoretur, & inveniri non possit, factâ diligentiâ, potest se componere.

409. Dico septimò: si quis lusit cum beneficiariis Ecclesiasticis; & in iis ludis lucratus est aliquid ex bonis superfluis, quæ erant distribuenda in usus pios, juxta ea, quæ docent authores; ut videre est, apud Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 2. *punct.* 5. *n.* 6. & apud Dian. *part.* 7. *tract.* 11. *resol.* 36. Et volunt aliqui, ut Sylvest. *Verb. Ludus q.* 11. & Navarr. *in manual. cap.* 19. *n.* 9. apud Card. de Lug. *tom.* 1. *de just. disp.* 21. *n.* 127. Hoc lucrum esse pauperibus distribuendum; quod oritur ex alia sententia docente beneficiarium non esse dominum redituum beneficii; quæ videri potest apud Castr. Palao *super cit. punct.* 6. *n.* 4.

410. Hac datâ sententiâ, qui lucratus est potest uti Bullâ compositionis; nam super his, quæ pauperibus sunt distribuenda, habet locum compositio. Sed non est necessaria, quia communis sententia apud eundem Castr. Pal. *cit. n.* 5. tenet dominium eorum bonorum, quæ ex superfluis in opera pia sunt distribuenda, esse penes ipsos beneficiarios. Et sic qui fuit lucratus, non tenetur ad restitutionem; quia beneficiarius, qui dominium habebat, illud in eum poterat transferre. Si tamen pro suæ conscientiæ quiete, sequendo alteram sententiam, velit se componere, utiliter aget. Sic Card. de Lug. *cit.* Bard. *ubi supra n.* 21.

411. Dico octavò: Qui domum, mensam, taxillos, chartas, & similia ad ludum subministrant; cùm teneantur ad restitutionem in defectum colludentium rerum ibi perditarum per fraudes; & ab iis, qui alienare non possunt; ut videre est apud Molin. *tract.* 2. *disp.* 521. & *disp.* 233. *num.* 3. & alios apud Tambor. *l.* 8. *de cal. tract.* 2. *cap.* 9. §. 1. *n.* 31. Si ignorentur personæ, quibus damnum est illatum, vel quibus facienda erat restitutio; quæ facta non fuit ab iis, qui lucrum illicitè acquisiêre; benè possunt se per Bullas componere.

SECTIO

SECTIO XXXIX.

De compositione super acceptis ob turpem; ubi de super acceptis pro meretricio.

412. QUoniam *supra* multa tradidimus de compositione super illicitè acquisita ob turpem causam; alia specialiter poterant tractari, quia tamen omnes casus in particulari nequeunt in compendium redigi; ex sequenti regula poterit quis philosophari; quando ob turpem causam valeat compositio.

413. Regula universalis deducta ex Azor, Molin. Salon. Less. Vasq. Card. de Lug. Dicastill. apud Tambor. *l. 7. decal. cap. 5. §. 7. n. 8.* & Dian. *part. 2. tract. 16. resol. 38.* alios citantem, est: Quoties pretii traditio ex parte dantis, vel receptio ex parte recipientis, vel utraque ex parte utriusque, est ratione sui turpis, & illicita contra justitiam, datur obligatio restituendi: at si receptio ipsius pretii non sit contra justitiam; post impletam conditionem turpem, potest pretium recipi, & retineri absque obligatione restituendi. Ratio est, quia obligatio restituendi oritur ex peccato, contra justitiam; quod datur in prima parte regulæ, & non in secunda illius parte. Hæc juxta communem sententiam.

414. Ex prima parte regulæ nota primò non dari compositionem, quando creditor est notus, & traditio pretii fuit illicita contra justitiam; quia tradita à filio, & servo, & aliis, qui alienare non possint, debent restitui parentibus, & dominis, & aliis.

415. Nota secundò; si traditio sit injusta ex parte recipientis, etiam non conceditur compositio, si creditor innotescat, quia tàm usurarius, quàm latro extorquentes usuras, & pecunias; & contra justitiam illas recipientes, tenentur illas reddere illis, à quibus receperunt.

416. Nota tertiò; si traditio, & receptio sit injusta, v. g. in simoniacis; qui pro spiritualibus obtinendis dant, & recipiunt; & nunc posse fieri compositionem vidimus *supra Sect. 29. a n. 316.* usque ad finem Sectionis.

417. Nota quarto, circa secundam partem regulæ; nempe, si receptio ipsius pretii non sit contra justitiam; etiam super eo pretio potest fieri compositio: licèt enim communis sententia deobliget à restitutione recipientes pretium post conditionem turpem patratam, ad quam ex justitia non tenebantur; & sic non indigent compositione; at cùm aliqui doceant probabiliter, sic receptum esse pauperibus distribuendum, quos citavimus *dicto Sect. 29. n. 318.* tunc pro tranquilitate conscientiæ poterunt se componere; ut cum pluribus, *ibidem* diximus; & tutius esse, inquit Henriq. *l. 7. cap. 35. n. 4.* Ex his.

418. Primò infertur, illos, qui pro impetratione apud judicem facienda, ut causæ injustæ favorem præstet, aut ut reum, justè in carcere detentum, solvat pretium recipiunt, posse se componere per Bullam: quamvis juxta communem sententiam id pretium possint retinere, & non indigeant compositione. Idem dicendum de quodam tabellione, qui causam cujusdam criminosi ita occultavit, pretio accepto, ut inveniri non posset, ac proinde reus impunis haberetur: etsi mortaliter deliquerit, ad restitutionem illius pretii non tenetur: Quia tamen probabile est hoc pretium deberi pauperibus; potest super illo compositionem facere. Sic cum Rodrig. §. *Unico n. 29.* Villal. *tract. 29. n. 29.* Ludovic. à Gruce *disp. 3. dub. 22.* Escobar. *in Theol. moral. l. 7. n. 419.* loquentes de mercede accepta ob intercessionem iniquam; quod ad tabellionem etiam videtur extendi.

419. Secundò infertur fœminas sive publicè, sive occultè turpiter viventes, posse mercedem pro usu suorum corporum sibi retinere; & si non sit post peccatum commissum tradita, posse illam sine injustitia petere. Hæc resolutio constat, ex illa communissima sententia docente, acceptum ob turpem causam posse tuta conscientia peti, & retineri. De qua *initio Sectionis*: & tenet cum communi Card. de Lug. *de just. tom. 1. disp. 18. Sect. 3. n. 45. & 52. expressim.* Ex hac illatione patet prædictas fœminas non indigere compositione, super dictis meretricibus: cùm enim dominium illarum accipiant, illa non indigent.

420. Tertiò infertur, fœminam meretricium publicè exercentem, si fraudibus plus justò accipiat, teneri ad restitutionem. Idem dicendum de ea, quæ sine fraudibus, sed ex eo, quòd exigit, excessivum pretium capit; nec ei præstatur liberaliter. Ratio utriusque conclusionis est, quia excessus pretii, quod recipitur contra justitiam recipitur. Restitutio autem excessus danti est facienda; ideoque locus non datur compositioni: Si autem ignoretur, vel inveniri non potest; restitutio, vel pauperibus fiat, vel utatur compositione per Bullam.

421. Quartò infertur, fœminam occultè meretricium exercentem posse sumere, & petere quantum ei placuerit, citra fraudem. Ratio est, quia in his, & similibus rebus, quæ pretio statuto, vel vulgari carent, pretium justum est, quod ex conventione partium designatur. Sic Cardin. de Lug. *dicta disp. 18. n. 47.* Navarr. *l. 4. cap. 2. n. 93.* & alii, quos refert, & sequitur Mend. *disp. 34. n. 202.* & probabile dicit Tambor. *l. 7. de cal. cap. 5. §. 3. n. 24. vers. At verò fœmina.* Eandem sententiam tenent Sot. Medin. Bonês. Salon. Valenc. & alii plures, apud Castr. Palao *tom. 7. tract. 23. de just. commutat. disp. 5. punct. 3. n. 2.* & Tambor. *super cit. l. 8. decal. tract. 3. cap. 7. §. 4. n. 20.* Juxta hanc sententiam non datur locus compositioni, si abfuit fraus. Quia omne pretium etiam excessivum retinetur, & accipitur citra fraudem ab omni fœmina honesta pro copia sui corporis, quamvis occultè inhonestè vivat.

422. Cæterùm, quia in contrarium est opinio communis docens posse solùm petere, & retinere pretium, quod prudentis arbitrio, spectatis circunstatiis, censetur justum; ut dicunt Navarr. *cap. 23. n. 78.* Cajet. Molin. Less. Salas. Rebell. quos refert, & sequitur Castr. Palao *super cit. n. 3.* & dicit securius Tambor. *loco pro nimè cit.* & Fragos. *tom. 2. disp. 7. in fine* docentes pretia debere commensurari valori rerum rationabili. Ideirco idem Fragos. *cit.* inquit dictas fœminas posse componi ob excessivam quantitatem, quam accipiunt; quæ nisi interveniat donatio, vix ex rigore justitiæ justificari potest. Et idem asserit de acceptis per fraudem.

423. Hæc tamen mihi non videntur vera: nam accepta per fraudes, & per excessum pretii debentur

tur ipsi danti, ut ex se patet: & tenet Trullench. *in Bull. l. 3. casu 17. n. 6.* Sed quando creditor est certus, & notus non potest fieri compositio super illicitè acquisitis, ut constat ex ipsa Bulla, tam Latina, quàm vulgari: Ergo non rectè asseritur posse prædictas componi super illis, quæ per fraudem, aut per excessum pretii, receperunt. Secùs dicendum, si creditor non compareat; nam tunc super illis potest componi. Et ita videtur sentire Mend. *disp. 34. n. 201.* Et expressè tenet Bard. *tract. 3. dissert. 2. cap. 1. n. 23.*

424. Existimo tamen posse prædictas fœminas occultè meretricium exercentes, ad tranquilitatem suæ conscientiæ, se per Bullam componere, si velint, juxta opinionem *supra* allatam; quæ statuit accepta ob turpem causam esse pauperibus distribuenda, super iis tantùm, quæ pro pretio suæ turpitudinis acceperunt; quia super iis, quæ pauperibus debentur conceditur compositio. Hæc tamen compositio, etiam juxta hanc opinionem non est necessaria in fœminis publicè inhonestè viventes: nam hæ possunt in omni opinione retinere, & petere pretium copiæ sui corporis; quia hoc illis conceditur in jure civili, *l. 4. §. sed & quod meretrici, ff. de condit. ob turp. causam*, & D. D. communiter Rodrig. *in Bull. compos. n. 62.* Trullench. *in Bull. l. 3. casu 17. n. 2.* cum D. Thom. Idem tenet Bard. *part. 3. tract. 5. dissert. 2. cap. 1. n. 7.* & cum pluribus Fragos. *dict. disp. 7. n. 53. in principio* Escobar *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 425.* aliis verò fœminis in jure id non conceditur.

425. Quintò infertur, fœminas cujuscunque sint conditionis, sive publicè, sive occultè inhonestas teneri ad restitutionem illorum, quæ ob impudicitiam acceperunt ab illis, qui non possunt alienare. Qui autem hi sint, vidimus *sect. precedente n. 404.* Hoc tamen limitat Mend. *cit. n. 203.* & ex illo Dian. *part. 11. tract. 2. resol. 65.* in meretrice publica accipiente mercedem debitam sui corporis à Religioso, idque negat de aliis fœminis; quia illis à jure non conceditur actio ad exigendum; & retinendum pretium conventum; & in illis solùm datur actio ex conventione partium, quæ si fiat cum Religioso, non solùm est illicita, sed invalida. Dian. autem *loco cit.* cum Nicolao Bravo *in tract. Monastico cap. 20. n. 4.* existimat non teneri prædictas fœminas ad restitutionem eorum, quæ acceperunt à Religiosis, de iis bonis, quæ ad communitatem non pertinebant, & ad suos usus à superiore erant concessa; ut de acceptis è missis, concionibus, scriptis, aut ex donativis consanguineorum, & amicorum.

426. Limitat etiam Mend. *cit. n. 204.* & ex illo Dian. *loco citato*, dictam illationem in fœminis etiam occultè inhonestis accipientes sumptus non immodicos à filiisfamilias, & minoribus, qui alienare non possunt, quia quando hi sunt moderati; parentes, & curatores non sunt inviti. Ex his constat non indigere prædictas compositione: quia tamen est opinio probabilis, ea accepta à fœminis occultè inhonestis deberi pauperibus, utiliter possunt uti Bullâ compositionis. Secus dicendum si sumptus sunt immodici: cùm enim parentes, & curatores sint inviti, illis facienda est restitutio; si verò non inveniantur adhibitâ debitâ diligentiâ componi possunt.

427. Sextò infertur, viros accipientes pretium ob turpitudinem ab uxoratis, non posse super illo componi; quia id pretium, & alia accepta, ob eam causam, tenentur maritis restituere: nisi ea bona accepta sint de illis, de quibus ipsæ uxoratæ possunt pro libito disponere, ut sunt paraphernalia: nam super his acceptis possunt se componere: juxta opinionem asserentem ea accepta esse danda pauperibus. Sic Trullench. *dicto casu 17. n. 10.* Bard. *ubi supra n. 11.* Mend. *disp. 34. n. 208.* Escobar. *in Theol. moral. tom. 1. l. 7. n. 425.* & alii, quos refert.

428. Septimò infertur, fœminam conjugatam non posse se componere super lucris, ob copiam sui corporis, acceptis: Ea enim lucra restituere tenetur marito, utpote domino ejus corporis; nisi sint accepta à non potentibus alienare; ut defendunt Molin. *tom. 1. just. tract. 2. disp. 94. Vers. Utrùm verò conjugata.* Reginald. *tom. 1. l. 10. cap. 14. n. 193.* Navarr. Banés, & alii apud Dian. *part. 2. tract. 17. n. 17.* Trullench. *super cit. n. 5.* limitans, si acceptum sit quid notabile, ita ut pro ratione rei, & consuetudine Regni, & Provinciæ tenerentur istæ illud maritis reddere; sicut alia, quæ labore manuum suarum acquirunt. Hæc autem restitutio facienda est occultè, ut famæ consulatur.

429. Sed opposita sententia etiam est probabilis: nempe, non teneri conjugatam, accepta ex illo turpi lucro, restituere marito: Sic Megal. *part. 2. l. 2. cap. 32.* Bonac. *de contr. disp. 1. q. 3. punct. 3. n. 12.* Graff. *tom. 1. consil. l. 5. consil. 2.* quos refert, & sequitur Dian. *part. 2. tract. 17. resol. 9.* & valdè probabilem, & tutam in praxi, dicit Mend. *disp. 34. n. 207.* & probabilem Machad. *tom. 2. de perfect. confess. l. 6. part. 7. tract. 4. docum. 7. n. 2.* quam in oppositum probabiliorem judicet. Idem aliqui ex citatis authoribus dicunt de acceptis, ex illo turpi lucro à filia, serva, filio, & servo; eo quòd ad taliter acquisita nullum jus detur in marito, patre, & domino, sed tantùm ad acquisita licitè; & in hoc sensu leges sunt intelligendæ. In hac igitur sententia non habet locum compositio; nisi data sententia, quòd hæc accepta debeantur pauperibus, ut sæpiùs vidimus.

430. An verò hæc sententia habeat locum, quoad conjugatas in hoc Regno; in quo matrimonia celebrantur contractu medietatis, & societatis bonorum; nisi aliter inter contrahentes sit conventum; ut disponitur *in Ordin. l. 4. titul. 95. §. 4. & titul. 96. §. 24. in fine?* Et videtur non habere locum; quia in Regno Castellæ ubi eodem modo contrahitur, asserunt Mend. *supra n. 207.* Trullench. *dict. l. 3. cas. 17. n. 5.* & alii apud ipsos, debere tam uxorem, quàm virum post mortem adducere in partitionem omnia bona quocunque modo acquisita, justè retenta: Sed hæc turpia lucra ab uxoribus justè retinentur, juxta ea, quæ diximus *n. 421.* ergo si hæc post mortem viri, vel uxoris sunt in partitionem adducenda; dum vir, & uxor vivunt, hæc turpia lucra marito debentur tradi: quia omnium bonorum acquisitorum administrationem habet.

431. His non obstantibus existimo hanc ultimam sententiam habere locum in hoc, & Castellæ Regnis. Ratio est, quia quæ habentur à viro, vel ab uxore ex turpi lucro non communicantur; ex doctrina text. *in l. quod servus, ibi: quod verò ex maleficiis adprehenditur, id ad domini possessionem, ideo non pertinet.* Et hoc lucrum non venit ad partitionem *l. 4 vers. sed & si quid ff. famil. ercisc.* & ita docet de acquisitis non solùm per usuras, vel alios modos illicitos Alvar. Valasc. *in praxi partionum cap. 13. n. 189. & 190.*

& alii

& alii juristæ apud illum. Et ratione probari potest, quia contractus Societatis debet intelligi juxta leges; & leges non admittunt ea Lucra, quæ per ipsas leges damnantur: ergo cùm Lucra turpia à Legibus sint damnata, ad partitionem venire nequeunt.

432. Ex hac resolutione existimo, acquisita ex his turpibus lucris à filia, vel serva, filio, vel servo, non deberi parentibus, aut dominis; sed posse, ab illis retineri. Et si velint se componere juxta sententiam docentem hæc deberi pauperibus, possunt; non tamen necessario; quia juxta communem sententiam non tenentur ad ullam restitutionem.

433. Octavò infertur, Monialem ob turpem causam aliquid recipientem, teneri ad illud restituendum monasterio; ut cum Sot. Covarr. & aliis, tenet Molin. *dicta disp. 94. vers. Utrum verò conjugata*; qui universaliter id docent de conjugata respectu mariti, filia familias respectu patris, Moniali respectu monasterii. At Trullench. *cit.* asserit, posse illud retinere; nisi sit ampla supellex: quippe hæc monasterio debet restitui. At illum impugnat Mend. quia Monialis, sicut quilibet alius Religiosus nihil sibi proprium retinere valet; sed tantùm usum rerum de licentia Prælati, aut Abbatissæ. Ex his patet in Moniali, super dicto lucro, non posse dari compositionem; quia datur dominus certus, nempe monasterium.

434. Ad calcem hujus Bullæ compositionis, inquiro: Quidnam potiùs confessarius pœnitentibus persuadere valeat, an integram restitutionem faciendam pauperibus, aut piis locis in iis casibus à jure illis debetur, an compositionem per Bullas? Respondeo cum Mend. *disp. 35. n. 82.* persuadendam esse compositionem; tùm ut piissimum opus Bullæ promoveatur, quod Pontifex intendit; tùm ut suaviùs restitutio adimpleatur. Si tamen pœnitens potiùs eligat, & optet integram adhibere restitutionem, illi est assentiendum, ut ex majori bonorum spoliatione ei meritum accrescat.

DISPUTATIO XXVI.

De Bulla defunctorum.

1. BUlla defunctorum lingua Lusitana composita per Commissarium, fuit detracta ab ipsa Bulla Latina; & antequam transcriptum Bullæ defunctorum in medium proferamus, clausulam Bullæ Latinæ proferamus; quæ sic habet: *Quòd etiam pro cujuscumque eleemosynarum voluntate, animabus in Purgatorio existentibus, quæ per charitatem Christo unitæ, ab hac luce migraverint, pro quibus juxta præmissa, collata fuerit, ad relaxationem pœnarum, quibus secundùm divinam justitiam, expositæ sunt, suffragetur.* Bulla verò defunctorum à Commissario prolata demptis verbis proœmialibus, quæ ad præsens non referunt, sic tenet: *Primeiramente, que toda aquella, que deraesmola abaixo declarada, pella alma de qualquer defunto aque quizer applicar alivre das penas do Purgatorio, por modo de suffragio; elivra-ra tantas almas, quantas vezes der adita esmola, efizer atal applicaçam.*

2. Additque Commissarius in dicta Bulla: *Item que pormodo de suffragio, vizitando as Igrejas, que se contem na Bulla dos vivos, ganha por cada huma das ditas almas, aque applicar atal vizitaçam as indulgencias dadita Bulla. Et porquanto vos N. destes sincoenta reis, fica livre das penas do Porgatorio a alma, pella qual foi vossa teneam daradita esmola; eosque aderem tomaram este summario impresto, comonome escrito nelle, dapessoa què deradita esmola, enam olevando, nem se reverendo nelle seu nome, nam ihe valera.*

3. Hæc indulgentia defunctis, etiam conceditur in Bulla Hispana cum aliqua differentia, non solùm in eleemosyna, ut *infra* videbimus. Quia tamen expositores Bullæ Cruciatæ, de hac defunctorum tractantes, aliqua de Purgatorio, & suffragiis præmittunt, operæ pretium duxi, etiam de eisdem, & altaribus privilegiatis aliqua summariè prælibare, quæ ad expositionem hujus Bullæ magis utilia esse censeantur; & *à Sect. 32.* deveniemus ad ea, quæ in prædicta clausula Bullæ Latinæ, & Bulla defunctorum continentur. De explicatione Bullæ defunctorum integrum tractatum, seu librum edidit Doctor Cathedraticus Salmanticæ Martinus Carrillis, in quo plura videri possunt, ad hujus explicationem non importuna.

SECTIO I.

An detur Purgatorium, ubi sit & an sit unum omnium animarum ibi detentarum.

4. DIco primò: De fide est dari Purgatorium: nempe, quemdam locum, in quo animæ illorum, qui moriuntur in gratia detinentur, ut satisfaciant divinæ justitiæ pro peccatis in hac vita commissis quidem, quoad culpam, non tamen quoad totam pœnam; quam integrè in hoc loco persolvunt, antequam ad claram Dei Visionem accedant. Et hic locus à Theologis Purgatorium nuncupatur. Ita omnes catholici contra hæreticos, qui omnino de medio conati sunt Purgatorium auferre; quos referunt, & impugnant Doctissimus Cardin. Bellarmin. *l. 1. de Purgat. à cap. 2.* Gregor. de Valenc. *in 3. part. disp. 11. q. 1.* Soar. *tom. 4. in 3 part. disp. 45. Sect. 1.* Ægid. Coninch *de Sacram. disp. 11. de Purgat. dub. 1.* Dicastill. *tom. 2. de Sacram. tract. 9. disp. 1. num. 4.* & alii.

5. Hæc veritas catholica definita est in multis Concil. præcipuè *in Florentino sess. ult. in decreto fidei, & in Trident. sess. 6. can. 30. & sess. 25. decreto de Purgatorio*; & constat ex variis locis sacræ Scripturæ, cùm ex veteri, tùm ex novo Testamento. Ex veteri celebris est locus 2. *Machab. cap. 12.* ubi dicitur, Judam Machabæum collegisse pecunias, & misisse duodecim millia drachmarum Jerololymam, ut offeretur sacrificium pro iis, qui ceciderunt in bello. Et in fine illius capitis, sic concluditur: *Sancta, & salubris cogitatio est, pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Hos autem Machabæorum libros esse canonicos, jam definitum est *in Concil. Carthag. 3. can. 47. & in Florent.* sub Eugenio IV. & denique *in Trident. sess. 4.*

sess. 4. *Decreto, de canonicis scripturis.* Alia plura loca videri possunt, apud cit. & interpretationes Hæreticorum falsas; præsertim apud Cardin. Bellarmin. *cap.* 4.

6. Ratione tamen ostenditur; quia sæpissimè contingit, ut plures animæ dum à corpore separantur, quamvis illis sint culpæ remissæ per confessionem, aut contritionem; plenè tamen non satisfecerunt in hac vita pro culpis commissis: ergo in alia debent plenè satisfacere, ut debitum plenè solvant; & liberæ ab omni macula ad cælum evolent: in illam enim Civitatem Hierusalem cælestem nihil intrabit coinquinatum: ut dicitur *in Apocal.* 21. *vers.* 27. cùm ergo necesse sit in aliquo loco has pœnas luere, hunc locum Purgatorium nuncupamus.

7. Quoad secundam tituli partem, dico: Purgatorium esse in parte inferiori, versus terræ centrum. Ita cum D. Th. *in* 4. *dist.* 21. *q.* 1. *art.* 1. *quæ tuncla* 2. Theologi communiter, quos refert, & sequitur Soar. *supra cit. sect* 2. *n.* 3. Dicastill. *proximè citat. à n.* 32. Probatur, quia sicut singulis peccatis determinata est pœna, ita etiam determinatus est locus, qui est pars pœnæ. Et confirmatur, quia aliis animarum statibus, ut Beatis, & damnatis sunt à Deo loca certa destinata: Ergo etiam animabus, quæ purgandæ sunt locus erit à Deo destinatus. Hic locus est versus centrum terræ. Quia Theologi apud Ægid. Coninch. *supra n.* 2. præter cælum, quatuor communiter receptacula constituunt: Primò, infernum, in quo æternaliter puniuntur damnati, qui locus est in centro terræ; ut tenet Soar. *proximè n.* 8. Secundò, Purgatorium, in quo decedentes in gratia persolvunt pœnas peccatorum, pro quibus hic non satisfecerunt; & hic locus est vicinus inferno, & eundem ignem habet, ut tenet D. Thom. *dict. dist.* 21. *& dist.* 47. quem sequitur Bard. *in Bull. part.* 4. *tract.* 1. *cap.* 1. *n.* 6. Tertiò, limbus puerorum, qui sine Baptismo moriuntur; & solam pœnam damni, id est Visionis, in æternum patiuntur. Quartò, sinus Abrahæ; sic dictus in Evangelio, in quo ante Christi adventum justi ab omni peccato purgati exipiebantur, ibique absque ullo doloris sensu, beata redemptionis spe sustentati, quietâ habitatione fruebantur: ut docet Catechism. B. Pii V. *fol.* 70. *& 71. n.* 4. apud Trullench. *in Bull. l.* 4. *dub.* 2. *n.* 3. Hunc locum esse subterraneum colligitur ex Symbol. Apostolorum, in quo dicitur, de anima Christi Domini: *descendit ad inferos*, & ad Ephes. 4. *in inferiores partes terræ.* Si ergo hic locus in quo Sancti P. P. detinebantur, erat subter terram, & prope infernum damnatorum, Purgatorium erit etiam subter terram in aliquo loco infimo, & humiliori: nam si animæ, quæ in illo sinu detinebantur, tanquam in custodia, ab omni reatu personali erant immunes; & tamen subter terram erant inclusæ, & prope infernum damnatorum; multò magis id dici debet de animabus, quæ non sunt immunes ab omni reatu personali pœnæ; ut sunt animæ, quæ sunt in Purgatorio. Vide Soar. *cit. à n.* 8. Qualis autem sit ordo, quem inter se servent hæc tria receptacula, videatur apud. Soar. & Dicastill. *locis citatis.*

8. Quod attinet ad tertiam tituli partem: Dico Purgatorium, in quo animæ purgantur esse unum de lege ordinaria, quod est juxta centrum terræ; At de lege extraordinaria, & particulari, dantur loca particularia, in quibus animæ aliquæ puniuntur; ut constat ex variis apparitionibus, & revelationibus. Sic Soar. *supra*, Trullench. & Bard. *locis citatis* Dicastill. *ubi supra n.* 37.

SECTIO II.

Quot, & quales pœnas animæ in Purgatorio patiuntur.

9. Dico primò: Animæ in Purgatorio existentes duplici afficiuntur pœnâ, nempe damni, & sensus. Pœna damni consistit in carentia Visionis Dei, & omnium aliorum bonorum supernaturalium, quæ cum Beatitudine conceduntur. Pœna sensûs est pœna alicujus doloris specialiter inflicti: non ex eo, quòd subjectum, *in* quo est, sensum habeat; sed quia provenit ab extrinseco, & sensibili corpore per realem mutationem ad modum rei sensibilis. Hæc pœna causatur ab igne corporeo, & Elementari. Sic Theologi communiter. Ratio est, quia hæc pœna sensus in inferno causatur ab igne vero, & reali; & oppositum asserere est temerarium, aut errori proximum, ut inquit Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 46. *sect.* 2. *n.* 1. sed Theologi communiter docent animas in Purgatorio cruciari eodem inferni igne: ergo hæc pœna causatur ab igne vero, & reali. Sic Soar. *supra cit. n.* 2. & alii.

10. Dico secundò: Ex pœna damni resultat in voluntate dictarum animarum quædam tristitia orta ex dilatione Beatitudinis, juxta illud Proverb. 13. *Spes namque, quæ differtur, affligit animam.* Et in hoc conveniunt Theologi, apud Coninch. *de Sacram. disp.* 11. *de Purgat. dub.* 3. *n.* 21. Disputant tamen, an hæc pœna sit vehemens? D. Thom. *in* 4. *dist.* 21. *q.* 1. *art.* 1. *q.* 3. Sot. *dist.* 19. *art.* 3. *conclus.* 2. Soar. *supra sect.* 3. *n.* 1. *prope finem*, & alii asserunt, hunc dolorem esse vehementiorem, & acerbiorem, quàm sint aliæ pœnæ, tàm hujus vitæ, quàm Purgatorii: & rationem reddunt, quia cùm perfectè apprehendant Beatitudinem esse summum bonum, vehementissimè eam desiderant, & consequenter vehementissimè dolent, se eâ privari. Alii tamen, ut D. Bonac. *in* 4. *dist.* 20. *part.* 1. *art.* 1. *q.* 2. Cardin. Bellarm. *l.* 2. *de Purgat. cap.* 14. & alii, quos citant, & sequitur, Ægid. Coninch, *loco super cit.* Dicastill. *dict. tract.* 9. *disp.* 1. *n.* 40. putant hunc dolorem tam vehementem non esse; quia lenitur primò spe certissima Beatitudinis. Secundò rectitudine voluntatis, quâ se Deo in omnibus conformant. Sententiam D. Thom. sequitur Trullench. *in Bull. l.* 4. *dub.* 3. *n.* 2. *in fine*, ubi ad has rationes respondet.

11. Dico tertiò: Modus, quo ignis possit agere in substantias spirituales nobis est occultus. Hoc autem controvertitur *ad* 1. *part. D. Thom. q.* 64. *art.* 3. dum agitur de pœna Dæmonum. Videatur Soar. *dict. disp.* 46. *sect.* 2. *n.* 11. Ægid. Coninch. *dict. dub.* 3. *à n.* 27. Trullench. *proximè à n.* 6. ubi referunt tres sententias, quæ in hac materia controvertuntur. Et Dicastill. *cit. n.* 53. inquit tot esse sententias, quot capita; & à *dicto n.* 1atè 12. agit de hac materia. An verò animæ in Purgatorio torqueantur frigore; & similibus aliis pœnis? Non constat: Probabilius tamen est, quod sic; ut fertur ex aliquibus revelationibus. Sic Ægid. *ubi supra n.* 25. *in fine.* Dicastill. *proximè n.* 47. Vide Granad. *tom.* 5. *controv.* 13. *de Novissimis tract.* 2. *disp.* 3. *sect.* 3. *n.* 21.

12. Dico

12. Dico quartò: Pœna sensûs, quam animæ in Purgatorio patiuntur est acerbissima: Ita communiter S. S. Patres. D. August. *in Psalm.* 37. *in principio*, sic ait. *Gravior erit illa ignis, quam quidquid potest homo pati, in hac vita*; & alii apud Ægid. Coninch. *ubi supra n.* 24. & Bard. *part.* 4. *tract.* 1. *cap.* 2. *n.* 6. Ita etiam sentiunt Scholastici cum D. Thom. *in* 4. *dist.* 21. *q.* 1. *art.* 1. *quæstiuncul.* 3. Probatur; quia convenit, ut qui injustè se peccatis oblectarunt, & tempus misericordiæ hujus vitæ, quo facilè potuissent pro iis satisfacere, neglexerunt; pro iis postea juste puniantur, idque severissimè; cum jam non sit amplius misericordiæ, sed justitiæ tempus.

13. Difficultas tamen est: An omnes animæ in Purgatorio existentes tam graves pœnas patiantur? D. Bonavent. *in* 4. *dist.* 20. *art.* 1. *q.* 2. *n.* 19. Bard. *proximè dict. n.* 6. licet concedant has pœnas ex genere suo esse graviores omni pœnâ sensibili hujus vitæ; non tamen in individuo; aliqua enim hujus vitæ pœna gravissima excedit aliquam minimam Purgatorii. Probat Bard. quia non videtur verisimile, quòd pœna, quam quis patitur pro uno, vel altero peccato veniali, sit major quàcumque pœnâ gravissimâ hujus vitæ, v. g. quàm fuerit illa, quam Christus dominus, & alii martyres passi sunt. Demus enim, inquit Bardi, aliquem egisse adeo asperam pœnitentiam pro peccatis patratis; ut in fine vitæ parum illi remaneat ad plenè satisfaciendum: quis erit, qui dicat, pœnam, quam hic sustinet in Purgatorio respondentem exiguæ satisfactioni, esse majorem cruciatibus Christi, quos in sua morte est passus? Aut quæ repugnantia videtur, satisfactionem exhibendam pervenire, ad tam parvam quantitatem: ut pœna in Purgatorio sustinenda, pro completa satisfactione, sit minor plurimis cruciatibus, qui in hac vita reperiuntur.

14. Oppositum tamen est commune inter D. D. D. Thom. *in* 4. *dist.* 21. *q.* 1. *art.* 1. *quæstiuncul.* 3. Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 46. *sect. n.* 7. Ægid. Coninch. *de sacram. disp.* 11. *dub.* 3. *n.* 26. Trullench. *in Bull. l.* 4. *dub.* 3. *n.* 5. Mend. *in tract. appendic. ad Bullam disp.* 4. *cap.* 1. *n.* 2. Dicastill. *supra n.* 49. & alii. Probatur primò, quia huic sententiæ valdè favent S. S. Patres, quos refert, & eorum loca, idem Bardi *initio dict. n.* 6. Mend. *loco cit.* Soar. *n.* 6. dicens aliquos S. S. P. P. comparare etiam minimam pœnam Purgatorii, ad maximam hujus vitæ. Probatur secundò, quia ipsis animabus videtur expedire illo gravissimo igne torqueri; quia melius est gravi tortura ignis breviter purgari quàm diu carere Visione Beatâ; cujus accelerationem omnibus tormentis comparare vellent. Quare quando juvantur fidelium orationibus, aut suffragiis, pœnæ, quoad intentionem non remittuntur; sed quoad diuturnitatem temporis abreviantur. Vide Soar. *cit. sect.* 4. *n.* 8. ubi hoc probabilius judicat.

15. Ad rationes Bardi facilis est responsio; quia & S. S. Patres, & ipsa ratio oppositum suadet. Ad revelationes quæ referuntur à Beda, & Carthusiano, quæ ab adversariis etiam afferuntur, respondent Soar. *dict. sect.* 4. *n.* 9. Ægid. Coninch. *loco citat.* & Dicastill. *n.* 52. esse Symbolicas, & allegoricas; & per methaphoram esse intelligendas; quia status animarum, ut in se est, nobis in corpore constitutis, ostendi non potest.

16. Dico quintò; Communiter docent Theologi animas in Purgatorio existentes, non torqueri à Dæmonibus; quod probant ex indecentia: Quia sunt amici Dei, & Dæmonem similiter, & lupius in hac vita vicerunt: non ergo decet, ut puniantur, à quibus victoriam reportarunt. Sic cum D. Thom. Soar. *ubi supra sect.* 3. *n.* 8. Ægid. Coninch. *dict. dub.* 3. *n.* 35. *in fine*, Trullench. *supra dict. dub.* 3. *n.* 9. Bard. *n.* 9. Ad aliquas revelationes, seu visiones, quæ à sequentibus contrariam sententiam, adducuntur; respondetur, ut supra, cum eodem Ægid. esse Symbolicas, & allegoricas, ideoque ex illis nihil certum colligere possumus.

SECTIO III.

Quanto tempore animæ in Purgatorio detineantur?

17. OMnia, quæ circa hunc titulum, à D. D. tractari solent, hodie sunt sine controversia; ut ex sequentibus conclusionibus patefiet.

18. Prima conclusio: Certum est nullam animam in Purgatorio detineri, ultra diem Judicii universalis. Et colligitur *ex D. Matth.* 25. ubi tantùm de duobus ordinibus judicandorum fit mentio; è quibus unus mittetur in cælum, alter verò in infernum. De infantibus ibi nulla fit mentio. In hoc conveniunt S. S. P. P. & Scholastici. Sic Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 46. *sect.* 2. *n.* 2. Ægid. Coninch. *de Sacram. disp.* 11. *dub.* 4. *n.* 37. Trullench. *in Bull. l.* 4. *dub.* 3. *n.* 11. Bard. *in exposit. Bull. part.* 4. *tract.* 1. *cap.* 2. *n.* 11. Dicastill. *tom.* 2. *de sacram. tract* 9. *disp.* 1. *n.* 75.

19. Secunda conclusio: Certum est nullam animam ex Purgatorio liberari; donec sit plenè purgata, vel per propriam satisfactionem, vel per aliorum preces, aut suffragia. Nam ex hoc carcere nullus egreditur, nisi prius solverit ultimum quadrantem, quod expresè Christus D. docet. *Matth.* 5. *Vers.* 26. ut sumus in via adversario scilicet, creditori nostro Deo, cui debemus pœnas pro peccatis, faciamus satis: dum est locus misericordiæ; aliter enim post hanc vitam, totum debitum à nobis rigorosissimè exigitur. Sic Ægid. *nuper cit. n.* 36. Trullench. *n.* 10.

20. Tertia conclusio: Certum est animam plenè purgatam statim admitti ad Visionem Beatam: cùm enim jam solverit omne debitum; nihil est, quod eam ab hac Visione retardet. Id enim insinuatur à *Trident. sess.* 6. *can.* 30. & definitur *in Florent. sess. ult.* Ita Ægid. Trullench. & Dicastil. *locis cit.*

21. Quarta conclusio: Certum est durationem pœnarum non esse æqualem, in omnibus animabus, in Purgatorio existentibus. Hæc sequitur ex præcedente conclusione, & docetur ab omnibus Scholasticis, cum D. August. *l. de octo q. q. ad Dulcium q.* 1. *in fine*, & *l.* 5. *homil. in* 16. ut videre est apud Soar. *ubi supra n.* 4. Et ratione manifestè ostenditur, quia non omnes animæ, ab hac vita decedunt cum æquali debito ad peccata remissa: Ergo nec pœna illorum erit æqualis; *nam* (ut inquit S. August.) *quanta fuerit peccati materia, tanta erit transeundi mora.*

22. Neque dicas primò: Hanc inæqualitatem

pœnarum sitam esse, in earum intentione, cum quo stare potest, quòd sint æquales in extensione, seu durationè temporis: nam Beda *l. 5. Histor. cap. 13.* refert, animas omnes esse purgandas usque ad diem judicii; nisi propter Ecclesiæ intercessionem aliquæ citiùs liberentur: ergo saltem in durationè dabitur in pœnis animarum æqualitas. Non inquam, hoc dicas; quia licèt id, ex potentia Dei absoluta, non repugnet: tamen de facto, ita non est. Et patet primò, ex communi sensu Ecclesiæ: omnes enim fatentur, animas justas successivè à Purgatorio liberari, & in cœlum evolare. Secundò patet, quia non videtur divinæ pietati, & bonitati consonum, ut animæ sanctissimæ, ob levissimas culpas, diuturno tempore, in pœnis detineantur. Vide Soar. *dict. num. 4. & 5.*

23. Neque dicas secundò: Pœnas damnatorum esse inæquales in intentione, & æquales in duratione: ergo etiam idem erit de pœnis animarum in Purgatorio existentium. Non enim, hoc dicas; quia respondeo cum D. Thom. *in 4. dist. 21. q. 1. art. 3. quæstiuncul. 3. ad secundum*, quod est ultimum illius art. negando consequentiam: dispar ratio est, quia peccatum mortale, cui debetur supplicium inferni, post hanc vitam, immobiliter radicatur in ipsis damnatis; & ideo quantùm ad omnes, est eadem diuturnitas: at in animabus Purgatorii, non radicatur peccatum in ipsis animabus; sed purgandæ sunt, juxta debitum pœnæ, pro culpis jam remissis: cùm verò hoc debitum in illis sit inæquale; etiam inæquale erit tempus durationis.

24. Quinta conclusio: Certum est non esse assignabilem aliquem terminum, ultra quem non duret pœna Purgatorii, post Const. Alexandri VII. editam 23. Martii anni 1666. in qua damnavit, ut minimum, tanquam scandalosam, hanc propositionem: *Annuum Legatum pro anima relictum non durat plusquam per decem annos.* Quæ inter damnatas, Quadragesimum tertium occupat locum. Ratio est, quia licèt propositio damnata solùm limitet terminum Purgatorii ad decem annos; ex illa tamen sequitur, quemcumque terminum assignandum ab aliqua sententia, aut authore, esse falsum. Probo sequelam, quia sicut assignare terminum decem annorum est asserere sine fundamento, & velle divinare; ita etiam erit, si assignetur terminus centum, vel ducentorum annorum, &c. Nam authores hujus damnatæ propositionis nitebantur in eo, quod clementia divina non fert suos amicos esse per multum tempus à suo conspectu cohibitos; & ideo sua providentia disponit, ut pœnis magis intensis suppleat longitudinem temporis; quò si pœnæ fuissent remissiores, animæ retineri deberent. Hoc autem fundamentum, si aliquid probaret; etiam probaret pœnas Purgatorii non durare per annum; nam duratio decennalis poterat compensari majori, & majori pœnarum intentione: si ergo nihil probant, quoad durationem decem annorum; nihil etiam probabitur, si terminus ponatur ad centum, vel ducentorum annorum: nam ad clementiam divinam, & ad majorem pœnarum intentionem, nequeunt recurrere ut non rectè recurrunt; cùm designant terminum decem annorum. Sic Dicastill. *ubi supra à num. 59.* & alii.

25. Sequitur ergo primò; certum esse, non esse assignabilem terminum, ultra quem non duret pœna Purgatorii; & probatur ex praxi Ecclesiæ, quæ solet suffragia offerre pro animabus illorum, qui ante centum, ducentos, & plures annos, sunt mortui; ut testantur anniversalia, quæ sæpius celebrari videmus. Hæc veritas etiam ostenditur, ex variis historiis Ecclesiasticis; ex quibus constat, multas animas excessisse terminum, in Purgatorio, centum annorum; ut videre est apud Fr. Raym. Lumbier *tom. 2. §. 13. delas propos. 42. & 43. n. 287. fol. 669.* & apud Henriq. *l. 7. de indulg. cap. 16. n. 3. in fine, & in Gloss. litt. 1.* Ex Surio in vita S. Luzbergæ notat, quendam Innocentium Papam esse in Purgatorio detinendum usque ad diem judicii.

26. Sequitur secundò, post damnationem prædictæ propositionis, esse aperè falsam opinionem asserentem, animas in Purgatorio non esse detinendas, ultra decem annos. Quam docuerant Sot. *in 4. dist. 19. q. 3. art. 2. in fine.* Joann. de la Cruz *in direct. conscient. part. 2. de Sacram. pœnit. q. de indulg. dub. 2. concluf. 3.* Conrad. *in respons. casuum conscient. tom. 1. q. 118.* Vivald. *in candelab. aureo, jussu superiorum emendato, tit. 10. de Purgatorio n. 16.* omnes apud Dian. *part. 4. tract. 8. resol. 101.* & alii apud Moyam *tom. 2. q. q. select. tract. 3. disp. 4. q. 8. n. 26.* Probatur facilè, quia ex damnatione prædictæ propositionis sequitur oppositam esse veram, nempe: *Annuum Legatum, pro anima relictum, durare plusquam, per decem annos*; quæ est opposita damnatæ: ergo si durat, ex eo est, quia anima in Purgatorio potest, plusquam per decem annos retineri: Si enim non possit detineri, ultra decem annos, tunc non durabit Legatum, quod est damnatum.

27. Tertiò sequitur, etiam esse falsam opinionem dictorum authorum asserentium, apud Dian. *citatum*, animas in Purgatorio non detineri ultra viginti annos; quæ licèt expressè non sit damnata in damnatione dictæ propositionis; ex illa tamen sequitur esse falsam, ut tenet Lumbier *supra*: quia eadem ratio, quæ nos convincit ad asserendum non dari terminum decem annorum, ultra quem non duret pœna Purgatorii, etiam nos convincit, asserere, non dari terminum maximum, ultra quem non duret ipsa Purgatorii pœna: ut ex dictis manet clarum. Quare hanc sententiam, ante Const. Alexandri VII. allatam à Soto, & aliis, rejecerunt Henriq. Dian. *locis citat.* Card. Bellarm. *l. 2. de Purgat. cap. 9. Vers. Præter hos errores.* Ægid. Coninch. *dict. disp. 11. dub. 4. num. 38.* Soar. *tom. 4. in 3. part. disp. 46. num. 6.* Ludovic. à Cruce *in expos. Bull. disp. 2. dub. 5. num. 17.* Ægid. Trullench. *ibidem l. 4. dub. 3. num. 13.* Ragucius *de statu animarum quæst. 38. num. 2.* Bertholam. à S. Faust. *de sacris indulgent. l. 5. q. 9. Vers. Quamobrem*; quos refert, & sequitur Bard. *part. 4. tract. 1. cap. 2. num. 16.* Lorinchius, Molfesius, & Naldus apud Dian. *supra.*

28. Quartò sequitur errasse Sot. & Gersonem, dum (referente Card. Bellarmin. *dict. cap. 9.* apud Gobat *tom. 2. tract. 4. cap. 3. num. 291.*) asseruerunt indulgentias multorum millium annorum à solis quæstionariis prædicatoribus inductas fuisse.

SEC-

SECTIO IV.

An pœnæ Purgatorii per suffragia, quoad intentionem minuantur.

29. IN hac quæstione certum est primò, pœnas Purgatorii minui per suffragia, quoad durationem. Ratio est manifesta; quia quando conceditur indulgentia liberationis animæ à Purgatorio, si media à fidelibus apponantur, anima infallibiliter liberabitur, & ampliùs non torquetur. Sic D. D. *statim citandi.*

30. Secundò est certum, pœnam illam tristitiæ, ex dilatione gloriæ, resultantem; de qua diximus *supra sect.* 2. *n.* 10. diminui; quia objectum talis tristitiæ, quotidie semper sit minus, & Batitudo quodammodo magis, ac magis approximatur; quod non potest non aliquam afferre consolationem. Sic Soar. *tom.* 4. *in* 3. *partem disp.* 46. *n.* 8. Bardi *part.* 4. *tract.* 1. *cap.* 2. *n.* 21.

31. Quæstio ergo procedit de pœna sensûs: An quoad intentionem per suffragia diminuatur? Affirmant Cardin. Bellarmin. *l.* 2. *de Purgat.* Henriq. *l. ult. summ. de fine hominis cap.* 25. *n.* 3. *in Gloss. litt. M.* Mend. *tract. appendic. disp.* 4. *cap.* 2. *à n.* 11. Id probant ex aliquibus revelationibus. Prima, quæ refertur in vita S. Malachiæ; cui defuncta soror, prima vice apparuit sub veste nigra, & extra Ecclesiam postulans suffragia: cùmque suffragia essent peracta, eidem secundò apparuit in veste subfusca, intra Ecclesiæ limina; & tertiò denique in veste alba, & altari. Ex hac autem diversitate vestium, & locorum ostenditur pœnas fuisse paulatim remissas, ob suffragia S. fratris.

32. Secunda refertur in vita S. Martini Canonici Regularis in cœnobio ejusdem Ordinis Legionensi sepulti; qui dum erat vivus; cum anima sacerdotis in Purgatorio existentis, colloquium habuit; & ab ea, inter alia, accepit; quoties fideles aquâ benedictâ, sepulcra animarum in Purgatorio existentium, aspergebant, idem experiebantur levamen; quod experitur ille, qui nimio calore vexatus, aquâ aspergitur. Ex quo patet, animas in Purgatorio aliquando minorem intentionem in tormentis, sentire, ex suffragiis fidelium; ac proinde per illa non solùm, quoad durationem, sed quoad remissionem cruciatûs, diminui.

33. Attamen aliqui D. D. defendunt, pœnas in Purgatorio non diminui per suffragia, quoad intentionem, sed tantùm quoad extensionem, & durationem temporis. Sic Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 46. *sect.* 4. *n.* 8. *in fine.* Barthol. à S. Faust. *l.* 5. *de suffrag. q.* 10. Raguejus *de statu animarum, quæst.* 38. Dicastill. *dict. disp.* 1. *n.* 50. Probatur, quia pœna à Deo fuit in principio, taxata, quoad intensionem, & durationem determinatam: ergo etsi duratio temporis diminuatur, per suffragia; non tamen diminuitur, quoad intentionem: nam semper manet luenda intentio à Deo designata. Confirmatur, quia hoc est utilius ipsis animabus: nam si pœna eandem habeat intensionem, citiùs ab eo carcere animæ liberabuntur.

34. Utraque sententia est probabilis; & cùm hæc res sit occultissima, & ex Scripturis, & S. S. Patribus non habeamus rem hanc determinatam; & fundamenta non sint adeo solida, ut intentum convincant; quælibet, juxta cujusque devotionem, potest sequi. Et ita autumat Bard. *part.* 4. *tract.* 1. *cap.* 2. *n.* 12. Ego tamen valdè inclino in sententiam *n.* 33. adductam, eo quòd ex ratione id magis videtur consentaneum.

35. Ad revelationes, quæ oppositum videntur suadere; responderi potest; illud levamen, quod animæ habent ex suffragiis, provenire ex decremento durationis; & ex hac diminutione, & decremento, certum est, ut *supra* diximus, animas habere consolationem; quia optimè cognoscunt, per illa suffragia, jam durationem esse minorem.

SECTIO V.

An animæ, in Purgatorio sint certæ de sua salute; & mereri, aut demereri in eo possint?

36. VEra, & communis Theologorum sententia tenet omnes animas in Purgatorio detentas, esse certas de propria salute, & Beatitudine, post illum statum, consequenda. Ita Cardin. Bellarm. *l.* 2. *de Purgat. cap.* 4. & cum D. Thoma Soar. *tom.* 4. *de panit. disp.* 47. *sect.* 3. *n.* 5. Egid. Coninch. *de sacram. disp.* 11. *dub.* 9. *n.* 45. Trullench. *in Bull. l.* 4. *dub.* 4. *n.* 1. Bard. *part.* 4. *tract.* 1. *cap.* 2. *n.* 27. Dicastill. *ubi supra n.* 91. & alii. Probatur, quia animæ è corpore Egressæ statim eo in loco judicantur à Christo Domino, quem vident in humana forma; & ab eo finalem accipiunt sententiam; ut cum communi tenet Ægid. *proximè cit. dub. per totum* Soar. *tom.* 2. *in* 3. *part. disp.* 52. *sect. ult.* Dicastill. *cit. n.* 87. Sed per hanc sententiam cognoscunt animæ se esse dignas vitâ æterna, propter bona merita; & illam sibi ipsis esse reddendam, in tali, ac tanto gradu; differri tamen quia etiam dignæ sunt tali, ac tanta pœna; quam in Purgatorio priùs luituræ sunt pro satisfactione suorum peccatorum; pro quibus in hac vita integrè non satisfecerunt. Ut docet Soar. *supra n.* 8. ergo per hanc sententiam immutabilem certò cognoscunt suam Beatitudinem; & cùm sit immutabilis, non possunt, non esse certæ de sua salute.

37. Quoad secundum in titulo allatum: Respondeo etiam esse communem Theologorum sententiam animas in Purgatorio, nec posse mereri aliquid de congruo, aut de condigno; nec etiam demereri. Sic Soar. *dicta disp.* 47. *sect.* 2. *n.* 2. ubi cum Cajet. & aliis asserit hanc conclusionem esse certam de fide. Et esse certam, & communem inter Theolog. tenent Ægid. *super cit. n.* 46 & 47. Trullench. *dict. dub.* 4 *n.* 3. Bard. *part.* 4. *tract.* 1. *cap.* 2. *n.* 29. Dicastill. *ubi supra à n.* 92. Probatur ratione, quia sententia, quam animæ post mortem accipiunt à Deo, est immutabilis: si ergo animæ mereri, aut demereri possint in Purgatorio, jam non esset immutabilis; quia propter meritum, aut demeritum, præmium, aut supplicium acciperent; quod est apertè falsum: ut probatur ex sacra Scriptura, *ex* 2. *ad Corinth.* 5. ibi: *omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive*

malum. Ex quo expressè constat, animas non aliud accepturas esse præmium, præsertim essentiale, aut etiam supplicium, quàm quod meritæ sunt in corpore. Et ex illo *Joan 9. Vers. 4. Venit nox* (id est mors) *quando nemo potest operari*: videlicet aliquid merendo. Alia loca vide apud *cit.* authores.

38. Ex quibus colligitur, animas in Purgatorio nec posse mereri, nec demereri; quia tempus merendi, aut demerendi, ita Deo disponente, cum hac vita finitur. Et ex hac ratione ad illam objectionem, quæ contra hanc veritatem fieri solet, nempe: Anima existens in Purgatorio habet omnia principia ad merendum: habet enim fidem supernaturalem, gratiam sanctificantem, claritatem, libertatem &c. Ergo mereri poterit: Respondetur enim, negando antecedens; quia illi deficit congruus status ad meritum; qui est necessarius ad merendum, ita Deo statuente, ut *supra* vidimus.

39. Quòd verò animæ in Purgatorio non possint demereri, etiam ostenditur; quia ita sunt in gratia confirmatæ, ut nec mortaliter, nec venialiter peccare possint: quod primò probari potest, ex immutabilitate sententiæ, ut *supra* ostensum est. Secundò, ex illo *Ecclesiastes cap. 11. vers.* 3. ibi: *si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit*. Horum verborum sensus est: Hominem in eo statu, in quo mortuus fuerit, in eo esse permansurum; si in peccato mortali, erit damnandus, si sine illo, erit salvandus. Et ita de statu immutabili, quem anima in alia vita habitura est, explicant hunc locum D. Hieron. & D. Bernard. *Serm.* 89. Alia loca afferuntur à D. D. qui apud citatos videri possunt.

SECTIO VI.

An animæ Purgatorii antequam purgentur possint ex eo exire? Et an ibi pro nobis Deum orent?

40. QUod attinet ad primum: Docent communiter Theologi, animas, per se loquendo, & de lege ordinaria, non posse à Purgatorio egredi, antequam omne pœnarum debitum persolvant; quia ibi sunt veluti in carcere. Sic Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 46. *Sect.* 4 *n.* 10. & 11. Ægid. *de Sacram. disp.* 11. *dub.* 6. *n.* 49. Trullench. *in Bullam l.* 4. *dub.* 4. *n.* 4. Bard. *part.* 4. *tract.* 4. *cap.* 2. *n.* 34. Dicastill. *dict. tract.* 9. *disp.* 1. *n.* 116. cum Valentia, & alii, quorum aliqui id probant ex S. S. Patribus.

41. Cæterùm ex divina dispensatione possunt ab eo loco exire; & de facto exisse, & aliquibus apparuisse, ut ab eis suffragia exigant, aut alias ob causas, plures referuntur revelationes; nonnullæ habentur apud D. Gregor. *in Dialog. l.* 4. *cap.* 10. 36. & 40. Bedam, & alios. Advertit tamen Soar. *dict. Sect.* 4. *in fine*, quando hæc dispensatio fit pœnam non interrumpi; ut ex aliquibus apparitionibus constitit. Et hoc convenientissimum est ipsis animabus; ne intermissio pœnarum, Beatitudinem differat; & sicut ignis in aere Dæmones cruciat, ita etiam has Sanctas animas continuò torquere potest.

42. Advertunt etiam Ægid. *supra cit.* Fagund. *in* 1. *decal. præcept. l.* 1. *cap.* 36. *n.* 8. & alii apud ipsum, & Trullench. *cit. dict. n.* 4. *in fine*; Dicastill. proximè, his apparitionibus, nec facilè, nec sine magna circunspectione, fidem esse adhibendam. Nam Dæmon se in Angelum lucis transfigurat; & ut simpliciores decipiat, finxit se esse animam parentis, fratris, viri, aut uxoris; & sæpe bona consulit, ut suffragia sibi fiant, aut quòd illud aut aliud restituatur. Quod ex malitia provenit, ut sic facilius decipiat; ita cum Pedroza, Victor. Thyræo, & Sanch. notat Fagund. *supra n.* 9. & *n.* 12. apponens ex authoribus, aliqua signa, ex quibus dignoscatur, an veræ sint animæ, quæ apparent.

43. Quod attinet ad secundam tituli partem? Respondeo duplicem circunferri sententiam. Prima defendit animas in Purgatorio pro nobis Deum non orare: in illam videtur inclinare D. Thom. 2. 2. *q.* 83. *art.* 11. *ad tertium*; & expressè illam tenent Alexand. de Ales 4. *part. q.* 26. *n.* 3. *art.* 5. *Verb. Oratio.* Sylvest. *in Summ. Verb. oratio n.* 3. *vers. Quartum*. Probat ex D. Thom. quia animæ in Purgatorio nondum fruuntur Visione Verbi, ut cognoscere possint, quæ cogitamus, aut dicimus: à vivis tamen suffragium petunt, colloquendo: nec Pascasius in Purgatorio sanavit infirmum, sed oratio, & fides orantis.

44. Secunda sententia tuetur animas in Purgatorio pro nobis Deum orare. Sic Gabriel *in canon. lect.* 58. Medin. *de Orat. q.* 5. *s. de animabus*. Less. *l.* 2. *cap.* 37. *dub.* 5. *n.* 23. Barbas. *in collect. ad sess.* 25. *Trid. de decret. Purgatorii, n.* 4. *in fine*. Mend. *tract. append. ad Bull. disp.* 4. *cap.* 2. *n.* 15. dicens, hoc illi ferè certum esse; idem tenet *Bard. in Bull. part.* 4. *tract.* 1. *cap.* 2. *n.* 33. quibus subscribo. Probatur primò; quia animæ in Purgatorio orant pro se ipsis, ut docent Alexand. *de Ales part. q.* 91. & id probat ex D. Gregor. *l.* 4 *Dialog.* Valent. *in* 22. *disp.* 6. *q.* 2. *punct.* 6. Less. *proximè cit.* & ostenditur; quia animæ in Purgatorio sunt in maxima afflictione constitutæ; & sciunt aliqua adesse remedia, quibus possunt liberari; ut sacrificia, jejunia, eleemosynas, indulgentias &c. cur ergo non orabunt, hæc sibi applicari; & ut Deus fideles ad hæc excitet; Unde Ecclesia meritò fidelibus defunctis in Purgatorio detentis, applicat illud Job. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei quia manus Domini tetigit me*: ergo si animæ in Purgatorio positæ pro se ipsis orant, etiam pro suis devotis, & benefactoribus orabunt.

45. Secundò probatur, quia animæ S. S. Patrum, dum erant in sinu Abrahæ pro viventibus orabant: Sed animæ dum sunt in Purgatorio, etiam sicut illæ, erant confirmatæ in gratia; & sicut illæ, non erant in Beatitudine: ergo sicut anima S. S. Patrum pro viventibus orabant; ita etiam animæ Purgatorii. Major ostenditur, *ex l.* 2. *Machab. cap.* 15. ubi de Jeremia jam defuncto, & in sinu Abrahæ jam existente, dicitur: *Hic est, qui multum orat pro populo, & universa Sancta civitate Hierusalem*, Propheta Dei. Et *Jeremiæ cap.* 15. inquit Dominus: *Si steterint Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea, ad populum istum*. Et tamen animæ Moysis, & Samuelis jam in sinu Abrahæ existebant.

46. Neque dicas, hos S. S. Patres in hoc sinu existentes carere cruciatibus, ideoque posse pro viventibus orare; at animæ Purgatorii, cùm in illis existant, pro nobis orare non posse. Non enim hoc dicas, quia Martyres in suis tormentis pro se, & pro aliis orabant: ergo etiam animæ Purgatorii, licèt

licèt in illis existant. Deinde, quia ut *supra* diximus cum Soar. animas, ex lege Dei extraordinaria è Purgatorio egredi, ut ab aliquibus suffragia postulent, & per id tempus non remitti cruciatus: Ergo etiam dum in Purgatorio illi satisfatiuntur, pro aliis etiam postulabunt.

47. Tertiò probatur ex communi usu fidelium, quando enim aliquem in aliqua causa, vel actione felicem exoptant eventum, se Purgatorii animabus commendant, & illis, adepto effectu, promittunt tot, ac tanta sacrificia, tot & tanta jejunia, eleemosynas, &c. & admirabiles, & insperata beneficia, animarum sanctorum intercessione, consequuntur effectus, & favores. Et ex hoc fundamento existimo, hanc sententiam esse sequendam: quia & ipsis animabus congrua, & fidelium pietati, & persuasioni consentanea.

48. Nec fundamentum primæ sententiæ oppositum probat; nam etiam animæ S. S. Patrum in Limbo, Visione Verbi non fruebantur; & tamen ut vidimus *n.* 45. pro viventibus orabant. Et quamvis non possint agnoscere, quæ dicimus, aut cogitamus; edocentur tamen à suis custodibus angelis de precibus, quas fideles, & sui devoti, ad illas fundunt; & de votis emissis, suis intercessionibus freti; & sic cùm sint sanctæ, ad Deum orant, pro illis, qui suum implorant auxilium.

SECTIO VII.

An suffragia vivorum valeant pro defunctis?

49. SUpponendum est primò; suffragium esse quoddam auxilium, seu subsidium oblatum ab uno fideli pro altero, ad obtinendum à Deo remissionem pœnæ temporalis, vel aliquid hujusmodi. Sic cum D. Thom. *in* 4. *dist.* 45. & aliis Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 48. *in principio.*

50. Secundò supponendum est, *ex Concil. Trident. sess.* 14. *can.* 13. *& ex cap. animæ*, 13. *q.* 2. quatuor esse genera suffragiorum. In Trident. sic notantur: *Ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus. Et in cap. animæ*, 13. *q.* 1. Hoc modo: *Animæ defunctorum quatuor modis solvuntur, aut oblationibus sacerdotum, aut precibus sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut jejunio cognatorum.* Sic Gregor. II. apud Dicastill. *cit. n.* 117. Et Ægid. Coninch. *de Sacram. disp.* 11. *dub.* 7. *n.* 50. intelligit, *per preces sanctorum*, preces Sanctorum illorum, qui sunt in cœlo; vel qui in terra sunt; per hæc verba: *Secundò preces Sanctorum, sive is in cœlo, sive in terra sint.* Hæc tamen verba, quoad preces sanctorum, qui sunt in cœlo debent intelligi, quoad impetrationem; nam probabiliſſimum, aut certum est, sanctos, qui sunt in cœlo orare pro animabus Purgatorii; ut docent Soar. *ubi supra sect.* 5. *n.* 7. Cardin de Lug. *de pœnitent. disp.* 24. *n.* 21. & alii; ut *infra. n.* 66. *& 68. & seqq. dicitur.* Vide Henao *de sacrif. Miss. disp.* 28. *à n.* 302.

51. Tertiò supponendum, animabus, quæ jam sunt in cœlo, non prodesse sacrificia, jejunia, eleemosynas, & alia pia opera, quæ à fidelibus in hac vita fiunt; nisi ad quandam gloriam accidentalem, consistentem in quodam gaudio superaddito de operibus, quæ pro ipsis fiunt. Nec etiam nostra suffragia prodesse possunt animabus damnatis; non solùm, ut à pœnis liberentur, sed neque, ut in ipsis, aliquod levamen, mitigationem, aut remissionem habeant. Ratio est, quia in inferno nulla est redemptio; si verò aliqua pars illius condemnationis, suffragiis fidelium posset redimi; jam in inferno aliqua esset redemptio. De his videri possunt Soar. *dict. tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 48. *sect.* 4. Cattr. Palao *tom.* 4. *tract.* 24. *punct.* 1. §. 2. *n.* 2. Ægid. *supra cit.* Bard. *part.* 4. *tract.* 2. *cap.* 1. *n.* 1. & alii. His suppositis.

52. Respondeo ad quæstionem in titulo propositam. De fide est, suffragia fidelium prodesse animabus Purgatorii; quod fidei dogma habetur *in Trid. sess.* 25 *in Principio.* De qua re videantur Card. Bellarm. *l.* 1. *de Purgat. cap.* 3. Caniſ. *in Catechism. tit. de Euchar. cap.* 7. *& tit. de Pœnit. cap. de Purgat.* Soar. *super cit. dict. sect.* 4. *& seqq.* Castill. *supra n.* 119. contra hæreticos nostri temporis, qui sicut negant Purgatorium, sic etiam negant posse fideles suffragiis, orationibus, indulgentiis, &c. animas in Purgatorio existentes adjuvare.

53. Dari Purgatorium probavimus *supra sect.* 1. quòd verò animæ in illo existentes, fidelium suffragiis adjuventur, ostenditur ratione: quia ipsæ nobiscum communionem habent; & nobiscum uniuntur, tanquam membra viva in uno, eodemque capite, Christo Domino: ergo participare debent & possunt de fructu nostrarum piarum operationum, juxta Symbolum Apostolorum, ibi: *Communionem Sanctorum.*

SECTIO VIII.

An suffragia fidelium prosint animabus Purgatorii, per modum meriti de condignō.

54. SUpponimus, ex materia de merito, dari meritum de condigno, & meritum de congruo: examinare autem conditiones, quæ ad utrumque requiruntur, non est hujus loci; si quis eas videre desiderat, adeat Soar. *tom.* 3. *de gratia l.* 16. ubi per totum librum, haud erodatam inveniet disputationem. Supposito verò, ut certum, quòd hæc dantur merita.

55. Dico primò: Animæ in Purgatorio existentes non possunt à fidelibus adjuvari suffragiis, per modum meriti de condigno. Ratio est, quia nullus homo alteri de condigno meretur: hoc enim soli Christo Domino convenit. Sic D. D. communiter. Videatur Soar. *tom.* 1. *in* 3. *partem disp.* 4. *sect.* 7. Ratio est, quia operi meritorio apud Deum semper respondet de condigno essentiale præmium in ipso operante, adæquatum ipsi operi secundùm naturalem proportionem, & ejus condignitatem: quo præmio nunquam privatur ipse operans: ergo cùm jam habeat suum præmium in propria persona, aliud de condigno in altera persona habere non potest: cùm hoc excedat valorem, & proportionem finiti operis, quem exhibuit.

56. Dices: Potest quis petere à Deo, ut sibi non totam gratiam elargiatur propter hoc opus meritorium, & quod ad adæquatum præmium deest, alteri tribuatur: ergo cùm hæc pars in propria persona esset de condigno, sic etiam erit in anima defuncti:

functi: Sic enim quando quis satisfactionem, alicui bono operi debitam de condigno, applicat alicui defuncto, fructu illius manet privatus; & ipse defunctus cum illo manet: ut cum D. Thom. Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 48. *sect.* 2. *n.* 12. & D.D. communiter: ergo etiam hoc erit dicendum in merito de condigno.

57. Respondeo ad antecedens; eam petitionem esse inordinatam, & ut talem non acceptari à Deo: est enim inordinata; quia ordo charitatis in iis, quæ pertinent ad propriam perfectionem, & unionem cum Deo, tanquam ultimo fine, postulat, ut unusquisque magis se, quàm ipsum proximum amet: cùm ergo per majus meritum, cui debetur major gratia; per illam homo magis uniatur cum Deo, ut ultimo fine, inordinata est alia petitio. Accedit quod ea petitio est contra dispositionem divinam.

58. Ad exemplum respondeo, negando consequentiam: diversa ratio est, quia ex dispositione divinæ providentiæ, meritum, nec per applicationem alteri factam, potest quis illud à se separare: at alteri applicare proprias satisfactiones, non implicat; quia per illas non est minor unio cum Deo; & ille disponit, quòd possint alteri applicari.

59. Addo, nec etiam omnem satisfactionem posse quem alteri applicare, nempe, quando est personale beneficium: ut constat inductione in effectibus Sacramentorum: nam remissio totius pœnæ, quæ datur in Baptismo, non potest à Baptisato, nec in aliqua parte, alteri applicari, idem est in satisfactione Sacramentali, quæ in confessione imponitur; ex eo quòd sint beneficia personalia, quæ alteri applicari nequeunt.

60. Unde Alexander VII. rectè damnavit hanc propositionem in sua Const. sæpissimè in hoc opere citatâ: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus, ipsimet celebranti correspondentem, idque, post decretum Urbani VIII.* Quæ ex damnatis ab eodem Pontifice, est octava. Et præterquam quòd sit contra Constit. Urbani VIII. apud Cherubin. *tom.* 4. *& est.* 45. inter alias hujus S. Pontificis, in qua prohibetur, pro una missa duplex stipendium accipi; & contra Declarationem S. Card. Congreg. die 25. Januarii anni 1659. editam, quam Declarationem seu Decretum Alexander VII. approbavit, & publicari fecit solitis in locis 27. Octobris ejusdem anni, quod refert Henao *de sacrif. miss. disp.* 31. *n.* 27. est etiam falsa; quia asserit Sacerdotem posse proprium, & personale beneficium alteri applicare; quod ante damnationem dictæ propositionis negarunt: Soar. *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 79. *sect.* 9. *in fine.* Bonac. *tom.* 1. *disp.* 4. *de Sacram. q. ult. punct.* 8. *n.* 16. Card. de Lug. *de Euch. disp.* 33. Henoa *citatus à n.* 20. & alii.

61. Quare rejicienda est sententia oppositum docens apud Dian. *part.* 2. *tract.* 14. *resol.* 14. quam sustinuerunt Lezan. *in summ. Verb. Miss. n.* 17. Thom. Hurt. *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 4. *resol.* 171. *& seqq.* Remig. *in summ. tract.* 5. *disp* 4. §. 7. *n.* 2. apud Dian. *part.* 11. *tract.* 7. *resol.* 27. & alii, qui post dictam Const. Urbani, scripserunt. Si ergo satisfactiones, quæ sunt beneficium personale alteri nequeunt applicari, à fortiori merita de condigno; quæ non solùm sunt beneficia personalia, sed etiam ad propriam perfectionem pertinent, & ad unionem cum Deo, tanquam ultimo fine, ordinantur.

SECTIO IX.

An suffragia fidelium animabus Purgatorii prosint, per modum meriti de congruo, aut per modum impetrationis?

62. Suppono cum Soar. *tom.* 3. *de gratia l.* 12. *cap.* 34. *à n.* 8. ex D. Thom. meritum de congruo idem esse, quod impetratio; nam licèt inter se rigorosè loquendo, distinguantur, esse tamen quæstionem de nomine. Ideoque de utroque conjunctim sermo erit in hac quæst. Suppono etiam convenire D.D. per suffragia justorum, impetrari à Deo, ut fideles excitentur, ad suffragia pro animabus Purgatorii offerenda. His suppositis.

63. Prima sententia tuetur, suffragia fidelium non prodesse defunctis per modum impetrationis, seu meriti de congruo. Sic Sot. *in* 4. *dist.* 45. *q.* 3. *art.* 2. *in fine, Vers. ultima tamen.* Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 48. *sect.* 5. *à num.* 5. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 1. *n.* 28. Aversa. *de Sacrif. missæ q.* 11. *sect.* 11. Joann. Sanch. *in select. disp.* 16. *n.* 12. Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 24. *punct.* 1. §. 2. *n.* 11. Bard. *part.* 4. *tract.* 2. *cap.* 2. *n.* 14.

64. Fundatur. quia divinam providentiam maximè decet, modum remittendi pœnas pro peccatis debitas esse firmum, & stabilem: Sed *si intercessione* Sanctorum, aut fidelium fiat aliquando harum pœnarum remissio, nullâ factâ solutione, jam non erit firmus, & stabilis. Quod probatur: quia vel Deus statuit, hanc nullo modo concedere remissionem, nisi condignâ satisfactione rei, vel aliorum satisfactione, vel ob Sanctorum intercessionem: non hoc ultimum, quia etiam ipse reus poterit pro se ipso illam impetrare; nam oratio ad impetrandum, efficacior est, ad impetrandum pro se ipso, quàm pro alio. Deinde, si Deus hanc remissionem concedat aliquando per. intercessiones Sanctorum; etiam aliquando illam concedet per orationes peccatorum, & iniquorum: Cùm enim sit gratuita, & non fundata in condignitate operis, sed in Dei Liberalitate, & misericordia: non est inconvenies, quòd per intercessionem peccatoris fiat: cùm ergo hoc dici nequeat, dicendum est, Deum nunquam remittere pœnas, nisi positâ condignâ satispassione, vel satisfactione, præsertim quia in hac remissione resplendet justitia vindicativa exigens condignam solutionem; & misericordia divina acceptando solutionem; quam, secluso suo verbo, acceptare non tenebatur. In hæc coincidunt, quæ affert Bardi.

65. Secunda tamen, & mihi probabilior sententia affirmat, nostra suffragia prodesse defunctis per modum impetrationis, & meriti de congruo. Ita Durandus, Navarr. Cajetanus, & alii apud Soar. *super cit. n.* 4. dicentem *in principio num.* 5. hanc sententiam esse piam, probabilem, & fortasse veram. Illam etiam defendunt Ægid. *de sacram. disp.* 11. *dub.* 7. *n.* 54. Barthol. à S. Faust. *lib.* 1. *de suffrag. q.* 24. Trullench. *in Bull. lib.* 4. *dub.* 6. *n.* 2. Card. Bellarm. *lib.* 2. *de Purg. cap.* 6. *in principio.* Cardin. de Lug. *de pœnit. disp.* 24. *à n.* 20. Mend. *in appendic. ad Bullam disp.* 4. *cap.* 4. *à n.* 27. Dicastill. *dist. tom.* 2. *de Sacram. tract.* 9. *disp.*

disp. 1. num. 125. Fr. Joseph. Mend. *in Bullam sect. 4. de Bull. defunct. interrog. 12. num. 67. fol. 182.*

66. Probatur primò ex doctrinâ Soar. nam *loco citat.* inquit, hanc sententiam esse piam, & fortasse veram, at modum remissionis esse incertum: Sed etiam est incerta ea sententia, quam sequitur: Ergo consentaneum est, quòd ex duabus sententiis incertis, adhæreamus piissimæ. Deinde affert *loco citato n. 7.* cum D. Thom. Sor. & aliis, Sanctos Beatos orare pro animabus Purgatorii, quod etiam docet Ægid. *n. 56.* & alii communiter: ut *supra n. 50. in fine* notavimus; sed Beati per eas orationes nequeunt pro illis, satisfacere; quia sunt extra statum merendi, & satisfaciendi: ergo dicendum est, eas orationes prodesse animabus per modum impetrationis.

67. Soar. *cit. n. 9.* & alii variis tribuunt huic rationi solutiones: Dicunt, Sanctos immediatè non impetrare defunctis remissionem pœnarum, sed mediatè, nempe; ut Deus excitet aliquos, qui pro illis satisfaciant. Sed ex dicendis *n. 72.* patebit, hanc solutionem non esse congruentem, nec consentaneam.

68. Probatur secundò; quia B. Virgo, & alii Sancti orant pro defunctis, ut constat ex Ecclesia, quæ petit in illâ oratione: *Omnipotens sempiterne Deus, qui justorum, &c. ut intercedente B. V. Maria, ac omnibus sanctis, defunctis delictorum suorum veniam consequantur.* Et constat ex variis revelationibus B. Virginem sæpè suos liberare devotos à Purgatorii pœnis; & de B. Lutgarde testatur Surius, in ejus vitâ, quòd secum in cœlum aliquas è Purgatorio animas liberatas, suis precibus, tulisse.

69. Tertiò probatur; quia Ecclesia in officio defunctorum orat Deum, ut remittat pœnas debitas pro peccatis, animabus in Purgatorio existentibus: ergo dum Ecclesia pro illis orat; per modum impetrationis illas adjuvat.

370. Quartò, quia confessarius potest mandare pœnitenti, ut pro animabus Purgatorii oret; ut dicitur *in Catechismo Romano, in Sacramento Pœnit. n. 80.* Sed pœnitens in eo casu, à se non abdicat satisfactionem, quia à confessario jubetur, ut pro se satisfaciat: Ergo solùm jubetur, ut impetrationem pro defunctis offerat.

71. Ad primam, secundam, & tertiam probationem, respondent adversarii, sanctos, & Ecclesiam solùm petere à Deo, ut excitet fideles, ut pro defunctis suas applicent satisfactiones; vel ut accepter eas satisfactiones, quas acceptare non tenetur.

72. Sed contra est primò, quia id non exprimitur in orationibus, tam Ecclesiæ, quàm Sanctorum; nec id est in persuasione apud fideles. Secundò, quia sic non deberemus orare Sanctos, ut orent pro defunctis, sed ut orarent, pro nobis; ut Deus nos excitet, ut pro defunctis nostras satisfactiones offeramus.

73. Ad fundamentum primæ, & oppositæ sententiæ *n. 64.* adductum, respondeo, negando minorem: quia verisimile est, & divinam pietatem decens, ut precibus Ecclesiæ, Deiparæ, ac Sanctorum, ac viventium, qui Deo per charitatem sunt conjunctissimi, annuat; applicando ipse Christus Dominus suas satisfactiones, sicut applicantur per indulgentias, & Sacramenta Ecclesiæ: Nec sequitur ipsum reum, nempe ipsas animas posse per se ipsas, sibi aliquando impetrare remissionem pœnæ; quia licèt oratio ad impetrandum sit efficacior pro se ipso, quàm pro alio; id non habet verum in illis, qui sunt in statu punitionis, ad impetrandam ipsius punitionis remissionem: cùm verò animæ sint in statu punitionis, parum, aut nihil possunt sibi impetrare.

74. Vel respondeo cum Soar. *tom. 2. de Relig. l. 1. de orat. cap. 11.* Card. de Lug. *supra cit. n. 23. in fine*, concedendo ipsas animas Purgatorii orare, ut per applicationem satisfactionis Christi, aliqua pars sibi debita, sibi ipsis condonetur. Si ergo Deus illas aliquando exaudire dignetur, quid mirum?

75. Ad aliam sequelam, quæ deducitur ex eo, quòd Deus aliquando remissionem pœnæ per intercessionem Sanctorum concedat, etiam illam concedet aliquando per orationes peccatorum, & iniquorum; respondeo primò, Deum aliquando peccatorum orationes exaudire, ut videre est apud Soar. *tom. 2. de relig. l. 1. de oratione cap. 25. per totum*, ubi *n. 4.* explicat sensum, in quo cæcus ille apud *Joann. cap. 9. vers. 30.* dixit: *Scimus quia peccatores Deus non audit.* Vide etiam Cornel. à Lapide *in cit. Evang. locum*, ubi varios sensus ad dictum textum affert, & Gloss. Ordin. ubi refert sensum Theofil. primo loco, nempe: Deum non exaudire peccatores ad facienda miracula. Si ergo orationes peccatorum aliquando aliquid à Deo impetrare possunt, etiam remissionem pœnæ aliquando impetrare valebunt.

76. Respondeo secundò, non benè sequi ex eo, quòd Deus aliquando per intercessionem Sanctorum concedat remissionem pœnæ, etiam illam posse peccatores, & iniquos per suas orationes impetrare. Ratio est, quia ipsi peccatores illam sibi ipsis non possunt impetrare, cùm in peccato existant; & ab eo prius debeant recedere: Si ergo pro se ipsis non possunt aliquando hanc remissionem pœnæ à Deo impetrare: etiam pro aliis non valebunt impetrationem remissionis pœnæ aliquando obtinere: cùm juxta Theologos, celebre sit, plus requiri ad merendum, quocunque modo pro aliis, quàm sibi. Sancti verò cùm sint amici Dei, hanc remissionem, quoad aliquam partem, per satisfactiones Christi, poterunt impetrare; nam si pro se ipsis, etiam illis impetrare poterunt, cùm peccati mortalis non habeant obstaculum.

77. Nec sequitur, quod ultimo loco pro contraria sententia afferebatur: nempe, quòd Deus non remittat pœnas absque condignâ satispassione, aut satisfactione; quia in hac remissione plenè satisfit justitiæ divinæ vindicativæ per satisfactiones Christi Domini; quæ per orationes, preces, & impretationes applicantur.

78. Dices adhuc pro oppositâ sententia: Si Sancti possint suis precibus, impetrare remissionem pœnarum; cùm illæ sint ferventissimæ, & Deo gratissimæ, totum statim Purgatorium evacuarent: hoc non est dicendum: ergo nec, quòd impetrent illam. Respondeo, negando majorem: nam ex ea sequitur; si B. Virgo, & Sancti pro nobis orarent, cùm illorum orationes sint dignissimæ, ad quodcunque à Deo impetrandum, & ipsi ardentissimè omnium hominum salutem exoptent, debere impetrare, ut omnibus darentur ex gratiæ, quibus de facto salvarentur; quod tamen non sequitur de facto; quia non omnes salvantur. Dicendum ergo est, sicut merita Christi nobis non applicantur secundùm omnem suum valorem, sed secundùm moderationem divinæ misericordiæ simul, & justitiæ;

ita

ita etiam Sanctorum preces, secundùm modum divinæ providentiæ, tam nobis, quàm animabus in Purgatorio existentibus, prodesse; ut aliqua pœnarum remissio impetretur, & tamen locus divinæ justitiæ relinquatur. Sic Ægid. *cit. n. 59. vers. ad secundum*, & ex illo Trullench. ubi *supra dub. 6. n. 4.* Dicastill. ubi *supra n. 132.* Henao *de Sacrif. miss. disp. 28. à n. 303.*

SECTIO X.

An nostra suffragia prosint defunctis ex justitia, an ex Dei misericordia?

79. SUppono cum Soar. *tom. 4. in 3. part. disp. 48. Sect. 6. n. 1.* in præsenti quæstione, nomine justitiæ non intelligi æqualitatem, quæ dari debet inter satisfactionem, & pœnam debitam, & condignam, pro peccatis commissis: quia omnes conveniunt, suffragia esse debere ex justitia: hoc est secundum æqualitatis rigorem. Secundò suppono, hic sermonem esse de suffragiis, quæ consistunt in satisfactionibus fidelium. His suppositis.

80. Quæstio petit: An in Deo detur obligatio acceptandi nostra suffragia, seu satisfactiones, pro defunctis oblatas, ex justitia rigorosè sumpta, an verò ex fidelitate, aut alia virtute? Prima sententia tenet, nostra suffragia esse à Deo de condigno, & ex justitia acceptanda. Sic Gabriel, Navarr. Sot. Covarr. quos refert, & sequitur Soar. *nuper cit. n. 4.* Barthol. à S. Faust. *de suffrag. l. 1. q. 27.* Trullench. *in exposit. Bull. l. 4. dub. 6. n. 5. & 6.* & satis probabilem esse, inquit Mend. *disp. 4. appendicis in Bull. cap. 5. n. 37.*

81. Probatur primò: Quia ex justitia acceptantur à Deo satisfactiones viventium, si pro viventibus offerantur, ut docet D. Thom. D. Bonav. Paludan. Alens. Covarr. & alii, quos refert, & sequitur Soar. *supra dict. disp. 48. Sect. 2. n. 4.* quibus accedunt Cardin. Bellarm. Bonac. & alii, quos citatos affert Castr. Palao *tom. 4. tract. 24. punct. 1. §. 1. n. 5.* ergo etiam, si pro defunctis offerantur à viventibus ex justitia à Deo acceptabuntur. Probatur consequentia; quia ex traditione Ecclesiæ colligitur, eandem esse legem suffragiorum, respectu defunctorum, quæ est respectu viventium: nam æqualiter orat, & offert sua suffragia pro vivis, & defunctis. Sancti Patres etiam eodem modo de illis loquuntur, tradentes hanc, ut doctrinam Apostolicam ad eos allatam, per continuam successionem; ut constat ex D. Chrysostom. & D. August. apud eundem Soar. *cit.* & ex eodem *tom. 2. in 3. part. disp. 79. Sect. 10.* docente, ex simili traditione sacrificium missæ pro vivis æquè, ac defunctis oblatum, remittere ex opere operato, pœnam aliquam temporalem, pro peccatis commissis, debitam.

82. Probatur secundò; quia ex sacris Scripturis habemus promissionem à Christo factam de acceptandis à Patre satisfactionibus viventium, pro se ipsis; ut tenet Bard. *part. 4. tract. 2. cap. 2. n. 39.* ergo etiam non solùm est possibile, sed credibilius, & probabilius, dari eam promissionem, & pactum de acceptandis satisfactionibus viventium, à Deo pro ipsis defunctis oblatis; dantur enim aliquæ congruentiæ, quæ id suadent; & aliqua loca sacræ Scripturæ, quæ hanc interpretationem possunt admittere; ut videre est apud *cit. D. D.*

83. Secunda sententia negat, dicta suffragia acceptari à Deo pro animabus Purgatorii, ex justitia; sed ex liberalitate, & misericordia divina. Sic Cajet. *tom. 1. opusc. tract. 16. q. 5.* Can. *de locis Theolog. l. 12. prælect. 29.* Angles *part. 1. q. de indulg. diff. 5. conclus. 2.* Cordub. *de indulg. l. 5. q. 5. ad 8.* Medin. *codice de orat. q. 20.* Sotus *in 4. dict. 19. q. 2. art. 4. art. 1.* Ægid. Coninch. *de Sacram. disp. 10. dub. 7. n. 57. & 59. in fine*; Bard. *supra n. 33.* Probatur primò, quia nullus est locus in Scriptura, vel Conciliis, ex quo colligatur manifestè, Deum esse acceptaturum fidelium satisfactiones, pro animabus Purgatorii.

84. Secundò probatur, quia satisfactiones hujus vitæ, non sunt ejusdem rationis cum illis, quæ anima in Purgatorio satispatiuntur: ergo per satisfactiones fidelium in hac vita, non possunt compensari ex rigore justitiæ, pœnæ, quas animæ in Purgatorio patiuntur. Antecedens patet ex dictis *supra Sect. 2.* Consequentia ostenditur; quia ex eo, quòd pecunia non sit ejusdem rationis cum pœna servitutis, hæc ex rigore justitiæ non potest pecunia, sed ex liberalitate domini, redimi: Ergo etiam ex eo, quòd satisfactiones hujus vitæ non sint ejusdem rationis cum pœnis; quas animæ in Purgatorio satispatiuntur, non possunt redimi; nisi ex liberalitate, & Dei misericordia.

85. Tertiò probatur, quia obligatio satispatiendi, aut satisfaciendi est debitum personale, & non reale; ergo à persona offendente exhibenda est satisfactio: cum ergo Deus sit offensus, & satisfactio debeat esse personalis; Deus ex rigore justitiæ non tenetur illam accepere, nisi fiat ab ipso offendente.

86. Quælibet ex his sententiis est probabilis: prima tamen mihi videtur longè probabilior; asseritque nostra suffragia acceptari à Deo, non solùm ex liberalitate, & misericordia, sed ex justitia; si cætera dentur requisita, de quibus *infra Sect. 12.* Et ultra rationes pro illa adductas *à n. 81.* Moveor primò, quia Soar. *tom. 4. in 3. part. disp. 48. Sect. 2. n. 4.* existimat falsam, & valdè novam in Theologia, & omnino vitandam, in materia adeo gravi, sententiam illam, quæ docet unum fidelem non posse pro alio suffragari, vel pœnam illi debitam non posse solvere; quia omnes Theologi oppositum sentiunt: ergo etiam idem dicendum, si dicatur non posse suffragari pro defunctis.

87. Secundò moveor ex verbis B. Pii V. in fine totius materiæ de Sacram. Pœnit. in catechismo *n. 61.* ibi: *In eo summa Dei Bonitas, & clementia maximis laudibus, & gratiarum actionibus prædicanda est, qui humanæ imbecillitati hoc condonavit, ut unus possit pro alio satisfacere.* Et infra declarans modum hujus satisfactionis, inquit: *Qui divina gratia præditi sunt, alterius nomine, persolvit, quod Deo debetur, persolvere: quare fit, ut quodam pacto alter alterius onera portare, videatur.* Declarat igitur S. Pontifex hanc satisfactionem esse solutionem debiti, quam unus pro altero reddit; & ipse Deus acceptat; & subdit: *Nec verò de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus est, qui in Apostolorum symbolo, sanctorum communionem profitemur.*

88. Ex quibus verbis satis constat, posse unum fidelem, pro altero fideli, de condigno, & ex rigore justitiæ satisfacere ex condonatione divina ut

in-

inquit S. Pontifex; & ex symbolo Apostolorum, in quo credimus Sactorum communicationem; & licèt possint intelligi de communicatione per modum impetrationis, & de merito de condigno; Ecclesia tamen semper hunc articulum intellexit de satisfactionibus, quæ inter justos communicantur; ut asserit S. Pontifex in catechismo *loco cit.*

89. Ex his conficio argumentum pro nostra sententia. Unus fidelis potest pro altero suffragari, & solvere pœnam pro suis peccatis commissis debitam ex condigno, & ex justitia; quia Deus hoc illi condonavit: ergo etiam unus fidelis potest pro aliquo defuncto suffragari, & Deo satisfacere pro pœna debita, pro suis peccatis commissis, ex rigore justitiæ, & de condigno; quia Deus hoc illi condonavit.

90. Antecedens patet ex verbis S. Pontificis in catechismo. Consequentia ostenditur, quia S. Pontifex ne ullus dubitandi locus relinquatur, utitur verbis symboli, in quibus credimus communicationem Sanctorum; sed in hac communicatione comprehenduntur animæ defunctorum, qui in Purgatorio existunt; quia ab hac vita decesserunt in charitate, quam semper retinent, & nobiscum tanquam membra viva sub uno, eodemque capite Christo Domino, uniuntur; ut docent D. D. Soar. *dict. disp.* 8. *Sect.* 6. *n.* 5. cum D. August. & ipse Bard. *part.* 4. *tract.* 2. *cap.* 1. *n.* 3. ut rem certam, & firmam: ergo si ex condigno, & justitia possunt fideles, pro se ipsis ad invicem satisfacere, & solvere quod Deo debetur; etiam possunt satisfacere, & solvere, pro animabus in Purgatorio existentibus; cum quibus habent eandem communicationem, & unionem, quam profitemur in symbolo Apostolorum.

91. Nec satisfacit dicere, eam communicationem esse, quoad suffragia, quæ sunt per modum meriti de congruo, & impetrationis; nam S. Pontifex in prædictis verbis, ea symboli verba affert in confirmationem suffragiorum, per satisfactiones, quæ adhuc solutæ non sunt.

92. Negat Bardi *cit. cap.* 2. *n.* 55. dari tantam unionem inter fideles, & animas defunctorum, quanta datur inter ipsos fideles viventes, inter se: nam viventes inter se faciunt unam visibilem congregationem, eidemque immediatè capiti subduntur, communicant in eisdem sacramentis, eisdemque legibus reguntur &c. at cum defunctis non ita uniuntur: Ergo quamvis ipsi fideles possint de condigno, & ex justitia unus pro alio satisfacere; non tamen possunt pro animabus Purgatorii. Et licèt *cit. loco*, hanc non inferat consequentiam, aliam infert, ex qua illa sequitur; juxta id, quod prædixerat *n.* 41. Respondeo igitur negando consequentiam, nam licèt inter viventes fideles, & animas Purgatorii, non detur eadem unitas, quæ datur inter ipsos fideles viventes, datur tamen illa unitas principalis; nam nobiscum uniuntur sub eodem capite Christo Domino, & quoad suffragia, juxta statum fidelium viventium, & ipsarum animarum Purgatorii, ut in Symbolo confitemur: Ergo si viventes fideles possunt unus pro alio, in hac vita, satisfacere de condigno, & ex justitia; etiam de condigno, & ex justitia satisfacient pro animabus Purgatorii, cum quibus habent eandem unionem in Christo Domino, & communicationem, quam in symbolo confitemur.

93. Ad fundamenta secundæ sententiæ *à n.* 83. allata facilis est solutio; ad primum enim respondeo primò, ex traditione Ecclesiæ constare eandem esse legem suffragiorum viventium, ac defunctorum, ut ex Soar. diximus *proximè n.* 90. traditiones autem Ecclesiæ magnam habent fidem, vide Conc. Nicænum 11. *act.* 7. ubi dicitur: *Si quis traditionem Ecclesiæ, sive scripto, sive consuetudine valentem non curaverit, anathema sit.* Apud Cardin. *in disp. select. tract.* 3. *disp.* 23. *cap.* 5. *art.* 5. *n.* 93. & quamvis non detur locus in Scriptura, aut Conciliis, ex quo colligatur, Deum esse acceptarum satisfactiones fidelium pro animabus Purgatorii; sufficit, quòd detur Ecclesiæ traditio. Respondeo secundò, ex declaratione B. Pii V. constare, satisfactiones fidelium prodesse aliis fidelibus; & cùm in confirmationem afferat articulum symboli Apostolorum, in quo comprehenduntur animæ defunctorum, etiam in illis habet locum declaratio B. S. Pontificis.

94. Ad secundum respondeo, licet satisfactiones hujus vitæ non sint ejusdem rationis physicæ, vel naturalis cum illis, quas animæ in Purgatorio patiuntur; quia hæc est acerbior, attamen secundum valorem moralem, habent proportionem, & sufficientem condignitatem.

95. Ad tertium respondeo; quamvis debitum sit personale, posita condonatione Dei, unum posse pro altero satisfacere; ut patet ex verbis B. S. Pontificis: *In eo summa bonitas Dei prædicanda est, qui humanæ imbecillitatis hoc condonavit, ut unus possit pro alio satisfacere.* Si ergo Deus hoc condonavit fidelibus viventibus, idem dicendum est, de satisfactionibus fidelium, respectu animarum Purgatorii; quæ nequeunt per se satisfacere, sed satisfati; & adhuc non sunt in termino. Et ex parte Dei eadem militat congruentia liberalitatis, & clementiæ. Nec ex parte justitiæ aliqua apparet repugnantia: ergo si fidelis potest pro alio ex condigno satisfacere; etiam de condigno, & ex justitia poterit pro existente in Purgatorio satisfacere.

SECTIO XI.

An Deus infallibiliter suffragia pro defunctis acceptet?

96. REsolutio hujus quæstionis ex dictis *in præcedente Sectione* est facilis, & manifesta. Quare authores secundæ sententiæ ibi relatæ, consequenter dicunt, Deum infallibiliter non acceptare suffragia, pro defunctis. Sic Cajet. Can. Ægid. Coninch. Bard. & alii ibi allati. His accedit Bonac. *tom.* 1. *disp.* 6. *de indulg. q.* 2. *de suffrag. punct.* 1. *n.* 3.

97. Bardi hanc sententiam defendens ex fundamentis allatis, pro secunda sententia, *in Sectione præcedente*, inquit *n.* 42. quamvis certum, & infallibile sit, suffragia pro defunctis utilia esse, non tamen certum esse, parifirmiter, & æquæliter à Deo acceptari; sed interdum poterit ipse Deus, secundum decentiam suæ liberalitatis, uni plus, alteri quàm applicare de fructu suffragiorum, juxta dignitatem, & meritum animæ in particulari; & hoc esse valde conforme dictis S. Gregorii, de animabus Purgator. *l.* 4. *dialog. cap.* 57. ubi ait: *Secundum*

est, quia illis sacra victima prosunt, qui hic vivendo obtinuerunt, ut eos etiam post mortem, bona adjuvent, quæ pro ipsis ab aliis fiant. Ex quibus verbis infert: si suffragia omnibus Purgatorii animabus infallibiliter prodessent, pro quibus specialiter applicantur; non oportebat dicere S. Gregorium tantùm prodesse illis, qui dum viverent, ad lucrandum totum suffragiorum fructum, se idoneos reddiderunt.

98. Secundò probat; quia S. S. in patria, fideles in via; orant Deum, ut acceptet suffragia, quæ pro animabus Purgatorii fiunt: Ergo si à Deo infallibiliter acceptarentur, non erat, cur à Deo hoc peterent.

69. Dicendum tamen probabilius, suffragia fidelium pro animabus Purgatorii infallibiliter acceptari. Ita defendunt D. D. pro prima sententia *sect. præcedente* citati; & tenent Soar. *dict. disp.* 48. *sect.* 6. *n.* 6. Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 24. *punct.* 1. §. 2. *n.* 1. Arriag. *de panit. disp.* 23. *n.* 31. Mend. *in appendic. disp.* 4. *n.* 39. & idem docet de sacrificio missæ Henriq. *l.* 9. *cap.* 16. *n.* 1. quia existimat hoc sacrificium, de justitiæ lege, prodesse defunctis. Ratio patet ex dictis *præcedente sect.* nam si Deus ex justitia, & non ex liberalitate suffragia, & satisfactiones pro animabus Purgatorii tenetur acceptare; acceptatio illarum non erit ex libito Dei, sed infallibilis; ex eo quòd Deus sua promissione ad id se adstrinxit.

100. Ex hac ratione sequitur contra Bardi, infallibilitatem esse æqualem respectu omnium animarum, in Purgatorio existentium: Et ostenditur, quia lex justitiæ, quæ datur in ea infallibilitate, non respicit specialia merita ipsarum animarum, sed valorem ipsius satisfactionis, & unionem charitatis, quæ facit hæc bona communia: Ergo non secundùm dignitatem, & meritum animæ in particulari; sed æqualiter à Deo acceptari debent. Antecedens patet, ex quadam Bulla de indulg. à Leone X. lata, quam refert Cajet. 3. *part. q.* 48. *art.* 5. *ad* 3. ex qua constat, ad communicationem satisfactionis per indulgentias, solùm requiri ex parte eorum unionem charitatis cum viventibus: cùm ergo æqualiter de illis animabus loquatur circa has satisfactiones; idem dicendum videtur de suffragiis, quia datur eadem, & major ratio; ut inquit Soar. *cit.*

101. Ex his fit argumentum contra Bard. nam si admittit suffragia infallibiliter esse utilia defunctis, quo modo negat æqualiter à Deo acceptari; quia infallibilitas oritur ex lege justitiæ; quæ æqualiter omnes animas respicit; quæ eandem habent unionem charitatis, cum viventibus; & Ecclesia, & fideles æqualiter pro omnibus orant. Debebat ergo Bard. ut cohærenter procederet, negare illam infallibilitatem; quando quidem negat, Deum ex justitia acceptare satisfactiones fidelium pro animabus Purgatorii: nam si conceditur infallibilitas, jam id provenit ex lege justitiæ: & si concedit infallibilitatem, etiam debebat concedere, eas satisfactiones æqualiter à Deo acceptari.

102. Nec intentum probat ex dictis verbis S Gregorii; rejiciendo sensum, quem Soar. tribuerat similibus verbis S. August. At rectè aptari possunt ad utriusque Sancti verba, ut notavit Mend. *cit. à n.* 41. qui videri potest. Dico igitur, Sanctum Doctorem in verbis à Bard. citatis solùm advertere victimam sacræ oblationis prodesse illis defunctis, qui hìc vivendo, & decedendo in gratia obtinuerunt, ut illa victima oblationis eis prodesse posset: nam antea dixerat, de damnatis defunctis, quibus victima oblationis prodesse nequit, quia non obtinuerunt, decedendo in peccato mortali, ut eos post mortem bona adjuvent.

103. Ad secundum respondeo; Sanctos in patria, & fideles in via Deum orare, ut satisfactiones Christi applicentur pro animabus Purgatorii, & ut suffragia, quæ à fidelibus pro iisdem animabus fiunt, acceptentur: cùm ergo hæc fiant per modum impetrationis, infallibiliter à Deo non acceptantur, juxta ea, quæ diximus *supra sect.* 9. licèt ex misericordia, & liberalitate Dei sæpe acceptentur. Adde, Sanctos in patria, & fideles in via Deum orare; ut fideles suas applicent satisfactiones pro animabus Purgatorii: si enim à fidelibus non applicentur, illis non proderunt.

SECTIO XII.

Quæ conditiones requirantur ex parte offerentis, ut suffragia prosint defunctis?

104. TRes annumerari solent conditiones ex parte offerentis suffragia satisfactionis. Prima est, ut sit in statu gratiæ: si enim in peccato mortali sit, inutiliter non solùm pro animabus Purgatorii, sed etiam pro *se ipso*, ac pro aliis fidelibus operabitur. Sic communiter Theologi D. Tho. *in* 4. *dist.* 44. *q.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 3. & clarius *in* 3. *part. q.* 82. *art.* 6. *in fine corporis*; Sot. D. Anton. & alii, quos refert, & sequitur Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 48. *sect.* 8. *n.* 1. quibus addo Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 24. *punct.* 1. §. 4. *n.* 3. Bard. *in Bull. part.* 4. *tract.* 4. *cap.* 2. *n.* 3. & apud ipsum Card. de Lug. *de panit. disp.* 26. *sect.* 3. in prima conditione requisita, Lavorius *de indulg. part.* 2. *cap.* 30. *n.* 99. Barthol. à S. Fausl. *l.* 1. *de suffrag. q.* 29. in septima conditione. Ragucius *de statu animarum, quæst.* 39. *n.* 7. Dicastill. *tom.* 2. *de sacram. tract.* 9. *disp.* 3. *n.* 25. & alii. Probari solet ex illo D. Pauli 1. ad Corint. 13. ubi inquit: *si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, &c. nam sine charitate, & amicitia Dei, opera nostra nullius sunt valoris, juxta dicenda *n.* 106.

105. Ratione probatur; quia existens in peccato non potest pro seipso, satisfacere: ergo nec pro defunctis, aut aliis fidelibus. Antecedens ab omnibus supponitur: nam habens reatum culpæ, non potest se eximere à reatu pœnæ: nam culpa dum existit, reddit hominem dignum punitione. Consequentia ostenditur; quia juxta illud solemne Theologorum proloquium: plus requiritur ad satisfaciendum pro aliis, quàm pro se ipso: ergo si existens in peccato mortali, non potest pro se ipso satisfacere, nec etiam poterit pro existentibus in Purgatorio, aut pro aliis fidelibus.

106. Si verò suffragium sit impetrationis, quamvis ex se sit parum efficax, potest esse in peccatore: nam Deus sæpè ob bona opera peccatoris, & ipsi, & aliis

& aliis bona opera impendit: hæc enim impetratio, cùm sit ex congruo, non dignitate operis, sed benignitate Dei nititur. Sic Castr. Palao, *ubi supra*; & alii, quos *supra* citavimus.

107. Hactenus dictum est de suffragiis, quæ offeruntur à privatis personis; si verò loquamur de suffragiis; quæ nomine Ecclesiæ, & ab illius ministro, offeruntur; adhuc nobis utendum est distinctione: nam si suffragium sit illorum, quorum valor est ex opere operato, ut sacrificium missæ; certum est prodesse defunctis in Purgatorio existentibus; etiamsi sacerdos sit in peccato mortali, quia sacerdos, non in sua persona, sed in persona Christi, illud offert. De his tamen *infra* dicendum. Si verò suffragia sint ex illis, quæ non habent valorem ex opere operato; ut sunt aliæ orationes, & officia divina, facta nomine totius Ecclesiæ, si offerantur à ministris in gratia existentibus pro animabus Purgatorii, illis proderunt, quoad satisfactionem, juxta ea, quæ *supra* diximus *Sect.* 10.

108. Dubium tamen est: An hæ orationes, & officia divina facta à ministris Ecclesiæ, existentibus in peccato mortali, sint satisfactoria pro ipsis defunctis? Prima sententia negat esse satisfactoria: quia opus in tantùm est satisfactorium, in quantùm est pœnale, & afflictivum: sed illæ orationes, & officia divina non sunt pœnalia, & afflictiva ipsi Ecclesiæ, quatenus talis est: ergo satisfactoria esse nequeunt. Et quamvis sint pœnalia ipsis ministris, cùm sint in peccato mortali, satisfactoria esse non possunt; quia non procedunt à personis Deo gratis. At benè possunt ex orationes, & officia divina esse impetratoria; quia ad impetrandum, non attenditur ad conditionem illius, qui proximè orat, sed illius, qui principalis est orans; & hic est Ecclesia. Sic Soar. *de pœnit. disp.* 48. *Sect.* 8. *n.* 3. & 4. Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 24. *punct.* 1. §. 4. *num.* 4. Trullench. *in Bull. l.* 4. *dub.* 7. *num.* 2. & alii.

109. Secunda sententia mihi videtur probabilior; asseritque orationes, & officia facta à malis ministris, nomine Ecclesiæ, esse satisfactoria pro animabus Purgatorii. Ita D. Thom. *in* 4. *dist.* 45. *q.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 2. quamvis non explicet; an prosint per modum impetrationis, aut per modum satisfactionis. Id tamen exprimunt Sot. *in dict. dist. q.* 2. *art.* 1. *concl.* 4. Navarr. *de orat. & horis canonicis cap.* 19. *n.* 59. & *cap.* 20. *n.* 59. Bonac. *tom.* 1. 1. *disp.* 6. *de Sacram. q.* 2. *punct.* 2. *n.* 7. Ragucius *de statu animar. q.* 89. *n.* 12. Barthol. à S. Tauft. *l.* 1. *de suffrag. q.* 3. Nunûs *in addit. ad* 3. *part. q.* 20. *art. in quæst. de satisfact. difficult.* 5. quos affert, & sequitur Bard. *part.* 4. *tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 20. eandem tenet Dicastill. *supra num.* 26.

110. Probatur, quia valor operis, quod nomine alterius offertur, non mensuratur à conditione illius, qui illud offert, sed à conditione illius, cujus nomine offertur: sed illæ orationes, aut officia offeruntur pro defunctis, nomine Ecclesiæ; & non nomine sacerdotum iniquorum: ergo à dignitate Ecclesiæ, quoad valorem, sunt mensuranda; & non à conditione malorum sacerdotum. Minor probatur; quia valor doni ad Pontificem missum ab aliquo Rege, non mensuratur à nuntio illud offerente; sed à dignitate Regis illud mittentis, sic eleemosyna nomine Domini pauperibus elargita, per famulum iniquum, non perdit valorem satisfactionis, si dominus existat in gratia; quia famulus eam non erogat nomine proprio sed domini: Ergo etiam idem dicendum de orationibus, quæ fiunt nomine Ecclesiæ.

111. Dices: Si Dominus suo famulo, aut servo mandet, ut nomine suo jejunet pro animabus Purgatorii, quamvis dominus sit in gratia, si famulus in peccato mortali sit, non proderit jejunium illis animabus, quoad satisfactionem: ex eo quòd famulus indignitatem habeat: ergo etiam quamvis mali sacerdotes nomine Ecclesiæ orent; non proderunt animabus eæ orationes, quoad satisfactionem. Respondeo, negando consequentiam; dispar ratio est, quia famulus, quamvis nomine alterius jejunet, est illius jejunii causa principalis, & non dominus, cùm ergo famulus, illo jejunio, non possit pro se ipso satisfacere, ita non potest pro aliis; at orationes, quæ fiunt à malis ministris, etiam ut à causa principali, fiunt ab Ecclesia, Soar. *tom.* 3. *in* 3 *part. disp.* 77. *Sect.* 1. *vers. Considerare potest, ante medicum*: Ergo cùm Ecclesia sit sancta, illis orationibus pro animabus satisfacient. Et hoc ex solutione sequenti magis patebit.

112. Ad fundamentum oppositæ sententiæ *n.* 108. *allatum*, respondeo ad minorem, illas orationes non esse pœnales ipsi Ecclesiæ, quatenus Ecclesia importat unum corpus mysticum; quia sic physicè non patitur, quia est unum corpus fictum, & non reale: at si Ecclesia sumatur in suis membris, ut in corpore vero, & reali; tunc quando una illius pars, seu membrum patitur, Ecclesia dicitur pati: cùm verò ministri mali, nomine Ecclesiæ universalis, illas faciant orationes, non censentur factæ à seipsis, quamvis in seipsis, ut sunt membra Ecclesiæ, patiantur. Et sic illæ orationes, & officia erunt satisfactoria; quia Ecclesia in suo corpore est sancta, licèt aliquot illius ministri sint mali. Videantur Bardi & Nunûs *cit.* qui non multùm differunt ab hac responsione.

113. Inquires: Quando orationes, & suffragia censeantur facta nomine *Ecclesiæ* & quando nomine proprio? Respondet Navarr. *tract. de orat. cap.* 22. *n.* 40. tunc orationes nomine Ecclesiæ offerri, quando offerens sive clericus, sive laicus sit, utitur orationibus ab Ecclesia institutis ad orandum. At quamvis hæc sententia sit pia, & probabilis.

114. Probabilior tamen est suffragia, & orationes tunc fieri nomine Ecclesiæ, quando fiunt à ministris ab ea deputatis ex præcepto, vel ordinatione sua: alia verò, quæ dicuntur private authoritate, etiamsi sint ab Ecclesia instituta; nomine Ecclesiæ non videntur fieri: Sic Soar. *dicta disp.* 48. *Sect.* 8. *n.* 9. Bonac. etiam *dict. disp.* 6. *q.* 2. *punct.* 2. *n.* 7. Castr. Palao *super cit. n.* 5.

115. Secunda conditio, quæ requiritur ex parte offerentis suffragia pro defunctis, est intentio formalis, aut virtualis, illa pro ipsis, aut pro aliis, offerendi. Si autem suffragium satisfactionis pro multis defunctis, aut fidelibus vivis offeratur; illis prodest, pro quibus fuit applicatum; at minùs pro singulis, quàm si pro numero minori, fuisset oblatum: quia cùm sit finitum, per plures divisum, singulis minus competit; si autem pro uno tantùm offeratur, illi tantùm proderit, si capax sit; at si incapax inveniatur; quia jam est in gloria, vel gehenna, in Thesauro Ecclesiæ reponitur, aut potiùs ipsi offerenti proderit, ut *infra* dicetur *n.* 346.

116. Cæterum, si suffragium sit impetrationis directæ, etiam requiritur intentio, & magis est impetratorium pro his, pro quibus offertur, quàm pro aliis. At ex benignitate Dei, in qua præcipuè

impetratio fundatur; omnibus æquè prodest, pro quibus est oblatum, ac si pro minori numero offeratur. Et in hoc differunt inter se suffragium impetrationis, & satisfactionis; quia impetratio non consistit in solutione pretii, quod dividendum sit; at satisfactio, cùm consistat in solutione, dividenda est; & sic pro multis oblata, singulis minus competit. Ita docent Soar. *supra à n.* 22. Bonacin. *loco cit.* Castr. Palao *dict.* §. 4. *n.* 1. & alii quos citant.

117. Tertia conditio est, quòd opus, quod pro defunctis, aut fidelibus, suffragatur, sit bonum, & honestum: si enim Deo displicet, nec satisfactorium, nec impetratorium esse potest. Sic D. D. *cit.* Soar. *n.* 10. Castr. Palao *n.* 2. Dicastill. *tom.* 2. *de Sacram. tract.* 9. *disp.* 3. *n.* 24. *Et in dub.* 3. *ejusdem disp.* in qua agit de his conditionibus, illas ad plures reducit, at traditæ sufficiunt.

118. Inquires: An ut opera satisfactoria prosint defunctis, debeant pro illis applicari, antequam fiant, an sufficiat illa pro illis applicare, postquam sunt facta; v. g. recitat Petrus Rosarium pro anima sui amici in Purgatorio existente; sufficit ne applicatio, post Rosarii recitationem? Respondeo non sufficere; imò nec proderit indulgentia alicui recitationi annexa; si post recitationem applicetur. Ita Navarr. *in Miscell. de oratione.* Card. de Lug. *de pœnit. disp.* 26. *sect.* 3. *n.* 28 Henriq. Soar. Coninch. Trullench. quos refert, & sequitur Moya *tom.* 2. *q. q. select. tract.* 3. *disp.* 4. *n.* 8. *n.* 28. Ratio est, quia applicatio potest fieri, quando est in potestate applicantis: at non est in potestate applicantis, postquam est facta; aliter enim poterit operans suspendere applicationem suæ satisfactionis à tempore, quo illâ non indiget. Ad tempus, quo illâ indigebit. Non est tamen necessarium, quod applicatio immediatè præcedat opus satisfactorium, sed sufficit aliquibus diebus præcessisse: nam moraliter perseverat, dum non retractatur.

SECTIO XIII.

Quæ conditiones requirantur ex parte animarum Purgatorii, pro quibus suffragia offeruntur?

119. ALiquæ requiruntur conditiones ex parte illius, pro quo suffragium offertur: At ex parte animarum Purgatorii, de quibus hîc agimus, conditiones requisitæ, non indigent explicatione; nam primò, sunt in statu gratiæ: qui enim in statu peccati mortalis existit, indignus est alicujus pœnæ remissione, utpote dignus pœna æterna. Secundò suffragiis indigent: quia adhuc non sunt in patria: Beatis enim suffragia nostra non prosunt, nec ad pœnarum remissionem, nec ad alicujus boni impetrationem. Tertiò etiam illis indigent, quia culpa carent; & pro pœna debita adhuc plenè non satisfecerunt. Cùm ergo in his animabus dentur conditiones, quæ desiderantur ex parte illarum, pro quibus suffragia offeruntur; solùm superest an requiratur character Baptismalis.

120. Et conveniunt D. D. suffragia privata prodesse cathechumenis defunctis, si in Purgatorio detineantur, & pro illis applicentur. Ratio est, quia illis utiliter applicari valent, eo quòd nobis cum sunt conjuncti per fidem, & charitatem; & ut illis valeant applicari, hoc sufficit. Et confirmatur, quia catechumenus justus valet suam satisfactionem applicare pro justo defuncto, & fideli Baptisato: Ergo etiam Baptisatus justus pro catechumeno defuncto. Sic docent Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 48. *sect.* 6. *n.* 9. Vasq. *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 227. *cap.* 4. *in fine.* Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 24. *punct.* 1. §. 3. *n.* 5. Gasp. Hurt. *de sacrif. miss. disp.* 2. *difficult.* 5. *in fine.* Card. de Lug. *de pœnit. disp.* 26. *sect.* 2. *n.* 11. Barthol. à S. Faust. *l.* 2. *de sacram. indulg. q.* 80. Bard. *part.* 4. *tract.* 4. *cap.* 3. *n.* 3.

121. Majus dubium est: An sacrificium missæ, ut est satisfactorium Catechumenis defunctis prosit, & pro illis applicari possit? Respondeo, certum esse nec prodesse, nec applicari posse pro incompetentibus; quales sunt, qui ex sua negligentia, & culpa gravi non petierunt Baptismum: cùm enim hi in peccato mortali decesserint, pro illis sacrificium non offertur; sicut etiam nec pro baptisatis, qui in eo statu mortui sunt. Si autem competentes sint, quia Baptismum petierunt, & absque sua culpa sine illo sunt mortui? Communis opinio negat, & fundatur in decisione facta à Concil. Brachar. 1. Can. 15. ibi: *Item placuit, ut Catechumenis sine redemptione Baptismi defunctis, neque oblationis Sanctæ commemoratio, neque psallendi impendatur officium.* Hanc defendunt Soar. Vasq. Cardin. de Lug. Gasp. Hurt. Laym. quos refert, & sequitur Bardi *part.* 4. *tract.* 4. *cap.* 3. *n.* 7.

122. At non desunt authores, qui tuentur illis prodesse sacrificium missæ, sicut aliis defunctis characterem baptismalem habentibus: Hi sunt Lezana, *in summ. tom.* 4. *Verb. Missa n.* 7. cum Laym. & Card. de Lug. Ludov. à Cruce apud Bardi *supra* Fagund. *in* 1. *Eccles. præcept. l.* 3. *cap.* 12. *n.* 30. cum Henriq. & Tambor. *in Method. celeb. miss. l.* 2. *cap.* 2. §. 3. *n.* 3. & Barthol. à S. Faust. *l.* 2. *de Sacram. indulg. q.* 80. & idem videtur sentire Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *num.* 145. *in fine*, dum asserit Ecclesiam pro Catechumenis offerre missæ sacrificium. Cùm verò hæc sententia sit probabilis, poterit Sacerdos sine scrupulo applicare missam pro Catechumeno defuncto; quia certò illi proderit, quoad fructum impetrationis; quidquid in oppositum teneat Vasq. *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 227. *cap.* 3. & probabiliter quidem, quoad fructum satisfactionis. Et hæc sufficiant de hac quæstione, quia de de illa jam egimus *disp.* 2. *sect.* 1. ubi dicta ad hoc intentum videri possunt.

123. Conveniunt etiam D. D. non requiri specialem acceptationem illius, pro quo suffragium offertur; quia eo ignorante, illi applicari potest; quia sufficit generalis voluntas, quam unusquisque justus habet obtinendi remissionem pœnæ, & solvendi Deo, quâcunque ratione possit. Quare certum est, hanc acceptationem in animabus Purgatorii expressè necessariam non esse, & dato, quòd esset necessaria; illæ habent voluntatem, & summum desiderium obtinendi pœnæ remissionem; & sic acceptant suffragia pro se ipsis à fidelibus oblata. Et probabile est illas cognoscere per manifestationem suorum Angelorum custodum: ut tenent Ægid. Coninch. *de Sacram. disp.* 12. *dub.* 11. *num.* 17. Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 24. *punct.* 1. §. 3. *num.* 6. Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 48. *sect.* 7. *in fine.*

124. Conveniunt etiam, non esse necessarium, ut suffragia animabus Purgatorii prosint, quòd ipsæ dum erant in hac vita habuissent specialem devotionem

nem circa easdem animas; nam decedendo ab hac vita, in gratia. hæc suffragia meruerunt; ut videre est apud Valent. *disp.* 11. *q.* 1. *circa finem.* Castr. Palao *proximè*, *n.* 7.

SECTIO XIV.

An missæ sacrificium prosit animabus Purgatorii, quoad satisfactionem, & impetrationem?

125. Vidimus quomodò suffragia in communi, prosint defunctis, quoad satisfactionem, & impetrationem; & conditiones, quæ ex parte offerentium, & ipsorum defunctorum requirebantur; ut cum utilitate fierent ipsa suffragia. Nunc agemus breviter de ipsis suffragiis, quatenus habent aliquas rationes particulares. Ad has cognoscendas, supponendum est; suffragium vel esse ex opere operato, vel ex opere operantis: Suffragia ex opere operato sunt ea, quorum præcipuus, & intrinsecus valor est independens à dignitate subjecti, quod illa offert. Dixi valor præcipuus, & intrinsecus; quia minus præcipuus, extrinsecus consideratur per ordinem ad operantem; nam qui satisfacit, & offert suffragium, si sit Deo gratior, & majori devotione operetur; tunc suffragium præter illum valorem præcipuum, & intrinsecum, quem ex se habet; alium veluti extrinsecum, & accidentalem, per ordinem ad ipsum operantem, acquirit: suffragia verò ex opere operantis illa dicuntur; quæ totum suum valorem desumunt à dignitate operantis. Suffragia verò, quæ in considerationem venire possunt, an habeant effectum ex opere operato, respectu illorum, pro quibus offeruntur; sunt missæ sacrificium, Sacramentum Eucharistiæ, & indulgentiæ: de quibus in sequentibus agemus in ordinem ad animas Purgatorii; & incipiendo à sacrificio missæ.

126. Dico primò: Certum est de fide, sacrificium missæ esse satisfactorium pro animabus Purgatorii; ut definit Concil. *Trident. sess.* 22. *cap.* 2. his verbis: *Quare non solùm pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus; sed pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, ritè juxta Apostolorum traditionem offertur.* Idem etiam habetur, *in canon.* 3. *ejusdem sess. & sess.* 25. *in Decreto de Purgatorio, in principio sess.* & tradunt omnes D. D. *in* 3. *dist.* 54. ut videre est apud Soar. *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 78. *sect.* 3. *in fine*, & tenet communis usus, & constans universalis Ecclesiæ sensus.

127. Dico secundò: Valor missæ est ex opere operato; sive Sacerdos celebrans illam applicet sibi, sive aliis fidelibus vivis, aut defunctis. Ita Theologi communiter Soar. *super citat. disp.* 79. *sect.* 1. *vers. Dico primò* cum D. Thom. & aliis, quibus accedunt Card. Tolet. *instruct. Sacerd. l.* 2. *cap.* 8. *num.* 1. Bard. *part.* 4. *tract.* 3. *cap.* 1. *num.* 4. Abreus *de Paroch. l.* 4. *n.* 33. & alii. Probatur ratione, quia sicut sacrificium cruentum crucis, quo Christus Dominus in illa pro nobis se ipsum obtulit, est ex opere operato satisfactorium immediatè, nihil aliud requirens, ut in nobis habeat effectum, nisi ut nobis applicetur, & obicem non inveniat; ita etiam, & sacrificium incruentum, per quod idem Christus in missa offertur, est ex ipsomet opere immediatè satisfactorium; & nihil aliud requirit præter applicationem, & negationem obicis, ut prosit ex opere operato illis, pro quibus offertur, & applicatur.

128. Cùm verò hic valor missæ satisfactorius, sit ex opere operato, non dependet à sanctitate sacerdotis offerentis. Unde si ipse sacerdos sit in peccato mortali, hic effectus non impeditur in eo, pro quo applicatur; ut manifestatur *in Concil. Trid. sess.* 22. *cit. cap.* 1. dicente. *Et hac quidem illa munda oblatio est, quæ nullâ indignitate, aut malitiâ offerentium, inquinari potest.* Secus evenit in suffragio, cujus fructus est ex opere operantis; nam si ab homine in mortali peccato existente, fiat; nullum sortitur effectum.

129. Dico tertiò: Missæ sacrificium, præter effectum ex opere operato, habet ex vi suæ institutionis specialem vim ad impetrandos eos effectus, pro quibus obtinendis, offertur. Probatur ex usu Ecclesiæ, in qua semper observatum est, ut in oblatione hujus sacrificii oret minister pro vivis, & defunctis, pro Ecclesiæ pace, aliisque similibus rebus, & hominum necessitatibus. Sic Soar. *cit. disp.* 79. *sect.* 2. *Vers. Dico primò:* & magis expresse de defunctis, *disp.* 78. *sect.* 3. *in fine Vers. Tertiò loco.* Et ostenditur; quia quando aliquis postulat missam dicendam pro aliquo defuncto, datâ eleemosynâ, sacerdos non potest missæ sacrificium alteri applicare, ut impetratorium; sed totum sacrificii fructum, ut impetratorium, & satisfactorium tenetur, pro defuncto applicare, ut tenent communiter D. D. Bonac. *tom.* 1. *disp.* 4. *de Sacram. q. ult. punct.* 8. *n.* 15. & alii apud Dian. *part.* 6. *tract.* 6. *resol.* 9. Qui etiam cum Granad. id docet *part.* 11. *tract.* 6. *resol.* 40. *Vers. Nota tamen.* Idem autumat Tambor. *de sacrif. miss. l.* 3. *cap.* 1. §. 3. *n.* 12. *in simili casu.* Si ergo sacerdos teneatur missæ sacrificium, etiam quà impetratorium, pro defuncto offerre, illi ut tale utile est.

130. Ex his solvitur dubium, quod ex Bartholam. à S. Faust. *l.* 1. *de suffragiis q.* 53. affert Bard. *part.* 4. *tract.* 3. *cap.* 1. *n.* 11. An missa magis viventibus, quàm defunctis prosit? Et affirmant, quia vivis prodest secundùm triplicem rationem; nempe, ut sacrificium propitiatorium, seu satisfactorium, ut impetratorium, & ut meritorium: defunctis verò solùm quantum habet esse satisfactorium. Quod explicat Bardi; ut tantùm habeat remissionis pœnæ vivens, quantam habet defunctus luendam in Purgatorio; in aliis verò convenit cum Barthol. de S. Fausto. Et idem sentit Fraxinel. *de Sacerd. obligat. sect.* 3. *præmot.* 4. §. 3. *in Principio* apud Barbol. *in Collect. ad sess.* 22. *cap.* 2. *Trid. n.* 9. & Card. Tolet. *in instruct. Sacerd. l.* 2. *cap.* 8. *n.* 2.

131. Ergo tamen cum his D. D. consentio in eo, quòd asserunt, sacrificium missæ non se extendere ad defunctos quoad eos effectus, quorum sunt incapaces, ut sunt impetratio auxiliorum ad superandas tentationes, ad perseverandum in gratia, ad bona temporalia acquirenda, &c. at nego solùm esse capaces effectus satisfactionis; quia etiam sunt capaces suffragiorum per modum impetrationis; ut cum multis D. D. diximus *supra sect.* 9. *à n.* 65. sed sacrificium missæ non solùm est satisfactorium; sed etiam impetratorium, ut omnes concedimus: ergo non solùm prodest defunctis, ut satisfactorium est, sed etiam, ut impetratorium.

SECTIO XV.

An missa de Requiem magis defunctis sit utilis, quàm alia, & qui illam tenetur dicere determinatâ die, possit alia satisfacere?

132. SUpponendum est, sacrificium missæ magis prodesse defunctis, quàm omnia alia suffragia; est enim omnium excellentissimum; & in ordine ad remissionem inter omnia certissimum: nam principalis offerens est ipse Christus, modo quodam spirituali, ut declarat Soar. *tom. 3. in 3. part. disp. 77. sect. 1. Vers. Dico secundò.* Hoc supposito.

133. Ad primam tituli partem respondent D. D. Quoad valorem, ex opere operato omnes missas esse æquales; & sic æqualiter est utilis cuicumque defuncto missa de Requiem, ac quæcumque alia missa ex missali Romano. Sic Barthol. Ganant. *in rubric. missal. tom. 1. part. 3. in resol. dubit. pro defunctis §. 1. n. 1.* & idem expresè docuit D. Thom. *in 4. dist. 45. q. 2. art. 3. quæstiunc. 1. ad 5.* Rodrig. *inqq. Regul. tom. 1. q. 44. art. 8.* & ut certum supponunt alii.

134. Si verò attendamus ad valorem ex opere operantis, nempe ad preces, quæ in missa de Requiem directè, ad Liberationem animæ à pœnis Purgatorii, ordinantur, & sunt institutæ ab Ecclesia; magis utilis est missa ad Requiem, quàm alia quæcunque missa. Ratio est, quia preces illæ sunt directè, & specialiter ordinatæ ad juvandas animas in Purgatorio existentes: sed hæ non dantur in aliis missis, sed in missa de Requiem: ergo hæc animabus magis ex opere operantis prodest, & utilior est, quàm alia quælibet missa. Ita Gavant. *super cit. n. 3. & seqq.* Marchin. *de ordin. tract. 3. part. 2. cap. 25. n. 8. & 9.* Bard. *part. 4. tract. 3. cap. 1. n. 12.*

135. At Sylvest. *in summ. Verb. Missa 1. n. 8. Vers. Quintum in fine* asserit, quosdam non irrationabiliter dicere, nullam missam esse defunctis salubriorem, quàm propriam Dici; & citat supplem. & id videtur colligi *ex cap. 2. de celebr. miss.* & id approbat Tambor. *de sacrif. miss. l. 2. cap. 6. §. 2. n. 3. in fine*, dicens non solùm, quando missa votiva est dicenda pro defuncto, sed etiam de aliquo sancto.

136. At ego existimo non esse recedendum à communi sententia *n. præcedente tradita*; nam Ecclesia instituens missas quotidianas defunctorum, vult, quòd celebrentur in iis diebus, quibus ab ipsa Ecclesia permittitur; ut *sect. sequenti* videbimus.

137. Quod attinet ad secundam tituli partem: videlicet, an sacerdos, qui ex stipendio, vel fundatione alicujus Capellaniæ tenetur in aliquibus diebus missam de Requiem celebrare, vel de aliquo alio Sancto peccet, si currentem in illa die celebret; quando in ipsa die per rubricas non vetitur celebratio missæ, de Requiem?

138. Prima sententia asserit, peccare mortaliter. Ita Peyrinis *tom. 1. privilegiorum const. 5. Leonis X. num. 3.* dum inquit, sacerdotem dicentem alias missas à præscriptis peccare in re gravi contra fidelitatem; ideoque teneri ad aliquam compensationem. Idem tenet Sylvester *Verb. missa 1.* apud Dian. *part. 3. tract. 6. resol. 62.* Quod limitat idem Dian. ad causam, in quo eleemosyna notabiliter augeretur, ut illæ missæ determinatæ dicerentur; quod putat non esse improbabile Pellizar. *tom. 1. tract. 5. cap. 9. n. 144.* Et potest probari, quia talis Sacerdos infideliter agit, in non satisfaciendo, ut tenebatur.

139. Secunda sententia ex opposito sentit absque ulla Limitatione, & scrupulo, non peccare eum Sacerdotem, illam mutationem faciendo. Sic Villalob. *in summ. tom. 1. tract. 8. difficult. 91. n. 9.* Joann. de la Crus *in direct. conscient. part. 2. de sacrific. missa q. 4. dub. 2. conclus. 2.* Ledesm. *in summ. tom. 1. cap. 24. conclus. 6.* quos citat Dian. *part. 2. tract. 14. resolut. 31.* Pellizar. *ubi supra* Leand. *part. 2. tract. 8. disp. 7. q. 67.* His addi potest Soar. *tom. 3. in 3. part. disp. 83. sect. 3. vers. In quo est magna:* ubi inquit: quando aliquis ob stipendium, aut Capellaniæ institutionem, vel ob aliam similem causam, obligatur ad specialem missam dicendam; debet, si commodè potest; præscriptam obligationem implere; quamvis si absque scandalo id omittat, & missalis ordinem servet, non peccabit.

140. Tertia demum, & mihi probabilior sententia est media; asseritque esse peccatum veniale. Ita expresè Fr. Navarr. *de restit. l. 2. cap. 2. n. 248.* quem refert, & citat. Dian. *part. 3. tract. 6. resol. 62.* Eandem sententiam videntur docere Fagund. *in 1. Eccles. præcept. l. 3. cap. 9. n. 6.* Gavant. *dict. part. 3. tit. 13. n. 20. & 21.* & alii quos affert, & sequitur Dian. *part. 2. tract. 14. resol. 31.* & Bard. *ubi supra n. 13.* qui licet *solùm* dicant prædictum sacerdotem peccare; *& non* exprimant, an mortaliter, aut venialiter, censeo esse intelligendos de peccato veniali. Probatur, quòd detur obligatio celebrandi missam de Requiem; quia sacerdos accipiens stipendium, vel Capellaniam obligatur, juxta dispositionem tradentis eleemosynam, aut illius, qui Capellaniam fundavit: ergo tenetur servare pactum, juxta illorum dispositionem.

141. Quòd verò hæc obligatio sit tantùm sub peccato veniali, ostenditur: quia ad id tenetur ratione promissionis, & veracitatis; sed quando ex harum transgressione non sequitur notabile damnum solùm committitur peccatum veniale: ergo Probatur minor, quod non sequatur notabile damnum; quia sacerdos dicendo unam missam, pro altera de Requiem, solvit ad æqualitatem; nam omnes missæ sunt æqualis valoris ex opere operato; ut notat D. Thom. *in 4. dist. 45. q. 2. art. 3. quæstiunc. 1. ad 5.* Et quamvis detur aliqua inæqualitas in valore ex opere operantis; quia in missa de Requiem dantur aliquæ preces, quæ directè ad liberationem animæ funduntur; quæ in alia missa non ita inveniuntur; hæc tamen inæqualitas non videtur esse tanti momenti, ut notabile damnum causet in anima defuncti.

142. Et hujus ratio est, qui D. D. *proximè cit.* pro nostra sententia asserunt, hanc inæqualitatem suppleri posse per majorem sacerdotis offerentis missam devotionem, & sancti illius intercessionem, de quo dicitur missa; ut videre est apud Fagund. Dian. *locis cit.* & Barbos. *de paroch. cap. 11. num. 16. in fine*, vel per preces illius missæ, quam celebrat; ut cum Navarr. Fraxinell. & Beja tenet Bonac. *tom. 1. disp. 4. de Sacram. q. ult. punct. 7. §. 3. n. 5.* ergo si ita suppleri potest non est damnum notabile. Quare judico etiam dato hoc supplemento,

to, adhuc peccare venialiter sacerdotem; quia adhuc hanc mutationem ad suum libitum facere non potest. Imò addo non solùm venialiter, sed etiam mortaliter peccare, si illam mutationem faciat in casu, quo ad eam dicendam missam, quam pro alia mutat, notabile accipiat stipendium, ut *supra* docuerunt Sylvest. Dian & Pellizarius.

SECTIO XVI.

In quibus diebus missam de Requiem possit sacerdos celebrare?

143. UT hæc quæstio plenè percipiatur, adverto, plures D. D. ante decretum S. Congregat. de quo statim *n. sequente*, contra Barthol. ab Angel. *in exam. confess. dial.* 5. §. 466. Angel. *Verb. missa n.* 33. & Azor. apud Dian. *part.* 11. *tract.* 2. *resol.* 3. docuisse non peccare mortaliter sacerdotem, qui in diebus Dominicis, vel duplicibus celebraret missam privatam de Requiem, vel aliam votivam; ut defendebant Mirand. Zanard. Lamas. Villal. quos refert, & sequitur Dian. *part.* 2. *tract.* 14. *resol.* 30. & Dicastill. *de Sacram. tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 14. *num.* 273. apud ipsum Dian. *part.* 11. *loco citat.* & alii; qui Diana etiam citat, pro hac sententia Soar. *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 38. *sect.* 3. *vers. Dico primò.* At Soar. id expresè non asserit, licèt dicat non semper esse culpam dicere missam alterius diei, vel de alia re, quàm in missali præscribitur. Quod etiam docuerunt Arriag. *tom.* 7. *disp.* 56. *n.* 21. & Dicastill. *citatus.* Esse tamen veniale, celebrare missam in dictis diebus de Requiem, affirmarunt ante citatum decretum Dicastill. *citat.* Dian. *dict. part.* 11. Tambor. *de sacrif. miss. lib.* 2. *cap.* 6. §. 1. *n.* 5. & alii, quos citant. Ex ea ratione, quia datur contra rubricas aliqua boni ordinis turbatio.

144. At placita horum authorum jam non habent locum post decretum S. Congreg. editum 5. Augusti 1662. & ab Alexandro VII. approbatum; in quo disponitur, & statuitur non posse celebrari missas defunctorum in festis ritûs duplicis, ut videre est *in Constit. 176. & ultima ipsius Alexandri VII. apud tom.* 5. *Bullarii ab Angelo Zancusla, & Joannem Paulum collectum fol.* 426.

145. Post hoc decretum aliud emanavit ab eadem S. Congreg. Rituum, in una Novariensi, die 22. Novembris 1664. etiam ab Alexandro VII. approbatum in citata Constit. & in eo disponitur, & declaratur anniversaria, & missas cantatas defunctorum ex dispositione testatorum, quotannis, recurrente ipsorum obitus die celebrandas, tametsi dies obitus hujusmodi in festum ritûs duplicis majoris incideret, non comprehendi in allato decreto *n. precedente*; ut constat ex citata Constitutione Alexandri VII. dicto *num.* 44.

146. De aliis duobus decretis ejusdem S. Congreg. Rituum mentionem faciunt authores. In primo, 23. Maii 1603. edito, disponitur, posse celebrari missam de Requiem in Ecclesia, in qua existit corpus in sepultum, ubi consuetudo viget sepeliendi defunctos simul cum missa; licèt ipse dies sit festus, aut Dominicus. Sic habetur apud Gavant. *in rubric. Missal. part.* 1. *tit.* 5. *n.* 2. *litt. X.* Barbol. *de officio, & pot. Paroch. part.* 1. *cap.* 11. *n.* 25. Abreum *de Paroch. lib.* 4. *cap.* 18. *n.* 146. Tambor. *in Meth. celebr. miss. lib.* 2. *cap.* 6. §. 1. *n.* 8. Hanc tamen dispositionem limitant prædict. authores, *ex Ritual. Roman. Pauli V. de Exequiis*, in die Resurrectionis, & alio multum solemni: nam ob reverentiam eorum dierum debet officium sepulturæ, in sequentem diem non impeditum, transferri.

147. In secundo decreto ejusdem S. Congreg. 1. Septembris 1687. & 20. Junii 1626. Censuit eadem S. Congreg. posse in diebus duplicibus, qui non sunt ex præcepto, tolerari, quòd missæ de Requiem celebrentur, ut testatorum voluntates adimpleantur. Sic invenies apud Gavant. *cit. dict. tit.* 5. *vers. Sacra tamen*, Barbos. *super. cit. n.* 26. Abreu *dict. num.* 146. Tambor. *dict. cap.* 6. §. 2. *n.* 1. Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap. n.* 124.

148. Ex hac tolerantia colligunt primò *cit authores*, majorem facultatem sacerdotibus concedi ob fundamentorum voluntates, à quibus acceperunt statutum stipendium, quàm ob aliam causam. Unde notant ex præfata S. Congreg. illam non dicere ex arbitrio vivorum, sed pro implenda lege defunctorum.

149. Secundò colligunt, hanc tolerantiam non extendi ad alias vivorum fundationes, quamvis stabiles: quia S. Congreg. ultimis tantùm voluit favere voluntatibus legata relinquentium in suarum, vel aliorum animarum subsidium; sive ob gratitudinem legati relicti, sive ad alliciendos animos ad similes dispositiones. Sic Tambor. *ubi supra dict.* §. 2. *n.* 1. Alia circa altaria privilegiata ex allata tolerantia colligere poterant; non obstante, quòd in Brevibus notetur, quòd missæ in illis celebrandæ esse debeant de Requiem de facto colligunt Gavant. *cit.* & Pellizar. *proximè dict. cap.* 2. *n.* 124. Sed quid sit tenendum circa altaria privilegiata dicemus *infra n.* 196.

150. Circa hæc duo ultima decreta S. Congreg. potest esse aliqua dubitatio; an post Constit. Alexandri VII. *n.* 144. citatam, habeant locum. Ratio est quia in ea S. Pontifex de illis mentionem non fecit, sicut de aliis *n.* 144. *&* 145. *allegatis*, fecerat. Quare existimo ubi viget consuetudo sepeliendi defunctos simul cum missa, posse celebrari missam de Requiem in ea Ecclesia, in qua existit corpus insepultum, quamvis dies sit festus, sive Dominica. Ratio est, quia datur declaratio S. Congreg. ut tenent citati authores; & Alexander VII. *in cit. Constit.* eam consuetudinem non revocat.

151. Aliter dicendum arbitror de alio decreto S. Congreg. circa tolerantiam celebrandi missam de Requiem in diebus duplicibus, qui non sunt ex præcepto; de quo tractant D. D. ut vidimus *num.* 147. Ratio est, quia Alexander VII. *in sua Constit. 176. supra citata* de hoc decreto nullam facit mentionem, cùm faciat de alio decreto S. Congreg. circa dispositiones testatorum, ut vidimus *n.* 145. Et hoc decretum S. Congreg. circa tolerantiam missarum de Requiem in duplicibus, qui non sunt ex præcepto, hic locum habere poterat; quia ut inquiunt præfati authores, id decretum erat circa dispositiones testatorum. Quare existimo standum esse pro decreto S. Congreg. quod Alexander approbavit, ut constat ex sua constit. & ex dictis *n.* 145. Hactenus dictum est, quando missæ de Requiem sint celebrandæ juxta dispositiones S. Congreg. Nunc dicendum per sequentes conclusiones, quando sint celebrandæ juxta rubricas missalis.

152. Dico

SECTIO XVII.

De missis defunctorum in Altari privilegiato.

161. PErutilis est hæc quæstio, & ad quotidianam praxim maximè necessaria, ob multa dubia, quæ complectitur. Propono ejusmodi Brevium communem formulam. Quæ sic habet.

162. *Ad futuram, &c. Volentes Ecclesiam N. in qua aliud altare privilegiatum non reperitur erectum; dummodo in ea septem missa quotidiana celebrentur, & in ea sit altare Sancti N. nuncupatum, hoc speciali dono illustrare. Dei misericordiâ, &c. confisi, ut quandecumque sacerdos aliquis ejusdem Ecclesiæ duntaxat, missam defunctorum in die commemorationis defunctorum, & singulis diebus, infra octavam illius, ac feriâ secundâ cujuslibet hebdomadæ, pro animâ cujuscumque fidelium defunctorum, ad præfatum altare celebrabit, anima ipsa, de Thesauro Ecclesiæ, per modum suffragii, indulgentiam consequatur; sicut Domino Nostri, &c. Suffragantibus meritis, à Purgatorii pœnis liberetur, concedimus. Præsentibus ad septennium tantùm valituris. Datum, &c.* Hæc est forma hodie consueta: Alia invenit Brevia à Gregorio XV. concessa, quæ non habebant limitationem dierum, nisi impeditorum, nec sacerdotum, & perpetuò erant valitura, alia à S. D. & Innocentio XI. cum limitatione dierum & temporis, at non sacerdotum. Circa clausulas Brevis transcripti, hæc sequentia dubia ad praxim enodantur.

163. Primum dubium circa clausulam: *In qua non reperitur aliud altare privilegiatum.* Inquirit, quomodo sit intelligenda? Respondeo, esse intelligendam de Altari privilegiato, quod jam concessum sit eidem Ecclesiæ, eo modo, & pro eisdem defunctis, & pro eisdem personis, & cum eisdem requisitis. Et sic posterior concessio est subreptitia: Fundatur enim hæc clausula in regul. 57. Cancellariæ; in qua statuitur duas indulgentias esse incompatibiles in eodem loco; de quo videri potest. Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 57. *sect.* 2. *num.* 12. Caltr. Palao *tom.* 4. *tract.* 24. *punct.* 4. *num.* 13. Si tamen concessio posterior Altaris privilegiati sit diversa, quoad aliquas, vel aliquam circumstantiam magni momenti; tunc hæc ultima concessio est valida, etiamsi in petitione facta non sit mentio prioris concessionis. Sic in simili Quintanaduenas *tom.* 1. *tract.* 8. *appendic. dub.* 4. *à num.* 1. Et in præsenti dubio id probant, quæ affert Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *cap.* 26. *num.* 519. in quo, inquit, se legisse quoddam rescriptum Illustrissimi Nuntii Viennensis, ad D. D. Parochum Halensem, in quo erant hæc verba: *Possunt in eadem Ecclesia præter unum Altare privilegiatum, pro animabus generatim, esse plura alia pro animabus e variis confraternitatibus defunctorum.*

164. Addit idem Gobat. in fine ejusdem n. se accepisse, anno millesimo sexcentesimo, quinquagesimo 18. Junii tria Brevia ex Urbe sibi missa, pro tribus altaribus privilegiatis cum hac explicatione: *Circa altare privilegiatum pro omnibus fidelibus clausula alia: similis ad præsens privilegio concessa, intelligenda est bene; neque enim præjudicant aliis altaria privilegiata, cùm sint pro animabus confraternitatum, &c. prout considerantibus patebit; & pro hoc excludimur altare simile pro omnibus, vel altare simile pro iisdem fraternitatibus, non verò altare, pro alia confraternitate, &c.* Et ita Laurentius Koler quotidianus Procurator horum, & aliorum Brevium, Bonagrat. *in summul. select. q. Regul. Verb. indulgentia a n.* 229. quos refert, & sequitur idem Gobat *citat.*

165. Ex hac doctrina resolvi sequentem casum. Anno 1673. pervenit ad domum Professum Societatis JESU S. Roquii hujus civitatis quoddam Breve altaris priviligiati, quod S. Pontifex concedebat altari maximo ejusdem Ecclesiæ, ad instantiam Serenissimi Ducis Florentiæ, & cum majori extensione in communibus Brevibus non solitâ. At in eadem Ecclesia jam erat concessum Altare priviligiatum, altari cujusdam confraternitatis, quæ nuncupatur *da Dottrina*, pro suis defunctis confratribus, Et non obstantibus rationibus cujusdam viri docti nostræ Societatis JESU, nixus in verbis posterioris Brevis, in quo dabatur clausula prædicta. In qua nullum aliud altare priviligiatum reperitur concessum; asserui, per hanc clausulam, non manere subreptitium hoc Breve posterius, ex rationibus *supra allatis*; & ita ad praxim, adhibitis aliis requisitis fuit deductum.

§. I.

Explicatur secunda, tertia, & quarta clausula Brevis Altaris privilegiati.

166. SEcundum dubium circa secundam clausulam, quæ sic habet: *Dummodo in ea septem missa quotidie celebrentur.* In aliis Brevibus, plures, aut pauciores, aut nullæ missæ designantur. Quare ea, quæ de numero septenario dixerimus, applicanda sunt majori, vel minori missarum numero; si enim nullæ assignentur, cessat dubium.

167. Respondeo: si numerus sacerdotum, seu missarum fuit tantum expressus in narrativa petentium hoc privilegium, erit validum privilegium, etiamsi non dentur tot missæ quotidianæ in ea Ecclesia. Ratio est, quia narrativa in supplicatione non habet vim conditionis. Ita Bord. *tom.* 3. *resol.* 91. *n.* 8.

168. At si dictus numerus importet conditionem, ut importat in prædicta formula Brevis; quia dictio *Dummodo* jungitur dispositioni, & non executioni, juxta ea, quæ cum pluribus docet Barbos. *de diction. usu frequent. dict.* 95. *n.* 6. & nos diximus *supra disp.* 25. *a n.* 284. Respondeo cum distinctione: si quando privilegium hoc fuit ab Ecclesia acceptum, non celebrabantur tot missæ quotidie in ea Ecclesia; validum non est privilegium. Ratio est, quia deficiente conditione, sub qua actus conceditur, corruit ipse actus, ut cum communi tenet Sanch. *l.* 3. *de matr. disp.* 5. *n.* 2.

169. Si autem privilegium Altaris priviligiati ritè acceptum, ab initio habebat tot missas in Brevi requisitas, quæ non dicerunt culpâ, aut negligentiâ Rectoris ipsius Ecclesiæ; desierunt tamen, validum permanebit privilegium altaris priviligiati. Sic Bordon. *cit.* & idem videtur asserere Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 5. *num.* 207. *Vers. Respondet Bordon.* quamvis id non exprimat, sed tantum referat Bordonum; apud ipsum idem tenent Lanez. & Naldus *Verb. Candida n.* 4. Ratio conclusionis est; quia sufficit semel conditionem adimpletam fuisse, & si postea defuit. *l. si quis hæredem C. de institu. & substit.*

170. Inquires tamen primò: An si quotidie

non celebrentur missæ requisitæ in Brevi; ob morbum, aut aliud extraordinarium impedimentum, sed tantùm quinque, aut sex, reddatur privilegium invalidum? Respondeo negative, cum Gobat. *tom. 2. tract. 4. cap. 26. n. 520.* Bonagratia *in summul. select. qq. Regul. Verb. indulgentia n. 299.*

171. Probatur primò, quia in materia Indulgentiarum parvus defectus, pro nihil reputatur, ut tenet Gobat. *dict. tract. 4. cap. 17. n. 190.* cum Soar. Castr. Palao, Laym. Filliuc. Bonacin. Dian. & aliis: Sed defectus unius, vel alterius missæ respectu numeri septenis, est parvus: Ergo.

172. Secundò probatur, quia ut docet Bonagratia *cit.* ex Felin. dictiones: *Quotidie*, *semper*, *sine intermissione*, *Continuò*, intelligendas esse civiliter; ita ut *quotidie* dicatur, quod fit absque intervallo interposito; *continuo* quod sit horis competentibus, ut inquit cum pluribus Barbos. *de dict. usu freq. dict. 68. n. 2. & n. 4.* asserens diu, habitasse in civitate illum civem, qui vindemiæ gratia, per tres menses singulis annis ruri versaretur: ergo idem etiam dicendum de dictione, *quotidie* in Brevi apposita.

173. Tertiò probatur, quia dictio *celebrentur*, idem significat, ac *soleant celebrari* juxta *l. Labeo ff. de supell. leg.* Sed quamvis deficiant aliquæ missæ in aliquibus diebus, adhuc propriissime dicitur, eas septem missas solere in ea Ecclesia celebrari: Ergo.

174. Ex his sequitur, non esse admittendum valere Altare priviligiatum concessum Ecclesiæ Regularium cum clausula: ut in conventu sint septem sacerdotes ex majori parte; si in eo conventu non sint per septem menses, septem sacerdotes; quia sic non sunt, per majorem anni partem, in eo conventu septem sacerdotes; quod requiritur, ut conditio sine qua non. Sic Gobat. *cit.* quod limitat Bordon. quando numerus septem sacerdotum fuit in narrativa expressum, & non ut conditio appositus. Vide illum, ubi hoc videtur amplius extendere.

175. Secundò sequitur, non concidere dictum privilegium, si ob inversum hostilem in ejusmodi Ecclesia non celebrentur missæ per integrum mensem, aut annum; ut probant rationes allatæ, & ita in casu occurrente fuit praticatum, ut referunt Bonagratia *loco cit.* & Gobat. *dict. tract. 4. n. 521.*

176. Tertium dubium circa tertiam clausulam; nempe: *Dummodo in ea sit altare Sanct. N.* Respondeo cum Gobat. *cit. n. 522.* hanc clausulam debere intelligi: Hanc indulgentiam concedi dependentem ab omni illa machina, quæ absolutè nuncupatur altare: non autem dependenter à sola arula, seu altari mobili, licèt verba Brevis etiam illi aptari possint; dummodo in eo loco persistat.

177. Quartum dubium circa quartam clausulam; quæ sic est: *Sacerdos ejusdem Ecclesia*; Respondeo, hanc clausulam debere intelligi, quòd sacerdotes, qui hanc indulgentiam plenariam pro defuncto applicant, debeant esse ex illa Ecclesia; nam si ex alia sint, eam applicare non possunt.

178. Qui autem sacerdotes dici possunt ejus Ecclesiæ? Respondeo: Omnes qui in ea Ecclesia beneficium qualecunque, coperaturam, coadiutoriam, aut expectantiam obtinent. Ita Gobat. *supra n. 523.* qui id extendit ad cantores, & Organædos servitio illius Ecclesiæ addictos, si sint sacerdotio insignes. Qui autem dicantur sacerdotio insignes, non explicat. Ego autem censeo ad omnes quoscunque sacerdotes, qui in ea Ecclesia aliquod munus obeunt, extendi; nec non ad illos, qui in ea parochia commorantur: nam hi omnes dicuntur propriissimè sacerdotes illius Ecclesiæ.

§. II.

Explicatur quinta Brevis clausula, nempe: Missam defunctorum?

179. Circa hanc clausulam sit quintum dubium: An sacerdos obligatus ad celebrandum in Altari priviligiato pro animâ alicujus defuncti, suæ obligationi satisfaciat, si dicat missam eo die occurrentem, & non de Requiem? Respondeo, in hoc dubio triplicem datam fuisse sententiam ante decretum Alexandri VII. & illius extensionem à Clemente IX. factam, de quibus *infra à n. 186.*

180. Prima, & communis sententia absolutè negabat, sive in Brevi dicatur, quòd missa sit defunctorum, sive id non exprimatur. Sic Barbos. *in collect. ad Bullarium, Verb. missa defunctorum.* Lezan. *tom. 3. summ. Verb. Altare n. 19. & Verb. missa n. 48.* Gavant. *part. 1. tit. 9. n. 16.* Diana *part. 4. tract. 4. resol. 233.* Carill. *in Bullam defunctorum 2. part. cap. 12. n. 27.* Rodrig. *tom. 2. qq Regul. q. 96. art. 6.* Marchin. *de Ordin. part. 2. cap. 26.* Gobat. *tom. 2. tract. 4. n. 524.* Mascarenh. *de Sacram. tract. 5. n. 130. vers. Hic advertendum, in fine*, & alii. Probabant ex quadam declaratione S. Congreg. rituum, quæ sic habet. *Missa celebrata in Altari priviligiato pro defunctis, non suffragatur, nec indulto satisfit, nisi sit de Requiem; licèt in indulto non exprimatur.* Et nullam aliam assignabant rationem.

181. Secunda sententia absolutè affirmabat sufficere quamlibet missam, etiam in casu, quòd in formula Brevis dicatur, quòd missa sit defunctorum. Ita Navarr. *de pœnit. & remiss. Consil. 37.* Terol. *in praxi Episcop. 2. part. Verb. missa §. 7.* Marchantius *in horto Pastorum l. 2. tract. 5. sect. 5. propos. 2. quæst. 3.* Maldus *in summ. vers. missa n. 21.* Hanc sententiam non improbabilem dicunt Theophil. Raynaud. *tom. 15.* (ex viginti, quos composuit, hic eruditus vir) *part. 2. Sect. 3. punct. 4. n. 31.* Pellizar. *tom. 1. tract. 5. cap. 1. n. 81.* & speculativè probabilem asservit Lezan. *loco citato tom. 3.* licèt Theophil. addat, tutius, ac certius esse celebrare missam de Requiem, juxta formulam, quæ pro defunctis composita est.

182. Probabant primò, quia non minus satisfactoria est pro defunctis, quælibet alia missa, sive de Sancto, sive de feria, quàm missa de Requiem. Secundò, quia teste Dian. *proximè cit.* Sacra Rituum Congreg. declaravit, non posse dici in Altari priviligiato missam de Requiem in die assignato pro dicto Altari priviligiato; si eo die concurrat festum duplex, aut de præcepto: Sed hi dies sæpius concurrunt: ergo raro continget privilegium præfati altaris animabus suffragari. Non est tamen præsumendum, S. ac piam matrem Ecclesiam, aliàs animabus Purgatorii propitiam, velle animas privari illo suffragio, quando nullum aliud in contrarium affertur fundamentum, nisi illa S. Congregationis declaratio.

183. Tertia sententia erat media inter primam, & secundam; asserebatque: Quando in formula Brevis nulla fit mentio de missa defunctorum, sufficere quamlibet missam, sive de Sancto, sive de feria, illo die currentem: Si verò in formula Brevis exigatur missa defunctorum, tunc si dies non sit impedita cum festo de præcepto, vel duplici, de-

functorum missa est celebranda, ut anima à pœnis Purgatorii liberetur: nam conditio, cùm sit sine qua non, & inducat formam, est observanda: aliàs enim anima à Purgatorio non liberabitur. Ita Bordon. *dict. tom. 3. resol. 91. n. 6.* Tambor. *in Method. celebr. miss. l. 2. cap. 6. §. 6. n. 2. & 3.* & cum utroque Rodrig. Emman. & Hieron. & Navarr. Moya *tom. 2. q. 9. select. tract. 3. disp. 4 q. 8. n. 22. in fine.*

184. Ad declarationes S. Congreg. respondebant authores secundæ & tertiæ sententiæ, quæ tantùm illis contraiabantur, primò; eas non facere legem universalem, quia requisita ad legem non habent; sed tantùm opinionem probabilem, non ablatâ opinionis contrariæ probabilitate; ut notant D. D. apud Fagund. *in 2. decal. precept. l. 8. cap. 8. n. 35.* Laym. *l. 1. tract. 4. cap. 7. §. 7.* Granad. *2. 2. constr. 1. tract. 15. disp. 14. sect. 2. num. 8.* & alii, quos citavimus *disp. 1. num. 101.* Sic respondet Pellizar.

185. Secundò; eas declarationes solùm respicere forum externum, & obligationem in eo contractam à sacerdote, qui pepigerat de celebratione pro defuncto in Altari priviligiato: at resolutio solùm procedit in foro Dei: & hic idem est, sive missa dicatur de sancto, sive de feria occurrente, sive de Requiem. Sic respondet Raynaud. Tertiò, de illis declarationibus non satis constare authenticè. Ita Tamborin.

§. III.

Proponitur vera resolutio.

186. HÆ tamen sententiæ manent jam inveteratæ; & falsæ, quæ authores ad S. Congreg. declarationes *num.* 184. respondebant, post Const. 176. Alexandri VII. & ultimam, *in 5. tom.* Bullaris fol. 426. & Const. 39. Clementis IX. in eodem tom. fol. 476. Nam Alexander VII. in dict. Const. quæ incipit *Credita nobis*, edita 22. Januarii 1667. declaravit, quoad altaria perpetuò priviligiata, in quibus quotidie, etiam in festis ritûs duplicis, celebrandæ essent missæ de Requiem ex obligatione; per celebrationem missarum de festo currenti, satisfieri injunctis obligationibus; & indulgentias per ejusmodi privilegia Apostolica concessas, animabus fidelium defunctorum in Purgatorio existentibus suffragari; perinde, ac si celebratæ fuissent missæ defunctorum ad formam dictorum privilegiorum, ibi: *Ulterius quoad altaria perpetuo privilegiata, & in quibus proinde quotidie, etiam in duplicibus, celebranda sint missa de Requiem ex obligatione, authoritate, & tenore predictis, declaramus per celebrationem missarum de festo currenti satisfieri dictis obligationibus, & suffragari cum eisdem indulgentiis, perinde, ac si essent celebrata missa de Requiem ad formam privilegiorum: salva tamen semper in premissis authoritate supra dicta congregationis.* Sic. S. Pontifex.

187. Ex hoc decreto Alexandri VII. sequitur primò, si missæ ex obligatione, quia defunctus in suo Testamento, vel extra illud, eas mandavit celebrare pro sua, vel alterius anima, sint dicendæ in altari perpetuò privilegiato, & in quo ex Brevi Pontificio conceditur pro omnibus hebdomadæ diebus celebrari pro anima cujuslibet cum indulgentia liberandi animam à Purgatorio, posse sacerdotem, in quolibet die cum missa de festo currenti, satisfacere obligationi missæ celebrandæ, & cum illâ animam à Purgatorio liberare, si in illius pœnis existat; etiamsi in Brevi concessionis Altaris privilegiati dicatur, quòd missa celebranda sit de Requiem, seu defunctorum. Ratio est, quia ita in prædictis verbis à S. Pontifice conceditur.

188. Secundò sequitur, non posse sacerdotem in Altari perpetuò privilegiato, & in quo conceditur quotidie celebrari pro anima alicujus defuncti, illam liberare à pœnis Purgatorii; si missa dicenda sit ex devotione alicujus, qui eam mandavit celebrare; nisi missa dicenda in eo Altari sit de Requiem, quam celebrare non potest in diebus duplicibus, & in aliis designatis *supra n.* 154. Ratio est, quia in cit. Const. Alexandri VII. non conceditur in eo Altari celebrari missas de Requiem diebus duplicibus, quando ex missæ ex devotione sunt celebrandæ; & sine missa de Requiem, ex devotione celebratâ, anima à Purgatorii pœnis non potest liberari; nisi id concedat S. Pontifex, qui hactenus id non concessit Altari perpetuò privilegiato, in quo etiam quotidie celebrari conceditur; nec etiam concedit, quòd sit de festo currenti.

189. Hactenus dictum est de declaratione facta ab Alexandro VII. circa missas celebrandas in Altari perpetuò privilegiato & circa missas obligatione celebrandas. Secus dicendum juxta extentionem hujus declarationis à Clemente IX. factam. in Constit. *supra citatâ*, quæ incipit: *Cum felic. record. Alexander VII.* edita 23. Septembris, 1669. in qua extenditur facultas celebrandi de festo currenti, in quo missæ de Requiem non possunt celebrari, ad altaria priviligiata non perpetua, sed ad septennium, vel aliud brevius, vel longius tempus concessa, & ad concessa non pro omnibus hebdomadæ diebus, sed pro aliquibus. Et id privilegium extendit non tantùm, promissis ex obligatione, sed etiam ex devotione celebrandi: ut patet ex verbis sequentibus dictæ Constitutionis; quæ sic habent §. 3. *Hinc est, quòd nos dubitationes hujusmodi, ex injuncta nobis celitus pastoralis solicitudinis munere, dirimere pariter, atque decidere cupientes, de venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus prepositorum, qui rem maturè perpenderunt, consilio; declarationem à memorato Alexandro predecessore, sicut premittitur editam, ad Altaria, ut præstur, non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius, vel longius tempus, ac non omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus, nunc & in futurum quandocunque privilegiata, authoritate Apostolicâ tenore præsentium extendimus. Et proinde, ut missa, quæ ibidem de festo currenti, in quæ missæ defunctorum celebrari non possint, sive ex obligatione, sive ex sola fidelium devotione celebrabuntur, suffragentur, ita ut anima Christi fidelium, pro quibus celebrata fuerint indulgentias, per privilegia hujusmodi concessas, consequantur in omnibus, & per omnia perinde, ac si missa defunctorum ad formam eorundem privilegiorum celebrata fuissent, authoritate, & tenore predictis concedimus, & indulgemus, &c.*

190. Ex his sequitur primò, posse sacerdotes missas de festo currenti celebrare in altari privilegiato iis diebus, in quibus non possunt juxta *supra dicta n.* 154. missas de Requiem celebrare; dummodo Altaria privilegiata ex Brevi Pontificio sint concessa ad tempus definitum, v. g. ad septennium, vel ad 20. & 30. aut amplius annos; vel ad tempus brevius, v. g. ad quinque annos; & sic cum ea

missa dici currentis liberabitur anima defuncti à pœnis Purgatorii, si in illo existat. Sic constat ex dicta Const. & extensione facta ad Const. Alexandri VII. per Clementem IX.

191. Secundò sequitur, posse sacerdotes celebrare missas dici currentis in dictis Altaribus privilegiatis, non solùm quando ex obligatione ad id tenentur, quia à defunctis per suas ultimas voluntates, seu testamenta eæ missæ fuerunt injunctæ, seu mandatæ celebrari; sed etiam quando ex propria, vel fidelium devotione in iis Altaribus celebrari jubentur. Quia hac cum amplitudine à Clemente IX. conceditur. Non tamen ab eo conceditur, quòd missæ dici currentis ex devotione celebrentur in Altaribus perpetuò, & pro omnibus hebdomadæ diebus privilegiatis.

192. Et quid dicendum, quando indulgentia Altaris privilegiati ex Pontificis concessione est perpetua, non tamen est concessa pro omnibus hebdomadæ diebus, sed pro uno, vel aliquibus? Respondeo, posse sacerdotes in his Altaribus privilegiatis iis diebus, in quibus missæ defunctorum celebrari non possunt, ut *supra vidimus n.* 154. cum missa dici currente Liberare animam à pœnis Purgatorii. Quod probo, quia Clemens IX. extendit in sua Const. Alexandri VII. Constitutionem, quæ erat tantùm concessa pro Altaribus privilegiatis, tam in perpetuum, quàm pro omnibus hebdomadæ diebus ad Altaria privilegiata, non in perpetuum, nec etiam pro omnibus hebdomadæ diebus concessa: ibi, *declarationem à memorato Alexandro prædecessore, sicut præmittitur editam ad Altaria, ut præfertur, non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius, vel longius tempus, ac non omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantùm hebdomadæ diebus, nunc & in futurum, quandocunque privilegiata authoritate Apostolicâ tenore præsentium extendimus*; sed prædictum Altare privilegiatum, de quo agimus, licèt sit perpetuum, non est tamen illius indulgentia pro omnibus, sed pro uno, vel aliquibus hebdomadæ diebus concessa: Ergo illud comprehendit extensio à Clemente XI. facta.

193. Confirmatur, quia Clemens IX. in allatis verbis extensionis, utitur dictione, *quandocunque*, quæ comprehendit omnem modum, omnemque qualitatem, & ut universalis omnia, etiam in materia odiosa: ut pluribus relatis asserit Barbos. *in tract. de dictum dict.* 308. *n.* 2. & 3. ergo dicta extensio comprehendit tàm altaria in perpetuum concessa; quàm altaria pro uno, vel aliquibus hebdomadæ diebus concessa.

194. Ex tradita ratione, & illius confirmatione infero resolutionem sequentis casus: Si S. Pontifex concedat altare privilegiatum non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius, vel longius tempus; non tamen pro uno, vel aliquibus, sed pro omnibus hebdomadæ diebus, adhuc ad illud Const. Clementis IX. extenderetur. Et hujus ratio est, quia extendit Constitutionem Alexandri VII. tàm ad altaria privilegiata, non in perpetuum concessa, quàm pro uno, vel aliquibus hebdomadæ diebus concessa: ergo licèt non extendatur ad hoc altare, de quo agimus prout est concessum pro omnibus hebdomadæ diebus, ad illud extenditur, ex eo quòd non in perpetuum sit concessum. Dictio enim *quandocunque*, qua utitur S. Pontifex in sua Constitutione comprehendit utrumque modum.

§. IV.

Explicatur sexta clausula Brevis altaris privilegiati.

195. SExtum dubium circa sextam clausulam, quæ est. *In die commemorationis defunctorum*, sic proponitur: An in die commemorationis defunctorum, teneantur omnes sacerdotes, ex aliquo præcepto Ecclesiæ, applicare missam pro omnibus fidelibus defunctis? Prima sententia est affirmativa, illam tuentur Gavant. *part.* 4. *in rubric. missal. tit.* 15. *num.* 18. Fraxinell. *de obligat. Sacerd. sect.* 4. *conclus.* 4. §. 22. & habetur in ordine recitandi officii, quotannis in lucem edito à Doctissimo Joanne Serrano hujus Ulyssiponensis Diœcesis Vicario Generali, & S. Thomæ Parochiæ Priore dignissimo, qui secundâ die Novembris, ita declarat: *Missa privata dicuntur hodie generaliter, nullâ habitâ ratione particularium obligationum.*

196. Probari potest hæc sententia primò, quia ita consuetudine introductum videtur. Secundò, quia ita in titulo primæ missæ defunctorum habetur: *Missa in commemoratione omnium fidelium defunctorum*: Ergo si hæc missa sit dicenda, habenda non est ratio particularis applicationis. Tertiò, quia oratio est generalis pro omnibus defunctis: Ergo etiam applicatio. Quartò, quia ita præsumitur de pietate fundatorum volentium suis missis eo die juvare omnes defunctos. Quintò, quia intentio Ecclesiæ est, quòd omnes animæ, aliis suffragiis destitutæ, eo die omnibus Ecclesiæ missis, & aliis suffragiis, adjuventur. Hæc sententia est probabilis.

197. Probabilior tamen est negativa, quam communiter tuentur authores. Ratio prima est; quia non est inducenda obligatio sine aliquo jure, & fundamento expresso: Sed nullum datur jus, aut fundamentum, quod imponat onus omnibus Sacerdotibus, missas eo die offerendi, pro omnibus defunctis: Ergo sacerdotes eo die eam obligationem non habent. Ratio secunda; quia S. Pontifex in Brevibus pro Altari privilegiato concedit, quòd die commemorationis defunctorum possit anima cujuscunque defuncti à pœnis Purgatorii Liberari, per missam defunctorum, in eo altari celebratam: Ergo missa potest eo die, pro eo tantùm defuncto, applicari; nam quæ pro omnibus defunctis applicatur, non liberat animam à pœnis Purgatorii, *ut infra videbimus n.* 210. Et ita defendunt Alphons. de Leone *de officio, & potest. confess. tempore Jubil. part.* 3. *n.* 21. Pellizar. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 9. *n.* 21. & alii docti Neoterici ab eo consulti, Tambor. *in Method. celebrand. missa lib.* 3. *cap.* 3. §. 1. *n.* 10. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *n.* 525. Abreu *de Paroch. lib.* 4. *n.* 160. quamvis addat, non esse laudandam applicationem particularem.

198. Ad fundamenta *num.* 196. *allata* primæ sententiæ, respondeo: Ad primum enim dico eam consuetudinem non esse introductam cum animo obligandi, sed ex devotione. Quare non obligat.

199. Ad secundum respondeo, in eo titulo solùm præscribi eam missam in specie eo die esse celebrandam, & non aliam, non tamen præscribitur, quod non possit pro aliquo defuncto in particulari applicari.

200. Ad tertium respondeo, quamvis oratio

sit

sit generalis pro omnibus defunctis, adhuc pro uno particulari potest applicari, & id patet in aliis missis per annum, in quibus oratio est generalis pro omnibus fidelibus; & tamen pro uno in particulari applicari potest.

201. Ad quartum respondeo, quamvis id ita præsumatur de pia voluntate fundantium missas: ex illa pia præsumptione, non potest colligi præceptum, id ita esse faciendum.

202. Ad quintum respondeo, ex ea intentione Ecclesiæ, non posse colligi præceptum, ut quicunque eo die celebrant, pro omnibus defunctis celebrent, sed consilium. Aut potius intendit omnes fideles excitare ad suffragandum propriis defunctis, & etiam extraneis; ut plures faciunt, aliàs non facturi, nisi ab Ecclesia excitarentur.

§. V.

Exponitur septima clausula Brevis altaris privilegiati.

203. SEptimum dubium circa septimam Brevis clausulam, quæ sic est; *Et in singulis diebus infra octavam illius*, inquirit: An in Dominica, & reliquis duplicibus infra octavam defunctorum occurrentibus possint missæ de Requiem in altari privilegiato celebrari? Respondeo, non posse, ut vidimus *supra n.* 144. ex decreto S. Congreg. ab Alexandro VII. approbato in sua Const. 176. de qua *supra n.* 186. Et quamvis missæ de Requiem iis diebus nequeant celebrari; cum missis in iis currentibus, in altari privilegiato celebratis, animabus in Purgatorio existentibus suffragatur; ac si in illo missæ de Requiem celebrarentur, eo modo, quo ab Alexandro VII. concessum, & à Clemente IX. extensum fuit, ut constat ex dictis *supra à n.* 186. *per totum* §. 3.

§. VI.

Exponuntur reliquæ Brevis Altaris privilegiati clausulæ.

204. OCtava clausula: *Ac feria secunda cujuslibet hebdomadæ.* Hæc clausula, concesso decreto Clementis IX. nullam patitur dubitationem: cùm enim omnibus, & singulis feriis secundis cum missa eo die currente (quando de Requiem non potest celebrari) possit liberari anima à Purgatorio, in Altari privilegiato celebrata, cessat omne dubium.

205. Præciso tamen Clementis IX. decreto, adverte hoc notandum apud Barbos. *ubi supra cit.* nempe *in collect. Bullaris Verbo Missa defunctorum*, ubi ex declaratione S. Congreg. iuquit, quòd missæ defunctorum certo die dicendæ, eo die impedito, transferantur in sequentem. Unde, qui secunda feria impedita cum missa duplici, aut cum alia ex illis octavis, & diebus in quibus prohibetur fieri missa de festo duplici; de quibus *supra Sect. 16. n.* 154. non poterat missa de Requiem dici; potest illam sacerdos pro anima cujuscunque fidelis, post illos dies impeditos celebrare prima die non impedita; & non tantùm una missa, si una tantùm non fuit impedita; sed tot, quot fuerunt impeditæ. Ita sequitur ex illa declaratione, & non contradicit Gobat *cit. dict. tract. 4. n.* 527. Oppositum verò tenet praxis, & Gavant. *dict. part. 1. tit. 5. litt. A. A.* apud Gobat *proximè*; at post Const. Alexandri VII. & Clementis IX. cessat hæc declaratio. Quando verò in aliquibus Brevibus tres conceduntur dies, in qualibet hebdomada, ut in pluribus conceduntur; idem de illis dicendum, quod de feria secunda dictum est.

206. Nona clausula: *Pro anima cujuscumque fidelium defunctorum.* Ex illa suboritur octavum dubium: An missa respectu animæ, cui applicatur privilegium altaris, habeat suum effectum satisfactionis, pro illa anima? Et videtur primò quòd non; quia anima liberatur à Purgatorio per indulgentiam plenariam, quam S. Pontifex concedit: ergo consequenter poterit sacerdos, præter stipendium, quod accepit ab eo qui illam missam fecit celebrare; vel aliud accipere, applicando alteri satisfactionem illius missæ; vel sine stipendio, illam alteri applicare.

207. Secundò; quia si in formula indulgentiæ reperiantur tantùm hæc verba: *Qui missam dixerit, communicaverit, jejunaverit &c. liberabit animam à Purgatorio*; non est necesse, ut hæc offerantur pro defuncto; ut cum Soar. *tom. 4. in 3. part. disp. 53. Sect. 4. n. 3.* Card. de Lug. *de pœnit. disp. 27. n. 76.* tenet Gobat *tom. 2. tract. 4. n.* 498. ergo etiam illam missam poterit pro alio defuncto applicare; quando celebrat in Altari privilegiato pro defuncto, cui applicat altaris indulgentiam plenariam.

208. His tamen non obstantibus dicendum est, ut certum, satisfactionem, & impetrationem illius missæ applicandam esse illi animæ, pro qua applicatur privilegium; & indulgentia altaris. Ratio prima est, quia ita exigitur à S. Pontifice, ibi: *missam defunctorum pro anima &c.* Secunda ratio; quia esto anima liberari possit per indulgentiam altaris, id tamen nobis non constat; nonnulli enim dubitant, quòd Deus eam semper acceptet: ut videre est apud Soar. *tom. 4. in 3. part. disp. 53. Sect. 3. n. 2. in fine*; licèt oppositum teneat *à n. 3.* at sacrificium missæ pro solutione pœnarum, est remedium efficacissimum, & infallibile, quòd Deus semper acceptat.

209. Ex his patet solutio ad rationem dubitandi. Ita Bordon. *tom. 3. resol. 91. n. 5.* Gobat. *tom. 2. tract. 4. n. 529.* addens in fine, sacerdotem stipendio non conductum ad celebrandum in Altari privilegiato, posse sibi, aut aliis vivis, aut defunctis applicare illam missam, quæ est impetratoria, aut Eucharistica: dummodo, quia est satisfactoria, illam applicet pro illa anima, quam à Purgatorii pœnis vult liberare. Quod tamen non approbo; quia S. Pontifex in Brevi statuit, quòd missa defunctorum offeratur pro anima cui applicatur indulgentia, sine aliqua distinctione: Ergo illi applicanda est, ut est sacrificium impetratorium, & satisfactorium. Et ex his patet solutio rationum dubitandi.

210. Adverte primò circa hanc clausulam, missam esse offerendam pro aliqua certa, & determinata anima, ut à Purgatorii pœnis liberetur; & non sufficere, quòd offeratur pro omnibus defunctorum animabus, aut pro duabus, aut tribus &c. ut patet ex verbis illius clausulæ: *pro anima cujuscunque &c.* Adverte secundò, dictionem *cujuscunque* referri ad singulas animas; quia Breve quod explicamus est ad omnes animas defunctorum generale, at secus dicendum si sit concessum duntaxat ad animas defunctorum alicujus confraternitatis, aut communitatis, sic enim, ad alias defunctorum animas extendi nequit privilegium. Nam privile-

gium favorabile non extenditur ad alios, præter expressos: ut videre est apud Castr. Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 4. *punct.* 12. *n.* 1.

211. Ultima clausula: *Ad septennium tantùm valeturis.* Circa illam dubitabis; quando incipiat, aut finiatur hoc privilegium? Respondeo, incipere ab eo die, in quo à Prælato publicatur, & finiri post septennium completum à dicta publicatione. An verò possit differri publicatio à Prælato, vel Parocho ex rationabili causa ad unum, vel alterum annum? Vide Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *n.* 661. affirmativè respondentem.

§. VII.

An sacerdos sua satisfaciat obligationi, sacrificando in altari non privilegiato cum numismate, hac indulgentia plenaria affectu?

212. HOc dubium inquirit: An sacerdos, qui ſpopondit sacrum in Altari privilegiato celebrare, vel ex testamento, aut Eleemosyna accepta obligatus ad ibi celebrandum pro aliquo defuncto, satisfaciat suæ obligationi, alibi celebrando, prætextu quod suum habeat Calculum, aut numisma benedictum, cum quo æqualis indulgentia conceditur, ac si in Altari privilegiato celebraret? Affirmant Fraxinell. *de sacerdot. obligat. sect.* 4. *conclus.* 4. §. 9. *n.* 2. Alphons. de Leon. *tract. de Jubil. part.* 3. *n.* 29. Marchin. *de Ordin. tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 24. *n.* 8. Anton. Rubeus *de fruct. sacrif. miss. l.* 3. *disp.* 3. *q.* 3. *n.* 10. quos refert, & sequitur Dian. *part.* 4. *tract.* 4 *resol.* 40. *& part.* 6. *tract.* 6. *resol.* 12. ubi hanc sententiam probabilem reputat. Idem tenent Megal. *tom.* 2. *resol.* 40. qui tamen contrariam docuerat *part.* 1. *tract.* 14. *resol.* 29. & alii, quos refert, & sequitur Pasqualig. 427. inquiens, nec peccare venialiter dummodo non sit constitutus ad sacrificandum in aliquo certo, & peculiari Altari privilegiato; nam sic peccabit contra fidelitatem venialiter, faciendo sacrum in alio loco. Et non videri improbabile, si moraliter sit certus, illi calculo benedicto concessam fuisse facultatem liberandi animam à Purgatorio, existimat Pellizar. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 9. *n.* 80. & apud ipsum non pauci recentiores, quamvis in praxi, dicat, oppositam sententiam esse sustinendam. Idem etiam autumat Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *n.* 511. *in fine*; additque, non existimare certum, quòd illi numismati sit concessa illa indulgentia, ut est certum esse concessam Altari privilegiato; idcirco se nolle sequi sententiam Pasqualigi.

213. Probari potest primò; nam intentum dantis Eleemosynam, vel testatoris exigentis missam in Altari privilegiato est liberare animam è Purgatorio: Sed hanc liberationem à Deo impetrat sacerdos, medio æquipollenti, utens calculo, aut numismate benedicto; cùm indulgentia sit æquè certa, & infallibilis; deinde non deficit illi sacrificium missæ, quæ in quocumque loco est ejusdem valoris: ut cum communi tenet Theoph. Raynaud. *tom.* 15. *part.* 2. *sect.* 3. *punct.* 4. *n.* 27. Ergo satisfacit, sic celebrando cum calculo, aut numismate.

214. Secundò probat Pasqualig. quia datur interpretativa voluntas petentium missas in Altari privilegiato; cùm sint contenti cum ea missa in alio altari celebrata, & applicatione dictæ indulgentiæ, ut ipse Pasqualig à multis testatur accepisse: ergo sacerdos satisfacit suæ obligationi, sic celebrando; etiamsi promisisset celebrare in Altari privilegiato.

215. His non obstantibus, tenenda est contraria sententia, quam sequuntur communiter D. D. Sic Gavant. *part.* 3. *tit.* 12. dicens, talem Sacerdotem peccare mortaliter; Card. de Lug. *de sacram. disp.* 21. *n.* 39. Bonac. *tom.* 1. *disp.* 4. *de sacram. q. ult. punct.* 7. §. 4. *n.* 5. Tambor. *in Method. celebr. miss. l.* 3. *cap.* 2. §. 1. *n.* 11. Theophil. Raynaud. *tom.* 15. *part.* 2. *sect.* 3. *punct.* 4. *n.* 31. *Vers. Hac secunda sententia*, Pellizar. Mascaren *de sacram. tract.* 5. *n.* 130. & Gobat. *locis cit.* quia licèt dicant sententiam oppositam esse probabilem, quando certò constat indulgentiam esse illi calculo, seu numismati affectam; asserunt tamen, hanc nostram in praxi esse sequendam.

216. Probatur primò; quia si qui petivit missam designavit Altare privilegiatum, in quo celebraretur, habuit rationem sanctitatis loci: & cùm hæc intentio sit Sancta, ab illa sine peccato fraudari non potest. Et in hoc convenit nobis cum Pasqual.

217. Secundò, quia longè major est certitudo privilegii concessi pro aliquo Altari privilegiato, quàm pro calculo, aut numismate benedicto, circa quod facilè potest obrepere error per malam fidem, aut simplicitatem illorum à quibus ille calculus, aut numisma fuit allatum. Unde qui asserit se habere talem calculum, & Papam nunquam vidit, nullo modo potest sine peccato satisfacere suæ obligationi, celebrando cum illo numismate, maximè post decretum Alexandri VII. quod *supra adduximus disp.* 23. *n.* 89.

218. Tertiò; quia missa, quæ celebratur in Altari privilegiato, fortasse minus dependet à statu gratiæ ipsius celebrantis, ut habeat effectum; quàm quæ celebratur ab habente numisma, aut calculum, ut ex Card. de Lug. dicunt Tambor. & Gobat *locis citatis.*

219. Ad primum fundamentum oppositæ sententiæ adductum *n.* 213. respondeo, negando minorem: nam per æquipollens sacerdos non potest satisfacere, etiam dato, quod illa Indulgentia numismatis sit certa, & infallibilis. Quod ostendo, in contractu circa aliquam rem determinatam; verbi gratia, circa hunc equum: non enim servatur justitia tradendo alium, quem equum nullo modo vult alter contrahens: ut tenet Molin. *tract.* 2. *disp.* 562. & D. D. communiter; & multò magis non servatur, si equus, qui traditur, sit vendito deterior: nam solvitur unus pro alio, invito creditore: ut constat *ex l.* 2. §. 1. *ff. si cert. petet. l. cum à quo, C. de solut.* Sed petens missam contraxit circa Altare privilegiatum, & excluſit æquipollens: ergo multò magis calculum, aut numisma; quod non est simpliciter æquipollens, cùm sit minùs securum, quàm Altare.

220. Ad secundum *n.* 214. respondeo, negando antecedens; quia fideles adeo sunt addicti ad Altaria privilegiata, ut per missas tantùm in illis factas præsumantur satisfacti. Si autem Pasqualig. aliquos invenit, qui ante missas factas contenti erant; ut cum ipso calculo, aut numismate benedicto missæ dicerentur, nulla intercedente fraude; nulla illis fit injustitia sic celebrando. At hoc habebit locum in illis, qui ex sua devotione celebrare faciunt pro anima, aut animabus alicujus, vel aliquorum defunctorum; non verò in illis missis, quæ ex testatorum ultimis voluntatibus celebrari debentur in Altaribus privilegiatis: nam ex his præsumi non po-

potest, quòd velint fieri missas ab eis relictas cum calculo, aut numismate; ut probatum manet.

221. Dices adhuc pro oppositâ sententia: Aliquando licitum est operari ex judicio probabili, quòd res ita se habeat, eo quòd vir fide dignus ita esse fatetur: sed sacerdos habet dictum numisma benedictum à viro fide digno: ergo cùm non semper cogatur eligere, quod certius est, poterit missam celebrare cum eo numismate pro illa, quam promisit in Altari privilegiato. Respondeo in præsenti casu, negando majorem; quia quandò id, quod est certius ad manum est, & ab omni erroris periculo remotius, & fides data de ita faciendo; non potest quis hoc certius relinquere pro illo probabili: Sed ut supponimus ad manum est Altare privilegiatum; quod absque dubio certius est privilegium & ab omni errore remotius, quàm sit calculus, & fides data de ita faciendo: ergo nullo modo potest Sacerdos suæ satisfacere obligationi, faciendo missam promissam cum eo calculo benedicto.

§. VIII.

An sacerdos habens Bullam Cruciatæ possit satisfacere missa dicenda in Altari privilegiato visitando quinque Ecclesias, vel quinque altaria in diebus stationis?

222. HOc dubium est præcedenti maximè simile, & sic habet: An satisfaciat prædictus sacerdos, modo prædicto obligatus habens Bullam Cruciatæ, visitando in diebus stationis quinque altaria unius Ecclesiæ, vel diversarum, juxta ea, quæ diximus *supra disp.* 10 *sect.* 4. *à n.* 74.

223. Et pro parte affirmativa pugnabat quidam vir doctus his rationibus ductus: Prima; quia in visitatione quinque Altarium conceditur Indulgentia plenaria, ut vidimus *dicta disp.* 10. *sect.* 2. *n.* 13. & hæc Indulgentia potest pro quolibet defuncto applicari, ut constat ex ipsa Bulla, & vidimus *dicta disp.* 10. *sect.* 9. *à n.* 128. Secunda ratio; hæc Indulgentia est infallibilis, & efficacissima; ut *infra* videbimus: Ergo his visitationibus potest dictus sacerdos suis obligationibus satisfacere.

224. Tertia; quia ut præcedenti dubio vidimus *n.* 212. probabilem dicunt plures D. D. *ibi citat.* sententiam asserentem, posse sacerdotem cum calculo benedicto satisfacere obligationi celebrandi in Altari privilegiato, celebrando in alio altari; & alii, ut certum, id affirmant: D. D. qui id negant, id asserunt, ex eo, quòd privilegium calculi non sit ita authenticum, ut est Privilegium Altaris privilegiati: at privilegium per Bullam concessum visitanti quinque altaria in diebus stationis, est æquè authenticum, ac Altare privilegiatum: ergo cum visitatione quinque altarium in diebus stationis poterit tuta conscientia satisfacere obligationi, celebrandi in Altari privilegiato.

225. Hæc tamen mihi non placuerunt; nec etiam nunc placere possunt. Ratio patet ex dictis præcedente dubio pro nostra sententia, quæ non solum fundatur in eo, quòd privilegium Altaris privilegiati sit authenticum, sed etiam in aliis, ut ex dictis constat. Ratio prima est; quia, ut docet Bonac. *supra cit. disp.* 4. *de sacram. q. ult. punct.* 7. §. 4. *n.* 5. *in fine*, cum Navarr. Azor, & Fraxinell. magis prodest missa in Altari privilegiato celebrata, quàm prosit brevis aliqua oratio privilegio calculi, vel imaginis, recitata: Sed in prædicta visitatione quinque Altarium non datur missa, sed tantùm brevis oratio ad quodlibet Altare: ergo cùm magis prosit missa in Altari privilegiato, quàm illa oratio; sacerdos non satisfacit cum illa visitatione quinque Altarium.

226. Secunda ratio; quia dato, quòd sacerdos possit satisfacere per æquipollens, quod negamus; ut patet ex responsione ad primum *num.* 219. in hac satisfactione non datur æquipollens: nam in privilegio Altaris privilegiati datur missa, & simul indulgentia defuncto applicata; at in visitatione quinque Altarium, dantur orationes ad quodlibet Altare, & simul indulgentia pro defuncto applicata: sed Sacrificium missæ pro mortuis oblatum, est præstabilius, & fructuosius suffragium omnibus iis orationibus; in visitatione quinque altarium, Oblatis; ut colligitur *ex Trid. sess.* 25. *in decret. de Purgatorio*, statuente *animas fidelium in Purgatorio detentas fidelium suffragiis, potissimum verò acceptabilis Altaris Sacrificio juvari*: Idem docet Granad. *ad cap.* 3. *concil. Florent. sect.* 3. *initio*; & probatur ex variis revelationibus apud Theophil. Raynaud. *tom.* 15. *part.* 2. *sect.* 3. *punct.* 3. *quæst.* 2. *per totum*; ubi eruditè, ingeniosè, & clarè hanc firmat veritatem, de qua etiam idem statuimus, *supra sect.* 15. *n.* 132. Ergo sacerdos visitatione quinque altarium per æquipollens non satisfacit.

227. Dices: Anima defuncti liberatur à pœnis Purgatorii per indulgentiam plenariam; quæ conceditur in visitatione quinque Altarium illi animæ, cui, habens Bullam, illam applicat; & per illam, anima liberatur sufficienter à pœnis, & ad cælum volat: ergo quamvis non detur æquipollens inter suffragia missæ dictæ in Altari privilegiato, & orationum factarum in visitatione quinque altarium, redditur æquipollens inter indulgentias; nam sicut est plenaria, quæ conceditur in Altari privilegiato; ita etiam est plenaria, quæ conceditur in visitatione quinque Altarium; quod sufficit, ut anima liberetur à pœnis Purgatorii; sicut liberatur per indulgentiam Altari privilegiato concessam.

228. Ad hoc argumentum jam respondi *supra in explicatione* 9. *clausulæ n.* 208. & solutio ibi allata hic applicanda est. Ideo respondendum est, sicut missa in Altari privilegiato suum producit effectum satisfactionis, respectu illius animæ, cui applicatur; etiò liberari possit per indulgentiam Altaris; quia tamen hoc nobis non constat, illi applicatur missa; quæ inter alia suffragia est potissimum: sic etiam in visitatione quinque altarium, illæ orationes applicantur animæ, quam quis intendit à Purgatorio liberare; quia licèt per Indulgentiam liberari possit, hoc nobis non constat: Aliqui enim dubitant, an Deus infallibiliter indulgentiam pro defunctis acceptet, quos *infra n.* 330. citabimus. Cùm verò inter suffragium missæ, quod Deus semper, & infallibiliter acceptat, etiam à malo sacerdote, quoad satisfactionem ex opere operato, ut *supra* vidimus; & inter orationes in visitatione quinque altarium, quæ non infallibiliter acceptantur à Deo pro defunctis, non solùm si fiant ab his, qui in mortali existunt, sed etiam si fiant ab existentibus in gratia, ut aliqui volunt, sacerdos obligatus ad dicendam missam in Altari privilegiato, non satisfacit per æquipollens, nempe cum visitatione quinque Altarium.

229. Nec rationes à viro docto, oppositum convincunt: Ad primam enim & secundam *n.* 223. *allatas*, respondeo, concedendo illam indulgentiam quinque altarium esse plenariam; at non infallibilis

libilis est, ita ut nonnulli oppositum non teneant; quòd non datur in Altari privilegiato, respectu missæ pro defuncto in eo celebratæ.

230. Ad tertiam in *n.* 224. respondeo primò, negando majorem: quia etiam sententiam, ut non veram, jam rejecimus cum communi D. D. ut vidimus *supra à n.* 225. Respondeo secundò, datâ illâ majore, negando minorem: nam privilegium habentis Bullam pro visitatione quinque altarium non est æquè authenticum, ac privilegium Altaris privilegiati: nam de hoc dubitari non potest; cùm de illo constet per Breve Pontificium: at de privilegio habentis Bullam pro visitatione quinque altarium, dubitari potest; quia non est certum habentem id privilegium esse in gratia, quando visitationem quinque altarium fecit ut aliqui D. D. opinantur, requiri. Deinde non est etiam certum eleemosynam, quam dedit pro Bulla fuisse monetam veram, aut non acquisitam per furtum, &c. ex quibus, & aliis defectibus, qui poterant concurrere in susceptione Bullæ, satis constat, non esse illud privilegium habentis Bullam, æquè authenticum, ut est privilegium Altaris privilegiati.

SECTIO XVIII.

An tantùm valeat una missa pro omnibus defunctis oblata, ac si pro uno tantùm offerretur?

231. Hæc quæstio fusè ab Scholasticis tractatur, & apud ipsos videri potest; præsertim apud Soar. *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 79. *sect.* 11. & apud Vasq. *de Euchar. in* 3. *part. disp.* 231. Card. de Lug. *etiam de Euchar. disp.* 19. *sect.* 12. nos verò breviter de illa agemus, & ea tantùm, quæ pro praxi necessaria videntur. Et in hac quæstione duplex datur sententia.

232. Prima affirmat, fructum missæ satisfactorium esse infinitum, ac proinde tantùm prodesse missam oblatam pro pluribus, ac si pro uno tantùm offerretur. Ita Cajet. *tom.* 3. *opusc. q.* 2. *de celebrat missæ.* Sylvest. *verb. Missa* 1. *q.* 9. Angel. *ibidem q.* 52. Petr. de Sot. *loco* 7. *de Euchar.* Navarr. *Latissimè l.* 2. *de restit. cap.* 2. *à n.* 268. Canus 12. *de locis cap.* 13. *ad* 10. Vasq. *in* 3. *part. disp.* 231. *cap.* 3. Marchin. *de Ordin. part.* 2. *cap.* 23. *à n.* 9. plures citans. Calatr. Palao *tom.* 4. *tract.* 22. *disp. unic. punct.* 6. *num.* 11. & alii, quos refert, & sequitur Leander *tom.* 2. *tract.* 8. *disp.* 3. *q.* 11.

233. Probant, quia sacrificium, in quo principalis offerens, & res oblata est infinitus, est etiam infinitum: sed in missæ sacrificio, principalis offerens, & res oblata est infinitus; cùm sit Christus, qui est infinitæ dignitatis: Ergo etiam sacrificium est infiniti valoris: Ergo si pro pluribus applicetur, illis proderit, ac si pro uno tantùm offerretur.

234. Secunda sententia defendit fructum missæ satisfactorium ex opere operato, esse finitum, ac proinde non tantùm prodesse missam pro pluribus oblatam, ac si pro uno tantùm offereretur. Sic Sot. *l.* 9. *de just. q.* 2. *art.* 2. Card. Bellarm. *lib.* 2. *de miss. cap.* 4. *propos.* 4 Alan. *lib. de miss. cap.* 35. Comitel. 1. *respons. q.* 42. Soar. *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 79. *sect.* 11. *vers. Dico secundò*, & apud ipsum D. Thom. & alii plures Ægid. *in* 3. *part. q.* 83. *n.* 191. Card. de Lug. *de Sacram. disp.* 19. *sect.* 12. *à* 246. Bonac. *tom.* 1. *disp.* 4. *de Sacram. q. ult. punct.* 4. Dian. 4. *part. tract.* 4. *resol.* 196. & *p.* 5. *tract.* 14. *resol.* 81. Machad. *l.* 4. *part.* 1. *tract.* 12. *document.* 3. *num.* 5. Theophil. Raynaud. *tom.* 15. *part.* 2. *sect.* 3. *punct.* 4. *num.* 24. Pellizar. *tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 3. *num.* 2. Bardi *in Bullam part.* 4. *tract.* 3. *cap.* 1. *n.* 18. Tambor. *in Method. celebr. miss. l.* 2. *cap.* 2. §. 1. *n.* 8. & alii apud Leand. *ubi supra.*

235. Hæc sententia primò probatur: Si una missa tantùm prodest pro uno, ac si pro multis applicetur; quomodo viget in Ecclesia mos per tot annos approbatus, ut una missa pro uno defuncto, & pro illius particulari satisfactione applicetur, & non pro multis? Cur solicitus est fidelis, ut missa pro se ipso applicetur, & non pro omnibus aliis? sanè his modus clarè ostendit unam missam non prodesse tantùm pro multis, quoad satisfactionem; quantùm prodest, si pro uno tantùm offerretur.

236. Secundò probatur; quia valor satisfactionis non fundatur immediatè in ipsamet re oblata, sed in ipsa oblatione, in qua consistit sacrificium? Sed oblationi non correspondent gradus infiniti, sed finiti, v. g. sex, aut octo: Ergo oblatio non prodest tantùm pluribus, ac si pro uno offerretur. Hac ratione hanc sententiam probant plures apud Soar. *cit. vers. secunda opinio*, & Bard. *supra num.* 18. an verò placeat ipsi Soar. Vide illud *in sequenti vers.* nam illi placere non videtur.

237. Ex his sententiis, hæc secunda mihi videtur probabilior, & tenenda: est enim conformior fidelium intentioni curantium semper, ut missa pro se ipsis, aut pro suis defunctis, & non pro aliis applicetur; & Brevibus Altaris privilegiati, in quibus S. Pontifex disponit, quòd missa celebretur pro anima unius defuncti, cui etiam applicatur indulgentia altaris.

238. Ad fundamentum primæ sententiæ *n.* 235. *allatum*, respondeo, concedendo in actu primo sacrificium missæ esse infinitum; quia Christus principalis offerens, & res oblata, quæ est ipse Christus, est infinitus: at in actu secundo, ipsa oblatio est finita, sicut fructus satisfactionis etiam est finitus; aliter enim frustra multiplicarentur missæ, & hoc etiam plures ex adversariis admittunt, ut videre est apud Leand *ubi supra q.* 10. & Raynaud. *citat. n.* 25. Vide etiam illum *n.* 23. ut tamen ea, quæ hanc quæstionem spectant intelligantur, refero sequentes conclusiones ex authoribus citatis.

239. Dico primò, sacrificium missæ, si consideretur, qua est impetratorium, habet infinitum valorem, & sic tantum proficit pluribus applicatum, ac si pro uno applicetur. Ita cum Soar. Filliuc. Averf. Bardi *ubi supra n.* 31. Theophil. Raynaud. *proximè n.* 26. *vers. Unus eventus.* Ratio est, quia vis impetrativa, quæ in hoc sacrificio reperitur, fundatur in re oblata, quæ est infinitæ dignitatis, & Deo infinitè grata, & ex se apta ad impetrandum quodcunque beneficium, & pro quibuscunque personis, nam valor meritorum Christi exhauriri non potest. Dixi, *ex se esse aptam ad impetrandum pro quibuscunque personis*; nam si oratio ad impetrandum, restringeret, ac limitaret finitate sua, vim illam infinitam impetrandi, ipsum impetrationis fructum finitum redderet. Sic Raynaud. *ubi supra n.* 22.

240. Dico secundò; si hoc sacrificium consideretur, ut oblatum à sacerdote in persona Ecclesiæ, habet valorem finitum; quia utraque sanctitas, scilicet,

licet, & dignitas Ecclesiæ, & sacerdotis est finita, & limitata, ut ex se patet. Sic Barbos. *num.* 32. ex Soar. *dicta disp.* 79. *sect.* 11. *vers. Dico tertiò, & Dico quartò*; quamvis illum non citet: plures tamen citat Soar.

241. Dico tertiò: Valor satisfactionis, ex opere operantis proveniens ex sacerdote, dum varias in missa fundit preces, minus prodest pro multis, quàm si pro uno, aut paucioribus applicetur. Ratio est, quia est finitus, ac limitatus secundùm majorem, vel minorem sacerdotis devotionem: & ideo si pluribus applicetur ea satisfactio minor erit, quàm si pro uno, aut paucioribus applicetur. Sic Bardi *supra n.* 16.

SECTIO XIX.

An communio oblata pro defunctis, illis prosit ex opere operato?

242. VIdimus sectionibus præcedentibus quantùm animabus Purgatorii proficiat missæ sacrificium ex opere operato, & opere operantis; nunc dicendum de sacra communione, de qua agitur inter D. D. & non de aliis Sacramentis. Et de hac quæstione fusè tractarunt Theoph. Raynaud. *in tract.* cujus titulus est: *Error popularis de communione pro mortuis, & tom.* 15. *part.* 2. *sect.* 2. *punct.* 1. *per totum.* Bard. *in Bull. part.* 4. *tract.* 3. *cap* 3. *per totum*; alii verò presse, quos statim afferemus. Breviter ab hac quæstione nos expediemus. Quæ in duplici sensu potest agitari, primò: An communio mortuis prosit ex opere operato? Secundò: An ex opere operantis?

243. Quod attinet ad primum sensum; Bardi asserit nullum potuisse invenire authorem, qui doceret sacram communionem animabus Purgatorii ex opere operato, prodesse posse. At Theophil. Raynaud. inquit *in cit. tom.* 15. *sect.* 2. *punct.* 1. *n.* 1. nonnullos censuisse animas defunctorum nullo alio subsidio, extra missæ sacrificium, juvari posse, quàm sumptione Eucharistiæ in eum finem susceptam; quibus verbis innuit aliquos existimasse communionem ex opere operato defunctis prodesse. Hæc opinio in authoritate, & dictis aliquorum consistere videtur; quæ videri possunt apud cit. authores.

244. Dicendum igitur est, sacram communionem pro defunctis sumptam, nullum in illis effectum ex opere operato causare. Ita expressè Soar. *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 63. *sect.* 10. *vers. atque hinc tandem, & sequenti*, & aliis in locis, quos congerit Bardi *supra n.* 8. qui etiam pro hac stat opinione, & apud illum D. Thom. Cajet. Cordub. Valent. Vasques. Laym. Theophil. Raynaud. in citat. *tract. à n.* 8. & addo, ipsum idem docere *in cit. tom.* 25. *part.* 2. *sect.* 2. *punct.* 1. *n.* 3.

245. Probatur primò ratione; quia hoc Sacramentum, ut docent D. D. cum D. Thom. *in* 4. *dist.* 1. *q.* 1. *art.* 2. *per totum*, habet rationem medicinæ; medicina autem solùm prodest illam sumenti: defuncti autem illud non sumunt: ergo sub hac ratione, illis prodesse nequit.

246. Secundò probatur, quòd communio nequit causare effectum ex opere operato in defunctis discurrendo, per effectus hujus sacræ communionis. Non enim causat primum, nempe primam gratiam; defuncti enim in Purgatorio habent gratiam; cum qua ex hac vita recesserunt: ergo prima gratia in illis per communionem produci nequit. Nec etiam secundum; nempe, augmentum gratiæ: nam illæ animæ jam non sunt in statu merendi gratiam sanctificantem. Nec etiam gratiam auxiliantem; nam hæ viventibus intuitu communionis dantur, ut à peccatis præserventur; at animæ in Purgatorio sunt impeccabiles.

247. Tertius effectus, quem causat communio est unio inter carnem Christi, & carnem illius, qui illum dignè communicat: at animæ cùm non communicent, hunc effectum in illis causare nequit communio alterius.

248. Quartus effectus est adeptio gloriæ, cujus pignus est Sacra Eucharistia: at animæ illam, post completam satisfactionem, sunt consecuturæ independenter à communione viventium.

249. Quintus effectus est remissio peccatorum, sive mortalium, sive venialium, quoad culpam: in animabus autem Purgatorii omnia peccata mortalia, quoad culpam, jam sunt deleta: venialia autem, si in instanti mortis anima non eliciat actum contritionis, aut amoris Dei perfecti, remittuntur in Purgatorio per varios actus liberè ab ipsa anima eliciendos, licèt per illos actus non mereat: cùm enim illæ animæ ad cœlum non volabunt cum peccato veniali, ne in Purgatorio in perpetuum detineantur, dicendum illas maculas deleri in Purgatorio, per actus elicitos ab ipsis animabus, ad quos à Deo conferuntur specialia auxilia, independenter à communione viventium. Sic Bardi *ubi supra num.* 14.

250. Sextus effectus est satisfactio, & remissio pœnæ debitæ pro peccatis. At remissio pœnæ temporalis non est immediatus & primarius effectus, ex opere operato hujus Sacramenti: ut cum D. Thom. tenet Soar. *supra cit. dict. tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 63. *sect.* 10. *vers. Unde ulterius.* Raynaud. *locis cit.* Card. de Lug. *disp.* 12. *de Euchar. sect.* 4. *n.* 98. inquiens, esse sententiam communem. Si ergo hic effectus non causatur in ipso communicante immediatè, & primariò ex vi hujus Sacramenti; minus causabitur in alio, pro quo ipsa communio offertur.

251. Si verò loquamur de effectu secundario, & mediato, etiam in defunctos transferri non potest, nec in alios viventes ex opere operato. Et hoc patet, quia duobus modis, juxta duas sententias, potest fieri hæc remissio. Primò juxta sententiam illorum, qui docent peccata venialia deleri immediatè per communionem absque actu contrario elicito ab eo, qui sacram sumit communionem, ut defendit Vasq. *tom.* 4. *in* 3. *part. q.* 47. *art.* 3. *dub.* 2. *à num.* 6. & alii, & consequenter dicent ex vi ejusdem communionis deleri venialia ex opere operato, nullo intercedente actu ex parte ipsius sumentis Eucharistiam: nam eodem modo, quo remittitur culpa, debet, & pœna remitti; ut notat idem Vasq. *tom.* 3. *in* 3. *part. q.* 79. *art.* 1. *in principio.*

252. Alii verò concedunt per sumptionem Eucharistiæ, ex opere operato, remitti peccata venialia, quoad culpam; quod indicat Conc. Trident. *Sess.* 13. *cap.* 2. his verbis: *Sacramentum hoc esse antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservamur.* Et docent D. Thom. 3. *part. q.* 79. *art.* 4. Soar. *in coment. ad eundem artic. & dictâ disp.* 63. *vers. Unde ulterius.* Ægid. Hurt. Bonacin. Marchin. & alii

plures, quos refert, & sequitur Leand. *tom.* 2. *tract.* 7. *disp.* 11. *q.* 8. Aliqui ex his, ut D. Thom. Soar. admittunt, reatum pœnæ deleri, non ex opere operato, sed ex opere operantis, juxta devotionem, & actus sumentis.

253. Quacumque ex his datâ opinione, defunctus non potest obtinere reatum pœnæ ex opere operato: nam juxta opinionem Vasques non potest communicans, illam communionem pro defuncto applicans, remissionem pœnæ ex opere operato in illum transferre. Ratio est, quia cum illa remissio non obtineatur primò, & immediatè, sed secundariò in quantum culpa remittitur, non potest in alium transferri, sed tantùm resultare debet in eodem subjecto; qui sacram communionem sumpsit: est enim ab eo inseparabilis. Juxta aliam opinionem nulla potest esse dubitatio: cum non concedat pœnam peccati venialis remitti ex opere operato.

254. Ex dictis patet, sacram communionem pro defunctis applicatam, nullum in eis posse causare effectum ex opere operato.

SECTIO XX.

An sacra communio defunctis applicata, illis ex opere operantis prodesse possit?

255. NEgat Theophil. Raynaudus *tom.* 15. *part.* 2. *sect.* 2. *punct.* 1. *a n.* 5. quoad effectum satisfactionis, qui defunctis præstatur certò, & infallibiliter; Et pro hac sua opinione citat. D. Thom. dicentem *sect.* 6. *in cap.* 6. *Joann.* errare laicos, qui communicant pro aliis; & 3. part. agentem de fructibus Sacramenti Eucharistiæ, & communionis, non alios assignare, nisi operanti immanenter, prætermittenti fructum istum operis operantis.

256. Probat, quia ut actio sit satisfactoria, & actus externus possit cum fructu alteri applicari, necesse est, quòd sit pœnalis: sed actus communicandi, quoad ea, quæ ordinariè, & passim contingunt, non est pœnalis; quia nullus datur labor in glutienda parva particula: ergo communio, prout hominis actio, non est satisfactoria, quoad ea, quæ communiter contingunt; nec ut sic, defunctis prodesse potest. Minor, & consequentia patent; Major ostenditur; quia non ex eo, quòd opus nostrum sit bonum, & sanctum, pollet vi satisfactoria propriè, & præsè sumptâ; sed ut laboriosum est, & pœnale: si enim sit valde pœnale, erit valdè satisfactorium; si parcè sit pœnale, leviter satisfactorium erit, si denique nullo modo pœnale; nullo modo erit satisfactorium; & hæc est receptissima Theologorum doctrina, apud Torrem. *tom.* 1. *in* 2. 2. *disp.* 70. *dub.* 5. Sic Raynaud. in quibus locis alia plura congerit ad intentum.

257. Dicendum tamen est, communionem, si dignè à viventibus accipiatur, prodesse posse defunctis, si pro illis applicetur. Ita Soar. *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 63. *sect.* 10. *in fine*, Raynaud. *in tract.* cujus titulus est: *Error popularis de commun. pro mortuis n.* 35. & alii, quos citat, & sequitur Bard. *part.* 4. *tract.* 3. *cap.* 3. *n.* 18. ubi ait, hanc conclusionem esse certam. Ratio est, quia sicut alia bona opera prodesse possunt defunctis, si pro illis applicentur, & concurrant cætera requisita: sic etiam communio defunctis prodesse poterit; sed communio est actus Religionis, & in se bonus: ergo si defunctis applicetur, illis proderit, ut satisfactorius ex opere operantis.

258. Ad fundamentum Raynaud. respondeo primò, negando majorem, & illius probationis minorem; quippe plures D. D. docent, non esse necessarium, ut actio sit satisfactoria, quòd sit pœnalis, sed satis esse, quòd sit bona. Sic Victoria, Ledesma, Medin. Scot. Gabriel, quos refert, & sequitur Vasq. *in* 3. *part. q.* 94. *art.* 1. *dub.* 5. Idem tenent Joann. Præposit *in* 3. *part. de satisf. q.* 12. *dub.* 3. *q.* 3. Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 9. *q.* 26. & alii apud ipsum. Unde juxta hanc opinionem, quamvis communio non sit pœnalis, nec laboriosa ex opere operantis, erit satisfactoria. Et si defunctis applicetur, illis proderit; quia est actus Religionis, & sanctus. Sic plures actus heroici, & sancti, quamvis non sint pœnales, & laboriosi, sunt satisfactorii, si reliqua concurrant; ut erogatio eleemosynæ, jejunium in eo qui nullam sentitur molestiam, jejunando; imo in ipso jejunio delectatur; & alii actus virtutum, in quibus operans nullam patitur difficultatem, ex eo, quòd ad illos bonos actus ob fervorem devotionis, vel ob mortificationem passionum, est maximè propensus.

259. Respondeo secundò, concedendo, ut actio sit satisfactoria, debere esse pœnalem, & laboriosam; ut cum D. Thom. D. Bonaventur. Richard. Durand. Paludan; Major, Alens. Adrian. Sylvest. Viguero, & aliis docet Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 37. *sect.* 6. *num.* 5. quibus accedunt Valent. *tom.* 4 *disp.* 7. *q.* 14. *punct.* 3. *Vers. Tertiò sequitur.* Bonac. *tom.* 1. *disp.* 5. *de Sacram. q.* 5. *sect.* 3. *punct.* 2. *num.* 8. Cardin. de Lug. *de pœnit. disp.* 24. *num.* 37. Barthol. à S. Faust. *de suffrag. q.* 6. Bard. in Bull. *part.* 4. *tract.* 4. *cap.* 1. *num.* 5. & alii, quos citant: at juxta hos D. D. omnes opus bonum est satisfactorium ex ea ratione; quia omne opus honestum, est aliquo modo laboriosum, & pœnale; sic Soar. Card. de Lug. Bard. & alii: sed communio est opus bonum: ergo est satisfactorium, quia etiam aliquo modo est laboriosa.

260. Quod ostendo, quia licèt materialiter nullus detur labor in glutienda parvula quadam particula, ut communionem considerat Theophil. dicens: *quis enim labor est, in glutienda tantula molis specierum?* At communio non ita consideranda est; sed quatenus communicans illam tantulam molem specierum, manducat corpus, & sanguinem Christi; & sic aliquo modo est Laboriosa, & pœnalis: opponitur enim bono delectabili, & utili non communicandi; quod non est bonum honestum, & erit malum, si sit in ea occasione, quâ quis tenetur ad communicandum. Et in hac ratione fundantur Card. de Lug. & Bardi, ut asserant omne opus honestum esse aliquo modo laboriosum, utpote corpori, ac sensui repugnans: Raynaud. verò communionem non considerat, ut est opus bonum honestum, & actus Religionis; quia considerat illam manducationem materialem. Et ut sic non mirum, quod non sit satisfactoria ex opere operantis; quia, ut sic, nec ipsi communicanti ex opere operantis est satisfactoria.

261. Addo ex Soar. *cit. n.* 8. omne opus bonum meritorium esse satisfactorium: sed omnes concedunt, sacram communionem esse, dignè illam sumentibus, meritoriam: ergo etiam est satisfactoria:

ria: ergo quâ satisfactoria est ex opere operantis, pro defunctis applicata illis proficiet; nam omnes operationes possunt aliis applicari, quæ sunt satisfactoriæ ex opere operantis, ipsimet, qui illas exercet.

SECTIO XXI.

An opera ex præcepto debita, possint pro defunctis, ut satisfactoria, applicari?

262. TRes in hac quæstione invenio opiniones: Prima absolutè negat, illam tuentur Paludan. Major. Almain. Scot. Gabriel. Aurcol. quos refert Soar. *tom. 4 in 3. part. disp. 37. sect. 4.* n. 1. Pro hac etiam citatur D. Thom. *in 4. dist. 15. q. 1. art. 2.* probari potest; quia si ea opera, quæ pro defunctis, aut nostris peccatis Deo offerimus, sunt debita ex præcepto; cum illis Deo satisfacere non possumus, nec pro defunctis, nec pro nobismet ipsis. Et hujus ratio est, quia nullus potest duplici debito unica solutione satisfacere: ergo eodem opere non potest quis jejunio, aut auditioni missæ satisfacere observando præceptum jejunandi, & audiendæ missæ, tali die, & etiam cum illo satisfacere pro debito defuncti, aut sui ipsius.

263. Confirmatur primò; quia si confessor pœnitenti imponat jejunium, aut auditionem missæ; semper intelligitur hanc imponere pœnitentiam, ex operibus liberis, & non ex præcepto debitis, ut docent D. D. cum Sanch. *lib. decal. cap. 14. n. 16.* & aliis apud Leand. *tom. 1. tract. 5. disp. 9. q. 45.* ergo etiam satisfactio, quæ offertur pro defunctis, debet esse ex operibus liberis, & non debitis ex præcepto.

264. Secundo confirmatur; quia si quis ex voto debet aliquod opus, v. g. jejunium, non satisfacit voto jejunando diebus, in quibus ab Ecclesia est impositum præceptum jejunandi: ergo etiam non potest satisfacere pro defunctis, aut propriis peccatis, per ipsa opera ex præcepto debita.

265. Secunda opinio utitur distinctione; asserit enim, non posse quem satisfacere pro defunctis, aut propriis peccatis per opera jure naturali, aut divino ex præcepto debita: at posse per opera ex præcepto humano debita. Sic cum Archidiac. & D. Antonin. Sylvest. *in summ. verb. satisfactio q. 8.* Cùm tamen hi D. D. dicant omnia opera esse de facto satisfactiva, & potuisse Deum, si voluisset, sola opera superogationis exigere, & acceptare. Quæ oratio potest extendi ad opera utroque modo, & jure naturali, divino, & humano debita; de illa distinctione, ut vanâ, non est curandum.

266. Tertia demum, & verissima opinio absolutè tenet, omnia opera pœnalia, sive ex præcepto sint debita, sive non esse satisfactoria pro peccatis propriis, & etiam pro aliis, & defunctis, si illis ab operante applicentur. Ita Cajet. Sot. Ledesm. Victor. Adrian. & alii, quos refert, & sequitur Soar. *ubi supra num. 3.* eandem defendunt Bauny. *de Sacram. tract. 4. q. 9.* Bard. *part. 4. tract. 4. cap. 1. n. 12.* ostendens D. Thom. in hac fuisse sententia.

267. Ratio est, quia opera, etiam ex præcepto debita, possunt esse meritoria vitæ æternæ: ergo etiam satisfactoria pro pœnis debitis. Antecedens est certum, quia ratio debiti non tollit honestatem, & bonitatem moralem, nec etiam libertatem; si ergo procedant ab existente in gratia, omnia habent requisita, ut sint meritoria. Consequentia ostenditur; quia sicut ratio debiti non tollit jus ad præmium, nempe ad gratiam; ita etiam non tollit ad satisfaciendum pro pœnâ; eadem enim est ratio; nam, ut vidimus *in fine sect. præcedentis* ex Soar. omne opus bonum, quod est meritorium, est etiam satisfactorium.

268. Confirmatur ex *Conc. Trid. sess. 14. cap. 9.* ubi dicitur, posse nos Deo satisfacere pro peccatis per temporalia flagella à Deo inflicta, & à nobis patienter tolerata, nonobstante, quod respectu nostri sint necessaria, & non libera: ergo etiam quamvis bona opera ex præcepto sint debita, per illa possumus Deo satisfacere pro nostris peccatis; & si defunctis applicentur, illis ad satisfactionem pœnarum, proficient. Et ita sentit D. Thom. *in addit. ad 3. part. q. 55. art. 2.*

269. Ad fundamentum primæ opinionis *n. 262.* adductum respondeo, negando non posse nos satisfacere præcepto jejunandi, & audiendæ missæ, & simul satisfacere pro peccatis; nec id convincunt confirmationes adductæ, non prima: quia confessarius imponendo pœnitentiam; intendit, nisi aliud explicet, imponere opus, quod aliunde non sit debitum: cum verò ab imponente oriatur obligatio satisfaciendi; pœnitens non satisfacit cum opere ex præcepto debito. Idem ad secundam confirmationem respondeo: nam vovens etiam censetur vovere opus non aliunde debitum; & sic per debitum ex præcepto non satisfacit. At si expressè voveat actionem ex præcepto debitam; cum illa voto satisfaciet.

SECTIO XXII.

An confessarius possit imponere pœnitentiam sacramentalem implendam pro defunctis?

270. NEgat Joann. Sanch. *in select. disp. 16. num. 1.* dicens, confessarios non rectè procedere pœnitentibus injungendo Nocturnum defunctorum, psalmos, vel responsoria, &c. pro animabus Purgatorii. Idem defendunt Veg. *in summ. part. 2. cap. 63. casu 4.* Pedraza *cap. 7. de pœnit. & absol.* Moventur ex institutione hujus Sacramenti, cujus pars integrans est satisfactio: Si ergo hæc pars pro defunctis applicetur, idem erit imponere hanc satisfactionem, ac nullam imponere. Itaque, ait Joann. Sanch. pœnitentem teneri, pœnitentiam sibi impositam exequi; non tamen obligari eam pro animabus Purgatorii applicare. Additque, non teneri sacerdotem missam pro anima defuncti applicare, etiamsi ei pro pœnitentiâ præscribatur; quia ea ex parte præceptum fuit irrationale: admittit tamen *n. 11.* optimè posse injungi aliquam eleemosynam temporalem pro animabus Purgatorii, vel collationem stipendii, ut pro illis fiat sacrum; quia talis eleemosyna est quid distinctum ab applicatione satisfactionis offerentis. Et pro hac sententia affert ultra citatos Philipp. de Cruce *tract. de Purgat. 1. §. 6. n. 11.* Idem videtur sentire Dian. *part. 3. tract. 4. resol. 54.* quamvis *in addit. secunda part. resol. 11.* dicat, utramque sententiam

tentiam esse probabilem. Illam tamen docet Bordon. *tom.* 2. *Regul. resol.* 70. *quæst.* 4. *n.* 26.

271. Affirmandum tamen est cum communi D. D. posse confessarios imponere pœnitentias applicandas pro defunctis. Ita Aloysius Turrian. *de pœnit. disp.* 37. *dub. & in select. ceretur.* 3. *dub.* 1. dicens, oppositum esse parùm probabile. G. Hurt. etiam *de pœnit. disp.* 14. *disp.* 6. *in fine*, addens quamvis confessarius non imponat pœnitentiam pro anima Purgatorii applicandam, aut pro aliquo vivo, posse ipsummet pœnitentem illam applicare. Idem, sine his additis, docent Cardin. de Lug. *de pœnitentia disp.* 21. *à n.* 62. Dian. *part.* 9. *tract.* 7. *resol.* 57. Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 10. *cap.* 10. *n.* 212. & apud ipsum Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 23. *punct.* 21. *n.* 3. Marcant. *in tribun. Sacram. tom.* 1. *tract.* 6. *tit. q.* 5. Amic. *tom.* 8. *disp.* 16. *sect.* 5. *dub.* 4. *n.* 63. His addo Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 9. *q.* 41. *&* 42. Bard. *in Bull. part.* 4. *tract.* 4. *cap.* 1. *n.* 28. Theophil. Raynaud. *tom.* 15. *part.* 2. *sect.* 3. *punct.* 2. *à n.* 31. Dicastill. *tom.* 2. *de Sacram. tract.* 8 *de pœnit. disp.* 14. *n.* 94. Soar. Lusit. *de pœnitentia tract.* 8. *disp.* 2. *num.* 64. & alii. Vide Fagund. *in* 2. *Eccles. præcep. l.* 9. *cap.* 5. *n.* 3.

272. Ratio est, quia ideo non posset confessarius imponere pœnitentiam cum onere illam applicandi pro defunctis; quia hoc esset contra integritatem, & institutionem hujus Sacramenti: Sed hoc est falsum: ergo etiam illud, ex quo sequitur. Major supponitur ab authoribus contrariæ sententiæ, & ab ipso Joann. Sanch. Minor ostenditur; quia ad integritatem Sacramenti sufficit; quòd pœnitens mulctetur, & subeat nonnullam pro peccatis vindictam, etiamsi ejus fructum non habeat: ut patet in eo, qui pœnitentiam in statu peccati mortalis exequitur; qui Præceptum à confessario impositum adimplet, & suæ satisfacit obligationi; ut docet communis sententia cum Soar. Fagund. Laym. Cardin. de Lug. & aliis, quos citat, & sequitur Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 9. *q.* 9. ergo poterit confessarius imponere pœnitentiam, sub onere eam applicandi, pro animabus Purgatorii; quia ut sic, datur integritas confessionis absque remissione pœnæ.

273. Confirmatur; quia quamvis hoc Sacramentum sit institutum, ad delenda peccata pœnitentis, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam; non sequitur confessarium imponentem pœnitentiam applicandam pro defunctis, idem esse, ac si nullam imponeret, quia nullum in eo habebit effectum; quippe in eo habet effectum ex opere operato; & virtute Sacramenti; qui effectus communicari nequit animabus Purgatorii: at illis communicabit satisfactionem, dicto Nocturno, Psalmis, orationibus, &c. correspondentem, quatenus ab ipso procedunt: qui effectus satisfactionis est distinctus, ac separabilis ab eo, quem dictæ orationes habent, quatenus sunt injunctæ à confessario, & fiunt pars Sacramenti pœnitentiæ.

274. Nec contra allatam rationem est, quòd recedente fictione, seu homine redeunte ad gratiæ statum, satisfactio suum effectum sortiatur, ut cum pluribus, tenent Leand. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 9. *q.* 11. Soar Lusit. *supra n.* 120. quia in opposita, & negativa sententia, quam plures defendunt apud citatos, adhuc datur integritas confessionis; quia pœnitens vindictam pro peccatis subiit, quod satis est; ut etiam docet Theophil. *supra* & ex hoc constat non habere vim, impugnationem à Mend. *in appendice disp.* 4. *à n.* 59. factam contra Bardi, qui illam rationem assignat; quæ satis probat intentum, seu conclusionem.

275. Ad fundamentum opinionis Joann. Sanch. in *n.* 272. patet solutio ex dictis. Nec aliqua datur disparitas in eleemosyna, quæ à confessario imponitur pro animabus Purgatorii, quæ juxta Joann. Sanch. imponi potest, & inter alias orationes; nam si sola eleemosyna pro defunctis imponatur, eadem de illa est ratio, ac de aliis orationibus pro defunctis impositis.

SECTIO XXIII.

An sepultura sacra, & aspersio per aquam benedictam, sit utilis Purgatorii animabus?

276. QUoad primum: Respondeo, magnum esse fructum sepulturæ in loco sacro; non solùm erga defunctos, de quibus agimus, sed etiam erga ipsos viventes. Sic eruditè, ut solet Theophil. Raynaud. *tom.* 15. *part.* 2. *sect.* 3. *punct.* 12. *quæst.* 4. *per totum*, ubi varios enumerat modos, quibus sepultura in loco sacro juvat defunctos. Et illis prodesse existimant D. Thom. *in* 4. *dist.* 45. *q.* 2. *art.* 3. *quæstiuncul.* 3. Card. Bellarmin. Lavor. Barthol à S. Fault. quos refert, & sequitur Bard. *part.* 4. *tract.* 4. *cap.* 1. *n.* 23.

277. Probatur; quia corpora defunctorum dum ad sepulturam comitantur, & deferuntur, preces pro eis Deo funduntur; & sic valdè illis utilis est sepultura in loco sacro. Deinde quando fideles ad locum sacrum, causâ orationis, vel auditionis missæ conveniunt, in sepulturas defunctorum incidunt; & sic facilius excitantur ad orandum pro illis, quod est opus charitatis, & ipsis viventibus perutile; quin sui exitus etiam recordantur; & hâc recordatione vitæ suæ consulunt, & valde salubrem cogitationem capiunt. Denique aliam habent utilitatem defuncti in loco sacro sepulti; quia in eo plures reperiuntur imagines sanctorum, quorum patrocinio defuncti ibi sepulti commendantur; & sancti illos juvare possunt juxta ea, quæ *supra* diximus *n.* 50. *in fine*, *& num.* 66. alia plura vide apud Theophil. *citat.* & Mend. *in appendic. ad Bullam disp.* 4. *à n.* 54.

278. Quoad secundum: Respondeo, aquam lustralem, seu benedictam esse valde utilem defunctis; nec non fidelibus viventibus: Hæc utilitas constat, quia Ecclesia benedicens aquam, cogat Deum, ut loca in quibus fuerit aspersa, dignetur tueri; indeque avertere dæmonem: similiter, ut pro bonitate sua impertiat pios motus; & culpas, ac pœnas condonet iis, quibus fuerit affusa; & in corporum quoque bonum, usurpari eam sacræ aquæ aspersionem, velit. Unde extant innumera penè miracula circa usum aquæ benedictæ, & circa aspersiones, quæ per illam fiunt super defunctorum sepulcra. Vide Theophil. *citat. proximè quæst.* 5. *per totum.*

279. An verò aqua benedicta ex opere operato peccata venialia deleat? Affirmat Dian. *part.* 3. *tract.* 4. *resolut.* 61. & apud ipsum Henriq. Canus, & alii. At probabilius negandum; non enim id constat ex formula benedictionis aquæ; imo instituere causas eo modo operantes, non videtur esse in potestate Ecclesiæ. Ita Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.*

disp. 12. *sect.* 2. *à n.* 5. *& tom.* 3. *in eandem* 3. *part. disp.* 15. *sect.* 4 Ægid. Coninch. de sacram. *q.* 71. *art.* 3. *dub. unic. n.* 24. & alii apud ipsos, & Dian. *citat.* Idem tenet Theophil. Raynaud. *ubi supra n.* 33.

280. Et quid de ductione defuncti ad tumulum in sacro habitu alicujus ordinis? Respondeo, multùm defuncto prodesse habitum Religiosum ob adjunctas indulgentias; & si hæ deessent, adhuc hic habitus erit illi proficuus; quia ex natura rei est opus pium, & Sanctum: si enim ille indifferens esset indulgentiæ non concederentur: quia ob opus non sanctum concedi non possunt. Vide Theophil. Raynaud. *tom.* 15. *part.* 2. *sect.* 3. *punct.* 10. *quæst.* 4. *per totum*; ubi multa invenies ad hoc intentum.

SECTIO XXIV.

An animæ in Purgatorio detineantur, quoad usque ab hæredibus, seu testamentariis restituantur ea, quæ defuncti debebant?

281. DUplex in hoc puncto datur sententia. Prima est affirmativa, illam defendunt Gabriel *lect.* 28. *in canonem*. Richard. *in dist.* 45. *art.* 2. Medin. *C. de confessione q.* 43. §. *Ac proinde*. Angel. *Verb. Executor n.* 23. Petrus Sot. *lectione* 3. *de Purgatorio* Mend. *in appendic. ad Bull. disp.* 4. *à n.* 20. *& n.* 25. illam judicat probabiliorem; illi favet Card. de Lug. *de pœnit. disp.* 26. *sect.* 3. *n.* 33. ubi illam vocat communem; quamvis negativam videatur sequi *n.* 32. *Vers. in contrarium tamen est.*

282. Probatur primò ex communi fidelium sensu, existimantium animas defunctorum in Purgatorio detineri, donec ab hæredibus fiat restitutio. Et hoc duplici ratione stabilitur à Card. de Lug. prima, quia sæpe Deus, quandiu non fit restitutio, non exaudit preces, & rationes, quæ nomine Ecclesiæ, vel etiam à privatis personis pro anima illius defuncti, offeruntur: ideoque licèt soluta omni pœnâ anima sit liberanda; & licèt suffragia, & sacrificia illi prosint ad satisfaciendum: interim tamen caret, dum non fit restitutio, fructu impetrationis, quem habere posset.

283. Secunda; quia addere possumus pœnam ob dilatam restitutionem augeri posse, tum quoad intentionem, tùm quoad durationem. Sicuti in humana republica experimur, qui alium injustè læsit gravius puniri, dum persona offensa non condonat acceptam injuriam; vel illi non satisfit: mitiùs tamen punitur, si parti læsæ fuerit satisfactum, vel condonatâ injuriâ. Potest ergo contingere, ut ob defectum restitutionis differatur pœna defuncti; quia quandiu persona offensa non condonat, vel eidem non satisfit, pœna delicti præteriti debet esse gravior, & diuturnior. Indeque est, ut defuncti sæpe postulent ab hæredibus fieri has restitutiones; vel interdum ab ipsimet personis offensis veniam peti: Sic Card.

284. Probatur secundò ex authoritate: nam teste August. *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*, & habetur *in Reg. peccatum de reg. juris in* 6. *& in cap. sives*, 14. *q.* 6. *& in cap. cum te, de usuris.* Et illud quod dicitur in Scripturis: *Væ qui prædaris?* Et favet D. Basil. *oratione* 15. *ex iis, quæ habentur apud Simonem Magistrum*; in qua S. Doctor hortatur filium ut restituat paterna furta; his verbis: *Sic enim patris tui pœnam leviorem facies.* Si enim pœna, restituente filio fit levior jam prodest defuncto restitutio à filio facta.

285. Tertiò probatur *ex cap. in litteris, de raptoribus*, in quo Alexander III. scribit Claremontensi Episcopo, de quodam defuncto, qui incendium commiserat, hæredes esse monendos, ut satisfaciant ex facultatibus defuncti damna ab ipso defuncto illata; qui contritus decesserat; & in fine, sic habetur: *Juxta facultates suas condigne satisfaciant, ut sic à peccato valeat liberari.* Si ergo S. Pontifex restitutionem monet, ut defunctus, qui contritus decesserat à peccato liberari valeat; supponit, restitutionem faciendam ab hæredibus posse juvare defunctos in Purgatorio existentes.

286. Quartò probatur ex pluribus animarum apparitionibus poscentium restitutionem; ut illa factâ à Purgatorii pœnis liberentur. Ex quibus unam refert Theophil. Raynaud. *tom.* 15. *part.* 2. *sect.* 3. *punct.* 3. *n.* 1. Scilices, se audivisse à fratre Ordinis Prædicatorum narrante apparitionem sui patris, servo suo fidelissimo factam, dicentis. *Dic uxori meæ, ut solvat tale debitum, quo fit liber.* Et facta solutione, per aliam apparitionem ostendit se esse à pœnis liberum. Alteram refert *eodem n.* ex Cantipratt *l.* 2. *Apum cap.* 53. *n.* 26. Alteram refert Angel. *supra citat.* Item S. Vincentius *serm.* 1. *de Domin. in albis*, narrat diffamatoris animam, etiam postquam in purgatorio expiarat reatum, non potuisse cœlum inferri; donec perpesso infamationem satisfecisset. Item *ex lib. revel. S. Brigittæ cap* 26. in quo refertur, sanctam dixisse: *animam pœnis cruciari, donec restitutio fiat.*

287. Negativam tamen sententiam tuentur communiter Theologi: dicunt enim, animam defuncti non detineri in Purgatorio ob dilationem, vel omissionem restitutionis (per se spectatæ) ab hærede, vel testamentariis. Dixi: *per se spectatæ*, nam per accidens, potest restitutio suffragari defuncto. Hanc sententiam docent D. Thom. *quodlib.* 6. *art.* 13. Cardin. Bellarm. *l.* 2. *de Purgat. cap.* 16. Navarr. *in summ. cap.* 17. *n.* 68. Adrian. *quodlib.* 8. Sylvester *Verb. Testamentum q.* 9. Mayr. *in* 4 *dist.* 21. *q. ult. art.* 12. Petr. Sot. *l.* 3. *de Purgat. in fine.* Sot. *in* 4. *dist.* 45. *q.* 2. *art.* 3. *& l.* 6. *de just. q.* 1. *art.* 1. Molin. *tract.* 2. *de just. disp.* 251. Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 48. *n.* 20. *&* 21. Valent. 2. 2. *disp.* 5. *q.* 6. *punct.* 2. Tyræus *l. de locis infernis cap.* 97. Peltan. *l. de Purgat. cap.* 16. Petrus Navarr. *l.* 4 *de restit. cap.* 4. *n.* 75. Philipp. à Cruce *tract. de Purgat.* §. 7. *n.* 5. Ceced. *in q. practicu q* 31. *n.* 6. *&* 7. Colvenerius *in notis ad cit. cap.* Cantipratan. *n.* 26. *&* 27. adducens Molin. *l. de pia testamentis cap.* 53. *&* 54. Vivald. & alios, quos omnes refert, & sequitur Raynaud. *dict. tom.* 15. *part.* 2. *sect.* 3. *punct.* 3. *n.* 3. Eandem tenent D. Antonin. 3. *part. tit.* 10. *cap.* 3. *sect.* 12. Martin. Carrill. *in Bull. defunct. part.* 2. *cap.* 15. *n.* 3. *& seqq.* Trullench. *l.* 4. *in exposit. Bull. dub.* 8. quos citat, & sequitur Bord. *part.* 4. *tract.* 2. *cap.* 1. *n.* 10. Idem docent Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 24. *disp. unic. punct.* 1. §. 4. *n.* 9. Angles, Grass. Ludov. Lop. Ludovic. Carb. Michael Salon, Henriq.

riq. Sayr. & alii plures, quos congerit, & sectatur Barbos. *in collect. ad decretales tom. 4. ad cap. litteris, de raptoribus, &c. n. 4.* Eandem docet Arag. *de pœnit. disp. 23. n. 38.*

288. Hæc sententia est vera, & facilè probatur: Quia Deus non punit animas in Purgatorio, nisi pro peccatis propriis in hac vita commissis: Ergo illas non detinet in Purgatorio, ex eo, quòd hæredes, aut testamentarii debita non solvant, quæ pro ipsis animabus tenentur solvere. Antecedens liquet; quia vel defunctus ante mortem fecit omne id, quod potuit, ut restitueret, vel non: si primum, nullo modo erit detinendus in Purgatorio; quia faciendo, quod in se erat, ut restitueret, non peccavit, & detentio in Purgatorio est punitio; quæ supponit pœnam plenè non satisfactam; quam supponimus non dari in hoc defuncto. Si secundum, & in eo peccavit mortaliter, non in Purgatorio, sed inferno erit æternis pœnis cruciandus: si verò culpa fuit venialis; in Purgatorio pro illa punietur; ut inquit Bard. *loco cit.* vel in ipso extrinseco mortis momento venialia tolluntur per conversionem perfectissimam ipsius animæ ad Deum; ut ait Raynaud. *tom. 15. part. 2 sect. 3. punct. 5. n. 7.* Et post pœnam debitam solutam, liberabitur à Purgatorio, nullo habito respectu ad restitutionem omissam per hæredes, aut testamentarios, qui pro ea omissione punientur; quæ est illorum culpa propria, & non defuncti. Et ex hoc patet consequentia, nempe: animas defunctorum detineri in Purgatorio, quoad usque hæredes, aut testatores defunctorum ipsorum debita solvant.

289. Confirmatur; quia si dilatio restitutionis, post debitam pœnam solutam, detineret animas in Purgatorio, sequeretur, quòd omnino prætermissa restitutione, animam non esse liberandam à Purgatorio: Sed hoc non potest dici. Primò, quia certum est Purgatorium esse finiendum in mundi fine; ut vidimus *supra Sect. 3. in prima conclusione.* Secundò, quia animæ plenè purgatæ, diutiùs non detinentur in Purgatorio, ut etiam vidimus *dict. Sect. in 3. conclusione.*

§. Unicus.

Dissolvuntur fundamenta contraria.

290. NEc fundamenta sententiæ affirmativæ oppositum suadent: non primum, *in n. 282. notatum*, quia non vulgi inepta opinione, sed sapientum judicio standum est. Ad illa duo, quæ ibi in gratiam hujus opinionis à Card. de Lug. proponuntur; rectè respondet Bardi; nempe, sequi ex eo modo arguendi, quòd defunctus absque culpa propria esset puniendus in Purgatorio; quia supponimus defunctum ante mortem, omnem apposuisse diligentiam, ut restitueret; & hæres sua culpa restitutionem omisit: at Deus in alia vita hominem non punit, nisi ob culpam originalem, vel personalem, ut etiam admittunt ipse Card. & Mend.

291. Dicunt autem Cardin. de Lug. *citat. n. 33.* & Mend. *supra n. 24.* ipsum Card. explicans; quòd Deus non exaudit preces pro illa anima fusas ob culpam hæredum; quia illi liberum est moveri impetrationibus fidelium ad levandos eorum cruciatus; quas tamen exaudisset, si restitutio facta fuisset, & sic citiùs anima liberanda à Purgatorio esset; & in hoc sensu verum esse, animas propter dilationem restitutionis, ampliùs pati in Purgatorio. Addit-

que idem Mend. hæc verba: *Sic explicatus Card. de Lug. non subiacet impugnationi, qua contra illum arguit Bardi: Supponens a Cardinali doceri, omissionem restitutionis esse rationem, ob quam directè anima puniatur: Quod nullatenus ille docet.*

292. Hæc tamen meo judicio non subsistunt; non hoc ultimum: existimo enim juxta eam explicationem Mend. rectè arguisse Cardinalem Bardi *n. 15.* Et illa data explicatione, adhuc eodem modo argueret; nam (ut dicunt Card. de Lug. & Mend. illum explicans) Deus ob culpam hæredum, & non defuncti, nonvult moveri impetrationibus fidelium ad levandos defuncti cruciatus.

293. Sed contra, sic infero. Ergo si ab hæredibus facta fuisset restitutio, Deus moveretur fidelium impetrationibus ad levandos cruciatus defuncti: ergo ob culpam hæredum, & non defuncti dilatorem patitur defunctus in Purgatorio. Et sic non ob culpam propriam, sed alienam patitur defunctus in alia vita. Quòd autem sit Deo liberum exaudire preces, & moveri impetrationibus fidelium non tollit, quòd non sit punitio; nam ut, inquiunt, ideo non movetur, quia hæredes non restituunt.

294. Nec etiam primum subsistit; nam dicere Deum non moveri impetrationibus fidelium, nec exaudire preces, & orationes, quæ pro anima funduntur, ex eo, quòd hæredes non restituunt, & defunctus ante mortem fecit totum quod in se erat, ut restitueret. Est liberè dictum, & minus decens bonitati divinæ: quia sic exaudit preces, & orationes, quæ pro aliis animabus funduntur, & movetur ad illas levandas fidelium impetrationibus; quamvis illi liberum sit illis non moveri: eodem modo ipse Deus se habebit erga hanc animam, cujus hæres sua culpa non restituit; quia nec est acceptator personarum, nec alium punit, nisi ob propriam culpam, vel originalem, vel personalem.

295. Ad aliud exemplum à Cardin. de Lug. allatum de republica humana, quæ graviùs punit illum, dum non satisfacit, vel non condonatur à parte offensa: nullam habet vim; quia non satisfaciendo cùm possit, augetur culpa: ergo & pœna augeri debet: at defunctus jam per se non potest satisfacere; & ante mortem, totum, quod in se erat, fecit, ut hæres restitueret; & quia hic non restituit, & peccat, punietur in sua persona, & non in persona defuncti.

296. Ad secundum *n. 284. habitum* ex Authoritate D. August. & eorum textuum deductum, respondeo: illa verba debere intelligi, quoad hoc sæculum: nam restitutio post mortem pœnitentis non liberat à pœna in alio sæculo, purganda; nec propter illius restitutionis dilationem, anima in Purgatorio detinetur, ut *supra* demonstratum est. Et hunc sensum illis verbis tribuit Barbos. *in collect. ad dictam regul. peccatum*, & alii, quos *ibi citat. n. 7.* Ad verba D. Basilii patebit solutio ex responsione ad quartum.

297. Ad tertium *n. 287.* quod adducunt *ex Cap. in Litteris*; respondeo, dupliciter illum textum intelligi posse; primò asserendo, litteram illius esse mendosam, nam in plurali legi debet, nempe *valent*, & non in singulari, nempe *valet*, quia verbum illud ad hæredes refertur, qui restituendo, & satisfaciendo pro defuncto, à peccato Liberantur; ut non solùm notavit ex Joann. Bard. quem impugnat. Mend. sed etiam idem asserunt Navarr. *in man. cap. 7. n. 68.* Card. de Lug. *supra, dict. n. 32.*

in

in fine Theophil. Raynaud. *cit. n.* 5. Barbos. *in collectan. ad dict. textum n.* 5. *& in collect. ad reg. Peccatum, de regul. juris in* 6. *supra cit. n.* 8.

298. Nec oppositum probat Mend. *ubi supra n.* 23. dicens primò, in nullo exemplari ex pluribus, quæ sedulò inquisivit, eam fuisse appositam correctionem, & odiosum esse corrigere textus. Nam Abbas *in eodem cap. in Litteris n.* 4. *apud Barbos. cit. in collect. ad regul. peccatum n.* 5. testatur verbum *valeant*, esse in Originali, & antiquioribus codicibus. Et Theophil. *cit. dict. n.* 5. hæc adducit verba: *Nam in decreto Alexandri correcti codices habent, à peccato valeant Liberari.* Si ergo Mend. hos codices non invenit, illos hi authores invenerunt, & illis danda est fides.

299. Addo ex Vivald. *in candelab. aureo part.* 1. *tit. de Purgatorio n.* 16. quòd si textus de defuncto esset intelligendus, impropria esset loquutio; quia defunctus jam per Sacramentum, aut per contritionem fuit à peccatis liber; & tantùm remanet obnoxius pœnis Luendis. Et sicut diceretur impropriè de aliquo, qui ultimo supplicio erat puniendus, & rex illi pepercit; si esset incarceratus, propter expensas factas: Parentes solvant expensas, ut ille valeat à morte liberari. Et licet hanc solutionem divinatoriam appellet Petr. Navarr. *loco supra cit.* illi tamen subscribunt Ludovic. Lop. Ludovic. Carb. Spin. Carrill. *locis cit.* & apud Sayr. *in clavi reg. l.* 10. *tract.* 1. *cap.* 2. *n.* 6. *in fine*, qui etiam illos sequitur.

300. Secundus illius textûs sensus est, retento numero singulari, ut est in vulgaribus textibus, *à peccato valeat liberari*, cum respectu ad defunctum: ita ut restitutio prosit eidem, ut citius liberetur à pœna temporali, non per se directè, & immediatè, sed per accidens, & indirectè: quia cùm in eo textu corpus defuncti, si non de jure, ut textus indicat, *in vers. Mandamus*, saltem de facto careret Ecclesiastica sepultura, idque sine colore fundamenti, cùm textus agat de defuncto incendiario manifesto; qui regulariter absque prævia satisfactione non absolvitur, nec potitur Ecclesiastica sepultura, ex textu, *in cap. super eo, eodem titulo*, & D. D. *in cap. ex part.* 13. *de verb. signif. cap. venerabilibus* §. *porrò, vers. secus autem, de sentent. ex commun. in b.* negata ergo interim Ecclesiastica sepultura, privaretur precibus, suffragiis, & oblationibus in funere fieri solitis: mandat ergo S. Pontifex, ut hæredes restituant; quia licèt restitutio per illos facta, directè ad satisfactionem non tendat; est tamen causa, ut defunctus suffragiis, & oblationibus adjuvetur; & sic citius à pœnis peccati Liberetur, ut est in textu. Et hoc modo patet solutio ad secundum, quod Mend. contra Bard. arguebat.

301. Ad quartum ex apparitionibus; respondeo primò, per illas citius defunctorum animæ à purgatorio liberari; quatenus ex facta restitutione creditores, & alii fideles excitantur ad suffragia, & orationes pro ipsis animabus offerendas; hoc autem est per accidens, ut *supra* ostendimus. Respondeo secundò, eas apparitiones eò tendere, ut hæredes à peccato liberentur; nam dum in eo statu existant, nec aliis bonis operibus defunctos juvare possunt: Aliæ solutiones videri possunt apud *citatos*, præsertim apud Raynaud. *cit.* ubi peculiariter ad quamlibet ex supra dictis æquè satis respondet.

SECTIO XXV.

Quodnam suffragium sit alio magis satisfactorium pro defunctorum animabus?

302. *Supra Sect.* 7. vidimus ad quatuor reduci capita suffragia, quæ pro defunctis offerri possunt. *Ex cap. anima defunctorum* 13. *q.* 2. In præsenti inquirimus, quòdnam illorum majorem afferat utilitatem ipsis defunctorum animabus; nam omnis alia præcellentia hoc loco est extra rem; primo loco aliorum refero opiniones, & secundo, quod sentio, aperiam.

303. Prima sententia est Sylvest. *in summ. Verb. satisfactio n.* 8. Armillæ, & aliorum asserentium, eleemosynam esse jejunio, & oratione magis satisfactoriam, quam sententiam valde probabilem putat Mend. *in appendic. ad Bull. disp.* 4. *cap.* 6. *à n.* 45. quam probat ex Scriptura, & S. S. variis authoritatibus, & ex eo, quòd sit valde difficilè propriis bonis spoliari.

304. Secunda sententia est Sot. *in* 4. *dist.* 45. *q.* 2. *art.* 3. *conclusion.* 1. & Peltani defendentium, post missam primum locum obtinere eleemosynam, & orationem: quia hæc duo ad communionem charitatis, & ad directionem intentionis in alterum suapte natura pertinent. De eleemosyna constat; quia est miseriæ alienæ sublevatio; quæ est unus ex præcipuis charitatis effectibus: ergo unitatem charitatis maximè involvit. De oratione patet; quia orantis intentio fertur in alterum, pro quo oratur.

305. Tertia demum sententia est Bartholomæi à S. Faust. *l.* 1. *de suffragiis q.* 5. Bard. *part.* 4. *tract.* 4. *cap.* 1. *n.* 18. & aliorum dicentium, jejunium ex genere suo, non tamen secundùm rationes particulares, esse oratione, & eleemosyna magis satisfactorium. Probant, quia quantò magis opus est pœnale, eò magis est satisfactorium: Sed jejunium est opus magis pœnale: ergo.

306. Dicunt: *non tamen secundùm rationes particulares*; quia ut explicant Bard. *cit. n.* 17. & Theophil. Raynaud. *tom.* 15. *part.* 2. *Sect.* 3. *punct.* 3. *n.* 14. potest contingere, quòd una operatio secundùm genus suum, sit magis satisfactoria, & secundum suas individuas rationes minus: quia alia in talibus circunstantiis potest esse Deo magis grata, & aliam excedere.

307. Nomine autem jejunii, veniunt flagellationes, cilicia, & aliæ carnis macerationes; necnon aliæ pœnæ, quas homo in hac vita patitur, sive à Deo, sive ab aliis, sive à se ipso sint inflictæ, & patienter toleratæ.

308. Addit Bardi *n.* 19. inter eleemosynam, & orationem censeri ab eo orationem esse magis satisfactoriam, quàm eleemosynam; quia est magis afflictiva corporis; & non posse negari, quin carnem affligat, sicut reliqua exercitia mentalia, juxta illud *Ecclesiastes cap. ult. vers.* 11. *frequens meditatio, carnis afflictio est*: at eleemosyna nullo modo est carnis afflictiva. His allatis sententiis.

309. Dico primò: suffragium inter omnia potissimum, & utilissimum defunctis, est incruentum missæ sacrificium pro illis oblatum; quo Christi satisfactiones in ea mensura, quam Deus scit, &

de-

decrevit, adhibentur defuncto. Illi sunt annectendæ oblationes; quia vel sunt alicujus ad sacrificium spectantis, vel pro obtinendo à ministris sacrificio, fiunt. In hoc omnes conveniunt; & expressè constat *ex Trid. sess. 25. in principio, de decreto Purgatorii*, ubi dicitur, animas fidelium in Purgatorio detentas, fidelium suffragiis, potissimùm verò, acceptabilis altaris sacrificio, juvari.

310. Dico secundò: Post incruentum missæ sacrificium censeo, obtinere locum præcipuum inter reliqua suffragia, indulgentiæ; quæ per modum suffragii defunctis applicantur. Ita Theophil. Raynaud. *tom. 15. part. 2. Sect. 3. punct. 3. n. 13.* Ratio est, quia illud suffragium est magis proficuum animabus Purgatorii, quod majori pollent vi satisfactiva, quàm jejunium, eleemosyna, aut oratio: ergo. Major est certa, minor probatur; quia indulgentiæ continent satisfactiones Christi, & Sanctorum; & ex opere operato prosunt defunctis: at hæc non dantur in jejunio, eleemosyna, & oratione; cùm non sint adeo pœnales, quàm satisfactiones sanctorum: ergo indulgentiæ majori pollent vi satisfactiva.

311. Nec dicas: Per exiguam pœnam, & molestiam dari in lucratione indulgentiæ: ergo cùm lucratio non sit adeo pœnalis, non erit tàm satisfactoria. Non inquam, hoc dicas; quia in assecutione indulgentiæ, non est attendenda molestia illius, qui illum consequitur; sed spectandum est, quantæ, & quàm ærumnosæ fuerint perpessiones sanctorum, quæ per indulgentiam repræsentantur Deo in solutionem pro pœna defuncti.

312. Dico tertiò: Jejunia fidelium vivorum magis, ex genere suo prosunt defunctis, quàm Eleemosyna, & oratio; & in hoc convenio cum tertia sententia. Ratio est; quia ut vidimus *supra* 20. *n.* 259. quantò magis opus est pœnale, & laboriosum, tantò magis esse satisfactorium. Sed jejunia, flagellationes, & alia cujusmodi opera sunt magis pœnalia, & laboriosa, quàm Eleemosyna, aut oratio: Ergo illis sunt præstantiora.

213. Dico quartò: Eleemosyna ex genere suo, magis prodest defuncto, quàm oratio, & sic convenio cum prima sententia. Ratio est, quia elargitio Eleemosynæ, est opus pœnale; & quò major est Eleemosyna, magis est pœnalis; præ tenacitate, qua miseri mortales ad sua bona retinenda, propensi sunt. Et quia supra vim satisfactivam, habet etiam impetrativam, juxta illud *Eccle*: 29. *Vers.* 15. *absconde Eleemosynam in sinu pauperis, & ipse orabit pro te ad Dominum*; ut videre est apud Durand. *in 4. disp.* 15. *q.* 6. *n.* 7. *& Eccli.* 9. *Claude Eleemosynam in ore pauperis, & ipse exorabit pro te in die malo:* Ergo Eleemosyna, ex genere suo, est magis satisfactoria, quàm oratio.

314. Imo D. Chrysost. illam jejunio anteponit, apud D. Thom. *in caten. ad cap. Luc.* 11. *Est enim* (inquit) *Eleemosyna, quæ caret injustitia qualitet. Hæc omnia facit munda, & jejunio est præstantior.* Hæc autem antepositio, quatenus est nobis contraria, intelligenda est, juxta jam dicenda.

315. Dico quintò: Quæ in prædictis conclusionibus à nobis sunt dicta, accipienda sunt ex genere, & natura ipsorum suffragiorum, nam per accidens, potest contingere, ut aliquod, quod aliis antepositimus, magis Deo sit gratum in aliquibus circunstantiis; & sic ut magis defunctis proficuum sit prælegendum. Unde Theophil. *cit. n.* 14 ex Sot *in 4. dist.* 45 *q.* 2. *art.* 3. *§. ut quantum*, ait: quamvis sacrificii missæ tanta sit pro defunctis utilitas, ratione tamen necessitatis pauperum, quos Deus nobis tantopere commendavit, posse quandoque Eleemosynam esse defunctis fructuosiorem, quàm sacrificiorum multiplicationem. Vide illum *cit. loco; & per totam secundam part. tom.* 15. ubi plura adducit, & disputat de suffragiis pro defunctis.

316. Ad fundamentum Bard. *adductum n.* 328. intentis orationem ex genere suo, esse magis satisfactoriam, quàm Eleemosynam; quia est carnis magis afflictiva, respondeo ut *supra*, magis afflictivam esse Eleemosynam ex genere suo, ut ostendimus *n.* 313. Non nego tamen ex circunstantiis, orationem mentalem, præsertim si sit flexis genibus, & ex quantitate temporis, posse esse jejunio, & Eleemosynâ defunctis fructuosiorem; quia ipsis orantibus in iis circunstantiis, est magis laboriosa eleemosynâ, & jejunio ex genere suo, & naturâ sua: nos autem loquuti sumus, cæteris paribus, & ex genere cujuslibet suffragii inspectati.

317. Addo ex Escob. *in summ. tract. 7. exam. 5. n.* 53. quem refert, sequitur, & laudat Gobat. *tom. 2. tract. 4. n.* 499. præstantissima esse suffragia missæ, & indulgentiæ plenariæ; si tamen pro uno defuncto, jam missæ multæ fuerint celebratæ; & aliunde urgeat necessitas magna viduarum, & pauperum, non ingratior Deo erit, per eleemosynam satisfactio. Et ita habet praxis: nam plures non solùm in suis testamentis mandant pro suis animabus fieri plura sacrificia, sed etiam, ut plures viduis, & pauperibus Eleemosynæ elargiantur.

SECTIO XXXVI.

Quinam possint indulgentias pro defunctis concedere?

311. Restat dicendum de suffragiis per indulgentias, quæ ex opere operato suum habent effectum, ut jam *supra* notavimus; quia tamen *disp. 7. sect.* 3. vidimus, qui possint pro vivis Indulgentias concedere; in præsenti supereſt videre, quinam illas pro defunctis impertire valeant.

319. Et certum est apud omnes catholicos, indulgentias defunctis prodesse, si illarum sint capaces. Quamvis enim id negarunt Hostiens. *in summ. l. 5. tit. de remiss. §. quibus pro sint, & §. ubi operatur.* Gabriel. *lect.* 57. *in Canon. missæ*; at accepta Sixti IV. declaratione contraria, mox suum errorem retractavit, & alii apud Raynaud. citandum. Hodie tamen non potest sine errore negari, indulgentias à S. Pontifice defunctis posse impertiri. Et hoc esse indubitatum tradunt Catd. Bellarm. *l. 1. de indulg. cap.* 14. *& l. 2. de Purgatorio cap,* 16. Soar. *tom. 4. in 3. part. disp.* 53. *sect. 1. n* 5. Ludovic. à Cruce, Lucas Trudens. Felin. Navarr. & alii quos referunt Card. de Lug. *disp. 27. de pœnit. sect.* 3. Raynaud. *tom. 15. part. 3. sect. 3. punct. 5. n. 1.* Bard. *part. 4. tract. 3. cap. 2. n. 2.* Mend. *disp. 36. n. 16.* Dicastill. *tom. 2. de Sacram. tract. 9. disp. 2. n. 220.* & alii.

320. Ratio hujus veritatis efficax, est diuturnus Ecclesiæ usus; quæ errare non potest in concedendis Indulgentiis pro defunctis. Et id etiam constat ex aliquibus Pontificum declarationibus, ut à Sixto IV. apud Gabriel *supra cit.* & Leon. X damnan-

nante errores Lutheri, & in rescripto ad Cajet. quod ipse refert 3. *part. q.* 48. *art.* 5. Et hoc ipsum declarant implicite omnes Pontifices, dum Indulgentias pro defunctis concedunt. Deinde ostenditur; quia animæ defunctorum juvari possunt suffragiis, & satisfactionibus viventium, ut est de fide, & nullus ambigit: ergo etiam juvari possunt Indulgentiis.

321. An verò alius Prælatus, præter S. Pontificem, possit pro defunctis Indulgentias concedere? Respondeo, non posse; quia si illas aliqui Prælati possint concedere, hi essent Episcopi: at Episcopi nullas concedunt, nisi ex commissione S. Pontificis: Pontifex autem in concessione, illis factâ, circa indulgentias, nullam mentionem facit de defunctis. Vide quæ diximus *disp.* 7. *sect.* 3. *n.* 28. Et ita docent Mend. *disp.* 36. *n.* 17. cum Henriq. quem citat; & Gobat *tom.* 2. *tract.* 4. *n.* 264. & apud ipsum Cordub. *q.* 19. Navarr. *de Indulg. & jubil. notab.* 22. *n.* 4. Idem tenet Dicastill. *tom.* 2. *de sacram. tract.* 9. *disp.* 2. *n.* 28. & *n.* 221. id asserit cum pluribus de Indulgentiis plenariis.

322. Contra hanc resolutionem stat primò supplementum *disp.* 45. *q.* 3. *art.* 2. *propos.* 6. alios citans, ex hac ratione: Quia S. Pontifex concedens Episcopis facultatem concedendi Indulgentias, eam non restingit ad viventes: cum ergo materia sit favorabilis animabus defunctorum, & in nullius præjudicium, ad illas est extendenda. Respondeo, negando antecedens; quia ea facultas solum ad viventes restringitur, ut colligitur *ex cap. Quòd autem de pœnis, & remiss.* ubi dicitur, Episcopos non posse dare Indulgentias, nisi suis subditis; animæ autem defunctorum illis non sunt subditæ.

323. Secundò contra est Ludov. à Cruce *in Bull. disp.* 2. *dub.* 9. *n.* 6. citans Gabriel, & inquiens, Episcopis de jure divino competere facultatem concedendi Indulgentias pro defunctis, illas tamen de facto non concedere; quia illis hoc jus per S. Pontificem est impeditum. Respondeo, negando assumptum, quia si Episcopis de jure divino non competit facultas concedendi Indulgentias pro vivis, ut vidimus *dicta disp.* 7. *sect.* 3. *n.* 33. nec etiam ea illis competit, ut Indulgentias pro defunctis concedant. Imò assero, si Episcopis competeret facultas concedendi Indulgentias defunctis ex jure divino, etiam illis competeret, eas concedendi pro vivis suis subditis; non enim apparet dispar ratio: cum verò illis ea facultas non sit concessa pro vivis, *ex sit. loco* vidimus; etiam in hoc, illam pro defunctis, dicimus jure divino, non esse concessam. Vide Raynaud. *tom.* 15. *part.* 2. *sect.* 3. *punct.* 3. *n.* 16. ubi plures pro utraque sententia citat, & nostram tandem amplectitur.

SECTIO XXVII.

De modo, quo Indulgentiæ pro defunctis conceduntur.

324. PRæmittendum est primò, duplicem esse modum, sub quibus Indulgentiæ conferuntur: nempe per modum absolutionis, & per modum solutionis, sive suffragii. Tunc conceditur Indulgentia per modum absolutionis, quando conceditur subdito ab eo, qui in illum habet authoritatem. Indulgentia verò per modum solutionis, seu suffragii (ut loqui solent D. Thom. & Scholastici) tunc datur, quando remissio pœnæ non fit ab homine judice, sed à Deo acceptante pretium idoneum ex communi Ecclesiæ Thesauro; quod tamen homo, nempe S. Pontifex ad id exhibet. His præmissis.

325. Conveniunt D. non posse S. Pontificem concedere Indulgentias animabus Purgatorii per modum absolutionis, sed solùm per modum Solutionis, seu suffragii. Sic D. Bonavent. Major, Gabriel, quos refert, & sequitur Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 53. Cardin. Bellarmin. *de Indulgent. l.* 1. *cap.* 5. *q.* 1. & *cap.* 14. *q.* 2. Cardin. de Lug. *de pœnitent. disp.* 17. *sect.* 5. Cordub. Barthol. à S. Faust. & alii, quos citat, & sequitur Bard. *in Bull. part.* 4. *tract.* 3. *cap.* 2. *n.* 8. quibus accedunt Theophil. Rainaud. *tom.* 15. *part.* 2. *sect.* 3. *n.* 3. *punct.* 5. *n.* 2. & 6. & apud ipsum Valent. Ægid, & alii contra Gerson. Turrian. & Medin. contendentes Indulgentias, etiam respectu defunctorum, concedi per modum absolutionis, quia animæ in Purgatorio existentes, etiam ad jurisdictionem Pontificis pertinent; quod non est verum, ut ostendo.

326. Duas continet partes dicta conclusio: Probatur prima, nempe S. Pontificem non posse concedere Indulgentias animabus Purgatorii, per modum absolutionis: quia concessio Indulgentiæ requirit in concedente jurisdictionem in eum, cui conceditur Indulgentia per absolutionem: Sed S. Pontifex jurisdictionem directam non habet in animas Purgatorii: ergo per modum absolutionis, illis non potest concedere indulgentias. Major patet, quia nemo potest ligari, vel absolvi ab eo, qui non est suus judex, ut constat ex Alexandro III. *id cap. Quod autem, de pœnit. & remiss.* ergo, ut quis ligetur, vel absolvatur, requiritur jurisdictio in eo, qui ligat, vel absolvit. Minor ostenditur, *ex Epistola Leonis, ad Rusticum Episcopum Narbonensem*, relatâ à Gratiano 24. *q.* 2. *cap.* 1. & *ex Epistola ad Faustum, & ex cap. Ne quisquam eadem q.* 2. in quibus locis dicitur, Ecclesiam non posse ligare, aut absolvere, nisi solùm viventes: Sed nomine viventium non veniunt defuncti: Ergo illos non potest S. Pontifex ligare, aut absolvere; ex eo, quòd in illos non habeat jurisdictionem.

327. Probatur secunda pars dictæ conclusionis; nempe, posse S. Pontificem animabus Purgatorii concedere Indulgentias per modum Solutionis, sue per modum suffragii: sive ea concessio possit etiam fieri immediatè ipsis animabus, ut tradunt Soar. *supra cit. dict. disp.* 53. *sect.* 3. *n.* 13. Filliuc. *tract.* 8. *n.* 209. Bard. *part.* 4. *tract.* 3. *cap.* 2. *n.* 18. Mend. *disp.* 36. *n.* 23. Navarr. *de indulgent. & jubil. notab.* 22. *n.* 33. testans, nonnullos Pontifices hac fuisse usos potestate erga aliquos defunctos de sede Apostolica benè meritos, & quòd adhuc id posse fieri à S. Pontifice erga defunctum benè meritum de Ecclesia, asserit Raynaud. *dict. tom.* 15. *part.* 2. *sect.* 3. *punct.* 5. *n.* 3. *in fine.* Sive non possit fieri immediatè, ut tenent D. Thom. *in* 4. *dist.* 45. *q.* 2. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. Cardin. Bellarmin. *cit. cap.* 4. Card. de Lug. *de punit. dicta disp.* 27. *n.* 62. dicens oppositum esse inauditum in Ecclesia. Probatur igitur, quia S. S. Pontifices, cùm indulgentias pro defunctis concedunt, eas concedunt utentes formulâ per modum suffragii.

328. Hæc tamen Indulgentia per modum suffragii, quoad effectum, non differt ab indulgentia per modum absolutionis; sed solùm quoad modum communicationis; ut inquit Soar. *proximè n.* 15. Nam quando Indulgentia conceditur per mo-

dum absolutionis, S. Pontifex, ut judex, illam concedit suo subdito immediatè, & tanquam minister Dei, & judex, ejus locum tenens: quando verò illam concedit per modum suffragii illi, qui non est subditus ex Thesauro Ecclesiæ, pro illo Deo offert æquivalentem satisfactionem, ut illi remittat pœnam pro suis peccatis debitam. Cùm tamen hoc subsidium applicetur defuncto, in quem S. Pontifex non habet authoritatem; hæc Indulgentia retinens commune nomen subsidii, dicitur esse per modum suffragii, ad differentiam alterius Indulgentiæ, quæ conceditur viventibus, in quos S. Pontifex habet juridicam, & directam potestatem.

329. Hæc autem sequenti exemplo solent declarari; assignando duplicem modum, quo Princeps potest liberare, seu redimere captivos. Primus modus ita se habet; potest noster Serenissimus Princeps aliquem reum carceribus, seu triremibus damnatum, liberare per directam potestatem, & jurisdictionem, quam habet in illum; quia est suus subditus, & locis suæ dictionis inclusus detinetur; & sic eum à carceribus, vel triremibus liberando, illum liberat per modum absolutionis; nempe per juridicam absolutionem. Secundò modo, etiam eum liberare valet, scilicet per modum adjuvantis, offerendo alteri Principi, sub cujus potestate est captivus, æquivalentem compensationem; ut sic eum liberet à captivitate, quâ detinetur ab extraneo Principe. Primo modo dicitur liberatio per modum absolutionis; quia liberatio fuit per potestatem, quam habebat in suum subditum, sub sua ditione existentem; liberatio verò secundo modo est per modum auxiliantis; quia captivus non est sub sua jurisdictione, sed alterius Principis. Sic in nostro casu: S. Pontifex concedendo Indulgentias fidelibus viventibus, illos liberat à pœnis pro suis peccatis debitis juridicâ potestate, & per modum absolutionis; quia directam in illos habet potestatem: Defuncti autem detinentur in carceribus, nempe in Purgatorio, sub alterius potestate, nempe Dei; & sic in illos S. Pontifex non habet potestatem; offert tamen Deo, ex Thesauro Ecclesiæ, pro anima alicujus in Purgatorio detenti, æquivalentem satisfactionem, & sic illam animam adjuvando, dicitur illam juvare per modum solutionis, seu suffragii; non verò per modum absolutionis.

SECTIO XXVIII.

An applicatio Indulgentiæ pro defunctis facta, infallibiliter suum sortiatur effectum?

330. NEgant permulti, Cajet. *tom.* 1. *opusc. tract.* 16. *q.* 5. Petr. de Sot. *l.* 3. *de Indulg. lect.* 10. Cordub. *de indulg. q.* 13. *&* 15. *opin.* 4. Richard. *in* 4. *dist.* 20. *art.* 3. *q.* 3. Durand. *q.* 4. *n.* 12. Henriq. *l.* 7. *cap.* 7. *n.* 4. Laym. *l.* 5. *summ. tract.* 7. *cap.* 7. *n.* 2. Bonac. *tom.* 1. *disp.* 6. *q.* 1. *punct.* 6. *circa finem.* Card. autem Bellarm. etiamsi hanc sententiam omnino non audeat approbare *l.* 1. *de Indulg. cap.* 14. *q.* 4. *in fine*, cùm contrariam dicat magis piam, illam tamen, inquit, esse valde rationabilem.

331. Probant ex ea ratione, quam attulimus *supra sect.* 11. *in principio*, quâ pronuntiant, non posse nos aliis suffragiis defunctos adjuvare, nec ex justitia, nec infallibiliter; quia illa non tenetur Deus acceptare; Conveniunt tamen cum eo, quòd *supra sect.* 10. diximus; quòd solutio per suffragia, vel per indulgentiam applicata, sit condigna; quia est æqualis; at negant habere infallibilem effectum; quia tantùm à Deo ex sua bonitate, & misericordia acceptatur; quippe ex justitia suffragia, & Indulgentias non tenetur acceptare.

332. Id tamen specialiter de Indulgentiis probat Layman. & aliqui ex usu fidelium; qui postquam Indulgentiam plenariam pro quodam defuncto, lucrati sunt per missam in Altari privilegiato, vel per Bullam defunctorum, illi applicatam; adhuc repetunt eandem Indulgentiam, & alia plura suffragia, ex qua repetitione non habent certum, quod indulgentiæ illi infallibiliter prosint.

333. Dicendum tamen arbitror, contrariam sententiam non modo videri mihi magis piam, sed etiam simpliciter veram; nempe, Indulgentias infallibiliter prodesse defunctis. Ita Sot. *in* 4. *dist.* 21. *q.* 2. *art.* 3. *& dist.* 45. *q.* 2. *art.* 3. Navarr. *in comment. de indulgent. notab.* 22. *n.* 17. *& seqq.* Valent. *tom.* 4. *disp.* 7. *q.* 20. *punct. ult. in medio.* Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 53 *sect.* 3. *n.* 3. Ægid. Coninch. *de Sacram. disp.* 12. *dub.* 10. *n.* 45. Ludovic. à Cruce *in Bull. defunctorum dub.* 5. *n.* 7. Card. de Lug. *disp.* 27. *de pœnit. n.* 59. malè citatus pro opposita sententia à Dicastill. *tom.* 2. *de Sacram. tract.* 9. *disp.* 2. *n.* 246. *& n.* 247. utramque sententiam judicante probabilem. Nostram verò etiam defendunt Castr. Palao. *tom.* 4. *tract.* 24. *punct.* 10. *n.* 4. Teophil. Raynaud. *tom.* 13. *part.* 2. *sect.* 3. *punct.* 5. *num.* 9. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *n.* 483. & apud ipsum Filliuc. *tract.* 8. *n.* 205.

334. Ratio præcipua desumitur ex Bullâ Leonis X. ad Cajet. apud Cardin. de Lug. *cit.* in qua S. Pontifex asserit, Indulgentias defunctis applicatas, non minus illis prodesse, ac si vivis essent concessæ, & ab ipsis viventibus illis applicarentur: sed indulgentiæ vivis prosunt ex certa Christi promissione: ergo etiam prodesse debent defunctis; quia S. Pontifex ex eadem potestate, quâ illas concedit vivis, illas defunctis concedit.

335. Ad fundamentum oppositæ sententiæ n. 332. allatum, respondeo, solere pro eadem anima applicari diversas indulgentias plenarias, & plura sacrificia in Altari privilegiato, primò; quia nostra sententia, non est adeo certa, ut contrariæ auferat probabilitatem; quæ cùm pro se habeat tot patronos, probabilis sanè est; meritò ergo fideles repetunt eandem indulgentiam, ut securiùs suis prospiciant. Secundò: quia non constat, an causa ob quam S. Pontifex concessit Indulgentiam sit sufficiens. Tertiò; quia non constat de intentione sacerdotis applicantis missam in Altari privilegiato, à se ipso celebratam. Quartò; quia ignoratur, an ob peculiarem causam, velit Deus circa hanc, aut illam animam facere exceptionem à sua generali promissione; ut aliquando contingere, asserit Raynaud. *cit. n.* 10. Quintò; quia nescitur, an qui Indulgentiam plenariam alicui animæ applicavit, aut donavit omnes conditiones adimpleverit. Aliæ videri possunt apud cit. D. D. & *supra* jam aliqua attigimus.

SECTIO

SECTIO XXIX.

An validè possint Indulgentiæ defunctis aplicari, quando, in forma concessionis, id non exprimitur?

336. MUlti viri prudentes sibi persuasum habent, posse Indulgentias applicari defunctis, quando in formula dicitur, quod indulgentia omnibus fidelibus conceditur. Ratio est, quia ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus; præsertim in materia favorabili: ut tenet Barthol. communiter receptus apud Rodrig. *tom.* 1. *q. q. regul. q.* 11. *art.* 6. sed in concessione, dicitur generaliter, indulgentiam concedi pro omnibus fidelibus; sub quibus fideles defuncti comprehenduntur: ergo etiam ad fideles, qui sunt defuncti, debent indulgentiæ extendi si pro illis à vivis applicentur.

337. Dicendum tamen est, Indulgentias non posse applicari defunctis, nisi id specialiter, in illarum concessione, exprimatur. Sic D. Thom. *in* 4. *dist.* 45. *q.* 2. *art.* 3. *quæstiuncul.* 2. D. Bonav. Alens. quos citat, & sequitur Soar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 53. *sect.* 1. *n.* 7. Bonacin. *tom* 1. *de sacram. disp.* 6. *q.* 1. *punct.* 6. *n.* 7. Sanctarell. *de Jubil. cap.* 15. *dub.* 13. Bard. *part.* 4. *tract.* 3. *cap.* 2. *n.* 5. Trullench, Rodrig. & alii, quos refert, & sequitur Quintan. *tom.* 1. *tract.* 1. *appendic. dub.* 14. *n.* 10. Dicastill. *tom.* 2. *de Sacram. tract.* 9. *disp.* 2. *n.* 225. & expressius *n.* 236. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *n.* 264. *& n.* 266. *in fine, & n.* 465. Raynad. *tom.* 15. *part.* 2. *sect.* 3. *punct* 5. *n.* 17. & apud illum Gabriel *lect.* 57. *in Canon. miss. litt. K.* dicens ita declarasse Sixtum IV. & addit defectu extensionis ad defunctos, non illis prodesse Indulgentias, in plerisque Jubileis, suo tempore concessis, ut à Martin. V. in Concil. Constant. contra Boemos, & à Pio II. contra Turcas, & tempore Concil. Basileensis pro reductione Græcorum; ac etiam anno 1450. qui fuit annus Jubilæi; quia in his omnibus fuerat Indulgentia absolutè concessa, absque mentione defunctorum.

338. Idem tenet Lezan. *in summ. Verb. Indulgentiæ n.* 21. ubi inquit, ita habere stylum Curiæ, & regulas cancellariæ; atque ad eo, si Pontifex dicat: *Concedo tibi omnes Indulgentias septem Ecclesiarum Romæ*, non extenditur hæc concessio ad indulgentias, quæ iis Ecclesiis datæ sunt, etiam pro defunctis. Hæc Lezana post Soar. *disp.* 52. *sect.* 8. *in fine*, & Sanctarell. *loco cit.* Vide etiam quæ diximus *disp.* 10. *n.* 56.

339. Ratio est; quia nemo potest ad sui libitum disponere de Indulgentiis, nisi eo modo, quo à S. Pontifice conceduntur: Sed quando in forma concessionis non exprimitur, quòd possint pro defunctis applicari; S. Pontifex illas, pro illis non concedit: Ergo pro illis applicari non possunt.

340. Ad fundamentum contrarium *n.* 336. allatum, respondeo, majorem esse veram, quando in oppositum non datur lex, aut consuetudo, quæ aliud disponat: at circa Indulgentias datur declaratio Sixti IV. & communis Ecclesiæ consuetudo disponens illas non extendi ad defunctos; nisi in concessione id expresè apponatur; & sic nomine fidelium in concessionibus, solùm veniunt fideles viatores viventes, & non defuncti.

341. Ex hac ratione sequitur primò, non posse lucrantem Jubilæum duplicis hebdomadæ, in prima pro se ipso, in secunda verò hebdomada, repetitis operibus, illum lucrari, pro anima alicujus defuncti; *in* sententia illorum, qui docent, illum bis posse lucrari; quia licèt pro se ipso, in illa sententia, illum lucrari possit; non tamen Indulgentiam illius potest applicare defuncto; quia id in concessione non exprimitur. Sic Gobat *supra cit.*

342. Secundò sequitur, posse fideles, qui die Dominicâ cujuslibet mensis designatâ, pro communione generali à Patribus noltræ Societatis, Sacram susceperint communionem in Ecclesiis ejusdem Societatis, & eas devotè visitaverint, Indulgentiam plenariam concessam pro animabus defunctorum applicare; quia ita in concessione exprimitur; ut videre est apud Quintanaduenâs *supra*, & Gobat *tom.* 2. *tract.* 3. *n.* 188. *&* 190. qui referunt concessionem ab Urbano VIII. & Gobat ab Innocentio X. factam.

343. Addo, quod supra *n.* 338. attulimus ex Lezan. asserente per Regulas cancellariæ, non extendi concessionem omnium Indulgentiarum septem altarium ad defunctos, quamvis in iis septem Ecclesiis Romæ, pro illis sint concessæ, mihi non placere; quia non constat Regulas cancellariæ stare pro ipso, ut notavit Gobat *cit. tract* 4. *n.* 265. & videri potest apud Soar. *cit.* videantur etiam, quæ diximus *supra sect.* 17. in explicat. Primæ clausulæ Brevis Altaris privilegiati *à n.* 163. *& in disp.* 10. *n.* 57.

SECTIO XXX.

An possit quis propria authoritate Indulgentiam, quam intendit lucrari, pro defuncto offerre, sicut potest pro eodem jejunia disciplinas &c.

344. ID posse fieri licitè, & fructuosè, affirmavit Gobat *tom.* 2. *tract.* 4. *n* 466. in prima editione; quia tamen invenit Dian. *part.* 10. *tract.* 16. *resol.* 12. Cotonium *Celeb. controvers. l.* 2. *controv.* 11. *cap.* 1. *n.* 112. Adam Burghaber *centur. q.* 72. qui suam opinionem non approbabant; in tertia Editione, inquit, hos viros sibi non irrationabilem metum injicere; & quamvis ostendat, illos non loqui in eo sensu, in quo ille suam proposuit sententiam illam tamen explanat, & ulterius roborat *in fine n.* 471. quo hæc terminatûr explanatio, illam his verbis absolvit: *Hæc dicta sunto disputandi, & disputata remittendi ad aliorum iteratum examin. causâ.* Quod ego sentio, jam dico.

345. Duo continet hæc sententia Gobat, primum; an possit quis propria authoritate suammet Indulgentiam licitè, pro aliquo defuncto, applicare, quod idem est; an sit licitus hic actus applicandi? Secundum, an possit fructuosè? Quod attinet ad primum, convenio cum Gobat; quia non potest negari, hunc actum esse bonum, & pium: *Clementissime Deus rogo te, ut illam Indul-*

gentiam plenariam, quam cras in die Porciunculæ comparare studebo, dignetis admittere potius pro expiandis mei patris defuncti peccatis, quàm mei: Ergo est licitus. Antecedens ostenditur; quia majoris meriti est, & Deo gratius, satisfactiones proprias defunctis applicare, ut fusè, & solidè docet Jacobus Hautinus *l. 2. patricinii defunctorum cap. 3. art. 1.* contra Arriag. Et autumat etiam contra aliquos Theophil. Raynaud. *tom. 15. part. 2. sect. 3. punct. 6. n. 5. & 6* & obiter *sect. 2. punct. 1. n. 4.* & idem tenet Gobat *tom. 2. tract. 4. n. 505.* citans prædictum Hautinum: si ergo est majoris meriti, & charitatis, & Deo gratius proprias satisfactiones defunctis applicare, quàm sibi reservare; etiam erit illa precatio majoris charitatis, & Deo grata; quâ quis à Deo implorat, ut potius pro expiandis sui patris defuncti peccatis, dignetur admittere Indulgentiam plenariam, quàm pro propriis; quia in hac precatione ostendit se velle pro defunctis suam Indulgentiam illis applicare, quàm sibi ipsi reservare. Nam ut docet idem Gobat *cit. n. 502.* hunc actum, secundum se spectatum, quo dico: *Domine Deus hanc indulgentiam offero tibi pro tali, aut tali anima*, esse meritorium, satisfactorium, & impetratorium: Ergo cùm sit talis, est bonus, & licitus.

346. Nec in hac precatione sentire potest damnum; nam si Deus, ut potest, illam acceptet, ea oratio habebit effectum, quem intendebat: si autem, illam non acceptet, nec admittet; fructus illius indulgentiæ remanebit apud ipsum, sicut etiam fructus satisfactionis remanet apud offerentem pro aliis; quando illi sunt illius incapaces, juxta implicitam, & interpretativam voluntatem offerentis, qui censetur sibi velle satisfacere, quando pro aliis satisfacere non potest, juxta illud *Psalm. Oratio mea convertetur in sinu meo*, & illud *Matth. 10. Pax vestra revertetur ad vos.* Et tradit idem Gobat *cit. n. 469. & 471. in fine*, & cum Soar. Soto. Graff. Medin. & Coninch. Dicastill. *tom. 2. de Sacram. tract. 9. disp. 3. n. 16.* si verò ea satisfactione non indigeat, aggregatur Thesauro Ecclesiæ.

347. Quod attinet ad secundum, quod asserebat Gobat; nempe posse quem privata authoritate offerre pro defuncto suammet indulgentiam fructuosè, hoc est cum effectu, ut potest jejunia, disciplinas &c. Respondeo, hoc non esse verum, primò; quia indulgentia non donatur ab ipso offerente, sicut donantur satisfactiones jejunii, disciplinarum &c. Sed donatur à S. Pontifice, ut docet Soar. *tom. 4. in 3 part. disp. 72. Sect. 7. n. 3. in fine*, & alii, quos *supra citavimus n. 337.*

348. Secundò; quia Theophil. Raynaud. ex quo suam probat sententiam Gobat, existimat absurdissimum, *tom. 15. part. 2. Sect. 2. punct. 2. n. 7.* censere aliquem, posse indulgentiam sibi concessam in alium transfundere, sive applicare; quod expressè, & latè probat per citatum numerum: cùm ergo Gobat velit indulgentiam alicui concessam posse defuncto donari, vel ei applicari per privatam authoritatem, non rectè procedit; quia est contra D. D. id communiter sentientes, quos *supra n. 337.* citavimus, & etiam *citat* Theophil. *proximè*; & contra declarationes factas à Sixto V. & Leone X. apud eundum, de quibus *supra* jam meminimus.

349. Dices pro Gobat: Filius, qui rogat Deum, ut indulgentiam plenariam, quam comparare studet, potius dignetur admittere pro patre defuncto, quàm pro se ipso, non applicat, nec donat patri indulgentiam sibi concessam; sed Deum rogat, si illi placitum fuerit, potius pro patre suo defuncto illam admittat, quàm pro se ipso: Sed hoc nullum jus divinum, aut humanum vetat, imo videtur concedere; nam Gloss. *in cap. 2. vers. Non inventur, de translatione Episcop.* inquit; *Intelliguntur concessa, quæ non sunt expressè prohibita.* Et Joann. 16. generatim dicitur: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Denique; quia nullum apparet inconveniens in illa precatiuncula: ergo fieri potest.

350. Sed contra est primò; quia sicut prædictus filius non potest se exuere à fructu meriti suarum operationum, & ad patrem transmittere; quia meritum bonarum operationum non est alteri communicabile; quippe sistit intra operantem: ut cum communi tenet ipse Gobat *dicto tract. 4. n. 502.* Dicastill. *tom. 2. de Sacram. tract. 9. disp. 3. n. 10.* Unde quamvis Deum roget, ut admittat meritum prædictum, nihil obtinebit; & sic etiam, cùm illa indulgentia plenaria sit defunctis incommunicabilis, nihil obtinebit, etiam si roget Deum, ut illam pro patre admittat.

351. Secundò est contra; quia sicut in sacrificio missæ fructus quidam particularis sacerdoti obveniens, nequit alteri ab ipso applicari, & similiter fructus proveniens ex sacramentorum receptione ex opere operato; quia sistunt intra sacrificantem, & sacramenta recipientem, ut *supra à n. 244.* diximus; & traditur à Raynaud. *dict. tom. 15. part. 2. Sect. 2. punct. 2. n. 9.* ita etiam indulgentia plenaria vivis concessa, defunctis non potest donari, & sic ea precatio facta Deo nullum habebit effectum; quia in illa petitur, quod de se non est alteri communicabile, si à Pontifice non concedatur.

SECTIO XXXI.

Quæ conditiones requirantur in eo, qui propositum habet consequendi indulgentiam pro defuncto?

352. SEct. 13. vidimus, quæ requiruntur ex parte animarum, pro quibus suffragia offeruntur, & ea hîc resolvenda sunt; & *Sect. 12.* requisita ex parte illorum qui pro illis suffragia offerunt. Hic tantùm duo supersunt examinanda; primum, an requiratur status gratiæ in eo, qui intendit indulgentiam pro defunctis applicare? Secundum, an requiratur alicujus operis executio, ut defunctus eam consequatur indulgentiam?

353. Quoad primum, duplex datur sententia. Prima docet, requiri statum gratiæ in eo momento temporis, quo completur opus impositum ad lucrandam indulgentiam; si autem opus sit unicum, dum exequitur, gratia sanctificans debet in lucrante existere. Ita Cardin. *in Clem. 2. de pœnis & remiss.* Cajet. *in opusc. de indulg. q. 2. ad 2.* Angel. *Verb. indulgentia n. 21.* Card. Bellarm. *l. 1. de indulg. cap. 14. q. 5.* Cardin. de Lug. *de pœnit. disp. 27. num. 71.*

354. Idem tenet Gobat *tom. 2. tract. 4. n. 491.* in eo casu, quo indulgentia, quæ defuncto applicatur poterat lucrans sibi ipsi applicare. Unde juxta hunc Doctorem, in Visitatione quinque altarium per Bullam in diebus stationum, ut quis indulgentiam defuncto applicet, debet esse in statu gratiæ; quia

quia illam ſibi poterat applicare; ſecus dicet de accipiente Bullam defunctorum pro aliquo defuncto; hæc enim indulgentia ſibi nequit applicare.

355. Probant; quia, ut aliquis ſibi lucretur indulgentiam, requirit ſtatum gratiæ: ergo etiam quando pro defuncto, vel alio, illam lucratur.

356. Secunda ſententia eſt oppoſita; & negat, requiri ſtatum gratiæ. Ita Soar. *tom.* 4 *in* 3. *part. diſp.* 52. *Sect.* 7. *n.* 4. *& diſp.* 54. *Sect.* 4. *n* 6. Navarr. Faber. Joann. Præpolit. Reginald. Granad. Trullench. Pertel. Card. Tolet. Nald. quos adducit, & ſequitur Dian. *part.* 5. *tract.* 12. *reſol.* 38. Ægid. Coninch. Laym. Gabriel, Bonacin. quos citat, & ſequitur Caſtr. Palao *tom.* 4. *tract.* 24. *diſp. unic. punct.* 10. *n.* 10. His addc Fauſt. *de indulg. q.* 108. Ragucium *de indulg. quæſt.* 22. Theophil. Raynaud. *tom.* 15. *part.* 2. *Sect.* 3. *punct.* 5. *n.* 23. Bard. *part.* 4. *tract.* 3. *cap.* 2. *n.* 23. Mend. *diſp.* 36. *n.* 10. *&* 12. Dicaſtill. *tom.* 2. *de ſacram. tract.* 9. *diſp.* 2. *n.* 223. Eſcob. *in Theol. moral. tom.* 1. *l.* 7. *n.* 433. aliiſque apud eit. Hanc ſententiam amplector, quia eſt communior, & verior.

357. Ratio, quâ nititur eſt; quia remiſſio pœnæ temporalis, quæ defuncto per indulgentiam applicatur, non eſt per ſatisfactiones, illam applicantis; ſed per ſatisfactiones Chriſti, & ſanctorum, quas S. Pontifex concedit ex Theſauro Eccleſiæ; unde Indulgentia ſuum ſortitur effectum ex opere operato; ubi ex parte applicantis conditiones requiſitæ à S. Pontifice ponuntur.

358. Ad fundamentum primæ ſententiæ n. 457. contentum, reſpondeo negando conſequentiam, diverſa ratio eſt: quia ille, qui non eſt in ſtatu gratiæ, habet obicem, nempe peccatum mortale: unde indignus eſt, ut ei remittatur pœna per indulgentiam, cùm adhuc perſeveret in culpa: at qui ponit conditiones à Pontifice requiſitas, & indulgentiam applicat, eum ſtatum non requirit; quia ſatisfactiones per indulgentiam applicatæ, non ſunt propriæ; ſed ex Theſauro Eccleſiæ; ſicut qui erogat pauperi eleemoſynam per famulum peccatorem, non amittit ſuum meritum, & ſatisfactionem; quia eleemoſyna non eſt famuli, ſed erogantis, qui illam donat.

359. Quoad ſecundum; reſpondeo, ut defunctus Indulgentiam conſequatur requiri executionem operis à Pontifice requiſitam, & intentionem lucrandi indulgentiam pro tali, vel tali defuncto. Ratio eſt, quia opus eſt proprium operantis: ergo ſi ille non dirigat intentionem ſuam in favorem alterius, ſibi, & non alteri illud retinebit: Ut cum D. Thom. Coninch. Paludan. Nunò, Sâ, Dicaſtill. *tom.* 2. *de Sacram. tract.* 9. *diſp.* 3. *n.* 21.

360. Quando verò in formula conceſſionis requiritur, ut opus injunctum pro defuncto offeratur; pro illo debet offerri; ut dicitur in conceſſione Indulgentiæ plenariæ pro Altari privilegiato; in qua dicitur miſſam applicandam eſſe pro defuncto. At ſi in conceſſione Indulgentiæ non exigatur, quòd opus injunctum applicetur pro defuncto; tunc illud opus, ſeu illius ſatisfactio pro alio quocumque, vel pro ſe ipſo poteſt offerri. Et hujus ratio eſt; quia ſi opus injunctum fiat in peccato mortali; ſed in fine, nempe ſaltem in ultimo inſtanti, ſit homo in gratia, lucratur indulgentia, etiam pro defuncto; non tamen applicatur defuncto ſatisfactio ex opere operantis; cùm nulla, aut fere nulla ſit: ergo ſatisfactio operis injuncti defuncto non inſerviet. Ita Soar. *cit. diſt. ſect.* 4. *n.* 3. Card. de Lug. *de pœnit. diſp.* 27. *n.* 78. Bard. *n.* 20. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 4. *n.* 497. *&* 498. Quamvis abſque hac diſtinctione abſolutè Dicaſtill. *cit. diſp.* 2. *n.* 233. neget, opus injunctum eſſe pro defuncto applicandum. Ex his infert Gobat *cit.* poſſe indulgentiam communionis generalis, de qua dictum eſt *ſupra n.* 342. & indulgentias quinque Sanctorum, Alexandri VII Clementis IX. & Clementis X. applicari pro defuncto, & communionem, Roſarium, &c. pro alio, vel pro ſe ipſo. Vide Arriag. *tom.* 8. *à n.* 21. ubi aliter reſpondet.

361. Adverte, intentionem, ſeu applicationem determinatam, quam neceſſariò requirimus in lucrante indulgentiam, debere præcedere opus à Pontifice requiſitum ad conſequendam indulgentiam pro defuncto. Sic Card. de Lug. dict. *diſp.* 27. *n.* 78. *& diſp.* 26. *n.* 18. quem ſequitur Gobat *cit. n.* 439. Unde qui poſt recitationem Roſarii illud applicat pro defuncto, vel pro alio; pro illius peccatis non ſatisfacit; quia jam non eſt in dominio applicantis. Sic Gobat. *loco cit.* Qui verò miſſam applicat in primo memento ante conſecrationem, apto tempore applicat; an verò poſſit in ſecundo memento defunctorum! dubium eſt. Aliqui affirmant, & negant alii. Vide Tambor. *in Method. celebranda miſſa l.* 2. *cap.* 2. *§.* 10. *n.* 6. ubi negantibus adhæret.

362. Hoc loco agunt aliqui Expoſitores Cruciatæ de hac quæſtione; an ſcilicet poſſit S. Pontifex vacuare Purgatorium, concedendo indulgentiam plenariam omnibus, & ſingulis animabus, ut Ludovic. à Cruce *diſp.* 2. *dub.* 2. *n.* 7. Trullench. *l.* 4. *dub.* 3. Bard. *part.* 4. *tract.* 3. *cap.* 2. *à n.* 25. Mend. *diſp.* 36. *n.* 20. & Dicaſtill. *tom.* 2. *de Sacram. tract.* 9. *diſp.* 2. *n.* 243. Ego tamen illi cedo; quia eventus eſt Methaphiſicus, ut inquit Theophil. Raynaud. *tom.* 15. *part.* 2. *ſect.* 3. *punct.* 5. *n.* 12. & conſequenter ad praxim parum utilis, & minimè neceſſarius. Curioſus videat citatos.

SECTIO XXXII.

Recenſentur indulgentiæ, quæ defunctis in Bulla conceduntur?

363. EXplicatis per totam hanc diſputationem, quæ de Purgatorio, ſuffragiis, & Indulgentiis videbantur eſſe opportuna, ad majorem Bullæ defunctorum intelligentiam; oportet nunc agere de Indulgentiis, quæ in illa defunctis conceduntur; & in ſequentibus ſectionibus de aliis, quæ ad illam ſpectare poſſunt.

364. Incipiendo igitur à Bulla Latina, & à ſummario Bullæ defunctorum Dico, in illis, duobus tantùm locis, fieri mentionem de defunctis. Primùm tranſcribimus initio hujus diſp. ex Bulla Latina, & Bulla defunctorum. Secundùm affertur à Commiſſario in ipſa defunctorum Bulla, & pertinet ad Indulgentias ſtationum, quæ pro defunctis etiam lucrari poſſunt. De quo fusè loquuti ſumus *diſp.* 10. *per totam*; nec ad hunc pertinet; quia ut quis eâs lucrari valeat, tam pro ſe, quàm pro defunctis, in diebus ſtationum, ſufficit habere Bullam communem vivorum: At ut quis pro defuncto Indulgentiam, pro loco poſitam, lucretur, & de qua eſt ſermo in præſenti Bulla, neceſſe eſt, ut eroget eleemoſynam quinquaginta regalium, hoc eſt *unio toſtam*, Bullæ receptori, accipiendo ab illo

ipsam defunctorum Bullam; illamque applicet pro defuncto sibi benè viso, ut mox declarabitur. Hoc supposito.

365. Inquires: Quot Bullas defunctorum durante anno Bullæ, possit, qui Bullam communem vivorum jam habet, sumere? Respondeo cum Abreu de Paroch. *l.* 10. *a.* 573. & cum expositoribus Bullæ Hispanæ, posse unam tantùm pro uno defuncto sumere; si verò accepit chirographum, de quo diximus *disp.* 7. *sect.* 8. *n.* 89. vel cum ipsa Bulla communi, vel absque illa, post sex menses à publicatione Bullæ, potest aliam Bullam defunctorum, vel pro eodem defuncto, vel pro alio accipere. Non tamen potest, eodem durante anno, sumere tertiam, aut quartam, &c. Ratio est clara, quia in Bulla Latina, seu plumbea, tot indulgentiæ plenariæ defunctis, quot vivis concedontur: Sed vivi, qui sumunt tantùm Bullam communem, unâ tantùm intra annum gaudent indulgentiâ plenariâ; & si accipiant chirographum gaudent alterâ post sex menses à publicatione Bullæ: ergo eodem modo conceduntur defunctis; nempe, una tantùm, si pro illo, Bullam defunctorum accipiens, Bullam tantùm communem acceperat: at si chirographum sex mensium etiam accepit; potest aliam pro eodem, vel diverso defuncto accipere. Major, in qua est tota dubitatio ostenditur; quia S. Pontifex postquam dixit, posse suscipientem, modo dicto, bis in anno indulgentiam lucrari, statim addit: *Quod etiam pro cujuscunque eleemosynarum voluntate, animabus in Purgatorio existentibus, quæ per charitatem, &c.* Quæ verba sic vertit Commissarius in Bulla vivorum: *Item concede, que as mesmas indulgencias, se possam tambem applicar as almas de Purgatorio, que cada hum mais tenere em sua ventade, &c.* Ex quibus verbis constat eadem indulgentias concedi defunctis, quæ vivis conceduntur, erogatâ semper pro utraque Bulla eleemosynâ designatâ.

366. Confirmatur ex Bulla Hispana, in qua etiam conceditur unam tantùm pro uno defuncto accipere Bullam illum qui unam tantùm accipit Bullam vivorum, at si secundam vivorum sumat, (ut in Bulla Hispana conceditur, non tamen in nostra,) potest alteram Bullam intra eundem annum pro eodem, vel altero defuncto accipere. Sic Expositores Hispani; Bard. *part.* 4. *tract.* 4. *cap.* 4. *n.* 4. & alii communiter. Et expresè habetur in in Bulla defunctorum Hispana.

367. Dices: Commissarius in Bulla defunctorum, *in principio hujus disp. relatâ*, his utitur verbis: *Toda aquella, que der aesmola abaixo declarada, pella alma de qualquer defuncto, aque quizer applicar, aliure das penas do Purgatorio, por modo de suffragio; eliurara tantas almas, quantas vezes der adita esmola, e fizer atal applicaçam.* Ex quibus verbis constat, posse intra annum, non solùm semel, & iterum, sed sæpius Bullas pro defunctis sumi.

368. Respondeo, Commissarii verba intelligi debere juxta Bullam plumbeam, nempe: toties quis animas liberabit, quoties pro se ipso potest indulgentiam plenariam lucrari: vel sic intellige; tot animas liberabit, quoties dederit dictam eleemosynam, & talem fecerit applicationem; cùm autem non possit quis dare eleemosynam pro Bulla defunctorum, nisi quoties illam fecerit pro Bulla vivorum: Sic tot animas liberabit, quot fuerint eleemosynæ. Hæ tamen non possunt esse plus quàm duæ.

369. Adhuc inquires: An qui initio anni publicationis Bullæ sumpsit pro se Bullam vivorum, simul cum Chirographo, possit statim duas Bullas defunctorum sumere pro duabus defunctorum animabus? Respondeo, certum esse posse statim unam sumere pro uno defuncto; quia jam potest pro se ipso gaudere unâ indulgentiâ plenariâ. At existimo, non posse statim sumere alteram Bullam defunctorum pro eodem, vel altero defuncto. Ratio est, quia à S. Pontifice eodem modo conceduntur indulgentiæ plenariæ pro defunctis, erogatâ eleemosynâ, quo conceduntur vivis: Sed vivis conceditur determinatè una indulgentia sumenda, intra primos sex menses à publicatione, & altera Chirographi, post hos sex menses: Ergo eodem modo censentur concessæ pro defunctis.

370. Cæterùm, si intra primos sex menses à publicatione Bullæ non sumatur Bulla vivorum, & post illos sumatur & Bulla vivorum, & Chirographus; tunc potest simul duplex Bulla defunctorum pro uno, vel duplici defuncto sumere. Ratio est, quia dum durat annus publicationis Bullæ, potest à quolibet accipi Bulla vivorum, si ergo etiam sumatur Chirographus alterius indulgentiæ; cùm sumens possit gaudere eo tempore duplici indulgentiâ plenariâ, etiam illas poterit applicare pro duplici, vel eodem defuncto, sumendo pro illis duplicem Bullam defunctorum.

SECTIO XXXIII.

Expediuntur aliquæ conditiones, ut Bulla defunctorum utiliter defuncto prodesse possit?

371. Quæres primò: An necesse sit, ut habeat Bullam communem vivorum ille, qui vult Bullam defunctorum sumere pro anima alicujus defuncti? Respondeo hujus quæsiti resolutionem non exprimi in ipsa Bulla Plumbea, nec à Commissario id declaratur. Existimo tamen necessariò requiri, ut habeat Bullam communem vivorum. Ratio est, quia S. Pontifex annectit indulgentias, quas concedit pro defunctis illis, quas concesserat pro vivis; & vult quòd pro defunctis acquirantur, quas ipsi vivi pro se lucrari possint. Si ergo vivus eas lucrari potest; quia habet Bullam vivorum, & Chirographum, etiam eas poterit lucrari pro defunctis; si erogatâ eleemosynâ designatâ pro aliquo, vel duobus defunctis, unam, vel duas accipiat Bullas defunctorum. Et è contra, si eas indulgentias pro se ipso lucrari nequit, quia non sumpsit Bullam vivorum, & chirographum; etiam pro defunctis illas lucrari non poterit. Benè ergo sequitur, quòd necessariò habenda sit Bulla vivorum ab eo, qui vult Bullam defunctorum pro aliquo defuncto applicare.

372. Confirmatur primò, quia Commissarius in advertentiis ad Bullam, & in Bulla Compositionis declarat, quòd sumentes Bullam compositionis priùs sumere debeant Bullam communem vivorum: ergo idem dicendum de illis, qui Bullas defunctorum pro defunctis accipiunt. Confirmatur secundò; quia Bulla defunctorum est pars Bullæ vivorum: Ergo necesse est, ut priùs sumatur Bulla in totum, qualis est Bulla vivorum, ut postea sumatur Bulla defunctorum; quæ est pars Bullæ vivorum.

373. Quæ

373. Quæres secundò: An ut quis valeat hanc indulgentiam plenariam alicui defuncto applicare, debeat contribuere aliquam eleemosynam? Respondeo affirmativè, ita expresè constat ex Bulla Latina, ibi: *Quod etiam pro cujuscunque eleemosynarum voluntate animabus in Purgatorio existentibus, &c.*

374. Quæres tertiò: An hæc eleemosyna, quæ pro Bulla defunctorum tribuitur, possit esse pro arbitrio sumentis Bullam pro defuncto? Respondeo, non posse; nam licet in Bulla Latina, & verbis proximè allatis dicatur, pro cujuscunque eleemosynarum voluntate, ut habetur in Bulla Gregorii XIV. Mox per ejusdem Pontificem, paucis mensibus elapsis, data fuit facultas determinandi eleemosynam pro Bullis; ut vidimus *disp. 5. in principio.*

375. Quæres quartò: Quæ eleemosyna sit taxata à Commissario pro qualibet Bulla defunctorum? Respondeo esse taxatam, seu præscriptam eleemosynam quinquaginta regalium, hoc est; *demeio tostam*, sic constat ex ipsa Bulla defunctorum, & ex advertentiis ad Bullam §. 4. Hæc autem eleemosyna est æqualis pro omnibus, sive persona illam sumens sit pauper, sive dives. Quia Commissarius loquitur absque ulla exceptione; & si aliud vellet, id exprimeret.

376. Quæres quintò: An sufficiat tribuere dictam eleemosynam, ut defunctus liberetur à pœnis Purgatorii? Respondeo, non sufficere; nisi accipiatur ipsum Summarium Bullæ defunctorum. Sic disponit Commissarius in ipsa Bulla defunctorum, ibi: *Eosque aderem* (id est eleemosynam) *tomaram este summario impresso.* Quare qui solvit eleemosynam pro Bulla defunctorum, debet illam accipere, & secum deferre.

377. An verò debeat illam conservare? Affirmandum videtur; quia hæc Bulla est pars Bullæ vivorum: Sed Commissarius disponit, quod conservetur Summarium Bullæ vivorum, ut vidimus *disp. 6. sect. 8.* Deinde, in advertentiis universaliter loquens de omnibus Bullis, sic inquit: *As pessoas que tomarem as Bullas levalasham pera suas cazas, eguardalasham:* cùm ergo verba Commissarii sint universalia: *tomarem as Bullas*, debent à sumentibus conservari. Et ita docent juxta Bullam Hispanam, & ob eandem rationem de Bulla defunctorum Bard. *part. 4. tract. 4. cap. 4. num. 8.* Tamborin. *in tract. de Bull. Cruciat. cap. 17. §. 2. num. 2.*

378. Dicendum tamen est, non esse necessarium hanc Bullam defunctorum conservari post factam applicationem defuncto, ab illo qui illam sumpsit. Ratio est primò, quia id à Commissario non præcipitur de hac Bulla. Secundò, quia *disp. 25. sect. 2. n. 37.* non obstante dictâ ratione pro sententia contraria, cum iisdem Bardi, Tambor. & aliis, diximus *cit. loco* non esse necessarium conservare Bullam compositionis, ergo ut cohærenter procedamus, idem dicimus de Bulla defunctorum. Videatur *locus cit.* & dispar ratio, quam reddidimus ad idem argumentum ibi allatum.

479. Quæres sextò: An nomen sumentis Bullam pro defuncto, necessariò debeat inscribi in ipsa Bulla defunctorum, ut defuncto prosit indulgentia? Respondeo, affirmativè, ita disponente Commissario Generali ex facultate sibi concessa per hæc verba, in eadem Bulla defunctorum, comprehensa: *Eosque aderem tomaram este summario impresso com oneme esprito nelle dapessoa, que der adsta esmola, enam elevando, nem se esercuendo nelle esen nome, nam she valera.* Vide quæ diximus supra eademmet verba, (quæ etiam in Bulla communi à Commissario apponuntur) *disp. 2. à num. 52.*

380. Quæres septimò: An Bulla defunctorum infaillibiliter, & ex condigno prosit defuncto, pro quo sumitur? Respondeo, de his quæstionibus in ordine ad intelligentiam hujus Bullæ, nos dixisse *supra*; de prima, *sect. 28.* & de secundâ *sect. 10.* De alia verò quæstione hoc loco solitâ agitari; an scilicet requiratur status gratiæ in eo, qui pro defuncto Bullam applicat? consule *sect. 31.*

SECTIO XXXIV.

Quomodò, & quando facienda est applicatio Bullæ defuncto?

381. ULtimum requisitum, ut Bulla sortiatur effectum, est applicatio pro defuncti anima. Hæc applicatio debet fieri pro determinata anima, v. g. pro anima patris mei, vel matris meæ, aut pro anima Petri, &c. potest etiam fieri applicatio hoc modo: *applico hanc Bullam illi animæ in Purgatorio existenti, quam Deus videt, magis, vel minus indigere.* Quocunque ex his modis valet applicatio; quia Deus scit animam, quæ magis aut minus indiget. Sic docent de applicatione missæ Tambor. *in Meth. celeb. missæ lib. 2. cap. 2. §. 9. num. 17.* Dian. *part. 11. tract. 6. resol. 39.* & de Bullæ applicatione. Mend. *disp. 36. n. 2. in principio.* Si autem applicatio fiat pro animâ, quam Deus vult, non habebit effectum Bullæ applicatio; quia si missa eo modo applicetur, etiam illum non habet, ut tenent Navarr. Verricelli, & Tambor. *loco cit.* quos omnes citat, & sequitur Dian. *proximè.*

382. Semel tamen factâ applicatione pro uno defuncto, non potest eadem Bulla alteri defuncto applicari: quia factâ applicatione jam Bulla totum suum habuit effectum; & alteri prodesse non potest. Sic Bard. *part. 4. tract. 4. cap. 4. num. 10.* Tambor. *tract. de Bull. Cruciat. cap. 17. §. 2. n. 7. in fine.* Potest verò hæc applicatio fieri conditionaliter, hoc modo: *Si Pater meus indiget hâc Bulla defunctorum, illi eam applico: at si non indigeat, illam pro animâ Petri v. g. applico; & si hic non indigeat pro animâ mei Fratris;* & sic sub hac conditione possunt fieri circa eandem indulgentiam plures applicationes; (quod est maximè conveniens,) ex eo quòd si anima pro qua primò, aut secundò applicatur, non indigeat illâ indulgentiâ; quia jam à Purgatorii pœnis est libera, aliis poterit esse proficua.

383. Inquires tamen: Quando facienda sit applicatio pro animâ defuncti, quam sumens Bullam defunctorum, intendit à pœnis Purgatorii liberare? Respondeo, quamvis fideles soleant hanc facere applicationem, quando Bullam sumunt; expediens tamen est, non illam tunc applicare; si illam sumens non sit in statu gratiæ, quia licèt non requiratur status gratiæ in applicante Bullam pro animâ defuncti, ut cum communi D. D. vidimus *supra sect. 34. n. 356.* quia tamen sunt plures, quos *à n. 357.* citavimus, qui opinantur statum gratiæ requiri: ut securius operetur sumens Bullam defunctorum, illam applicet, non statim, sed quando existimet se esse in statu gratiæ; sic enim utiliter pro defuncto

Bullam

Bullam accipiet, & applicabit. Sic Mend. *supra n.* 5. Tambor. *loco cit.* & omnes.

384. Notant tamen non pauci D. D. esse melius, & laudabilius, ut homo morti proximus, dum judicat se esse in gratia, mandet in suo testamento, vel exigat ab amico, illi tradendo Bullæ eleemosynam, ut illam pro illo jam defuncto, suo nomine accipiat; quia sic operans meretur ex opere operantis, ob illam bonam voluntatem. Deinde, si vera sit illa opinio, quòd requiratur status gratiæ in sumente Bullam, cùm moraliter existimet, se esse in eo statu, & Bulla sumatur suo nomine, & non alterius, qui forte in eo statu non erit, tutiùs operabitur. Sic Rodrig. *in Bull. defunct. §. unic. n.* 6. Trullench. *lib.* 4. *dub.* 12. *n.* 6. Bard. ubi *supra n.* 11. Abreu de Paroch. *lib.* 10. *n.* 578. Escobar. *in Theol. moral. tom.* 1. *lib.* 7. *n.* 436. citans ultra aliquos ex allatis Henriq.

385. Addo posse prædictum fidelem morti proximum mandare prædictis, ut mox post suam mortem eodem modo, & suo nomine sumant secundam Bullam defunctorum pro se ipso, si jam cum Bulla vivorum acceperat chirographum; quia sic utilius se geret circa suam animam. Addo etiam, sicut per singulos annos suis Testamentariis mandat, ut pro sua anima faciant tot missas celebrare; mandet etiam eidem, ut nomine ipsorum habentium Bullam vivorum, pro ipso etiam per singulos annos, sumant Bullam defunctorum; & si dicti Testamentarii, aut hæredes eam sumere non possint, quia jam pro aliis defunctis eam Bullam acceperunt; per aliquem, qui illam non solet accipere, facient sumere, eleemosynam illi tradentes.

386. Non tamen dicti Testamentarii, aut hæredes Bullam defunctorum accipiant post annum Bullæ elapsum nomine defuncti; quia cum defunctus Bullam non habeat vivorum, post annum Bullæ elapsum, jam nomine ipsius sumi non potest; juxta *supra* dicta; nec etiam ante annum elapsum, si eam suo nomine accipi non mandavit. Nec contra has multiplicatas Bullæ sumptiones stat illud argumentum, quod plures conficiunt, dicentes: si sufficit una defunctorum Bulla pro uno defuncto, cur plures pro eodem recipi debent? nam illi jam satisfecimus, supra *Sect.* 28. *n.* 337. & aliis in locis. Et utilitas hujus dispositionis ex dicendis in *seqq.* sectionibus patebit.

SECTIO XXXV.

An magis prosit una, vel altera missa pro uno defuncto applicata, an Bulla defunctorum?

387. IN præsenti non loquimur de una, vel altera missa in Altari privilegiato celebrata; de hoc enim sermo erit *sect. sequenti*: Loquimur de missa in altari non privilegiato celebrata. Et in hoc sensu, respondeo, mihi videri, cæteris paribus, melius esse Bullam defunctorum pro uno defuncto sumere, quàm pro illo unam, vel alteram missam facere celebrari. Ita Tambor. *in Method. celebr. miss. l.* 2. *cap.* 3. §. 15. *per totum.*

388. Ratio est, quia ut vidimus *supra Sect.* 18. *n.* 234. ex communi D. D. sententia, valorem missæ satisfactorium defuncto applicatum, non esse infinitum, sed limitatum: Sed indulgentia plenaria per Bullam defunctorum applicata, quoad satisfactionem non est limitata: ergo melius est Bullam defunctorum pro uno defuncto sumere, quàm pro illo unam, vel alteram missam celebrare. Major constat ex dictis *loco citato*; consequentia etiam patet; quia potest frequenter contingere, ut pro eo defuncto non sufficiat una, vel altera missa; imò nec triginta, centum, aut mille ad remissionem pœnæ, quam habet luendam in pœnis Purgatorii; & sufficit Indulgentia plenaria per Bullam defunctorum concessam, & applicatam.

389. Quod probatur, probando minorem: Nam per Indulgentiam plenariam satisfit plenè pro quibuscunque debitis absque limitatione, ut patet ex ejus definitione apud Laym. *l.* 5. *tract.* 7. *cap.* 3. *n.* 1. *in principio*, ibi: *Plenaria indulgentia dicitur, quæ illimitatè conceditur, ut omnem pœnam in Purgatorio pro peccatis luendam remittat*; & passim D. D. dum hoc discrimen inter Indulgentiam totalem, qualis est plenaria, & inter partialem, ponunt; quòd totalis sine limitatione omnem pœnam remittat; quod non datur in partiali. Videntur Castr. Palao *tom.* 4. *tract.* 24. *disp. unic. punct.* 3. *n.* 1. & alii: ergo indulgentia plenaria, quæ per Bullam defunctorum conceditur, uni defuncto applicata, non est limitata: ergo benè sequitur cæteris paribus plus valere pro uno defuncto, unam Bullam defunctorum, quàm unam vel alteram missam pro eo applicatam.

390. Dixi, *cæteris paribus*, nam effectus sacrificii missæ ex opere operato, est infallibilis, & semper prodest animæ in Purgatorio existenti; at certitudo indulgentiæ in Bulla defunctorum concessæ, potest ex aliquo accidenti suum non habere effectum, ut vidimus *n.* 335. Deinde etiam vidimus *supra Sect.* 25. *n.* 309. sacrificium missæ habere potissimum locum inter alia suffragia; & etiam inter suffragia, quæ habentur per indulgentias. Ex his poterit sacrificium missæ aliquando esse fructuosius defuncto, quàm indulgentia per Bullam defunctorum concessa; quamvis etiam suum habeat effectum ex opere operato. In prædictis tamen semper supponimus, Indulgentiam hanc Bullæ plenariam, esse certissimam. Videtur Ludovic. à Cruce *in Bull. disp.* 1. *dub.* 1. *&* 2.

391. Addo tamen Tambor. *ubi supra cit.* ex allata doctrina, cuidam viduæ modicam pecuniam habenti, consuluisse; ut potius Bullam defunctorum unam pro suo defuncto sumeret, quàm unam, vel alteram missam pro illo offerret.

SECTIO XXXVI.

Quindam sit animæ Purgatorii ultilius, sumere pro ipsa Bullam defunctorum, aut dicere missam in Altari privilegiato?

392. SUppono primò, ad valorem Indulgentiæ requiri causam piam, & honestam; ut vidimus *disp.* 7. *Sect.* 4. *in principio.* Suppono secundò, Indulgentiam, quæ conceditur in Altari privilegiato, ratione missæ in eo celebratæ, esse plenariam; ut etiam plenaria est, quæ conceditur per Bullam defunctorum. His suppositis, respondeo quæstioni propositæ per seqq. conclusiones.

393. Dico primò: Data æquali causa, & certitudine

tudine inter indulgentiam Altaris privilegiati, & Indulgentiam Bullæ defunctorum, utilius est animæ Purgatorii offerri missam in Altari privilegiato, quàm pro illa sumi Bullam defunctorum. Ratio est clara, quia Altare privilegiatum, & Bulla defunctorum sunt æqualia in indulgentia plenaria: est enim utraque totalis. Deinde etiam conveniunt in casu, & certitudine, ut supponimus: cùm ergo in Altari privilegiato, præter indulgentiam plenariam, detur sacrificium missæ, quæ animæ Purgatorii applicatur cum ipsa indulgentia: & in Bulla defunctorum solùm detur indulgentia, quæ solum defuncti animæ applicatur; evidenter sequitur, utiliorem esse animæ Purgatorii missam in Altari privilegiato; quàm Bullam defunctorum, quæ missam non habet annexam. Sic Trullench. *infra citandus*; & Escobar *tom. 1. in Theol. moral. l. 7. n. 440.* Dian. *part. 9. tract. 2. resol. 26.*

394. Dico secundò: Si causa, & certitudo Indulgentiæ Altari privilegiato concessæ, non sit æquè proportionata, & certa, ut est illa, qua conceditur Bullæ defunctorum Indulgentia; utilius est pro anima Purgatorii accipere Bullam defunctorum, quàm pro illa missam in Altari privilegiato celebrare. Ratio est, quia quò major est causa, & certitudo Indulgentiæ plenariæ, major est illius utilitas, & efficacia: ergo supposito, quòd causa, & certitudo concessionis Indulgentiæ plenariæ pro Altari privilegiato, non est æquè proportionata, & certa; ut est Indulgentia plenaria concessa per Bullam defunctorum; utilius, & efficacius est animæ Purgatorii pro illa sumi Bullam defunctorum, quàm pro illa celebrari missam in Altari privilegiato. Sic Trullench. *in Bull. l. 4. dub. 12. n. 4. & 5.* Escobar *proximè n. 441.* Dian. *supra cit.*

395. Dico tertiò: Regulariter loquendo, major, & certior est causa, ob quam conceditur Bullæ Indulgentia; quàm sit ea, ob quam conceditur Indulgentia Altaris privilegiati: ergo regulariter loquendo utilior est animæ Purgatorii Bulla defunctorum, quam missa in Altari privilegiato. Antecedens constat; quia causa ob quam conceditur Bulla, est bonum Religionis Catholicæ, nempe subventio locorum Africæ, & subsidium in Classes pro defensione istorum marium ab iisdem fidei inimicis: causa verò ob quam conceditur Indulgentia pro Altari privilegiato, loquendo communiter, est devotio sancti, indulgentia Ecclesiæ &c. Sed ex his causis absque dubio certior, & major est illa, ob quam conceditur Bulla, quàm illa, ob quam conceditur Altare privilegiatum: ergo ita Escobar *loco proximè cit.* adducens Carrill. *de expos. Bull. defunct. part. 2. cap. 9. n. 7.*

396. Dico quartò: Si dubitetur, quænam ex prædictis causis ad prædictas indulgentias sit major, aut certior? Standum est pro Altari privilegiato: Erit enim utilius pro anima Purgatorii dicere missam in Altari privilegiato, quàm pro illa sumere Bullam defunctorum. Ratio est: quia in casu dubio, & æquali prævalet illa, quæ annexam habet missam. Fateor tamen, & communiter loquendo causam, ob quam conceditur Bulla esse evidentiorem, & manifestiorem illâ, ob quam conceditur Altare privilegiatum.

397. Sed contra, sic inferes: Ergo sacerdos ex stipe accepta obligatus ad dicendam missam in Altari privilegiato, satisfacere poterit accipiendo Bullam pro eodem defuncto. Probatur illatio, quia accipiendo Bullam defunctorum, ex adductis rationibus, utilius agit pro defuncto. Respondeo, negando illationem; quia dictus sacerdos convenit cum dante stipem, de dicenda missa in Altari privilegiato, & non de sumenda Bulla defunctorum; tenetur enim stare conventioni; & ad illum non attinet, transgrediendo conventionem, agere de illo, quod extra conventum est defuncto utilius. Vide quæ diximus *supra Sect. 17. n. 219.*

SECTIO XXXVII.

An Plures Bullæ defunctorum sumi possint pro eodem defuncto, aut una Bulla pro pluribus defunctis?

398. AD primam partem quæstionis, ex sæpius dictis, patet resolutio affirmativa. Ratio est, quia nunquam sumens Bullam pro defuncto, potest esse certus de effectu; quia possunt concurrere circumstantiæ, ob quas priores Bullæ pro ipso susceptæ, non consequutæ fuissent Indulgentiam. Idem diximus *supra* de missa in Altari privilegiato; etiam cum communi D. D. & praxi fidelium, tanum esse contilium plures missas fieri celebrari pro eodem defuncto in Altari privilegiato; & ita idem statuimus de susceptione plurium Bullarum pro eodem defuncto; cum illa tamen advertentia, ut *supra* notavimus, neminem posse sumere intra annum publicationis Bullæ pro uno, vel altero defuncto nisi duplicem Bullam, si Bullam communem vivorum, & chirographum accepit: si autem solùm suscepit Bullam communem vivorum, unam tantùm Bullam pro uno defuncto posse sumere.

399. Quoad secundam partem dubium ingerit Mend. quia *disp. 36. n. 2. & in appendice disp. 4 sect. 10.* defendit posse fidelem sumere unam Bullam defunctorum pro duobus, aut tribus; nec non & pro omnibus defunctis; quorum animæ non liberabuntur per unam tantùm Bullam, sed fructus Indulgentiæ sufficiens ad unam liberandam animam, per illas ab eo designatas, dividitur. Quia sic pauperes, qui pluribus sunt defunctis conjuncti nexibus consanguinitatis, gratitudinis, aut amicitiæ, & pro singulis non possunt Eleemosynam erogare, suæ obligationi, & devotioni satisfacient.

400. Hanc sententiam viri doctissimi existimo omnino improbabilem; (ut jam *supra disp. 10. n. 124.* insinuavi,) quia multa ad illam stabiliendam supponit, quæ suam conclusionem probare non possunt. Supponit enim primò; fructum Indulgentiæ plenariæ, quo liberanda esset aliqua anima, si pro illa Bulla applicaretur, per omnes à sumente designatas esse dividendum. Cùm verò hanc animam non designet, nec fructus Indulgentiæ, si pro illa applicaretur, per alias est dividendus: quia deficiente hac determinatione non datur ratio, cur potius fructus, quem haberet Indulgentia plenaria in anima v. g. Petri, sit dividendus; non verò ille, quem possit habere in anima Pauli v. g. & sic de aliis.

401. Supponit secundò, pro pluribus defunctis posse sumi Bullam defunctorum, quod est expresè contra textum ipsius Bullæ, ubi dicitur, pro anima talis personæ, nec satisfacit dicendo id poni; quia fideles pro una anima communiter solent Bullam defunctorum applicare; quæ responsio est nimis frigida, ut notavit Tambor. *mox citandus.*

402. Dicendum tamen est, Bullam defuncto-

rum pro una tantùm anima existente in Purgatorio, posse applicari; & non pro duabus, aut pluribus. Ita expositores Bullæ Hispanæ, in qua datur eadem dispositio, quæ datur in nostra: Trullench. *l. 4. in Bull. dub.* 11. *num.* 4. Bard. *part.* 4. *tract.* 4. *cap.* 4. *num.* 9. Tamborin. *tract. de Bulla cap.* 17. §. 2. *n.* 6. idque supponitur ab omnibus, ut certum. Probo primò ex ipso summario Bullæ defunctorum, in quo Commissarius de una tantum anima loquitur.

403. Secundò, & efficaciter ex ipsa Bulla communi vivorum, quæ non potest accipi à duobus, ut inter se dividant fructum Indulgentiæ plenariæ in ipsa Bulla vivis concessæ: ergo etiam fructus indulgentiæ plenariæ in Bulla defunctorum concessæ, non potest pro duobus defunctis dividi; si ab illam sumente, illis applicetur. Tertiò, quia indulgentia plenaria altari privilegiato concessa, non potest pro duobus, aut pluribus defunctis dividi, si illis applicetur ab erogante eleemosynam: ut vidimus *supra sect.* 17. *n.* 210. ergo etiam idem de Indulgentia per Bullam concessa.

404. Bard. postquam hanc probavit sententiam ex ipso Bullæ textu, illam probat hac ratione, quæ ab illo dicitur efficax: quia si una, eademque Bulla pro pluribus defunctis possit applicari, impediretur subsidium pro bello contra infideles, quia diversum subsidium congeritur, si una pro uno defuncto applicetur, quam si pro tribus sumatur. Hanc rationem impugnat Mend. *loco cit. appendicis.*

405. Ego tamen aliâ viâ ostendo non esse efficacem sicut est bonum, & laudabile, ut communiter tradunt D. D. plures Bullas pro eodem defuncto sumere, ut etiam docet idem Bard. ita etiam si una Bulla pro tribus defunctis posset applicari, (quod negamus) adhuc esset pium, & laudabile, & rectum consilium, ut pro iisdem plures Bullæ sumerentur: ergo ex hoc capite non pateretur damnum subsidium; quia adhuc non minuerentur eleemosynæ.

406. Adverto iterum quod jam dixi *supra num.* 382. *in fine*; rectum esse consilium, quod applicans Indulgentiam Bullæ, vel aliam alicui defuncto, habeat intentionem conditionatam, nempe: applico hanc indulgentiam pro anima Petri, si in Purgatorio existat; si verò non existat, illam applico pro anima Pauli, si eo loco sit, & sic alias animas poterit substituere, quia nescit an illa, pro qua Bulla defunctorum applicatur, sit capax illius suffragii, aut non?

SECTIO XXXVIII.

An Bulla defunctorum possit applicari pro defuncto, qui mortuus est in alio Regno ubi hæc nostra Bulla non publicatur?

407. Dico primò: Certum est, vivum recipientem Bullam pro aliquo defuncto, debere esse in his Regnis, ubi nostra publicatur Bulla; quod etiam cum fructu facere potest, si sit in Conquistis; nec non si sit subditus hujus Regni, in Indiis Orientalibus mercemonii causa, in alieno Regno degens; non tamen animo ibi permanendi, juxta ea, quæ diximus *disp.* 3. *sect.* 2. & 6.

408. Dico secundò; exterus declinans ad hæc Regna, & in illis accipiens Bullam communem vivorum, ut potest, juxta ea, quæ diximus *dicta disp.* 3. *sect.* 8. & postea ad suum Regnum revertens, potest ex eo mandare sumere Bullam pro aliquo suo defuncto. Ratio est, quia Bulla defunctorum est pars Bullæ vivorum ut sæpè diximus, cum Bard. & aliis: Sed prædictus exterus in hoc Regno accepit Bullam vivorum: Ergo durante anno poterit mandare, ut suo nomine sumatur Bulla defunctorum pro aliquo suo defuncto.

409. Confirmatur; quia *supra sect.* 34. *n.* 384. vidimus cum communi D. D. posse fidelem morti proximum, mandare suo hæredi, ut post mortem suo nomine accipiat pro eo Bullam defunctorum; quia dum erat vivus habebat Bullam vivorum: Sed quando hæres suo nomine illam recipit, jam dictus fidelis non est in hoc Regno, nec in hoc mundo, nec est subditus hujus Regni: ergo etiam exterus, qui in hoc Regno accepit Bullam vivorum, ab illo abiens, poterit mandare, ut pro suo defuncto Bulla defunctorum recipiatur, vel pro se ipso, si durante anno, viâ decedat.

410. Dico tertiò: Qui in his Regnis habent Bullam vivorum, possunt sumere Bullam defunctorum pro defunctis, qui decesserunt ab hac vita in aliis Regnis, ubi nostra Bulla non publicatur. Ratio est, quia Bullâ plumbea id non requirit in defunctis, ibi: *Quod etiam pro cujuscunque eleemosynarum voluntate, animabus in Purgatorio existentibus, &c.* Cum ergo Bulla nullam apponat Limitationem, nec nos eam apponere debemus. Ita Tamborin. *tract. de Bull. cap.* 17. §. 2. *n.* 9. & apud illum Ludovic. à Cruce *in Bull. pramio.* His imponimus finem Bullæ defunctorum, & toti huic operi. Omnia, quæ in illo dicta sunt, Romanæ Ecclesiæ determinationi submittendo; volumusque, ut omnia in eo tradita, sint ad gloriam, & honorem Sanctissimæ Trinitatis, & Sanctissimæ Virginis Mariæ sine Labe originali conceptæ.

FINIS.

INDEX
COPIOSISSIMUS RERUM,
QUÆ IN HOC OPERE CONTINENTUR.

Littera d. disputationem, n. numerum, p. paginam indicat.

A.

Abbatissa.

Quæ vota suarum subditarum irritare possint. *d.* 21. *n.* 24. pag. 348.

Abortus.

Quid sit, & quando fœtus animetur? *d.* 18. à *n.* 93. p. 260. Propositio ab Innocentio XI. damnata adducitur. *d.* 18. à *n.* 99 p. 269.

Abortum committens, quas pœnas incurrat. d. 18. *n.* 101. p. 269. Improbabile est, procurare abortum fœtus inanimati ad vitandum periculum vitæ, aut infamiæ puellæ prægnantis; & oppositum ab Innocentio XI. damnatur. *d.* 18. à *n.* 104. p. 269. Quamvis in hac damnatione non comprehendatur Monialis, quæ ne conventum infamaret, procuravit abortum fœtus inanimati; certum tamen est, id nunquam esse licitum. *d.* 18. à *n.* 107. p. 270. In damnatione comprehenditur procuratio abortus à fœmina, factâ prægnante violentiam inevitabilem, quamvis pro suo defendendo honore, vel castitate, cum moderamine inculpatæ tutelæ aggressorem poterat occidere. *d.* 18. *n.* 109. p. 270. Rejicitur exemplum à Lumbier adductum. *ibi. n.* 110. p. 207.

Fœminæ ægrotanti non licet, sanitatem procurare, per remedia ad abortum directè tendentia. *d.* 18. *n.* 111. p. 270. In dubio fœtus animati, non incurritur reservatio: quamvis probabilius sit, irregularitatem incurri. *disp.* 18. *num.* 113. pag. 270.

Absens.

Virtute Bullæ Lusitanæ a censuris absolvi nequit. *d.* 17. *n.* 90. pag. 240. Virtute Bullæ Hispanæ potest validè, sed non licitè absque justa causâ. *ibi.* à *n.* 91. p. 240.

Absolvere, Absolutio.

Absolvi invalidè recedentem à loco, ubi habet domicilium, ne proprio, sed alieno confiteatur parocho, probabile est. *disp.* 3. à *num.* 81. p. 37.

Absolutus à reservatis ex indulto ad indulgentiam acquirendam, Ignorans revocationem privatam, ab homine factam, directè fuit absolutus: secus dicendum si ignorantia fuit circa legem revocatoriam. *d.* 7. *n.* 72. p. 76.

Absolutio à censuris, virtute Bullæ, non satisfacta parte, est valida, sed non licita. *d.* 17. à *n.* 10. p. 230. Si non detur pars læsa, licita & valida est. *ibi. n.* 3. p. 229.

Ad absolutionis gratiam non admissio, nisi prius sit elargitum pauperibus datum, aut receptum, juxta Motum Gregorii XIII. *de datizet acceptis*, &c. intelligitur, quando ea erogatio est possibilis. *d.* 17. *n.* 14. p. 230. Quid veniat nomine *satisfactionis*, quando absolutio datur, *satisfacta parte? d.* 17. à *n.* 16. p. 231.

Absolutio absoluta, & conditionata, quales sint; & quotuplex conditionata? *d.* 17. *n.* 99. p. 241. Absolutio Sacramentalis, sub conditione de futuro, est nulla. *disp.* 17. *n.* 102. p. 242. & 204. p. 244.

In absolutione posita in fine Bullæ summarii, nomine *pœnas* non veniunt, quæ non sunt censuræ, & quales veniant. *d.* 17. *n.* 182. p. 251. & *n.* 225. p. 254.

Absolvendi facultas quando delegato conceditur, & exprimitur, ne absolutionem impendat, nisi præmissa integra, & reali satisfactione, potest illam impendere, quando pœnitens satisfacere nequit. *d.* 18. *n.* 252. p. 286. Vide *Confessarius Reservati casus. Et quoad absolutionem virtute Bullæ, Censuræ, Ignorans, Mortis articulus.*

Acceptatio Bullæ. Vide *Bulla communis.*

Actio.

Actiones *interficere, mutilare, vulnerare, percutere, capere, carcerare, detinere, hostiliter insequi, & ejicere*, quid significent. *d.* 16. à *n.* 91. p. 218. Et quid *spoliare d.* 16. *n.* 119. pag. 221. & 134. p. 223. Et quid *directè*, vel *indirectè. ibid. n.* 121. p. 221.

Actio ut sit satisfactoria, debet esse pœnalis, & laboriosa. *d.* 26. *n.* 256. p. 514. Probabile est oppositum. *ibi. n.* 258. p. 514.

Advocatus.

Potest patrocinare causam minus probabilem, admonendo Clientem de minori probabilitate, alias ad damna inde secuta tenebitur. *d.* 25. *n.* 334. p. 466. Non potest defendere causam injustam; & si id faciat, ad omnia damna tenetur: excusabitur tamen ex ignorantiâ inculpabili, illam defendens. *ibi.*

Ætas.

Quæ ad ordinandos requiritur. *disp.* 18. *num.* 386. pag. 300.

Agricola.

Agricolæ existentes in locis ubi non sunt pisces, vel magno pretio sunt, tempore Quadragesimæ, absque Bulla, ova, & Lacticinia possunt comedere. *d.* 22. *n.* 149. juncto *n.* 151. p. 401.

Agricolæ ad quam eleemosinam pro Bullâ teneantur. Vide *Eleemosyna.*

Alienigena. Vide *Externus.*

Altare, & Altare portatile.

Altaris nomine, quid veniat, in ordine ad indulgentias stationum in Bullâ concessas. *disp.* 10. *n.* 71. p. 110.

Altaris portatilis privilegium P. P. Prædicatoribus, & Minoribus, & communicantibus cum eis in privilegiis, concessum, est per Concil. Trid. revocatum. *d.* 10. à *n.* 75. p. 110.

Altaris portatilis privilegium cum aliquibus limitationibus Societati JESU conceditur; & illo uti possunt, in privilegiis cum ea communicantes. *d.* 10. à *n.* 76. & 97. p. 111.

Altare privilegiatum.

Altari privilegiato gratia concessa, liberandi animam à Purgatorio, per Bullam non suspenditur. *d.* 23. *n.* 111. p. 147. In altari privilegiato celebrans Religiosus pro animâ Religiosi sui ordinis, Bullâ non indiget. *ibi. n.* 111. p. 517.

Altaris privilegiati gratia, juxta probabilem opinionem per Bullam, suspenditur. *d.* 20. *n.* 110. p. 416. Juxta hanc opinionem, Bulla requiritur in celebrante, & non in faciente celebrare. *ibi. n.* 119. p. 416.

Altaris privilegiati forma Brevium affertur. *d.* 26. *n.* 162. p. 505. Prima Brevis clausula: *in qua non reperitur aliud altare privilegiatum*, declaratur. *ibi. n.* 163. p. 505. In eâdem Ecclesiâ plura altaria privilegiata possunt esse, pro animabus plurium confraternitatum. *ibi. & à n.* 64. p. 444.

Altaris privilegiati clausula: *dummodo in ea septem missæ quotidie celebrentur*, in iis Brevibus, in quibus invenitur, quomodo sit intelligenda? *d.* 26. à *n.* 166. p. 505. Si ob morbum, aut aliud impedimentum extraordinarium, deficiant, privilegium non redditur invalidum. *ibi.* à *n.* 170. p. 505.

Altare privilegiatum Ecclesiæ Regularium concessum, in quorum conventu sint septem Sacerdotes ex majori parte; non est validum, si per septem menses in eo septem Sacerdotes non sint. *d.* 26. *n.* 174. p. 506. Si ob hostilem incursum, non sint septem Sacerdotes, est validum. *ibi. n.* 175. p. 506.

Altaris privilegiati clausula: *Dummodo in ea sit altare S. Or.* explicatur. *d.* 26. *n.* 176. p. 506. Et clausula: *Sacerdos ejusdem* Ecclesiæ. *ibi.* à *n.* 177. p. 506. Qui Sacerdotes dicantur ejus Ecclesiæ. *ibi. n.* 178. p. 506.

Altaris privilegiati clausula: *Missam defunctorum*, quomodo à D. D. exponebatur ante decreta Alexandri VII. & Clementis IX. *d.* 26. à *n.* 179. p. 506. Hæ D. D. opiniones reddiæ sunt inveteratæ. *ibi.* à *n.* 186. p. 507.

In altaribus perpetuò privilegiatis, in quibus quotidie, etiam in festis ritus duplicis, missæ de *Requiem* ex obligatione erant celebrandæ, satisfit obligationi cum missæ de festo eo die currenti; & anima, pro qua offertur, indulgentiam altaris privilegiati consequitur, ac si in eo diceretur missa de Requiem. *d.* 26. *n.* 186. p. 507. Hæc Pontificis declaratio habet locum etiam si in Brevi altaris perpetuò privilegiati dicatur, quòd missa celebranda, sit de *Requiem ibi. n.* 187. p. 507. Hæc Alexandri VII. declaratio locum non habet, quando missæ, in altari perpetuò privilegiato, sunt ex devotione celebrandæ. *ibi. n.* 188. p. 507.

Hoc altaris perpetuò privilegiati, & pro omnibus diebus privilegium, & tantùm circa missas ex obligatione celebrandas, Clemens IX. extendit ad altaria ad tempus privilegiata, & non pro omnibus diebus, non solum ad missas in eo, ex obligatione, sed ex devotione celebrandas. *d.* 26. *n.* 189. & 191. p. 508.

In altari privilegiato, potest Sacerdos cum missa festi ritus duplicis, eo die currentis, vel diebus, in quibus non licet, celebrare missam de *Requiem*, animam à Purgatorio liberare. *d.* 26. *n.* 190. p. 508.

Altare perpetuò privilegiatum, sed non pro omnibus hebdomadæ diebus, gaudet extensione à Clemente IX. facta. *d.* 26. à *n.* 192. p. 598.

Altare ad tempus privilegiatum, sed non pro omnibus hebomadæ diebus, extensione à Clemente IX. facta fruitur. *d.* 26. *n.* 194. p. 508.

Altaris privilegiati clausula: *In die commemorationis defunctorum*, exponitur. *d.* 26. à *n.* 195. p. 505. Et clausula: *Et singulis diebus infra octavam*, *ibi.* à *n.* 203. p. 509. Et clausula: *Ac feria secunda cujuslibet hebdomadæ. ibi.* à *n.* 204. Et clausula: *Pro anima cujuscunque fidelium defunctorum*, *ibi.* à *n.* 206. p. 509.

Altaris privilegiati missa, quoad satisfactionem, & impetrationem, illi animæ applicatur. *d.* 26. à *n.* 208. p. 509. Anima pro qua applicatur debet esse in individuo determinata. *ibi. n.* 210. p. 509.

Altaris privilegiati indulgentia concessa pro anima cujuslibet fratrum alicujus confraternitatis, aut communitatis, ad aliàs non extenditur. *d.* 26. *n.* 210. p. 509.

Altaris privilegiati clausula: *Ad septennium tantùm duraturis*, declaratur. *d.* 26. *n.* 211. p. 510.

In altari privilegiato Sacerdos obligatus ad celebrandum, obligationi non satisfacit, celebrando in altari non privilegiato; prætextu, quòd secum habet calculum, aut numisma benedictum, cum quo æqualis conceditur indulgentia. *d.* 26. à *n.* 215. p. 510.

In altari privilegiato Sacerdos obligatus ad celebrandum pro anima alicujus defuncti; non satisfacit, visitando quinque altaria in diebus stationum, virtute Bullæ, aut alterius privilegii. *d.* 26. à *n.* 225. p. 511.

D. D. Alvarus de S. Bonaventura.

Ex dispensatione Pontificiâ in Episcopum per unum Episcopum, & duos non Episcopos, consecratur. *d.* 1. *n.* 29. p. 9.

Amens.

Amentibus, phreneticis, & furiosis, post adep-

num

tum usum rationis, in amentiam incidentibus, in multis prodest Bulla, si ab aliquo pro illis accipiatur. *d.* 2. *n.* 19. p. 24. In periculo diuturnæ, ac perpetuæ amentiæ, potest quis per Bullam confiteri, ac si in periculo mortis esset. *d.* 17. *n.* 172. p. 250.

Vide *infans.*

Amor Dei.

Super omnia, ad justificationem sufficit. *disp.* 7. *n.* 129. p. 83. *Animæ Purgatorii.* Vide *Purgatorium, suffragium, Indulgentia pro defunctis, & Defunctus.*

Annus.

Annus publicationis Bullæ, quando incipiat. *d.* 4. à *n.* 2. p. 38. Annus Bullæ non incipit ab acceptatione Bullæ, sed à publicatione. *ibi. num.* 7. p. 38.

Annus; quo durat Bulla non est naturalis, sed Ecclesiasticus. *d.* 4. à *n* 12. p. 39. Aliqua dubia circa annum Ecclesiasticum dissolvuntur. *ibi.* à *n.* 22. p. 40.

D. D. Antonius Mascarenàs.

Dum erat Bullæ Commissarius, super publicatione Bullæ pro anno Jubilei cum Collectore dissidium habuit. *d.* 1. à *n.* 107. p. 16. Excessit in publicando edicto de non celebrandis missis in Oratoriis privatis absque Pontificis licentia. *disp.* 11. *n.* 67. p. 128. Contentionem habuit cum Collectore super Oratoriis privatis. *d.* 12. à *n.* 19. p. 146. Publicare fecit per Epistolam declaratoriam, ut veram Bullæ interpretationem, opinionem docentem, posse habentem Bullam, in domo sua habere Oratorium, obtentâ tantùm Ordinarii approbatione. *d.* 12. à *n.* 21. p. 147. Quam declarationem Collector statim revocavit. *ibid.*

Appellatio.

Appellatio, quæ dicatur frivola. *disp.* 16. *n.* 144. p. 224. Appellans ab Episcopo, vel ab ejus Vicario ad judices seculares, excommunicationem Bullæ Cœnæ non incurrit. *disp.* 16. *num.* 147. p. 225.

Appellans ad Sedem Apostolicam; Nuntium, aut Legatum, & judice executore appellationem non admittente excommunicationem non incurrit, recurrendo ad judicem secularem, quando alia non suppetit via, impediendi gravamen. *d.* 16. *n.* 148. p. 225.

Recurrens ad judicem secularem in casu violentiæ, & manifestæ injuriæ, quando damnum est irreparabile, vel difficilè reparari potest, & aditus ad Pontificem est difficilis, & alius non est Magistratus Ecclesiasticus, qui velit, aut possit tantùm damnum arcere, excommunicationem Bullæ Cœnæ non incurrit. *d.* 16. *n.* 149. p. 225.

Appellatur à Rege, qui est Dux, aut Comes in causa ad Ducatum, aut Comitatum concernente. *d.* 24. *n.* 34. p. 439.

Vide. *Tribunal Cruciatæ.*

Applicatio.

Applicatio bonorum operum satisfactoriorum, non sufficit per Superiorem facta, si subditus pro aliis ea applicet. *d.* 9. *n.* 18. p. 100.

Approbatio.

Approbatio quid sit, & quid Jurisdictio, & quomodo inter se distinguantur? *d.* 14. à *n.* 3. *junctis n.* 8. & 11. p. 159. Est actus Justitiæ, quæ negari nequit idoneo invento in examine. *ibid. n.* 11. & 89. p. 169. Non sufficit ad confessiones approbatio examinatorum in concursu alicujus Ecclesiæ, vel Universitatis. *disp.* 14. *n* 7. in fine. p. 159.

Approbatus debet esse ab Ordinario loci, in quo confessiones sunt audiendæ, Confessarius, virtute Bullæ, eligendus. *d.* 14. à *n.* 14. pag. 160. Non est admittenda, post Const. Clementis X. opinio asserens, posse eligi confessarium, virtute Bullæ, à quocumque Ordinario approbatum. *ibid. n.* 27. p. 162. Nec docens, sufficere approbationem ab Ordinario pœnitentiæ. *ibi. n.* 28. p. 162. Nec astruens, sufficere approbationem ab Ordinario Confessarii. *ibid. num.* 29. p. 162.

Approbatus ex defectu ætatis ad audiendas confessiones virorum, non potest, virtute Bullæ, eligi ad audiendas fœminarum confessiones. *d.* 14. à *n.* 77. p. 168.

Approbatus ad audiendas confessiones clericorum, aut Sacerdotum, nec in eâdem diœcesi, virtute Bullæ, potest audire confessiones laicorum; nec in diversa diœcesi, virtute ejusdem, confessiones clericorum; aut sacerdotum audire. *d.* 14. *n.* 80. p. 168.

Approbatus ad audiendas puerorum, aut rusticorum confessiones, non potest, nec in eadem diœcesi virtute Bullæ, aliorum audire confessiones. *d.* 14. *n.* 81. p. 186. Explicatur axioma juris: *Semel approbatus non potest amplius reprobari. ibi. n.* 82. p. 168.

Approbatus pro uno loco diœcesis, non potest; virtute Bullæ, ab aliis locis tam ejusdem, quàm diversæ diœcesis, eligi. *disp.* 14. *num.* 86. pag. 169.

Approbatus cum limitatione temporis, v.g. per annum, non potest, eo elapso virtute Bullæ eligi. *d.* 14. *n.* 88. p. 169.

Approbatus sacerdos secularis ad beneplacitum, si illius approbatio cum causa, vel sine illa, revocetur, virtute Bullæ non potest eligi. *d.* 14. à *n.* 90. p. 169. Approbatus absolutè, & absque limitatione, si absque causa, illius approbatio revocetur, quamvis revocatio sit nulla, virtute Bullæ non potest eligi. *ibi.* à *n.* 92. p. 170. Sacerdos manifestè idoneus, si ab Ordinario non non approbetur, virtute Bullæ, non est eligibilis. *d.* 14. à *n.* 98. p. 171. Sacerdos ab Episcopo interius judicatus inidoneus, & exterius approbatus, validè excipit confessiones, & virtute Bullæ, potest eligi. *disp.* 14. à *num.* 103. pag. 171.

Cum approbatione per ratihabitionem de futuro, validè non excipiuntur confessiones. *d.* 14. *num.* 106. p. 172. Cum approbatione per ratihabitionem de præsenti, duplici concurrente circumstantia, validè confessiones audiuntur. *ibi.* à *n.* 112. & per Bullam datur electio. *ibid. n.* 114. p. 172. Et illa non concurrente duplici circumstantiâ, non excipiuntur validè, nec per Bullam potest eligi. *ibid. n.* 115. p. 173. Approbatus sacerdos per ratihabitionem tacitam tantùm de præsenti, tenetur antequam confessiones excipiat, id pœnitentibus aperire. *d.* 14. *num.* 116. p. 173.

Approbatus in diœcesi Ulyssiponensi ad tempus, potest clericorum in sacris confessiones audire, & eos ab Episcopo reservatis non exceptis, absolvere. *d.* 18. à *n.* 347. p. 261. Hoc privilegium in aliquibus conceditur diœcesibus, aliquando majori, aut minori clericorum extensione. *d.* 18. *n* 349. p. 296.

Vide *Parochus. Sacerdos, Licentia.*

Approbatio quoad Regulares.

Forma *in Clem. Dudum*, quâ Regulares idonei manebant ad confessiones audiendas, per Trid. est revocata. *d.* 14. à *n.* 122. pag. 173. & à *num.* 140. p. 176.

Præsentatio Regularis à suo Prælato, non requiritur, ut ab Ordinario approbetur. *d.* 14. à *num.* 122. & *n.* 125. prope finem. p. 174.

Regularis mortaliter non peccat, absque præsentatione sui superioris, exponendo se Episcopo, ut approbetur, si illius Religionis Constitutiones id non prohibeant, aut non detur prohibitio superioris obligantis, in virtute S. Obedientiæ, vel sub pœna excommunicationis, &c. *d.* 14. *n.* 125. p. 174.

Regularis sine sui superioris præsentatione, cum solâ Episcopi approbatione validè excipit confessiones; si in suâ Religione Const. Julii III. recepta non sit. *disp.* 14. *num.* 128. p. 174. Quæ Const. non constat, esse receptam in aliis Religionibus excepto Ordine Prædicatorum. *ibi. n.* 128. & *num.* 129. p. 174. In Societate JESU, non est recepta. *ibi.*

Præsentatio, ut Regularis approbetur, à Prælato immediato, nempe à Priori, Gardiano, Rectore, &c. facienda est, præscindendo à regula seu statuto alicujus Religionis. *d.* 14. *n.* 130. & 132. p. 175. si Clem. *Dudum* non sit revocata, in Tertio Ordine S. Francisci, præsentatio ad superiores majores spectat. *ibi. n.* 131. p. 175. In Societate JESU fit à superioribus immediatis. *ibi. n.* 133. p. 175.

Regulares à suo Prælato Episcopo præsentati, & ab illo injustè repulsi, ipso jure, non manent approbati. *disp.* 14. à *n.* 139. p. 176. De injustitia Episcopi, unde constare possit? *ibi. n.* 138. p. 176.

Regulares generaliter idonei non possunt ab Episcopis, etiam Ulyssiponensi, cum limitatione ad tempus, loca, aut personas approbari. *d.* 14. à *n.* 145. p. 177.

Regulares simpliciter, & absolutè approbati, possunt absque ulla alia licentia, confessiones excipere omni tempore, etiam Paschali. *d.* 14. à *n.* 150. p. 178. Tenentur tamen Parochum certiorem facere de confessione infirmorum, quam exceperunt. *ibi.* Hæc tamen obligatio Regulares cum limitatione approbatos non ligat. *ibi. n.* 114. pag. 172.

Approbare tenentur Episcopi indistinctè, & indifferenter omnes Regulares idoneos ante Quadragesimum annum ad audiendas confessiones tam virorum, quàm fœminarum. *d.* 14. à *n.* 155. p. 178. Quamvis Episcopi iniquè agant, absque justâ causâ, approbantes Regulares generaliter idoneos cum limitatione ad tempus, ad oppida, aut personas sine eis limitationibus, ipso jure non manent approbati. *d.* 14. *n.* 158. p. 178. Non possunt etiam Episcopi cum limitationibus. *Donec vobis videro, Ad nostrum beneplacitum, &c.* Regulares idoneos approbare. *ibi. n.* 159. pag. 179.

Approbare cum limitatione potest Episcopus Regulares non adeo idoneos. *d.* 14. à *num.* 160. p. 179. & 166. p. 179. Idoneitas circa litteraturam tantùm intelligitur. *ibi.* à *n.* 163. p. 179. Regularis cum limitatione ad tempus approbatus, elapso tempore, non potest, virtute Bullæ, aut jubilei eligi. *d.* 14. à *n.* 233. p. 187.

Regulares semel approbati absolutè, & simpliciter, possunt virtute Bullæ eligi. *d.* 14. à *n.* 235. pag. 187. Exponitur Bullæ clausula. *Quoad Regulares, semel tantùm approbati fuerint.* ibi.

Vide *Examen.* Regulares.

Approbationis revocatio.

Episcopus, inconsulta Sede Apostolica, omnes simul Regulares unius conventus à confessionibus audiendis, non potest privare; & talis privatio est nulla. *d.* 14. à *n.* 185. p. 181.

Episcopus absque justâ causâ, Regularibus, prævio examine ab ipso approbatis, non potest revocare approbationes. *disp.* 14. à *num.* 189. pag. 181.

Revocari, nec suspendi possunt licentiæ Regularibus concessæ ad confessiones audiendas, nisi ex justâ causa ad ipsas confessiones concernente. *d.* 14. *n.* 193. p. 182. Refutatur Rodrig. asserens, Religiosos S. Dominici, & S. Francisci, semel ab uno Episcopo approbatos, non posse à successore examini subjici *ibi. n.* 195. p. 182.

Revocare, vel suspendere potest Episcopus approbationes Regularibus concessas ad annum, illo non finito, vel ad beneplacitum, justâ concurrente causâ. *d.* 14. *n.* 199. p. 183. Revocatio approbationis ad tempus concessæ, nullâ concurrente causâ, non solùm est illicita, sed etiam invalida. *ibi. n.* 199. p. 183.

Revocatio approbationis, ad beneplacitum, seu arbitrium Episcopi concessæ, est illicita, non tamen invalida. *d.* 14. *n.* 201. p. 183.

Revocare non potest Capitulum sede vacante approbationes Regularibus ab Episcopo emortuo concessas. *d.* 14. *n.* 202. p. 183. Nec privilegium quod habent Regulares, per Trid. est revocatum. *ibi. n.* 204. p. 184.

Causa, ob quam Episcopi Regularium approbationes possunt revocare, debet esse nova, & quæ ipsas confessiones concernat. *d.* 14. *n.* 205. p. 184. Hæ causæ recensentur. *ibid.* à *n.* 206. pag. 184. Non est necessarium, quòd de revocatione constet in actis. *ibi. n.* 210. p. 184. Nec oppositum est probabile. *ibi. n.* 211. p. 184. & 240. p. 176.

Aqua Lustralis.

Aquæ Lustralis aspersio defunctis utilis est. *d.* 26. *n.* 278. p. 516. Ex opere operato peccata venialia non delet. *ibi. n.* 279. p. 516.

Archiepiscopus. Vide *Episcopus.*

Articulus mortis. Vide *Mortis articulus.*

Attritio. Vide *Contritio.*

Avocatio causarum.

Avocatio causarum Spiritualium, quando fit per potestatem Ecclesiasticam, excommunicatio Bullæ Cœnæ non incurritur. *disp.* 16. à *n.* 163. p. 227. Circa has avocationes alia dubia dissolvuntur. *ibid.* à *n.* 167. p. 227.

Axioma.

Subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur, habet locum, quando subrogatum est æquale in omnibus, cui subrogatur. *disp.* 21. *n.* 279. p. 378. Non habet locum in pœnalibus, & odiosis. *ibid.*

B

Benedictiones nuptiales.

Quo tempore sint prohibitæ. *disp.* 11. *n.* 125. p. 134. Possunt impendi à proprio Parocho tempore interdicti, virtute Bullæ, in Oratorio privato,

privato, & in Ecclesiis extra tempus à jure prohibitum. *ibid.*

Benedictiones nuptiales, quando liceant in festivitatibus, in quibus interdictum suspenditur. *d.* 11. à *n.* 126. p. 135.

Beneficiatus.

Beneficiatus, præter peccatum mortale, quod committit, non recitando, tenetur ad restitutionem fructuum. *d.* 25. *n.* 145. p. 456. Ad hanc restitutionem post sex menses à possessione tenetur. *ibid. n.* 147. p. 456. Restitutio hæc debetur ante sententiam, & oppositum ab Alexandro VII. damnatur. *d.* 25. *n.* 146. p. 456. Ad restitutionem tenetur, si studio litterarum vacet, & per alium recitet; & oppositum ab Alexandro VII. damnatur. *d.* 25. *n.* 148. p. 456.

Beneficiatus, non recitans uno une die, à restitutione non liberatur, quamvis sequenti die duplicatum recitet officium. *disp.* 25. *n.* 149. p. 457. P. P. Soar. & Filliuc. pro oppositâ sententia, malè citantur. *ibid.* & *n.* 150. p. 457.

Beneficiarius non recitans tenetur ad restitutionem, si in beneficii fructibus, deductis expensis, valorem habeat quadraginta Cruciatorum. *d.* 25. *n.* 151. p. 457.

Beneficiarius suæ non satisfacit obligationi, recitando unum matutinum post vesperas pro eodem, & sequenti die; & oppositum ab Alexandro VII. damnatur. *d.* 23. *n.* 152. p. 457.

Beneficiatus, absque peccato mortali non recitans, ad restitutionem non tenetur. *disp.* 25. *n.* 154. p. 457. Voluntariè distractus recitans, juxta communem sententiam ad restitutionem tenetur. *ibid. num.* 155. p. 457. Probabilis est opposita. *ibid. n.* 156. p. 457.

Beneficiatus unum pro altero officio recitans, ad restitutionem tenetur. *d.* 25. *n.* 157. p. 458. At si inter utrumque officium parva intercedat mutatio, probabile est non tenere. *ibid. n.* 167. Mutatio diei Palmarum in officium Resurrectionis, fieri non potest; & oppositum ab Alexandro VII. damnatur. *disp.* 25. *n.* 162. p. 458. Nec etiam aliud officium cum officio Resurrectionis commutari potest. *d.* 25. à *n.* 162. p. 458. Rejiciuntur oppositæ sententiæ. *ibid.*

Beneficiarius non recitans, probabilius tenetur omnes fructus restituere. Et probabile est non teneri omnes fructus restituere, sed pro rata omissionis horarum. *d.* 25. *n.* 188. p. 461.

Beneficiarius simplex beneficium habens, & Pensionarius pensionem, aut præstimonium, non recitantes, tenentur ad restitutionem omnium fructuum. *d.* 25. *n.* 192. p. 460.

Beneficiati, quibus modis indebitè fructus beneficii percipiant. *d.* 25. *n.* 224. p. 465. Tenetur beneficium absque Legitimo titulo obtentum, statim renuntiare, & fructus perceptos restituere. *ibid.* à *n.* 227. p. 465. Quomodo se gerere debeat, quando sine infamia beneficium deserere nequit, remissive. *ibid.* Per Bullam titulus beneficii revalidari non potest. *ibid. num.* 228. p. 465.

Beneficiarius excommunicatione Ligatus, juxta communem sententiam, suos non facit fructus. *disp.* 25. *n.* 24. p. 467. Opposita est probabilis. *ibid. n.* 243. p. 467. Si suspensione ab officio sit, ligatus; probabile est, suos non facere fructus. *d.* 25. *n.* 246. p. 468. At probabilius oppositum. *ibid. n.* 248. p. 268.

Beneficiarius à beneficio suspensus, juxta communem à fructibus privatur. *disp.* 25. *n.* 550. p. 468. Probabile tamen est, ante sententiam non privari; & illos posse recipere si ob contumaciam non sit suspensus. *ibid.* à *n.* 151. p. 457.

Beneficiarius specialiter interdictus, vel dans causam interdicto locali, aut generali personali, fructus nequit percipere, nec correspondentes Sacramentorum administrationi, nec divinis interessentibus. *d.* 25. *n.* 256. p. 468. Beneficiarius, qui fuit causa ut Ecclesia violaretur, beneficii fructibus non privatur. *disp.* 25. *n.* 259. p. 469.

Beneficiarius per irregularitatem ex homicidio voluntario, ipso jure, & facto, beneficiis antea obtentis privatur. *d.* 25. *n.* 261. p. 469. Probabilius est, ante sententiam condemnatoriam, non privari. *ibid. num.* 262. p. 469. Si tamen Coadjutorem assumat, beneficium retinere potest, & fructus percipere. *ibid. n.* 265. p. 469.

Vide *Bulla Compositionis.*

Blasphemia.

Quid sit. *d.* 18. *n.* 24. p. 260. Quomodo dividatur. *ibid.* à *n.* 25. p. 260. Non solùm ore, sed mente, & Scriptura committi potest; licèt propriè loquendo verbis committatur. *ibid. n.* 27. p. 260.

Blasphemia hæreticalis Inquisitoribus reservatur. *d.* 18. *n.* 28. 260. Non hæreticalis interna, & occulta non est reservata in diœcesibus, ubi Blasphemia publica reservatur. *disp.* 18. *n.* 29. p. 260.

In blasphemiis deliberatis in Deum, & Sanctos, ut Sancti sunt, prolatis non datur parvitas materiæ. *d.* 18. *n.* 30. p. 261. Quæ proferantur in Sanctos ut formaliter, sunt Sancti, parvitatem materiæ admittunt. *ibid. num.* 31. p. 261. Per jocum in Sanctos prolatæ, ut homines sunt, si sint circa mores, materiæ parvitatem non habent. *ibid.*

Blasphemia ex aliquâ indignatione repentina, in deliberatione, aut in advertentiâ in Deum, est venialis. *d.* 18. *n.* 32. p. 261. Blasphemiæ ex prava consuetudine blasphemandi inadvertenter, & inconsideratè prolatæ, non sunt peccata mortalia. *ibid.* à *n.* 33. p. 261.

Blasphemiæ omnes non hæreticales sunt ejusdem speciei, sive sint in Deum, B. Virginem, aut Sanctos. *d.* 18. *n.* 41. p. 262.

Bona.

Bona habentes ad Bullam pertinentia, dum ea Commissario, aut ab eo deputato non propalant, Bullæ privilegiis non gaudent. *d.* 2. *n.* 35. & 36. p. 25.

Bona quæ dicantur profectitia, Castrensia, aut quasi Castrensia. *d.* 5. à *n.* 62. p. 66.

Bona naufragantium.

Bona naufragantium surripientes, duplicem incurrunt excommunicationem. *d.* 25. *n.* 346. p. 477. Quando incurrantur. *ibid.* Non comparente domino, potest inventor illa retinere. Et si compareat, tenetur inventori expensas, & laborem, arbitrio prudentum, aut confessoris solvere. *ibid.* & *n.* 347. p. 477.

Bona naufragantium inventa in littore, vel projecta à mari, si sint inimicorum fidei, Regni, aut piratarum, sive illorum dominus ignoretur, sive non, sunt capientium. *disp.* 25. *n.* 50. p. 445. Idem dicendum de Mauris naufragium passis. *ibid. n.* 451. p. 478.

Bona naufragantium in nostris littoribus inventa, & non invento domino intra semestre, captivorum

rum præfecto traduntur. *d.* 25. *n.* 352. pag. 478. Hæc bona, deputatis ab Ordinario, non sunt tradenda.. Nec casus ab Ordinariis reservatus, de his inventis intelligitur. *ibid. num.* 353. pag. 478.

Bona naufragantium, domino non invento, facta diligentia, potest inventor sibi retinere, ut domino comparenti tradantur, vel super illis per Bullam componi. *d.* 25. à *n.* 354. p. 478.

Brasilia.

Non videtur improbabile, posse subditos Regis Portugalliæ, in dominio alieno, mercimonii causâ, degentes in Brasiliæ statu, Bullam sumere, & illius uti privilegiis. *d.* 3. *n.* 63. p. 35.

Bulla Cœna.

Bulla Cœnæ Bullam non revocat Cruciatæ. *d.* 1. à *n.* 126. p. 20.

Bullæ Cœnæ excommunicationes recensentur. *d.* 16. à *n.* 2. p. 207.

Bulla Cœnæ transcriptum tenentur confessarii apud se habere sub mortali; & quomodo hoc intelligatur præceptum. *d.* 17. *n.* 6. p. 207.

Bullæ Cœnæ censuras, absque legitimâ facultate, absolventibus imposita est excommunicatio ipso facto, nulli reservata; & absolutio declaratur nulla. *d.* 16. *n.* 7. p. 208.

Bulla Cœnæ Concil. Trid. derogat. *disp.* 16. à *n.* 8. p. 208.

Bullæ Cœnæ undecimus canon in Bullâ Cruciatæ est de exceptis; & ab illo nec semel in vitâ, & mortis articulo, virtute Bullæ, absolvere potest confessarius. Explicatur. *disp.* 16. à *num.* 88. p. 217.

Bullæ Cœnæ duodecimus canon in Bullâ Cruciatæ excipitur; & in eo contentæ excommunicationes, virtute Bullæ, nec semel in vitâ, & mortis articulo, absolvi possunt. *d.* 16. à *num.* 116. p. 221.

Bullæ Cœnæ decimus tertius canon in Cruciatâ excipitur; nec confessarius per illam electus ab ejus excommunicatione semel in vita, & mortis articulo potest absolvere. *disp.* 16. à *num.* 141. pag. 224.

Bullæ Cœnæ decimus quartus canon exceptus in Cruciatâ, declaratur. *d.* 16. à *n.* 155. p. 226.

Vide *Falsificatio*, *Hæresis*, *Reservata quoad absolutionem virtute Bullæ.*

Bulla communis Cruciatæ.

Bullæ Lusitanæ Expositores. *d.* 1. *n.* 1. p. 1. Bullæ transcriptum Latinum Gregorii XIV. Clementis VIII. & Pauli V. *ibid. n.* 3. p. 1. Summarii. *ibi. n.* 4. Nominis Etymologia. *ibi.* à *n.* 5. p. 6. Origo. *ibi. n.* 8. p. 7. Quoties Portugaliæ concessa, & quando incepit esse continuata. *ibi.* à *n.* 10. p. 7.

Bullæ definitio. *d.* 1. à *n.* 14. p. 8. Bullæ finis extrinsecus, & intrinsecus. *ibi. n.* 20. p. 8.

Bullæ privilegia sunt mixta ex locali, & personali participantia. *d.* 1. à *n.* 60. p. 11. Sunt latè interpretanda. *ibid.* à *n.* 71. p. 13. Etiam illius indulgentiæ. *ibid. n.* 76. p. 13.

Bulla non suspenditur per jubileum Anni S. *disp.* 1. *n.* 107. p. 16. Nec illius privilegia per Bullam Cœnæ revocantur. *ibid.* à *n.* 126. p. 20.

Bulla non expirat morte Pontificis, illam concedentis. *d.* 1. à *n.* 135. p. 5. Nec morte Principis illam impetrantis. *ibid. n.* 139. p. 21. Bulla duplex eodem durante anno accipi non potest. *d.* 4. à *n.* 41 & *n.* 57. p. 44. & 45.

Bulla Regnis Hispaniæ concessa, in Portugalliæ Regnis, aut dominicis publicari nequit. *d.* 4. à 55. p. 45. Refutantur P. Quintanad. & Trullench. oppositum docentes. *ibid. n.* 54. p. 45.

Bullæ privilegia in utroque foro non acquiruntur, si illius Summarium prius non accipiatur. *d.* 6. *n.* 6. p. 58. Non sufficit intentio sumendi Bullam, ut illius privilegiis aliquis fruatur. *disp.* 6. à *n.* 9. p. 58. Nec sufficit receptio Bullæ, absque intentione illam acceptandi. *disp.* 6. *n.* 11. p. 59. Bullam aliquis accipiens coactus, illius utitur privilegiis. *ibid.* à *n.* 14. p. 59.

Bullam sumere sine acceptatione, non sufficit, ut illius acquirantur privilegia. *d.* 6. *n.* 17. p. 59. Nec sufficit, Bullam acceptare, absque sumptione mediatâ, aut immediatâ. *ibid.* à *num.* 18. p. 59. Potest aliquis plures sumere Bullas, animo his, & aliis donandi; & si ex his aliquis illam jam habeat, alii poterit donare, etiamsi jam nomen in illa sit scriptum. *d.* 6. *n.* 20. p. 60. & à *n.* 29. p. 61.

Bullæ privilegiis frui nequit aliquis, suo nomine ab alio sumptæ, antequam de sumptione admoneatur. *d.* 6. à *n.* 24. p. 60. Rejiciuntur confirmationes à Trullench. adductæ pro oppositio. *ibid.* à *n.* 26. p. 61.

Bullam duplicem aliquis sibi accipiens, potest unam ex illis alteri donare. *d.* 6. à *n.* 34. p. 62. At non potest juxta Bullam Hispanam. *ibid. n.* 37. p. 62.

Nullus datur casus, in quo aliquis Bullam teneatur sumere. *d.* 6. a *n.* 38. p. 62.

Bullæ Summarium, quando recipitur, non est apud Thesaurarium relinquendum. *d.* 6. *n.* 47. p. 63. Si inculpabiliter amittatur, Bullæ privilegia non amittuntur. *ibid.* à *n.* 50. p. 64. Si culpabiliter amittatur, laceretur, aut comburatur, probabilius est, privilegia deperdi: & probabile, ac tutum oppositum juxta Bullam Lusitanam. *d.* 6. à *n.* 52. p. 64.

Bullæ privilegiis non gaudet, qui scienter aliqua ad Bullam pertinentia, retinet. *disp.* 23. *n.* 231. p. 351. & *n.* 248. p. 433.

Vide *Loca. Jubilæus. Suspensio Bullæ.*

Bulla Compositionis.

Necessariò non est retinenda. *d.* 6. à *n.* 67. p. 67. & *disp.* 25. *num.* 37. p. 444. In illâ expresè, vel confusè est inscribendum. *d.* 6. *n.* 69. p. 67. & *d.* 25. à *n.* 40. p. 444. Si rumpatur, antequam nomen in ea sit scriptum, privilegium obtinetur; secus dicendum juxta Bullam Hispanam. *d.* 6. à *n.* 69. p. 67.

Bulla Compositionis ex quibus ordinetur? *d.* 25. à *n.* 2. p. 440. Differt ab Hispanâ. *ibid. n.* 5. p. 440. Illius Summarium proponitur. *ibid.* à *n.* 6. p. 441.

Bullam Compositionis potest S. Pontifex concedere. *d.* 25. à *n.* 11. p. 441. Non tamen Episcopi. *ibid.* à *num.* 16. p. 442. Nisi cum limitatione. *ibid. n.* 30. p. 443. Potest Rex circa res inventas animatas. *disp.* 25. à *n.* 26. p. 443. Et non circa alia. *ibid.* à *n.* 28. Commissarius Generalis illam concedit, juxta commissionem sibi traditam. *disp.* 25. *n.* 32. p. 443. Subcommissarii, Thesaurarii, concionatores Bullæ, & receptores compositionem concedentes; excommunicationem ipso facto incurrunt, & compositio est nulla. *ibid.*

Compositio, ut validè fiat per Bullas, vel cum Commissario, debet componens habere Bullam vivorum. *d.* 25. *n.* 33. p. 444. At ignorans hoc requi-

requisitum, Bullæ compositionis illi proderunt, si post Bullæ sumptionem, de novo Bullas compositionis acceptet. *ibid. n.* 43. p. 441.

Compositio ut validè fiat per Bullam, aut Bullas, debent recipi Bullæ, aut Bullæ compositionis impressæ, Commissarii Generalis nomine signatæ. *d.* 25. *n.* 35. p. 444.

Compositio, ut validè fiat, requirit, quòd aliena ex confidentia Bullæ, non surripiantur. *d.* 25. *n.* 42. p. 445. Rejicitur P. Abreus, oppositum damnare, non audens. *ibid. num.* 43. p. 447. Compositione uti potest, qui surripuit cum confidentia. *ibid. n.* 44. p. 445. Qui ex confidentiâ surripuit, potest Commissarium adire, qui in aliquo casu compositionem concedet. *ibid. n.* 45. p. 445.

Compositionem impedit confidentia, quam quis habet, dum aliena furatur ab illo, quem cognoscit: sperat tamen decursu temporis esse ignorandum. *d.* 25. *n.* 46. p. 445. Nec compositione uti potest, qui non vult tempore debito solvere legata, ut postea Bulla compositionis utatur. *ibid. n.* 47. p. 445.

Vide *Confidentia.*

Compositione uti valet, qui non statim bona incerta pauperibus restituit, cùm possit, spe obtinendæ compositionis, per Bullam. *d.* 25. *n.* 48. p. 445.

Compositione per Bullam omnes gaudere possunt; qui utiliter Bullam vivorum sumere possunt. *d.* 25. à *n.* 49. p. 445. Ut fiat compositio per Bullam, status gratiæ non requiritur. *d.* 25. *n.* 52. pag. 446.

Compositione uti possunt tutores, & curatores, quando infantes, & amentes aliqua bona incerta ex hereditate habuerunt. *d.* 25. *n.* 53. p. 446. Requiritur, quod infans, aut amens Bullam habeat vivorum. *ibid.*

Bullâ compositionis absentes, & exteri non gaudent, nisi ad hæc regna declinent, & illam accipiant. *d.* 25. *n.* 54. p. 446. At illa gaudere possunt Regis Portugalliæ subditi in alieno dominio, mercimonii causâ commorantes. *ibid.*

Bullâ compositionis frui nequeunt habentes bona Cruciatæ surrepta; & illa Commissario, aut ab eo deputatis, non propalantes. *d.* 25. *n.* 55. p. 449.

Bullas Compositionis potest defunctus, antequam obeat, jubere sumi ab aliquo, si Bullam vivorum habeat. *d.* 25. *n.* 56. p. 456. Non potest hæres, aut quilibet alius pro defuncto illas sumere, si defunctus id non mandaverat. *ibid. n.* 58. pag. 446. Poterit tamen hæres, aut testamentarius illas sumere pro bonis incertis, à defuncto sibi relictis *ibid.*

Compositio super debitis incertis per Bullas, & cum Commissario debitorem in conscientiâ tutum constituit. *p.* 25. *n.* 60. p. 447. De quibus bonis incertis concedatur compositio. *ibid.* à *n.* 63. p. 448.

Compositio conceditur super inventis, quæ à Rege Præfecto captivorum sunt addicta; & à S. Pontifice; & Rege Hispaniæ aliquibus piis locis. *d.* 25. *n.* 68. p. 447. In inventis non habet locum præceptio. *ibid.* à *n.* 70. p. 448.

Compositio conceditur super inventis, & depositis illicitè non acquisitis. *d.* 25. à *n.* 72. p. 448.

Compositio ut fiat super incertis, quæ diligentia pro inveniendo domino requiratur. *d.* 25. *n.* 75. p. 448. Diligentia à Commissario, aut receptore, quando legatarii non inveniuntur, & compositio super legatis, aut illicitè acquisitis, facienda est. *ibid. n.* 76. p. 448. Praxis compositionis est, quod super compositione legatorum, diligentia à Commissario, aut subdelegatis exhibeatur, super aliis verò rebus, consulendus est confessarius. *ibid.* Alia datur diversa praxis, juxta Bullam Hispanam. *ibid. n.* 77. p. 448.

Compositio non conceditur, quando creditor est certus, & quantitas debita incerta. *d.* 25. *n.* 78. p. 448. Rejicitur P. Tamborinus pro parte talis debiti compositionem concedens. *ibid. n.* 80. p. 449. Nec conceditur, quando res debita pertinet ad unum ex duobus, tribus, quatuor, &c. & ignoratur quis ex illis sit dominus. *d.* 25. à *n.* 81. p. 449. Quid sit agendum in hâc incertitudine. *ibid.* & *n.* 83. p. 449.

Bullâ compositionis quando indigeat ille, qui plures in aliquâ civitate, vel oppido defraudavit in pondere, mensurâ, vel aquam vino admiscendo, & ignorat personas. *d.* 25. à *n.* 84. p. 449. Judicium Authoris. *ibid. n.* 86. p. 449.

Compositio non conceditur, quando damnum est illatum cumulo civitatis, communitatis, confraternitatis, &c. *d.* 25. *n.* 87. p. 449.

Compositio, ut detur non sufficit sola distantia inter creditorem, & debitorem. *d.* 25. *n.* 88. pag. 449. Nec datur, quando conventum est, ut res tradatur creditori expensis debitoris, in quocunque loco distanti. *ibid. n.* 89. p. 449. Nec quando res fuit illicitè habita. *ibi. n.* 90. p. 449. Conceditur tamen, quando majores sunt faciendæ expensæ, in re mittenda ad creditorem, ad quas non tenetur debitor. *ibid.* à *n.* 92. p. 450. Afferuntur explicationes. *ibid.* à *n.* 94. p. 450.

Compositione factâ, & comparente domino, est ne illi res composita restituenda? D. D. placita afferuntur. *d.* 25. à *n.* 97. p. 450. Et quid sit tenendum. *ibid.* à *n.* 109. p. 451.

Compositio quomodo fiat per Bullas, & cum Commissario, & quâ taxâ. *d.* 25. à *n.* 120. p. 452. Quando fit per Bullas, parva taxa designatur. *ibi. n.* 124. p. 453. Compositio facta cum Commissario pro majori summâ tutior est, quàm facta per Bullas usque ad designatam, pro minori summa. *d.* 25. à *n.* 129. p. 454.

Componere se potest debitor trecentorum millium regalium Lusitanorum per Bullas, super ducentis, & cum Commissario super reliquis centum; vel cum Commissario super totis trecentis. *d.* 25. *n.* 128. p. 454. Compositio super quadringentis mille regalibus, per Bullas nunquam fieri potest, etiam si aliò quæratur color, ut super ducentis, fiat per Bullas; & super aliis ducentis, alio tempore, anno, &c. *d.* 25. à *n.* 131. p. 454. Etiamsi ea debita sint ex diversis capitibus contracta. *ibid. n.* 133. p. 455.

Bullam unam Compositionis duo sumere nequeunt, quorum unus duo millia debet, & alter tria millia regalia incerta. *d.* 25. *n.* 134. p. 457. Si tamen alter eorum debitum alterius supra se recipere velit, tunc unam tantùm Bullam pro illis quinque millibus poterit sumere. *d.* 25. *n.* 135. p. 455.

Compositionem non tenetur facere hoc anno, qui in illo non potest restituere; etiam si ad compositionem habeat eleemosynam requisitam. *d.* 25. à *n.* 136. in fine. p. 455.

Compositio centum millium regalium, quæ superfuerunt ex ducentis compositis, anno præterito, per Bullas; hoc præsenti anno per Bullas non possunt componi, sive dilatio ad hunc annum fuisset

culpata, sive inculpata. *d.* 25. à *n.* 136. p. 455. Rejicitur P. Mendo oppositum docens. *ibid.* à *n.* 141. p. 456.

Compositio in quibus casibus concedatur. *d.* 25. à *n.* 140. p. 455. Compositione rectè utitur beneficiarius, qui voluntariè distractus recitavit. *disp.* 25. *num.* 155. p. 457. Oppositum ut probabile. *n.* 156. p. 457.

Compositione indiget beneficiarius, mutans unum pro alio officium. *d.* 25. *n.* 157. p. 458. Si inter utrumque officium parva intercedat mutatio, probabile est, non indigere compositione. *ibid.* *n.* 158. p. 458.

Compositio ob omissionem horarum canonicarum, quomodo à beneficiario facienda sit. *disp.* 25. à *n.* 178. p. 460. Juxta Bullam Hispanam expositione non indiget. *ibid.* *n.* 173. p. 459.

Componere se potest beneficiarius non recitans, super illa pensione, quæ recitationi horarum correspondet; vel super omnibus fructibus, ad majorem suæ conscientiæ quietem. *d.* 25. *n.* 18. in fine p. 461.

Compositionem per Bullam potest facere pensionarius super fructibus ex omissione horarum perceptis. *d.* 25. à *n.* 194. p. 462.

Compositio super distributionibus prohibetur. *disp.* 25. à *n.* 297. p. 462.

Componere se potest per Bullam Canonicus super fructibus ex grosso, omittens recitare, ubi non datur consuetudo, quòd restitutio ex illis fiat interessentibus. *d.* 25. *n.* 205. in fine p. 463.

Compositio interdicitur Beneficiatis, curam animarum habentibus, si ob non residentiam fructus amittant. *d* 25. *n.* 215. p. 464. Si curam animarum non habeant, super fructibus ob non residentiam amissis, se possunt componere, dummodo aliis non applicentur. *ibid.* *n.* 216. p. 464. Compositio, super fructibus ex beneficiis incompatibilibus, quæ residentiam requirebant, fieri nequit. *d.* 25. *n.* 218. p. 464. Si hæc beneficia non erant curata, compositio conceditur. *ibid.* *n.* 219. p. 464.

Compositio non conceditur super fructibus hospitalium, quos eorum administratores percepernnt. *d.* 25. *n.* 220. p. 464. Nec in distributionibus non interessentium, aut non recitantium, si alicui pio operi sint applicati. *ibid.* *n.* 221. p. 465.

Compositio dari potest super fructibus malè perceptis ab eo, qui invalidè titulum beneficii obtinuit. *d.* 25. à *n.* 229. p. 465. Non tamen conceditur super fructibus beneficii furto ablatis ab eo, qui invalidè beneficium obtinuit. *ibid.* à 236. p. 466. Nec super deposito, furto ablato, quamvis dominus ignoretur. *ibid.* *n.* 237. in fine p. 466.

Componi potest, beneficium parochiale suscipiens, absque intentione recipiendi Presbyteratum intra annum, super fructibus interim perceptis. *d.* 25. *n.* 239. p. 467.

Compositione indiget Beneficiarius Legitimè possidens beneficium, si excommunicatione ligatus, fructus beneficii recipit. *d.* 25. à *n.* 241. p. 467. ult. probabile est compositione non indigere. *ibid.* à 243. p. 467.

Compositione indiget beneficiarius suspensione ligatus, juxta probabilem sententiam. *disp.* 25. *n.* 247. p. 468. Quia tamen probabile est suos, facere fructus, non indiget compositione. *ibid.* *n.* 248. p. 468.

Compositione frui potest suspensus à beneficio super fructibus perceptis. *d.* 25. *n.* 250. p. 468. Probabile est ante sententiam judices illâ non indigere. *ibid.* *n.* 251. p. 468. Post judicis sententiam compositione potest uti, *ibid.* *n.* 253. p. 468. Dummodo fructus per judicem alicui pio loco non applicentur. *ibid.* *n.* 254. p. 468. Compositione non indiget, quando fructus ad se, suosque alendos fuerunt consumpti. *ibid.*

Componi possunt suspensione pœnali ligati, sicut ligati suspensione, prout est, censura. *d.* 25. *n.* 55. p. 468. Beneficiarius interdictus, quando componi potest? *ibid.* à *n.* 256. p. 468.

Componi potest per Bullas, & cum Commissario Beneficiarius ex homicidio voluntario irregularis, si ipso jure, & facto fructibus privetur, & illos non restituit. *d.* 25. *n.* 260. p. 469. Compositione non indiget pro tempore, quo erat irregularis, & fructus percepit, si per alium beneficii onera administravit. *ibid.* *n.* 266. p. 469.

Vide *Beneficiatus.*

Compositio conceditur super medietate legatorum propter malè ablata factorum, si legatarii in illorum exactione, per annum negligentes fuerint. *d.* 25. *n.* 267. p. 470. Hoc privilegium extenditur ad fideicommissa. *ibid.* *n.* 269. p. 470. Hæc compositio fieri potest ab hærede testatoris, & ab ejus successore: at compositio super medietate fideicommissi, solum ab eo, cui testator id demandavit. *ibid.* *n.* 270. p. 470. Compositio hæc conceditur, quando dominus legati est certus, at potest inveniri. *d.* 25. *n.* 271. p. 470. Negligentia annalis legatarii recensetur à die, quâ per hæredem, vel testamentarium legatario denuntiatur, à testatore legatum fuisse relictum. *d.* 25. *n.* 272. p. 470. Quomodo fiat hæc compositio. *ibid.* *n.* 273.

Compositio conceditur super legatis, quorum legatarii ignorantur, per Commissarium factâ diligentiâ. *d.* 25. *n.* 276. p. 471. Discrimen aliquod in Bullâ Hispanâ invenitur. *ibid.* *n.* 277. p. 471. Etiam refertur discrimen inter hunc casum, & præcedentem. *ibid.* *n.* 278. p. 471. Hic casus extenditur ad fideicommissa, & donationes causâ mortis. *ibid.* *n.* 279. p. 471. Et ad omnia legata ante, vel post publicationem Bullæ facta. *ibid.* *n.* 280. p. 471.

Compositio conceditur super malè ablatis, & acquisitis, dummodo diligentia sit facienda per Commissarium, aut receptorem. *d.* 25. *n.* 281. p. 471. Discrimen inter Bullam Lusitanam, & Hispanam. *ibid.* à *num.* 282. p. 471. & *n.* 290. p. 472. Si diligentia non sit facta per Commissarium, aut receptorem, adhuc valida manet compositio. *ibid.* à 283. pag. 472. Compositio, quando fit per Bullas, aut cum Commissario pro foro conscientiæ, sufficit diligentiâ facta à componendo, & approbata à confessario. *ibid.* *num.* 287. p. 472. Quæ diligentia juxta Bullam Hispanam. *d.* 25. à *n.* 288. p. 472.

Compositio super usuris conceditur, quando dominus ignoratur. *d.* 25. à *n.* 292. p. 472.

Compositione non indiget judex juxta probabilem sententiam, super pretio accepto pro injustâ ferendâ sententiâ, pro dilatione causæ in præjudicium partis, & similes injustitias. *d.* 25. *n.* 310. p. 474. Et juxta oppositas componi debet. *ibid.* à *n.* 311. p. 474.

Componere se non potest judex super acceptis ob justam ferendam sententiam, à parte donatis ad redimendam vexationem, vel ne à parte submetur. *d.* 25. *n.* 313. p. 474. Nec etiam si liberaliter fue-

fuerunt donata, *ibid. n.* 344. In aliquorum tamen sententia, compositio est facienda. *ibid. n.* 313. p. 474.

Componere se nequit judex super acceptis, pro ferendâ sententiâ in favorem unius præ alio, quando dantur opiniones æquè probabiles pro litigantibus. *d.* 25. *n.* 322. p. 475. Nec etiam pro ferenda sententia pro opinione minus probabili. *ibid. num.* 328. p. 475.

Compositionem fieri posse, super acceptis ob administrationem justitiæ in cautis Spiritualibus, probabile est. *d.* 25. *n.* 319. p. 475. Probabilius oppositum. *ibid.* à *n.* 216. p. 474.

Vide *Judex.*

Compositione non indigent advocatus, testis, scriba, aut notarius, super acceptis ob actiones injustas: at sanum consilium est, compositione uti. *d.* 27. *n.* 429 *q.* 476. Si verò cliens, advocatus, & prædicti ignorent, causam esse injustum, & testis testimonium esse falsum, compositione uti nequeunt. *ibid. n.* 330. p. 476. Idem dicitur de personis publicis, & privatis, si ob injustitiam aliquid acceperunt. *ibid. n.* 33. p. 476.

Compositio non conceditur super acceptis supra taxam. *d.* 25. *n.* 334. p. 476. si restitutio pauperibus sit faciendæ, compositio habet locum. *ibid.*

Compositione uti potest super bonis naufragantium, quando spes non datur inveniendi dominum, vel quando ea bona retineri possunt, donec compareat dominus. *d.* 25. à *n.* 354. p. 476.

Vide *Bona naufragantium.*

Compositione, super bonis in domo incensa inventis, non utitur, domino invento; si non inveniatur, uti potest. *d.* 25. *n.* 357. p. 478. Idem de inventis post fluviorum inundationes. *ibid.*

Compositio fieri potest super damnis illatis satis, segetibus per animalia, venationem, aut piscationem, si dominus ignoretur. *disp.* 25. *num.* 358. p. 478. & *n.* 367. p. 480.

Vide *Damnum. Venatio. Columbarium.*

Compositione indigent, vendentes res falsificatas, si damnificati ignorentur. *d.* 25. *n.* 369. p. 480. Falsitas ex quibus consurgat. *ibi.* à *n.* 370. p. 480.

Compositione uti possunt, aliqua acquirentes perfectionem, si dominus ignoretur. *d.* 25. à *num.* 380. p. 481.

Compositione quando indigeat simulator pauperta-tis. *d.* 25. à *n.* 387. p. 482. Et quando simulator consanguinitatis? *ibid. n.* 391. p. 482.

Bullâ compositionis non indiget, qui licentiam, petendi eleemosynam, alteri locavit. *disp.* 25. *n.* 393. p. 482. Oppositum aliqui docent. *ibid. n.* 392. p. 482.

Componi per Bullam non potest simulans Sanctitatem, & doctrinam, & ea de causa beneficium obtinens. *d.* 25. *n.* 394. p. 482.

Compositione quando uti possit possessor depositi vel alterius rei, cujus dominus inveniri non potest. *d.* 25. à *n.* 395. p. 483.

Compositio non datur super eleemosynis pro missis celebrandis, etiam si ignoretur à quibus sint acceptæ, vel pro quibus missæ sint applicandæ. *d.* 25. *n.* 399. p. 483.

Compositione quando ludens indigeat, & alii ad ludum coperantes. *d.* 25. à *n.* 400. p. 483. Et quando super acceptis ob turpem causam? *d.* 25. à *n.* 412. p. 485. Et quando fœminæ inhonestè viventes? *ibid.* à *n.* 419. p. 485.

Confessarius pœnitentibus quid persuadere debeat, restitutionem integram pauperibus, aut piis locis, aut compositionem per Bullam? *disp.* 25. *n.* 434. p. 487.

Bulla defunctorum.

Bullæ defunctorum Summarium. *d.* 26. *n.* 1. p. 487. Discrimen inter Bullæ Summarium Lusitanum, & Hispanum. *ibid. n.* 3. p. 440. Recensentur indulgentiæ, quæ in Bullâ defunctis conceduntur. *ibid.* à *n.* 363. p. 225.

Bullam unam tantùm defunctorum, pro uno defuncto, durante anno, potest sumere, qui Bullam vivorum jam accepit. Et si Chirographum accepit, potest alteram pro eodem, vel diverso defuncto sumere. *d.* 26. à *n.* 365. p. 526.

Bullam unam tantùm defunctorum potest statim sumere ille, qui initio publicationis anni Bullam vivorum, simul & Chirographum accepit, & post sex menses, à publicatione Bullæ, potest alteram pro eodem, vel diverso defuncto sumere. *d.* 26. *n.* 365. & 369. p. 526. At si post sex menses à publicatione Bullæ, Bullam vivorum, & Chirographum accepit, potest etiam duplicem defunctorum Bullam pro eodem, vel diverso defuncto sumere. *d.* 26. *n.* 378. p. 526.

Bullam defunctorum pro aliquo defuncto sumens, habere debet Bullam vivorum. *d.* 26. à *n.* 371. p. 526. Contribuere debet eleemosynam. *ibid. n.* 373. p. 527. Non tamen pro arbitrio sumentis Bullam. *ibid. num.* 374. p. 527. Sed taxatam à Commissario. *ibid. n.* 375. p. 527. Etiam requiritur Summarium defunctorum Bullæ sumere. *ibid. n.* 376. p. 527. Quod non necessariò conservandum. *ibid. n.* 378. p. 527.

Bullam defunctorum sumens, ut defuncto prosit; nomen illam sumentis, debet in illa inscribi. *disp.* 26. *n.* 379 p. 527. Sumptâ, & applicatâ effectum habet infallibilem, & probabilius in sumente, non requiritur status gratiæ, remissivè. *ibid. n* 380. p. 527.

Bulla defunctorum, ut defuncto prosit, requirit determinatam applicationem; & quomodo fieri debeat? *d.* 26. *n.* 381. p. 527. & *n.* 446. p. 579. Facta applicatione pro aliquo defuncto, pro alio applicari nequit. *ibid. n.* 382. p. 527. Quando & quomodo sit expediens, applicationem fieri. *ibid. n.* 383. p. 527.

Bullam defunctorum, melius, & laudabilius est, quòd homo morti proximus mandet sumere, suo nomine, pro se ipso jam mortuo. *d.* 26. *n.* 384. p. 528. Alia utilia circa hunc hominem morti proximum, & Bullam defunctorum, adverruntur. *ibid. n.* 385. p. 520.

Bullam defunctorum melius est (cæteris paribus) pro uno defuncto sumere, quam unam, vel alteram missam facere pro illo celebrare. *d.* 26. à *n.* 387. p. 528. Illud *cæteris paribus* quomodo intelligatur. *ibid.* à *n.* 390. p. 528.

Bullam defunctorum sumere pro uno defuncto, sit ne utilius, quàm pro ipso in altari priviligiato facere celebrare? *d.* 26. à *n.* 392. per totam *sect.* p. 528.

Bullæ plures defunctorum pro uno defuncto sumi possunt. *disp.* 26. *n.* 398. p. 529. Non tamen una, pro pluribus defunctis. *ibid.* à *n.* 40. p. 402. P. Mendo oppositum docens, rejicitur. *ibid.* à *n.* 400. p. 527.

Bullas defunctorum qui possunt sumere. *disp.* 26. à *n.* 407. p. 530.

Bulla defunctorum, pro defuncto, qui extra hæc Regna mortuus est, potest sumi, & applicari. *d.* 26. *n.* 410. p. 530.

C.

Canonicus.

CAnonicus horas Canonicas omittens, præcisâ consuetudine alicujus Ecclesiæ, non tenetur ex fructibus, quos vocant *Gorsso* aliis canonicis restituere. *d.* 25. à *n.* 204. p. 463. In Cathedrali Eborensi ex consuetudine fit restitutio aliis canonicis. *ibid. n.* 203. p. 463.

Canonici si choro assistant, & non recitent, distributiones restituere non tenentur. Ex grosso tenentur. *d.* 26. *n.* 206. p. 509.

Vide *Beneficiatus. Bulla Compositionis.*

Cantores.

Cantores non habentes Bullam, tempore Quadragesimæ, ova, & Lacticinia possunt comedere. *d.* 22. *n.* 153. p. 401.

Capitulum Sede Vacante.

Capitulum Sede Vacante potest revocare approbationes Oratoriorum privatorum ab Episcopo, mortuo factas; & declarare nullas ab ipso nulliter factas. *d.* 12. *n.* 64. p. 153.

Capitulum Sede Vacante approbationes Regularibus ab Episcopo emortuo concessas, revocare nequit. *d.* 14. *n.* 202. p. 183.

Carnium esus.

Entra aqui apellaura *Cardinalis*, quamvai depois desta.

In privilegio edendi carnes, ova, & Lacticinia, datum discrimen inter Bullam Lusitanam, & Hispanam. *d.* 22. *n.* 2. & 10. p. 385. & 386.

Carnes absque Bulla edere potest ille, cui constat de Legitima causa. *d.* 22. *n.* 4. p. 385. Si sit dubius, & Medicus corporalis asserat, illas posse comedere, sine Bulla, licitè illas edit. *ibid.* Et si medicus dubitet, adhuc probabiliter illas edere potest. *ibid. n.* 5. p. 385. Probabilius est, recurrendum esse ad Episcopum, Vicarium, aut Parochum, ut dispenset. *ibid. n.* 6. p. 385.

Ad carnes edendas, virtute Bullæ, sufficit consilium medici, & confessarii. *d.* 22. *n.* 6. p. 385. Ad carnes edendas, virtute Bullæ, minor requiritur causa, quàm sine illa. *ibid. n.* 7. p. 386.

Carnes edens, virtute Bullæ, de consilio utriusque medici, in diebus jejunii, & in reliquis formam jejunii servans, præceptum jejunii censetur implere, & jejunii meritum consequitur. *disp.* 22. *n.* 8. p. 386. Quale sit hoc meritum. *ibid* In hoc privilegio Expositores Bullæ Hispanæ non conveniunt. *d.* 22. *n.* 10. p. 386. Hoc privilegium edendi carnes extenditur ad ferias sextas, & Sabbata. *ibid. n.* 11. p. 386.

In hoc privilegio edendi carnes, nomine *utriusque medici* veniunt medicus, & confessarius. *d.* 22. *n.* 12. p. 386. Nomine *medici Spiritualis*, non venit Sacerdos non approbatus. *ibid. num.* 13. pag. 386. Refutatur P. Bardi docens oppositum. *ibid. n.* 14. p. 386. Rejicitur P. Tamborin. asserens sufficere non approbatum, quia potest à venialibus absolvere. *ibid. n.* 15. p. 386. Consilium extra confessionem potest dari. *ibid. num.* 16. p. 387.

Per medicum temporalem intelligitur, qui corporibus medendis deputatus est. *d.* 22. *n.* 17. p. 387. Non displicet, sufficere virum, aut fœminam in curandis corporibus expertos. *ibid.* Rejicitur P. Bardi dicens requiri medicum gradu Doctoris insignitum. *ibid.* à *n.* 18. p. 387.

Medicus uterque suas non debent onerare conscientias in consilio præstando. *d.* 22. *n.* 23. p. 387. Nec consilium excedere licentiam concessam. *ibid.*

Carnes edendi privilegia gaudent omnes habentes Bullam tam intra quam extra Lusitaniam. *d.* 22. *n.* 24. p. 387. Hoc juxta Bullam Hispanam non est certum. *ibid.*

Ad carnes edendas dispensatus ob infirmitatem, aut debilitatem, si in aliquo jejunii die, illas non comedat, eo die non tenetur jejunare. *disp.* 22. *n.* 25. p. 387. Si ob præservationem alicujus infirmitatis, probabilius tenetur. *ibid.* à *n.* 30. p. 388.

Ad carnes edendas dispensatus, contra legem jejunii non peccat, carnes nocivas comedendo: at peccat contra temperantiam, si comestio in parva quantitate non sit. *d.* 22. à *n.* 46. p. 388.

Ad carnes edendas dispensatus, potest simul cum illis comedere pisces; & si illi sint nocivi, contra temperantiam peccabit. *disp.* 22. à *n.* 51. p. 390.

Ad carnes edendas dispensatus ob infirmitatem, aut debilitatem, virtute Bullæ, illas comedendo, non tenetur ad jejunium. *disp.* 22. *num.* 35. pag. 388. Si ob præservantiam; probabilius est ad jejunium non teneri. *ibid.* à *num.* 40. p. 389.

Carnium jus, in diebus vetitis, non est licitum. *d.* 22. *num.* 137. p. 400. Idem de comedentibus olera cum carne cocta. *ibid.* Idem de comedentibus medullam, nervos, &c. animalium. *ibid.*

Cardinales.

Cardinalium declarationes habent vim juris, si requisitas habeant conditiones. *d.* 1. *n.* 108. p. 17.

Vide *Lex.*

Castellanus.

Castellanus cujuscunque sit dignitatis, & status declinans ad Portugalliam, & ibi Summarium Bullæ communis vivorum accipiens, potest ubique terrarum privilegio edendi ova, & Lacticinia in Quadragesimâ gaudere. *disp.* 22. *n.* 124. p. 398.

Vide *Loca.*

Casus reservatus. Vide *Reservati casus.*

Catechumenus.

Catechumenus qui dicatur? *d.* 2. *n.* 3. p. 22. Non indiget Bullâ ut absolvatur à reservatis, aut censuris, nec ad comedenda ova, & Lacticinia; nec ad audiendam missam tempore interdicti. *d.* 2. *n.* 4. p. 22.

Catechumenus Bullæ indulgentiis frui nequit. *d.* 2. à *n.* 7. p. 22. Nec Bulla Compositionis. *ibid. num.* 10. p. 23. Oppositum est probabile. *ibid. n.* 9. p. 22.

Catechumenus Bullâ uti non potest ad vota, & juramenta commutanda. *d.* 2. *n.* 14. p. 23. Nec, ut tempore interdicti, in loco sacro sepeliatur, etiam admissâ opinione, decedentem cum baptismo flaminis, posse in loco sacro sepelire. *d.* 2. *n.* 16. p. 23.

Vide *Suffragium.*

Cautio Canonica. Vide *Confessarius.*

Censura.

Censura quid sit? *d.* 15. *n.* 17. p. 190. Ut incurratur contumacia. *ibi. n.* 18. p. 190. Dividitur in tres tantùm species. *ibi. n.* 19. p. 190.

A censuris in confessione oblitis, pœnitens, virtute Bullæ absolutus, manet liber. *d.* 15. *n.* 145. p. 203.

Absolutio à censuris, virtute Bullæ, & satisfactâ parte,

parte, pro foro externo prodest, si censuræ à jure sint latæ, & non ab homine. *d.* 17. à *n.* 43. pag. 234. Oppositum dicendum juxta Bullam Hispanam. *disp.* 17. à *num.* 33. juncto *num.* 40. p. 234.

Censuratus quomodo probare queat, se, virtute Bullæ, à censuris à jure latis, fuisse absolutum? *d.* 17. à *n.* 53 p. 236. Quando judex teneatur acceptare probationem absoluti à censuris, & illum reputare liberum. *d.* 17. *n.* 58. & 59. p. 236. Rejicitur Costa admittens in aliquo casu, prodesse absolutionem à censuris ab homine pro foro externo. *ibi.* à *n.* 60. p. 236.

Absolutio à censuris, ut virtute Bullæ, validè obtineatur in ipsa confessione impertienda est. *disp.* 17. à *n.* 84. p. 239. At virtute Bullæ Hispanæ, probabilius est, extra confessionem esse validam. *d.* 17. à *n.* 82. juncto *n.* 84. p. 238.

A Censuris, virtute Bullæ, absens absolvi nequit. *disp.* 17. *n.* 90. p. 240. At potest virtute Bullæ Hispanæ validè, & non licitè absque justâ causâ. *ibi.* à *n.* 91. p. 240.

A Censuris, virtute Bullæ, invitus nequit absolvi. *d.* 17. *n.* 94. p. 240. Nec ignarus. *ibi. n.* 95. p. 240. Possunt verò invitus, & ignarus à Prælato, vel judice, qui illas tulit. *ibi. n.* 93. p. 240. Et invitus per confessarium privilegium habens, à confessione non dependens, dummodo parti sit satisfactum. *ibi. n.* 97. p. 241.

Absolutio à censuris, virtute Bullæ, sub conditione de præsenti, vel præterito est valida. *disp.* 17. *n.* 100. pag. 241. Et erit licita si non constet de causâ, & impendatur ad cautelam. *ibid. n.* 101. p. 241.

Absolutio à censuris sub conditione de futuro, virtute Bullæ, est valida. *d.* 17. *n.* 103. p. 241. Regulariter loquendo est illicita. *ibi. n.* 105. pag. 242.

A Censuris, virtute Bullæ, datur absolutio ad cautelam propriè dicta. *d.* 17. à *n.* 110. p. 242. Ut censuratus dubius de censura, absque dubitatione maneat absolutus, ad cautelam conferri debet, ab habente certam facultatem. *ibi. n.* 115. p. 243. Dubium de censura potest absolvere confessarius ordinarius. *ibi. n.* 116. p. 243.

Quid sit absolutio ad reincidentiam, & quotuplex? *d.* 17. à *n.* 118. pag. 243. A censuris ad reincidentiam, virtute Bullæ, nullus absolvi potest. *d.* 17. à *n.* 120. p. 243. Cui competit facultas ordinaria absolvendi à censuris, competit etiam facultas illas ferendi. *ibi. n.* 125. p. 244.

In absolutione à censuris, regulariter causa non exprimitur. *d.* 17. *n.* 127. p. 244. Nec quando quis, virtute Bullæ, ab illis absolvitur. *ibi. n.* 128. p. 244.

Plures habens excommunicationes, virtute Bullæ, non potest ab una absolvi, quin ab omnibus absolvatur: secus ab aliis censuris. *d.* 17. à *n.* 129. p. 243. At per Bullam Hispanam, potest, & causa excommunicationis est exprimenda. *ibi.*

Absolutio à censuris ab aliis Prælatis S. Pontifici inferioribus, per nutus, & signa impendi nequit: potest, per Scripturam. *disp.* 17. à *num.* 133. p. 245.

Absolutio à censuris, pro foro conscientiæ, determinatam formam non exigit. *d.* 17. à *n.* 134. p. 245. Eadem numero forma *Absolvo te* validè, potest confessarius à censuris, & peccatis absolvere; sed non licitè, nisi urgente causâ. *d.* 17. à *n.* 138. p. 246.

Absolutio etiam per Bullam, à quacumque censura, per metum gravem extorta, est nulla. *d.* 17. à *n.* 141. p. 246. Non verò, si metus sit levis. *ibi. n.* 143. p. 246. At censura per metum gravem lata, est valida; licèt aliqui oppositum sentiant. *ibi.* à *n.* 144. p. 246.

Absolutio à censuris, per dolum, fraudem, aut errorem, circa causam finalem versantem, extorta, est nulla. *d.* 17. *n.* 146. p. 247.

Valida est absolutio confessarii, absolventis pœnitentem ex ignorantiâ invincibili à censura, existimantem se parti læsæ satisfeciſse, cùm non satisfecerit, vel non teneri ad satisfaciendum, cùm teneatur. *d.* 17. *n.* 147. p. 247.

Qui à censuris reservatis absque Bulla, vel per non habentem privilegium, in articulo mortis absolvitur, post convalescentiam, coram superiore tenetur comparere. *d.* 17. *n.* 150. p. 247. Si hoc onus ignorabat, adhuc probabilius tenetur. *ibi. n.* 152. p. 247.

A quibus censuris, constitutus in articulo mortis, potest absolvi? *d.* 17. à *n.* 157. p. 248.

Vide *Excommunicatio*, *Reservati casus*, *quoad absolutionem*, *virtute Bullæ*, *Ignorans*.

Certitudo.

Certitudo moralis de sumptione Bullæ, ab alio, suo nomine facta, requiritur, ut aliquis Bullæ privilegiis utatur. *d.* 6. *n.* 21. p. 60.

Esse certum moraliter, non est idem, ac esse probabile. *d.* 6. *n.* 22. p. 60.

Cessatio à divinis.

Quid sit, & quomodo ab interdicto differat? *d.* 11. à *n.* 176. p. 143.

In Cessatione à divinis non habent locum privilegia, pro tempore interdicti, concessa. *d.* 11 à *n.* 178. p. 143. At probabile est, privilegia concessa *in cap. Alma mater*, in quatuor festivitatibus, pro tempore interdicti, ad Cessationem à divinis extendi. *ibi.* à *n.* 180. p. 143.

Cessatio à divinis per Bullam, tolli nequit. *d.* 17. *n.* 204. p. 254.

Cessationem à divinis, ad publicationem Bullæ, Commissarius suspendere nequit. *disp.* 23. *num.* 227. p. 451.

Chirographus.

Ad illum sumendum, nullus obligatur. *d.* 6. *n.* 38. pag. 62. Et illo non sumpto, usque ad finem anni reliqua Bullæ privilegia possunt consequi. *ibid.*

Vide *Jubileus sex mensium.*

Cibus.

Cibi, & potus excessus usque ad satietatem, est peccatum. *disp.* 7. *num.* 142. p. 85. Et oppositum ab Innocentio XI. damnatur. *ibi. n.* 143. pag. 85.

Clericus.

Quando privilegio canonis gaudeat? *d.* 18. *n.* 189. pag. 278. Minoribus ordinibus initiatus, sine Bulla, tempore interdicti, potest interesse divinis. *d.* 23. *n.* 64. p. 409.

Coadjutor.

Coadjutores ex vi coadjutoriæ ad horas canonicas non tenentur; etiamsi habeant sedem in choro, & vocem in capitulo. *d.* 25. à *n.* 200. p. 462. Si pensionem habeat super aliquod beneficium, & divinum non recitent officium, ad officium B. Virginis tenentur. *ibi. n.* 202. p. 463.

Coadjutor ex beneficii fructibus aliquam recipiens sustentationem per modum stipendii, ad horas canonicas non obligatur. *ibi.*

Collector. Vide *D. D. Antonius Mascarenas.*

Columbarium.

Columbas alienas ad columbaria feminibus, aut thure invitare, est peccatum mortale, & obligatio restituendi. *d.* 25. *n.* 366. p. 479. Quando columbæ in Lusitania, & Hispania licitè capi possunt. *ibi.*

Vide *Bulla Compositionis.*

Commissarius.

Commissarius potest Bullæ dubia interpretari. *d.* 1. à *num.* 83. pag. 14. & *disp.* 23. *num.* 264. pag. 435. Commissarii nomen in summario debet esse scriptum, ut Bulla prosit? *disp.* 6. *num.* 7. pag. 58.

Commissarii licentia non requiritur, ut plures eadem die celebrentur missæ in Oratorio privato; nec ad alia privilegia. *d.* 11. à *n.* 64. p. 128. Potest eleemosynam designare, ab illis erogandam, qui privilegiis in clausula interdicti concessis, uti velint. *d.* 11. *n.* 68. p. 128.

Commissarius non potest concedere, ut erigatur oratorium visitandum, & approbandum ab Ordinario, ut in eo, virtute Bullæ, celebretur, & missa audiatur. *d.* 12. à *n.* 40. pag. 150.

Commissarius potest dispensare in irregularitate contracta ab eo, qui celebravit cum suspensione merè pœnali. *disp.* 17. *n.* 185. p. 252. & *d.* 23. *n.* 36. p. 406.

Commissarius Generalis non dicitur Præses Cruciatæ, & quare. *d.* 23. *n.* 3. p. 402.

Commissarius, & Cruciatæ sub Commissarii pœnas pecuniarias Bullæ non tenentur applicare; at ex congruentia, tenentur. *d.* 23. *n.* 13. p. 403. Potest inquirere, super has pœnas contra Ordinarios. *ibid. n.* 25. p. 404. Stare debet Ordinariorum assertioni. *ibi. n.* 27. p. 405.

Commissarius diversam habet facultatem ab ea, quàm habet Commissarius Hispanus ad dispensandum in irregularitatibus. *disp.* 23. *num.* 29. p. 407.

Commissarius potest dispensare in irregularitate contractâ, ex eo quòd aliquis censurâ ligatus, missam, aut alia officia divina celebravit, non tamen in contemptum clavium. *d.* 23. *n.* 36. p. 406. Quid veniat nomine, *divina officia. ibi. n.* 37. p. 406.

Commissarius potest dispensare in dictis irregularitatibus pro utroque foro. *d.* 23. à *n.* 38. p. 406. Major illi ad has dispensationes conceditur facultas, quam Episcopis à Trident. *ibid. n.* 40. pag. 406. Potest dispensato litteras tradere dispensationis. *ibi. n.* 41. p. 406.

Commissarius, quà confessor, non potest intra confessionem Sacramentalem cum irregulari dispensare; at potest ut Commissarius. *d.* 23. *n.* 42. p. 406. Potest dispensare cum absente; etiamsi per alium, tacito nomine, dispensationem postulet. *ibi. n.* 43. p. 406. Potest etiam cum Regularibus, si in eorum Religione non detur decretum id prohibens. *ibi. n.* 44. p. 407.

Commissarius potest dispensare in irregularitate contracta ab eo, qui suspensione ligatus, celebravit; quia ante legitimam ætatem, vel extra tempora sacros ordines suscepit. *d.* 23. *n.* 48. p. 407. Et cum eo, qui ab alieno absque licentia proprii Ordinarii satisfuit initiatus, & sine suspensionis absolutione, in suscepto ordine ministravit. *d.* 23. *n.* 49. p. 407.

Commissarii dispensationes prædictæ sunt validæ, etiamsi pœnam pecuniariam in Bullam, non imponat. *d.* 23. *n.* 50. p. 409. Secus dicendum de Commissario Hispano. *ibi.*

Commissarius non potest dispensare in dictis irregularitatibus ob contemptum clavium incursis. *d.* 23. *n.* 51. p. 407. Quando sic dicantur incursæ. *ibi. n.* 52. p. 407. Potest infamiam, & inhabilitatem ex dictis irregularitatibus contractas abolere. *ibid. n.* 53. p. 407.

Commissarius Hispanus, ultra has irregularitates, alias potest dispensare. *d.* 23. *n.* 54. p. 408.

Commissarius habet facultatem suspendendi, & revalidandi aliquas gratias, & indulgentias. *d.* 23. à *n.* 55. p. 408. Finis hujus suspensionis. *ibi. n.* 59. p. 408. Quas gratias, & indulgentias suspendat, aut possit suspendere. *ibi.* & *n.* 60. & 61. p. 409.

Commissarius non suspendit privilegia in corpore juris inserta. *d.* 23. à *n.* 63. p. 409. Nec consuetudine introducta. *ibi.* à *n.* 71. p. 410. Nec facultates, & indulgentias, quas possunt concedere Episcopi. *ibi.* à *n.* 73. p. 410. Nec facultates dispensandi, & commutandi vota. *ibi. n.* 76. p. 411. Nec facultates, quas habent, publicandi indulgentias. *ibid. n.* 77. p. 411. Suspendit tamen Jubileos à S.S. Pontificibus concessos in adeptione alicujus diœcesis cum limitatione. *disp.* 23. *n.* 75. p. 411.

Quid in suspensione intelligatur *per similes, aut dissimiles indulgentias, ac peccatorum remissiones. d.* 23. à *n.* 78. p. 411. Commissarius indulgentias partiales, ut septem, Quadraginta, aut centum annorum, non suspendit. *d.* 23. *n.* 80. p. 411. Commissarius Hispanus illas suspendit. *ibi. n.* 79. p. 411.

Commissarius habet facultatem examinandi indulgentias à Sede Apostolica concessas. Et non possunt publicari nisi de ejus licentia. *d.* 23. *n.* 187. p. 426. Et prohibendi, ne aliæ petantur eleemosynæ *ibi. n.* 188. p. 426. Et subcommissarios subdelegandi. *disp.* 23. *num.* 191. pag. 427.

Subcommissarii eandem habent potestatem, quam Commissarius; exceptâ facultate compositionis faciendæ. *d.* 23. *n.* 192. p. 427. & *d.* 24. *n.* 39. p. 439. Non possunt eandem potestatem aliis, vel alicui tertio subdelegare. *d.* 23. *n.* 193. pag. 427. Possunt tamen aliquem, vel aliquos nominare si id à Commissario concedatur. *ibi.* Ad hoc munus ab Ordinario debent esse approbati. *ibi. n.* 196. p. 428.

Commissarius facultatem habet constituendi notarios, quibus utatur in colligendis Cruciatæ pecuniis. *d.* 23. *n.* 194. p. 428. Qui ab Ordinario debent esse approbati; & sufficit quod jam approbati fuissent. *d.* 23. *n.* 197. p. 428.

Commissarius per censuras potest compellere notarios, & tabelliones, & alios quoscumque, qui Testamenta, aut Scripturas ad Bullam pertinentia, receperunt, aut retinent. *d.* 23. *n.* 198. p. 428. & *n.* 228. p. 451.

Commissarius nequit, nisi coram S. Pontifice convenire. *d.* 23. à *n.* 199. p. 428. Nec ab eo deputati, in rebus ad Bullam concernentibus, coram alio, nisi coram ipso; & si in dictis rebus delinquant, à Commissario sunt puniendi. *ibi.* à *n.* 201. p. 428. Eligit ad publicationem Bullæ concionatores probos, & ab Ordinario approbatos. *ibi. n.* 204. p. 428. Illis, per modum eleemosynæ, congrua potest assignare salaria. *ibi.* à *n.* 207. p. 429.

Com-

Commissariis potest suspendere interdictum in loco ubi Bulla publicatur. *d.* 23. *n.* 208. 429. Interdictum personale particulare nequit suspendere. *ibi. n.* 209. p 429. Nec interdictum personale, omnes personas civitatis, oppidi, aut Parochiæ, comprehendens. *ibi. n.* 218. p 430. Nec Bulla ubi hoc datur interdictum, publicari potest. *ibi. n.* 216. & seqq. 430.

Commissarius potest suspendere interdictum in Parochiis alicujus oppidi, etiam si non detur in Parochia, ubi publicatur Bulla. *d.* 23. *n.* 430. p. 430. Suspensio interdicti per novem durat dies. *ibi. n.* 223. p. 430. Factâ suspensione omnia licent, quæ tempore interdicti prohibentur. *ibi. n.* 224. p. 430. Illis novem diebus elapsis reddit interdictum absque aliqua nova actione illius, qui illud tulit. *ibi. n.* 225. p. 430.

Commissarius quodcumque interdictum potest suspendere. *disp.* 23. *n.* 226. p. 431. Non potest cessationem à divinis suspendere. *ibid. n.* 227. p. 431.

Commissarius potest procedere contra Episcopos, & Majores Prælatos per censuras suspensionis à divinis, & interdicti Ecclesiarum, si habeant pecunias, aut bona ad Bullam pertinentia; si illi, aut ab eo deputato, non propalent. *d.* 23. *num.* 229. p. 431. Nec tamen potest procedere contra relatos per censuram excommunicationis. *ibi. n.* 234. p. 434.

Vide *Prælati Majores.*

Commissarii monitio requiritur; & qualis? *d.* 23. à *n.* 239. p. 430. Datâ monitione, censuræ ipso facto incurruntur, & S. Pontifici manent reservatæ. *ibi.* à *n.* 244. p. 433. Si tamen Commissario obediatur, virtute Bullæ, absolvi possunt. *ibi. n.* 250. p. 433.

Commissarius, & subcommissarii facultatem habent absolvendi negotia cœpta. *disp.* 23. *n.* 254. 434. & *n.* 256. p. 434. Hæc facultas habet locum, quando expirante anno, alia non succedit Bulla. *ibi. n.* 255. p. 434. Quando causa dicatur cœpta? *ibid. n.* 257. p. 434.

Commissarius facultatem habet taxandi eleemosynas pro sumentibus Bullas. *disp.* 23. *n.* 260. pag. 434. Et publicandi Bullam pro singulis annis, in quibus durat Bullæ concessio. *ibi.* à *n.* 261. p. 434. Faciendi, & exequendi ea, quæ ad Bullæ expeditionem, opportuna fuerint. *ibi. n.* 262. & 263. p. 437.

Commissarius potest interpretari ea, quæ continentur in Bulla, non tamen contra decreta, aut declarationes S. S. Pontificum, nec transcribendo ea, quæ in Bulla Plumbea non reperiuntur. *d.* 23. *n.* 264. p. 435. Potest etiam revalidare indulgentias locis, & personis particularibus concessas, pro illis, qui Bullam sumpserint. *ibi. n.* 265. p. 435.

Commissarius, & subcommissarii probabiliter possunt procedere censuris contra non observantes privilegia à Principe Ministris Cruciatæ concessa. *disp.* 24. à *num.* 30. p. 435. In quibus locis Commissarius subcommissarios, Thesaurarios majores, & notarios designat. *disp.* 24. à *n.* 39. p. 439.

Commissarius compositionem potest concedere. *d.* 25. *n.* 32. p. 443. Potest in aliquo casu compositionem illi concedere, qui ex confidentia aliena surripuit. *d.* 25. *n.* 45. p. 445.

Commissarius non potest revalidare titulum beneficii, nec tollere irregularitatem ex homicidio, hæresi, apostasiâ, simoniâ ex malâ ordinum susceptione incursam. *d.* 25. *n.* 238. p. 444.

Vide *Regularis.*

Communio Sacra.

Quotidiana conceditur cùm requisitis in Decreto, ex mandato Innocentii XI. *d.* 11. *n.* 142. Vers. *Post hæc scripta.*

Pro defunctis sumpta nullum in eis causat effectum ex opere operato. *d.* 26. à *n.* 244. p. 513. At ex opere operantis causat. *ibi.* à *n.* 257. pag. 514. Communionis sacræ effectus referuntur. *ibi.* à *n.* 246. pag. 513.

Vide *Eucharistia, Infirmus.*

Communio Sanctorum. Vide *Participatio bonorum operum.*

Compensatio.

Spolians recurrentem ad Curiam Romanam, ad compensationem sibi faciendam debiti, quod aliâ viâ recuperare non potest, in excommunicationem Bullæ Cœnæ, non incidit. *d.* 16. *n.* 127. p. 222.

Compositio. Vide *Bulla Compositionis.*

Concionatores.

Concionatoribus Bullæ in virtute S. Obedientiæ præcipitur, ut non aliud prædicent, quod in Bulla non continetur. *d.* 23. *n.* 206. p. 429. Quæ ad hoc munus conducant. *ibi.* Prohibentur, & alii Bullæ officiales sub pœnâ excommunicationis ipso facto, ne compositiones faciant. *d.* 24. *n.* 39. p. 439.

Concubinatus.

Quid sit? *d.* 18. à *n.* 408. p. 303. Concubinatus hominis uxorati in diœcesi Mirandensi reservatur. *ibi. n.* 411. pag. 304. Concubina hominis uxorati in hac reservatione non comprehenditur. *d.* 18. *n.* 412. p. 304.

Ad concubinam non ejiciendam, aut occasionem proximam peccandi non est causa sufficiens, utilitas, aut alia causa honesta, quæ occurrat, eam non fugiendi; & oppositum ab Innocentio XI. damnatur. *d.* 18. à *n.* 426. p. 305.

Vide *Confessarius.*

Conditio.

Conditio impossibilis in matrimonio, & ultimis voluntatibus, & non in aliis, ex jure humano, habetur pro non adjecta. *d.* 21. *n.* 258. p. 375. Conditione non oppositâ, quando votum sub conditione fuit commutatum, tenetur vovens ad prius votum. *d.* 21. *n.* 284. p. 378.

Confessarius, Confessio.

Confessio inceptæa intra annum Bullâ, vel tempus Jubilei duplicis hebdomadæ, & ob justas causas non perfecta, potest elapso anno, vel duplici hebdomadâ, prosequi, & perfici. *d.* 4. *n.* 34. p. 42.

Confessor, cum quo fuit confessio incœpta, si moriatur, aut aliàs deficiat, potest pœnitens alium adire, qui auditis omnibus peccatis, illum absolvit. *d.* 4. *n.* 39. p. 43. Quando confessio dicatur incœpta? *ibi.* à *n.* 40. p. 43. Si pœnitens, qui prædictam confessionem incœpit, & non perfecit, in nova reservata inciderit, virtute ejusdem Bullæ, aut Jubilei jam finiti potest absolvi. *d.* 4. à *n.* 35. p. 42.

Confessarius quomodo se gerere debet cum pœnitente ægroto, qui habet casus, & excommunicationes reservatas, & Bullam nonvult accipere, cùm possit. *d.* 6. *n.* 42. p. 64.

Confessarius potest obligare pœnitentem ad medicinalem pœnitentiam, quando indulgentia plenaria

naria consequitur. *disp.* 7. *num.* 53. pag. 73.

Confessionis annuæ præceptum, non habentem conscientiam peccati mortalis non obligat. *d.* 17. *n.* 101. p. 80.

Confessio invalida ad lucrandas indulgentias non sufficit, nec ad satisfaciendum annuæ confessionis præcepto. Affertur propositio ab Alexandro VII. damnata. *d.* 6. à *n.* 103. p. 80. Ad Bullæ indulgentias sufficit confessio valida, & informis. *ibi. n.* 110. p. 80. Non requiritur totius vitæ confessio. *ibi. n.* 112. p. 181.

In confessione præcedenti error, confitendo pœnitens bona fide peccatum, quod non commisit, vel plures actus, quàm commiserat, non est confitendus. *d.* 7. *n.* 125. in fine. p. 83.

Confessio, ad lucrandam indulgentiam, non est petenda ab excommunicato confessore non tolerato, aut manifesto clerici percussore; nec ut rutius à tolerato, quamvis oppositum sit probabile. *d.* 7. à *n.* 160. p. 87.

Confessarius potest impendere indulgentiam moribundo sensibus destituto, Bullam habenti. *d.* 8. *n.* 43. p. 95.

Ad confessionem quando quis teneatur; & quando obliget præceptum. *d.* 8. *n.* 45. p. 95.

Confessarius nec ex jurisdictione delegata, nec etiam virtute Bullæ, potest excipere confessiones subditorum delegantes extra diœcesim, in loco ubi non est approbatus. *d.* à *n.* 58. p. 166.

Confessarius quam cautionem exquirere debet à pœnitente impotenti ad satisfaciendum, quando virtute Bullæ absolvitur. *disp.* 17. à *num.* 20. p. 231.

Confessarius ordinarius ad cautelam, non potest à censura dubia tollendo omne dubium absolvere. *d.* 17. *n.* 115. p. 243.

Confessario proprio, vel approbato in articulo mortis præsente, probabilius est, non posse validè simplicem absolvere. *disp.* 17. *num.* 153. pag. 248.

Confessarius quomodo se gerere debeat cum pœnitente, qui veneficium, aut aliud peccatum ad magicas artes pertinens confitetur. *d.* 18. *n.* 52. p. 263.

Confessarius non potest absolvere concubinarium nisi prius domo ejiciat concubinam; & si illam extra domum habeat, nisi firmiter proponat, ad illam non accedere, additâ experientia alicujus temporis, juxta confessarii prudentiam. *disp.* 18. à *n.* 414. pag. 304. & *disp.* 20. *num.* 116. p. 339. Non potest quemcumque alium absolvere, habentem peccandi occasionem proximam. *ibid.*

Confessarius, nequit absolvere pœnitentem, qui semel, ac iterum promissis non stetit; quod ab aliquibus ampliatur ad casum, quo habeat extraordinarium dolorem. *d.* 18. à *n.* 418. p. 305. Data justa causa, quæ pœnitentem ad impossibilitatem moralem, ejiciendi concubinam, aut aliam occasionem proximam, reducat; potest illum absolvere. *d.* 18. à *n.* 420. p. 305.

Confessarius non potest absolvere illum, qui est in occasione proxima peccandi, quam potest, & vult omittere, imo illam directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit; & oppositum ab Innocentio XI. damnatur. *d.* 18. à *n.* 422. pag. 305. Nec etiam illum, qui concubinam domo non ejicit, quia illi mutuo dedit centum aureos, quos non recuperabit, si illam ejiciat; vel è contra. *d.* 18. à *n.* 424. p. 305.

Vide *Concubinatus.*

Confessarius nequit absolvere concubinarium, nolentem concubinam ejicere, eo quod nimis utilis sit ad concubinarii oblectamentum. Oppositum ab Alexandro VII. damnatur. *d.* 18. à *n.* 430. p. 306.

Vide *Occasio proxima.*

Pro confessione in Ecclesia, vel extra illam, pecuniam, aut aliquid pecunia æstimabile recipere; in diœcesi Funchalensi reservatur: quando hæc reservatio incursa censeatur? *disp.* 18. à. 491. p. 312.

Confessio facta cum sacerdote ex opinione probabili jurisdictionis, aut errore communi, non est iteranda. *d.* 19. *n.* 72. p. 324.

Confessor ordinarius Regularium sub mortali, superiorem adire tenetur, pro licentia absolvendi subditum à reservato, quod illi manifestavit. *d. disp.* 20. *num.* 27. pag. 328. Non tamen, non ordinarius, nisi in casu designato. *ibi. n.* 28. p. 328.

Confessarius, ad audiendas Regularium confessiones, deputatus, si superior licentiam dare noluerit, pro illa vice subditum à reservatis potest absolvere. *d.* 20. *n.* 29. p. 328. Quomodo intelligatur particula *illa vice ibi.* à *n.* 30. p. 329. Quis confessarius veniat nomine *pii, & viri prudentis. ibid. num.* 35. pag. 329. Vide *Prælatus.*

Confessarius Regularis aliqua utendus est cautela, dum licentiam à superiore postulat ad absolvendum subditum à reservato. *disp.* 20. *num.* 39. p. 329.

Confessarius teneatur ne conformare se cum pœnitentis opinione, licèt falsam, & improbabilem judicet? *d.* 20. à *n.* 107. p. 339.

Vide *Regularis.*

Confessarii, sub pœna excommunicationis ipso facto, eleemosynas commutationis votorum nequeunt recipere, ut illas in arculam projiciant. *disp.* 21. *n.* 150. p. 362. Et peccant mortaliter, si absque debita investigatione vota commutent. *ibi. n.* 152. p. 362. Quando tenentur pœnitentis vota commutare? *ibi.* à *n.* 156. p. 363.

Confessarius, virtute Bullæ, nullam irregularitatem dispensare potest. *d.* 23. *n.* 35. p. 406. Tenetur pœnitentes de obligatione restituendi admonere, & modos dignoscere, quibus facilè ab ea liberentur obligatione. *disp.* 25. *num.* 379. pag. 481.

Confessarius quid potius persuadere valeat, integram ne restitutionem faciendam piis locis, aut pauperibus; quando dominus ignoratur, an compositionem per Bullam? *disp.* 25. *num.* 434. p. 487.

Confessarius pœnitenti potest imponere, ut oret pro animabus Purgatorii. *d.* 26. *n.* 70. p. 445. & à *n.* 274. pag. 516. Imponens jejunium, aut missæ auditionem, intelligitur illa ex operibus liberis imponere. *ibi. n.* 269. p. 515.

Vide *Pœnitens, Vidua, Absolutio, Contritio, sigillum, Mortis articulus.*

Confidentia.

Quæ sit positiva, & quæ negativa? Et quid sit peccare cum confidentia, aut ex confidentia. *d.* 8. *num.* 47. pag. 96. & *disp.* 15. *num.* 329. pag. 202.

Conjux.

Conjux habens votum castitatis tenetur reddere debitum; & commisso ab altero conjuge adulterio,

rio, votum servare tenetur. *disp.* 11. *n.* 113. p. 133. At præciso adulterio, non potest petere. *d.* 21. *n.* 232. p. 372.
Vide Uxor. Votum.

Conjuratio. Vide *Conspiratio.*

Conquistæ.
In Conquistis Regis Portugalliæ omnes fideles degentes possunt ibi Bullam sumere, vel mittere aliquem, qui pro illis illam sumat. *disp.* 3. *num.* 48. pag. 34.

Consecratio Episcopi. Vide *Pontifex.*
Post verbum Consanguineus, ponitur V. *Consecratio.*

Consanguinei.
Consanguineorum nomine, qui veniant? *d.* 11. à *n.* 77. p. 129. Consanguinei usque ad quartum gradum habentis Bullam, privilegiis pro tempore interdicti concessis, gaudent. *ibid. n.* 90. p. 130. Consanguineorum nomine non veniunt affines. *ibid. n.* 92. p. 131.
Consanguinei in absentiâ habentis Bullam, tempore interdicti, assistere divinis nequeunt; nec in Oratorio privato, ex Brevi Pontificio. *d.* 11. à *n.* 99. p. 132.
Vide *Bulla Compositionis. Simulator.*

Conservatores.
Nec etiam, quando sunt judices ordinarii, pœnas pecuniarias tenentur Bullæ applicare. *disp.* 23. *n.* 10. pag. 403. Idem juxta Bullam Hispanam. *ibid. n.* 11. pag. 403. Quando autem sint judices Ordinarii? *ibid. n.* 9. p. 402.

Conspiratio.
Conspiratio in personam, & statum B. Pontificis, nec semel in vitâ, & in mortis articulo, virtute Bullæ, potest absolvi. *disp.* 16. *num.* 52. pag. 213.
Conspiratio quid sit? & quid conjuratio, & quomodo inter se distinguantur? *disp.* 16. à *n.* 53. pag. 213. Conspiratio in personam, & statum B. Pontificis in undecimo Bullæ Cœnæ canone non comprehenditur. *ibid.* à *num.* 56. pag. 214.
Conspirantibus in personam, & statum B. Pontificis quæ pœna sit imposita. *disp.* 16. *num.* 60. pag. 214. In hoc casu excepto, conspirationes in Reges, Principes, Cardinales, & Episcopos non comprehenduntur. *ibid. num.* 61. pag. 214. Lata est excommunicatio contra non revelantes conspirationem in Cardinalem. *ibid. num.* 62. pag. 214. Laicus conspirans in personam Episcopi excommunicari debet. *ibid. num.* 63. pag. 214.
Conspirator dicitur Prælatus, qui sciens capitulum, aut aliquod tribunal conspirare in obedientiam S. Pontifici debitam, si suam authoritatem ei conjurationi interponat. *disp.* 16. *num.* 65. p. 217. Duo, vel tres, qui in personam, aut statum B. Pontificis conspirarunt, si delictum est occultum, & jam resipuerunt, virtute Bullæ, absolvi possunt. *disp.* 16. *num.* 66. pag. 217. In hoc casu excepto, non comprehenditur ille, qui coram aliis conspirationem attentavit, sed illam, quia alii noluerunt, non complevit. *ibid. n.* 67. p. 217.

Consuetudo.
Consuetudinem obligare, quando approbatione, & imperio Prælati associatur, probabile est. *disp.* 22. *num.* 99. pag. 396. Probabilius, non requiri eam approbationem. *ibid. n.* 100. pag. 396. Sufficit tacita. *ibid. n.* 101. p. 396.
Consuetudo adversa legi, incipit irrationabilis. Explicatur text. *in cap. fin. de Consuet. disp.* 22. à *n.* 103. p. 396.
Consuetudo comedendi ova, & lacticinia in Quadragesimâ, in aliquibus Portugalliæ diœcesibus legitimè est introducta. *disp.* 22. à *n.* 107. pag. 396.
Vide *Ova.*

Contritio.
Contritionis nomine in Bulla, ad lucrandas indulgentias, etiam venit attritio. *d.* 7. *n.* 128. p. 83. Non tamen actus dilectionis Dei super omnia. *ibid. n.* 129. p. 83.
Contritio quid sit? Et quid attritio? *disp.* 7. *num.* 131. pag. 84. Attritio existimata, aut ex motivo pure naturali, ad Sacramentum pœnitentiæ non sufficit. *ibid.* à *n.* 132. pag. 84. Propositio ab Innocentio XI. damnata adducitur. *ibid.* à *num.* 134. pag. 84. Refutatur opinio Cani, & aliorum. *ibid. n.* 138. pag. 84. Arguitur Leand. de impostura in gravissimos Authores. *ibid.* à *n.* 136. p. 85.
Dolor formalis ad confessionem de mortalibus jam confessis, aut de solis venialibus requiritur. *disp.* 7. *num.* 139. p. 85. Peccatum mortale committit, qui absque dolore efficaci, sola venialia confitetur. *ibid. n.* 140. pag. 85. Sufficit quòd dolor sit de uno tantùm veniali. *ibid. n.* 141. p. 85.

Copula Carnalis.
Cum sponsâ, post sponsalia jurata, in diœcesi Conimbricensi reservatur. *disp.* 18. *num.* 376. pag. 299. Si sponsalia non sint jurata, non reservatur. *ibid. num.* 337. pag. 299. Nec reservatur, quando sunt jurata, si vera non sint sponsalia; nec quando copula non est consummata. *ibid.*
Copula hominis Christiani cum pagana, aut mulieris Christianæ cum Pagano in diœcesibus Brasiliæ reservatur. *disp.* 18. *num.* 508. pag. 314. Hæ copulæ probabilius specie differunt. *ibid. n.* 508. pag. 314. Copula hominis catholici cum hæretica, aut schismatica baptisata, aut mulieris catholicæ cum hæretico, aut Schismatico baptisato, non reservatur. *ibid. num.* 510. p. 314.

Creditor.
Creditor per aliquos dies, vel mensem suspendere potest excommunicationem, si ad illius instantiam in debitorem feratur. *disp.* 17. *n.* 126. pag. 244. Si cum debitore conveniat, ut absolvatur virtute Bullæ ad reincidentiam, debitor ad reincidentiam non manet absolutus. *ibid.*
Creditor in alternativis post partem à se electam potest resilire, non tamen debitor. *disp.* 21. *n.* 276. p. 377.
Creditor comparens, si rem in pauperes, aut pia loca elargitam inveniat, potest ne illam sibi vindicare? *d.* 25. à *n.* 117. p. 452.
Curator. Vide *Tutor.*

D.

Dæmonis invocatio.

ESt duplex expressa, & tacita. *disp.* 18. à *n.* 53. p. 263. Utraque est gravissimum peccatum, & gravius, expressa. *ibid. n.* 57. p. 264. Aliquæ actiones, in quibus datur invocatio dæmonis tacita, aliquando à peccato mortali excusari possunt. *ibid. n.* 58. p. 264.

Dæmonis sine invocatione tacita, non fit, ut vulneratus domi suæ jacens, sanitatem recipiat, si aliquis in aliquo loco distanti, medicamentis gladium foveat, quo ille fuit vulneratus. *d.* 18. *n.* 59. p. 264.

Dæmonis invocatio tacita invenitur, in medio illo vano, quo quis utitur ad occultorum cognitionem, forcipem in vanno infigens. *disp.* 18. *num.* 60. pag. 264. In dæmonis invocationibus, sive expressæ, sive sint tacitæ, parvitas non datur materiæ. *disp.* 18. *num.* 61. pag. 264.

Damnum.

Damnum inferens pratis, aut Sylvis alienis, peccatum mortale ex genere suo committit, cum obligatione restituendi. *disp.* 25. *num.* 359. p. 479.

Damnum inferens Sylvæ, aut monti alicujus oppidi incola illius contra edictum, nec mortale committit, nec ad restitutionem tenetur. *disp.* 25. *num.* 360. pag. 479. Si damnum notabile ipsi populo sequatur, probabile est, peccare mortaliter, & ad restitutionem teneri; & probabilius ad pœnam tantùm teneri, si comprehendatur. *ibi.* Si Sylva, seu pascua sint alterius oppidi vicini, & incolæ alterius damnum inferant cum suis animalibus, vel ligna cædendo, nec peccant mortaliter, nec ad restitutionem tenentur. *disp.* 25. *num.* 361. pag. 479.

Vide *Bulla Compositionis*; *Venatio*, *Columbarium.*

Decimæ.

In decimis detractis, restitutio à Trid. requisita intelligitur, quando restitutio est possibilis. *disp.* 17. *num.* 14. pag. 350. Decimæ quomodo dividantur. *disp.* 18. *num.* 251. pag. 285.

Decimæ non solutæ, quæ excedant valorem quinque argenteorum, est casus reversatus in diœcesi Ulyssiponensi. *disp.* 18. à *num.* 250. p. 285. Et in aliis hujus Regni diœcesibus, secundum majorem, aut minorem valorem; explicatur. *ibid.* Hunc casum non incurrit, qui non peccavit mortaliter in retentione decimarum, si propositum habeat, quamprimum solvendi. *ibid. n.* 252. pag. 285. Nec qui satisfecit, antequam ad confessionem accesserit, vel cum parte se composuit. *ibid.* Nec impotens ad solvendum. *ibid.* p. 285.

Decimarum quantitatem excedentem designatam, retinens habet reservatum. *disp.* 18. *num.* 254. pag. 286. Et qui extrahit expensas in colligendis fructibus, aut semen terræ mandatum. *ibid.* Probabile est, in decimis personalibus, ut pilcatione, & venatione, expensas esse deducendas. Oppositum tenent Const. Ulyssiponenses. *ibid.* Si tamen retinet quantitatem non excedentem designatam potest absolvi, & quomodo. *ibid. num.* 255. pag. 286. Si per ultimum minutum, quantitas designata excedatur cum ignorantiâ, & advertentiâ furtorum præcedentium, reservatum non committitur. *ibid. n.* 257. p. 286.

Decimas usurpans committit reservatum, dum intendit per modica furta, pervenire ad magnam quantitatem, de facto designatam excedit. *d.* 18. *n.* 256. & 258. p. 268. Fur advertens compleri magnam quantitatem ultimo minuto, peccat mortaliter, tam in acceptione, quàm retentione, & rejiciuntur opiniones contrariæ. *ibid.* à *n.* 262. p. 287. Qui ultimo furto levi quantitatem designatam complet, peccat mortaliter, reservatum tenet, & ad restitutionem tenetur. *ibi.* à *n.* 269. p. 287.

In decimarum retentione ea, quæ ex fructibus comeduntur, non continuantur. *d.* 18. *n.* 270. p. 287.

Decimarum retentio ab eo, qui gravi opprimitur necessitate, à mortali non excusatur, nec à reservatione. *disp.* 18. à *num.* 272. pag. 288.

Decimas retinentes, ipso facto ex jure communi non sunt excommunicati, sunt tamen ex Const. *d.* 18. *n.* 274. p. 288.

Declaratio.

Declaratio alicujus decreti, legis, aut concessionis indulgentiæ, ad futurum extenditur. *d.* 23. *n.* 92. p. 413.

Decreta S. S. Pontificum, & S. Cong. Vide lex.

Defunctus.

Pro defuncto Bulla vivorum sumi nequit, ut ab excommunicatione absolvatur, vel ut tempore interdicti, in loco sacro sepeliatur. *disp.* 2. *n.* 60. pag. 28. Nec etiam si ipse defunctus mandasset, quòd pro ipso acciperetur. *ibid. num.* 61. pag. 28.

Defunctus dum erat vivus, habens Bullam vivorum, in loco sacro, tempore interdicti sepeliri potest: non tamen ab excommunicatione absolvi *disp.* 2. *num.* 62. pag. 28. & *disp.* 8. *n.* 61. p. 97.

Defunctus antequam obiit, tam in Testamento, quàm extra illud, alteri potest mandare, quòd pro se ipso tot Bullas Compositionis sumat, vel compositionem cum Commissario suo nomine faciat, si Bullam vivorum habeat. *disp.* 25. *n.* 56. p. 446.

Defunctis opera ex præcepto debita, ut satisfactoria applicari possunt. *disp.* 26. à *n.* 265. pag. 515. Sententiæ oppositæ asserum. *ibid.* à *n.* 262. pag. 515.

Defunctis est utilis sepultura sacra. *disp.* 26. à *n.* 276. pag. 516. Aspersio aquæ lustralis. *ibid. n.* 278. p. 516. Et delatio ad tumulum in habitu Religioso. *ibid. n.* 280. p. 517.

Defunctorum animæ in Purgatorio non detinentur, quoad usque restituantur ea, quæ debebant. *disp.* 26. à *num.* 287. pag. 517. Verus sensus text. *cap. in litteris, de raptor. ibid. num.* 292. p. 518.

Vide *Altare privilegiatum*, *Communio*, *Missa*, *Indulgentia*, *suffragium.*

Degradatio, seu Depositio.

Quid sit? *d.* 17. *n.* 208. p. 255. Per Bullam auferri nequit. *ibi. n.* 207. p. 254.

Dictio.

Dictio *etiam* explicatur. *d.* 11. *n.* 17. p. 121. *Et* aliquando resolvitur in disjunctivam *ibi. n.* 96. p. 131. *Si* non semper significat conditionem. *d.* 21. *n.* 251. p. 374. *Tantùm* in exceptione suspensionis Bullæ non ponitur; & posita in Bullâ Hispana, supra ipsos fratres, & supra indulgentias cadit. *d.* 23. à *n.* 157. p. 423.

Dictiones *quotidie, Semper, sine intermissione, continuò*, quomodo intelligantur. *d.* 26. *n.* 172. pag. 506. Et quomodo *Celebrentur. ibid. n.* 173. p. 506.

Dies festus

Die festo potest quis à loco exire, ut præceptum audiendi missam, abstinendi ab operibus servilibus, & jejunandi, non servet. *disp.* 3. *n.* 80. p. 37.

Die festo probabilius est, tempore interdicti, habentem Bullam, missam teneri audire. *d.* 11. à *n.* 110. p. 133. Incarceratur, si exeundi à carcere privilegium habeat, & occasio detur audiendi missam, die festo illam tenetur audire. *ibid. n.* 112. p. 133.

Distributor Bullarum.

Si aliquos ad sumendas Bullas cogat, peccat mortaliter. *d.* 6. *n.* 12. p. 59. Si ex errore alicui, acceptâ eleemosyna, Bullam aliam jam habenti, tradidit, contractum tenetur rescindere, si in ea Bulla alicujus nomen non sit scriptum: at si sit scriptum, non tenetur. *d.* 6. *n.* 36. p. 62.

Dolus.

Per dolum, fraudem, aut errorem circa causam finalem versantem, absolutio censuræ extorta, est invalida. *d.* 17. *n.* 146. p. 247.

Domestici.

Domesticorum nomine in Bullâ, qui veniant. *d.* 11. *n.* 76. p. 129. Domestici cum domino habente Bullam, tempore interdicti, divinis in Oratorio, & Ecclesiis possunt assistere. *disp.* 11. *n.* 89. p. 130.

Dominium, Dominus.

Dominium quando acquiritur in pecuniis ex turpi lucro acquisitis. *d.* 5. à *n.* 75. p. 53.

Dominus, quæ vota servorum irritare possit. *d.* 21. *n.* 30. p. 349.

Donati.

Nomine *fratrum* non veniunt in exceptione facta in Bulla pro Mendicantibus. *disp.* 23. *num.* 179. p. 426.

Dubium.

In dubiis, melior est conditio possidentis, & tutior pars est eligenda, maximè quando de salute animæ agitur. *d.* 7. *n.* 50. p. 71. In dubio debiti, quomodo se gerere debeat debitor? *d.* 25. *n.* 80. pag. 499. Et quando dubium inter duos, tres, aut plures versatur creditores? *ibid.* à *n.* 82. pag. 449.

Vide *Reservati casus.*

Duellum.

S. Pontifici reservatur. Nunquam licèt viro equestri, ad suum defendendum honorem, illud acceptare; & oppositum ab Alexandro VIII. damnatur. *d.* 18. *n.* 92. p. 268.

E.

Ebrius.

Ebrio morti proximo, Bullæ privilegia pro[illegible] possunt, si de ebrietate antea pœnituerit. *d.* 2. *n.* 19. in fine p. 211.

Ecclesia.

Ecclesiæ nomine, quid veniat in visitatione quinque Ecclesiarum, vel altarium ad indulgentiam stationum. *d.* 10. à *n.* 60. p. 109.

Ecclesiæ, aut sacrarii portas cum violentia infringere, reservatur in diœcesi Eborensi, & Portuensi, & explicatur. *d.* 18. à *n.* 363. p. 298. Ecclesiæ nomine, non venit sacristia. *ibi. n.* 364. p. 298. Nec oratorium privatum, si authoritate Episcopi non sit erectum. *ibid. num.* 366. pag. 298.

Ecclesiæ votum per impulsum faciens debilem, vel feram loco cedere, illa non perfracta, reservatum non habet. *d.* 18. *n.* 367. p. 298

Ecclesiæ portas clave adulterina, vel à Parocho surreptâ aperiens, reservatum non committit. *d.* 18. *n.* 368. p. 298. At illud committit, Ecclesiæ parietem, vel tutum rumpens, aut fenestram ligneam, vel vitream infringens. *ibi. n.* 369. p. 298.

Ecclesiæ, & feræ effractor, & simul spoliator, ipso facto excommunicatur; & post Ordinarii denuntiationem S. Pontifici excommunicatio reservatur. *ibi. n.* 370. p. 298.

Ecclesia violata.

Ecclesia quando dicatur violata, aut polluta? *d.* 11. à *n.* 181. p. 144. In Ecclesiis violatis, virtute Bullæ, nullus divinis interesse potest. *d.* 11. à *n.* 185. p. 144.

In Ecclesia violata celebrans, probabile est incurrere suspensionem; & probabilius illam, nec irregularitatem incurrere. *disp.* 25. *n.* 259. pag. 469.

Vide *Sacrilegium.*

Eleemosyna.

Eleemosyna pro Bullâ eroganda designatur. *d.* 5. à *n.* 4. p. 45. Sufficit, quod per alium elargiatur. *ibi. n.* 12. pag. 46. Et etiam creditò. *ibi.* Si designata à Commissario non conferatur, Bullæ privilegiis non fruitur. *ibi.* à *n.* 13. p. 46.

Bullam creditò accipiens, absque animo solvendi eleemosynam, privilegiis non gaudet. *d.* 5. *n.* 13. in fine pag. 46. At si intentionem mutet, ab ipso die privilegia lucrabitur. *ibid. num.* 14. pag. 46.

Eleemosynam trecentorum realium Lusitanorum erogabunt personæ Ecclesiasticæ, & seculares cum suis uxoribus, habentes in redditibus millia ducatorum, & ultra *d.* 5. *n.* 4. p. 45. Quæ verò quingentos habuerint, ducenta regalia Lusitana *ibid. n.* 5. p. 45. Cæteræ omnes, octoginta regalia Lusitana, seu duos argenteos exceptis pauperibus, & filiis familiis, qui unum tantùm erogabunt argenteum. *ibi. n.* 6. p. 45.

Eleemosynam duorum argenteorum pro Bullâ, Regulares tenentur erogare, exceptis omnibus ex mendicatu viventibus. *d.* 5. à *n.* 53. p. 48. Non excipiuntur ab eroganda eleemosynâ duorum argenteorum Moniales S. Francisci, & Carmelitæ discalceatæ ex mendicatu non viventes. *ibi. n.* 35. p. 48. Minores, si aliquod privilegium habuerunt, privilegiis Bullæ gaudendi, non erogata eleemosyna pecuniaria, jam cessavit. *ibi.* à *n.* 37. p. 49.

Probabile videtur, clericos sacrorum ordinum, sub patriâ potestate existentes, teneri pro Bullâ unum tantum argenteum erogare, at probabilius est ad duos teneri. *d.* 5. à *n.* 42. p. 49. Sacerdos alienigena ex mendicatu vivens, ad unum obligatur. *ibid. n.* 43. p. 49. Et sacerdotes naturales patrimonium non habentes; & ex manualibus promissis eleemosynis se sustentantes. *disp.* 5. *n.* 44. p. 49.

Eleemosynam duorum argenteorum pro Bulla erogare debent omnes artifices, & eorum uxores. *d.* 5. *n.* 46. p. 50. Operarii, & mercenarii unum argenteum erogant. *ibid.* Et milites gregarii ex militari tantùm stipendio viventes. *ibid. n.* 47. p. 50.

Personæ seculares, quamvis domum habeant, & unum rete ad piscandum: aluntur tamen miserabiliter, unum argenteum erogant. *d.* 5. *n.* 48. p. 50. Et agricolæ qui ex agris, & bobus locatis sustentantur. *ibi.* Et viduæ, quæ ab aliis aluntur. *ibid. n.* 49. pag. 50. Et mulieres ex acu, & colo viventes. *ibid.* Et peregrini, carcerati, & Bullæ nobiles miserabiliter viventes. *d.* 5. *n.* 50. p. 50.

Servi Angolani alios servos habentes duos erogant argenteos. *disp.* 5. *num.* 51. pag. 50. Quam eleemosynam tribuant famuli. *ibid.* à *num.* 52. pag. 50. Et quam filii familias. *ibid.* à *num.* 65. pag. 52.

Pauperes mendici unum argenteum elargiuntur. *d.* 5. *n.* 68. p. 52. Et omnes qui ex eleemosynis sustentantur. *ibid.* à *n.* 69. p. 52.

Bulla validè accipitur, pecuniâ turpi lucro acquisitâ, si in eâ, accipiens, dominium habeat. *d.* 5. à *n.* 75. p. 73. Rejicitur P. Bardi, existimans, furem, qui duos argenteos furaretur, si illos pro Bulla tribueret, Bullæ privilegiis gaudere, si in Bulla Hispana non daretur clausula: *ut eleemosyna fieret ex bonis à Deo collatis. disp.* à *num.* 90. p. 55.

Pecunia ab aliquo ablata, per modum mutui, pro Bulla non prodest si non detur prudens consensus domini præsumptio. *disp.* 5. *num.* 93. pag. 55.

Qui accepit Bullam ab eo, qui eam furatus est, illi erogata eleemosyna, Bullæ privilegiis non gaudet. *d.* 5. *n.* 95. p. 56. At gaudet, si qui illam Bullam furatus est, minister sit Cruciatæ. *ibi. n.* 98. p. 56.

Bulla sumentibus prodest, etiamsi eleemosynæ subventioni militum non applicentur. *d.* 5. *n.* 101. p. 57.

Eleemosynæ Bullæ sumptus arcis Mazagani excedentes, ad annum sequentem differri nequeunt. *disp* 5. *num.* 103. pag. 57. Nec Regis ministris possunt tradi ad alias Regni necessitates, nisi sint ad classes pro defensione maris. *ibid. num.* 104. p. 57.

Quam eleemosynam pro Bulla Reges, & Infantes teneantur tribuere. *d.* 5. *n.* 105. p. 57.

Eleemosynæ prohibentur peti pro fabrica Ecclesiarum, Monasteriorum, aut pro redemptione captivorum. *d.* 23. *n.* 188. p. 426.

Eleemosynæ ex Bullâ collectæ Domus Ceitæ Thesaurariæ traduntur. *d.* 24. *n.* 44. p. 440.

Qui à Prælato licentiam obtinuit petendi eleemosynam, hoc jus potest alteri locare. *d.* 25. à *n.* 392. p. 482.

Vide *Jubileus sex mensium*, *Interdictum*, *Reditus*.

Emptio. Vide *Mercatura*, *Venditio*.

Episcopus.

Super numero Episcoporum in consecratione Episcopi, potest S. Pontifex dispensare, & oppositum asserere, est temerarium. *disp.* 1. à *num.* 28. pag. 8.

Episcopi, data justa causâ, possunt Bullam concedere. *d.* 1. à *n.* 36. p. 9. Dispensantes vota, simoniam non committunt, si onus, elargiendi eleemosynam pauperibus, aut piis locis, imponant. *d.* 1. *n.* 47. p. 10.

Episcopi ex facultate S. Pontificis indulgentias concedunt. *disp.* 7. *n.* 23. p. 70. Quas concedant? *ibid. num.* 24. pag. 70. Et quas Archiepiscopi in diœcesibus suffraganeorum? *disp.* 7. *num.* 25. pag. 70.

Si Archiepiscopi, Episcopi majores concedant indulgentias, quàm possunt; quoad excessum, irrita est concessio. *disp.* 7. *num.* 26. p. 70. Non solum suis subditis, & extra suum territorium; sed etiam Regularibus indulgentias concedere possunt. *disp.* 7. *num.* 27. pag. 70. Defunctis illas concedere nequeunt. *ibid. n.* 28. p. 70.

Episcopus Regularibus prohibere potest, ne ipsomet die Resurrectionis communionem sæcularibus administrent, etiamsi jam in suis Ecclesiis præcepto satisfecissent. *disp.* 11. à *num.* 150. pag. 139. Dum tamen non prohibet, licitè eam administrant. *ibid. n.* 152. p. 141.

Ordinarii arbitrium in oratorii privati concessione, & approbatione, probabilius intelligitur de arbitrio boni viri. *d.* 12. *n.* 6. p. 145.

Episcopus oratoria privata approbare non potest, nisi per Breve Pontificium ei expressè committatur. *disp.* 12. à *n.* 34. pag. 148. Eâ datâ approbatione illam potest revocare, & Regularibus exemptis, ne in illo celebrent, inhibere. *ibid. num.* 55. pag. 151. Si habentibus Bullam prohibeat, ne diebus exceptis in oratoriis celebretur, illi obtemperandum est: licèt oppositum sit probabile. *d.* 12. *n.* 87. p. 156.

Episcopus extra suam diœcesim, confessiones suorum subditorum potest audire. *d.* 14. à *n.* 56. p. 165. At sibi non potest eligere confessarium sive suum subditum, si non subditum; si non sit ab ordinario loci approbatus. *ibid.* à *n.* 63. p. 166.

Episcopus, Regulares in confessionibus audiendis delinquentes, punire nequit, nisi suspensione, & repulsa à confessionibus audiendis. *disp.* 14. *num.* 209. pag. 184. Revocans Regularibus licentiam ad confessiones audiendas, causam ipsis Regularibus manifestare non tenetur, sed Sedi Apostolicæ, quando ab ipsa petitum fuerit. *ibid. n.* 210. p. 184.

Episcopis in Trident. committitur absolutio quorumcunque occultorum S. Pontifici reservatorum. *disp.* 15. *num.* 101. pag. 198. & *disp.* 18. *num.* 4. pag. 257. Excipiuntur casus ad forum contentiosum deducti. *disp.* 15. *num.* 102. pag. 198. Quando tales dicantur. *ibid.* Nec per se, nec per Vicarium à se deputatum, à casibus Bullæ Cœnæ occultis absolvere possunt. Adducitur, & explicatur propositio ab Alexandro VII. *d.* 15. à *n.* 110. p. 199.

Episcopus in quo casu potest declarare excommunicatum illum, qui eum offendit. *disp.* 16. *num.* 98. pag. 219.

Episcopus, virtute Bullæ, à censura Pontifici reservata

vata ad reincidentiam absolvere nequit. *disp.* 17. *num.* 123. pag. 244. Non potest dispensare in irregularitate ex defectu lenitatis; potest in ea, quæ ex homicidio casuali occulto provenit. *d.* 17. *n.* 222. p. 257.

Episcopi, naturâ reservationis spectatâ, quodcunque peccatum mortali reservare possunt. *d.* 18. à *n.* 6. p. 258. At juxta Const. Clementis VIII. & decretum S. Congreg. de illius mandato, plura illis prohibentur, reservare. *ibid.* à *num.* 15. pag. 159. Non possunt licitè, quamvis validè possunt, absque rationabili causâ, jurisdictionem Regularibus, & Parochis limitare. *d.* 18. à *n.* 13. juncto *n.* 9. p. 258.

Episcopi non tenentur omnibus licentiam petentibus ad absolvendum à reservatis concedere. Quando verò teneantur. *disp.* 19. *num.* 55. pag. 321. Possunt, & illorum Vicarii licentiam absolvendi à reservato, in casu occurrente denegare, maximè si habeant justam, & rationabilem causam. *ibid.* *n.* 57. p. 322.

Episcopus injustè licentiam negans confessario absolvendi Monialem subditam à reservatis pro concessâ habetur; oppositum est probabile. *disp.* 19. à *num.* 58. pag. 322. & *disp.* 20. *num.* 22. pag. 328.

Episcopi, & Mendicantes possunt cum conjuge votum castitatis habente, dispensare, ut possit petere. *d.* 21. *n.* 232. pag. 372.

Episcopus, in quibus votis reservatis, & quando, ex urgentissimâ causâ possit dispensare. *d.* 21. à *n.* 324. p. 383.

Episcopi indulgentias, quas possunt concedere, publicare queunt. *d.* 23. *n.* 186. p. 426. Et alios, jubileosque examinare, priusquam publicentur. *ibid.* *n.* 187. p. 426.

Episcopus, qui simul est dominus temporalis alicujus oppidi, si de temporalibus agatur, suum jus censuris defendere nequit. *disp.* 24. *num.* 33. p. 439.

Vide *Prælati majores. Approbatio per totum. Examen. Ordinarius.*

Eucharistia.

Eucharistiæ sumptio ad Bullæ indulgentias requiritur. *disp.* 7. *num.* 144. pag. 85. Rejicitur opinio innuens sufficere communionem sacrilegam. *ibid.* à *n.* 147 p. 86. Adducitur propositio ab Innocentio XI. damnata circa communionem annuam. *disp.* 7. *num.* 149. pag. 86. Per communionem sacrilegam præcepto non satisfit; nec per illam manet quis liber ab excommunicatione si in diœcesi lata sit contra non communicantes. *d.* 7. à *n.* 150. p. 86.

Communicaturus, si antequam accedat ad altare, alicujus peccati in confessione obliti recordetur, tenetur, antequam communicet, illud confiteri. *disp.* 7. *num* 152. pag. 86. Arguuntur aliqui Authores à P. Moya de impostura in aliquos graves D. D. sed defensione non indigent. *d.* 7. à *n.* 153. p. 86.

Communicaturus positus jam ante altare, si de peccato mortali oblito recordetur, & sine infamiâ recedere non possit, contritus, & sine nova contritione communicare potest. *disp.* 7. *n.* 115. pag. 81.

Communicare possunt omnes fideles ubique ex consuetudine in Portugalliæ, & Hispaniæ Regnis receptâ, dummodo in Paschate, & per manus Parochi. *d.* 11. *n.* 128. p. 135. Approbatus ad celebrandam primam missam, approbatus censetur ad ministrandam Eucharistiam. *ibid.* *num.* 129. p. 135. Ad ministrandam Eucharistiam sufficit consensus Parochi, etiam præsumptus. *disp.* 11. *num.* 130. pag. 135. Quando alicui concedit licentiam celebrandi in sua Ecclesia, censetur concedere licentiam ministrandi Eucharistiam illis, qui ex devotione communicant. *ibid.* *n.* 131. p. 135.

Probabile &, virtute Bullæ, non posse accipi Eucharistiam tempore interdicti in Oratorio privato, aut in Ecclesiis absque Parochi licentiâ. *disp.* 11. *num.* 133. pag. 135. Et probabilius, posse. *ibid.* *num.* 134. pag. 135. Et post Decretum S. Congreg. de mandato Innocentii XI. videtur esse certum. *ibid.* *num.* 142. pag. 135. vers. *Post hæc Scripta* usque ad finem lection.

Eucharistiam administrati, conceditur per Bullam in Oratorio, & Ecclesiis, sive tempus sit interdicti, sive non; excepto die Paschæ. *disp.* 11. *num.* 143. pag. 183. Per diem Paschæ, non intelligitur ipse dies materialiter Resurrectionis, sed formaliter communio, quâ præceptum communionis Paschatis impletur; quod in Lusitaniâ ex recepta consuetudine impleri potest à prima die Quadragesimæ usque ad Dominicam in Albis inclusione. *disp.* 11. *num.* 144. pag. 138. Qui intra tempus designatum, præceptum communionis implevit; vel intendit ante Dominicam in Albis implere, potest ex devotione in Ecclesiâ Regularium, vel in suo oratorio, virtute Bullæ, in ipsomet die Resurrectionis, sacram suscipere communionem. *d.* 11. *n.* 146. pag. 139.

Vide *Communio.* Infirmus.

Examen.

Examinare, ad audiendas confessiones, possunt Episcopi etiam manifestè idoneos; omnes tamen indiscriminatim non debent examinare. *d.* 14. *n.* 167. p. 180.

Examine prævio Regulares simpliciter approbati, ab eodem Episcopo iterum non possunt examinari. *d.* 14. *n.* 170. p. 180. At si sine examine sint simpliciter approbati, ab eodem Episcopo possunt examinari. *ibid.* *n.* 171. p. 180.

Examinari possunt absque ulla causa omnes Regulares ab Episcopo successore, etiam si ab antecessore, prævio examine, fuissent approbati. *disp.* 14. *num.* 170. pag. 110. & à *num.* 177. pag. 180.

Examine prævio Regulares à Vicario Episcopi simpliciter approbati, ab Episcopo examinari possunt. *d.* 14. *n.* 170. p. 180. Regulares, qui ab Episcopo ad examen vocari possunt, si non inveniantur idonei, ab eo reprobari possunt. *ibid.* à *n.* 192. p. 182. Refutatur Rodrig. asserens, Religiosos S. Dominici, & S. Francisci ab uno Episcopo semel approbatos, à successore non examini subjici. *d.* 14. *n.* 195. p. 182.

Vide *Approbatio.*

Excommunicatio. Excommunicatus.

Excommunicatus Bullam utiliter sumere potest. *d.* 2. *n.* 29. p. 27. Non potest indulgentias acquirere. Si tamen per eum non stat, quod absolvatur, & per contritionem in statu gratiæ ponatur, potest Ecclesiam ingredi, quando divina non celebrantur; & visitare in diebus stationis quinque altaria, & indulgentiam consequi. *ibid.* *n.* 30. p. 27.

Excommunicatis Bulla non prodest, ut divinis intersint, vel ut in loco sacro sepeliantur. *d.* 2.

n. 31. p. 25. Illis prodest, ad vota commutanda, ad ova, & Lacticinia, & carnes de consilio utriusque medici, in diebus prohibitis, comedenda, & ad compositionem in rebus incertis faciendam. *d.* 20. *n.* 32. p. 25. Rescriptum impetratum, super aliâ gratiâ, quàm absolutione ab excommunicatione, non est invalidum. *d.* 2. *n.* 27. p. 25.

Ab excommunicato non tolerato, vel manifesto clerici percussore, ut Bullæ indulgentiæ acquirantur, non licet petere confessionem; etiam si alius non detur confessarius. *disp.* 7. *n.* 160. p. 87. Nec, ut tutius, à tolerato. *d.* 7. *n.* 161. p. 87. Oppositum est probabile. *d.* 7. à *n.* 162. pag. 88.

Excommunicatus loco sacro sepeliri non potest. *d.* 8. *n.* 51. p. 96. Probabilius est posse tolerari, & probabile, non posse. *ibid.* à *num.* 52. pag. 96.

Excommunicatus vitandus defunctus, ut in loco sacro sepeliatur, simpliciter, & absolutè absolutione indiget. *d.* 8. à *n.* 55. p. 97. Illâ non indiget, qui in articulo mortis, à quocunque Sacerdote, etiam simplici fuit absolutus. *ibid.* *n.* 59. p. 97.

Excommunicatus si in vitâ absolutus non fuit, post mortem ab eo debet absolvi, à quo poterat vivus. *d.* 8. *n.* 60. p. 97. & *n.* 63. p. 98. Quâ formâ post mortem sit absolvendus. *ibid.* *n.* 63. p. 98.

Excommunicatus occultus, in loco sacro sepultus, sit ne exhumandus? *disp.* 8. *num.* 62. pag. 197.

Excommunicatio quid sit, quomodo dividatur, quibus privet? *d.* 15. *n.* 20. p. 190. Excommunicatio minor in aliquibus casibus à communicantibus cum excommunicato vitando, non incurritur. *ibid.* *n.* 22. p. 190. Communicans in crimine criminoso cum excommunicato vitando, peccat mortaliter, & eandem incurrit excommunicationem. *disp.* 15. *n.* 23. pag. 190. Communicare in divinis cum excommunicato vitando, regulariter est peccatum mortale. *ibid.* *n.* 24. p. 190.

Qui cum minori excommunicatione recipit Sacramenta, aut ad beneficium eligitur, peccat mortaliter, & electio nulla. *d.* 15. à *n.* 25. p. 190. Administrans Sacramenta cum minori excommunicatione, irregularitatem non incurrit. *ibid.* *n.* 27. p. 191. A minori excommunicatione absolvere potest quilibet confessarius, & Parochus etiamsi Sacerdos non sit, non tamen simplex Sacerdos. *d.* 15. *n.* 28. p. 191.

Excommunicationes in jure canonico, & extra illud S. Pontifici reservatæ, recensentur. *d.* 15. à *n.* 31. p. 191.

Excommunicatus vitandus, & publicus clerici percussor in uno loco, in alio ubi denuntiatio, & percussio est occulta, non sunt vitandi. *d.* 15. *num.* 117. 200. Oppositum est probabile. *ibid.* *n.* 117. p. 200. Et etiam probabile est, vitandos esse publicè, ubi delictum est publicum, & vitandos occultè, ubi est occultum. *ibid. num.* 123. p. 201.

Ab excommunicatione impotens ad satisfaciendum, virtute Bullæ, absolutus, quam juris cautionem præstare debeat? *d.* 17. à *n.* 20. p. 231. Nomine partis læsæ non venit fiscus, Ecclesia, nec notarius. *ibid.* *n.* 24. p. 232. Si pars læsa sit clericus sæcularis, illi satisfaciendum, si Religiosus, satisfactio in parte monasterio fieri potest, & in aliâ ipsi Religioso. *disp.* 17. à *num.* 25. pag. 232.

Ab excommunicatione absolutio, virtute Bullæ, quam utilitatem in foro conscientiæ, conferat. *d.* 17. à *n.* 62. p. 236.

Excommunicationes plures habens, per Bullam, ab unâ, & non ab aliis non potest absolvi. *disp.* 17. à *num.* 130. pag. 247.
Potest per Bullam Hispanam, & tunc causa excommunicationis absolvendæ, exprimenda est. *ibid.*

Excommunicatio, quæ dicatur à jure, & quæ ab homine. *d.* 18. *n.* 194. p. 279. Quid reservetur per excommunicationem à jure quando in diœcesibus reservatur excommunicatio à jure nemini reservata. *d.* 18. à *n.* 195. p. 279. Et quid per excommunicationem ab homine. *ibid.* *n.* 206. p. 281.

Excommunicatione ipso facto, feriuntur omnes habentes pecunias, instrumenta, Scripturas, aut bona primariò, aut secundariò ad Cruciatam pertinentia, si illa Commissario, aut ab eo deputato propalent. *disp.* 23. *num.* 230. pag. 431.

Vide *absolutio. Censura, Reservati casus quoad absolutionem virtute Bullæ.*

Exterus.

Exteri, qui in hoc Regno inveniuntur, sive per modum permanentis, sive transeuntis Bullam sumere possunt. *disp.* 3. *num.* 66. pag. 36. Rejicitur ratio, quâ fundantur Costa, & Abreus. *ibid.* *num.* 65. pag. 36.

Exteri ad aliquod oppidum dominii hujus Regni accedentes, possunt utiliter Bullam sumere. *d.* 3. *n.* 68. p. 36. Non possunt ex mari adiacente mittere nuntium, qui pro illis Bullam sumat. *ibid.* *n.* 71. pag. 36. Cum limitatione. *num.* 72. p. 37.

Exterus solo animo sumendi Bullam, aliquod oppidum dominii hujus Regni petens, illam utiliter sumere potest. *d.* 3. *n.* 76. p. 37.

F.

Facultas.

Quid sit? *d.* 1. *n.* 15. p. 8. *Facultatum* nomine, in Bulla veniunt Indulgentiæ. *d.* 23. *n.* 140. p. 420. & 142. p. 420.

Falsificatio.

Falsificatio litterarum Apostolicarum, & supplicationum, in Cruciata excipitur; & virtute illius nec semel in vita, nec in morte absolvi potest. *d.* 16. *n.* 68. p. 217. Falsificatio litterarum Apostolicarum quid sit? *ibi.* *n.* 69. p. 215. Falsificationes quæ per Bullam possint, vel non possint absolvi, referuntur. *d.* 16. *n.* 71. usque ad 87. p. 215.

Familia, Familiares.

Familiaris nomen diversas habet acceptiones. *d.* 11. *n.* 71. p. 128. *Familiarium* nomine, qui veniant in Bulla? *disp.* 11. *n.* 75. p. 129. Et qui nomine *Familiæ* in Brevi Pontificio oratorii privati. *ibi.* *n.* 74. p. 129.

Familiares, habentem Bullam comitari solentes, & illius expensis viventes, cum illo divinis possunt assistere. *d.* 11. *n.* 48. p. 130. In fraudem hujus privilegii alii non possunt admitti familiares. *ibi.* *n.* 85. p. 130. Ut familiares, domestici & consanguinei missam audiant in Oratorio, vel tempore

pore interdicti, poterit ne habens Bullam, aut Breve Oratorii, iterum aliam audire missam? *d.* 11. à *n.* 102. p. 132.

Famuli. Vide *Eleemosyna.*
Fides Commissa. Vide *Bulla Compositionis.*

Filia, Filius.

Filius per susceptionem majorum Ordinum à patria potestate non egreditur. *disp.* 5. *num.* pag. 49. Quis dicatur filius familias, & quando à patria egrediatur potestate. *ibid.* à *num.* 56. pag. 51. Et quando proprios reditus cum fructu habeat. *ibid.* à *num.* 62. pag. 51.

Filiafamilias, serva, filius, & servus accepta ob turpe lucrum parentibus, & dominis restituere non tenentur. *d.* 25. *n.* 432. p. 487.

Vide *Eleemosyna.*

P. Franciscus Bardi.

Non fuit rectè instructus circa quemdam Commissarium Lusitanum. *disp.* 20. à *num.* 76. pag. 324.

Fraus.

Fraudem non dicitur committere ille, qui jure suo utitur. *disp.* 3. *num.* 78. pag. 37. Ostenditur aliquibus exemplis. *ibid.* à *n.* 79. p. 37.

Vide *Familiares.*

Furtum.

Furti quantitas ad peccatum mortale sufficiens. *disp.* 5. *num.* 92. pag. 55. Quæ in furto bonorum Christianorum naufragantium. *disp.* 15. *num.* 167. pag. 206.

Furta minuta filiorum, Religiosorum, & ancillarum in esculentis non pretiosis, ad culpam gravem non continuantur. *d.* 18. *n.* 270. p. 289.

Vide *Decima.*

G.

Gratia.

Gratia facta morte concedentis non expirat. *disp.* 1. *num.* 137. pag. 21.

Gratiæ status in suscipiente Bullam, non requiritur. *d.* 2. *n.* 26. p. 24.

Gula. Vide *Cibus.*

Habitus Religiosus.

Defunctis est proficuus, dum ad sepulturam deferuntur. *d.* 26. *n.* 280. p. 517.

Hæres.

Hæres tenetur juxta vires hæreditatis satisfactionem præstare, quam defunctus promisit, vel debebat, & potest ad id censuris compelli. *disp.* 8. *num.* 64. pag. 98.

Hæres, ad aliquid Fratribus restituendum, obstrictus, sororibus etiam restituere tenetur. *d.* 23. *n.* 173. p. 425.

Hæresis. Hæreticus.

Hæretici sive externi, sive interni Bullæ privilegiis non gaudent. *d.* 2. *n.* 21. p. 24. In favorabilibus nomine *fidelium* non veniunt. *ibid. num.* 23. p. 24.

Hæresis quid sit? *d.* 26. *n.* 26. p. 210. Hæresis formalis externa etiam occultissima, virtute Bullæ absolvi nequit. *ibid. n.* 28. p. 210. Purè mentalis nec reservatur, nec excommunicationi subjacet. *ibid.*

Hæreticus externus non dicitur, quando verba, vel facta ita de se sunt indifferentia, ut ex illis hæresis externa colligi non possit. *d.* 16. *n.* 30. p. 210. Nec qui suam hæresim internam confessori manifestat; ut absolutionem recipiat, aut amico, causâ petendi consilium. *ibid. n.* 33. p. 211.

Hæreticus externus absolutè non est, qui ex hæresi interna motus, aliquod externum peccatum veniale commisit. *d.* 16. *n.* 34. p. 211.

Hæresis nomine, quid in diœcesibus reservetur. *d.* 18. à *n.* 18. p. 259.

Vide *Reservati casus, quoad absolutionem, virtute Bullæ.*

Homicidium.

Homicidium voluntarium, & casuale quid sint? *d.* 18. *n.* 62. p. 260. Voluntarium in diœcesi Ulyssiponensi & in aliis reservatur, exponitur. *d.* 18. à *n.* 62. pag. 264.

Homicidium voluntarium non committit, qui occidit aggressorem cum moderamine inculpatæ tutelæ. *d.* 18. *n.* 64. p. 264. Etiamsi injustus aggressor sit persona publica, pater, filius, frater, dominus, conjux, sacerdos, &c. *ibid. n.* 65. p. 265. Si tamen ex morte aggressoris personæ publicæ, magnum reip. sequatur detrimentum, probabile est non committi homicidium, & probabile committi, & in utraque sententiâ reservatum non incurritur. *disp.* 18. à *n.* 66. p. 265.

Homicidium voluntarium committit, qui aggressorem absque moderamine inculpatæ tutelæ occidit: at probabile videtur, reservatum non incurri. *d.* 18. *n.* 69. p. 265. Si aggressus fuit in culpa, ut ab aliquo aggrederetur, si eum cum moderamine inculpatæ tutelæ occidat, non est homicida voluntarius. *ibid. n.* 70. p. 265.

Homicida est voluntarius, qui occidit contumeliosum, quando aliter ejus injuria arceri nequit. Oppositum ab Innocentio XI. damnatur. *disp.* 18. à *n.* 73. p. 265.

Homicida est voluntarius, qui post impactam alapam, vel fustem, læsorem fugientem insequitur, & apprehensum occidit: affertur propositio ab Innocentio XI. damnata. *disp.* 18. à *n.* 78. p. 226. Et etiam quando læsor non fugit, sed manet in eodem loco ad injuriam continuandam, & sic à læso occiditur. *ibid. n.* 80. p. 266.

Homicida est voluntarius Religiosus, aut clericus, qui calumniatorem gravia crimina de se, aut de sua Religione minantem occidit, quando alius se defendendi modus non suppetit. Adducitur propositio ab Alexandro VII. damnata. *d.* 18. à *n.* 81. p. 267.

Homicida est voluntarius, qui pro sui honoris defensione, uxorem, aut adulterum, cùm eâ inventum, occidit. Oppositum ab Alexandro VII. damnatur. *d.* 18. à *n.* 85. pag. 267. Occidens clericum cum uxore, matre, sorore, aut filia propria turpiter inventum, excommunicationem, non reservatum S. Pontifici incurrit. *ibid.* à *n.* 88. p. 288.

Homicidia, quæ non licent pro defensione propria, pro defensione proximi non licent, & quæ pro defensione propria, licent, etiam licent pro defensione proximi. *d.* 18. *n.* 114. p. 271. Homicida non est voluntarius, qui invasorem pudicitiæ proximi occidit, quando aliter, defendi nequit. *ibid. num.* 115. pag. 271.

Homicida voluntarius probabilius non est laicus ob defensionem bonorum temporalium magni momenti, invadentem occidens, quando aliter servari, vel recuperari nequeunt. *d.* 18. *n.* 117. p. 271.

p. 271. Et probabile est etiam non esse clericum. *ibid. n.* 118. p. 171. Et nec Religiosum. *ibid. n.* 119. p. 171. Quæ autem res sit vel non magni momenti? *ibid.* à *n.* 120. & 126. p. 271. Et affertur propositio ab Innocentio XI. damnata, & ostenditur, illam non docuisse Molin. & alios D. D. ibi, *n.* 12. *& seqq.* Pro contumeliâ simul, & ablatione unius aurei, occidere non licet. *ibid.* 123. p. 272.

Homicida est voluntarius occidens euntem ad ferendum falsum testimonium contra se ipsum in materia honoris, vel bonorum, quando aliter hominem non potest divertere, nec alia suppetit via ad honorem, & sua recuperanda. *d.* 18. à *n.* 128. p. 272. Et ille, qui occidit falsum accusatorem, quem aliter declinare non potest, & ex ejus accusatione tinctur infamia, aut bonorum spoliatio. *ibid.* à *n.* 131. pag. 272. Et ille, qui judicem occidit, à quo certò iniqua imminet sententia, si alia via Innocens damnum vitare nequit. à *n.* 132. pag. 272. Et ille, qui accusatorem de crimine vero, sed occulto, occidit. Affertur propositio ab Alexandro VII. damnata. *d.* 18. à *n.* 132. pag. 273. Refutatur Leand. malè citans Sanch. & Cardin. de Lug. *ibid. n.* 129. p. 272.

Homicida est voluntarius, qui defensione occisivâ, tuetur ea, ad quæ tantùm jus habet inchoatum, vel quæ sperat possessurus; & oppositum ab Innocentio XI. damnatur. *disp.* 18. *n.* 132. pag. 273.

Homicidium mandantes, aut consulentes reservatum non incurrunt, in diœcesibus, in quibus non exprimuntur. *d.* 18. *n.* 142. p. 274. Percutiens lethaliter cum intentione occidendi, si ante percussi mortem, suum plenè confiteatur peccatum, secutâ morte, probabilius est, non teneri, illud homicidium, postea ut reservatum confiteri. *d.* 18. à *n.* 395. p. 302.

Vide *Suffocantes prolem.*

Hora Canonica.

Vide *Beneficiatus*, *Bulla Compositionis*, *Canonicus*, *Coadjutor.*

I.

Idololatria.

QUid sit? Et quando reservata censeatur in diœcesi Angolanâ. *d.* 18. *n.* 516. p. 315.

Jejunium.

De jejunii essentia est abstinentia à carnibus. *disp.* 22. *n.* 9. p. 386. Si quis voveat jejunium in pane, & aqua, & sub hâc formâ illud servare nequeat, modo consueto illud servare, non tenetur. *d.* 22. *n.* 43. p. 389.

Ad jejunium, probabilius est, non teneri, qui in extrema necessitate carnes edit. *d.* 22. *n.* 44. juncto *n.* 39. pag. 389. Non habens sufficiens prandium, nisi panem, legumina, & fructus; ut jejunet, potest sine Bullâ ova, & lacticinia comedere. *d.* 22. *n.* 152. p. 390.

Vide *Carnium esus.*

Ignorans, Ignorantia.

Ignorans revocationem Bullæ intra annum factam, si à reservatis absolvatur, vel votorum commutationem obtineat, non tenetur se superiori subjicere, aut aliam obtinere commutationem cum additione ibi adducta. *disp.* 1. à *num.* 132. pag. 20.

Ignorantibus indulgentiarum revocationem, an illis prosint. *disp.* 7. à *num.* 68. pag. 76.

Ignorantia invincibilis sicut ab incurrendâ censurâ S. Pontifici reservatâ, ita etiam à reservatione ipsius peccati excusat. *disp.* 15. *num.* 15. pag. 189. & *n.* 156. pag. 205. Resolutio extenditur ad naturalem oblivionem, & inadvertentiam invincibilem. *ibid. num.* 156. pag. 205. Excusat etiam culpabilis ab excommunicatione canonis 13. Bullæ Cœnæ. *disp.* 16. *num.* 146. pag. 224.

Ignarus à censuris, virtute Bullæ, absolvi nequit. *d.* 17. *n.* 95. p. 240. Potest tamen per Prælatum, vel judicem, qui illas tulit; dum tamen absolutionem ignorat, ut censuratus se gerere debet. *d.* 17. *n.* 93. p. 240.

Ignoranti invincibiliter pœnitenti, se parti læsæ satisfecisse, cùm non satisfecerit, vel non teneri ad satisfaciendum, cùm teneatur, collata absolutio valida est. *d.* 17. *n.* 147. p. 247.

Impotens, Impotentia.

Impotens ad satisfaciendum parti læsæ, virtute Bullæ, à censuris licitè, & validè absolvitur. *d.* 17. à *n.* 13. p. 230. Quæ impotentia à reali satisfactione parti læsæ facienda, excusat. *ibid. n.* 15. p. 231.

Impotens ad parti læsæ satisfaciendum, quibus cautionibus virtute Bullæ, à censuris absolvitur. *d.* 17. à *n.* 20. p. 231.

Incendium.

Reservatur in diœcesi Ulyssiponensi, & aliis, & exponitur. *d.* 18. à *n.* 143. p. 274. A peccato mortali, & reservatione excusatur, absque advertentia, & animo nocendi, incendium faciens: dummodo negligentia mortaliter culpaliter culpabilis non præcesserit. *ibid. num.* 143. p. 274. A reservatione, & non à peccato mortali excusatur, qui ignem, animo nocendi applicuit, sed à supervenientibus hominibus, vel à pluvia fuit extinctum. *ibid.*

Incendio dans causam, si causa fuit mortalis, ad restitutionem omnium damnorum tenetur, si venialis, sub veniali tenetur. *disp.* 18. *n.* 144. pag. 274. Hanc reservationem non incurrunt mandantes, consulentes, & auxiliantes. *ibid. n.* 146. p. 274.

Incendiarii rerum Ecclesiasticarum, non sunt ipso facto excommunicati; ab Episcopo sunt excommunicandi. *d.* 18. à *n.* 149. pag. 274. Ut hæc excommunicatio S. Pontifici, maneat reservata, denuntiatio esse debet specialis, & expresso nomine. *ibid.* à *n.* 51. p. 277.

Incendiarii rei profanæ si ab Episcopo excommunicati declarantur, ab ipso Episcopo absolvi possunt. *d.* 18. *n.* 153. p. 277.

India Orientalis.

In Indiis Orientalibus fideles commorantes, sive Regis Portugalliæ subditi sint, sive non, Bullam sumere possunt, quin ad loca, ubi Bulla publicatur, declinent. *d.* 3. *n.* 36. p. 72.

In Indiis Orientalibus subditi Regis Portugalliæ, in dominio alieno degentes mercimonii causâ, per alios Bullam possunt sumere. *disp.* 3. *n.* 52. Cum conditionibus. *ibid.* à *n.* 53. p. 34.

India Orientalis nomine, quid veniat? *disp.* 3. à *num.* 58. pag. 35. Indiis Orientalibus privilegia concessa, & concedenda, Occidentalibus conceduntur, & è contra. *disp.* 3. *num.* 63. pag. 35.

Indulgentia.

Sub nomine *privilegiorum*, in generalibus rescriptis,

tis, non comprehenditur. *disp.* 1. *n.* 16. p. 8. Quomodo definiatur. *ibid.* & *d.* 7. *n.* 2. p. 67. Est amplè interpretanda. *d.* 1. *n.* 76 p. 13. & *d.* 7. *n.* 44. p. 72. Ut consequatur, sufficit, quod ultimum opus fiat in statu gratiæ. *d.* 2. *n.* 26. p. 24. Et *d.* 7. à *n* 40. p. 68. & *n.* 144. p. 85.

Indulgentia granis benedictis, Rosariis &c. concessa, ut acquiratur, sufficit, quod ipsa grana, Rosaria &c. domi habeantur, si aliud in Brevi non exprimatur. *d.* 6. *n.* 48. p. 63. Si grana, Rosaria &c. culpabiliter, vel inculpabiliter amittantur, indulgentiæ amittuntur. *d.* 6. *n.* 58. p. 65.

Indulgentia dividitur, & subdividitur. *d.* 7. à *n.* 8. pag. 68. Indulgentiam plenariam in vitâ, & in mortis articulo potest aliquis obtinere, & adhuc supereſſe pœnam in Purgatorio luendam. *ibid. n.* 11. in fine p. 68. Indulgentiæ concessio septem, aut centum annorum, quomodo intelligatur. *d.* 7. à *n.* 12. p. 68. Et quomo clausula: *de pœnitentiis injunctis. d.* 7. *n.* 14. p. 69. & à *n.* 17. p. 69. Et quomodo proloquium: *Indulgentiæ tantùm valent, quantùm sonant. d.* 7. *n.* 15. pag. 69.

Indulgentiæ ad certum diem alligatæ, ad alium transferri nequeunt. *d.* 7. *n.* 15. in fine. p. 69. Indulgentiæ plenariæ pro diebus S. S. Francisci Xaverii, & Francisci de Paula, aliquando in aliam transferuntur diem. *d.* 7. *n.* 16. pag. 69. Quem sensum habeant verba: *Absolventes à culpâ, & pœnâ. d.* 7. à *n.* 20. p. 69.

Indulgentiæ Regularibus concessæ, & à Paulo V. revocatæ, hodie non sunt revalidatæ, & oppositum ab Alexandro VII. damnatur. *d.* 7. *n.* 32. p. 71. & *d.* 23. *n.* 126. p. 404.

Ad indulgentiæ validam concessionem causa pia, & honesta requiritur. *d.* 7. à 35. pag. 71. Et causa æqualis, & proportionata. *ibid. n.* 38. pag. 71. Inter indulgentias plenarias, non datur discrimen. *ibid. n.* 39. p. 71. Si omnia opera ad indulgentiam requisita, in mortali peccato impleantur, effectus indulgentiæ postea non reviviscit. *d.* 7. *n.* 43. p. 72.

Indulgentiæ plenariæ, & Jubilei tempore, leviores sunt imponendæ pœnitentiæ satisfactoriæ. *d.* 7. *n.* 47. p. 72. & 59. p. 72. Nec pœnitens eo tempore ab implenda pœnitentiâ liber manet, maximè si sit medicinalis. *d.* 7. à *n.* 54. p. 73. & *n.* 57. pag. 73.

Indulgentiæ fictæ, & omnino falsæ alicui non possunt. *d.* 7. *n.* 61. p. 74. Cessant per revocationem. *ibid. n.* 62. p. 74. Quando non permittuntur, nisi à S. Cong. sint recognitæ, illarum usus est invalidus. *ibid. n.* 63. p. 74. Quæ ut Apocryphæ, nullæ, aut revocatæ existant. *d.* 7. *n.* 64. pag. 74.

Indulgentiæ privata revocatio ab homine facta, non tenet, si illi, cui concessa fuit, non innotescat. *d.* 7. *n.* 69. p. 76. Facta per legem tenet, ubi primùm notitia pervenerit, vel commodè pervenire poterit ad illos, quibus concessa fuit. *d.* 7. à *n.* 70. p. 76. Indulgentiæ Regularibus concessæ ante Breve Pauli V. & imaginibus, Granis &c. ante decretum Clementis VIII. sunt revocatæ. *d.* 7. *n.* 73. p. 76.

Indulgentia ut lucretur, aut jubileus, non sufficit opinio probabilis; si coram Deo, ea non detur indulgentia, aut jubileus. *d.* 7. à *n.* 74. p. 76.

Indulgentia quæ repetitis operibus eâdem die potest pluries lucrari. *d.* 10. *n.* 36. p. 106. Concessa in aliquibus festivitatibus, à primis vesperis potest Ecclesia visitari. *d.* 10. *n.* 97. p. 113. Indulgentia per modum suffragii quid sit. *d.* 10. *n.* 141. p. 119. & *d.* 26. *sect.* 27. per totam p. 505.

Indulgentiæ Ecclesiis Regularium plures sunt concessæ. *d.* 23. *n.* 127. p. 418. Quæ Regularibus promiscuè, & secularibus, aut Ecclesiis Regularium, à Paulo V. non sunt revocatæ. *d* 23. *n.* 128. p. 418. In indulgentiarum materiâ, parvus defectus pro nihilo reputatur. *d.* 26. *n.* 171. p. 506.

Vide *Jubileus.*

Indulgentiæ Cruciatæ.

Indulgentia plenaria semel in vita, eodem durante anno, in Bulla conceditur; & si post sex menses accipiatur Chirographus, alia indulgentia plenaria conceditur. *d.* 7. à *n.* 87. p. 78. Quando utraque lucrari potest? *d.* 7. à *n.* 90. p. 78. Ad utramque, confessio, & communio requiritur. *d.* 7. à *n.* 98. p. 79. Ad peccata oblita, etiam extenduntur. *d.* 7. *n.* 113. p. 82. Illas possunt consequi, qui confiteri, & communicare nequeunt. *d.* 7. à *n.* 156. p. 87.

Ad Bullæ indulgentias lucrandas, Sacræ communioni non licet accedere, non præmissa mortalis peccati confessione, etiam si confessarii copia non detur. *d.* 7. *n.* 165. p. 88. Quam intentionem requirant? *d.* 7. à *n.* 166. p. 88. Ad Bullæ indulgentias intentio formalis requiritur. *ibid. n.* 179. p. 89. Opera ex præcepto debita præstari possunt, pro qualibet lucranda indulgentia, si in concessione contrarium non exprimatur. *ibid.*

Indulgentiæ Bullæ ut obtineantur, confessarii applicatio non est necessaria. Modus præfigitur, quo impenduntur. *d.* 7. à *n.* 173. p. 89. Secus dicendum juxta Bullam Hispanam. *disp.* 7. à *n.* 171. pag. 89.

Vide *Jubileus sex mensium.*

Indulgentiæ stationum.

Cur ita appellentur? *d.* 10. *n.* 3. p. 102. Quando initium habuerunt. *ibi. n.* 4 p. 102. Ad aliquas Ecclesias Romæ fiunt stationes. *ibi. n.* 9. p. 103. Diebus stationum per Bullam, visitantibus quinque Ecclesias, vel altaria, indulgentiæ conceduntur, quæ, si Ecclesias Almæ Urbis visitassent, consequerentur. *d.* 10. *n.* 7. p. 103.

Indulgentiæ stationum sunt plenariæ. *d.* 10. à *n.* 13. p. 103. Rejicitur opposita sententia. *ibi.* à *n.* 19. p. 104. Non possunt pluries, repetitis visitationibus, eâdem die lucrari. Refutatur contraria opinio. *d.* 10. à *n.* 28. p. 105. Nec ab eo, qui duplicem habet Bullam Hispanam. *ibid. n.* 31. p. 107. Possunt tamen semel, atque iterum eâdem die lucrari ab habente Bullam, aliud indultum, in quo eædem indulgentiæ conceduntur. *d.* 10. à *n.* 34 p. 106.

Indulgentia stationum quotidie obtineri nequit. *d.* 10. *n.* 41. pag. 107. Dies designantur, in quibus obtineri potest. *d.* 10. *n.* 43 p. 107. Catalogi Indulgentiarum Lusitani, & Hispani corrigi debent. *ibid. n.* 44. p 107. Rejiciuntur diversæ sententiæ P. Mend. & Quintanad. *d.* 10. à *n.* 50. p. 108.

Indulgentiæ stationum Regularibus utriusque sexus conceduntur. Explicatur hoc privilegium. *d.* 10. à *n.* 53. p. 108.

Vide *Regulares.*

Nomine *Ecclesiæ*, quæ veniant. *disp.* 10. *n.* 60. p. 109. Si in aliquo oppido non dentur quinque Ecclesiæ, aut altaria, & detur Oratorium in Residentia domus Religiosæ, potest cum fructu, quinquies visitari. *ibid. n.* 65. p. 109.

Nomine *altaris* quid veniat? *d.* 10. à *n.* 71. p. 110. Ad has indulgentias, quæ intentio requiratur? *disp.* 10. à *num.* 81. pag. 111. Non requiritur confessio, nec communio; requiritur status gratiæ, saltem in ultima visitatione. *ibid. n.* 83. p. 111. Sufficit oratio mentalis, & tutius est requiri vocalem. *ibid.* à *n* 84. p. 111. Non sufficit brevis oratio; tutius est notabilem fundere; ad minus quinque Pater, & quinque Ave recitare. *d.* 10. à *n.* 90. p. 112. Non sufficiunt preces alias debitæ ex voto, vel pœnitentia. *disp.* 10. *n.* 92. pag. 112.

Ecclesiæ, & altaria intra eundem naturalem stationis diem sunt visitanda. *disp.* 10. à *n.* 94. p. 113. Visitationes interrumpi possunt. *ibid.* à *n.* 98. p. 113. non tamen per dies. *d.* 10. *n.* 100. p. 113.

Visitationes quando devotè fiant. *disp.* 10. *n.* 101. pag. 113. Non sufficit sola verborum prolatio. *ibid. n.* 104. p. 114. Sufficit corporis compositio, quæ moralem præsentiam manifestet. *ibid. n.* 105. pag. 114. Quando ob populi multitudinem, Ecclesia non potest ingredi; ab ostio possunt quinque altaria visitari, si in prospectu sint. *d.* 10 *n.* 106. p. 114.

Ad visitationes altarium non sufficit scire, ubi sunt, si in prospectu non sint; nec conspicere ingressum Capellæ, in qua est altare. Refutantur asserti. Quintanad. & P. Avendan. *d.* 10. à *n.* 109. pag. 114.

Qui aliquo detinetur impedimento, potest unum altare, cujus copiam habet quinquies visitare. *d.* 10. à *n.* 112. p. 115. Quando ex eodem loco quinque visitantur altaria, vel unum quinquies visitatur, securius, & probabilius est, aliquo corporis motu, visitationes distinguere. *d.* 10. à *n.* 116. p. 115. Visitationes per alium exhiberi nequeunt. *ibid. n.* 118. p. 116.

Sufficit visitare quinque altaria in oppido, ubi sunt quinque Ecclesiæ. *d.* 10. *n.* 119. p. 116. Si unum tantùm sit altare, sufficit illud quinquies visitare. *ibid. n.* 120. p. 116. Si sint duo, tria, vel quatuor, sufficit illa visitare, & per eadem altaria repetere visitationes, quæ deficiunt, & sufficit etiam unum ex illis duobus, tribus, aut quatuor quinquies visitare. *d.* 10. à *n.* 120. p. 116.

Si in oppido, quinque dentur Ecclesiæ, quarum una quinque altaria habeat, & aliarum quælibet unum tantùm altare, non sufficit unum quinquies visitare. *d.* 10. à *n.* 825. p. 116.

Indulgentiæ stationum possunt pro defunctis applicari. *d.* 10. à *n.* 128. p. 117. Diebus, quibus in Catalogo dicitur, animam à pœnis Purgatorii liberari, non potest duplex lucrari indulgentia, pro visitante scilicet, & pro defuncto, sed tantùm pro alterutro. *d.* 10. à *n.* 133. p. 118. & à *n.* 136. pag. 118. Una stationis indulgentia pro duobus defunctis applicari nequit. *d.* 10. *n.* 135. pag. 118.

Indulgentiam stationis pro defuncto applicans statum gratiæ non requirit; securius est in eo statu esse. *d.* 10. *n.* 140. p. 118.

Indulgentiis stationum Regulares, Confraternitates, & omnes alii gaudentes aliquibus stationum diebus, animam à Purgatorio liberare possunt; dies designantur. *d.* 10. à *n.* 57. p. 109.

Vide *Regulares.*

Indulgentia pro mortis articulo.

Indulgentia Bullæ pro mortis articulo, quibus concedatur verbis *disp* 8. à *n.* 1. p. 89. Indulgentia hæc, certò conceditur. *d.* 8. à *n.* 10. p. 90. Rejicitur ut falsa, & singularis opinio P. Fragos. *ibid.* à *n.* 8. p. 90. Circa indulgentiæ applicationem pro tempore mortis, varia Expositorum Bullæ Hispanæ placita adducuntur. *d.* 8. à *n.* 12. pag. 91.

Indulgentiæ pro mortis articulo plures sunt concessæ. *d.* 8. *n.* 18. pag. 92. Quando in concessione non præscribitur applicatio, seu ministerium confessarii, pro vero articulo, intelligitur concessa. *ibid. n.* 19. p. 92. Probabile est etiam pro præsumpto concedi. *d.* 8. *n.* 21. p. 92. Quando ministerium confessarii non præscribitur, mortis articulus sumitur pro vero, & præsumpto. *ibid. n.* 22. p. 92. Hoc tamen in effectu non est certum. *d.* 8. *n.* 23. p. 92. Probabilius est juxta Bullam Lusitanam, & Hispanam, pro vero articulo sumi. *d.* 8. à *n.* 24. p. 92. Probabile est, indulgentiam, pro mortis articulo, esse etiam concessam pro præsumpto. *d.* 8. à *n.* 26. usque ad 34. p. 93.

Articulus, & periculum mortis, quoad indulgentias, pro eodem usurpantur. *d.* 8. *n.* 39. p. 94.

Indulgentia plenaria illis conceditur, qui repentinâ morte decedunt, aut sine confessore, si contriti decedant, & statuto tempore sint confessi, & hujus concessionis fiduciâ, negligentiores non fuerint. *d.* 8. *n.* 40. p. 95. Tria, ad hanc indulgentiam lucrandam, requiruntur. *ibi.* à *n.* 41. p. 95. Confessarius, qui ad moribundum sensibus destitutum, habentem Bullam, accedit, indulgentiam illi impendere debet. *d.* 8. à *n.* 43. p. 95. Quando in morte repentina, cum confidentiâ, hujus concessionis indulgentia acquiratur. *ibi. n.* 48. p. 96.

Indulgentiæ pro mortis articulo Regularibus concessæ, à Paulo V. non fuerunt revocatæ. *d.* 23. *n.* 125. p. 418.

Indulgentia pro defunctis.

Indulgentia defuncto prodest, si illius sit capax. *d.* 26. à *n.* 319. p. 520. Indulgentias pro defunctis, nullus, præter S. Pontificem, potest concedere. *ibid.* à *n.* 321. p. 321.

Indulgentia duplici modo conceditur. *d.* 26. *n.* 324. p. 321. Indulgentias defunctis S. Pontifice per modum absolutionis concedere nequit. *ibid. n.* 325. p. 321. Illas concedit per modum solutionis, seu suffragii. *ibid. n.* 327. p. 321. Quid sit indulgentiam per modum suffragii concedere. *d.* 26. à *n.* 324. 321.

Indulgentiæ applicatio pro defunctis, infallibiliter effectum sortitur. *d.* 28. à *n.* 333. p. 333. Indulgentias prudenter repetunt fideles, & plura sacrificia in altari privilegiato pro eodem defuncto. *d.* 26. *n.* 335. p. 522.

Indulgentiæ pro defunctis applicari nequeunt, nisi in concessione id specialiter exprimatur. *d.* 26. à *n.* 337. p. 523. Indulgentia Ecclesiis Societatis JESU pro Dominica communionis generalis cujuslibet mensis, concessa; pro defuncto applicari potest. *ibid. n.* 342. p. 523. Quando conceduntur omnes indulgentiæ septem Ecclesiis Romæ concessæ; etiam indulgentiæ ibi defunctis concessæ, ipsis conceduntur. *d.* 26. *n.* 343. p. 523.

Indulgentiam suam pro aliquo defuncto applicare, est actus licitus. *d.* 26. à *n.* 345. p. 523. At pro defuncto applicari nequit. *ibid.* à *n.* 347. p. 524. Meritum suarum actionum alicui defuncto, vel alii applicari non potest. *ibid. n.* 350. p. 524.

In lucrante indulgentiam pro defuncto, probabiliter status gratiæ requiritur. *d.* 26. à *n.* 353. p. 524. Probabilius non requiritur. *ibi.* à *n.* 356. p. 525.

In-

Indulgentiam ut defunctus consequatur, requiritur executio à Pontifice designata, & intentio, illam lucrandi, pro tali, aut tali defuncto. *disp.* 26. *num.* 359. pag. 525. Quando in formulâ indulgentiæ dicitur, quod opus injunctum pro defuncto offeratur, pro illo offerendum est. *ibid. num.* 360. pag. 525. Si in illa id non notetur, opus injunctum pro se ipso, vel pro alio offerri potest. *ibid.*

Indulgentiæ applicatio pro defuncto opus à Pontifice requisitum, præcedere debet. *d.* 26. *n.* 361. p. 525. An Pontifex possit vacuare Purgatorium, concedendo omnibus & singulis indulgentiam remissivè. *ibid. n.* 362. p. 525.

Vide *Bulla defunctorum.*

Indulgentiæ, quoad suspensionem per Bullam.

Indulgentiæ partiales, ut quinque, septem, &c. per Bullam non suspenduntur. *disp.* 23. *n.* 80. p. 411. Secus per Bullam Hispanam. *ibid.* & *n.* 79 p. 411.

Indulgentiæ concessæ habentibus Rosario numismata, grana benedicta &c. per Bullam non suspenduntur. *d.* 23. à *n.* 85. p. 412. Adducitur super his indulgentiis decretum Alexandri VII. *ibid.* à *n.* 90. p. 413. Et Pontifices postea illi adhærentes. *ibid. num.* 93. p. 413. Indulgentiæ Rosariis, numismatibus, &c. concessæ ante decretum Clementis VIII. nullius sunt roboris. *d.* 23. *n.* 94. p. 413.

Indulgentiæ, in suspensione per Bullam, veniunt nomine *Facultatum*, quæ quoad Regulares, non suspenduntur. *d.* 23. *n.* 140. p. 420. & 142. p. 420.

Indulgentiæ, & Jubilei Regularium Ecclesiis concessi quoad sæculares suspenduntur. *disp.* 23. *num.* 152. p. 419.

Indulgentiæ aliæ, durante anno Bullæ, prædicari, & publicari prohibentur. *d.* 23. *n.* 184. p. 412. Indulgentias pro suis subditis Prælati Regulares possunt publicare. *ibid. n.* 185. p. 412.

Vide *Jubilæus*, *Regulares.*

Infans.

Infantibus, & amentibus prodest Bulla, ut tempore interdicti in loco sacro sepeliantur, si ab aliquo pro illis Bulla sumatur. *disp.* 2. à *num.* 17. pag. 23.

Infirmus.

Infirmus, seu membris captus, si extra tempus Paschale careat Sacerdote, à quo Sacram recipiat Eucharistiam, confessionem potest præmittere & sine communione, indulgentias Bullæ obtinere. *d.* 7. *n.* 159. p. 87.

Infirmo, ut Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis administrentur, sufficit quòd habeat voluntatem virtualem. *disp.* 8. *n.* 43. post medium p. 33.

Infirmo, cui datur Sacramentum S. Unctionis, qui ob repentinum eventum non potuit confiteri, absolutio à censuris ad cautelam, præmittenda est. *d.* 17. *n.* 107. p. 242.

Infirmi duas, vel unam tantùm fistulam purgativam habentes, in Quadragesimâ ova, & lacticinia sine Bulla possunt comedere. *d.* 22. *n.* 153. p. 401.

Interdictum.

Quid sit, quid prohibeat, & quæ ab ipso jure in eo sint prohibita. *d.* 11. à *n.* 5. p. 119. Ejus divisio. *ibid.* à *n.* 10. p. 120. Et quæ veniant *nomine divinorum officiorum*, *ibid. n.* 5. remissivè & *d.* 23. *n.* 31. p. 406. & 37. p. 407.

Interdicti tempore, & extra illud in Bullâ sex conceduntur favores cum aliquibus conditionibus. *d.* 11. à *n.* 13. p. 120. His favoribus non solùm in privato oratorio; sed in aliis locis possunt uti Bullam habentes. *ibid.* à *n.* 16. p. 121. Explicatur discrimen non vulgare inter Bullam Lusitanam & Hispanam. *ibid. n.* 17. p. 121.

Interdicti tempore privilegia concessa, etiam extra illud vigent. *d.* 11. à *n.* 25. p. 122. Et plures missæ in oratorio privato celebrari possunt. *ibid.*

Interdicti tempore, ut quis utatur dictis privilegiis, quænam eleemosyna pecuniaria pro qualibet vice sit eroganda? *d.* 11. à 33. p. 123. Eleemosyna est de substantia horum privilegiorum. *ibid.* à *n.* 41. p. 124. Non est in præcepto, sed conditio sine qua non acquiruntur privilegia. *disp.* 11. *n.* 48. p. 125. Rejicitur P. Mascarenâs docens eleemosynam esse sub præcepto, & esse peccatum veniale illius omissionem. *ibid.* à *n.* 48. p. 125.

Pro omnibus hujus clausulæ privilegiis, sufficit in capsulas congruentem, & determinatam projicere eleemosynam. *d.* 11. à *n.* 57. p. 127. Adducitur discrimen Bullæ Hispanæ. *ibid.* Et ostenditur ad quæ privilegia hujus clausula sit necessaria Commissarii licentia. *ibid.* à *n.* 60. p 127.

In oratorio privato, ac locis interdicto suppositis, præsente Bullam habente, illius familiares, domestici, & consanguinei divinis possunt assistere. *d.* 11. à *n.* 70. p. 128.

Vide *Familiares*, *Domestici*, *Consanguinei.*

Interdicti tempore, potest Sacerdos habens Bullam, aut privilegium Oratorii privati, in oratorio privato, & Ecclesiis eligere ministrum laicum, qui non sit familiaris, domesticus, aut consanguineus. *disp.* 11. *num.* 86. pag. 130. & *num.* 88. p. 130.

Interdicti tempore, Bullam habentes, missam tenentur audire. *disp.* 11. à *n.* 110. p. 133. Sententia opposita est probabilis. *ibid.* à *num.* 104. p. 132.

Interdicti tempore, per Bullam, in oratoriis privatis, & Ecclesiis, possunt recipi Sacramenta, quæ tempore interdicti prohibentur. *disp.* 11. à *num.* 122. p. 134. Communio tamen Paschalis, & in periculo mortis, nec non Extrema Unctio, non nisi à proprio parocho, & ordines à proprio Episcopo, sunt recipienda. *disp.* 11. *num.* 124. p. 134. Interdictum in quibus festivitatibus per jus commune suspendatur. *ibid. n.* 126. p. 135.

Pro tempore interdicti, privilegium sepulturæ, virtute Bullæ, est diversum à privilegio assistendi divinis officiis. *d.* 11. *n.* 156. p. 140.

Interdicti loci specialis, aut generalis tempore, habentes Bullam, possunt assistere divinis, recipere Sacramenta, & sepeliri in loco Sacro. *d.* 11. *n.* 170. pag. 142. Non tamen habentes Bullam Hispanam. *ibid.* à *n.* 168. pag. 142. Interdicti generalis personalis, seu specialis personalis tempore, Bulla non prodest. *d.* 11. *n.* 171. p. 142. Interdictum nullum in jure S. Pontifici reperitur reservatum. *d.* 15. *n.* 77. p. 195.

Interdictum personale, quod per se & directè in aliquam singularem fertur personam, virtute Bullæ, satisfactâ parte, potest absolvi. *disp.* 17. *n.* 197. p. 253. Non tamen generale personale. *ibid.* 198. pag. 253. Nec locale, sive sit speciale, sive generale. *disp.* 17. à *num.* 201. pag. 254.

Vide *Sepultura*, *Commissarius.*

Interdictum Ingreſſus Eccleſiæ.

Interdictum ingreſſus Eccleſiæ quid ſit, & quid per illud prohibeatur? *d.* 23. *n.* 252. p. 433.

Interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, virtute Bullæ, loco Sacro non poteſt ſepeliri. *d.* 11. à *n.* 171. pag. 143. Non poteſt diſtributiones, quæ intereſſentibus conferuntur, percipere. *d.* 25. *n.* 256. poſt medium p. 468.

Vide *Prælati majores.*

Interpretatio.

Quid ſit, & quotuplex? *diſp.* 1. *num.* 82. p. 14. Solus S. Pontifex, jure ordinario, Bullam interpretari poteſt. *ibid. n.* 82. p. 14. Doctrinaliter, poſſunt viri Docti. *ibid. n.* 92. p. 17. Aliquæ dantur interpretationes prohibitæ. *ibid.* à *n.* 96. p. 17.

Vide *Bulla, Commiſſarius.*

Invaſio indorum ſeu in viis publicis.

Reſervatur in diœceſibus Braſilienſibus, & explicatur. *d.* 18. *n.* 507. p. 314.

Invadere in viis publicis, iter facientes, in diœceſi Angolanâ reſervatur, & explicatur. *diſp.* 18. à *n.* 521. p. 315. Non gaudent immunitate. *ibid.* 521. p. 315. Si furtum fuit attentatum, & non conſummatum, reſervatum non incurritur. *ibid. n.* 523. p. 515.

Inventum.

Inventi retentio cujus dominus ignoratur, in diœceſi Ulyſſiponenſi; & in aliquibus reſervatur, ſed non ſub eâdem ſumma, exponitur. *d.* 18. à *n.* 276. p. 288. Inventa ſunt in quadruplici differentia. *ibid. n.* 277. pag. 288. De ſola quarta reſervatio procedit. *ibid.* à *n.* 279. p. 289.

Inventi peccatum in retentione commiſſum Epiſcopus ſibi poteſt reſervare. *d.* 18. à *n.* 280. pag. 289. Non verò illius diſpenſationem, & diſtributionem quoad confeſſarios exemptos. *ibid.* à *n.* 286. p. 290.

Inventa, domino non comparente, probabilius ſunt pauperibus, & locis piis eroganda. Probabile eſt oppoſitum. *d.* 18. *n.* 294. p. 291. Inventor tamen contra dominum comparentem non poteſt præſcribere. *ibid. n.* 293. p. 291.

Inventa, non comparente domino, per Bullam componi poſſunt. *d.* 25. *n.* 72. p. 448.

Vide *Bona naufragantium.*

Invitus.

Virtute Bullæ; à cenſuris nequit abſolvi. *diſp.* 17. *num.* 94. pag. 240. Poteſt per Prælatum, aut judicem, qui illas tulit. *ibid. num.* 93. pag. 240. Et per confeſſarium privilegium habentem, dummodo non ſit dependens à confeſſione, & parti ſit ſatisfactum. *d.* 17. *n.* 97. p. 242.

Irregularitas.

Quid ſit, & quomodo dividatur. *diſp.* 17. *n.* 208. p. 255. & *d.* 23. *n.* 30. p. 405.

Irregularitas ob indecentiam per Bullam tolli nequit. *d.* 17. *n.* 209. p. 255. Nec quæ ſimul eſt pœna, & indecentia. *ibid. n.* 210. p. 255. Nec quæ eſt pura pœna peccati. *ibid.* à *num.* 214. pag. 256.

Hæc regula continuatur cum præcedente rationibus P. Moyæ oſtenditur, eſſe improbabilem oppoſitam ſententiam. *diſp.* 17. à *num.* 217. pag. 256.

Irregularitas ex defectu lenitatis contrahitur abſque culpa occiſoris, ab ignorante, & à ſolis juſtitiæ miniſtris. *d.* 17. à *n.* 218. p. 256.

Irregularitas ex indecentia, ſeu ex defectu ſignificationis, ſeu lenitatis non tollitur per Baptiſmum *d.* 17. *n.* 221. p. 256.

Peccatum Sacerdotis, cui annexa eſt irregularitas, in diœceſibus Braſilienſibus reſervatur; & oſtenditur quibus peccatis ſit annexa. *d.* 18. à *n.* 499. p. 313.

Irregularitatem incurrit non ſolus, qui cenſurâ ligatus miſſam celebrat, ſed qui eâ ligatus ſolemniter, & ex officio exercet actum proprium ordinis majoris, quem habet. *d.* 23. *n.* 31. p. 405. Referuntur caſus, in quibus cenſuratus irregularitatem incurrit, & non incurrit. *ibid.* à *num.* 32. p. 405.

Irregularis ex celebratione miſſæ; aut prædictorum exercitio cum cenſurâ, validè beneficium, vel penſionem Eccleſiaſticam obtinere nequit; at oppoſitum eſt probabile. *diſp.* 23. *num.* 34. pag. 405.

Vide *Commiſſarius, Beneficiatus.*

Itinerantes.

Etiamſi divites ſint, in Quadrageſimâ ſine Bullâ, ova, & Lactîcinia comedere poſſunt, ſi piſces, quos emant, non inveniant. *diſp.* 22. *num.* 152. pag. 401.

Jubileus.

Jubileus Anni S. quando initium habuit incipiebat, & nunc incipit. *diſp.* 1. à *n.* 104. pag. 16. Quas gratias ſuſpendat. *ibid. num.* 160. pag. 16. Suſpendit indulgentias plenarias, & non partiales. *diſp.* 1. *num.* 117. pag. 18. Non ſuſpendit Cruciatam. *diſp* 1. à *num.* 107. pag. 16. Nec indulgentiam plenariam conceſſam pro ſecundo die Auguſti, Eccleſiæ S. Mariæ Angelorum, extra muros civitatis Aſſiſienſis Ordinis fratrum Minorum de Obſervantia. *diſp.* 1. *num.* 119. pag. 19. Nec indulgentias Domui Lauretanæ conceſſas. *ibid. num.* 120. pag. 19. Suſpendit facultates abſolvendi à reſervatis Pontifici, quibuſcunque ſint conceſſæ. *diſp.* 1. *num.* 121. pag. 19. Rejiciuntur explicationes, & rationes oppoſitæ. *ibid.* à *num.* 123. p. 19.

Jubilei, & indulgentiæ plenariæ tempore, leviores ſunt imponendæ pœnitentiæ. *d.* 7. *n.* 47. p. 72. Et ſemper aliqua eſt imponenda. *ibid. num.* 56. p. 73. & *n.* 95. p. 74.

Quando in aliquo jubileo, conceditur indulgentia viſitantibus Eccleſias Regularium, non illum lucrantur, viſitantes Oratorium, aut capellam Conventus. *d.* 10. *n.* 69. p. 110. Oppoſitum aliqui probabiliter docent. *ibid.*

Jubileus duplicis hebdomadæ per Cruciatam non ſuſpenditur. *diſp.* 23. *num.* 81. pag. 411. Nec jubilei à Pio IV. diœceſi Ulyſſiponenſi conceſſi, pro feſtivitatibus Natalitii Domini, Spiritus S. Aſſumptionis B. Virginis, & Omnium Sanctorum; nec non pro eorum octavis. *diſp.* 23. *num.* 99. pag. 414. Quæ in his quatuor jubileis concedantur? *diſp.* 23. *num.* 95. pag. 413.

Jubileum duplicis hebdomadæ, in prima hebdomada lucrans, illum ſecunda pro defuncto lucrari nequit, etiam datâ opinione, quòd in ſecunda lucrari poſſit. *d.* 26. *n.* 341. p. 523.

Vide *Indulgentia.*

Jubileus ſex menſium.

Jubilei iſtius eleemoſyna eſt dimidium argentei. *d.* 5. *num.* 107. pag. 57. Ut acquietur, Bullæ vivorum ſummarium recipi debet. *ibid. num.* 108. pag. 57. Et chirographus. *ibid. num.* 109. pag. 57.

Jubileus hic poſt ſextum menſem à publicatione Bullæ,

Bullæ, est luerandus. *disp.* 7. à *num.* 90. pag. 78. Per illum, non conceditur, ut quis iterum à reservatis Pontifici absolvatur. *d.* 4. *n.* 51. p. 44. & *d.* 7. *n.* 94. in fine p. 79.

Vide *Indulgentiæ Cruciatæ. Chirographus.*

Judex, Judicium.

Quando lis est dubia, & neuter ex litigantibus possidet, si res est dividua, inter partes est dividenda; si individua, cui ea non traditur, est satisfaciendum. *d.* 7. *n.* 47. p. 72. Judex criminaliter judicans, & partium jura sunt obscura, probabile est posse reum liberare, & probabile oppositum. *d.* 7. *n.* 46. p. 72.

Judicem non impedientem, cùm possit, actiones prohibitas in 12. Bullæ Cœnæ canone, probabilius est, excommunicationem ibi latam, non incurrere. *disp.* 16. à *num.* 13. pag. 223. Si tamen non impediat, cùm possit, ne clericus recurrens ad curiam, interficiatur, aut percutiatur, excommunicationem latam *in cap. si quis suadente*, incurrit; & irregularitatem, si interficiatur, aut mors sequatur. *disp.* 16. *num.* 139. p. 223.

Judici, aut Magistratui, litteras Apostolicas examinare, non est licitum; nec de earum valore judicare, aut eas detinere. *disp.* 16. *num.* 153. pag. 225.

Judex quando teneatur acceptare probationem absoluti à censuris, virtute Bullæ, & illum liberum dimittere? *disp.* 17. à *num.* 58. p. 236. & *n.* 70. p. 237.

Judices delegati, ad cognoscendas causas extra Curiam, censuratos ad cautelam possunt absolvere. *disp.* 17. *num.* 108. pag. 242. & *num.* 117. pag. 243.

Judicium quale dicatur legitimum? *disp.* 18. à *n.* 209. p. 281.

Judex aliqua accipiens ob administrationem justitiæ in causis spiritualibus, simoniam incurrit, & accepta juxta communem sententiam, danti sunt restituenda. *d.* 25. à *n.* 316. p. 474.

Judex quando opiniones sunt æquè probabiles pro jure utriusque litigantis, non potest pecuniam accipere pro ferendâ sententiâ in favorem unius, præ alio. *d.* 25. *n.* 321. p. 475. Et oppositum ab Alexandro VII. damnatur. *ibid.* Danti pecunia est restituenda. *disp.* 25. *num.* 322. pag. 475.

Judex quando opiniones sunt æquè probabiles circa jus, & factum, hereditas, seu res, inter partes est dividenda. *disp.* 25. *n.* 323. pag. 475. Si verò opinio probabilior ex parte juris faveat uni, & probabilior ex parte facti, alteri faveat, etiam est dividenda. *ibid. n.* 322. p. 475.

Judex semper tenetur judicare juxta sententiam probabiliorem, & oppositum ab Innocentio XI. damnatur. *d.* 25. à *n.* 325. p. 475.

Vide *Bulla Compositionis.*

Juramentum.

Ad juramentum verum non sufficit probabilitas, sed certitudo moralis requiritur. *disp.* 6. *num.* 22. pag. 47. Juramenta inadvertenter prolata, ex prava consuetudine jurandi, non sunt peccata mortalia. *d.* 18. *n.* 34. in fine p. 261.

Juramentum falsum in judicio, reservatur in diœcesi Ulyssiponensi, & in aliis: in aliis verò *Testimonium falsum*, explicatur. Juramentum falsum hic. Testimonium falsum, vide *Testimonium falsum. disp.* 18. à *n.* 207. p. 281. Quæ requirat, ut sit reservatum. *ibid. n.* 207. Putans jurare verum, jurat tamen falsum, reservatum non committit. *d.* 18. *n.* 213. p. 281. Et etiam probabilius, si juret verum, existimans jurare falsum. *ibid. n.* 214. p. 281.

Interrogatus à judice competente circa materiam levem, si juret falsò, peccat mortaliter, & reservatum committit. *disp.* 18. *num.* 215. pag. 281. Adducitur propositio ab Innocentio XI. damnata. *ibid.*

Jurans falsò in judicio sine animo jurandi, habet reservatum. *disp.* 18. *num.* 216. pag. 281. Jurans falsò in contractibus sine animo jurandi, peccat mortaliter. *ibid.* Jurare verum, sine animo jurandi, est illicitum etiam cum causâ, sive res sit levis, sive gravis. *d.* 18. à *n.* 218. p. 282. Affertur propositio ab Innocentio XI. damnata. *ibid. n.* 220. p. 282.

Non est probabilis sententia docens, non mentiri, nec esse periurum, qui cum causa, vel sine illa, jurat aliquid quod fecit, utendo intra se aliquâ restrictione, æquivocatione, aut amphibologiâ; Exponuntur propositiones duæ ab Innocentio XI. damnatæ *disp.* 18. à *num.* 227. pag. 282.

Perjurus est, & reservatum commisit, qui in judicio legitimo ex justa causa, cum restrictione purè mentali mentitus fuit. *d.* 18. *n.* 238. pag. 284. Reus interrogatus à judice de crimine omnino occulto, quod verè fecit respondet, se illud non commisisse, non habet reservatum. *ibid. num.* 239. pag. 284. Idem, si ob circumstantiam ab omni culpa sit immunis. *ibid.* Interrogatus de aliquo, quod sub secreto scit, vel non licèt manifestare, potest ad mentem interrogantis respondere, sine mendacio, se illud nescire. *d.* 18. *n.* 240. pag. 284.

Perjurus est, & habet reservatum, qui ne propalaret suum crimen occultum, faciendo se promovere ad Magistratum, vel officium publicum, mediante commendatione, vel munere, juramentum præstitit coram Regis ministris, se iis mediis non fuisse promotum. *disp.* 18. à *num.* 241. pag. 284. Adducitur propositio ab Innocencentio XI. damnata. *ibid. num.* 242. pag. 284.

Juramenti præstiti ratione, Scholastici in diœcesibus Conimbricensi, & Eborensi reservatum non incurrunt, si cum suo Rectore in visitatione alicujus Ecclesiæ, sacro, & concioni non assistant. *d.* 18. *n.* 379. p. 299.

Juramenta observandi castitatem; ingrediendi Religionem, & peregrinationis Jerosolymitanæ, virtute Bullæ, commutari nequeunt. *d.* 21. *n.* 265. p. 376. Juramentum Deo factum, prout præscindit à promissorio, sive sit circa materiam trium votorum, sive alias, virtute Bullæ, non potest commutari. *ibid. n.* 267. pag. 376.

Ad juramentum in judicio, aut contractibus non sufficit certitudo moralis, ex auditu viri gravissimi orta. *d.* 25. *n.* 332. p. 476.

Vide *Testis. Testimonium falsum. Votum.*

Jurisdictio.

Jurisdictio certa, & indubitabilis mortaliter, ad Sacramentum pœnitentiæ requiritur. *d.* 6. *n.* 11. p. 60. Suppletur; interveniente errore communi, & titulo colorato. *disp.* 7. *n.* 78. p. 77. Ex opinione probabili, ad absolvendum à reservatis, est certa. *d.* 7. *n.* 81. p. 78.

Jurisdictio quid sit? *d.* 14. à *n.* 8. pag. 159. Dividitur in ordinariam, & delegatam. *d.* 14. *n.* 10. p. 160.

p. 160. Est actus gratiosus, & negari potest idoneo in examine reperto. *ibid. n.* 11. p. 160. Distinguitur ab approbatione. *ibid.*

Jurisdictio approbato per Bullam, aut Jubileum duplicis hebdomadæ, conceditur; necnon à parocho. *d.* 14. *n.* 12. p. 160.

Jurisdictio voluntaria delegata, in subditos delegantis in territorio alieno, exerceri non potest. *d.* 14. *n.* 61. p. 166.

Vide *Approbatio.*

L.

Lacticinia.

Lacticiniorum nomine, omnia ex lacte conflata veniunt. *disp.* 22. *n.* 128. p. 341.

Vide *Ova.*

Lardum.

In diebus vetitis nec virtute Bullæ edi potest. *d.* 22. *n.* 135. p. 342.

Legati Apostolici.

Et eorum Auditores nomine *Ordinarii* non veniunt, circa pœnas pecuniarias Bullæ applicandas. *disp.* 23. *n.* 5. p. 402. Etiam juxta Bullam Hispanam. *ibid. n.* 6. p. 402.

Legatum.

Quid sit? *d.* 25. *n.* 268. p. 470. Super quibus fiat compositio, eo quòd legatarii, in exactione per annum, fuerunt negligentes. *ibid.* à *n.* 271. p. 470. Super aliis legatis, quando legatarii ignorantur, etiam conceditur compositio. *ibid.* à *n.* 276. p. 470.

Vide *Bulla compositionis.*

Lex.

Ut vim obligandi habeat, in quibus locis publicari debeat. *d.* 4. *n.* 5. p. 38.

Lex tribuens facultatem actus faciendi, & simul modum præscribens, talis modus est inductus, ut forma substantialis. *d.* 11. *n.* 36. p. 124. Non autem, quando ea forma in jure communi inest accidentaliter. *ibid. n.* 38. p. 124. & *d.* 17. *n.* 11. p. 230.

Lex authenticè interpretatur ab eo qui illam condidit. *disp.* 1. *n.* 82. pag. 14. & *disp.* 22. *num.* 62. pag. 391.

Decretum, seu declaratio Alexandri VII. super indulgentiis explicatur. *disp.* 23. *num.* 90. pag. 413.

Licentia.

Licentia ab Episcopo concessa ad absolvenda sibi reservata, si simul cum licentia ad audiendas confessiones per annum concedatur, expirat, etiam si alia detur ad audiendas confessiones, per alterum annum. *d.* 19. à *n.* 33. p. 319.

Licentia absolvendi à reservatis Episcopo, decurso tempore habita ab eo, quo fuit obtenta, audiendi confessiones, probabilius est cessare, cessante licentia audiendi confessiones, & si hæc repetatur, etiam illa repeti debet. *disp.* 19. à *num.* 38. pag. 320.

Licentia obtenta ad absolvendum à reservatis Episcopo, si illam obtinens, illius oblitus, aliam obtineat limitatam, poterit, jam prioris memor, uti. *d.* 19 à *n.* 38. p. 320.

Licentia absolvendi à reservatis, per nuntium ad id destinatum, ab Episcopo obtenta, & confessario adhuc non manifestata, confessarius validè, & non licitè ab illis absolvet. *d.* 19. à *n.* 40. p. 320.

Licentiam ab Episcopo habens, absolvendi à sibi reservatis, eam, nec etiam ad certum casum, aut determinatam personam subdelegare potest. *d.* 19. à *n.* 51. p. 320.

Littera Apostolica. Vide *Princeps.*

Loca.

Loca, in quibus Bulla publicatur, recensentur. *disp.* 3. *num.* 4. pag. 29. In locis, quæ tempore Belli, erant sub dominio Regis Portugalliæ, Bulla poterat publicari. *ibid. n.* 5. p. 29.

Ad loca Portugalliæ si Hispani declinent, & Bullam accipiant, possunt in Hispania, & aliis in Regnis, illius frui privilegiis. *disp.* 3. *n.* 6. p. 29. Et post duplicem Bullæ Hispanæ acceptationem, possunt accipere Lusitanam, ut tertiò à reservatis Pontifici, non exceptis, absolvantur. Et idem potest Lusitanus, ad aliquem Hispaniæ locum declinans, & ibi duplicem Bullam accipere, & illarum uti privilegiis. *disp.* 3. *num.* 9. p. 29.

Extra Regnum commorans Lusitanus, non potest per alium accipere Bullam & illius frui privilegiis. *d.* 3. à *n.* 12. p. 30. Et si Bullam per alium accipiat, & declinet ad aliquem Portugalliæ locum, sine nova Bullæ acceptatione, illius non potest uti privilegiis. *d.* 3. à *n.* 16. p. 30. At datâ novâ acceptatione, potest. *ibid. n.* 18. pag 30. Rejicitur Fr Josep Mendes, requiri, quod dentio Bulla sumatur. *ibid.* à *n.* 21. p. 30.

Ad loca ubi Bulla publicatur, non sufficit declinatio civilis, ut Bulla cum fructu possit sumi. *disp.* 23. *n.* 27. p. 405.

Locus Sacer.

Quis dicatur? *d.* 8. *n.* 51. p. 96.

Ludus.

Ludens in quibus casibus ad restitutionem teneatur? aut Bullâ Compositionis uti possit? *d.* 25. à *n.* 400. p. 483.

Lusitania, Lusitanus.

Lusitania non semper venit nomine *Hispaniarum. d.* 4. *n.* 53. p. 44. & 56. in fine p. 44.

Lusitanus ad Castellam accedere potest, ut ibi intestina, seu minuta animalium comedat. *d.* 3. *n.* 80. p. 37.

Vide *Loca.*

M.

Mandans.

Mandantes exequi actiones prohibitas in 11. Bullæ Cœnæ canone, non sequuto effectu, canonis excommunicationem non incurrunt. *d.* 16. *n.* 113. p. 220.

Mandans homicidium hominis Christiani per assassinos, etiamsi effectus non sequatur, excommunicationem incurrit, non tamen irregularitatem. *d.* 16 *n.* 114. p. 220.

Mandantes, consulentes, auxiliantes in reservatione alicujus non comprehenduntur, nisi exprimantur. *d.* 18. *n.* 142. p. 274.

Maritus.

Quæ vota uxoris possit irritare? *disp.* 21. *num.* 28. p. 349.

Vide *Uxor.*

Mater.

Quæ vota filiorum possit irritare? *disp.* 21. *n.* 27. p. 349.

Matrimonium.

Matrimonium cum concubina potest contrahere, morti

mori proximus, ut filios legitimet, ne substitutus majoratum, aut hereditatem adeat. *d.* 3. *n.* 79. p. 37.

Matrimonium fictè contrahere ad vitandum aliquod grave damnum, licèt matrimonium sit irritum, peccatum mortale non committur. *d.* 7. *n.* 140. in medio. p. 85.

Si Parochus alicui sacerdoti det mandatum, ut assistat matrimonio alicujus, præmissis denuntiationibus, & mandatarius denuntiationes omittat, matrimonium est validum. *d.* 11. *n.* 39. p. 124. Idem, quando licentiam concessit, diligenti examine præmisso, an detur impedimentum, & examen omissum fuit. *ibid.*

Matrimonium clandestinum in diœcesi Ulyssiponensi, & in aliquibus reservatur; & exponitur. *d.* 18. à *n.* 295. p. 290. Dupliciter dicitur clandestinum. *ibid.* Illud contrahentes sine parocho, & testibus, probabile est non incurrere reservatum; & probabilius, illud incurrere *ibid.* à *n.* 296. p. 290. At si illud contrahant, non præmissis denuntiationibus, reservato innodantur. *ibid.* à *n.* 298. p. 291. Si una tantum denuntiatio omittatur, probabile est, non committi reservatum. *d.* 18. *n.* 301. p 291.

Matrimonio, non præmissis denuntiationibus, parochi, & testes assistentes, reservatum non habent, quando non exprimuntur. *d.* 18. *n.* 302. p. 291.

Matrimonium in diœcesi Ulyssiponense contrahentes, ipso facto excommunicationem, & alias pœnas incurrunt, si metu, dolo, aut fraude parochum vocent, & retineant, ut coram ipso, & testibus, matrimonium, non præmissis denuntiationibus, contrahant. *disp.* 18. *n.* 302. pag. 291.

Matrimonium domi, vel inter missarum solemnia contrahentes, præmissis denuntiationibus, non habitâ Prælati licentiâ, hoc reservatum non committunt. *d.* 18. *n.* 303. p. 291.

Matrimonio licitè non assistit sacerdos ex licentiâ, per nuntium ad id destinatum obtentâ, dum licentia ei non manifestatur. *disp.* 19. *num.* 41. p. 320.

Medicus. Vide *Carnium esus.*

Mendacium.

Quid sit? *d.* 18. *n.* 208. p 281. Quot modis fiat? *ibid.* Mendacium committit, qui petenti mutuò pecunias, aut librum commodatum, respondet: se illa non habere, mente intelligendo, ut tibi mutuum, aut commodem. *disp.* 18. *n.* 244. p. 245.

Mercatores, Mercatura.

Mercatura in Ecclesiis exercita, quando sit sacrilegium mortale. *d.* 18. à *n.* 167. p. 276.

Mercatores, ad restitutionem damni per dolum, aut fraudem illati, tenentur. *d.* 25. *n.* 336. pag. 476. Si damnificati, inveniri nequeant, per Bullam possunt componi. *ibid.*

Mercaturam exercentes, mercium defectum emptoribus tenentur manifestare, non solùm quando expresè, sed quando tacitè interrogantur. *d.* 25. *n.* 337. p. 476.

Mercatores, si conspirent in pretium, ut supra legitimum vendant, & emptores, ut infra infimum emant, ad restitutionem tenentur. *d.* 25. *n.* 338. p. 476.

Mercatores, si minis, metu, aut fraude, aliques cogant, ne emant vectigalia & alia, quæ sub hasta venduntur, ut ipsi infimo pretio emant, ad restitutionem tenentur. *d.* 25. *n.* 339 p. 477.

Quando hæc detur coactio? *ibid.* Quando pretium est taxatum, taxâ standum est; si non detur, pretium servatur juxta tres gradus. *ibid. n.* 340. p. 477.

Mercatoribus non est licitus contractus, qui Lusitanè dicitur *traspasso. disp.* 25. *n.* 341. p. 477. Quomodo celebretur. *ibid.* Nec etiam cum conditionibus, ut justum servetur pretium, & tollatur scandalum. *ibid.* Oppositum ab Innocentio XI. damnatur. *ibid. n.* 342. p. 477. Est illicitus non solùm respectu ejusdem vendentis, sed etiam alterius, si ex pacto recrat. *ibid.* Non extenditur damnatio ad casum, in quo mercator, præciso omni pacto explicito, & implicito, & spe lucri, recrat, ut alii poterant. *d.* 25. *n.* 343. p. 477.

Vide *Bulla Compositionis, Venditio.*

Meretrix.

Cum fructu Bullam accipit, erogando eleemosynam ex pecunia turpi lucro acquisitâ. *disp.* 5. *n.* 79. p. 84. Quando teneatur ad restitutionem, & Bulla compositionis uti possit. *d.* 25. à *n.* 419. p. 403.

Meritum.

Meritum suorum bonorum operum alicui non potest aliquis applicare. *disp.* 26. *num.* 350. pag. 524.

Metus.

Metus gravis mortis, infamiæ, exilii, &c. operantem à culpa excusat, & à censurâ in transgressione peccati Ecclesiastici. *d.* 15. *n.* 157. pag. 226. Non tamen à culpâ in transgressione legis naturalis, vel divinæ positivæ, quamvis ab incurrendâ censurâ, & irregularitate, ei transgressioni impositâ excusat. *ibid.* à *n.* 160. p. 226.

Metus gravis in fidei, aut Religionis, vel potestatis Ecclesiasticæ contemptum incussus nec a culpa, nec à censura ab Ecclesia impositâ excusat. *d.* 15. *n.* 162. p. 226. Quando aliquis ex metu gravi à culpa non excusatur, & excusatur à censura S. Pontifici reservata, etiam à reservatione excusatur. *disp.* 15. à *num.* 164. p. 227. Explicatur textus *in cap. Sacris, de his, quæ vi,* &c. *d.* 15. *n.* 166. p. 227.

Ex metu gravi absolutio à censuris, non tamen ex metu levi, extorta, est nulla. *disp.* 17. à *num.* 141. pag. 246. Ex metu gravi lata, non est nulla: oppositum aliqui docent. *ibid.* à *num.* 144. p. 246.

Milites.

Milites agnoscentes bellum esse injustum, si occidant, peccatum mortale committunt: si verò de injustitia non constet, justum reputari debet. *d.* 18. *n.* 63. p. 264.

Vide *Eleemosyna.*

Militares Ordines. Vide *ordines Equestres, Regularis, Militaris, Monialis.*

Missa.

Quam attentionem in audiente requirat? *d.* 10. *n.* 103. & 104. remissivè. p. 114. Quam præsentiam. *ibid.* à *n.* 106. p. 114.

Missam ut quis audiat, sacerdotem quærere non tenetur, illi stipendium tribuens. *d.* 11. *n.* 117. p. 133. Quæ distantia ab illa audienda excusat. *ibid. n.* 118. p. 134.

Quam-

Quamvis probabile sit, habentem Bullam, tempore interdicti, non teneri missam audire, probabile non est, clericos eo tempore ab illâ audiendâ excusari. *d.* 11. *n.* 121. p. 134.

Missa quâ hora sit celebranda? *d.* 13. *n.* 2. p. 157. Quid per auroram, & meridiem intelligatur? *ibid. n.* 3. & 6. p. 157. Dantur aliqui casus, in quibus ante auroram licèt celebrare. *ibid.* à *num.* 4. pag. 157. Et quando post meridiem. *d.* 13. à *n.* 8. p. 157.

Missam celebrare, vel facere celebrare per horam ante auroram, & per alteram post meridiem, de licentia Commissarii nobilibus, Bullam habentibus, conceditur. *d.* 13. *n.* 1. p. 157. & *n.* 10. p. 158. Quomodo hæ computentur horæ? *ibid.* à *n.* 11. p. 158.

Pro una missa duplex stipendium accipi nequit. Et oppositum ab Alexandro VII. damnatur. *d.* 26. à *n.* 60. p. 494.

Missæ sacrificium esse satisfactorium pro animabus Purgatorii, est de fide. *d.* 26. *n.* 126. pag. 501. Missæ valor est ex opere operato; sive sacerdos sibi, sive aliis vivis, aut defunctis illam applicet. *ibid. n.* 127. p. 501. Etsi non dependet à sanctitate sacerdotis offerentis. Secus de suffragio, cujus fructus est ex opere operantis. *ibid. n.* 128. p. 501.

Missæ sacrificium habet specialem vim ad effectus impetrandos, pro quibus obtinendis offeretur. *d.* 26. *n.* 129. p. 501. Magis prodest viventibus, quàm defunctis. *ibid. n.* 131. p. 501. Defunctis magis prodest, quàm omnia alia suffragia. *d.* 26. *n.* 132. p. 502.

Missa *de Requiem* quoad valorem ex opere operato, defuncto est æquè utilis, ac quæcumque alia missa. *d.* 26. *n.* 133. p. 502. Quoad valorem ex opere operantis magis prodest defunctis. *ibid. n.* 134. p. 502. Oppositum docent aliqui. *ibid. n.* 135. p. 502.

Missam *de Requiem*, absque peccato mortali, posse sacerdotes Dominicis, & diebus duplicibus celebrare, plures docuerunt. *disp* 26. *n.* 143. pag. 503. At jam non possunt. *ibid. num.* 144. pag. 503.

Missæ *de Requiem* cantatæ, & anniversaria, in diebus ritus duplicis, celebrari possunt, quando testatores disposuerunt, quod recurrente ipsorum die obitus, celebrarentur *d.* 26. *n.* 145. p. 503. Duo S. Cong. decreta afferuntur, & ex illis illationes. *ibid.* à *n.* 146 p. 503. Hæc decreta S. Card. Cong. in praxi, an sint tenenda? dubium est. *ibid. n.* 150. p. 503.

Missa *de Requiem* celebrari potest die festo, aut Dominico in eâ Ecclesia, in quâ existit corpus insepultum, si vigeat consuetudo, sepeliendi defunctos cum missâ. *disp.* 26. *num.* 150. pag. 503.

Missæ *de Requiem*, & aliæ votivæ celebrari possunt ex causâ rationabili, die non Dominicâ, nec officii duplicis. *d.* 26. à *n.* 152. p. 504. Et quid intelligatur, *per rationabilem causam*. *ibid.* à *n.* 155. p. 504. Non tamen in Dominicis, duplicibus, nec in illis, in quibus de duplici recitari prohibetur. *d.* 26. *n.* 154. p. 504.

Missæ S. Gregorii quæ, & quibus diebus sint celebrandæ? *d.* 26. à *n.* 157. p. 504.

Missam die Commemorationis defunctorum sacerdotes probabilius non tenentur pro omnibus defunctis applicare. *d.* 26. à *n.* 197. p. 508.

Missæ fructus satisfactorius ex opere operato est finitus, & non prodest tantùm pro multis, ac si pro uno tantum offerretur. *d.* 26. à *n.* 234. p. 502. Quæ impetratorius habet infinitum valorem, & tantùm prodest pro multis, ac si pro pluribus applicetur. *ibid. n.* 239. p. 507. Si consideretur missæ sacrificium, ut oblatum à sacerdote in persona Ecclesiæ, valorem habet finitum. *ibid. n.* 240. p. 502. Valor satisfactionis ex opere operantis à sacerdote proveniens, est finitus, & minus prodest pro multis, quam si pro uno, aut paucioribus applicetur. *d.* 26. *n.* 241. p. 502.

Missam in primo Momento applicans, apto tempore applicat: In secundo, dubium est. *d.* 26. *n.* 361. p. 525.

Vide *Sacerdos*, *Regularis*.

Monialis.

Moniales exemptæ, & non exemptæ aliis confessariis, ad earum confessiones specialiter ab Ordinario non approbatis, confiteri nequeunt. *d.* 14. à *n.* 223. pag. 186. Non exemptæ, virtute Bullæ, aut Jubilei confessarium utrumque ab Episcopo approbatum eligere non possunt; sed tantùm ad eas specialiter approbatum. *ibid. num.* 227. p. 186. Nec pro illis approbatum pro aliqua vice, vel triennium, jam finitum. *d.* 14. *n.* 226. & *n.* 228. p. 186. Idem de exemptis; nec oppositum probabile est. *ibid. n.* 229. p. 187. & *d.* 20. *n.* 137. p. 342.

Moniales exemptæ, virtute Bullæ, non possunt eligere confessarium, à quo absolvantur à reservatis. *disp.* 20. *num.* 138. p. 342. Idem probabilius de non exemptis. *ibid. n.* 189. p. 342. Secus, de Monialibus Militaribus. *d.* 20. à *n.* 140. p. 343.

Monialium Mendicantium privilegia per Bullam non suspenduntur. *disp.* 23. *n.* 171. p. 425. Moniales, cujuscumque Ordinis sint, privilegiis gaudent cum Regularibus, quorum Ordinem profitentur. *d.* 23. *n.* 172. p. 425. Moniales non mendicantes, facultatibus, & privilegiis sine Bulla uti possunt, ut religiosi sui Ordinis. *disp.* 23. *n.* 173. p. 425.

Monialis, quæ ex turpi lucro, monasterio teneatur restituere? Et an indigeat Bullâ Compositionis. *d.* 25. *n.* 433 p. 487.

Mortis articulus.

Qualis verus, & præsumptus dicatur. *d.* 8. *n.* 17. p. 92. & *d.* 17. *n.* 164. p. 299.

Articulus, & periculum mortis, quoad absolutionem à reservatis, pro eodem usurpantur. *d.* 8. à *n.* 35. p. 94. & *d.* 17. *n.* 169. p. 250. Quoad indulgentias probabilius est, articulum pro mortis periculo usurpari. *d.* 8. à *n.* 38. post medium. p. 94.

In mortis articulo, præsente proprio sacerdote, aut approbato, probabilius est, simplicem non posse absolvere. *disp.* 17. *n.* 153. p. 248. Si moribundus sit excommunicatus, à pluribus certum reputatur, nec simplicem, nec proprium posse absolvere, præsente habente facultatem absolvendi ab ea excommunicatione. *ibid.* & *n.* 154. pag. 248.

In mortis articulo constitutus à quibus censuris possit absolvi. *d.* 17. à *n.* 157. p. 248. In articulo mortis absolutus à reservatis sine censura, postea non tenetur comparere. *ibid. n.* 162. p. 249.

Musicus.

Non habens Bullam, ab esu ovorum, tempore Quadragesimæ, excusatur. *d.* 22. *n.* 153. in fine pag. 401.

Mutus.

Si signis exterioribus confiteatur, & sacram recipiat communionem, Bullæ indulgentiam obtinebit. *d.* 7. à *n.* 157. p. 87.

N.

Nobilis.

NObilibus de licentia Commissarii per Bullam conceditur celebrare, vel celebrare facere per horam ante auroram, & per alteram post meridiem. *d.* 13. à *n.* 10. p. 158 Quomodo hæ horæ computentur. *ibid.* à *n.* 11. pag. 158. *Nobilium* nomine, qui veniant. *ibid.* à *n.* 14. pag. 158.

Nomen.

Si non inscribatur in Summario Bullæ communis, privilegia non acquiruntur. *d.* 2. à *n.* 52. p. 27. & *d.* 6. *n.* 60. p. 65. Oppositum tenendum juxta Bullam Hispanam. *d.* 2. *n.* 51. p. 27. & *d.* 6. *n.* 59. p. 65.

Nomen à quacumque persona scribi potest, & si per errorem aliud nomen, aut cognomen scribatur, à quocumque corrigi potest *d.* 6. *n.* 63. pag. 66.

Nomen appellativum v. g. Abbas, Comes; sufficit scribere. *disp.* 6. *n.* 64. p. 66. Sufficit etiam nomen proprium. *ibid. n.* 65. p. 66. Non sufficit tamen loco *nominis*, aut *cognominis*, aliud scribere nomen, aut cognomen; Oppositum non videtur improbabile, quamvis juxta Bullam minus conveniens. *d.* 6. *n.* 66. p. 66.

Vide *Bulla Compositionis*, *Bulla defunctorum.*

Notarius.

Peccat mortaliter instrumenta falsa conficiens, instrumenta partibus nolens manifestare, ea occultans, aut per compendium transcribens; nec non instrumenta usuraria, aut contra immunitatem Ecclesiasticam conficiens. *disp.* 25. *n.* 333. p. 476.

Notarius pretium pro actione injustâ, quando ad restitutionem teneatur, & compositione indigeat? *d.* 25. *n.* 329. p. 476.

Notorium.

Notorium quando aliquid dicatur notoreitate juris, & notoreitate facti. *disp.* 25. *num.* 100. pag. 450.

Novitii.

Absque Prælati licentia, virtute Bullæ, eligere possunt confessarium, qui à reservatis eos absolvat. *disp.* 20. à *num.* 145. pag. 343. Subduntur casibus in Religione reservatis. *ibid.* à *num.* 149. pag. 344.

Novitii nomine *Fratrum* veniunt in exceptione Bullæ, etiamsi animum perseverandi non habeant. *d.* 23. *n.* 178. p. 425.

Vide *Prælatus.*

Nuntii.

Et eorum auditores nomine *Ordinarii* non veniunt in Bulla circa applicationes pœnarum pecuniariarum. *disp.* 23. *num.* 5. pag. 402. Etiam juxta Bullam Hispanam. *idid. n.* 6. p. 402.

Nuntius, Collector, aut Legatus à Latere ab excommunicatione non possunt absolvere illum, quem Commissarius ad res ad Bullam concernetes, excommunicavit. *disp.* 24. *num.* 20. pag. 437.

Ad Nuntium, Collectorem, aut Legatum à Latere datur recursus à Commissario per viam querelæ. *d.* 24. *n.* 21. p. 437.

O.

Oblita peccata in confessione. Vide *Peccatum.*

Occasio proxima.

IN occasione proximâ peccandi positus, quam potest, & non vult omittere, absolvendus non est. *d.* 18. *n.* 422. p. 305.

Ad occasionem proximam peccandi quærendam, vel non ejiciendam, non est causa licita bonum Spirituale, vel temporale nostrum, vel proximi. Oppositum ab Innocentio XI. damnatur. *d.* 18. à *n.* 432. p. 306.

Vide *Concubinatus*, *Confessarius.*

Occultum.

Quid sit? & quot modis sumatur? *disp.* 15. *num.* 100. p. 198. Et quomodo in Trid. *ibid. n.* 104. p. 198.

Probabile est, & in praxi consulendum, peccare mortaliter contra charitatem, manifestantem delictum, ubi est occultum, quamvis alibi sit publicum. *disp.* 15. *num.* 124. pag. 201. Probabile etiam oppositum. *ibid. num.* 121. pag. 201.

Vide *Excommunicatus.*

Officiales Cruciatæ.

Quibus gaudeant privilegiis? *disp.* 24. à *num.* 22. pag. 437. Prohibentur sub pœnâ excommunicationis ipso facto, ne faciant compositiones. *ibid. n.* 39. p. 439. Quæ habeant salaria? *disp.* 24. à *n.* 42. p. 440.

Officium divinum.

Quid veniat *celebratione divinorum officiorum*, in Bulla? *disp.* 11. *num.* 5. remissivè, & *disp.* 23 *n.* 31. & *n.* 37. pag. 405. & 406.

Et quid, nomine *divinorum Officiorum*? *ibid. n.* 215. p. 429.

Vide *Hora Canonica.*

Operarii.

Operarii, seu artifices argentarii, & fabricaldarii, &c. quæ in conficiendis artefactis observari debeant. *disp.* 25. *num.* 371. pag. 480. Quando compositione indigeant? *ibid. num.* 369. pag. 480.

Opinio probabilis.

Ex opinione probabili jurisdictio, ad reservata absolvenda, est certa. *disp.* 7. à *num.* 81. pag. 77. Non solum est illicitum uti opinione probabili valore Sacramenti in collatione Baptismi, Ordinis sacerdotalis, aut Episcopalis, relicta tutiore, sed etiam in collatione aliorum Sacramentorum: adducitur propositio ab Alexandro VII. damnata. *d.* [illegible] *num.* 82. p. 77.

Si certò sit probabilis interpretatio Doctoralis certò sequi potest, dummodo probabilitas non sit tenuis: hæc enim ab Alexandro VII. damnatur? *d.* 1. *n.* 94. p. 17.

Ex probabili judicio non semper est licitum operari contra certum. *d.* 26. *n.* 221. p. 511.

Oracula.

Vivæ vocis oracula per Bullas Gregorii XV. & Urbani VIII. sunt revocata. *d.* 3. *n.* 62. p. 35. Non tamen vivæ vocis declarationes. *ibid.*

Oratorium.

In oratorio privato, virtute Bullæ, plures missæ eâdem die, tempore interdicti, & extra illud celebrari possunt. *d.* 11. à *n.* 25. p. 122. & clariùs, *d.* 12. *n.* 89. p. 156. Recensentur dies excepti

in quibus ex decreto Pontificis in oratorio privato, missæ celebrari prohibentur. *d.* 11. *n.* 50. pag. 127. & *disp.* 12. *num.* 10. p. 145. & *n.* 79. p. 155.

In oratorio privato, si quis in diebus exceptis, unam, & in non exceptis, plusquam unam missam celebret, vel faciat celebrare, non erogatâ eleemosynâ ad hoc privilegium requisitâ, peccat mortaliter. *d.* 11. à *n.* 51. p. 127. Ad hanc eleemosynam non tenentur familiares, domestici, &c. missis assistentes, ratione habentis Bullam; nec ad præces juxta Bullam Hispanam. *d.* 11. à *n.* 55. p. 125.

Ad oratorii privati usum, qui veniant *nomine familiæ* in Brevi Pontificio. *d.* 11. à *n.* 73. p. 129. & *d.* 12. *n.* 11. p. 145.

Oratorii privati sacerdos habens privilegium, ministrum laicum potest eligere, qui non sit familiaris, &c. *disp.* 11. *num.* 86. p. 130. & *n.* 88. p. 130.

Præsentia habentis privilegium oratorii privati requiritur, ut familiares, &c. missam possint audire. *d.* 11. à *n.* 99. p. 132. & *d.* 12. *n.* 11. p. 145. verò habens privilegium aliam jam audivit missam, aut illam intendit extra Oratorium audire; an possit illam in oratorio audire, ùt alii missam audiant? *d.* 11. à *n.* 102. p. 132.

In Oratorio privato licentiâ audiendi missam concessâ; censetur etiam concessa ad ibi communicandum. *d.* 11. *n.* 131. p. 35. & post *n.* 142. *n.* 137. Decretum Innocentis XI. p. 135.

Oratorii privati Brevis clausulæ exponuntur. *d.* 12. à *n.* 2. p. 144. Si privilegiatus in hac civitate oratorium habeat privatum, & ad aliam domicilium transferat, potest in ea, eo uti oratorio, dummodo Ordinarius admoneatur, & illud approbet. *d.* 12. *n.* 3. p. 145.

Ut verificetur clausula nobilitatis habentis Breve oratorii, requiritur, quòd descendat ab illis, qui per aliquot generationes, artem mechanicam non exercuerunt. *d.* 12. *n.* 4. p. 145. Oratorium est approbandum, priusquam in eo celebretur. *ibid. n.* 6. p. 145. Durat ad arbitrium Ordinarii *d.* 12. *n.* 6. p. 145. & à *n.* 56. p. 151. Una tantùm missa quotidie in eo celebrari potest. *disp.* 12. *num.* 7. pag. 145. Non possunt in eo Sacramenta administrari, nec solitæ eleemosynæ fieri, nec festa, matrimonia, jejunia denuntiari, & similia ad parochum pertinentia. *ibid. num.* 9. pag. 145.

Qui in Brevi veniant nomine *Hospitum*. *d.* 12. *n.* 12. p. 145. Qui non sunt ex familia, nec familiares servitiis privilegiati necessarii, præcepto audiendi missam non satisfaciunt, in oratorio audientes. Oppositum non videtur probabile. *d.* 12. *n.* 18. p. 145.

Oratorium ab Ordinario loci est approbandum. *d.* 12. *n.* 14. p. 146. Si Ordinarius injustè approbationem neget, virtute Bullæ, in eo non potest celebrari. *ibid. n.* 18. p. 146. Per Bullam, oratorium, ut in eo celebretur, non conceditur; nec etiam positâ Ordinarii approbatione; Nec Ordinarius illud potest approbare, nec Commissarius facultatem concedere, ut in eo missa celebretur, aut audiatur. *disp.* 12. à *num.* 30. pag. 148.

Oratorium semel tantùm est approbandum. *d.* 12. *n.* 54. p. 151. Approbationem semel datam potest ordinarius revocare, & Regularibus exemptis inhibere, ne in eo celebrent. *ibid. n.* 55. pag. 151. Data *revocatione*, *nec per Bullam*, in eo oratorio potest celebrari. *disp.* 12. à *num.* 60. p. 152.

In oratorio ab Ordinario de commissione Pontificis approbato, finito tempore à S. Pontifice præfixo, nec virtute Bullæ, in eo potest celebrari. *d.* 12. à *n.* 71. p. 154. Approbatio non transit vitam illius, cui facta est concessio. *d.* 12. *n.* 75. p. 154. Rejicitur P. Pellizar. dicens transire ad heredes, quando in concessione dantur verba: *Ordinarii arbitrio duraturæ*. *d.* 12. à *n.* 75. pag. 154. Refutatur etiam asserens, non cessare privilegium Oratorii matri concessum, illâ mortuâ, si in concessione addatur, quòd absente matre possit filia cum sua familia audire in eo missam, & facere celebrare. *ibid. n.* 78. p. 155.

In oratorio privato die Paschatis, & aliis solemnioribus exceptis, virtute Bullæ, potest missa audiri. *d.* 12. à *n.* 80. p. 155. Et expressiùs à *n.* 84. p. 155. Nec Episcopus sub pœna excommunicationis id prohibere potest; si tamen prohibeat, illi est obtemperandum. *disp.* 12. *num.* 87. pag. 156.

In oratorio privato, virtute Bullæ, possunt satisfacere præcepto illi, in quorum gratiam non est concessum oratorium. *d.* 12. *n.* 90. p. 156. Sufficit, quòd habeat Bullam faciens celebrare, quamvis celebrans illam non habeat. *ibid. n.* 92. pag. 157.

Oratorium intra claustra Regularium, sufficit ad visitationem, quando pro consequenda indulgentia plenaria, eorum Ecclesiæ sunt visitandæ. *d.* 23. *n.* 128. p. 418.

Ordinarius.

Ordinarii nomine, qui veniant, quando in Bulla Ordinariis præcipitur, pœnas pecuniarias Bullæ applicare. *d.* 23. *n.* 7. p. 402. Si eas pœnas non applicent, mortaliter peccant. *ibid. n.* 14. p. 403. Et si votum obedientiæ emisissent, inobedientia est sacrilega. *ibid. n.* 15. p. 403. Et peccatum furti committunt. *ibid. n.* 16. p. 403. Et tenentur ad restitutionem. *ibid. n.* 17. p. 104.

Ordinarii peccant mortaliter si dictas pœnas minuant, aut nullas infligant, ut ad Cruciatam non perveniant. *d.* 23. *n.* 18. p. 404. Secus si ob alias causas, & à Superioribus pro illis delictis sint determinatæ. *ibid.* & à *n.* 19. p. 404.

Ordinarii non tenentur pœnas corporales in pecuniarias mutare, ut sic Cruciatæ applicentur. *d.* 23. *n.* 21. p. 404. Non omnes sunt Cruciatæ applicandæ. *ibid. n.* 22. p. 404. Quæ praxis inter Ordinarios & Commissarium observetur. *d.* 23. *n.* 24. p. 404. Dispositio Hispaniæ Regis in hoc Regno non habet locum. *ibid. num.* 23. pag. 404.

Contra ordinarios circa has pœnas potest Commissarius procedere. *d.* 23. *n.* 25. p. 404. Assertioni ordinarium standum est. *ibid. n.* 27. p. 405. Et si asserant minorem quantitatem esse congestam, quàm revera congesta fuit, peccant mortaliter. *ibid.*

Ordines.

Ad ordines illegitimus dispensatus, ad ordines minores dispensatus censetur. *d.* 1. *n.* 69. juncto *n.* 78. p. 12.

Ad ordines suscipiendos, annus interstitiorum est Ecclesiasticus. *d.* 4. *n.* 18. p. 40.

Ordinari sine patrimonio, pensione, & beneficio, aut per saltum, vel sine admissoriis, aut furtive, reservatur in diœcesi Ulyssiponensi, & aliquibus;

quibus ; exponitur. *disp.* 18. à *num.* 304. pag. 291.

Ordines sacros suscipiens cum patrimonio, pensione, aut beneficio ficto reservatum committit, & probabilius suspensionem. *d.* 18. à *n.* 306. p. 292. Si cum patrimonio donato, & conditione illud postea restituendi, probabilius est, reservationem incurrere. *ibid. n.* 311. p. 293.

Ordinatus per saltum, recipiens ordinem subdiaconatus, non susceptis minoribus, reservatione innodatur ; & suspensionem incurrit. *disp.* 18. *num.* 313. p. 293. Ab Episcopo potest absolvi. *ibid.*

Ordinatus sine dimissoriis, vel cum falsis, reservationem, & suspensionem incurrit. *d.* 18. *n.* 316. p. 293.

Ordinatus furtivè reservatione, & suspensione ab ordinibus sic susceptis, innodatur. *d.* 18. *num.* 317. p. 293. Si furtivè primam tonsuram suscipiat reservatum non committit. *ibid. n.* 318 p. 293. Secus, si minores Ordines. *ibid.* à *n.* 319. p. 293.

Ordinari ante legitimam ætatem in Diœcesi Portuensi reservatur. *d.* 18. à *n.* 385. p. 300. Quæ ætas ad primam tonsuram, & alios ordines requiratur. *ibid. n.* 386. p. 300. Ordinatus ante legitimam ætatem, & illum Ordinans, peccant mortaliter. *ibid. n.* 387. p. 301.

Ordinatus sacro ordine ante legitimam ætatem, suspensionem incurrit ; & si in eo ordine ministret, irregularitatem. *disp.* 18. *num.* 387. p. 301. Et quemcumque ordinem suscipiat, reservatum committit. *ibid. n.* 388. p. 301. Et si bonâ fide suscipiat, reservatum non habet. *ibid.*

Ordinatus bonâ fide ante legitimam ætatem, si malâ fide celebret, quamvis mortaliter peccet, non habet reservatum, nec irregularitatem incurrit. *d.* 18. *n.* 390. p. 301.

Vide *Patrimonium.*

Ordines Equestres.

Privilegium pro lucrandis indulgentiis stationum Ordini S. Jacobi concessis, si visitentur duo, vel tria altaria, etiam Oratorii, & capellæ est revocatum ; nec per Bullam illo uti potest. *d.* 10. *n.* 70. p. 111.

Vide *Regularis militaris.*

Ordines Mendicantes, & non Mendicantes.

Ordines Mendicantes qui dicantur. *d.* 23. *n.* 165. p. 424. Non Mendicantes, qui Mendicantium privilegiis non gaudent, in exceptione Bullæ non comprehenduntur. *disp.* 23. *n.* 166. p. 424. Secus, si Mendicantium privilegiis gaudeant. *ibid. n.* 169. p. 424.

Vide *Regularis.*

Ova.

Ova extra Hispaniam in diebus Quadragesimalibus juxta Bullam Hispanam edi non possunt. *d.* 1. à *n.* 62. p. 12. Rejicitur ratio P. Mendo, & aliorum. *d.* 1. *n.* 66. p. 12. Juxta Lusitanam, ubique terrarum possunt vesci. *d.* 1. *n.* 63. p. 12. & *disp.* 22. *num.* 119. pag. 398. & *num.* 126. pag. 398. Refutatur P. Abrev. assertum. *ibid. num.* 64. pag. 12.

Ova, & lacticinia sunt prohibita jure communi, in jejuniis Quadragesimæ sub peccato mortali. *disp.* 22. à *n.* 60. p. 391. Etiam in Dominicis Quadragesimæ. *ibid.* à *n.* 67. p. 392. Non tamen in jejuniis extra Quadragesimam. *ibid. n.* 77. pag. 393. Nec in Lusitania ex consuetudine in feriis sextis ex Sabbatis. *ibid. num.* 78. pag. 393. Nec in tribus Rogationum diebus. *ibid. n.* 79. pag. 393.

Ova, & lacticinia ex consuetudine in jejuniis Quadragesimæ sunt prohibita. *d.* 22. *n.* 88. p. 394. Hæc consuetudo in omnibus non viget Provinciis, & diœcesibus. *ibid. n.* 89 p. 395. Recensentur Provinciæ & diœceses, in quibus ea non viget consuetudo. *d.* 22. à *n.* 80. p. 394.

Evidens est, dari consuetudinem obligantem ad non comedenda ova, & lacticinia in Quadragesima ; & oppositum ab Alexandro VII. damnatur. *d.* 22. à *n.* 95. p. 395.

Consuetudo non comedendi ova, & lacticinia obligat sub peccato mortali. *d.* 22. à *n.* 113. p. 397. Refutatur P. Moya censurans opinionem asserentem, consuetudinem comedendi ova, & lacticinia, obligare sub peccato veniali. *d.* 22. à *n.* 115. p. 397.

Omnes, quâcumque dignitate præditi, & cujuscumque sint status, Bullam habentes vivorum, ubique terrarum privilegio edendi ova, & lacticinia in Quadragesima uti possunt. *d.* 22. *n.* 119. p. 398. & *n.* 126. p. 398. Non tamen per Bullam Hispanam. *ibid. n.* 120. p. 398. Ut quis Bullæ Lusitanæ hoc privilegio gaudeat, consilio utriusque medici non indiget. *disp.* 22. *n.* 121. p. 398.

Ova, & lacticinia, virtute Bullæ, in Dominicis Quadragesimæ, possunt edi. *disp.* 22. *n.* 122. p. p. 398. *Ovorum* nomine, quæ veniant. *ibid. n.* 127. p. 398.

Ova, & lacticinia, sine Bulla, omnes comedere possunt, si ex piscium comestione, aliquod detrimentum experiantur. *disp.* 22. *num.* 153. pag. 401.

Vide *Agricola, Musici, Pauper.*

P.

Parochus.

PArochus parochianos, ad Bullam suscipiendam, cogens, mortaliter peccat. *d.* 6. *n.* 12. p. 59. Quomodo se gerere debeat, quando excommunicatus mortuus est. *disp.* 8. *num.* 65. pag. 98.

Parochus licentiam assistendi matrimonio concedens, præmisso diligenti examine, an detur impedimentum ; si examen omittatur, matrimonium est validum. *disp* 11. *n.* 39. p. 123.

Parochus habenti Bullam non potest prohibere, ne in aliis Ecclesiis, aut oratorio, ex devotione sacram recipiat communionem in ipsomet die Resurrectionis. *d.* 11. *n.* 150 p. 139.

Parochiale beneficium habentes possunt suorum parochianorum confessiones audire. *d.* 14. *n.* 30. p. 166. Etiam extra propriam parochiam. *d.* 14. à *n.* 56. p. 165. Pro tota diœcesi censentur approbati. *ibid. n.* 31. p. 163. Nomine *habentis beneficium parochiale*, qui veniant. *d.* 14 *n.* 32. pag. 163. Non tamen superiores Regulares, nec curati ad nutum. *ibid. n.* 54. p. 165.

Parochum, virtute Bullæ, aut Jubilei, ubique terrarum non posse eligi, sed tantùm in eâ diœcesi, in qua beneficium habet, probabilius est. *d.* 14. à *n.* 41. p. 164.

Superiores Regulares, & curati ad nutum, ut per Bullam eligantur debent esse approbati ab Ordinario loci, in quo confessiones sunt excipiendæ. *d.* 14. *n.* 54. p. 165.

Parochus, qui beneficium habuit, & jam non habet,

bet, virtute Bullæ, non potest eligi. *d.* 14. à *n.* 72. p. 167.

Parochus, aut quilibet alius sacerdos in diœcesi Ulyssiponensi, matrimonio assistens, non præmissis denuntiationibus, præter alias pœnas, suspensionem ab officio, & beneficio ad arbitrium Ordinarii, incurrit. *disp.* 18. *num.* 302. p. 291.

Parochus in casu urgentissimæ necessitatis in votis dispensare nequit. *d.* 21. *n.* 20. p. 348.

Participatio bonorum operum.

De fide est, dari inter justos bonorum operum communicationem, & in quo consistat. *d.* 9. *n.* 2. p. 98. In operibus cujuscumque justi tria dantur. *ibid. n.* 3. p. 98. Discrimina, quæ inter illa reperiuntur. *d.* 9. *n.* 4. p. 98.

Per participationem bonorum operum, quæ in Bullâ concedantur? *d.* 9. *n.* 7. p. 99. Participationis bonorum operum concessio non est indulgentia. *ibid. n.* 9. p. 99.

Participationem bonorum operum suorum subditorum aliis possunt concedere Religionum Superiores. *d.* 9. à *n.* 10. p. 99.

Pater.

Quæ vota suorum filiorum possit irritare. *disp.* 21. *num.* 25. pag. 348. & *num.* 27. post medium p. 349.

Patrimonium.

Patrimonium donans ordinando sub conditione illud restituendi; Ordinatus, & notarius de eo patrimonio Scripturam conficiens, in diœcesi Ulyssiponensi, præter alias pœnas, excommunicationem ipso facto incurrunt. *d.* 18. *n.* 311. in fine p. 292. Ordinatus sub ea conditione, patrimonium restituere non tenetur, in pœnam donantis. *d.* 18. *n.* 312. p. 292.

Vide *Ordines.*

Pauper.

Pauper mendicus quis dicatur? *d.* 5. *n.* 68. p. 52.

Pauperes non habentes unum argenteum pro Bulla erogandum, indulgentias extra Bullam lucrari nequeunt. *d.* 5. *n.* 73. p. 53.

Pauperes absque Bulla, si alios non habeant cibos, tempore Quadragesimæ ova, & lacticinia edere possunt. *d.* 22. à *n.* 148. p. 401.

Pauperum nomine in jure veniunt quæcumque pia opera. *d.* 25. *n.* 29. p. 443.

Vide *Simulator, Procurator pauperum.*

Peccator, Peccatum.

Peccata mortalia, in confessione oblita, confiteri tenemur, in sequenti confessione; cum in memoriam veniunt, & oppositum ab Alexandro VII. damnatur. *d.* 7. *n.* 117. p. 81. & damnati falsitas ostenditur. *d.* 7. à *n.* 118. p. 81. & *n.* 127. p. 83. Authores gravissimi, ab injuria, quam illi irrogavit Leand. à Murcia, defenduntur. *d.* 7. *n.* 115. p. 81.

Peccata oblita, directè non absolvuntur. *disp.* 7. *n.* 123. p. 82. Rejicitur P. Moyæ ratio. *disp.* 7. *n.* 124. p. 83.

Peccatum dubium, ut dubium confessum, cessante dubio, ut certum est confitendum; & si ut certum fuit confessum, & postea dubium suboriatur, confitendum non est. *d.* 7. *n.* 125. 83. In opinione decente, peccatum sub dubio confessum, cessante dubio non esse confitendum, absolutio illius fuit directa. *d.* 7. *n.* 120. juncto *n.* 126. p. 82.

Peccatorum orationes Deus aliquando exaudit. *d.* 26. *n.* 75. p. 495.

Peccata Venialia quoad culpam in hac vita non remissam, quomodo in purgatorio tollantur. *d.* 26. *n.* 288. p. 517.

Pensionarius. Vide *Beneficiatus, Bulla Compositionis.*

Pharmacopola.

Pharmacopola vendendo unum pro alio electuarium, graviter peccat cum obligatione, restituendi. *disp.* 25. *num.* 370. pag. 480. Et quando compositione indigeat? *ibid. n.* 369. p. 480.

Pœnitens, Pœnitentia.

Pœnitens habens casus reservatos, quomodo se gerere debeat, quando urget præceptum communicandi, & adest parochus facultatem habens absolvendi, sed justam habet causam, illi eos non aperiendi? *d.* 6. *n.* 43. p. 63.

Pœnitens indulgentiam plenariam lucrans, à pœnitentia implenda non liberatur. *d.* 7. à *n.* 54. p. 71. Ablatio occasionis proximæ, restitutio alieni, depositio odii, &c. non dicitur pœnitentia medicinalis; sed jejunium, flagellationes, iteratæ confessiones, &c. *disp.* 7. *num.* 52. pag. 73. Rejicitur Bardi oppositum docens. *ibid. num.* 51. pag. 73.

Pœnitentia aliqua semper est imponenda in Jubileis, indulgentiis plenariis, & moribundis. *d.* 7. à *n.* 56. p. 73. Pœnitentiæ non impletæ in confessionibus antea actis; à confessario, & ab ipso pœnitente indulgentiam plenariam acquirendam commutari possunt; non tamen medicinales. *d.* 7. *n.* 60. p. 74.

Ad ministrum Sacramenti pœnitentiæ, requiritur de jure naturali, & divino, sacerdotium, usus rationis, potentia loquendi, approbatio, & jurisdictio. *d.* 14. *n.* 2. p. 159.

Pœnitens parti læsæ non potens satisfacere, licitè & valide à censuris absolvitur. *disp.* 17. à *n.* 13. p. 231.

Pœnitens, qui per duos annos confessus non fuit in diœcesi Algarabiensi habet reservatum. *d.* 18. à *n.* 398. p. 302. Idem si per duos annos confessiones fecit nullas. Affertur propositio ab Alexandro VII. damnata. *disp.* 18. *num.* 399. pag. 303.

Pœnitens impubes post annos discretionis habens conscientiam peccati mortalis, & per duos annos non confitens, habet reservatum. *d.* 18. *n.* 401. p. 63. Qui verò per duos annos non fuit confessus, quia conscientiam peccati mortalis non habebat, reservatum non habet. *ibid. n.* 402. pag. 93. Idem de eo, qui per duos annos confessiones fecit informes. *ibid. num.* 403. pag. 303.

Pœnitenti Regulari à superiore negata licentia, ut à reservato absolvatur, pro illa vice, ab illo potest absolvi. *d.* 20. *n.* 29. in fine p. 328.

Pœnitens ad confessionem intra annum, vel mensem obligatus, & prævidens ultimis diebus anni, vel mensis non posse adimplere, tempus prævenire tenetur. *d.* 21. *n.* 15. p. 347.

Pœnitens authoritate propriâ, pœnitentiam à confessario impositam in melius non potest commutare. *d.* 21. *n.* 104. p. 357.

Vide *Confessarius, Satisfactio.*

Pœnitentiarius.

Pœnitentiarius Ecclesiæ cathedralis ex vi suæ institutionis, à reservatis Episcopo non potest absolvere. *d.* 19. à *n.* 3. p. 316.

Pœnitentiarius facultatem sibi ab Episcopo concessam, ad absolvendum à reservatis, alteri subdelegare nequit. *d.* 19. *n.* 5 p. 316.

Pontifex.

S. Pontifex Bullam potest concedere. *d.* 1. à *n.* 21. pag. 8. De fide est, posse concedere indulgentias. *ibid. n.* 22. pag. 8. Facultatem absolvendi potest concedere. *ibid. n.* 28. pag. 8. Commutandi vota. *d.* 11. *n.* 24. pag. 8. Dispensandi in legibus Ecclesiasticis. *ibid. n.* 25. pag. 8. Dissat, & de facto dispensavit in hoc Regno super numero Episcoporum in conservatione duorum Episcoporum. *d.* 1. à *n.* 28. p. 8.

S. Pontifex, finito uno, vel altero sexenni anno, pro quo Bullam concessit, Bullam potest revocare. *d.* 1. *n.* 129. p. 20. Datâ justâ causâ, intra durationis annum, Bullam potest revocare. *d.* 1. *n.* 130. p. 29. Anno non expleto, factâ revocatione, debet revocatio publicari in locis, ubi fuit publicata. *d.* 1. *n.* 131. p. 20.

S. Pontifex ex jure divino solùm indulgentias concedere potest. *disp.* 7. *num.* 22. pag. 70. Potest delegare facultatem concedendi indulgentias, jurisdictionis capacibus. *ibid. n.* 29. p. 70.

S. Pontifex in odiosis non venit nomine Episcoporum. *d.* 16. *n.* 58. p. 214.

Vide *Lex.*

Prælatus, Prælatus Regularis.

Prælati Regularis applicatio bonorum operum pro sæcularibus non sufficit, si subditi pro illis ea non applicent. *d.* 9. à *n.* 18. p. 100.

Prælati Regulares, quando possunt actus internos suorum subditorum, & missas pro aliquo extraneo dicendas, præcipere. *d.* 9. à *n.* 20. p. 100. Adducitur propositio ab Alexandro VII. damnata, de duplicato stipendio. *ibid.* à *num.* 29. pag. 101.

Prælati Regulares quando præcipiunt subditis, missas pro aliquibus necessitatibus offerre, non intendunt rigorosam obligationem, maximè in Societate JESU. *disp.* 9. *num.* 31. pag. 102.

Prælatus Regularis per Bullam non potest eligi, si ab Ordinario loci, in quo confessiones sunt excipiendæ, non sit approbatus. *d.* 14. *n.* 54. p. 165. *Prælatorum*, nomine, veniunt Prælati, & Superiores immediati. *ibid. num.* 130. pag. 175.

Prælati Regulares non possunt suos subditos, nec sæculares ab hæresi occultâ absolvere. *disp.* 16. à *num.* 17. pag. 209. Affertur propositio ab Alexandro VII. damnata. *ibid. num.* 19. pag. 209.

Prælatus non potest absolvere subditum à reservatis, & pro non reservatis, omittere illum ad alium confessarium. *disp.* 19. *num.* 86. p. 317. Affertur specialis casus, in quo à reservatis, & non ab aliis, subditum potest absolvere. *ibid. num.* 89. pag. 315. Non dicitur casus urgentissimæ necessitatis adductus à P. Soar. Lusit. *ibid. n.* 90. p. 315.

Prælati Regulares quos casus sibi possint reservare? *d.* 20. à *n.* 2. p. 326. Et quos, præter undecim à Clemente designatos. *ibid. num.* 7. pag. 326. Non possunt cum consensu capituli, peccatum quoad absolutionem indirectam, sibi reservare. *d.* 20. *n.* 8. p. 326. Nec censuras compositas supra peccata, quæ juxta decretum Clementis, reservari queunt. *d.* 20. à *n.* 11. p. 327. Si reservent aliquod peccatum ex non numeratis in decreto Clementis sine consensu capituli, reservatio est nulla. *d.* 20. à *n.* 17. p. 327.

Prælati Regulares ad suum placitum, pro Monialibus sui ordinis, non possunt casus reservare. *d.* 20. *n.* 21. p. 327.

Prælatus Regularis absolutè loquendo, licentiam non tenetur concedere Confessori, aut subdito petenti, ut à reservato occurrente absolvatur *d.* 20. *n.* 24. p. 328. At tenetur ex justitiâ illam concedere, quando subditus prudenter timet aliquod grave damnum. *ibid.* à *n.* 25. pag. 328. Potest inquirere de qualitate peccati, sed in usu esse, non videtur. *disp.* 20. à *num.* 36. pag. 329.

Prælatus Regularis, si confessario deputato neget licentiam absolvendi subditum à reservatis, confessarius ordinarius pro illa vice potest illum absolvere. *d.* 20. *n.* 29. p. 328. Quomodo intelligatur particula *pro illa vice ibid.* à *n.* 30. p. 328. Quando verò confessor non deputatus possit subditum absolvere, si Prælatus ei licentiam neget? *d.* 20. à *n.* 32. p. 329.

Prælatus Regularis potest concedere licentiam absolvendi subditum cum onere postea comparendi. *d.* 20. à *n.* 39. p. 329. Non tamen quando licentia petitur post peccatum commissum. *ibi. n.* 43. p. 330. Secus si peccatum annexam habeat excommunicationem. *ibid. n.* 44. p. 330. Hoc onus comparendi oritur ex natura jurisdictionis, sub conditione comparendi, concessæ *d.* 20. *n.* 45. p. 330. Subditus absolutus sub hoc onere, & postea mutans opinionem, ab hoc onere non excusatur contra P. Moyam. *ibid. n.* 49. p. 330.

Prælatus Regularis casus, & censuras pro novitiis, non potest reservare, eo modo, quo non potest pro professis. *disp.* 20. *num.* 151. pag. 344.

Prælati Regulares quæ vota suorum subditorum possint irritare? *d.* 21. *n.* 23. p. 348.

Prælati Regulares, non obstante suspensione à Commissario factâ, litteras confraternitatis possunt concedere. *d.* 23. *n.* 64. p. 409. Et publicare indulgentias pro suis subditis, familiaribus, aut alicui Superiori concessas. *d.* 23. *n.* 77. in fine p. 411. & *n.* 185. p. 426.

Prælatis Regularibus pro suis subditis, & sæcularibus aliqua sunt concessa privilegia & facultates. *d.* 23. *n* 129. p. 418. Et pro ipsis, & suis subditis plures Indulgentiæ. *ibid.* à *num.* 123. p. 417.

Prælati Provinciales sub culpâ gravi tenentur, Commissario, quando ab eo petuntur, concionatores idoneos, integros moribus, & ab Ordinario approbatos proponere. *d.* 23. *n.* 205. pag. 429.

Vide *Regularis*, *Approbatio quoad Regulares.*

Prælati majores.

In Episcopos, & alios Prælatos majores in Bullâ fulminatur suspensio à divinis, & interdictum ingressus Ecclesiæ, si bona, & instrumenta, ad Bullam spectantia, non exhibeant. *disp.* 23. *n.* 230. p. 431. *Majorum Prælatorum* nomine, veniunt Episcopi, Patriarchæ, & Primates, & non omnes habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, nec Prælati Regulares; & refutatur P. Mend. oppositum docens. *disp.* 23. à *n.* 233. pag. 431.

Prælati majores à judicibus non sunt primò excommunicandi, sed in illos primò procedendum

est, per ingressus Ecclesiæ, & Sacerdo talis ministerii interdictum. *d.* 23. *n.* 233. p. 341. Si Commissarius hanc non observet dispositionem, sed procedat ad excommunicationem, nulla erit excommunicatio. *ibid. num.* 234. p. 432. Si in aliquo rescripto hæc dispositio non ponatur, & judex delegatus primò ad excommunicationem procedat, excommunicatio valida, non tamen licita erit: *ibid.*

Vide *Episcopus.*

Præsentatio. Vide *Approbatio quoad Regulares, Societas JESU.*

Primitiæ.

Primitiarum retentio, reservata non censetur, nisi exprimatur; quamvis decimarum retentio reservetur. *d.* 18. *n.* 257. p. 286.

Princeps.

Principem secularem non incurrere censuram canonis 13. Bullæ Cœnæ, si detineat litteras Apostolicas, ut veritas illarum à Pontifice investigetur, probabile est. *d.* 16. *n.* 153. p. 225. Princeps non incurrit excommunicationem ejusdem Canonis, si litteras Legati, aut Nuntii ad se missi, velit examinare. Secus, si sint Cardinalium. *ibi. n.* 154. p. 226.

Privilegium.

Ab indulto non differt. *d.* 1. *n.* 17. p. 8. Ejus definitio, & quomodo à beneficio differat. *ibid. n.* 54. p. 11. Quomodo dividatur. *d.* 1. à *n.* 55. pag. 11.

Privilegia ex justa causa concedens, illa potest revocare. *disp.* 1. *num.* 128. pag. 20. Etiam sine causa, si jurisdictionem concernant. *ibid.* Etiam si addiderit, se nolle illa unquam revocare. *ibid.* Quibus modis finiantur, remissivè. *d.* 1. *n.* 134. pag. 21.

Ad privilegii valorem, Scriptura non requiritur. *d.* 6. *n.* 3. p. 58. Privilegium, seu gratia, quando conceditur per verbum *fiat*, alia non requiritur Scriptura. *d.* 6. *n.* 4. d. 58. Pro foro externo, requiritur. *ibid. n.* 6. p. 58.

Privilegium quomodo cessat per legem, aut revocationem privatam. *d.* 7. *n.* 68. p. 74. Pro limitato tempore concessum, finito tempore, finitur. *d.* 15. *n.* 97. p. 197.

Privilegium reale, toto tempore durat, quo res cui annectitur, durat. *disp.* 23. *num.* 89. pag. 412.

Privilegia ministrorum Cruciatæ referuntur. *d.* 24. à *n.* 22. p 437.

Procurator pauperum.

Qui fuit in causa ne pauperes haberent aliam medietatem legati ad quid teneatur? *d.* 25. à *n.* 274. p. 470.

Publicatio Bullæ.

Consistit in processione, & concione. *d.* 4. *n.* 3. p. 38. Bullam accipiens post processionem, & ante concionem, privilegiis gaudet. *ibid. n.* 6. pag. 38.

Vide *Annus, Bullas.*

Pueri.

Ante annos pubertatis probabiliter ab incursione censurarum eximuntur, non tamen à casuum reservatione. *d.* 15. *n.* 5. p. 189.

Pueri ante septennium, si usu rationis polleant, carnibus, & ovis in diebus vetitis, vesci nequeunt. *d.* 22. à *n.* 134. p. 400. Si detur dubium usus rationis, ante septennium, possint illis carnes ministrari, non tamen post septennium. *d.* 22. *n.* 147. p. 401.

Purgatorium.

Purgatorii anima absolutè, & completè persona dici nequit. *d.* 23. *n.* 117. p. 416

Purgatorii animabus indulgentiæ concessæ, per Paulum V. non sunt revocatæ. *d.* 23. *n.* 125. p. 418.

Purgatorium dari, de fide est. *d.* 26. à *n.* 4. p. 487. Ubi est? *ibid* à *n.* 7. p. 488. An sit unum omnium animarum? *ibid. n.* 8. p. 488. In Purgatorio animæ existentes, duplici afficiuntur pœnâ. *d.* 26. à *n.* 9. p. 488.

In Purgatorio animæ frigore, & aliis similibus pœnis torquentur. *d.* 26. *n.* 11. p. 488. Pœna sensus est acerbissima. *ibid. n.* 12. p. 489. Probabile est Purgatorii pœnas ex genere suo esse graviores omni pœnâ sensibili hujus vitæ, non tamen in individuo. *ibid. n.* 13. p. 489. Probabilius oppositum. *ibid. n.* 14. p. 489. Purgatorii animæ à Dæmonibus non torquentur. *d.* 26. *num.* 16. pag. 489.

In Purgatorio nulla anima ultra diem judicii detinebitur. *d.* 26. *n.* 18. pag. 489. Ex Purgatorio nulla anima liberabitur, nisi plenè purgata. *ibid. n.* 19. p. 489. Anima plene purgata statim admittitur ad V. Beatam. *ibid. n.* 20. p. 489. Duratio pœnarum in omnibus non est æqualis. *d.* 26. à *n.* 21. p. 489. Non est assignabilis aliquis terminus, ultra quem pœna Purgatorii non duret. Adducitur propositio ab Alexandro VII. damnata. *disp.* 26. à *num.* 24. pag. 490. Sequela, quæ ex damnatione inferuntur. *ibid.* à *n.* 25. pag. 490.

Purgatorii pœnæ, per suffragia, quoad durationem, minuentur. *d.* 26. *n.* 29. p. 491. Pœna tristitiæ, ex pœna damni orta, etiam minuitur. *ibid. n.* 30. p. 491. Pœna sensus, quoad intentionem, per suffragia minuitur, & non minuitur; utrunque probabile, ultimum magis contentaneum. *disp.* 26. à *num.* 31. pag. 492.

Purgatorii animæ sunt certæ de sua salute. *disp.* 26. *n.* 36. p. 491. In eo, nec de congruo, nec de condigno, mereri, aut demereri possunt *ibid.* à *n.* 37. p. 491.

A Purgatorio ex lege ordinaria animæ egredi nequeunt, antequam omne pœnarum debitum persolvant. *d.* 26. *n.* 40. p. 492. Possunt ex dispensatione divina. *ibid. n.* 41. p. 492. Datâ hâc dispensatione, pœna non interrumpitur. *ibid.* Animarum apparitionibus facilè non est adhibenda fides. *d.* 26. *n.* 42. p. 492. In Purgatorio, animæ pro nobis Deum orant. *ibid.* à *n.* 44. p. 492.

Purgatorium, an S. Pontifex vacuare possit, omnibus, & singulis animabus indulgentiam plenariam concedendo? Ad praxim est quæ-

stio

stio parum utilis. *disp.* 26. *num.* 362. pag. 525.

R.

Ratihabitio.

UT ratam habentes aliquam actionem ex prohibitis in 11. Bullæ Cœnæ canone excommunicationem incurrant, necesse est, quòd patrata fuisset nomine, & in gratiam ipsorum. *disp.* 16. *n.* 115. p. 222. Ratihabitio posterior delicto, illius non dicitur causa. *d.* 16. *n.* 136. p. 223.

Reditus.

Reditus verbum, in advertentiis ad Bullam, pro designatione eleemosynæ, non sumitur ut odiosum. *d.* 5. à *n.* 19. p. 47.

In reditibus, si aliquid à summa designata, deficiat, eleemosyna designata non est elargienda. *d.* 15. *n.* 17. p. 190. In reditibus expensæ sunt deducendæ. *ibid. n.* 22. p. 190.

Reditus nomine, veniunt, circa Bullæ eleemosynam, distributiones. *d.* 5. à *n.* 24. p. 47. Et ea, quæ ex mortuariis, & anniversariis acquiritur. *ibid. num.* 27. pag. 48. Et acquisita per contractum ad rationem juris. *ibid. num.* 28. pag. 48. Et reditus annui Monialium. *ibid. n.* 31. pag. 48.

Vide *Eleemosyna.*

Regulares.

Regulares exempti, de licentiâ suorum Prælatorum Episcopo se subjicere possunt, ut absolutiones aliquas, & dispensationes obtineant. *disp.* 2. *n.* 12. p. 23.

Regulares possunt uti Bullæ privilegiis, quæ pœnitentiæ Sacramentum non concernunt. *disp.* 2. *n.* 40. p. 26. Et absque licentia suorum Prælatorum validè, non licitè. Excipe Religiosos Societatis JESU. *d.* 2. à *n.* 45. p. 26. Quamvis probabile sit, posse validè. *ibid. num.* 47. pag. 26.

Regularibus à Paulo V. indulgentia stationum conceditur visitantibus suas Ecclesias. *d.* 10. *n.* 52. juncto *n.* 66. pag. 108. *Ecclesia* nomine, venit oratorium Residentiæ, in qua alia non datur Ecclesia. *ibid.* & *n.* 65. p. 169.

Regulares, quovis anni tempore, omnibus fidelibus Eucharistiam ministrare possunt, excepto die Paschæ. *d.* 11. *n.* 132. p. 153.

Regulares habent privilegium celebrandi missam per horam ante auroram, & per alteram post meridiem. *d.* 13. *n.* 12. p. 158. Quomodo horæ computentur. *ibid.*

Regulares, de licentia sui Prælati, cuilibet simplici Sacerdoti, etiam sæculari confiteri possunt. *d.* 14. *n.* 212. p. 185.

Regulares Prælati, & Regularium confessores, absque approbatione Episcopi, confessiones sæcularium, qui sunt verè de familiâ, & continuè commensales, confessiones possunt audire. *disp.* 14. *num.* 215. pag. 185. Qui autem dicantur esse de familia, & continui commensales? *ibid.* à *n.* 216. pag. 185. Si Bullæ, aut Jubilei privilegiis, Sacramento pœnitentiæ concernentibus, velint gaudere, confessarius electus ab Ordinario debet esse approbatus. *d.* 14. *n.* 222. p. 186. Alumni in monasteriis viventes confiteri debent ab ordinario approbatis. *ibid. n.* 221. pag. 185.

Regulares intra Italiam, & extra Urbem à quinque casibus extra Bullam Cœnæ etiamsi sint occulti nequeunt absolvere. *disp.* 16. *n.* 20. p. 209. & *n.* 25. p. 210. Extra Italiam possunt absolvere ab omnibus Pontificiis extra Bullam Cœnæ. *ibid.* à *n.* 22. p. 209.

Regulares ab excommunicationibus in edictis publicari solitis à D.D. Inquisitoribus; & contra eorum præcepta non observantes, absolvere nequeunt. *d.* 16. à *n.* 42. p. 212. & *d.* 19. *n.* 32. pag. 319.

In largitione munerum Religionis interdicta, restitutio realiter non facta, intelligitur, quando est possibilis. *d.* 17. *n.* 14. p. 230.

Regulares à casibus, quos sibi Episcopi reservant, absolvere nequeunt; & oppositum ab Alexandro VII. damnatur. *d.* 19. à *n.* 12. p. 317. Possunt absolvere ab illis, quos non ipsi Episcopi, sed jus illis reservat. *ibid.* à *n.* 19. pag. 317. Si specialiter ab ipsis Episcopis non sint reservati. *d.* 19. *n.* 21. p. 318.

Regulares possunt absolvere à reservatis in alia diœcesi, si non sint reservati in diœcesi, quâ confessiones excipiuntur, & pœnitentes ad illos non confluant in fraudem reservationis. *d.* 19. *n.* 22. p. 318. Non possunt absolvere peregrinos alienæ diœcesis à reservatis commissis in diœcesi, quâ confitentur. *disp.* 19. *num.* 27. pag. 318.

Regulares ex vi suorum privilegiorum vota commutare, & dispensare possunt, etiam in diœcesibus, in quibus commutatio, aut dispensatio voti, reservatur. *disp.* 19. à *num.* 28. p. 318. Ab excommunicationibus, quas sibi Episcopi reservant, absolvere nequeunt. *ibid.* à *n.* 30. pag. 319.

Regulares à reservatis suis Superioribus, virtute Bullæ, absolvi non possunt. *d.* 20. à *n.* 64. pag. 332. Refutatur Leand. renuens negare probabilitatem oppositæ sententiæ. *ibid.* à *num.* 83. pag. 335. Nec à reservatis Pontifici, virtute Bullæ absolvi possunt. *d.* 20. à *n.* 90. pag. 336. Nec à reservatis in Religione per confessarios deputatos. *ibid. n.* 100. pag. 347. Nec eligere confessarium, ut à non reservatis absolvantur. *d.* 20. à *n* 103. p. 338.

Regularem à reservatis confessarius nequit absolvere, virtute Bullæ, si judicat, illius opinionem esse falsam, & improbabilem, quamvis probatæ authoritatis Authoribus probabilis reputetur. *d.* 20. à *n.* 110. p. 339. Nec etiam accommodando se opinioni, quam ipse pœnitens Regularis judicat probabilem. *d.* 20. *n.* 112. p. 339. Nec etiam dato; & non concesso, quòd sit probabilis. *ibid. n.* 113. p. 339.

An Regularis à reservatis, virtute Bullæ, per confessarium absolvi possit, illi dicens, se licentiam à Superiore habere? *d.* 20. à *n.* 118. p. 380. Nec confessarius, existimans opinionem concedentem, posse absolvi pœnitentem, esse probabilem, & eo inscio pro eo Bullam accipiens, potest absolvere; si pœnitens eam opinionem improbabilem judicat. *disp.* 20. à *n.* 124. p. 340. Rejicitur P. Moya oppositum docens. *ibid.* Nec confessarius, dictam opinionem existimans probabilem,

habilem, potest absolvere pœnitentem Regularem, qui non vult adeo ancipiti privilegio uti. *d.* 20 *n.* 128. p. 341. Refutatur P. Moya asserens oppositum non improbabile. *ibid. num.* 130. pag. 441.

Regulares, de licentia suorum Superiorum, Bullam sumere possunt, ut eligant confessarium, à quo absolvantur à reservatis. *d.* 20. *à n.* 131. pag. 441. Sufficit tacita. *ibid. num.* 134. Quando censeatur concessa? *ibid. à num.* 135. pag. 342.

Regulares virtute suorum privilegiorum vota extra confessionem commutare, aut dispensare nequeunt. *d.* 21. *à n.* 174. p. 365. Mendicantes, cum conjuge habente votum castitatis, ut possit petere, possunt dispensare. *disp.* 21. *num.* 232. pag. 372.

Regularium privilegium admittendi ad sepulturam tempore interdicti usque ad quindecim sæcularium cadavera sine prompa, per Bullam non suspenditur. *d.* 23. *n.* 79. p. 411.

Regularibus indulgentias per antecessores concessas Paulus V. revocavit. *d.* 23. *n.* 123. pag. 417. Alias de novo concessit. *ibid. n.* 124. pag. 417. Pro articulo mortis, & pro Purgatorii animabus non sunt revocatæ. *d.* 23. *n.* 135. p. 417. Indulgentiæ revocatæ per Paulum V. non fuerunt postea revalidatæ; & oppositum ab Alexandro VII. damnatur. *ibid. n.* 126. p. 418.

Regularium Ecclesiis plures concessæ sunt indulgentiæ. *d.* 23. *n.* 127. pag. 418. Regularibus, & sæcularibus indulgentiæ promiscuè concessæ, & eorum Ecclesiis non fuerunt revocatæ. *d.* 23. *n.* 128. p. 418. & *n.* 159. p. 423. In visitationibus harum Ecclesiarum, nomine *Ecclesiæ* venit Oratorium intra claustra existens. *ibid. num.* 128. pag. 411.

Regularibus indulgentiæ concessæ, per Bullam non suspenduntur. *d.* 23. *à n.* 133. p. 426.

Regulares sine Bulla, indulgentiis in suis Ecclesiis omnibus fidelibus concessis, gaudere possunt. *disp.* 23. *num.* 146. in fine pag. 421. & *n.* 154. pag. 422.

Regulari particulari concessâ indulgentiâ pro mortis articulo, per Bullam non suspenditur. *d.* 23. *n.* 147. p. 422. Si concessio sit extra illum articulum probabile est non suspendi, & probabilius, suspendi. *d.* 23. *à n.* 148. p. 422.

Regularium privilegia ad absolvendum, & vota commutanda, & dispensanda, per Bullam non suspenduntur. *d.* 23. *à n.* 162 p. 423. Nec privilegia pulsandi campanas, administrandi Sacramenta, & sepeliendi mortuos, tempore interdicti. *d.* 23. *n.* 163. p. 423.

In exceptione Bullæ pro Regularibus, nomine *Fratrum* veniunt omnes Religiosi professi. *disp.* 23. *n.* 177. p. 452. Veniunt etiam novitii, etiam si animum perseverandi non habeant. *ibid. n.* 178. p. 425.

Regularibus gratiæ, & facultates à S. S. Pontificibus immediatè concessæ, sine suorum Superiorum mentione, per Bullam non suspenduntur. *d.* 23. *à n.* 180. p. 426.

Vide *Altare portatile*, *Jubilæus*, *Prælatus*.

Regularis militaris.

Militarium Ordinum Equites in communi, & clausurâ viventes, de licentia sui Prælati, simplici Sacerdoti confiteri valent, si in contrarium praxis non vigeat. *disp.* 14. *à num.* 213. pag. 145.

Militares Regulares ordinis Christi, virtute Bullæ, absque suorum Superiorum licentiâ, confessarium eligere non possunt, ut à reservatis absolvantur. *d.* 20. *n.* 159. p. 345.

Militares clerici ordinis S. Benedicti de Avis, & S. Jacobi in communi viventes, virtute Bullæ, sine suorum Prælatorum licentia eligere possunt confessarium, à quo absolvantur à reservatis, si consuetudo non obstet. Probabilius tamen est, non posse. *d.* 20. *à n.* 160. p. 345.

Regulares Melitenses, virtute Bullæ, absque licentia suorum Prælatorum possunt eligere confessarium, à quo absolvantur à reservatis. *disp.* 20. *num.* 163. pag. 345.

Equites ordinis Christi, Palmellæ, Avisii, & similium omnibus Bullæ privilegiis, absque suorum Superiorum licentiâ, uti possunt. *d.* 20. *n.* 164. p. 345.

Vide *Ordines Equestres*.

Rescriptum. Vide *Excommunicatio*.

Reservati casus.

Reservatio quid sit? *d.* 15. *n.* 4. p. 188. Ligat ignorantes. *ibid. n.* 5. p. 189. Si in pœnam, & odium peccati imponatur, ignorantes non ligat. *ibid. n.* 6. p. 189.

Reservari non expedit venialia, & mortalia ritè confessa. *d.* 15. *n.* 7. p. 189. Nec peccata interna, licèt possint reservari. *ibid. n.* 8. p. 189. & *d.* 18. *n.* 6. p. 258. De facto nulla sunt reservata. *ibid. n.* 9. p. 189.

Peccatum mortale dubium, sive dubium sit, an sit commissum? an sit mortale? aut an sit confessum? Si expressis verbis non reservetur, reservatum non est. *d.* 15. *à n.* 10. p. 189. Peccatum dubium ab inferiore absolutum, & postea certò constans fuisse reservatum, aut incurium excommunicationem, probabile est non esse ad Superiorem recurrendum; & probabilius, recurrendum. *d.* 15. *n.* 12. p. 189.

Quando S. Pontifex, aut Episcopus aliquod cum censurâ reservant peccatum, non solùm censuram, sed ipsum peccatum reservant. *d.* 15. *n.* 13. p. 189. S. Pontifici nullum de facto, sine censura, est peccatum reservatum. *disp.* 15. *n.* 14. pag. 189. Si quis censuram peccato annexam ignoravit, si censura S. Pontifici erat reservata, peccatum non est reservatum. *disp.* 15. *num.* 15. p. 189. & *d.* 18. *n.* 309. p. 292.

Reservato aliquo delicto, actiones leves externæ, ex affectu mortali interno procedentes, reservatæ non sunt. *disp.* 15. *à num.* 169. pag. 199.

In articulo mortis nulla est reservatio. *d.* 17. *n.* 148. p. 247. In jure hodie nullum Episcopis est peccatum reservatum. *d.* 18. *n.* 3. p. 257. Qui casus ab Episcopo possint reservari. *d.* 18. *à n.* 5. pag. 257.

Reservati casus in diœcesi Ulyssiponensi exponuntur. *d.* 18. *à n.* 17. p. 259.

Reservati casus in diœcesi Bracharensi declarantur. *d.* 18. *à n.* 351. p. 297.

Reservati casus in diœcesi Eborensi. *d.* 18. *à n.* 361. pag. 298.

Reser-

Reservati casus in diœcesi Conimbricensi. *d.* 18. à *n.* 374. p. 299.
Reservati casus in diœcesi Egitanensi. *disp.* 18. à *n.* 381. p. 300.
Reservati casus in diœcesi Portuensi. *disp.* 18. à *n.* 383. p. 300.
Reservati casus in diœcesi Visensi. *d.* 18. à *num.* 392. p. 301.
Reservati casus in diœcesi Lamecensi. *disp.* 18. *n.* 393. p. 302.
Reservati casus in diœcesi Algarabiensi. *d.* 18. à *n.* 394. p. 302.
Reservati casus in diœcesi Mirandensi. *d.* 18. à *n.* 405. p. 303. Quomodo in hac diœcesi intelligatur decimum quartum reservatum? *d.* 18. à *n.* 435. p. 307.
Reservati casus in diœcesi Portalegrensi, exponuntur. *d.* 18. à *n.* 443. p. 307.
Reservati casus in diœcesi Leiorensi. *d.* 18. à *n.* 482. p. 311.
Reservati casus in diœcesi Eluensi. *d.* 18. à *n.* 449. p. 309.
Reservati casus in diœcesi Funchalensi Insulæ Materiæ. *disp.* 18. à *num.* 406. pag. 312.
Reservati casus in diœcesi Angrensi. *d.* 18. à *n.* 494. pag. 312.
Reservati casus in Ecclesiâ Thomarensi, & Priorato Crastensi nullius diœcesis. *disp.* 18. à *num.* 495. pag. 313.
Reservati casus in diœcesibus Brasilienſibus. *d.* 18. à *num.* 497. pag. 313.
Reservati casus in diœcesi Angolana. *disp.* 18. à *num.* 513. pag. 314.
Vide *Metus.*

Reservati casus, quoad absolutionem.

Reservata qui confessus est, virtute alicujus indulti ad indulgentiam acquirendam, ignorans indulti revocationem, inquit P. Soar. manere directè absolutum. *disp.* 7. *num.* 67. pag. 76. Hoc limitatur. *ibid. num.* 72. pag. 76.
Licentiam obtinens absolvendi aliquem à determinatis reservatis, illum absolvere non potest ab aliis de novo commissis; secus si licentia sit obtenta, ut absolvatur à quibuslibet reservatis, aut pro hac vice. *disp.* 15. à *num.* 126. pag. 202. Subditus si cum suo Superiore, vel illius vices habente confiteatur, à reservatione manet liber. *ibid. num.* 153. pag. 204.
A reservatis in diœcesi Ulyssiponensi clerici in sacris possunt absolvi, aliquibus exceptis. *disp.* 18. *num.* 347. pag. 296. Si confessarii à reservatis absolvant sine licentia Ordinarii, & in Oppido Stallabitano absque licentia Vicarii Generalis, excommunicationem ipso facto incurrunt, & absolutio est nulla. *ibid. num.* 350. pag. 296.
In diœcesi Egitanensi confessariis conceditur, ut vagabundos à censuris, & reservatis possint absolvere. *disp.* 18. *num.* 382. pag. 300. Ab iisdem possunt absolvere Sacerdotes, & clericos in sacris, exceptis revelatione sigilli; & non tradendi bona aliena intra mensem, juxta duodecimum reservatum. *ibid.*
Reservata Episcopo, ab ipso reservante, ejus Superiore, Legato à Latere, & Nuntio absolvi possunt. *disp.* 19. *num.* 1. pag. 316. Reservata Episcopo suffraganeo Archiepiscopus non potest absolvere, nisi in visitatione diœcesis ipsius suffraganei. *ibid.* Pœnitentiarius Ecclesiæ Cathedralis ex vi suæ institutionis, ea non potest absolvere. *ibid.* à *num.* 2. pag. 316.
Reservata, quæ sibi Episcopus reservat, Regulares non possunt absolvere; & oppositum ab Alexandro VIII. damnatur. *disp.* 19. à *num.* 12. pag. 317.
Reservata non possunt absolvi, ubi sunt reservata, etiam si pœnitens discesserit à loco, ubi non erant reservata. *disp.* 19. *num.* 24. pag. 318. Reservata habens in una diœcesi, non potest, datâ operâ, ad aliam pergere, ubi non sunt reservata, ut ab illis absolvatur. *disp.* 19. *num.* 24. pag. 318.
Reservata committens exterus in hac diœcesi, quamvis in suâ non reservata, non potest in hac absolvi, nisi ab habente facultatem. *d.* 19. *num.* 26. p. 318.
A reservatis habens facultatem generalem absolvendi, cum facultate eam alteri subdelegandi; eam subdelegare potest. *disp.* 19. *num.* 42. pag. 320.
Absolutio à reservatis Episcopo, in casu urgentissimæ necessitatis in diœcesibus Ulyssiponensi, & Egitanensi conceditur. *disp.* 19. *num.* 60. pag. 322. Impeditus adire Episcopum absque nota, & infamia pro absolutione reservati, an possit à Parocho, vel ab alio confessario absolvi? Tres afferuntur probabiles sententiæ. *disp.* 19. à *num.* 61. pag. 322.
A reservatis Episcopo invalidè absolvitur ille, qui bona fide ea sola reservata aperuit. *disp.* 19. *num.* 68. pag. 323. Et validè, quando cum eis alia aperuit, in quæ confessarius jurisdictionem habebat. *ibid.* à *num.* 69. pag. 323. Absolutio verò à reservatis fuit indirecta. *ibid.* In hac absolutione valida & directa in opinione P. Præpositi, improbabile non videtur, teneri postea pœnitentem, coram Superiore comparere. *disp.* 19. à *num.* 73. pag. 324.
A reservatis absolvere, & pro aliis mortalibus mittere subditum pœnitentem ad inferiorem ut ab illis eum absolvat, est illicitum, & absolutio nulla. *disp.* 19. à *num.* 80. pag. 324. Affertur propositio ab Innocentio XI. damnata. *ibid. num.* 78. pag. 324.
A reservatis in aliqua Religione, Generalis pro tota Religione, Provincialis pro tota Provincia, & Superior localis pro toto conventu, possunt absolvere. *disp.* 20. *num.* 23. pag. 328.
Vide *licentia.*

Reservati casus, quoad absolutionem, virtute Bullæ.

Virtute Bullæ semel in vita, & in mortis articulo omnes casus Pontificii, etiam in Bullâ Cœnæ contenti, exceptis septem, possunt absolvi. *disp.* 15. à *num.* 78. pag. 195. & *disp.* 16. *n.* 11 & 4. pag. 207.
Absolutio una tantùm à casibus Pontifici reservatis non exceptis, in Bulla conceditur, & non plures, pro singulis reservatis. *disp.* 14. à *num.* 83. pag. 196. Nec pro præsenti anno, virtute Bullarum annorum præteritorum, potest absolvi qui, à Pontifici reservatis, virtute

illarum, annis præteritis non fuit absolutus. *disp.* 15. à *num.* 96. pag. 197.

Virtute Bullæ, non possunt absolvi toties quoties casus occulti in Bullâ Cœnæ contenti. Adducitur, & explicatur propositio ab Alexandro VII. damnata. *disp.* 15. à *num.* 110. pag. 199. Si verò sint extra Bullam Cœnæ, probabilius est, toties quoties, posse absolvi, quamvis oppositum etiam probabile sit. *ibid.* à *num.* 114. pag. 200. Probabilius est, virtute Bullæ, toties quoties non absolvi peccata publica Pontifici reservata, in loco ubi sunt occulta. *disp.* 15. à *num.* 118. pag. 201.

Virtute Bullæ, peccata reservata commissa ante, vel post Bullæ acceptionem possunt absolvi. *disp.* 15. *num.* 125. p. 201. Et commissa ex confidentiâ Bullæ. *ibid.* à *num.* 132. pag. 202.

Virtute Bullæ, pœnitens absolutus, à censuris oblitis, & reservatione peccatorum oblitorum, manet liber. *disp.* 15. à *num.* 143. p. 203. At non manet liber, si confessio fuit nulla, tacendo peccatum, cui annexa erat censura reservata. *disp.* 15. *num.* 150. pag. 204. Juxta Bullam Hispanam probabile est manere liberum. *disp.* 15. *num.* 151. pag. 204.

Virtute Bullæ, non manet liber à reservatione peccatorum, qui fecit confessionem nullam, tacendo aliquod peccatum. *disp.* 15. à *num.* 152. pag. 204. Et etiam, quando fuit nulla ex defectu doloris, examinis, aut propositi: *d.* 15. *n.* 155. pag. 205.

Virtute Bullæ, hæresis occulta absolvi nequit. *disp.* 16. *num.* 8. pag. 208. & *num.* 28. pag. 210. Nec in locis, ubi non est tribunal S. Inquisitionis. *ibid.* à *num.* 9. pag. 208. Hæresis, ut in Bullâ censeatur excepta, duas conditiones requirit. *disp.* 16. *num.* 29. pag. 210.

Virtute Bullæ, absolvi non potest, proferens verba ambigua, aut æquivoca, per ea volens suam manifestare hæresim. *disp.* 16. *num.* 32. p. 211. Secus si eam nolit manifestare. *ibid.*

Virtute Bullæ, nec semel in vitâ, & mortis articulo possunt absolvi casus contenti in primo Bullæ Canone, si formalem involvant hæresim. *d.* 16. *n.* 35. p. 211. Si tamen formalem non involvant hæresim, probabilius est semel in vita, & in mortis articulo, posse absolvi. *disp.* 16. *n.* 37. pag. 211.

Virtute Bullæ, casus D. D. Inquisitoribus, & non Sedi Apostolicæ reservati, toties quoties possunt absolvi. *disp.* 16. *num.* 40. pag. 212. Non est tamen absolvendus pœnitens, qui culpabiliter delictum denuntiare omisit, antequam denuntiet. *disp.* 16. à *num.* 46. pag. 212. & *num.* 51. pag. 213.

Virtute Bullæ Hispanæ, absolutio ab excommunicatione, satisfactâ parte, pro foro externo non prodest. *disp.* 17. à *num.* 33. pag. 233. & *n.* 40. p. 234. Refutatur Leand. dicens, hoc non esse definitum ab Urbano VIII. *ibid.* à *num.* 38. pag. 233.

Virtute Bullæ Lusitanæ, absolutio à censuris jure latis, satisfactâ parte, pro foro externo prodest; & non, si sint ab homine latæ. *d.* 17. à *n.* 43. pag. 234. Ostenditur, declarationem Urbani VIII. quoad parenthesim, non esse contra Bullam Lusitanam. *disp.* 17. à *num.* 48. pag. 234.

Virtute Bullæ Hispanæ, satisfacta parte, pro foro conscientiæ, nominatim excommunicati, & publici clerici percussores possunt absolvi. *d.* 17. *num.* 76. pag. 238. Et cum majori amplitudine, virtute Bullæ Lusitanæ. *disp.* 17. à *num.* 76. pag. 238.

Quid speciale indulgeat Bulla concedens facultatem absolvendi à reservatis S. Pontifici, in articulo mortis? *disp.* 17. à *num.* 149. pag. 247. Virtute Bullæ, absolutus à censuris non exceptis, in articulo mortis post convalescentiam, coram Superiore non tenetur comparere. *disp.* 17. *n.* 150. pag. 247. Habenti Bullam, alia emolumenta absolutione in articulo mortis conceduntur. *disp.* 17. à *num.* 153. pag. 248.

Virtute Bullæ, semel in vitâ, & iterum in morte à Pontifici reservatis, non exceptis, potest quis absolvi; & si in vitâ adhuc non fuit absolutus, potest ab eisdem iterum in mortis articulo absolvi. *disp.* 17. *num.* 163. pag. 249.

Facultas absolvendi à reservatis Pontifici, in articulo mortis, in Bulla concessa, intelligitur concessa pro vero, quàm pro præsumpto articulo. *disp.* 17. à *num.* 165. pag. 250. Intelligitur etiam pro mortis periculo concessa. *disp.* 17. à *num.* 169. pag. 250.

Privilegium in Bullâ concessum ad absolvendum in articulo, & periculo mortis, periculum diuturnæ, & perpetuæ amentiæ comprehendit, in quo periclitans confiteri tenetur. *disp.* 17. *num.* pag. 250.

Virtute Bullæ, ut constitutus in mortis periculo absolvatur, duo requirit. *disp.* 17. à *num.* 173. pag. 250.

Virtute Bullæ, Episcopo reservata, toties quoties possunt absolvi. *disp* 19. *num.* 1. pag. 716.

Vide *Regulares*, *Confessio*, *Censura*.

Restitutio.

Injustè impediens aliquem à bono, quod ipsi debetur ex justitia commutativa; & peccat, & tenetur ad restitutionem. *disp.* 18. *num.* 138. pag. 273. Si bonum ex justitia distributiva solùm debebatur, ad restitutionem non tenetur. *ibid.*

Vide *Decima*; *Defunctus*, *Furtum*.

Retentio Summarii.

Ut Bullæ privilegia acquirantur, sufficit, quòd Summarium domi retineatur. *disp.* 6. à *num.* 44. pag. 63. Imò sufficit, quod retineatur quocumque loco, vel domo alienâ, dummodo in domo Thesaurarii non sit. *ibid.* *num.* 46. pag. 63.

Commissarii verba: *tomaram esta Summario, e levaram consigo*, non præceptum, sed Consilium important. *d.* 6. à *n.* 54. p. 65.

Rex, Vide *Appellatio*.

S.

Sacerdos.

SAcerdos habens Bullam, aut privilegium oratorii privati, ministrum laicum eligere potest, qui nec sit familiaris, &c. *d.* 11. *n.* 86. p. 130. & *n.* 88. p. 130.

Sacerdos approbatus ad dicendam primam missam, administrandam Eucharistiam censetur approba-

tus. *disp.* 11. *num.* 129. pag. 135. Et ad celebrandum in oratorio approbato. *d.* 12. *n.* 8. pag. 147.

Sacerdotis peccatum cui irregularitas est annexa, in diœcesibus Bratilienſibus reſervatur. *d.* 18. à *n.* 499. p. 313.

Vide *Irregularitas.*

Sacerdos, qui ex ſtipendio, vel fundatione Capellaniæ, aliquibus diebus tenetur miſſam de *Requiem* celebrare, ſi eam non celebret, juxta aliquos, peccat mortaliter; & juxta alios, non peccat. Probabilius eſt, venialiter peccare. *disp.* 26. à *num.* 138. pag. 502.

Sacerdotes in die Commemorationis omnium defunctorum, miſſam pro omnibus fidelibus defunctis applicare non tenentur. *d.* 26. à *n.* 197. p. 501. Oppoſitum eſt probabile. *ibid.* à *n.* 195. pag. 508.

Sacerdoti fructus quidam particularis obveniens in Sacrificio miſſæ, alteri applicari nequit. *d.* 26. *n.* 351 p. 524.

Vide *Miſſa.*

Sacramenta.

Non omnia Sacramenta, recedente fictione, ſuum operantur effectum. *disp.* 7. *num.* 43. pag. 72.

In Sacramentorum, non ſolùm Baptiſmi, Ordinis, ſed etiam aliorum Sacramentorum collatione, illicitum eſt, uti opinione probabili, relictâ tutiore. *disp.* 7. à *num.* 82. pag. 77. Exponitur ſenſus, in quo propoſitio ab Alexandro VII. damnatur. *ibid. num.* 83. & 84. pag. 77.

Sacramenta Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis miniſtrari poſſunt moribundo, voluntatem habenti virtualem, illa ſuſcipiendi. *d.* 8. *n.* 43. poſt medium. pag. 95.

Sacramenta, quæ tempore interdicti prohibentur, per Bullam eo tempore, in oratoriis privatis, & Eccleſiis, ſuſcipi conceduntur. *d.* 11. à *n.* 122. pag. 134. Communio tamen in Paſchate, & periculo mortis, & Extrema unctio, nonniſi à proprio Parocho, nec Ordinis niſi à proprio Epiſcopo, ſunt ſuſcipienda. *disp.* 11. *num.* 124. pag. 135.

Ex Sacramentorum receptione fructus ex opere operato proveniens, alteri applicari nequit. *d.* 26. à *n.* 245. p. 513.

Sacrilegium.

Quid ſit? Quot ſpecies contineat? *disp.* 18. *num.* 155. pag. 275. Quibus modis, res circa quas, ſpecies Sacrilegii verſantur, offendantur. *ibid.* à *num.* 156. pag. 275.

Sacrilegium in diœceſi Ulyſſiponenſi, & aliquibus reſervatur; & exponitur. *d.* 18. à *n.* 154. pag. 274. Sub *Sacrilegii* nomine reſervata non cenſentur omnia Sacrilegia in prima ſpecie contenta. *d.* 18. à *n.* 159. p. 275. Nec omnia, quæ in ſecunda ſpecie comprehenduntur. *d.* 18. à *num.* 162. p. 276.

Sacrilegium reſervatum committit Judex, & quilibet alius juſtitiæ officialis, per vim delinquentem ab Eccleſiâ extrahens, in iis caſibus, quibus immunitate gaudet. *d.* 18. *n.* 164. p. 276. Si delinquens dolo, aut fraude ab Eccleſia auferatur, & extra illam capiatur, Sacrilegium non committitur. *ibid. num.* 165. pag. 267. At ſi ideo dolo extrahitur, ut extra Eccleſiam capiatur, & de facto capitur; probabilius eſt, committi reſervatum ſacrilegium, & probabile non committi. *disp.* 18. *num.* 166. pag. 267.

Sacrilegio reſervato, ſtrepitus forenſis, & mercatura in Eccleſiis exercita, reſervata non cenſentur. *d.* 18. à *n.* 167. p. 276.

Sacrilegio occiſionis, aut alicujus vulnerationis, in diœceſi Ulyſſiponenſi excommunicatio ipſo facto, eſt impoſita. Et ſi excommunicatio ignoretur, adhuc reſervatum committitur. *d.* 18. à *n.* 172. p. 277.

Sacrilegium ubi reſervatur, reſervatio ſanguinis ſeminis effuſionem peccaminoſam in loco Sacro commiſſam, & furtum de loco Sacro comprehendit. *d.* 18. *n.* 171. p. 277. & *n.* 174. p. 277. Occidens aliquem in Eccleſiâ; aut cœmeterio ſine ſanguinis effuſione, ſacrilegium reſervatum committit. *d.* 18. *n.* 175. pag. 277. Non tamen percutiens graviter in Eccleſiâ, vel cœmeterio, abſque ſanguinis effuſione. *d.* 18. *n.* 176. p. 277. Non per quamcunque ſanguinis effuſionem in Eccleſiâ, vel cœmeterio factam, ſed per magnam reſervatio committitur; dummodo è naſo non ſit. *d.* 18. *n.* 177. p. 277.

Qui intra Eccleſiam, aut cœmeterium vulneravit, effuſio tamen ſanguinis extra Eccleſiam, aut cœmeterium fuit, reſervatum committit, non tamen è contra. *disp.* 18. *num.* 178. pag. 277.

Sacrilegium, non autem reſervatum committit occultè occidens in Eccleſiâ, aut cœmeterio. *d.* 18. *n.* 180. p. 277.

Sacrilegia ſunt, non tamen reſervata, fornicatio, & pollutio voluntaria in loco Sacro habita, ſi non ſint publicè commiſſa, aut inter miſſarum ſolemnia, aut Euchariſtiæ Auguſto manifeſtato Sacramento, aut quando per illa Eccleſia non polluitur, ut reconciliatione indigeat. *disp.* 18. *n.* 181. p. 277.

Sacrilegium non eſt omne furtum in loco Sacro commiſſum. *disp.* 18. *num.* 183. pag. 277. Sacrilegium, nec reſervatum committit, qui furatur res profanas in loco Sacro; quæ ſub cuſtodia Eccleſiæ non ſunt, nec ei in pignus traditæ: in aliis verò furtis rerum Sacrarum, vel non Sacrarum de Eccleſiâ, & Sacrilegium, & reſervatum committitur. *disp.* 18. *num.* 184. pag. 278.

In diœceſi Ulyſſiponenſi excommunicatio imponitur contra bona propria Eccleſiæ furantes. *disp.* 18. *num.* 185. pag. 278.

Sacrilegia, quæ in tertia ſacrilegii ſpecie continentur, ſervata non cenſentur *disp.* 18. à *num.* 186. pag. 278. Quid per injectionem manus violentam in clericum, in conſt. Synodali reſervetur? *d.* 18. à *n.* 190. p. 279.

Vide *ſtrepitus forenſis.*

Sagimen.

Eſt à lardo diſtinctum. *disp.* 22. *num.* 128. pag. 399. Sagiminis uſus in feriis ſextis, & Sabbatis ob penuriam olei, in aliquibus Regnis, & Provinciis ex conſuetudine eſt licitus. *ibid.* Probabile eſt, licitum eſſe uſum ſagimnis in locis

ubi est penuria olei in diebus, quibus esus carnis est prohibitus, & alii non suppetunt cibi, nisi herbæ & Legumina. *ibid.*

Sagininis usus, virtute Bullæ non est licitus in illis diebus, in quibus, virtute Bullæ, ova & Lacticinia sunt licita. *disp.* 22. à *num.* 133. pag. 369.

Sancta Inquisitio.

Sanctæ Inquisitionis officiales in Commissarios, Prædicatores, aut ad aliud Cruciatæ ministerium, eligi prohibentur. *disp.* 23. *num.* 258. pag. 434.

Sanguis.

In diebus prohibitis, nec virtute Bullæ, edi potest. *disp.* 22. *num.* 132. pag. 339. & *num.* 136. pag. 400.

Satisfactio.

Satisfacere potest unus fidelis pro altero fideli de condigno, & ex Justitiæ rigore. *d.* 26. *n.* 88. pag 496. & *num.* 95. pag. 497.

Satisfactionem Sacramentalem, recedente fictione suum habere effectum, docent plures, & plures oppositum. *disp.* 26. *num.* 274. pag. 516.

Vide *Altio.*

Schismaticus.

Schismaticus an Bullæ privilegiis gaudere possit? *disp.* 2. *num.* 20. pag. 24.

Scriptura

Scripturam falsam facere, usus illius, & alicujus falsificatæ, in diœcesi Ulyssiponensi, & aliis pluribus, reservatur. *disp.* 18. *num.* 321. pag. 293. Scripturæ privatæ falsificatio, usus illius, aut fabricatio, non sunt reservata. *ibid. n.* 322. pag. 263

Scripturam fallam mandantes, aut consulentes facere, si non exprimuntur, reservatum non habent. *disp.* 18. *num.* 323. pag. 293. Scripturam fallam fabricans, vel illâ utens, in diœcesi Mirandensi habet reservatum; & non ille ad cujus preces, scriptura falsa fuit facta. *d.* 18. *num.* 406. pag. 363.

Sepultura.

Sepultura sacra cum moderata pompa, tempore interdicti, conceditur ei, qui dum erat vivus Bullam habebat. *disp.* 8. *num.* 49. & 50. pag. 96. & *disp.* 11. *num.* 153. pag. 140.

An excommunicatus occultus, in loco sacro sepultus, sit exhumandus? *disp.* 8. *num.* 62. pag. 97.

Bulla prodest clericis, pro tempore interdicti, quoad sepulturam cum moderata pompa. *d.* 11. à *num.* 160. pag. 141. In quo consistat moderata pompa? *ibid. num.* 165. pag. 141.

Sepulturæ sacræ privilegio cum moderata pompa, tam in interdicto generali loci, quàm speciali, gaudent, Bullam habentes. *disp.* 11. à *num.* 174. pag. 143. At per Bullam Hispanam solùm in interdicto generali. *ibid.* à *num.* 168. pag. 142.

Sepultura sacra defunctis est utilis. *disp.* 26. à *num.* 271. pag. 516.

Sigillum.

Quid sit? Et quale in diœcesi Ulyssiponensi, & aliquibus, reservetur? *disp.* 18. à *num.* 324. pag. 294.

Sigilli revelatio non reservatur illi, qui peccatum pœnitentis, dum confiteretur, audivit; quamvis ad sigillum teneatur. *disp.* 18. *num.* 324. pag. 284. Sigillum Sacramentale obligat semper, & pro semper. *ibid. num.* 325. pag. 294. In violatione sigilli non datur parvitas materiæ. *ibid.*

Sigillum non violat, nec reservatum committit confessarius, qui revelat quod sibi dictum fuit, extra confessionem Sacramentalem sub sigillo, vel sub signo Crucis: peccat tamen contra secretum naturale. *disp.* 18. *num.* 326. pag. 294.

Sigillum violat, & reservatum committit confessarius, qui confitens suum peccatum, pœnitentis peccatum manifestavit. *disp.* 18. *n.* 327. pag. 294. Et Sacerdos non habens jurisdictionem, revelans peccatum illius, qui ei bona fide confessus est. *ibid. num.* 328. p. 294. Et confessarius, de determinatâ persona dicens, se illi fuisse confessum: illam tamen non absolvisse. *disp.* 18. *num.* 329. p. 294.

Sigillum, probabilius est, violare confessarium, qui ex justa causâ cum pœnitente loquitur extra confessionem, super peccato confesso, non petitâ licentia. *disp.* 18. *num.* 330. pag. 294. Quia tamen oppositum est probabile, reservatum non committit. *ibid.*

Sigillum probabilius est violare confessarium, qui aliunde quæsito colore, ab insidiis, quas sibi ex confessione parari novit, fugit: quia tamen oppositum est probabile, reservatum non committit. *disput.* 18. à *num.* 331. pag. 294.

Simonia.

Simoniam Episcopi non committunt, Bullam concedentes, erogatâ pecuniâ in opus pium. *d.* 1. *num.* 43. pag. 10. & *n.* 46. pag. 10. Nec dispensantes vota, dispensandis imponentes onus, elargiendi pauperibus, aut piis locis elemosynam. *ibid. num.* 47. pag. 10.

Simonia est, si pro beneficii impetratione, aliquid in utilitatem fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus conferatur. *disp.* 1. *num.* 44. pag. 10. Non est Simonia pro Bulla pecuniam tribuere. *disp.* 5. *num.* 9. pag. 46.

Simonia quid sit? Quomodo dividatur? *disp.* 18. à *num.* 454. pag. 308. In diœcesi Eluensi reservatur. *ibid.* Quid de hoc reservato censeat P. Abrens *disp.* 18. à *num.* 459. pag. 309.

Simonia S. Pontifici reservata, in præsenti casu non reservatur. *disp.* 18. *num.* 461. pag. 309. Simoniæ S. Pontifici reservatæ. *ibid.* à *n.* 462. pag. 308.

Simonia S. Pontifici non reservata, in præsenti,

casu reservatur. *disp.* 18. *num.* 466. pag. 309. Simoniæ, quæ in diœcesi Eluensi censentur reservatæ. *ibid.* à *num.* 467. pag. 309.

Simoniam, nec reservatum probabilius committit, pecuniam promittens pro consequutione beneficii, animum non habens, standi promissis. *disp.* 18. *num.* 473. pag. 310. Simoniam, & reservatum committit, ex animo pecuniam promittens, licet postea promissis non steterit; non tamen pœnas contra Simoniacos latas. *disp.* 18. à *num.* 475. pag. 310.

Adducuntur duæ propositiones circa Simoniam ab Innocentio XI. damnatæ. *disp.* 18. à *num.* 477. pag. 319.

Simulator.

Simulator paupertatis, quando ad restitutionem teneatur? *disp.* 25. à *num.* 381. pag. 401. Restitutio cui facienda? *ibid.* à *num.* 383. p. 481. Et quando Bullâ Compositionis indigeat. *disp.* 25. à *num.* 387. pag. 482.

Simulans consanguinitatem, & eâ de causâ aliquid accipiens, cui debeat restituere, & uti Bulla Compositionis? *disp.* 25. *num.* 391. pag. 482.

Simulans sanctitatem, aut doctrinam, & eâ de causa beneficium recipiens, per Bullam componi non potest. Et quando beneficium dimittere teneatur? *disp.* 25. *num.* 394. pag. 482.

Societas JESU.

Societatis Jesu confessarii patribus in Congregationem Generalem proficiscentibus, indulgentiam plenariam hodie nequeunt concedere. *d.* 7. à *n.* 31. p. 70.

In Societate JESU non est recepta Const. Julii III. à Generali Prædicatorum obtenta, in quâ dicitur, confessiones esse irritas, si fiant à Regulari cum approbabione Episcopi, absque sui superioris præsentatione. *disp.* 14. *num.* 129. pag. 174.

In Societate JESU, Religiosi Episcopis ad audiendas confessiones per suos superiores immediatos præsentantur. *disp.* 14. *num.* 133. p. 175. Illius confessarii à censuris, ad quas absolvendas habent privilegium, invitum non possunt absolvere. *disp.* 17. *num.* 98 pag. 241. Nullo gaudent privilegio à Sede Apostolica concesso, nisi dependenter à Generali *ibid.*

In Societate JESU confessarii deputati Religiosos ejusdem Societatis à reservatis Pontifici, extra Bullam Cœnæ non possunt absolvere, sicut exteros absolvere possunt. *d.* 20. à *n.* 96. p. 337. In Societate JESU novitii reservatis subjacent. *d* 20. à *n.* 149. p. 344.

Societatis JESU Religiosi absque licentia suorum superiorum à Commissario dispensari nequeunt in irregularitatibus, si ligati censuris, missas aut divina officia celebrayerint. *disp.* 23. *num.* 45. pag. 407. Rejiciuntur P. Mend. & P. Avendan oppositum docentes, *ibid.* *num.* 46. pag. 407.

In exceptione Bullæ pro Regularibus, nomine *Fratrum* veniunt, qui in Societate JESU post novitiatus biennium vota emiserunt. *d.* 23. *n.* 177. in fine p. 425.

Sollicitatio.

Sollicitare in confessione, aut occasione illius, cujus cognitio privativè ad S. Officium pertinet, in diœcesi Ulyssipouensi reservatur. *disp.* 18. à *num.* 334. pag. 295. Probabile est, non reservari sollicitationem factam occasione eorum, quæ confessione fuerunt audita; quando sollicitatio fit post viginti quatuor horas ab audita confessione. *d.* 18. à *n.* 335. p. 295.

Sollicitatio quid sit? *disp.* 18. *num.* 337. pag. 295. Sollicitator est, & reservatum immittit, qui in confessione chartam postea legendam, pœnitenti tribuit, in quâ ad Venerem sollicitabat; & oppositum ab Alexandro VII. damnatur. *d.* 18. à *n.* 341. p. 296.

Sollicitata fœmina, ab obligatione denuntiandi confessarium sollicitantem libera non manet, ex eo, quòd cum illo confiteatur; & oppositum ab Alexandro VII. damnatur. *disp.* 18. à *n.* 345. p. 296.

Sollicitatio in confessionario tam ex parte confessarii, quàm pœnitentis, quæ in diœcesi Portalegrensi reservatur, reservatio pœnitentem non comprehendit, quando ipse pœnitens sollicitationi consentit. *disp.* 18. *num.* 448. pag. 308.

Stationes. Vide *Indulgentia Stationum.*

Strepitus forensis.

In Ecclesiis, aut cœmeterio exercitus, est mortale sacrilegium. *d.* 18. *n.* 169. p. 276.

Sub-Commissarius. Vide *Commissarius.*

Suffocantes prolem.

Suffocantium prolem nomine, quid veniat? *disp.* 18. *num.* 139. pag. 273. Quando in aliqua diœcesi hic tantùm casus reservatur, quid reservari, intelligatur? *disp.* 18. à *num.* 140. pag. 273.

Suffragia.

Suffragium quid sit? *disp.* 26. *num.* 49. pag. 493. Et quotuplex? *ibid.* *n.* 50. p. 493.

Suffragia nostra, animabus, quæ jam sunt in cœlo, non prosunt, nisi ad quandam gloriam accidentalem. *disp.* 18. *num.* 51. pag. 263. Damnatis non prosunt. *ibid.* Animabus Purgatorii prosunt. *d.* 26. à *n.* 52. p. 493.

Suffragiis per modum meriti de condigno, animas in Purgatorio existentes, fideles adjuvare non possunt. *disp.* 26. à *num.* 55. p. 493. Probabile est, nec suffragiis per modum impetrationis, seu meriti de congruo. *ibid.* à *n.* 63. pag. 494. Probabilius, posse, & prodesse *ibid.* à *n.* 65. p. 494. B. Virgo Maria, & sancti pro defunctis orant. *ibid.* *n.* 66. p. 495. & *n.* 68. p. 491. & *n.* 78. p. 495.

Suffragia nostra, seu satisfactiones pro defunctis oblatæ à Deo de condigno, & ex justitiâ acceptantur; probabile est oppositum. *disp.* 26. à *n.* 86. pag. 496. Suffragia fidelium pro animabus Purgatorii, Deus infallibiliter acceptat. *d.* 26.

à *n.* 99. p. 498. Hæc infallibilitas specialia merita ipsarum animarum non respicit. *ibid.* à *n.* 100. p. 498.

Suffragia satisfactionis ut defunctis prosint; status gratiæ in offerente requiritur. Et non dato eo statu, si pro se ipso, aut aliis illa offerat, etiam inutiliter operabitur. *disp.* 26. à *num.* 104. pag. 498. Si Suffragium sit impetrationis, potest esse à peccatore pro se ipso, & pro aliis. *ibid. n.* 106. p. 498.

Suffragia, nempe orationes, & officia divina, facta à ministris Ecclesiæ, in peccato mortali existentibus, probabilius est, defunctis esse satisfactoria. *disp.* 26. à *num.* 109. pag. 499. Quando dicantur, nomine *Ecclesiæ* facta? *ibid.* à *n.* 113. p. 499.

Suffragia satisfactionis, ut defunctis, & aliis prosint, in offerente intentio formalis, aut virtualis requiritur. *disp.* 26. *num.* 115. pag. 499. Si pro multis offerantur, illis prosunt, pro quibus applicantur. *ibid.* Minus pro singulis, quàm si pro minori numero fuissent oblata. *ibid.* Si verò defunctus in gloria, vel gehenna sit, ea satisfactio in Thesauro Ecclesiæ reponitur; vel potius ipsi offerenti prodest. *ibid.* & *num.* 521. pag. 324.

Suffragium impetrationis etiam intentionem requirit; & magis est impetratorium, pro quibus offertur, quàm pro aliis: omnibus æquè prodest, ac si pro minori numero offeratur. *disp.* 26. *num.* 116. pag. 499. Suffragium, ut defunctis, & fidelibus prosit, debet esse bonum, & honestum. *ibid. n.* 117. p. 500.

Suffragia satisfactoria, ut defunctis prosint, illis applicari debent, antequam fiant. *disp.* 26. *num.* 118 pag 500. Quas conditiones, ut defunctis prosint, requirant ex parte ipsorum defunctorum? *d.* 26. *n.* 119. p. 500.

Suffragia privata defunctis Catechumenis prosunt, si pro illis applicentur. *disp.* 26. *n.* 120. p. 500. Illis non prodest sacrificium missæ: *ibid. n.* 121. p. 500. Oppositum probabile est. *ibid. n.* 122. p. 500.

Suffragium pro defunctis, vel aliis oblatum, in eis specialem acceptationem non requirit. *disp.* 26. *num.* 123. pag. 500. Defunctorum animæ, per Angelos custodes, sciunt oblata pro eis suffragia. *ibid.* Non est necessarium, ut suffragia animabus prosint, quòd dum erant in hâc vitâ specialem devotionem in ipsas animas habuissent. *ibid. n.* 124. p. 501.

Suffragia, ex opere operato, & ex opere operantis, quæ dicantur? *disp.* 26. *num.* 225. pag. 501.

Suffragium, quod juxta varias D. D. sententias pro defunctis est magis satisfactorium. *disp.* 26. à *num.* 302. pag. 519. Suffragium inter omnia potissimum, est missæ sacrificium. *ibid. num.* 309. pag. 519. Post illud, præcipuum obtinent locum indulgentiæ. *ibid.* à *n.* 310. p. 520. Jejunia fidelium ex genere suo, defunctis magis prodest, quàm eleemosynæ. *disp.* 26. *num.* 312. p. 520. Et eleemosyna ex genere suo, magis quàm oratio. *ibid. num.* 313. pag. 520. Per accidens, & ex circumstantiis, inter hæc suffragia, aliqua antepositio, vel suppositio esse potest. *disp.* 26. *num.* 315. pag. 520. & *num.* 317. pag. 520.

Vide *Missa*, *Indulgentia*, *Defunctus*.

Suspensio.

Suspensio censuræ quid sit? Quomodo dividatur? Et quando est mera pœna? *disp.* 15. *num.* 29. pag. 191.

Suspensiones S. Pontifici reservatæ recensentur. *d.* 15. à *n.* 70. p. 195.

Suspensio, quando est censura S. Pontifici reservata, virtute Bullæ, semel in vita, & in mortis articulo potest absolvi; & si S. Pontifici reservata non sit, toties quoties. *disp.* 17. *n.* 175. pag. 250. Et si sit à jure lata, absolutio etiam pro foro externo, & judiciali prodest. *ibid. num.* 176. pag. 250. Si non sit censura, sed merè pœna, virtute Bullæ absolvi nequit. *d.* 17. à *n.* 181. p. 251.

Suspensione merè pœnali ligatus, si celebret, irregularitatem incurrit. *disp.* 17. *num.* 184. pag. 251.

Suspensio, ob susceptionem ordinum ante legitimam ætatem, contracta, & aliæ ob indebitam ordinum susceptionem contractæ, virtute Bullæ, absolvi possunt. *disp.* 17. à *num.* 189. pag. 252. Non tamen impedimentum ætatis. *ibid. num.* 189. in fine pag. 252. Recensentur casus, in quibus per indebitam Ordinum susceptionem suspensio contrahitur. *disp.* 17. *num.* 186. pag. 252.

Ostenditur contra Tamborinum, suspensionem ob promotionem ad ordines, absque licentia Ordinarii contractam, puram non esse pœnam. *d.* 17. à *n.* 191. p. 235.

Suspensio à divinis.

Quid sit? Et quid per eam prohibeatur? *d.* 23. *n.* 251. p. 433.

Suspensio Bullæ.

Quæ suspendat Bulla circa indulgentias, facultates, & Gratias? Vide *Indulgentia*, *quoad suspensionem*, *Facultas*, *Regularis*, *Prælatus*, *Commissarius*.

T.

Tabellio. Vide *Notarius.*

Taxa.

SUpra taxam accepris, compositio non conceditur, nisi in casu, quòd pauperibus restituenda. *disp.* 25. *n.* 335. pag. 476. & *n.* 340. pag. 477.

Vide *Eleemosyna*, *Venditio.*

Tertiaria.

Bullâ indigent, ut privilegiis, & gratiis Religioni concessis, gaudeant, si aliqua illis sint concessa. *d.* 23. à *n.* 175. p. 435.

Testis.

Testis juridicè interrogatus verum dicere tenetur, etiam si dubitet, an judex juridicè interroget; dummodo ipsi, aut tertiæ personæ periculum grave non immineat, absque pernicie publicâ.

publicâ *disp.* 25. *num.* 332. pag. 476.
Testis pro actione injustâ pretium accipiens, an restituere teneatur, & compositione uti valeat? *d.* 25. *n.* 329. p. 476.
Vide *Juramentum.*

Testimonium falsum.

Testimonium falsum in actis, in diœcesi Bracharensi, & aliquibus reservatur. *disp.* 18. à *num.* 357. pag. 297. Differt à reservato sub nomine *Juramenti falsi. ibid.* Ut Testimonium falsum sit reservatum, juramento debet esse formatum. *ibid. n.* 358. p. 297.
Vide *Juramentum.*

Thesaurarius Bullæ.

Thesaurarii munus. *disp.* 24. *num.* 40. pag. 440. Thesaurario incumbit, quòd Bullæ publicatio fiat in civitate, Dominicâ primam Adventus antecedente, & sequentibus statim diebus in Villis, & oppidis sui districti. *ibid.* Alia munera. *ibid.* à *n.* 41. p. 440.
Vide *Distributor.*

Thesaurus Ecclesiæ.

Quid sit? *d.* 7. *n.* 7. p. 68. Illius dispensator est Romanus Pontifex. *ibid.*

Tingitana Urbs.

In Tingis Cæsaream Sede Bulla publicari potest; & fideles ibi commorantes per seipsos ibi, & per alios, in locis ubi publicatur, Bullam sumere possunt. *d.* 3. à *n.* 31. p. 32.

Tribunal Cruciatæ.

Quibus constet personis? *disp.* 24. *num.* 2. pag. 435. In eo reperiuntur necessarii officiales; & quot sint. *ibid.* In eo tractantur negotia temporalia, & sine illo, per Commissarium, spiritualia. *ibid. n.* 3. p. 435.
Ad hoc tribunal, seu ad Commissarium à vi à sub-Commissariis illata, in rebus ad Bullam concernentibus, appellari potest. *disp.* 24. *num.* 4. pag. 435.
Ab hoc tribunali ad Collectorem, Nuntium, aut Legatum à Latere an detur appellatio? Extitit dissidium. *disp.* 24. *num.* 5. pag. 435. Pro Commissarii independentiâ Academiæ decertarunt. *ibid. num.* 6. pag. 455. A Commissario, & ejus tribunali ad Collectorem, Nuntium, & Legatum à Latere non datur appellatio. *d.* 24. à *num.* 17. pag. 437. At per viam querelæ, datur recursus. *disp.* 24. *num.* 21. pag. 437.

Tutor.

Tutor, & curator quænam vota suorum pupillorum, & minorum possint irritare? *disp.* 21. *num.* 26. pag. 349. Et quando? *ibid. n.* 27. in fine pag. 349.

V.

Venator.

VEnans in Sylva alicujus domini non conclusâ; ad restitutionem non tenetur. *disp.* 25. *num.* 362. pag. Venatio, & piscatio in prædio alieno concluso, vel lacu alicujus domini, restitutioni subjacet. *ibid. num.* 363. pag. 479.
Venantem in Sylva, vel monte à Principe sibi, vel alteri reservato, aliqui venialiter, alii mortaliter peccare existimant, ad restitutionem tamen non tenetur. *disp.* 25. *num.* 364. pag. 479.
Venationem, aut piscationem cum retibus minutissimis leges in aliquibus mensibus prohibentes, in conscientia non obligant. Probabile est oppositum. *d.* 25. *n.* 365. p. 479.
Vide *Bulla Compositionis.*

Venditio.

Venditio, & emptio Indorum liberorum est gravissimum peccatum; & contra vendentes, & ementes lata est excommunicatio ipso facto S. Pontifici reservata. *disp.* 18. *num.* 511. pag. 314.
Venditio servorum mutorum, aut surdorum, vel aliis infirmitatibus occultis affectorum, eas malitiosè emptores celando, in diœcesi Angolana reservatur. *d.* 18 *n.* 518. p. 315.
Vide *Mercatores.*
Vendentes triticum pretio à lege taxato, justè vendunt. Taxa tritico sano, incorrupto, vermibus non corroso, mundo, & puro, intelligitur posita; & si ex his aliqua deficiant, pretio taxato vendi nequit. *disp.* 25. *num.* 372. pag. 480. Si tritico mundo aliqua inutilia, & vino optimo aliquod deterius misceatur, pretio taxato vendi nequit. *disp.* 25. à *n.* 374. pag. 480.
Venditor, si post factam venditionem, faciat mixtionem, peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur. *disp.* 25. *num.* 378. pag. 481. Idem quando triticum, aut lanam in loco humido ponit. *ibid.*
Venditori nunquam licet, emptorem vitium rei celare; & quando venditionem rescindere teneatur. *d.* 18 *n.* 518. p. 315.
Si in venditione, factâ diligentia, damnificatus ignoretur, Bullâ Compositionis uti potest. *disp.* 25. *n.* 370. in fine p. 480.

Veneficium.

Quid sit? *disp.* 18. *num.* 42. pag. 262. Reservatur in diœcesi Ulyssiponensi, si aliquibus, exponitur. *ibid.* à *num.* 42. pag. 262. Veneficio reservato, omnes species Magiæ, reservatæ non censentur. *ibid.* à *n.* 45. p. 262.
Veneficio reservato, & illius usu, reservatum non habet, colligens herbas, ossa, & alia id generis ad veneficiorum massam attemperandam *d.* 18. *n.* 50. p. 263.
Venificia mandantes, aut consulentes reservatum non committunt, quando in reservatione hæ

actiones

actiones non exprimuntur. *disp.* 18. *num.* 51. pag. 263.

Quomodo se gerere debeat confessarius, quando veneficium, aut aliud peccatum ad artes Magicas spectans, ei confitetur? *disp.* 18. *num.* 52. pag. 263.

Veniale peccatum, Vide *Peccatum*

Vicarius Episcopi.

Quando potest declarare excommunicatum, Episcopum offendentem. *disp.* 16. *num.* 99. pag. 219. A reservatis Episcopo non potest absolvere. *disp.* 19. *num.* 6. pag. 316. Vicario concessâ facultate, absolvendi à reservatis Episcopo, concessa intelligitur, ut aliis possit delegari. *ibid.*

Vicario Episcopi concessâ facultate, absolvendi à reservatis, concessa non intelligitur, ad absolvendum à reservatis Pontifici occultis, nisi ad ea absolvenda specialiter deputetur. *disp.* 19. *n.* 7. pag. 316. Sufficit quòd delegatio sit generalis, ut à reservatis occultis extra Bullam Cœnæ absolvat. *d.* 19. *n.* 9. p. 317.

Vicario Episcopi facultas dispensandi in irregularitatibus occultis in Trid. concessa, non conceditur: sed ab ipso Episcopo dispensatio exhiberi debet. *d.* 19. *n.* 10. p. 316.

Vidua, Viduus.

Confitentes delectationes morosas sensibiles de copulis præteritis habitas, non sunt absolvendi, nisi proponant se restituturos, quamvis aliqui D. sint pro sententiâ oppositâ. *d.* 20. *n.* 115. pag. 339.

Vidua ad quam eleemosynam pro Bulla teneatur. Vide *Eleemosyna.*

Ultramarinum votum. Vide *Votum.*

Votum.

Votum, commutationem petenti, potest commutari ultimo die anni durationis Bullæ, hoc modo: *Ex nunc id votum tibi commuto in opus, quod ego, vel quidam deinceps designabit. disp.* 4. *num.* 42. pag. 43. & *disp.* 21. *num.* 283. pag. 378. Potest etiam commutari, elapso anno Bullæ, quando in fine illius commutatio fuit petita, & dilata ad attentius de materia subroganda considerandum. *disp.* 4. à *num.* 45. pag. 43.

Voti commutatio in diœcesibus Bracharensi, Eborensi & aliis reservatur. Quomodo reservatio intelligatur? *d.* 18. *n.* 354. p. 297.

Votum quid sit? Quas conditiones requirat? *disp.* 21. *num.* 2. pag. 346. Votum, ex gravi metu emissum, à causa extrinseca injustè incusso, est invalidum. *disp.* 21. *n.* 3. pag. 346. Secus si à causa intrinseca. *ibid.*

Votum in dubio emissum non tenet. *disp.* 21. *n.* 4. pag. 346. Vovere rem aliquam Deo gratam absque animo vovendi, est peccatum mortale: Oppositum tamen ab Innocentio XI. non damnatur. *d.* 21. *n.* 5. p. 346.

Voti violatio, quamvis ex genere suo sit mortalis, in materia levi, est venialis. *disp.* 21. *num.* 6. pag. 346. Voti materia est de meliori bono. *ibid. num.* 7. pag. 346. Non de re indifferenti. *ibid.* Votum non peccandi mortaliter, aut venialiter, est validum; non tamen consulendum. *disp.* 21. *num.* 8. p. 347. Vovere mortale, est mortale; Veniale est Veniale. *ibid. n.* 9. p. 347.

Voti divisio. *disp.* 21. *num.* 10. pag. 347. Quando cessat? *ibid.* à *num.* 11. pag. 347. Non valens votum ingrediendi Religionem intra annum, in termino illius, adimplere, illum terminum prævenire tenetur. *disp.* 21. *num.* 15. p. 347.

Voti dispensatio quid sit? *disp.* 21. *num.* 18. pag. 348. Ad dispensationem justa requiritur causa. *ibid.* Voti dispensationem bonâ fide petitam, & collatam, probabilius est non esse validam, si postea inveniatur legitimam defuisse causam. *disp.* 21. *num.* 19. p. 348. Probabilius est, non peccare dispensantem ex justâ causâ, aliquam non admiscentem commutationem. *disp.* 21. *n.* 21. p. 348.

Votum cessat per irritationem. *disp.* 21. *num.* 22. pag. 348. Quid sit irritatio, & quotuplex? *ibid.* Ad irritationem, cognitio specialis voti emissi; non requiritur: requiritur tamen ad dispensationem, aut commutationem. *ibid.* Qui vota irritare possint? *disp.* 21. à *num.* 23. pag. 348.

Voti commutatio quid sit? *disp.* 21. *num.* 32. pag. 349. Quæ in commutatione sint consideranda? *ibid.* à *num.* 33. pag. 349. Votum peregrinationis quomodo sit commutandum? *disp.* 21. à *num.* 53 pag. 351. Et quomodo votum Castitatis? *ibid.* à *n.* 55. pag. 352. Et quomodo votum non nubendi? *disp.* 21. *num.* 61. pag. 352. Et quomodo votum assumendi ordines sacros? *ibid.* à *num.* 61. pag. 352.

Votum Religionis est commutabile, & quomodo? *disp.* 21. à *num.* 64. pag. 353. Votum ingrediendi strictiorem Religionem, in votum profitendi in laxiori æqualiter commutatur. *disp.* 21. à *num.* 69. pag. 353. Votum strictioris Religionis, in votum perseverandi, & profitendi in Religionibus militaribus, æqualiter non commutatur. *disp.* 21. à *n.* 73. pag. 354. Commutatur tamen æqualiter, in votum perseverandi, & profitendi in Religionibus fratrum clericorum in communi viventium. *disp.* 21. *n.* 77. pag. 354. Votum Religionis fœminarum, in votum ingrediendi Religiones militares hujus Regni, commutari nequit. *disp.* 21. *num.* 79. pag. 354. Votum ingrediendi Religionem, in statum Episcopalem commutari nequit. *disp.* 21. *n.* 81. p. 355.

Votum jejunandi singulis feriis sextis, aut Sabbatis, quomodo commutari queat? *disp.* 21. à *num.* 83. pag. 355. Et quomodo jejunium diei in pane, & aquâ? *ibid. num.* 85. pag. 355. Et quomodo votum erogandæ eleemosynæ? *disp.* 21. *n.* 86. pag. 355. Et quomodo votum confessionis, & communionis pro tali die? *ibid. num.* 87. pag. 355. Et quomodo votum celebrandæ missæ? *disp.* 21. *num.* 88. pag. 356. Et quomodo votum recitandi Psalmos pœnitentiales semel in hebdomada? *disp.* 21. *num.* 89. p. 356. Et quomodo votum visitandi sacellum B. Mariæ Virginis *de Pilar* in hac civitate? *d.* 21. *n.* 90. p. 356.

Votum suum in melius potest quis propriâ authoritate commutare. *disp.* 21. à *num.* 93. p. 356. Melius sumitur pro eo, quod est voventi melius ad finem intentum. *ibid. num.* 96. p. 356. Votum reservatum in melius non potest quis commutare, nisi in statum Religiosum fiat. *d.* 21. *num.* 97. pag. 356. Qui suum votum in melius authoritate propriâ commutavit, ad primum votum regredi nequit; si authoritate Prælati, Jubilei, Bullæ, aut confessarii privilegiati, potest. *disp.* 21. *n.* 98. p. 357.

Vovens propriâ authoritate suum votum in bonum æquale nequit commutare, ut probabilius. *disp.* 21. à *num.* 106. pag. 357. Et quando suum votum juxta opinionem probabilem in bonum æquale commutat, de bonitate dubius esse non debet. *ibid. num* 112. pag. 358. In minus bonum nequit commutari. *d.* 21. *n.* 110. p. 358.

Votum in bonum evidenter æquale à privato confessario commutari nequit. *disp.* 21. *num.* 113. pag. 358. Qui potest vota dispensare, illa potest commutare. *disp.* 21. à *num.* 182. pag. 366.

Votum reservatum à S. Pontifice commutatum, non revivisci, etiam si vovens per multum tempus materiam subrogatam omisisset *d.* 21. 21. à *num.* 282. pag. 378. Quæ vota S. Pontifici reserventur? *disp.* 21. *num.* 292. pag. 379. Quæ in Bulla excipiantur? *ibid.*

Vota in Bullâ excepta, emissa ex levi metu ab extrinseco incusso ad ea extorquenda, non sunt reservata. *d.* 21. *n.* 301. p. 380.

Votum ultramarinum est reservatum, non solùm quando emittitur in subsidium terræ Sanctæ, sed etiam quando causâ devotionis emittitur. *d.* 21. *n.* 310. p. 381.

Vovens aliquod opus, v. g. jejunium, non ex præcepto debitum, illud vovere, intelligitur. *d.* 26. *n.* 26. p. 515.

Vide *Episcopus.*

Voti commutatio virtute Bullæ.

Voti commutatio, ipsâ Bullæ acceptatione, non obtinetur. *disp.* 21. *num.* 114. pag. 358. Vota vi Bullæ, aut alterius privilegii in bonum æquale computari possunt. *ibid. num.* 115. pag. 358. Probabilius est in aliquod minus, non posse commutari. *disp.* 21. à *num.* 117. pag. 358. Juxta opinionem asserentem posse voventem suum votum authoritate propriâ in bonum evidenter æquale commutare, non potest authoritate propriâ votum alicui diei adjunctum, in antecedentem, vel sequentem diem commutare. *d.* 21. à *n.* 122. p. 351.

Ad voti commutationem, virtute Bullæ, aut Jubilei causa non requiritur. *disp.* 21. à *num.* 128. pag. 360. Et ad commutationem ea requiritur causa, quæ sufficit ad dispensandum. *disp.* 21. *n.* 125. pag. 359. Quæ requiratur causa? *ibid.* à *num.* 126. pag. 359.

Voti commutatio, virtute Bullæ, in subventionem temporalem, & non in alia opera pia, facienda est. *disp.* 21. à *num.* 137. pag. 361. Etiam si vota sint pauperum. *ibid. num.* 143. pag. 362.

Vota in praxi, quomodo, virtute Bullæ, commutentur; exempla afferuntur. *disp.* 21. à *n.* 144. pag. 362. Commutato voto, pecuniaria commutatio in arculam in Ecclesiis pro his commutationibus posita, est projicienda. *ibid. n.* 151. pag. 362.

Vide *Confessarius.*

Vota ante, vel post Bullæ promulgationem emissa, virtute illius, commutari possunt. *disp.* 21. à *num.* 161. pag. 364. Etiam extra confessionem. *ibid.* à *num.* 168. pag. 364. Et confessarius commutans ab Ordinario debet esse approbatus. *disp.* 21. *n.* 170. pag. 365. Non est necessarium, quòd sit idem, qui confessionem voventis audivit. *ibid. num.* 171. pag. 365. Simplex Sacerdos confessionem, habentis Bullam, in articulo mortis audiens, illius vota potest commutare. *disp.* 21. *num.* 172. pag. 365.

Ad vota commutanda, concessâ in Bullâ facultate, ad illa dispensanda, non censetur concessa. *disp.* 1. *num.* 177. pag. 366. Facultas, ad vota commutanda, ad juramenta Deo facta commutanda, extenditur. *disp.* 21. à *num.* 191. pag. 367.

Votum juramento confirmatum, votum, & juramentum circa eandem materiam emissa, unum independenter ab altero, vi Bullæ, commutari queunt. *disp.* 21. à *num.* 202. pag. 369. Quæ vota, virtute Bullæ, commutari possint? *d.* 21. *n.* 210. p. 369.

Vota substantialia Religionis, & illis annexa, sive solemnia, sive simplicia, vi Bullæ, commutari nequeunt. *disp.* 21. *num.* 211. pag. 369. Nec vota, aut juramenta, quibus statuta communitatum, Academiarum, Collegiorum, &c. confirmantur. *ibid. num.* 212. pag. 369.

Vovens se non lusurum, sub pœnâ erogandi unum aureum determinatæ personæ, aut pauperibus, commutationem pœnæ incurrit; vi Bullæ, obtinere potest. *disp.* 21. à *num.* 214. pag. 369.

Voti commutatio à S. Pontifice facta de pœnâ pecuniaria in partem, remittente aliam partem; quoad partem relictam, virtute Bullæ, aut Jubilei commutari potest. *disp.* 21. *num.* 217. pag. 371.

Votum Deo factum in honorem ipsius Dei, aut alicujus Sancti, & in utilitatem tertii, virtute Bullæ, aut Jubilei, commutari potest. *disp.* 21. *num.* 219. pag. 370. Etiam si a tertio sit acceptatum. *ibid.* à *num.* 223. pag 371.

Votum sumendi ordines Sacros, virtute Bullæ, commutari potest. *disp.* 21. *num.* 226. pag. 371. Et votum castitatis diminutum. *ibid. num.* 227. pag. 371. Et diminutum quoad tempus, dummodo ad centum annos emissum non sit. *disp.* 21. *num.* 228. pag. 371. Etiam si vota diminuta castitatis, simul sumpta perfectam, & integram constituant castitatem, & quodlibet sit sigillatim emissum. *ibid. num.* 229. pag. 371.

Votum virginitatis, præcisè sumptum pro primo actu luxuriæ, vi Bullæ commutari potest. *disp.* 21. *num.* 230. pag. 371. Si non constet, pro primo actu luxuriæ fuisse emissum, commutari non potest, quamvis oppositum non videatur improbabile. *ibid.*

Votum castitatis conjugalis alicui statui Religioso non annexum, virtute Bullæ, commutari potest. *disp.* 21. *num.* 233. pag. 372. Et votum

castitatis de consensu alterius conjugis, vel sine illo emissum. *ibid.* Et si idem votum ab utroque conjuge, absque mutua licentia emittatur. *ibid.*

Votum castitatis ex mutua licentia ab utroque conjuge emissum, vi Bullæ, commutari nequit. *disp.* 21. *num.* 234. pag. 372. Si tamen uterque sibi remittat, & acceptet mutuam cessionem juris petendi, & reddendi debitum (in quo graviter peccat) cùm teneat remissio, votum, virtute Bullæ, commutari potest. *d.* 21. *num.* 235. pag. 372. Si uterque conjux votum emittat, se neque petiturum, neque debitum redditurum, virtute Bullæ, aut Jubilei commutari potest. *ibid.*

Votum castitatis absolutè emissum cum expressa intentione obligandi tantùm ad veniale, virtute Bullæ, potest commutari. *d.* 21. à *n.* 236. pag. 379. Et votum servandi perpetuam paupertatem extra Religionem. *ibid. num.* 238. pag. 374.

Vovens aliquam actionem v. g. non ludere: quod si ludat, in pœnam vovet Castitatem, Religionem, aut peregrinationem Hierosolymitanam, virtute Bullæ, hæc vota commutari possunt. *disp.* 21. à *num.* 245. pag. 373. Et etiam si actionem non voveat, sed in pœnam transgressionis, aliquod ex iis votis. *ibid.* Discrimina, quæ inter hæc vota dantur. *disp.* 21. *num.* 240. pag. 373.

Vota Castitatis, Religionis & peregrinationis Jerosolymitanæ, conditionata, virtute Bullæ, ante vel post conditionem impletam, commutari possunt. *disp.* 21. à *num.* 254. pag. 374. Si sint conditionata sub conditione de præterito; aut præsenti, commutari nequeunt. *ibid.* 256. p. 375. Si sub conditione de futuro impossibili emittantur, sunt irrita. *disp.* 21. *num.* 258. pag. 375. Sub conditione necessariâ, commutari non possunt. *ibid. num.* 257. pag. 375. Et intuitu commoditatum temporalium, honoris, &c. *disp.* 21. *num.* 262. pag. 375.

Votum disjunctivum, cujus una pars est reservata, & altera non, vi Bullæ commutari potest. *disp.* 21. *num.* 270. pag. 376. Etiam si pars non reservata impossibilis effecta sit. *disp.* 21. *num.* 272. pag. 377. Et etiam quando pars reservata à vovente jam sit electa. *disp.* 21. *n.* 275. pag. 377.

Commutari potest, virtute Bullæ, materia non reservata, in quam S. Pontifex in foro conscientiæ, votum reservatum commutavit. *disp.* 21. *num.* 278. pag. 378.

Commutatione factâ, voventi licitum est, ad prius votum redire, quando commutatio facta est, virtute Bullæ, Jubilei, aut Regularium privilegii, & non, quando in melius authoritate propriâ facta est. *disp.* 21. *num.* 287. pag. 379. Et iterum relicto priori voto, ad commutationem redire. *disp.* 21. *num.* 291. pag. 379.

Vota tria in Bullâ excepta, nec virtute illius, Jubilei, aut privilegii Mendicantium commutari queunt. *disp.* 21. *num.* 296. pag. 380. Nec etiam authoritate propriâ, nisi in statum, & professionem Religiosam commutatio fiat. *disp.* 21. *num.* 297. pag. 380.

Vota tria excepta, emissa ex levi metu ab extrinseco incussо ad aliquod ex tribus votis extorquendum, vi Bullæ, commutari possunt. *disp.* 21. à *num.* 297. p. 380.

Voti Ultramarini qualitates, vi Bullæ, commutari possunt. *disp.* 21. *num.* 304. pag. 301. Et votum applicandi debita incerta in subsidium terræ Sanctæ. *disp.* 21. *num.* 305. pag. 381. Et votum assumendi Crucem in quacunque expeditione à S. Pontifice factâ. *disp.* 21. *num.* 306. p. 381. Et peregrinationis ad templum B. Virginis Lauretanæ. *disp.* 21. *num.* 307. pag. 381. Et votum peregrinationis Hierosolymitanæ ob finem honestum, & non ad visitanda loca sacra. *disp.* 21. *num.* 308. p. 381.

Votum Hierosolymitanum, sive in subsidium terræ Sanctæ, sive ob devotionem emittatur, virtute Bullæ, non potest commutari. *disp.* 21. *n.* 310. pag. 381.

Votum Religionis, quoad dilationem temporis, virtute Bullæ, potest commutari, dummodo dilatio non sit tanta, ut detur periculum non implendi votum. *disp.* 21. *n.* 312. pag. 382. Et votum Religionis strictioris in laxiorem. *disp.* 21. *num.* 313. pag. 382. Et votum perseverandi in Religione, prout à voto ingrediendi illam, distinguitur. *disp.* 21. *num.* 315. p. 382. Votum ingrediendi Religionem; num sibi placeat? commutari nequit. *disp.* 21. *num.* 317. pag. 382.

Votum Religionis Melitensium virtute Bullæ, commutari nequit. *disp.* 21. *num.* 318. p. 302. Votum Religionis Christi, S. Jacobi, Calatravæ, &c. Equitum, commutari potest. *disp.* 21. *num.* 319. pag. 382. Et votum Religionis Monialium Militarium in hâc civitate degentium. *d.* 21. *n.* 320. p. 383.

Votum Religionis Ordinum Militarium, quam profitentur Fratres, & Regulares in clausura viventes, virtute Bullæ, commutari nequit. *d.* 21. *n* 321. p. 383.

Votum Religionis non approbatæ, virtute Bullæ, commutari potest. *disp.* 21. *num.* 322. p. 383. Et votum assumendi habitum Eramitarum, & fœminarum, quæ vulgò *Beatæ* dicuntur, & si aggregatim habitent, & votum hujus status emittant. *d.* 21. *n.* 383. p. 383.

Vota in Bullâ excepta, virtute illius, non possunt commutari, quando Episcopus ex urgentissimâ causâ, ea potest dispensare. *disp.* 21. à *num.* 331. pag. 383. Nec in casu, quòd non essent reservata. *disp.* 21. *num.* 334. pag. 384.

Vota in Bullâ excepta nequeunt commutari in iis casibus, in quibus parentes, tutores, mariti, & domini ea possunt irritare. *disp.* 21. *n.* 336. pag. 384.

Usura.

Quid, & quotuplex sit. *disp.* 25. *num.* 193. pag. 472. Jure divino est prohibita. *disp.* 25. *num.* 294. pag. 472. Usura non est, lucrum accipere ex mutuo, ratione gratitudinis, quamvis illud speres, & intendas. *disp.* 25. *num.* 295. pag. 473. Si tamen pactum de eâ gratitudine ineas, vel scripturam erigas, est usura. *d.* 25. *num.* 296. pag. 373. Oppositum ab Innocentio XI. damnatur. *disp.* 25. *num.* 297. pag. 473.

Usura non est, aliquid ultra sortem ex mutuo acci-

accipere, ratione damni emergentis, & id mutuario manifestatur, valoremque non excedit. *disp.* 25. *num.* 298. pag. 473. Idem de lucro cessante ratione mutui, & revera pecunia negotiationi sit destinata; & si sit dubium, ad rationem dubii lucrum est decernendum, & de his mutuarius admonendus. *disp.* 25. *num.* 299. pag. 474.

Usura est, aliquid ultra sortem accipere pro obligatione, non repetendi mutuum intra certum tempus. *disp.* 25. *num.* 300. pag. 473. Et oppositum ab Alexandro VIII. damnatur. *d.* 25. *num.* 301. pag. 473.

Usura est, aliquid accipere ultra . . . pro carentia solatii, quam mutuans . . . pecuniam suam non videns. *d.* 25. *n.* . . . Et oppositum ab Innocentio XI. est. 473. *d.* 25. à *num.* 304. p. 473. . . . atum.

Vide *Bulla Compositionis.*

Uxor.

Quæ vota mariti irritare possit? *disp.* 21. *n.* p. 349. Quæ ex turpi lucro marito teneatur restituere? *d.* 25. à *n.* 428. p. 486.

Vide *conjux*, *Votum.*

FINIS.

32.6.17.